BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
44 - G
11

Digitized by Google

ANNI ECCLESIASTICI CONCIONATORII QUADRIPARTITI:

SEU

CONCIONUM PRÆDICABILIUM

IN DOMINICAS, ET FESTA, ET FERIAS PER totius Anni decurſum, ab Adventu ad Adventum,

TOMUS IV.

AUTHORE

R. P. HENRICO SEYNENSI,

PRÆDICATORE CAPUCINO.

Opus univerſis animarum Rectoribus, & Divini Verbi Præconibus, & Catechiſtis, & Controverſiſtis utiliſſimum.

BIBL. CAP. ALBANI



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM junioris.
ANNO M. DC. LXXVII.
Cum licentiâ Superiorum, & Approbationibus.

Applicato alla Libreria di Albano

ANNUS ECCLESIASTICUS

CONCIONATORIUS QUADRIPARTITUS.

TOMUS IV.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis. Luc. 21. 25. &c.

DEus noſter, cujus *potentia a non habet finem* b, qui terminare poſſit actionem ipſius, ſic exhibuit ſeſe prodigum in creatione entium, ut videatur quòd eorum multitudo ſuperet omnia nomina, quæ illorum debeant naturam exprimere. Unde Philoſophi ne inſcitiæ inſimularentur, quoſdam commenti ſunt terminos, quos nuncupant ſigna, quæ præter cognitionem, quam nobis præbent ſuî ipſorum, efficiunt ut in alterius rei perveniamus notitiam nobis priùs ignotæ. Horum autem ſignorum duo admittunt genera. Alia nuncupant ſigna naturalia, ut fumus eſt ſignum naturale ignis latentis. Alia ſigna pendent è voluntate & beneplacito hominum, & vocantur ſigna ex inſtituto, cùm hoc non habeant ex ſeipſis & ex ſua natura. In Scripturâ ſacrâ alia ſigna invenio. Signa fœderis, *Dixit Deus ad Noe: hoc eſt ſignum fœderis, quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram* c, loquens de arcu, qui apparuit poſt diluvium. Signa promiſſi, quale fuit circumciſio, cùm dixit Deus Abrahæ, *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputij veſtri: eritque pactum meum in carne veſtrâ in fœdus æternum* d. Signa timoris, qualia ſunt hæc quæ proponit nobis Evangelium hodiernum, ut inducant nos ad ſanctitatem amplectendam, eruendo nos è criminibus, quæ *erunt in Sole, & Luna, & ſtellis*. Sed maximum ſignorum omnium eſt ſignum Mariæ, *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite eius corona ſtellarum duodecim* e. Hoc eſt idem ſignum, quod Deus præbuit Achaz Regi Iſraël, *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium* f, quod completum eſt, poſtquam Angelus dixit eidem Virgini ſacratiſſimæ, *Ave Maria*.

a Pſ. 64. 7
b Baruch. 3. 25.
c Gen. 9. 17.
d Gen. 17. 10. &c.
e Apoc. 12. 1.
f Iſai. 7. 14. &c.

Non eſt aliqoid potentius & efficacius ad reprimendam licentiam effrænem hominum criminoſorum hujus ſeculi, ipsâ cogitatione ultimi & formidabilis judicii; cùm Chriſtianus qui illud non timeret, infidelis eſſet & ſtupidus ad extremum exceſſum uſque; cùm & ipſæ ſimplices ideæ hujus diei audaciſſimos quoſque ſtemitu percellant, & intrepidos quoq; pavore & tremore concutiant; quin imò cùm & ipſæ tabellæ & imagines illius repræſentativæ metu nos afficiant. Si verò aliqua notitiæ ſcintilla quoad ea quæ peraguntur in hoc ſevero tribunali, ad nos uſque pertingat, bonos in nobis infallibiliter ſemper producit effectus, ſeu in animabus, quæ aliquam præ ſe ferent diſpoſitionem ad pietatem ſectandam, & aliquod promovendæ ſalutis ſuæ deſiderium. D. Hieronymus, qui nobis iſtud monitum reliquit ſalutare, *Sive leges, ſive dormies, ſive ſcribes, ſive vigilabis, Amos tibi ſemper buccina in auribus tuis ſonet* g: hanc eamdem Amos Prophetæ tubam judicium finale innuentem, ſuis auribus clangentem ſibi audire videbatur; & quàmvis ſanctus, pallore tamen veluti mortis opertus, toto contremiſcebat corpore, memor hujus diei terribilis, quo omnia ſua diſcutienda forent cogitata, dicta, & facta. Si autem peccatores, præ ratione contrariorum, Deum exacerbant, ideò quia non credunt judicium ejus. *Propter quid irritavit impius Deum?* petit Propheta. Et reſpondet. *Dixit enim in corde ſuo, non requiret* h. Ecce tota cauſa deordinationis illius, *Non eſt Deus in conſpectu ejus; inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus* i. Sed aliquando experientur iſti impii quàm ſit *horrendum incidere in manus Dei viventis* k, quem nihil latet, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo* l tunc erit, cùm ab eo ſinguli examinabimur extremo illo die judicii, quod inducere deberet nos ad exhibenda Deo obſequia noſtra præ timore illius, ut conſulit nobis Propheta, *Servite Domino in timore* m, qui ſigna ſuæ præmittit iræ, ut eorum intuitu, miſericordiam ipſius nobis conciliemus, *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum* n.

g D. Hier. de Regul. Monach. c. 13. ex Amos 7. 4.
h Pſ. 9. 34.
i Pſ. 9. 26.
k Hebr. 10. 31.
l Hebr. 4. 13.
m Pſ. 2. 11.
n Pſ. 7. 13.

Deus ipſe noſtrorum æmolus bonorum, & cõmodorum amator noſtrorum, ut ab æterno novit id quod noſtrum peragere poteſt emolomentum, præ noſtris illud judicium ponere voluit oculis, ut ejus memoria profundiùs noſtris imprimeretur mentibus, ut efficaciſſimum remediorũ omnium quibus uti poſſimus adversùs vitium oppugnandum. Ideòque ab ipſis mundi naſcentis incunabulis voluit ut ſingulis temporibus, ætatibus, & ſæculis annunciaretur illud hominibus, ut ejus timore meliùs infringeretur

ANNUS ECCLESIASTICUS

CONCIONATORIUS QUADRIPARTITUS.

TOMUS IV.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis. Luc. 21. 25. &c.

a Pſ. 64. 7 b Baruch. 3. 25. DEus noſter, cujus *potentia a non habet finem* b, qui terminare poſſit actionem ipſius, ſic exhibuit ſeſe prodigum in creatione omnium, ut videatur quòd eorum multitudo ſuperet omnia nomina, quæ illorum debeant naturam exprimere. Unde Philoſophi ne inſcitiæ inſimularentur, quoſdam commenti ſunt terminos, quos nuncupant ſigna, quæ præter cognitionem, quam nobis præbent ſui ipſorum, efficiunt ut in alterius rei perveniamus notitiam nobis priùs ignotæ. Horum autem ſignorum duo admittunt genera. Alia nuncupant ſigna naturalia, ut fumus eſt ſignum naturale ignis latentis. Alia ſigna pendent è voluntate & beneplacito hominum, & vocantur ſigna ex inſtituto, cùm hoc non habeant ex ſeipſis & ex ſua natura. In Scripturâ ſacrâ alia ſigna invenio. Signa fœderis, *Dixit Deus ad Noe: hoc eſt ſignum fœderis, quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram* c, lo- c Gen. 9. 17. quens de arcu, qui apparuit poſt diluvium. Signa promiſſi, quale fuit circumciſio, cùm dixit Deus Abrahæ, *Circuncidetur ex vobis omne maſculinum: & circuncidetis carnem præputij veſtri: eritque pactum meum in carne veſtrâ in fœdus æternum* d. d Gen. 17. 10. &c. Signa timoris, qualia ſunt hæc quæ proponit nobis Evangeliom hodiernum, ut inducant nos ad ſanctitatem amplectendam, eruendo nos è criminibus, quæ *erunt in Sole, & Luna, & ſtellis*. Sed maximum ſignorum omnium eſt ſignum Mariæ, *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite eius corona ſtellarum duodecim* e. Hoc eſt idem ſignum, e Apoc. 12. 1. quod Deus præbuit Achaz Regi Iſraël, *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium* f, quod completum eſt, poſtquàm f Iſai. 7. 11 &c. Angelus dixit eidem Virgini ſacratiſſimæ, *Ave Maria*.

Non eſt aliqoid potentius & efficacius ad reprimendam licentiam effrænem homioum criminoſorum hujus ſeculi, ipſâ cogitatione ultimi & formidabilis jodicii; cùm Chriſtianus qui illud non timeret, infidelis eſſet & ſtopidus ad extremum exceſſum uſque; cùm & ipſæ ſimplices ideæ hujus diei audaciſſimos quoſque tremito percellant, & intrepidos quoq; pavore & tremore concutiant; quin imò cùm & ipſa tabellæ & imagines illius repræſentativæ metu nos afficiant. Si verò aliqua notitiæ ſcintilla quoad ea quæ peraguntur in hoc ſevero tribunali, ad nos uſque pertingat, bonos in nobis infallibiliter ſemper producit effectus, ſeu in animabus, quæ aliquam præ ſe ferent diſpoſitionem ad pietatem ſectandam, & aliquod promovendæ ſalutis ſuæ deſiderium. D. Hieronymus, qui nobis iſtud monitum reliquit ſalutare, *Sive leges, ſive dormies, ſive ſcribes, ſive vigilabis, Amos tibi ſemper buccina in auribus tuis ſonet* g: hanc eam- g D. Hier. de Regul. Monach. c. 23. ex Amos 7. 4. dem Amos Prophetæ tubam judicium finale innuentem, ſuis auribus clangentem ſibi audire videbatur; & quàmvis ſanctus, pallore tamen veluti mortis opertus, toto contremiſcebat corpore, memor hujus diei terribilis, quo omnia ſua diſcutienda forent cogitata, dicta, & facta. Si autem peccatores, præ ratione contrariorum, Deum exacerbant, ideò quia non credunt judicium ejus. *Propter quid irritavit impius Deum?* petit Propheta. Et reſpondet. *Dixit enim in corde* h Pſ. 9. 34. *ſuo, non requiret* h. Ecce tota cauſa deordinationis illius, *Non eſt Deus in conſpectu ejus; inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus* i. Sed aliquando experientur i Pſ. 9. 26. iſti impii quàm ſit *horrendum incidere in manus Dei viventis* k, quem nihil latet, *Omnia autem nuda* k Hebr. 10. 31. *& aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo* l tunc l Hebr. 4. 13. erit, cùm ab eo ſinguli examinabimur extremo illo die judicii, quod inducere deberet nos ad exhibenda Deo obſequia noſtra præ timore illius, ut conſulit nobis Propheta, *Servite Domino in timore* m, qui ſigna ſuæ præmittit iræ, ut eo- m Pſ. 2. 11. rum intuitu, miſericordiam ipſius nobis concilietnus. *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum* n. n Pſ. 7. 13.

Deus ipſe noſtrorum æmulus bonorum, & cōmodorum amator noſtrorum, ut ab æterno novit id quod noſtrum peragere poteſt emolumentum, præ noſtris illod judicium ponere voloit oculis, ut ejus memoria profundiùs noſtris imprimeretur mentibus, ut efficaciſſimum remediorū omnium quibus uti poſſimus adversùs vitium oppugnandum. Ideòque ab ipſis mundi naſcentis incunabolis voluit ut ſingulis temporibus, ætatibus, & ſeculis aonunciaretur illud hominibus; ut ejus timore meliùs infringeretur

illorum libertas criminoſa & indomita. Moyſes primus iſte & eximius Secsetarius mundi, illius meminit in ipſo Geneſis *o* exordio, illudque conſtituit primum ut cogitatu ſaluberrimum, *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Super quod Cornelius *p* ait, *Pro, Deus, Hebraicè eſt Elohim, id eſt, Iudex, inſpector, & vindex univerſorum; ut ſciant homines eundem eſſe Conditorem mundi & Iudicem, qui ſicut mundum creavit, ita & judicabit, quaſi Elohim, id eſt, Iudex.* Deus qui titulos aſciſcere ſibi poterat majores & glorioſiores, quales erant, Omnipotentis *q*, Independentis *r*, Abſoluti *s*, aut hujuſmodi; ſolum Judicis oomen ſumit, ut diſcant homines ſe reddituros eſſe aliquando rationem præ tribunali ipſius, ut reos, omnium crimioum ſuorum.

Secundus Concionator hujus diei rigoris & tremoris fuit Henoch, qui *translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam* *t*; quippe qui totus animatus zelo, monuit homines ut manerent parati ad comparendum præ tribunali ſummi & formidabilis Judicis, qui manu armatâ venturus eſt *in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus* *u*. Quæritur quare Deus elegerit pro præcone ſuorum ſuppliciorum & pro Prædicatore juſtitiæ ſuæ ſeptimum *x* hominem qui fuit ab Adamo. Et reſpondetur quòd iſtud eſt myſterium, & quòd cùm morbo langueret mundus, & morbo languidus quaſi cordis pateretur deliquium, ad extremas uſque debilitatis redactus anguſtias, (ſicut die ſeptimo, referentibus Medicis, morbus conſuevit ad ſupremum violentiæ ſuæ aſcendere faſtigium, & ad periculoſiſſimum malignitatis ſuæ ſe provehere apicem, ſic, ut ſoccurratur ei, remedia inquiruntur defenſiva & maximè proficua ei applicanda, cùm perſæpè dies ille ſit ultimus, qui mortem immediatè præcedit) ideò cùm Henoch in mundum veniſſet ſeptimo die morbi ejuſdem mundi, rectæ rationi erat conſonum, imò verò neceſſarium ut prædicaret judicium ut remedium maximæ virtutis, & efficaciæ incomparabilis.

Hanc vocem tonantem & terrentem tulerunt Prophetæ inter Judæos. Iſaias *y* rationem reddens miſſionis Meſſiæ, ait, quòd unus ex articulis præcipuis legationis ejus, fuit, ut annonciaret diem judicii, & illius adventum prædicaret, *Spiritus Domini ſuper me. Ad annunciandum manſuetis miſit me. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro.* Oportet igitur ut hæc res graviſſima ſit, cùm ei non ſufficientibus Angelis, Filius Dei è cœlo deſcenderit, ut illius rigores annunciaret. D. Petrus ait, inter alia quòd ſibi & Coapoſtolis ſuis præcepiſſet Chriſtus, diſcedens ab ipſis, ut diem judicii hominibus prædicarent, *Præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* *a*. Sibyllæ inter Ethnicos, & omnes Patres, Doctores, & Scriptores ſacri, illius meminerunt. Quin imò *annunciabunt cœli juſtitiam ejus, quoniam Iudex eſt* *b*. Id eſt, Juſti, & ſancti Prædicatores. Concionatores hodierni nihil tam in pulpitis repetunt, quàm rigores hujus judicii. Et Eccleſia ſancta volens nos diſponere ad primum Adventum Filii Dei naſcentis *c*, proponit nobis Evangelium prædicens Adventum ejus poſtremum, & continens ſigna præceſſura hunc diem terribilem, ut hâc viâ timoris noſtram ſatagat dirigere vitam, mores noſtros reformando. Videbimus igitur per

o Gen. 1. 1.
p Cornel. in Gen. 1. 1.
q Eſth. 13. 9.
r Pſ. 113. 2.
s Eſth. 13. 9.
t Eccl. 44. 16. ex Geneſ. 5. 24.
u Rom. 2. 5. & 6.
x Gen. 5. 18.
y Iſa. 61. 1. & 2.
a Act. 10. 42.
b Pſ. 49. 6.
c Luc. 2. 7.

hæc ſigna Primò deſiderium, quo Deus ducitur erga ſalutem noſtram. Secundò dolorem, quo afficitur intuitu noſtræ jacturæ.

Veritas eſt indubitata, quòd amor non ſolùm manifeſtatur in faciendo bono perſonæ amatæ, ſed etiam in avertendis & elongandis ab eâ malis, quæ illam poſſent affligere. Quòd Deus *in charitate perpetua* *d* dilexerit nos, & quòd nos amet *ubi venit plenitudo temporis* *e*, cùm dilexerit *ſic mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* *f*, beneficia illius ſunt nimis ſenſibilia, nedum agnoſci à nobis non debeant; nec de ejus amore ambigere niſi præ crimine poſſumus. Hæc autem propoſitio ſic eſt manifeſta, ut eum eſſet offendere, ac illius probationes in mediū promere. Deus amat nos, cùm continuè nobis benefaciat. Diligit nos, cùm conetur avertere à nobis omnia, quæ nobis eſſe poſſent injurioſa & funeſta. Et quia *miſericors Dominus & juſtus* *g* eſt, cùm juſtitia ejus inducat ipſum ad punienda crimina, coactus ex debito juſtitiæ de criminoſis pœnas ſumere, charitativè monet criminum cōſcios ut attendant ſibi, ita ut invitus virgas arripiat, cùm juſtitia veluti *alienum opus ejus* *h* ſit, nec ipſe ex naturâ ſuâ inclinetur niſi ad benefaciendum, & ad conciliandum ſibi cor omnium, & ad effundendas gratias ſuas præ inſigni miſericordia, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere* *i*.

Poſſetne Deus complacere ſibi in jacturâ hominis, tantâ à ſe curâ formati? cùm ſit opus eximium manuum ipſius, Vicarius ipſius in terrâ, & viva imago magnitudinum ipſius. *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ, & ipsâ imprimis adfectione, quæ lineamenta ductabat*, ait Tertullianus *k*. Nihil eſt quod non adhibuerit Deus, cùm ſpecioſam iſtam delineabat imaginem, & æquè citò deſiſteret homines amare ac eſſe eorum Pater; & ſicut fieri non poteſt quin ſit *Deus Pater omnium* *l*; ita fieri nequit ut univerſos non diligat, & nō habeat paternæ *viſcera miſericordiæ* *m* erga eos. Ab eo inſpiciuntur illi ut *deliciæ* *n* ſuæ, nec poteſt ipſe quin infortunia noſtra ægrè ferat. Ideò veniens hoc ultimo tempore, tonet, minatur, ſtrepitum edit, veluti iratus, non enim minùs eſt juſtus quàm miſericors, ideò ut moneat homines ut declinent ab irâ ſuâ, ut attendant ſibi, ut vibrandis fulminibus ſuis opponant obices. Ut pater amans minatur, ſtrepitat, idcircò ut meliùs ſuos corrigat filios, & eos ad emendationem vitæ præ timore redocat ſalutari.

Videte hanc veritatem in praxim redactam in Adamo primo homine, ſed primo peccatore. Jugum excutit obedientiæ Domino ſuo debitæ hic Protoplaſtus præ transgreſſione mandati *o* ſibi ab eo facti *p*. Venit Deus punitum illum, Et *cùm audiſſent vocem Domini*, quod ſic exponit Cornelius *q*, *putà terribilem ſtrepitum & fragorem ex concuſſione arborum à Deo excitatum*, ſtrepituſque totum concuſſit paradiſum, nam cùm creatus fuiſſet à Deo locus iſte ut eſſet paradiſus *voluptatis* *r*, tunc debebat eſſe locus & tribunal juſtitiæ Dei, unde ipſemet Deus pronunciare debebat decreta contra reos. Deus igitur monere volebat Adamum per hanc vocem ingentem & terribilem ut ipſum pœniteret ſui criminis, & declinare ſatageret à jaculis juſtitiæ ſuæ, quæ capiti ipſius imminebant. Idem peragit Deus quotidie erga peccatorem. Vix offendit peccator, cùm *conſcientia peccati, ipſeque Deus menti ejus,*

Diviſio.
I. Pars.
d Jer. 31. 3.
e Gal. 4. 4.
f Joann. 3. 16.
g Pſ. 114. 5.
h Iſai. 28. 21.
i Eccleſia.
k Tert. lib. de Reſurr. carn. c. 6. ex Gen. 2. 7.
l Epheſ. 4. 6.
m Luc. 1. 78.
n Prov. 8. 31.
o Gen. 3. 6.
p Gen. 2. 17.
q Cornel. in Gen. 3. 8.
r Gen. 2. 8.

hanc

hanc Dei vindicis eſſe vocem terrentem ſugge-
ſ Cornel. in Gen. 3. 8. runt, ait Cornelius *ſ*, ſynderesis interior i-
pſum ſtimulis agitat, & inducit ut dicat
ſicut prodigus *in ſe reverſus, ſurgam, & ibo ad
Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum,*
t Luc. 15. 17. & 18. *& coram te t.* Id videmus in Evangelio noſtro; ve-
niens enim judicatum mundum, remuneratum
Juſtos & Bonos, & punitum malos obſtinatos
& induratos, præcedere facit ſigna tanquam iræ
& indignationis ſuæ prodromos, ut his formi-
dandis tremefacti peccatores minis convertan-
tur ad ipſum, & confugiant ad ipſum, ut ad aſy-
lum ſalutis ſuæ ſecuriſſimũ, & in quo nihil am-
pliùs habeant formidandum, *Dediſti metuentibus
te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberen-*
u Pſ. 59. 6. & 7. *tur dilecti tui* u. *Ab increpatione tua fugient, à voce*
x Pſ. 103. 7. *tonitrui tui formidabunt* x. Hæc autem ſigna e-
runt veluti tot ictus tormentorum bellicorum,
ſicut tot prænuncia monita Judicis, qui non in-
tendit delinquentem in flagranti apprehendere
delicto inopinanter, ſed qui domum ejus illum
conveniens, ſtrepitum edit ingrediendo, ut au-
dito hoc ſtrepitu peccator attendat ſibi, & de-
clinet præ fugâ à rigoribus juſtitiæ ipſum inſe-
quentis. Amor inducit Deum ut ſe gerat more
Commiſſarii delegati à ſupremâ Senatûs Curiâ,
qui ſubornatus eſt & pecuniâ ſusceptâ corruptus,
aut oblatis muneribus demulſus, quique pro-
priorum intuitu agit commodorum: Adit ali-
quod caſtellum nobilis viri, ſtipatus ſatellitibus
regiis, illud obſidet, minas intentat graves, &
ſtrepitum edit immodicum. Sed quare? ad
monendum reum ut caveat ſibi, ut ſaltem
deliteſcat, niſi aliter vitæ tutandæ medio fu-
gæ præſidio capeſſendæ valeat conſulere,
*Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à
facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* Monet prius-
quàm arcum ſuum ejaculetur, eos qui debent
ſuorum eſſe ſcopus ſpiculorum, ut ſibi caventes,
ab iis poſſint declinare. Non agit inſtar venato-
ris, qui præ ſe tenſam ferens catapultam, & vi-
dens avem aliquam ramo alicujus arboris inſi-
dentem, ad illam accedit pedetentim decipien-
dam & occidendam. Nequaquam. Sed *tunc
parebit ſignum Filii hominis in cœlo, & videbunt Fi-
lium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute
multâ & majeſtate, Et mittet Angelos ſuos cum tubâ,
& voce magnâ: & congregabunt Electos eius à qua-
tuor ventis, à ſummis cœlorum uſq; ad terminos eo-*
y Matt. 24. 30. &c. *rum* y. Veniet Dei Filius explicando vexillum
juſtitiæ ſuæ, & totam concutiendo naturam. Ju-
ſtitia clamoſa eſt, ingentes edit ſtrepitus, gra-
ves intentat minas. Minabitur Chriſtus mor-
tem, judicium, & infernum: ideò veniet innu-
mera præbens monita, & infinitas exhibens de-
monſtrationes, ut peccatores pavore & tremore
perculſi intuitu horum ſignorum præ ſe rigorem
nunciantium, confugiant ſub protectionem mi-
ſericordiæ ipſius tanquam ad locum aſyli, & ad
inconcuſſæ ſecuritatis portum. Cùm igitur in-
ſonabit buccina auribus peccatorum, ut eos ex-
citet à profundo & lethargico ſuorum ſomno
criminum (ſed ſemper eo conſilio ut à fulmini-
bus è cœlo vibrandis declinent) perſtrepenti-
bus circumquaque tonitruis, *ut fugiant à facie ar-
cus*, heu! qualem bonitatem! quem exceſſum
miſericordiæ, eo ipſo quo crimina noſtra ſuper
impia noſtra capita, Divinæ Juſtitiæ acutiſſima
trahere debuiſſent tela! He Deus meus! verè
z Habac. 3. 2. dixit tibi Propheta z tuus, *Cùm iratus fueris, miſe-
ricordia recordaberis.* Obſervate autem, ſi placet,
quòd Propheta loquens de punitionibus, quas
Deus debet inſligere, vocat eas arcum. Hic eſt
modus, quo de criminoſis pœnas Deus ſumit.
Quare hoc? ha! ratio iſtius eſt, Auditores;
Quia ille qui arcum eſt vibraturus, ſtrepitum e-
dit quandiu illum tendit, quem advertens aut
audiens quis, facilè poteſt ab ejus ictu declinare.
Præterquàm quòd antequam ſagittarius ſpicu-
lum ejaculetur, illud defert ad pectus ſuum, ſibi-
que eo priùs cor percutit: Sic Deus priusquàm
de noſtris ſe ulciſcatur demeritis, videtur aliquo
compaſſionis affectu duci, *tactus dolore cordis in-
trinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi* a. Et a Gen. 6. 6. & 7.
ideò eit, *Conſurgant & aſcendant Gentes in vallem
Joſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes Gentes in
circuitu* b. Vallis Joſaphat ſita eſt in imis mon- b Joel. 3. 12.
tis Olivarum, ut innuat Deus, quòd licèt tunc *i-
ratus, miſericordiæ* recordabitur ipſe. Congrega-
bitur etiam judicium, juxta aliquos, die Vene-
ris ſancto, die Paſſionis ipſius, ut meminerit
quòd *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſan-
guine ſuo* c, & quantis pœnis noſtram fuit lucra- c Apoc. 1. 5.
tus ſalutem. Idcircò exhibebit intuenda illo
die rigoris, omnia ſuæ Paſſionis inſtrumenta ho-
minibus, ut videant, ipſum nulli rei pepercisse
quò ipſorum ſalutem promoveret, & quòd dies
mortis reproborum, ipſi eſt velut alter dies Paſ-
ſionis, quaſi crucifigeretur iterùm, damnans im-
pios Quod oſtendit amans deſiderium, quo ipſe
erga noſtram afficitur ſalutem.

Nunquid non admiramini, Auditores, effe-
ctus mirabiles hujus plusquàm paternæ charita-
tis Dei noſtri, & hujus pectoris accenſi amore, è
quo non erumpunt niſi ignis & flammæ dile-
ctionis ſacræ? heu! erimusne inſenſibiles ad has
uſque infortunii anguſtias? dormiemusne tot
vocibus, quæ nos ſic charitativè admonent no-
ſtri muneris, ne in flagranti delicto inopinantes
apprehendamur delinquentes? Intereà toni-
trua perſtrepunt, & ipſe totum explodet appara-
tum bellicum cœleſtem, ut homines terreni cir-
cumquaque tremore concuſſi præ tanto rigore,
ad locum aſyli confugiant. Nihil amplius vi-
debitur in totâ naturâ præter ſigna, *Et erunt ſigna
in Sole, & Lunâ, & ſtellis: & in terris preſſura gen-
tium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuũ, areſcen-
tibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuper-
venient univerſo orbi*; ſed ſemper ob eum finem,
ut fugiant à facie arcus. Deus vult nos ſalvare: heu!
volemusne nos noſtram ruinam machinari?
Noſtram ſatagit operari ſalutem: Reddemusne
omnes ejus curas irritas? Suis ſonat ipſe minis,
ut juſtitiæ ejus confixi *timore à judiciis* d ipſius d Pſ. 118. 120.
timeamus: heu! permanebimusne ſemper in
noſtro ſomno lethargico? Intendit ipſe ut nos
miſereamur noſtriipſorum, laborat in gratiam
noſtri: Recuſabimusne ſemper illius auxilium?
& tanquam phrenetici inſurgemusne in Me-
dicum noſtrum? Miſeri ſanè ſumus nos, quippe
qui perire volumus præ deſpectu in ſumendi re-
medii oblati, quod noſtris poſſet inſervire com-
modis.

Deus qui nihil magis habet in votis quàm
converſionem noſtram ad obſequium ſanctum
ſuum, nunquid non uti debebat minis ad terren-
dos peccatores, ut eruens eos è criminibus, indu-
ceret illos ad amplectendam fœliciter ſanctita-
tem? Et cùm nihil ſit validius quod inducat nos
ut recurramus ad Deũ, ipſo terrore & timore ej e Marc. 4. 38. &c.

Digitized by Google

ideò oltimo illo die ubique erit terrorem invenire & tremorem, tora natura erit deordinata, omnie elementa præliabuntur, & omnes cœli nihil ampliùs præ ſe fereot niſi rigorem, quo terrore nos percellant, ut ii qui non diligunt Deum amoris, quique nolunt agnoſcere Deum f 2.Cor. 13.11. *pacis & dilectionis* f & miſericordiæ, ſaltem reformident eum ut Deum *ultionum* g 1 Pſ.93.1. & juſtitiæ, & ut illi, cujus rebelliones ab ejus non ſe ſinunt vinci beneficiis, quæ ſunt ordinariæ erma, quibus crimmoſos in hâc vitâ ad certemen invitat, manus ſuas non habens ermatas niſi gratiis & fevoribus, convertantur randem, & deditionem ſubeant perciti timoribus & tremoribus, qui manifeſtebuntur in his ſignis, h Pſ.64.9. *Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis* h. Hoc eſt conſilium Dei. Sic hæc omnie ſigna nihil ſunt niſi efficecie monita, ſi peccatores præ ſe ferant adhuc aliquem ſelutis ſuæ operendæ affectum. Deus eutem i 1.Timoth.2.4. *qui omnes homines vult ſalvos fieri* i, iis utitor ut nobis amoris ſui exhibeat probetiones, ſicut & deſiderii ſui erge ſalutem noſtram.

Dicuntur cervæ ſuos eniti fœtus ad ſtrepitum tonitruorum. Si in nobis adhuc ſupereſt aliquis ſelutis noſtræ ſategendæ effectus, ſi nondum ſumus omnino obſtinati in malo, nec perveoimus ad ultimam perditionis periodum, perturiamus bona opera, quæ ſi: perſæpè concepimus, redigemus ea ad praxim, ut verè Deo dicere poſſimus, k Iſai.26.17.&18. *A voce tuâ concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis* k. Minæ tuæ, Deus meus, effecerunt ut arma rebellionum & refragationum noſterum depoſuerimus; voluntates noſtræ deditionem ſubeunt poſt tot & tantas reſiſtentias, & metuunt rigores, quibus juſtitie tua eas terret, quosque eis minetur, & ſibi proponuot peregere bonum, quod ſolum poteſt ipſas ſecures reddere inter tot tremores; eæ confugiunt ed aſylum miſericordiæ tuæ, quæ ipſas tot, & ſic variis vocet vocibus, l Pſ.103.7. *A voce tonitrui tui formidabunt* l. Sic eſt, Auditores: Deus emans eſt ſelutis noſtræ, omnie egit; & nolli rei parcitur eem cooſequi poſſimus. Hæc eſt prima ratio, propter quam hæc ſigna ſupredicte manifeſtabuntur in cœlo, id eſt, ad convertendum peccatorem, & ut avertat ſe eb infelicitate, quam minatur ei Deus præ deſiderio ſalotis ipſius.

II. Par. m Gen. 2.7. n Sap.1.13. Cùm Deus ſit Opifex & Author hominis m, proculdubio in ejus complecere ſibi non poteſt jecturâ. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* n. Cùm proprium ſit cauſis ut ſuos ament effectus, & eorum non valeant ſuſtinere jactures niſi præ immodico dolore Sic feruntur ipſæ, ut videmus, ad eorum cooſervationem præ omnibus curis & ſolicitudinibus, quæ nos rapiunt in ſtuporem, & amoris ipſarum nobis exhibent probationem. Atqui ſicut amor ingens producit gaudium ob bonum cauſæ amatæ; ſic triſtitiam cauſet immodicam propter ejus mala ac miſerias. Ratio iſtius eſt, quia cùm proprium amoris ſit unire, & è duabus rebus unè efficere, transformando ementem in rem amatam, inde fit ut ille qui amat, communicet omnibus doloribus æquè ac gaudiis perſonæ ematæ. Videte quomodo Chriſtus queratur Saolo, o Act.9.4. *Saule, Saule quid me perſequeris* o? quaſi verò perſecutionis ictum experiretur inflictum ſibi, qui temen ſolos imperebat fideles. Perſonâ amatâ patiente, ea quæ eam emat, ictum ei inflictum compatitur per proportionem. Quantus & quàm ardens eſt emor Dei erga nos! Sic dicimus dolorem Virginis ſacratiſſimæ in Peſſione ſui Filii, quandiu ſtabat *juxta crucem Jeſu* p, fuiſſe ingentem, quia amor ejus erat magnus erge eum. p Joan.19.25. At qui cùm Deus ſic tenerè nos diligat, ut paſſiones ejus nobis innuunt æquè ac ea quæ pro nobis peregit, judicate num dolor ejus non debeet eſſe magnus, cùm videet mala nobis immineotia, & infallibiliter ſuper nos irruitura, cùm ab illis declinare nolimus, etiamſi illorum ſic perſæpè fuerimus admoniti à miſericordiâ ipſius, quæ ad ea effugienda nos ſolicitabat.

Verum quidem eſt, quod, cùm Deus ex ſe nullius ſit capax doloris, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* q; q Pſ.90.10. noo affligitur ob infortunium hominis, à quo noluit ille declinare, licèt eb ipſo monitus; nec lamentatur ipſe, qui *Spiritus eſt Deus* r, r Joan.4.24. ſolutus à meteriâ, expers corporis, & cooſequenter noo obnoxius paſſionibus, quæ illius ſunt dependentiæ. Sic non flevit in morte oatureli Filii ſui cruci ſuffixi, & extremum egentis agonem in patibulo, in quo factus eſt *opprobrium hominum, & abjectio plebis* ſ. ſ Pſ.21.7. etc. Sed per ſuas fecit creaturas id, qood felicitas t naturæ ſuæ noo ſinebat ipſi ut ageret per ſemetipſum; t Pſ.2.7.& Jo.15.26. flevit mediis illis, quæ aliquo modo, ut potuerunt, hujus mortis ſenſum acceperunt, quam patiebatur ipſarum Dominus. Nam cœlum velo ſe texit lugubri, *Et tenebræ factæ ſunt in univerſam terram: Et obſcuratus eſt Sol* u: u Luc.23.44.& 45. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* x. x Matth.27.51.&c. Quin immò Deus ipſe eliquo viſus eſt affici dolore, cùm teneretur ex debito juſtitiæ plectere illum ut Reum, qui *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit; ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*; † † Iſai.53.4.& 6. & punire eum, *qui non noverat peccatū* y y 2.Cor.5.21. nihilominùs ullum.

Idem accidet in morte funeſtâ filii adoptivi z z Rom.8.15. Dei, nimirum hominis, ſuper cujus ioteritum effundent ſuo modo fletus univerſæ creaturæ amaros, & triſtes formabunt querelas ut poterunt, *Operiam, cùm extinctus fueris, cælum, & nigreſcere faciam ſtellas ejus, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum: omnia luminaria cœli mœrere faciam ſuper te* a. a Ezech.32.7. Heu! quantum luctum peragendum à creaturis in morte hominis, cùm illæ univerſæ ſenſum accipere debeant ſuo modo interitus illius, quem ipſæ agnoſcunt ut dominum & finem ſuum, quippe qui conſtitutus eſt eb ipſo Deo *ſuper opera manuum* b b Pſ.8.7. ſuarum univerſa! Illæ igitur omnes lugebunt in nece hominis domini ſui eò planè modo quo ubi Paterfamilias moritur, tota perturbatur domus, liberi lacrymantur, ſervi clamant, auferuntur aulæa pretioſa & tapetes prædivites ex majoribus cubiculis & conclavibus, quæ panno nigro & lugubri operiuntur, luctus eſt ibi generalis, ſola audiuntur domi ſuſpiria, & ii qui ſuperſtites remanent, imaginem mortis deferunt præ facie, quæ illius colores induit præ triſtitiâ & dolore non vulgari: Sic extremo iſto die, qui futurus eſt ultimus vitæ hominis patrisfamilias & domini ingentis hujus domus mundi, omnes creaturæ quæ factæ fuerunt & ob amorem, & propter obſequium illius c, c Gen.1.28.&c. Sol, Luna, Stellæ, cœlum, terra, aqua, aër, animalia, piſces, plantæ, & cætera quæ Deus ſubjecit *ſub pedibus ejus* d, d Pſ.8.8.& 9. plorabunt ſuo modo, & mor-

[e Matth. 24.30.] mortis ejus dolorem præ ſe ferent, prout ipſis poſſibile erit, *ut tunc plangent omnes tribus terra* e. Aſtra deſtituent ſe prædivit i & ſplendenti lumine ſuo, ut triſtibus & lugubribus ſeſe tenebris operiant, [f Matth. 24.29.] *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtella cadent de cœlo* f. Mare ſic horribiles edet ſtrepitus, ut audaciſſimorum quorumcunque hominum corda & ſanguinem præ metu quaſi in morem glaciei debeat conſtringere. Beſtiæ ululabunt & lacrymabuntur ſuo modo in ſylvis. Si autem ab eis peteretur cauſa fletus ſui, reſponderent illæ, ſuarum motivum lacrymarum non eſſe aliud niſi mortem & ruinam hominis finis ſui, cùm ipſæ creatæ fuerint ob obſequium illius, & eo deficiente ipſas perire debere; cùm fine ceſſante non ſint ampliùs media neceſſaria. Hoc eſt motivum luctus & doloris illarum, quæ propter eum factæ ſunt.

Heu! Chriſtiane, quàm ſtupendum, funeſtum, & terribile erit viſu lacrymari Solem & Lunam! cùm [g Joel 2. 31.] *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis* g. Quam moleſtum & doloroſum ſpectaculum viſu lumina cœli mœrentia! quàm horribile erit obſervatu everti & gyrare totum orbem! O induratum pectus peccatoris! ô cor non carneum, ſed lapideum, cor durius marmore, & ipſo chalybe, cor inſenſibilius ipſis adamantibus! cùm emolliri nequeat fletibus Solis, Lunæ, & Stellarum. Heu! peccator in quaſnam indifferentiæ intuitu ſalutis tuæ agendæ perveniſti anguſtias? quàm ingens eſt cæcitas tua! quid dicere poſſum intuitu talis infortunii? niſi quòd æquè judicii expers es ac ſenſus, quod probatio eſt mortis, ſed mortis proximæ & certæ, cùm tua non ſentias mala, quorum exceſſus ad compatiendum tibi univerſas inducit creaturas, quandiu ne vel unum promis ipſe querelæ verbulum, nec ullam fundis lacrymam, ut infortunii tui teſtimonium exhibeas. O tigris & panthera crudelis! Quale monſtrum in universâ fuit unquam naturâ, quod te ſuavitate non anteceſſerit? quodque tibi non cederet quoad rabiem & inſenſibilitatem? cùm temetipſum non diligas. Univerſus te plorat mundus, tota ob amorem tui dolore natura concutitur; quin imò Deus ipſe triſtitiâ aliquo modo afficitur, quandiu induceit cunctas creaturas ut luctum agant eorum: & tamen ipſe non defles, ſed inſenſibilis remanes, nec moveris triſtibus iſtis & lugubribus ſpectaculis, quæ exhibentur intuenda *in Sole, & Lunâ, & Stellis.*

[h Matth. 24.30.] *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo* h. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus [i Dion. Carth. art. 39. in Matth. 24.30.] i, *Hoc eſt, Crux Chriſti, & cætera arma ſua Paſſionis, vel corporis ſui cicatrices, in cœlo aëreo, ubi Chriſtus ad judicandum ſeſſurus eſt. Apparebunt autem crux, clavi & lancea Chriſti, vel quia verè tunc aderunt, & ad confuſionem ingratorum oſtendentur ab Angelis; vel, quia aliqua lucidè apparebunt in ſimilitudine crucis, & cæterorum Dominicæ Paſſionis armorum.* Heu quantum tremorem, & quàm immodicum timorem! heu toto corpore contremiſco penè exanimis præ hoc intuitu! poſt tot teſtimonia amoris, poſt tantas demonſtrationes & exhibitiones patientiæ, quæ præceſſerint, *tunc parebit*, quandiu omnia commovebuntur, elementa inter ſe bellabunt, tota natura deordinabitur, & ſola bona conſcientia [k Prov. 15. 15.] ſecura erit, quia *ſecura mens quaſi juge convivium* k, tunc cùm nullus erit ampliùs locus refugii, aſyli, recurſus, ſuavitatis, veniæ, indulgentiæ, nec videbuntur ampliùs niſi effectus ſeveræ juſtitiæ, cùm *adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur* l; [l 2. Petr. 3.10.] cùm reddenda erit ratio omnium quæ cogitaverimus, locuti fuerimus, & peregerimus coram Angelis & hominibus, *tunc parebit ſignum filii hominis.*

Heu! peccator, nunquid dolore non opprimeris? poteriſne ſuſtinere hunc aſpectum iræ Dei! *Tunc parebit ſignum Filii hominis.* Illo die ultimo Chriſtus Mariæ Filius, qui exceptus fuit ab hominibus præ tanto contemptu & ſic immodicâ indignitate, gloriâ circundatus & majeſtate, Crucem ſuam ſumens, iratus dicet reprobo, eò quod uti noluerit remedio, quod ei ipſe offerebat. Videſne iſtam Crucem, infelix & miſer homo? Nunquid non habebas in eâ præſentiſſimum remedium infirmitatum tuarum omnium curativum? Nonne erat ea clavis cœli? Et tamen in illud nũquam ingredieris præ tuâ culpâ? Annon erat illa pretium mundi? *Empti enim eſtis pretio magno* m. [m 1. Cor. 6.20.] Et nihilominùs tibi nulla eſt redemptio. Num hæc non erat *lignum vitæ in medio paradiſi* n [n Gen. 2.9] Eccleſiæ, quod irrigavi *ſanguine* o meo? [o Act. 20. 28. & Apoc. 1.5.] Et tamen nunquam guſtabis fructus ejus. Nonne erat illa ſcala, per quam ſcandi poterat ad felicitatem? Et nihilominùs ad illam nonquàm eris admittendus. Ecce vulnera mea, quæ erant totidem foramina, per quæ paradiſum poteras ingredi. Et tamen in illum nunquam intrabis. Plagæ iſtæ erant veluti tot voces, quæ te vocabant, & tu dormiviſti eis. *Quia vocavi, & renuiſtis* p. [p Prov. 1. 24.] Deinde, *Quid eſt quod debui ultrà facere, & non feci* q? [q Iſai. 5. 4.] Et tu nihil unquam feciſti pro me. Dilexi te, *& lavi te à peccatis in ſanguine* r meo: [r Apoc. 1.5.] Et tu conculcaſti me *Filium Dei, & ſanguinem Teſtamenti pollutum* duxiſti, *in quo ſanctificatus* ſ eras, [ſ Hebr. 10.29.] non majoris faciens Sanguinem meum quàm feſtucam, & inde tuam machinans jacturâ, unde anſam arripere poteras operandæ ſalutis tuæ. Heu! quid iſtis omnibus reſpondebis improperiis?

Obſervavit D. Chryſologus, quòd iſte paterfamilias, qui in Evangelio à villico ſuo *rationem villicationis* ejus exigebat, petivit ab eo inter alia *centum cados olei* t. [t Luc. 16. 1. &c.] Poſtulat ergo S. Chryſologus u, [u S. Chryſol. ſerm. 126.] *Quare non argenti, vel auri pondus? quare non centum decem, aut nonaginta, ſed centum?* Et ipſe reſpondet, *Ut de debitis & de numero cœleſte luceat Sacramentum.* Nimirùm quòd cùm numerus centenarius figuret numerum univerſitatis, vel infinitum, & oleum ſit ſymbolum miſericordiæ, iſte *homo* in hâc parabolâ, quæ eſt de villico *iniquitatis*, repræſentat Salvatorem, qui perit à peccatore oleum ſuum, miſericordiam ſuam, gratias ſuas, & omnes effectus quos ſuſcepit ab amore ipſius. Heu! quid dicent illi impii? quomodo iſtas reſtituent gratias iis, qui illas prodegerunt, quorum *lampades* x [x Matth. 25.8.] ſemper extinctæ fuerunt? Heu! Chriſtiani, quâ fronte ſuſtinere poteritis, nedum pudore non ſuffundamini, in judicio particulari, & in univerſali, ut ſuas Deus vobis exprobret miſericordias? *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ* y. [y Luc. 16. 25.] Chriſtiane, memor eſto eorum, quæ in gratiam tui operatus ſum: Tu autem dic mihi, Quid unquam pro me egiſti? Poſſeſne tu modò meam tibi conciliare miſericordiam, poſtquàm tu illam ſic indignè pedibus tuis contriviſti? *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ.* Terribile *recordare*! horribilem ſententiam contra reprobos pronunciandam!

Adorande Salvator mundi, mitiſſime Jeſu, cum bonitas tua noſtræ ſalutis amans promovendæ, mittat ad nos ſigna veluti prænuncia, quæ charitativè nos moneant & miſericorditer ut caveamus nobis, & declinare ſatagamus à rigoribus, quos juſtitia tua minatur nobis infligere, imprime hanc recordationem ſic noſtris mẽtibus intimè, ut ea continuum memoriæ noſtræ ſit objectum; & cùm nihil ſit validius & efficecius ad eruendos nos è præcipitio infortuniorum, ad quæ nos projicit noſtrorum libertas effrænis criminum, dicimus ſinguli tibi cum Propheta, z *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Hunc profundè imprime timorem animabus noſtris ſalutarem, & effice ut ſigna tua & minæ tuæ eis ſic proficiant, ut bonitas tua, quæ iſtis utitur ſignis iræ ob bonum noſtrum & propter converſionem noſtram, triumphet de reſiſtentiis noſtris, & vincat omnes rebelliones noſtras in hoc mundo, ut in altero gloriæ ſuæ nos efficiat participes.

z Pſ. 118. 120.

IN FESTO S. BARBARÆ VIRGINIS & Martyris.

Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Malach. 1. 16.

NOn ſecus ac elementa, ſicut ajunt Philoſophi, licèt inſtructa accidentibus contrariis, ſecundùm quæ ſunt in pugnâ continuâ, tamen aliunde habentia convenientiam propter qualitates quæ reperiuntur in ipſis ſimiles, perſiſtunt ab initio creationis in tantâ conſonantiâ, ut aliud ſerviat cõſervationi illius, quod eſt ipſo inferius, nedum deſit unquam huic conſervationi præſtandæ: v.g. ignis qui ſiccitate ſuâ è diametro oppugnat humorem aëris, convenit tamen cum eo per legem inviolabilem interventu caloris, qui cauſat inter ipſa aliquam ſimilitudinem, quæ producit iſtam convenientiam: ſic licèt obſervemus in proximis noſtris inimicis aliquam rem, quæ nobis eſt contraria, & quæ è diametro oppugnans conſilia noſtra, bona noſtra, & famam noſtram, nobis ſubminiſtrat & porrigit anſam contentionis capeſſendæ, tamen quia convenimus cum illis per compoſitionem ejuſdem naturæ, per fœdus ejuſdem legis, & per ſocietatem ejuſdem Eccleſiæ, hoc efficit, ut cum eis vivamus in bonâ pace. Sed ſicut duo corpora non poſſunt collocari in eodem loco viribus naturæ, juxta doctrinam Ariſtotelis *a*: quia cùm unum occupet & repleat locum ſufficienter, alterum non poteſt ipſi ſociari in eodem loco, cùm nullum relinquat ipſi ſpatium, in quo collocari poſſit: ita poni non poſſunt duo amores in eodem corde, amor Dei & amor creaturarũ: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet* b. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum c, *Nemo poteſt duobus Dominis non ſe concordantibus, ſed contrariam voluntatem habentibus, ſervire; videlicet, Deo & mundo, Deo & carni. Propter quod dicit Apoſtolus* d, *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Dominis verò ſubalternatis atque concordibus poteſt homo ſimul ſervire, ac obedire, videlicet Deo & ejus Vicariis: imò qui uni eorum repugnat, reluctatur & alteri, ſicut ait Salvator, Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit* e. *Aut enim unum odio habebit, quantùm ad id quod contrariatur alteri, & alterum diliget, eum videlicet, cui ex animo ſervit, juxta quod dicit Apoſtolus* f, *Servi diligite Dominos veſtros non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ex animo. Aut enim ſuſtinebit, id eſt, eum cui ſervit, & ſi non diligat, tamen tolerabit eum, & lege ejus ſubjiciet ſe: & alterum contemnet, videlicet eum, cui non ſervit, neque obedit.* Iſti duo amores non ſunt duæ quantitates, ſed ſunt duæ qualitates ita contrariæ, ut non poſſint habitare ſimul: oportet ut aut amor Dei replens cor, non relinquat locum amori mundano, vel ut hic ſumens poſſeſſionem illius, prævalens adversùs alterum, claudat & iſti alteri aditum: oportet ut S. Barbara collocans in corde ſuo amorem patris ſui, qui adverſabatur conſiliis ſalutis ipſius, ejiciat ex eo amorem Dei ſui: quod ipſa non poteſt facere quin amittat gratiam, quâ repleta erat *Mater pulchra dilectionis* † Maria, juxta hæc verba, *Ave Maria.*

a Ariſt. l. 4. Phyſic. c. 3. text. 27.

b Matth. 6. 24.

c Dion. Carth. art. 14. in Matth. 6. 24.

d Gal. 1. 10.

e Luc. 10. 16.

f ex Epheſ. 6. 6.

† Eccli. 24. 24.

Deus queritur per Moyſen *g*, quòd cùm ipſe ſit Pater communis omnium hominum, non ſuſcipit tamen à populo Iſraël honorem, quem juſto titulo poterat ab illo exigere, *Haccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Jeſus Chriſtus, *qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* h, nobis tribuit exemplum honoris, quem liberi debent exhibere parentibus ſuis, in propriâ perſonâ ſuâ, *Erat ſubditus illis*, ait S. Lucas i. *Quoniam ſicut in ſeipſo humillimus fuit ut homo, ſic eſque perfectum in exterioribus humiliavit ſeipſum, non ſolùm Matri, ſed & nutritio & miniſtro ſe ſubdens, ſecundùm naturam aſſumptam, & legem* k, *quam de honoratione parentum dedit; implevit non neceſſitate, ſed dignatione & pietate. Non enim communi legi fuit aſtrictus, aut de neceſſitate præcepti ſubjectus, ſed ſupra legem, non ſolùm ſecundùm divinitatem, ſed & ſecundùm humanitatem, ut à Verbo æterno aſſumptam & toti creaturæ prælatam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *l*. Cùm patrem ſuum Noë deriſiſſet *Cham pater Chanaan, evigilans Noë ex vino, cùm didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait, Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis* m. Et quia Cham deriſit patrem ſuum Noë, propterea maledictus fuit à patre ſuo, non ipſe, ſed filius ipſius Chanaan, ut hæc maledictio foret doloroſior patri, cùm Cham eſſet cauſa iſtius maledictionis datæ à Noë Chanaan. Et aliqui Doctores ſentiunt, quod hæc nigredo, quam videmus in Æthiopibus, exivit ex hâc maledictione: quod probant, quia in eâdem regione inveniuntur quidam homines albi, quod eſt ſignum, quòd hæc magna nigredo non provenit è magno calore Solis, ſed ab aliquo è poſteris Cham & Chanaan propter maledictionem vibratam adverſùs eos à Patriarchâ Noë. Unde videtur S. Barbara reprehenſibilis eſſe, ex eo quòd deſpexit idola patris ſui, con-

g Deut. 32. 6.

h Philipp. 2. 6. & 7.

i Luc. 2. 51.

k ex Exod. 20. 12.

l Dion. Carth. art. 7. in Lu. 20. 15

m Gen. 9. 22. &c.

[illegible] ejus mandata, & corripuit illum obſtinationis ſuæ: ſed neqium ipſa ex hoc procedendi modo ſit reprehenſibilis, è contrà vehementer inde commendatur, quia hæc reſiſtentia, quam ipſa fecit patri ſuo, ſignum fuit obedientiæ perfectiſſimæ; correctio ipſius fuit indicium reverentiæ ſingularis; & contemptus mandatorum illius, procedebat è magnâ pietate, & è profundâ humilitate; quia pater ille, qui dederat ei vitam corporis, dare mortem volebat animæ illius; & cùm produxiſſet eam in terrâ, volebat eam ejicere è gloriâ cœli; & volens eam inducere ad placendum ſibi, volebat ut illa diſpliceret Deo, qui eſt verè Pater noſter, ut ait ei

m Iſai. 64. 8.

Iſaias n: *Et nunc Domine, Pater noſter es tu.* Et alibi

o Iſai. 63. 16.

o idem Propheta dicit, *Abraham neſcivit nos.* Quaſi diceret, Quomodo Abraham vocabitur pater noſter, cùm non cognoſcat nos? nam licèt concurrerit ad productionem noſtram p, ad illam

p Gen. 21. 3. &c.

tamen ſic concurrit ut neſciret, quidnam de illâ deberet accidere, ſicut mater ſeptem Machabæorum martyrum, quæ dicebat filiis ſuis, *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem* q.

q 2. Mach. 7. 22. & 23

r Epheſ. 3. 15.

Et S. Paulus r, *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terrâ nominatur.* Deus igitur eſt verus Pater noſter. Quod inducit me ad oſtendendum vobis

Diviſio.

Primò amorem quo S. Barbara afficiebatur erga Deum, amorem conformatum ad amorem, quo Jeſus Chriſtus diligebat hunc Patrem divinum: Secundò, conſtantiam iſtius ſanctæ Virginis in martyrio ſuo, cauſatam ab hoc amore.

I. Pars.

Inter multas figuras, per quas antiqui nobis repræſentabant vim Amoris, illa erat inſigniſſima per quam concipiendum nobis proponebant eum tenentem præ unâ manu roſas & ſpicas, & præ alterâ piſcem; inde volentes innuere, quòd id omne quod comprehenditur in totâ terrâ, & in toto mari, ſubjacebat imperio amoris. Si Author iſtius picturæ potuiſſet elevare vires ſuæ cognitionis ſupra naturam, & ſciviſſet aliquid myſteriorum noſtrorum, evidenter cognoviſſet, quòd non ſolùm amor dominatur terræ & mari, ſed etiam cœlo, Angelis, imò verò SS. Trinitati, cui veluti leges imponit, exigens unam è tribus divinis perſonis: quod videretur temerarium, niſi S. Joannes ſ propterea diceret, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Et

ſ Joan. 3. 16.

t Dion. Carth. art. 9. in Joan. 3. 16.

poſt eum Dionyſius Carthuſianus t; *Sic Deus dilexit mundum, id eſt, tam ardenter Deus Pater dilexit genus humanum, præſertim homines prædeſtinatos, ut Filium ſuum unigenitum, non adoptivum, ſed naturalem, conſubſtantialem, & unicum daret hominibus, in Filii ſui Incarnatione ac Paſſione. Dedit enim eum nobis, quemadmodum cecinit Iſaias* †, *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis. Et Apoſtolus* *, *Proprio (inquit) Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum. Dedit ergo eum nobis, in incarnatione faciens eum Filium noſtræ ſororis, videlicet ſacratiſſimæ Virginis, fratrem noſtrum, mediatorem, ac ſocium noſtrum. Qui enim ante incarnationem erat Deus & Dominus noſter, per incarnationem factus frater & ſocius noſter. Dedit quoque eum nobis in totâ converſatione ejus in ſæculo iſto. Nam quidquid Chriſtus fecit, prædicavit & pertulit, ordinavit Pater & etiam Filius ad noſtram ſalutem, & nobis meritorium fuit, non ipſi Chriſto, quantùm ad præmium eſſentiale; quia hoc habuit anima Chriſti à primo ſuæ creationis inſtanti. Dedit etiam eum nobis in Sacramento Altaris, quemadmodum infra* u *teſtatur, Pater meus dat vobis panem verum. Poſtremò, dedit eum nobis in paſſione, exponens Filium ſuum dilectum tantis tormentis pro noſtra ſalute, quemadmodum Iſaias* x *pronunciavit, Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et Filius tempore paſſionis, Calicem (ait) quem dedit mihi Pater, non bibam illum* y? *In paſſione enim Creator noſter, factus eſt Salvator noſter: Iudex noſter, factus eſt reconciliator noſter, Advocatus, ac Mediator noſter.*

† ex Iſai. 9. 6.

* ex Rom. 8. 32.

u Joan. 6. 32.

x Iſai. 53. 8.

y Joan. 18. 11.

Pater æternus mittit Filium ſuum in mundum ductus amore, & Filius hoc exit *à Patre, & in mundum* z venit, invitatus eodem amore, qui eſt idem amor quo ipſe diligit Patrem ſuum iſtum, ſicut ipſemet ait, *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem* a. Et licèt Doctores requirant cauſas, propter quas Deus mittere noluit Angelum, vel aliam creaturam in terram ad operandam ſalutem hominum, certiſſimum eſt quòd amor ardens, quo ipſe ſalvare volebat homines, & eos inducere ad amorem ſuum, fuit præcipuum motivum quod invitavit Filium ſuum ad deſcendendum apud nos propter hunc magnum effectum: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum,* proſequitur S. Joannes *b*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus c, *Videlicet, merito converſationis & paſſionis Chriſti, cujus virtute & merito purgamur à culpâ, & gratiâ adimplemur. Propter quod Petrus in Actibus Apoſtolorum* d *ait, Non eſt aliud nomen hominibus, in quo oporteat eos ſalvos fieri.* Nam ſicut amicitia ſuſtinetur per æqualitatem & per converſationem familiarem veluti ſuper duas baſes, divina Sapientia adinvênit hunc modum ſic admirabilem faciendi ſe hominem *in terris*, *& cum hominibus* e converſandi, ut nullam haberent ipſi excuſationem, & non poſſent admitti prætextus, quibus conſequenter ipſi vellent operire ingratitudines ſuas. Hoc autem motivum conſideratum à S. Barbarâ, inducebat ipſam ad diligendum amore reciproco Deum, verum Patrem ſuum.

z Joan. 16. 28.

a Joan. 14. 31.

b Joan. 3. 16. & 17.

c Dion. Carth. art. 9. in Joan. 3. 17.

d ex Act. 4. 12.

e Baruch 3. 38.

Moyſes paſcebat oves Iethro ſoceri ſui, Sacerdotis Madian: cùmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitq; ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait, Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit, Adſum. At ille, Ne appropies, inquit, huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et ait, Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum qui præſunt operibus: & ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum f. Providentia Dei manifeſtatur in hoc, quòd habet oculos apertos ſuper illos qui invocant ipſius auxilium. Deus vidit afflictionem populi ſui: bonitas ipſius, quæ miſeretur *omnium, quia omnia* poteſt, *& peccata hominum propter pœnitentiam* g diſſimulat, expectavit donec ille crudelis oppreſſor populi Iſraëlitici Pharao, ſe redigeret ad juſtum obſequium, ſed cùm illius obſtinatio perveniſſet ad ultimam ſuam periodum, Deus deſcendit ad liberandum populum ſuum, & ad affligendum hunc impium & induratum Monarcham. Populus

f Exod. 3. 1. &c.

g Sap. 11. 24.

hic

hic innocens cùm totâ die ſuas impendiſſet operas ad coquendos lateres, veſperè redeundo è labore ſuo, non ſuſcipiebat niſi ictus pro totâ mercede: Pharao infernalis adhibebat homines ad coquendos lateres per totam vitam ipſorum, ſed cùm nox mortis venerat, non ſuſcipiebant
h Matth. 25.46. hi ab illo niſi *ſupplicium æternum* h pro præmio laborum ſuorum: *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. In malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus. Talia dixerunt*
i Sap. 5. 7. &c. *in inferno hi qui peccaverunt* i. Imperium Tyranni
k Pſ. 105. 37. iſtius ſic creverat, ut dicat Pſalmiſta k, *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Propterea Deus videns afflictionem noſtram, ductus amore Patris ſui, deſcendit è throno divinitatis ſuæ, induit miſerias noſtras, ut nos educeret è ſervitute, cui ſubjacebamus, *Miſericordia Domini, quia*
l Thren. 3.22. *non ſumus conſumpti* l. Deus ſe geſſit erga nos eodem modo quo ille qui videns aliquem infixum luto, unde exire non poſſet è ſemetipſo, deprimit ſe ut illum inde educat: omnes nos cecideramus in lutum peccati, *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non*
m Pſ. 13.3. *eſt uſque ad unum*, ait Pſalmiſta m. Qui ait expreſ-
n Pſ. 68.3. ſius alibi n, *Infixus ſum in limo profundi. Id eſt, in voluptate carnali, in ſeculo iſto vitioſo atq; fallaci, ita ut vitiis ſim ſubjectus, in turpibus rebus delectatus, mundo iſti per inordinatum affectum intentus, & non eſt mihi ſubſtantia, id eſt, virtus evadendi, reſiſtendi, ac*
o Dion. Carth. in expoſit. moral. in hunc locum. *prævalendi*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus o. Non poteramus inde exire ſine auxilio Dei: Jeſus Chriſtus igitur, procul *Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* p. *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, humiliavit ſemetipſum* q, ut nos educeret
p Joan. 1. 18. è ſervitute peccati. Deſcendit ipſemet ergo, nedum vellet inſumere ullum aliud medium:
q Philipp. 2.7. & 8. quod ipſe fecit propter majus bonum: nam ſic fides aucta eſt per hunc deſcenſum, quem fecit Dei Filius è cœlo ad liberandum populum ſuum propter amorem, quo ipſe diligebat Patrem ſuum, & Spiritus Dei operatus eſt deinde miraculosè in corde S. Barbaræ, ſic ut ipſa ducta amore ipſius, paulatim faſtidiverit vanitates ſæculi, & voluptates illius, imò verò pluralitas Deorum, quæ admittebatur in Paganiſmo, unde ipſa orta erat, cùm pater ipſius, nomine Dioſcorus, eſſet ethnicus, fecerit ipſam cognoſcere vanitatem illorum, qui ſuſcipiebant hunc titulum ab hominibus, & ſimul injuſtitiam, quæ erat in honore qui deferebatur eis: ſpes, certa effecta eſt per ſpem, quam hæc ſancta Virgo concepit, ſe poſſeſſuram aliquando Deum ſuum in gloriâ per amorem r, cùm ſuſcepit ipſa Baptiſmum, in
r Joan. 17. 3. quo renata eſt *ex aquâ & Spiritu ſancto* ſ. Et cha-
ſ Joan. 3.5. ritas accenſa eſt flammis divinitatis, quæ fuit infuſa in ipſam, cùm ſuſcepit hoc Sacramentum, cum ſpe, & fide, juxta iſtud verbum S. Pauli t,
t Rom. 5.5 *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quæ charitas induxit eam ad ſtatuendum firmiter potiùs amittere vitam manu propriâ patris ſui terreni, quàm amo-
u Matth. 6.9. rem veri Patris ſui, *qui eſt in cœlis* u.

Ante adventum Filii Dei, ignorabatur humilitas; *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed mini-*
x Matth. 20.28. *ſtrare* x. Et S. Barbara erat humilis eò uſque ut per amorem ſe deprimeret ad docendos inſtructionibus ſuis myſteria fidei omnes notos ſuos. Neſciebatur paupertas; *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſe-*
y 2. Cor. 8. *tis*, ait S. Paulus ſcribens Corinthiis y. Et S. Barbara ducta amore Sponſi ſui, renuit inire matrimonium cum viro nobili æquè ac divite inter multos quos proponebat ipſi pater ſuus. Neſciebant homines, quid eſſet ignoſcere inimicis ſuis: Jeſus Chriſtus fecit mandatum diligendorum inimicorum, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos*
veſtros z. Cui conciliavit ipſemet authoritatem z Matth. 5.44.
exemplis ſuis in Cruce, *Ieſus autem dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* a. Et S. Bar-
bara piæ amore pepercit carnificibus ſuis, qui a Luc. 23. 34.
ſævis cruciaverunt ipſam tormentis, & patri ſuo qui propriâ manu ipſam capite truncavit. Ignorabatur quid eſſet caſtitas: nunc autem *ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cœlorum* b. Et S. Barbara maluit amittere vitam,
quàm amorem Dei ſui, & honorem virginitatis. b Matth. 19.12.

Deus cuſtodivit erga nos eundem procedendi modum, quem obſervat Magiſter Mathematicæ, qui exponens ſcripta ſua diſcipulis ſuis, loquitur eis de exagoge, de pentagoge, & de hujuſmodi figuris, quas cùm iſti ſcholaſtici non intelligant, magiſter iſte deſcendit è cathedrâ, & cùm exaraverit figuras ſuas in tabulâ, vel in chartâ, illas eis explicat in particulari: magnus iſte Magiſter vitæ ſpiritualis nos edocuerat præclaras lectiones per Prophetas, & inter alias iſtam, *In charitate perpetua dilexi te* c. Et accom-
modans ſe ad captum diſcipulorum ſuorum, ip- c Jer. 31.3
ſe deſcendit è cathedrâ ſuæ divinitatis, ut nobis oſtenderet omnes virtutes, quas nos edocuerat, exaratas in tabulâ ſuæ humanitatis, *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophe-*
tis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio d. *Qui* d Hebr. 11.1. & 2.
occiſus eſt ab origine mundi e. *Vel diſpoſitivè*, ſubdit e Apoc. 13.8.
Dionyſius Carthuſianus f, *vel præfigurativè. Quia*
in Abel occiſione g, *Chriſti fuit figurata occiſio. Propter* f Dion. Carth. art. 14. in Apoc. 13. 8.
quod aſſerit Auguſtinus, quòd Chriſtus fuit in Abel occi- g ex Gen. 4.8.
ſus, & in Prophetis exhonoratus. Rurſus, quoniam paſſio Chriſti hoc egit implenda ſeu futura, quod facit impleta atque præterita. Omnes enim qui in Chriſtum ante ejus adventum crediderunt, per ejus fidem ſalvati ſunt. Chriſtus ab origine mundi, ſcilicet à tempore Adæ, occiſus eſt virtualiter: quoniam virtute ſua paſſionis, & ipſi Protoplaſti parentes ſalvati ſunt. Ex tunc e-
nim quo Adam vetito *de fructu comedit* h, Dei h Gen. 3.6
Filius incepit mori, quia tunc ipſe cautam præſtitit cauſam primi hominis, & poſteriorum ejus omnium, juxta quod deinde dixit Iſaias i, *Et ipſe* i Iſai. 53. 12.
peccata multorum tulit. Sicut autem in judicio ille qui cautam præſtat cauſam alicujus Rei, tenetur ſolvere, ſi Reus non habet unde ſolvat: ſic Filius Dei cautam præſtans cauſam hominis propter amorem, quo ipſe diligebat Patrem ſuum, obligavit ſe ad ſatisfaciendum juſtitiæ Patris ſui pro peccatis naturæ humanæ.

Deus ait per Iſaiam k, *Ponam circulum in nari-* k Iſai. 37. 29.
bus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam veniſti. Si ad literam ſumantur hæc verba, Deus alloquitur Sennacherich Regem Aſſyriorum, qui fultus potentiâ exercitus ſui, magnas intentabat minas Ezechiæ Regi Iſraël, &
ſubditis ejus l. Per hunc Sennacherich ſignifica- l Iſai. 36. 1. &c.
tur Tyrannus infernorum, de quo Job m ait, *Ipſe*
eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ. Et S. Grego- m Job. 41. 25.
rius n ſuper hæc verba ejuſdem Job, *Nunquid po-* n S. Greg. l. 33. mor. c. 10. in Job 40. 21.
nes circulum in naribus ejus? dicit: Poteſt circuli nomine, occulti judicii adjutorium deſignari: quod in hujus Behemot naribus ponitur, cùm à callidâ ſuâ crudelitate refrænatur. Vnde benè per Prophetam, cùm ab Iſraëlitarum læſione prohibetur, Regi Babylonia dicitur, Ponam circulum in naribus tuis. Ac ſi apertè di-

APPROBATIONES, ET FACVLTATES.

Approbationes Theologorum Ordinis.

DE mandato admodum Reverendi Patris noſtri Generalis attentè perlegi librum, cujus titulus eſt, *Anni Eccleſiaſtici Concionatorij Quadripartiti Tomus Quartus*, ab A. V. Patre Henrico Seynenſi Prædicatore Ordinis noſtri compoſitus; in quo non ſolùm nihil comperi, quod contra Fidem Catholicam, aut contra bonos mores argui poſsit, quin potiùs magnum inveſtigandæ & aſſerendæ veritatis ſtudium pio ac ſuavi eloquentiæ ſtylo ſic ornatum, ut Lectoris animum non minùs alliciat dulcedine, quàm virtutis amore, ac pietatis fervore ſuccendat: quapropter dignum cenſeo ad communem animarum ſalutem eum typis mandari poſſe, & debere ad majorem gloriam omnipotentis Dei, cujus gratiâ hoc opus Apoſtolicum & Seraphicum ille Pater voluit, potuit, & perfecit. In quorum fidem manu propriâ ſubſcripſi Avenione in Conventu noſtro, 3. Februarij 1675.

F. MODESTVS Bellocarenſis Prædicator Capucinus, licèt immeritus.

EGo Frater Marcellus Regienſis Concionator Capucinus, & ConfeſſorCapucinarum Monaſterii Maſſilienſis, de mandato admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ Ordinis noſtri Miniſtri Generalis, Tomum IV. Libri, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, ab admodum Venerabili Patre Henrico Seynenſi Concionatore Capucino compoſiti accuratiſſimè legi & perlegi, huncque non ſine animi oblectatione evolvi. Et cùm nihil Fidei Orthodoxæ, boniſque moribus diſſonum redoleat, ſed ſuaviſſimum ſanæ doctrinæ, omniumq; virtutum ſpiret odorem: ideò illum meritò utiliſſimum & jucundiſſimum futurum ſpondeo, typiſque mandandum cenſeo. Datum Maſſiliæ in Conventu noſtro die 2. Septembris 1675.

F. MARCELLVS Regienſis Concionator Capucinus, aliàs Profeſſor Theologiæ.

Facultas Admodum Reverendi Patris Generalis,

Admodum Venerabili in Chriſto Patri Henrico Seynenſi Prædicatori Capucino F. Stephanus à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CVm Pater Provincialis Provinciæ noſtræ S. Ludovici mihi fidem fecerit de reviſione & approbatione Concionũ Paternitatis tuæ, quas typis mandare peroptas; cùmq; ad hunc effectum tibi neceſſarium ſit ire Pariſios: idcircò tenore præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ indulgeo, ut unà cum ſocio ab eodem Patre Provinciali tuo aſſignando illuc te conferre, ibiq; morari valeas uſquedum opus fuerit pro impreſsione earundem Concionum tuarum. Poſtmodum in tuam Provinciam redibis cum benedictione Domini, apud quem memor ſis meì in orationibus tuis. Romæ 24. Septembris 1675.

Locus † Sigilli.

F. STEPHANVS Miniſter Generalis.

CON-

CONSENSVS ET FACVLTATES.

Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

EGo infraſcriptus Provinciæ ſancti Ludovici Fratrum Minorum Capucinorum Provincialis, licèt immeritus : Visâ indulgentiâ admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, quâ conceditur admodum Venerabili Patri Henrico Seynenſi ejuſdem Ordinis, & prædictæ Provinciæ Prædicatori , ut typis mandari faciat Librum à ſe conſcriptum, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Theologis ejuſdem Ordinis examinatum, & approbatum , æquo animo conſentio , ut iſte Liber à prædictis Examinatoribus Reipublicæ Chriſtianæ proficuus futurus judicatus, in publicam poſſit prodire lucem, dummodò ſerventur ea quæ de Iure ſervari ſolent. Datum in noſtro Conventu Vapingenſi, die 6. Novembris 1675.

Locus † Sigilli.

F. THEODOSIVS Provincialis.

Altera Facultas Admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili Patri in Chriſto P. Henrico Seynenſi Concionatori Capucino, F. Stephanus à Caſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CVm Paternitas tua Coloniæ Agrippinæ typis mandare ſtatuerit quoddam Opus à te compoſitum, ac propterea à me licentiam poſtulaveris illuc eundi ad effectum prædictum, aſſentiente etiam tuo Patre Provinciali: idcirco tenore præſentium, & ad meritum ſalutaris obedientiæ indulgeo, quatenus Coloniam Agrippinam te conferre, ibique morari valeas unà cum ſocio à Patre Provinciali tuo aſſignando quandiu opus fuerit pro impreſſione dicti operis. Pergas igitur cum benedictione Domini, & vale , meî memor in orationibus tuis apud divinam ejus Majeſtatem. Datum Genuæ 2. Septembris 1676.

Locus † Sigilli.

F. STEPHANVS Miniſter Generalis.

Alter Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

Admodum Venerabili Patri Andreæ Salonenſi Sacerdoti Capucino Frater Theodoſius Aquenſis, ejuſdem Ordinis, & Provincialis Provinciæ ſancti Ludovici, licèt immeritus, ſalutem.

CVm oporteat ut aſſignemus ſocium A. V. P. Henrico Seynenſi Prædicatori Provinciæ noſtræ, ſecundùm poteſtatem nobis traditam ab A. R. P. Generali in literis obedientialibus ab eo nobis exhibitis ex parte illius, ut faciat imprimi librum ſuum Coloniæ Agrippinæ, virtute præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ aſſignamus te ad hunc effectum, & tibi permittimus ut diſcedas cum illo. Datum Aquis-Sextiis 22. Septembris 1676.

Locus † Sigilli.

F. THEODOSIVS Provincialis.

ANNVS

coretur : Cogitando inſidias ſuſpiras : ſed explere quod appetis non valendo , omnipotentia mea circulum in naribus portas, ut cùm Bonorum mortem ardentiùs anhelas, ab eorum vitâ vacuus redeas. Sic Deus videns, quòd crudelis iſte Tyrannus ab initio mundi ita perſequebatur homines, præſertim verò juſtos, ita ut ſuſtinere non poſſent ipſius tyrannidem, ait illi , intuitu miſeriarum illorum propter amorem quo ipſemet diligebat Patrem ſuum, *Ponam circulum in naribus tuis.* Simili modò S. Barbara, capta amore Dei, qui eſt verus Pater ſuus, deridet rabiem patris ſui carnalis, & omnes immites perſecutores ſuos.

Referunt Hiſtorici de Sargo, qui eſt piſcis marinus, quòd inimiciſſimus eſt hominis, cujus ſola vel ombra ipſum fugat, & ipſum diſcedere facit in profundum maris ; & quòd è contrà ſic amat capram, ut cùm videt illam ad litus maris, teſtetur gaudium quo ipſe perfunditur ex ejus præſentiâ, per multos ſaltus quos facit ſuper aquam, quod videntes piſcatores , operiunt ſe pelle capræ, & incedentes curvi in navi , inducunt hunc piſcem ut appropinquet ad illam , & cùm illaqueaverint illum retibus ſuis , educunt eum è mari: ſi licet aliquando comparare res abjectas cum divinis, videtur Deus feciſſe idem in naturâ , ut inde duceret hominem ad cognitionem medii admirabilis, quo ipſe uſus eſt , ut nos traheret ad ſe; propterea videns hominem ſibi ſic inimicum, ut nollet ipſum audire, ſicut patet ex eo , quòd ipſius *cùm audiſſent vocem deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie* o ipſius: *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* p eſt , ut nos alligaret obſequio ſuo propter amorem quo ipſe diligebat Patrem ſuum æternum ; S. Barbara ſuſcepto Baptiſmate , inflammata amore Dei ſui , & zelo ſalutis animarum redemptarum *pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati , præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter* q eos, clarè videns illuſiones inimici, & præſtigias inferni, & quot modis decipiebat idololatras , volens eos attrahere ad obſequium Dei in navim Eccleſiæ, illaqueando eos retibus verbi ſui , & obſervans quod hi rejiciebant ipſam ſtatim ac ipſa loquebatur eis apertè de Religione noſtrâ, quam vehementer oderât, operuit ſe prætextu ſpecioſo, veluti pelle capræ ingreſſa eſt locum , in quo pater ſuus ſategerat ipſi faciendum balneum , & ibi ſermonem ſuum dirigens ad vana idola patris ſui , quæ ibi aſſervabantur , inde ſumebat occaſionem inſtruendorum infirmorum, qui veniebant ad iſtud balneum, quod ingreſſi ſanabantur ab omnibus infirmitatibus ſuis per merita ipſius , cùm oſtendebat eis , quòd hæc *ſimulachra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum* r, nihil habebant divinum, & quòd id omne quod erat in illis, non erat niſi forma exterior , quam opifex eis dederat: & conſequenter ipſa conſpuebat in illa, dicens, *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis* ſ.

o Gen. 3. 8.
p Philipp. 2. 7.
q 1. Petr. 1. 18. &c.
r Pſ. 113. 12.
ſ Pſ. 113. 16.

Obſervant curioſi rerum naturalium Indagatores proprietatem cujuſdam vermis, qui naſcitur tantùm tempore pluviæ : ſicut autem non habet patrem qui ipſum alat , ductus inſtinctu naturæ, deſcendit ſuper caput draconis, & ipſum ſic lethaliter pungit dentibus ſuis acutis , ut privet ipſum vitâ: Jeſus Chriſtus eſt iſte vermis, *Ego autem ſum vermis & non homo* t: vermis genitus tempore pluviæ divinæ, *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum* u. Et ſicut ipſe natus erat ſine patre, & erat veluti derelictus à Matre ſuâ propter paupertatem ſuam , quæ ideò *reclinavit eum in præſepio : quia non erat eis locus in diverſorio* x : propterea ipſe quærit draconem antiquum, *qui vocatur diabolus & Satanas , qui ſeducit univerſum orbem* y, cujus caput eſt ſuperbia, ſicut audiviſtis ſuprà , quem ſic mortaliter vulnerat humilitate ſuâ, ut inſignem victoriam de illo referat, *Antequàm Puer ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci* z. S. Barbara erat vermis per novam ſuam Religionem, quam Ethnici æſtimabant depreſſionem ; vermis genitus tempore pluviæ gratiarum , quas ipſa ſuſcepit in Baptiſmate: ipſa erat veluti derelicta à patre ſuo , qui fecit ipſam mori propriâ manu : ſed ipſa aſcendit ſuper caput iſtius draconis patris , qui fulmine impetitus, è vivis ſublatus eſt eodem die , quo ipſam interemit.

t Pſ. 21. 7.
u Iſa. 45. 8
x Luc. 2. 7
y Apoc. 19. 2.
z Iſai. 8. 4.

II. Pars.

Hic amor , quo S. Barbara diligebat Deum, qui erat verus Pater ipſius , faciebat ut ipſam comederet *Zelus domus* a ipſius. Zelo quidem ducebatur *Iehu* b quoad omne quod intuebatur gloriam Dei , in eo quòd exterminavit totam progeniem Achab : ſed antequàm præ ſe ferret iſtum zelum , cùm adveniſſet Samariam , ubi *Ieroboam fecit duos vitulos aureos* c, ſic oblitus eſt obſequii ſui , ut exhiberit eis adorationes d, quæ non debentur niſi ſupremæ majeſtati Dei e: at S Barbara videns idola aurea & argentea patris ſui , nedum ea adoraret, è contra conſpuit in faciem illorum ; ſic ut Dioſcorus pater ipſius , partim irritatus propter hoc , partim verò quòd ipſa nihil eſſet obliſa ad edocendum ipſum myſteria fidei noſtræ, quæ ipſe reſpuebat , tantâ rabie percitus ſit, ut manum ſuam ferens ſuper gladium ſuum , ſtatuerit ipſemet eſſe Judex & miniſter pœnæ, quam prætendebat deberi inobedientiæ ipſius. Hæc ſancta Virgo videns furorem patris ſui, declinans à facie ejus , egrediens domo illius, fugit in agrum , ut vitam ſuam ſalvaret è manibus illius , qui eam ipſi priùs dederat : ſed cùm pater hic immanis tandem inveniſſet ipſam , S. Barbara , quæ uſque ad illud tempus non fuerat niſi Virgo & Sponſa Jeſu Chriſti, cœpit eſſe Martyr conſtans pro nomine ejus; quia ferox iſte pater adhibuit omne genus rigoris adversùs illam , & nullâ habitâ ratione infirmitatis ſexus ejus , & ſimplicitatis ætatis illius, excepit eam omni genere indignitatis ; traxit illam capillis ſuis , quibus utebatur ipſe veluti funiculis ad alligandam eam deinceps , ut ſuper illam exerceret omne genus ſervitiæ , cædendo eam colaphis , & percutiendo illam calceis ; è quibus omnibus fatigatus, reduxit eam , & illam incluſit in parvâ domo ſub fideli cuſtodiâ , ratus quòd ibi teneri poſſet cum majori ſecuritate : & quàm citiſſimè potuit, ut teſtimonium perhiberet honoris , quo ipſe colebat Deos ſuos , fecit illam apprehendi & perduci ad Præſidem Marcianum , coram quo accuſavit eam, quòd eſſet Chriſtiana , requirens ut rigor legum Imperialium contra Chriſtianos, exerceretur adversùs illam.

a Pſ. 68. 10.
b 4. Reg. 10. 2. &c.
c 3. Reg. 12. 26. &c.
d 3. Reg. 15. 34.
e Exod. 20. 3.

Conſtantia S. Barbaræ fuit incredibilis hoc in occurſu , propterea pingitur ipſa cum turri

præ manu:nam ipſa fuit fortior turri.Cùm picto-
res pingunt virtutem Cardinalem fortitudinis,
repræſentant nobis eam cum columnâ in manu,
ſed turris eſt fortior columnâ: propterea S.Bar-
bara fuit fortior & conſtantior ipsâ fortitudine.
Antiqui depingebant Deam Cybelen inſiden-
tê currui triumphali coronato parvis turribus,
& tracto à duobus leonibus,ſed manſuetis& ci-
curatis: quod meliùs convenit S.Barbaræ,quia
propter amorem Jeſu Chriſti incluſa à Patre ſuo
in cubiculo quod erat turris, ipſa cuſtodivit li-
bertatem corporis & cordis ſui: ipſa debet inſi-
dere currui triumphali , cùm triumphaverit de
mundo,de carne, & de inferno; currui tracto à
duobus leonibus familiaribus & domeſticis, qui
ſunt duo appetitus,nimirum iraſcibilis& concu-
piſcibilis,quos ipſa domuit, & ſubmiſit perfectè
legibus rationis. S. Barbara fuit ſimilis Sponſæ
Canticorum,quam Scriptura ſacra repræſentat
cum tribus turribus. Primò cum turri in facie,
e Cant. 7.4. *Naſus tuus ſicut turris Libani* e. Secundò cum turri
in collo,*Sicut turris David collum tuum,quæ ædifica-*
f Cant. 4.4. *ta eſt cum propugnaculis* f. Tertiò cum turri in pe-
g Cant. 8.10. ctore,*Vbera mea ſicut turris* g.Hæc verba videtur
ſcripta terminis iſtis de S.Barbarâ, & Spiritus
ſanctus loqui videtur de eâ in Canticis ad oſten-
dendam conſtantiam invincibilem , quam ipſa
præ ſe tulit in martyrio ſuo , *Turris fortiſsima no-*
men Domini , ad ipſum currit Iuſtus,& exaltabitur,
h Prov. 18.10. ait Salomon h. Et poſt eum Dionyſius Carthu-
i Dion. Carth. art. 18. in Prov. 18. 10. ſianus i. *Turris fortiſsima nomen Domini,id eſt,Deus*
ſperantes in ſe,& confugientes ad ſe,tuetur & conſer-
vat,ſicut turris inexpugnabilis protegit exiſtentes in
eâ,imò ineffabiliter plùs.Ideò ait Iob k,*Libera me,&*
pone me juxta te,& cujusvis manus pugnet contra me.
k Job. 17. 3. *Vnde nunc ſubditur; Ad ipſum currit Iuſtus,id eſt,feſti-*
nanter ac fervidè confugit ſemper ad Deum. Et exal-
tabitur,quia per hoc ſuus prævalet inimicus, Omnipo-
l ex Pſal. 30.3. *tentem jugiter invocando.Ideò vir ſanctus* l, *Eſto mihi*
in Deum Protectorem, & in locum munitum, ut ſal-
m Pſ. 60.4 *vum me facias. Et rurſus in gratias agēs pſallit,Dedu-*
xiſti me,quia factus es ſpes mea,turris fortitudinis à fa-
cie inimici. Vnde Bernardus, Si mihi præmia promit-
tantur,per te,ô Domine,me ea obtinere ſperabo ; ſi in-
n ex Pſal. 26.3. *ſurgunt adversùm me prælia* n, *ſi ſæviat, ſi terreat*
o ex Gal. 5.17. *malignus,ſi caro adversùs ſpiritum concupiſcit* o, *in*
te ego ſperabo,& dicam, Mihi adhærere Deo bonum eſt,
p Pſal. 72. 28. *ponere in Domino Deo ſpem meam* p. *Hinc ſcriptum*
q ex Pſal. 17.2.&c. *eſt* q. *Domine fortitudo mea,& refugium meum, &*
robur meum in die tribulationis. Præſes Marcianus
fecit illam crudeliter flagellari,donec ipſius pel-
lis laceraretur,&inde ſanguis ubertim difflue-
ret confeſtim ac illius vulnera fricari præcepit
rudi cilicio, & ſic ipſa perducta eſt in carcerem.
Poſt hæc immanis iſte Tyrannus juſſit radi illius
coſtas pectinibus ferreis,quas ſemiapertas com-
buri fecit lampadibus accenſis , & tundi caput
illius magnis malleorum ictibus,quod ipſa per-
tolit præ conſtantiâ incomparabili. S. Barbara
erat in medio tormentorum iſtorum,& elevans
cor ſuum & oculos ſuos ad Sponſum ſuum , di-
cebat ei.Bone Jeſu , vides arcanum cordis mei,
& ſcis quod totam ſpem meam collocavi in te:
noli me derelinquere:ſine te nihil poſſum, ſicut
r Joa. 15.5. ipſemet dixiſti, *Sine me nihil poteſtis facere* r. Et
non eſt aliquid quod non poſſim fulta gratiâ
ſ Philipp. 4.13. tuâ, quemadmodum dicebat Apoſtolus ſ tuus,
Omnia poſſum in eo qui me confortat. Eò ſævitiæ
perlata eſt immanitas Tyranni , ut novaculis
juſſerit ubera illi præcidi : ſolus autem amor,
quo ipſa Sponſum ſuum diligebat , addidit ipſi
animum ad conſtanter iſtud ſupplicium perfe-
rendum.Sed ut illud ſuſciperet cum majori con-
ſolatione animæ ſuæ, dicebat Deo : *Ne projicias*
me à facie tuâ,& Spiritum ſanctum tuum ne auferas
me t.Tyrannus decrevit ut nuda raptaretur per t Pſ. 50.13
civitatem ad majorem ignominiam, & magnis
flagellorum ictibus fugaretur : ſed Sponſus ip-
ſius operuit corpus ipſius nube in formam ve-
ſtis,ad orationem illius,ſic ut Ethnici corpus il-
lius nudum non viderint. Tandem,Ipſa damna-
ta fuit ad mortem,quam executus eſt pater ſuus,
quam ipſa tulit præ conſtantiâ invincibili , adi-
piſcens inde coronam gloriæ.Cùm ergo Spiritus
ſanctus in Canticis ait, quòd Sponſa habet tur-
rim in facie,unam in collo, & unam in pectore,
inde ſignificare vult tres partes corporis,in qui-
bus S.Barbara fuit ſpecialiter cruciata; faciem,
in quam ſuſcepit alapas à patre ſuo;pectus,unde
evulſa vel præciſa fuerunt ipſi ubera forcipibus
aut novaculis;&collum à quo fuit ipſi caput gla-
dio amputatum. Vel ſi velitis,ipſa tres turres ha-
bebat, id eſt, fortitudinem inexpugnabilem in
tribus partibus ſui corporis virginei,ad ſignifi-
candam glorioſam victoriam,quam ipſa retulit
primò de erubeſcentiâ,id eſt,eâ de quâ loquitur
Dei Filius,*Qui me erubuerit & meos ſermones,hunc*
Filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſuâ,
& Patris, & ſanctorum Angelorum u. Secundò de u Luc. 9. 26.
vulneribus. Tertiò de concupiſcentiâ.Quoad ve-
recundiam,S.Ambroſius x ait,*Suſanna mulier a-* x S. Ambr. ſerm. 1. in Dan. 13. 36.&c.
pud inimicos ſuos tacuit,& vicit. Non enim apud Da-
nielem judicem verbum ſe ratione defendit,non patro-
cinii ſermone tutata eſt: ſed in ſanctâ fœminâ tacente
linguâ pro eâ caſtitas loquebatur. Et S. Bernardus id
confirmat y,*Tacebat in periculis Suſanna,& gravius* y S. Bern. l. de Ordine vitæ, aliquantò ante med.
verecūdiæ quàm vitæ damnum putabat, ubi ſoli loque-
batur,cui poterat caſta verecūdia loqui. Contra hanc
verecundiam S.Barbara fuit armata fortitudine
invincibili : & quia verecundia ſedem habet in
facie,propterea dicitur in Canticis z, *Naſus tuus* z Cant. 7.4.
ſicut turris Libani. Et hac fortitudine prædita,ipſa
ſuperavit erubeſcentiam,confitens erectâ fronte
coram patre ſuo,& ante Præſidem Marcianum,
ſe fuiſſe Chriſtianam. Ipſa raptata fuit nuda per
civitatē,&ſic ipſa munita fuit ſecundâ turri con-
tra concupiſcentiâ,*Vbera mea ſicut turris* a. Tan- a Cant. 8.10.
dem , Ipſa habuit tertiam turrim contra ictus &
vulnera, *Sicut turris David collū tuum,quæ ædificata*
eſt cum propugnaculis b.Sed conſtantia cordis ipſius b Cant. 4.4.
non eſt minùs admirabilis, cùm ipſa dicat, *Ego*
murus,& ubera mea ſicut turris c. Quæ verba pen- c Cant. 8.10.
dent ab eis , quæ Sponſus immediatè antè dice-
bat,*Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquē-*
da eſt? Si murus eſt; ædificemus ſuper eum propugnacula
argentea: ſi oſtium eſt,compingamus illud tabulis cedri-
nis. Dicitur,*quando alloquenda eſt*,id eſt, cùm cir-
cundabitur amaſiis,qui mittent ad ipſam mune-
ra.Sponſus reſpondet,*Si murus eſt,ædificemus ſuper*
eum propugnacula argentea. Quaſi diceret, Si ipſa
ſic conſtans eſt , ut dimittat omnes iſtos amaſios
cum muneribus ſuis , faciemus ei alias repara-
tiones, quoquo ipſæ conſtent , & reddemus ei
teſtimonium amoris noſtri per monilia & mu-
nera. *Si oſtium eſt*, id eſt, ſi liberum dat acceſſum
omnibus amaſiis , *compingamus illud tabulis cedri-*
nis,ipſam,veluti portam, ſic ſtrictè claudemus,
ut ipſa nunquam valitura ſit ampliùs illos
admittere. Quod audiens Sponſa , reſpon-
det , *Ego murus , & ubera mea ſicut turris.* Quaſi
diceret , Non indigeo ſic ſtrictâ cuſtodiâ , nec
opus eſt monilibus & muneribus ad hoc ut
me

me inducant ad invigilandum obſeqnio meo: ego ſum fortis ut murus, & invincibilis non ſecus ac turris. Unde patet magna vis amoris Sponſæ erga Sponſum ſuum: quia cùm fœminæ ſint cupidæ monilium & munerum, S. Barbara contenta erat ſolo amore Sponſi ſui, teſtans ei conſtantiam invincibilem.

E toto illo diſcurſu diſcimus duas veritates, Prima eſt amor, quem debemus Deo, ut vero Patri noſtro, ad exemplum S. Barbaræ, *Scientia inflat, charitas verò ædificat* d. *Nam utique ipſe dixerat, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus: & tunc adjungit, ſcientia inflat, charitas verò ædificat. Ut quid ergo habebat ipſe quo inflaretur, niſi quia cum charitate non ſolùm inflat ſcientia, ſed etiam firmat?* ait S. Auguſtinus e, loquens de S. Paulo. Secunda, eſt perſeverantia, quam afferre debemus ad obſequium Dei, intuitu conſtantiæ quam S. Barbara præ ſe tulit uſque ad finem vitæ ſuæ, cùm unusquisque noſtrûm ſcire debeat, ut ait S. Bernardus f. *Diabolum ſoli ſemper perſeverantiæ inſidiari, quam ſolam virtutum novit coronari, totùmque eſſe in eâ vocatione quâ vocatus eſt, ſimpliciter perſeverare, quàm ſub ſpecie quaſi melioris boni, id quidem quod jam cœpit, amittere; nec ad id quod præſumit, fortaſſis ſufficere.* Perſeveremus uſque ad finem, cùm hæc perſeverantia meritura ſit nobis, æquè ac S. Barbaræ, coronam gloriæ.

d 1. Cor. 8. 1.

e S. Aug. l. 15. cont. Fauſt. c. 8.

f S. Bern. Epiſt. 32.

FERIA III. POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Cùm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. Matth. 8. 1. &c.

SCientia & opus talem præ ſe ferunt ſympathiam & convenientiã ad invicem, ut videantur nunquã debere eſſe niſi ſociatæ. Sciẽtia ideò non eſt niſi ut ſciatur id quod eſt peragendũ; & quidquid eſt faciendum, directione ſcientiæ eſt moderandum. Nun pronunciatur Lex, niſi ut obſervetur, & illi qui eã ſuſcipiũt, ſuas debẽt actiones ad regulas hujus Legis exigere. Sed hæc admittitur differentia, quod, ut quis Legẽ det, debeat eſſe elevatus ſupra cæteros; ſed ut illam in praxim redigat, debeat eſſe depreſſus, & vulgo ſimilis. Dei Filius hæc duo obivit munia, Legiſlatoris & hominis popularis. Prius ipſe executus eſt, prædicans populo, explicans ei Prophetias & voluntatem ſui Patris æterni, & præbens ei Legẽ gratiæ, Legẽ amoris & charitatis. Poſterius verò, exercens in propriâ perſonâ opera charitatis, & Legis hujus articulos. Sed in prioris functionis exercitio *videns Ieſus turbas, aſcendit in montem* a, ubi prædicare conſueverat, ut majori loqueretur authoritate. Hodiernâ verò die ut poſteriori ſatisfaciat officio, *cùm deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*, ut obvius procederet homini leproſo, & occaſionem nanciſceretur exercendorum virtutis & charitatis operum, quorum praxim in monte docuerat, *Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.*

a Matth. 5. 1. &c.

Sed videtur ibi aliquid magis intervenire. Licèt enim hoc in occurſu, prout hoc eſt opus charitatis, in eo ſe gerat Dei Filius ut homo popularis; nihilominùs inquantùm idem opus eſt etiam miraculoſum & naturæ vires excedens, circa illud agit ipſe ut Dominus aut Legiſlator, qui cùm edictũ pronunciaverit, aut literas patentes præbuerit, hæc omnia ſigillo ſuo obſignat, confirmatq́; miracula enim ſunt ſigilla, quibus Deus ſuum Verbum confirmat, eique conciliat authoritatem. Nullum volo miraculum ad conciliandam ſermoni meo authoritatẽ, cùm idem ſit ſermo meus ac Verbum ejus qui vult ut illud pronunciem; idcircò auxilium ejus ordinarium ſermonem meum ſatis poteſt efficere validum, & ad dicendum hoc miraculum, & ad producendum ex eo aliquem fructum in animabus iſtis, ſi conciliemus nobis favorem Matris gratiæ, quæ nobis erit propitia, ſi dixerimus ei. *Ave Maria.*

Videntur jure merito aliqui antiqui rerum naturaliũ curioſi Indagatores queſti de naturâ rerum univerſarum communi parente, propter hoc, quòd cùm ubertim res neceſſarias animalibus conſervandis providerit, hominem, qui eorum omnium eſſe debebat facilè Princeps, minoris æſtimaverit, quaſi pejoris eſſet ille conditionis, quàm ſint ea, cùm illum conſtituerit egenũ eorum omnium, quæ illius bene eſſe æquè ac cõſervationi forent accommoda. Habent illa omnia, ſua indumenta concinnata, & naturali veluti conſuta modo, alia pennis, alia lanâ, alia pilis, aut ſimili materiâ, ſic ipſis conſona & adaptata, ut ne vel ipſis acus ictus, ſi dici fas eſt, deficere videatur, ut illorum beneficio ab injuriis tempeſtatum & ab aeris inclementiis declinent: homo verò *nudus egreſſus de utero matris* b ſuæ, ſic dirè inſtructus eſt, ut niſi veſtimenta ab animalibus accipiat mutua, non priùs in lucem editus fuerit mediam, cùm ab eâ ſtatim ſit amovendus præ morte ſubitaneâ a frigore cauſandâ. Inſtructa ſunt illa univerſà armis offenſivis æquè ac defenſivis, alia cornibus, alia tubis, alia unguibus, alia roſtris, hæc dẽtibus, illa tegminibus, quibus ab inimicorum declinent inſultationibus, & lædãt eos qui ipſis nocere volent: homo verò his eſt deſtitutus omnibus, quaſi ab univerſis ſit oppugnandus creaturis, nedum tueri ſe poſſit, aliquemve ictum ferire. Saltem debuiſſet ei indulgere natura velocitatem, ſicut eam tribuit cervo & lepori, cujus interventu potuiſſet ſe homo à ſuis defẽdere inimicis, eò vel maximè quòd animalculis aliquibus denegata non fuerit hæc qualitas, quæ ipſis eſt ſic proficua ac arma validiſſima: ſed ita gravis eſt & ſic ineidoneus ut non poſſit, non aio, currere, ſed incedere, imò pedem unum alteri præponere, niſi incedendi modum à teneris annis a matre ſuâ, aut a nutrice ſuâ edoceatur.

b Job. 1. 21.

Propter hæc, & ob plures alios defectus, quorum enumeratio prolixior foret quàm ſit par, dixerunt aliqui Philoſophi, *Natura mater cæterorum, hominis vero noverca.* Sed ſi iſti hominem infra omnia deprimere voluerunt bruta, Alii eum ſupra univerſa evexerunt animalia, dicentes, *Homo ſapientiſſimus animalium, quia manus habet.* Cùm enim mente vigeat & ratione, quâ comminiſci poſſit id omne quod conſervationi ſuæ ſatagendæ eſt conſonum, manus præ ſe fert quibus illud conſequi & ſibi comparare queat; iiſdemq́; manibus a mente ſuâ ſeu ratione directis, domos ſibi ædificat, arma ſibi fabricat, veſtimenta ſibi concinnat, & innumeris aliis vacat commodis majoribus quàm ſint alia animalium omnium commoda. Sed ſi Philoſophi iſti videntur adinveniſſe modum defendendi hominis in ordine

naturæ, Philoſophus Chriſtianus habebit quidem anſam ampliorem arripiendam commendandæ excellentiæ illius, ſi eum conſtituat in ordine gratiæ. & dicet, quod homo non obſtante hâc apparentiâ infirmitatis videtur eſſe potentiſſimus, non quòd habeat manus, ſed quia ſolâ præ ſe fert linguam, quæ verbo ſimplici omnium deſiderandorum poſſeſſionem illi conciliat.

Factusne fuit vobis unquam ſermo de viſione, quâ S. Joannes Evangeliſta vidit *ſimilem Filio hominis, & de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat* c? Quid putatis fuiſſe illum niſi figuram Chriſtiani aut hominis probi, qui præ ſuo ore deſert unde bellum indicat omnibus inimicis ſuis viſibilibus & inviſibilibus mediâ linguâ ſuâ; hâc virtute viget oratio, cùm offertur ſicut expedit, præcidendi ex utroque latere, & conſequendi à Deo in gratiam corporis æquè ac animæ, quidquid ab illo expoſcitur; ut patet hodie in leproſo & infideli ſimul homine, qui ut ſic eſt figura peccatoris, qui recuperat curationem à leprâ ſuâ & ab infidelitate ſuâ, nedū utatur inſtinctu brutis communi, aut adhibeat herbas aut pharmaca morbo ſuo curando proficua, vel artem aut praxim Medicorum; ſed ſolam brevem inſumit orationem præ ſe ferentem ſocias individuas fidem, diſcretionem, & humilitatem, *dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.* Verba brevia, ſed ad conciliandam corpori & animæ ſanitatem inducentia.

c Apoc. 1. 13. & 16.

Cùm Dei Filius doctrinam prædicaſſet Evangelicam in tribus videlicet præcedentibus S. Matthæi capitibus V. VI. & VII. eandem miraculis confirmat his tribus ſubſequentibus VIII. IX. & X. ut docet S. Hieronymus d, *Rectè poſt prædicationem atque doctrinam, ſigni offertur occaſio: ut per virtutem miraculi, præteritus apud audientes ſermo firmetur.* Primò enim leproſo ſanitatem impertitur corporis, & animæ. Puerum deinde Centurionis paralyſi laborantem in priſtinum ſanitatis redintegratæ reſtituit ſtatum. Socrum S. Petri febrientem Capharnaum à febri, quâ angebatur, liberat. Tempeſtatem maris ſuâ omnipotentiâ ſedat, & mare tranquillum facit quandiu ventos compeſcit. Et duos tandem dæmoniacos à ſpiritibus immundis reddit immunes e. Alium deinde ſanat paralyticum. Filiam Jairi Principis Synagogæ jam defunctam è morte ſuſcitat ad vitam. Mulierem fluxu ſanguinis laborantem perfectè ſanat. Viſum duobus hominibus cæcitate percuſſis impertitur, verbum ſeu loquelam muto, & ſanitatem omni generi infirmorum f. Et mittens Apoſtolos ſuos ad ſatagendam animarum meſſem, eandem tradit eis potentiam ejiciendorum dæmonum, & curandorum infirmorum g. Inter alia autem mandata, quæ eis præbet, conſtituens eos ſuos magnos Cancellarios, qui doctrinæ ſuæ conciliarent authoritatem, & oſtenderent eam eſſe divinam, & non humanam, obſignantes eam miraculis authoritatis ſeu legationis ſuæ ſigillis, præcipit eis ut prædicent, *Quia appropinquavit regnum cœlorum*, nimirum pœnitentiam, & abnegationem vitiorum, & illius omnis quod impedire poteſt ne homines ingrediantur in Regnum cœleſte, ut exponit Janſenius apud Cornelium h, Ecce in quo ſita ſit tota ſeges iſtius Adventus, in quo exhibetur confirmatio doctrinæ Evangelicæ prædicatæ à Chriſto in monte, authoritatem ſuam deſumentis ab eodem Dei Filio in deſcenſu ejuſdem montis, ubi eam miraculis ſuæ ejuſdem authoritatis ſigillis obſignat. Hodiernâ verò die leproſum ſanat, Primò quoad corpus: Secundò quantùm ad animam.

d Hier. l. 1. in Matth. 8. 1.

e Matth. 8. 3. &c.

f Matth. 9. 6. &c.

g Matth. 10. 1. &c.

h Cornel. in Matth. 10. 7.

Diviſio.

I. Pars.

Non miror, Auditores; quod hic leproſus mediam deprehēſus fuerit inter turbā, etiamſi Lege Levitici i prohiberetur leproſis ne cōverſarētur inter homines, ſed ut ſepararētur, aut extra civitates immorarentur; & quòd Dei Filius è monte deſcendens, extra civitatem inveniretur. Mirari oporteret propter hoc quòd univerſus populus, aut ſaltē maxima illius pars è civitate egreditur, Dei Filium ſequitur per montes & per valles; & quòd Principes aut Gubernatores civitatis, qui ſibi ſentiunt injuriam irrogari ob novas iſtas cōgregationes, non audent aut non poſſunt aliquid dicere, nec impedire devotionem populi erga hominem vulgarem, quem ipſimet parvi æſtimabant, niſi aliter nobis conſtaret de melle & validis lenociniis, quæ præ labiis ejus apparerent, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis* k, Præſertim verò niſi nobis eſſet manifeſta efficacia rationum, quæ erant in verbis ejus, quæ manabant ex origine veritatis infallibilis, cùm ipſe eſſet *Veritas* l per eſſentiam, quæque intima animarum eorum pervadebant penetralia, ut darent eis tales motus & tales affectus qui ipſi placerent: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagem quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis* m. Et quòd præ ſe ferebat virtutem attrahendorū ad ſe populorum, qui perſuaſionibus ipſius fidē dabant, more alterius Herculis, quem Antiqui pingebant cum catenis aureis præ ore ob magnam illius eloquētiam, quæ devinciebat ſibi aures & corda ſuorū Auditorum, ſic Chriſtus ſimilibus vinculis & vi ſuorum verborum compeſcere poterat furorem horum Principum & Gubernatorum, ne impedimenta aut obices opponerent devotioni populi, qui ipſum ſequebatur per deſerta & per montes. Sed quod majorem cauſat admirationē, eſt, quòd leproſus, qui turbas ſequi nō potuerat ad audiēdos ſermones Chriſti, auditâ famâ doctrinæ excelſæ quam prædicaverat in monte eodem, *cùm deſcendiſſet de monte*, eum obvium habens, in facie ejus aliquam agnovit magnitudinis notam, quæ invitavit ipſum ut diceret ei, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Advertens igitur quòd omnes alii homines deſcenderent, confitentes magnitudinem ac potentiam ejus, & dicētes eum fuiſſe Meſſiam, licèt in eo nullum aliud intueretur ſignum, hanc confeſſionem generalem ratus eſt ſufficiētem ad ſe inducendum ut eis ſociaretur, & diceret præ fidei veræ confeſſione, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* quaſi diceret, Fieri non poteſt ut vir qui nec fortitudine nec authoritate fultus eſt humanâ, in captivitatem totum redigere poſſit populum, eumque obſtringere ad ſe circumquaque ſequendum, niſi aliquid præ ſe ferat extraordinarium. Quòd id peragat mediâ magiâ, hoc fieri non poteſt: iſti enim omnes homines mihi dicunt, eum loqui ſemper de Deo, nec unquam in operibus ſuis illum invocare diabolum, ſed auxilium Dei, quem ipſe aſſerit eſſe Patrem ſuū n; Oportet igitur ut iſtud ſit verum. Innixus igitur narrationi ſibi factæ de qualitate doctrinæ illius, cum fiduciâ ad eum acceſſit, eiq; ſuam propoſuit ſupplicationem, incipiens per fidem, quæ aliquâ ſemper indiget relatione vocali; nam *fides ex auditu: auditus autem per Verbum Chriſti.* Et, *Quomodo credent ei quem non audierunt* o? Ait ei ergo, *Domine,*

i Levit. 13. 1. &c.

k Pſ. 44. 3.

l Ioan. 14. 6.

m Hebr. 4. 12.

n Matth. 26. 64.

o Rom. 10. 17. & 14.

Digitized by Google

mine, ſi vis, potes. Quaſi illi diceret, Cùm ego convictus fuerim & ſufficienter inductus ad credendum te eſſe Meſſiam per concurſum communem, & per opera miraculoſa quæ agere potes, oportet ut alloquar te ſicut verum Meſſiam: Talis eſſe non valeres, niſi eſſes *Omnipotens* p. Tua legatio ſiquidem ad aliquas non eſt terminanda perſonas particulares; expedit ut liberum ad te præbeas acceſſum illis omnibus, qui tuâ indigebunt authoritate, potentia tua debet eſſe illimitata, quippe quæ *non habet finem* q, & ut ſic a nemine dependêre, nec creaturarũ alligari conditionibus, ut eas diſponat in quibuslibet occurſibus prout ipſi placuerit; ſi placet tibi ut liberet ab infirmitate meâ, nullo modo ambigo, ſed firmiter credo, te poſſe mihi concupitam impertiri ſanitatem; ſi verò non convaleſcam, eadem fides inducet me ad credendum, quòd eam mihi nolueris indulgere.

p Eſth. 13. 9.
q Baruch. 3. 25.

Videte, obſecro, Auditores, admirandam, quam homo iſte paucis enunciat verbis, Theologiam. Eum fatetur Omnipotentem; ſed ſimul oſtendit hanc ejus potentiam non operari ex neceſſitate naturæ, ſed ſolùm per ſummam ſapientiam, & liberam voluntatem. Non ei ait, Si potes, vis; ſed, *Si vis, potes.* Potentia Dei eſt infinita, Voluntas Dei eſt pariter infinita, ſed inde non ſequitur, effectus earum eſſe infinitos: Deus omnia poteſt, ſed non omnia vult, & ut ſalvetur infinitas voluntatis ejus, ſufficit ut occupetur illa circa amorem objecti infinitè boni, quod eſt eadem ejus eſſentia, quæ eſt *omne bonum* r, & ut in totâ æternitate, quæ eſt duratio infinita, infinitè ſibi complaceat in amore ſuarum perfectionum quæ ſunt infinitè magnæ; ſed non opus eſt ut velit dare creaturis bona infinita; ea limitare debet regulis ſapientiæ ſuæ, quâ *omnia in menſurâ, & numero, & pondere* s diſpoſuit; & ſufficit ad fatendam infinitatem potentiæ ejus, ultra productionem Divinarum Perſonarum t, ut potentia ejus nunquam poſſit exhauriri, aut minui ab innumeris operibus, quæ poteſt quotidie producere; *Si vis, potes.* Solus Deus ſua habet brachia æquè extenſa ac voluntatem ſuam, *Omnia quæcumq; voluit Dominus fecit in cælo, & in terra* u.

r Exod. 33. 19.
s Sap. 11. 21.
t Pſ. 2. 7. & Joann. 15. 26.
u Pſ. 134. 6.

Ha! Auditores, quàm rectæ conſonum eſt rationi ut ſolus Deus agere poſſit id quod vult; ſi enim inter tot alia bona, quæ in nos effudit, hanc nobis communicaſſet proprietatem ſeu perfectionem, quæ ipſi eſt ſpecialis, de noſtris malè ageretur negotiis. Ha! ſi ambitioſus pennas æquè haberet leves ac caput leve præ ſe fert, ubinam ſe collocaret? Prope Regem? Nequaquam. In ſolio Regis? Neutiquam. Supra Regem? Minimè. Supra totum mundum? Non. Prope Deum? Non, ſed ſupra Deum ipſum. Nonne verò videtis eum aucupari adorationes, & quòd non priùs aliquem fortunæ progreſſum fecit, cùm perſuadet ſibi, hoc ſibi deberi, & quòd ipſe mereatur in altiorem gradum conſcendere, ut ſuis contera at pedibus tot homines, quot poterit præcellere? Ha! ſi iracundus brachia haberet æquè longa ac ira illius eſt immodica, quodnam genus ſævitiæ non exerceret adverſùs eum, à quo ſibi aliqua illata eſt injuria? Ha! ſi avarus æquè citò ſuum implere poſſet marſupium ac deſiderat, quasnam injuſtitiæ & perfidiæ non exequeretur ſpecies, ut ſuæ ſatisfaceret cupiditati? Sed iſtis providit Deus. Sciebat ipſe quippe apprimè noſtrorum deordinationem affectuum, & quòd cùm voluntates noſtræ eſſent liberæ x, nihil ipſæ unquam peragerent præ pondere, & menſurâ: Ideò voluit ipſe nobis menſuram præſcribere, & nobis veluti pennae præſcindere, ut volatus noſter æquè ac voluntas noſtra non poſſit aberrare, reſervando ſibi perfectionem iſtam quâ poſſit id quod vult, quia nihil vult quod non ſit rectæ rationi conſonum.

x Eccli. 15. 14. &c.

Sic nullus eſt præter ipſum, qui dignè poſſit hoc nomen Domini ſibi aſciſcere, *Tu ſolus Sanctus* y, *tu ſolus Dominus* z, *tu ſolus Altiſſimus* a, ait ei Eccleſia. Illi enim qui iſtud uſurpant nomen in mundo, Domini tantùm ſunt figurativè & per repræſentationem, non autem per proprietatem naturæ, cùm poſſint illorum ſubditi reſecare aut minuere authoritatem, quam illi ſupra ipſos habent. Nunquid non verum eſt, quòd ſi aliquis dominus, quantùmvis magnus ſit dominus, non futurus ſit amplius dominus, ſi ſubditi ipſius eum deſerunt? Iſti autem ſubditi nonne poſſunt eum relinquere, cùm ipſis placuerit, & alterius ditioni ſe ſubjicere? Dominium igitur & juriſdictio Magnatum ſe tenet penes beneplacitum & conſenſum ſubditorum, qui volunt eos agnoſcere ut dominos: ſi enim ſubditi ab his excipiantur ut captivi, erunt tyranni, non domini. Sed Deus qui verus eſt ſuorum Dominus ſubditorum, ſuam ſic habet juriſdictionem ſtabilitam ut non pendeat ab ipſius ſubditis aut ipſi ſervire, aut ipſum deſerere; illius *in ditione cuncta ſunt poſita* b non ut tyranni, ſed Domini, qui continuis creaturas devincit ſibi beneficiis ut ſibi ſerviant, & ſe agnoſcant. Et cùm ſit ita *magnus* c, potens, & abſolutus, non miror quòd leproſus iſte ſtatim ac eum intuetur, in genua procumbat, & illi ſupremam exhibeat reverentiam. *Et ecce leproſus veniens adorabat eum.*

y ex Iſai. 6. 3.
z ex Deut. 6. 4.
a ex Pſ. 82. 19.
b Eſth. 13. 9.
c Baruch 3. 25.

Videtur Ariſtippus Philoſophus Ethnicus hujus humilitatis aliquam præ ſe tuliſſe notitiam, cùm favorem à Dionyſio tyranno expoſcens quendam, quem ab eo conſequi non poterat, procidit ad pedes ejus, ibique manſit proſtratus donec illud, quod poſtulabat, accepiſſet. Cùm autem corriperetur hujus humiliationis ab alio dicente, quòd Philoſophus, qualis ipſe erat, non deberet ſe proſternere ante pedes hominum: reſpondit ipſe ſapienter illi, *Non ego in culpâ ſum, ſed Dionyſius qui habet aures in pedibus.* Cùm enim non potuiſſet obtinere id, quod efflagitabat, niſi proſtratus humi coram Tyranno, appoſitè dixit, aures ejus fuiſſe in pedibus illius. Ha! Auditores, id quod Philoſophus ille dixit metaphoricè, poſſumus dicere nos præ purâ veritate, loquentes de Deo noſtro, qui nunquam libenter hominum exaudit ſupplicationes, niſi deferantur eæ ad pedes ipſius, ſicut agit iſte leproſus, qui obvius ei procedit, & ſic profundis eum adorat reverentiis, ut infallibiliter ſit exaudiendus, *Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens, Domine ſi vis, potes me mundare.* In hoc enim actu adorationis ait tacitè, *Domine*, de tuâ ego non ambigo potentiâ, ſed incertus ſum de tuâ voluntate, non quòd non ſis miſericors, & bonam præ te non feras voluntatem ad exaudiendos omnes probatæ vitæ homines; ſed quia indignum me video ut exaudiat, profiteor te illud poſſe, nedum hoc audeam à te expoſcere: ſi autem iſtud deſiderare debeo, oportet ut id à tuâ ſolâ poſtulem miſericordiâ, non autem à meo merito; *Non de voluntate Chriſti ad omne bonum paratâ dubitabat,*

dicent, Si vis: Hæc enim dubietatis eſſet de judicio voluntatis ejus, ait D. Chryſoſtomus *d*. (*d* D. Chryſoſt. homil. 21. ex Matt. 8, 2.) Non audet abſolutè petere curationem, quia neſcit utrùm Dei Filius eam ſit judicaturus animæ ſuæ perutilem; perſæpè enim nobis ſatius eſt morbo laboratu, quam perfectâ potitu ſanitate. In quo videtis prudentiam hujus viri, qui non audet à Chriſto efflagitare ſanitatem, donec ipſi conſtet an ille ſit eam exiſtimaturus ſaluti animæ ſuæ proficuam.

Quantum docet nos leproſus iſte ſecretum? Sed quàm multum proficeremus hodiernâ die, ſi illud diſcere poſſemus, & hoc in praxim redigere! nimirum quòd ad ritè peragenda negotia noſtra cum Deo, nihil unquam terrenum ab eo debemus efflagitare, ſed tantùm eâ conditione interpoſitâ ut ipſi placeat, & vergat illud in gloriam ipſius manifeſtandam, & ad ſalutem noſtram ſatagendam; ut, ſanitas, divitiæ, magnitudines, noſtrorum fauſtus ſucceſſus negotiorum & conſiliorum, cætera tandem omnia expoſci tantùm debent (ſi gratiam excludamus) cum conditione, & non aliter, ut ea diſponat ſic ut ſanctæ ipſius placuerit voluntati, ſeu per ſimplicem repræſentationem neceſſitatum noſtrarum, aut ſtatus negotiorum noſtrorum propter eundem finem. Cum enim hæc omnia, ſi in nobis ſint, noſtræ inſervire poſſint damnationi æquè ac ſaluti, cùm id neſciamus, non debemus nos exponere periculo eorum petendorum, ne noſtram fortè procuremus ruinam: ſolam autem debemus ſemper inſtantiſſimè gratiam Divinam efflagitare, quippe quæ jugiter non poteſt eſſe nobis niſi maximè accommoda. Sed quàm prudens eſt orator iſte! cùm ſic ſapienter procedat in proponendâ ſupplicatione ſuâ. Dei Filius poſtulata concedit ei. Confeſſus eſt hic leproſus potentiam Chriſti, *Potes*. Chriſtus autem ei reſpondit, *Volo*. Humiliavit ſe homo iſte præ adoratione profundâ. *Et ecce leproſus veniens adorabat eum. Et extendens Jeſus manum, tetigit eum* tam ad eum ſublevandum, quàm ad eum conſolandum, *dicens. Volo, mundare. Potuit Salvator ſanare leproſum ſine manus ſuæ extenſione, & tactu: ſed quia humanitatem aſſumpſit, per eam operatus eſt, & in agendo, humano modo ſe habuit, ut ſciamus totam ſalutem noſtram per aſſumptam Chriſti humanitatem eſſe completam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus e. (*e* Dion. Carth. art. 16. in Matt. 8. 4.) Vel, *tetigit eum*, ne ipſe crederetur veritus inſici leprâ, & ad præbendum exemplum, ne deinceps quis abhorreret ab ulceribus & vulneribus pauperum curandis. *Et confeſtim mundata eſt lepra ejus* quoad corpus.

(II. Pars.) Licèt verum ſit, gratiam eſſe nobiliorem & excellentiorem naturâ, & inde videri quòd gratiæ opera requirant manum Opificis potentioris, quam exigant operationes naturæ; tamen certiſſimum eſt, Auditores, difficilius eſſe, curatu lepram corpoream, quàm medicatu lepræ animæ. Lepra animarum noſtrarum non eſt aliud niſi peccatum. Si enim lepra eſt malum univerſale totius corporis, peccatum ægras reddit omnes animæ potentias. Si lepra eſt malum contagioſum quo inficiuntur illi omnes qui ad ipſum accedunt, etiam peccatum ſic eſt contagioſum, ut Propheta *f* dicat, *Cum perverſo perverteris*. (*f* Pſ. 17. 27.) Et Salomon *g*, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ*. (*g* Eccli. 13 1.) Et idem Propheta *h* loquens de filiis Iſraël qui ſocietatem inierant cum Jebuſæis, Amorrhæis, & aliis populis incircunciſis, ait, *Et commixti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum*. (*h* Pſ. 105. 35.) Si lepra ſtatum reddit fœtidum; peccatum ſic inficit os peccatoris, ut præ ſe diſcurſus ferat depravatos, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala i*. (*i* 1. Cor. 15. 33.) Si lepra eſt horribilis & abominabilis iis qui benè valent; peccatum eſt deteſtabilius omnibus probatæ vitæ hominibus, *Iniquitatem odio habui & abominatus ſum k*. (*k* Pſ. 118. 163.) Et, *Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur* l. (*l* Eccli. 9. 10.) Tandem, Sicut lepra eſt incurabilis; non minùs eſt peccatum incurabile, *Inſanabilis fractura tua* m. (*m* Jer. 30. 12.) Unde fit ut, cùm leproſus ſanari non poſſit niſi præ miraculo, ita peccator non poſſit converti niſi medio miraculo, *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*, ait illi Deus per Iſaiam *n*. (*n* Iſa. 43. 25.) Hinc dixit D. Auguſtinus *o* ſuper hæc verba Chriſti, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. Quæ opera niſi ut ex impio juſtus fiat?* (*o* D. Aug. tract. 72. in Joan. 14 12.) Deinde ipſemet ſubdit, *Prorſus majus hoc eſſe dixerim, quàm eſt cœlum, & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo, & in terra*. Tamen ſalvâ veniâ tam eximii Eccleſiæ Doctoris dico, quòd, licèt excellentius opus ſit juſtificatio peccatoris, cujuslibet morbi corporei curatione, imò creatione totius orbis, tamen certiſſimum eſt juſtificationem peccatoris faciliorem eſſe quam ſit curatio lepræ, non dico faciliorem Deo, nihil enim eſt magis aut minùs facile Deo, omnia enim æqualiter poteſt, ſed faciliorem hominibus. Vultisne autem iſtud videre? Conſiderate, ſi placet, non lepram ſolam, ſed omne morborum genus, & videre utrùm ſit aliquis ex illis qui curari poſſit voluntate ſolâ, & num ad curandum eum remedia non ſint remediis addenda, ut ſimul ſanentur duo mala, illud quo corporaliter angimini, cui applicanda ſunt pharmaca; alterum verò quod Medicus præ manibus fert, cui eſt impendenda crumena: & ſcitote quòd ad ſanandam animam veſtram & à leprâ peccati, & ab omnibus aliis malis, ſufficit voluntas veſtra, & ſtatim ſani eritis. Verum quidem eſt quòd ſanitas oriatur à Deo, qui ait *Tantummodò in me auxilium tuum* p. (*p* Oſee 13. 9.) Sed Deus ſemper eſt paratus ad impendendum hujuſmodi ſubſidium, & ſolam expectat voluntatem noſtram, aut conſenſum illius, & nihil aliud præter hoc à noſtrâ abſolutè pendet voluntate. Deſiderate quantùmvis volueritis divitias, eas propterea non conſequemini: concupiſcite honores, eorum poſſidendorum ſolum præ vobis feretis deſiderium. Sed anhelate ad gratiam Dei, & confeſtim dabitur ea vobis, quam tamen Deus communicare nobis noluit quantùm ad alias res indifferentes propter rationes ſupradictas; ſed quoad id quod eſt abſolutè bonum, quale eſt gratia, abſolutam nobis tribuit poteſtatem recuperandæ illius cùm voluerimus, *Vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt* q. (*q* Rom. 4. 17.) *Id eſt, vocat, ad fidem & gratiam, ea quæ non ſunt, id eſt Gentiles, qui coram Deo quaſi nihil fuerunt, quia ſpiritualiter mortui erant; tanquam ea quæ ſunt, id eſt, ſicut vocavit Judæos, qui propter legem & gratiam Dei aliquid erant ſpiritualiter coram Deo viventes*, ait Dionyſius Carthuſianus *r*. (*r* Dion. Carth. art. 7. in Rom. 4. 17.) Videntur Reges terreni velle imitari Deum, qui ſolus dat eſſe iis quæ non habebant eſſe, cum ſolâ voluntate ſuâ faciunt creaturas. Si enim Rex ex vobis vocaret aliquem Comitem, aut Marchionem, ſtatim fieret ille Comes, aut Marchio ſolo verbo aut voluntate Regis ſine alio diplomate. Sed nonne veſtram *poteſt adjicere ad ſtaturam cubitum unum ſ* Rex, volens vos magnificare? Non. Sed (*ſ* Matth. 6. 27.)

Rex

Rex illum magnum fecit. Benè quidem quoad iſtos titulos. Quænam autem eſt hujus cauſa differentiæ, quòd Rex magnificet tantùm quoad titulos hujuſmodi, & non quantùm ad corpus? Ratio iſtius eſt, quia corpus eſt aliquid, titulus autem Comitis, aut Marchionis eſt pura imaginatio; & ideò Reges hos poſſunt dare titulos, nō autem magnitudinem corpoream. In contrarium nunc uſurpate ſenſum verba ſupradicta, *Vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.* Rebus quæ non erant, vitam æquè ac eſſe tribuit, ſolùm eas vocando, *Fiat lux: & facta eſt lux* t. Reges verò temporales vice verſâ hominibus qui ſunt verè, tribuunt titulos imaginarios, qui nullam ſignificant aut producunt realitatem, quaſi iſti homines nihil omnino eſſent. Hoc eſt totum quod agere poſſunt Reges, de quibus dici poteſt, Vocant ea quæ ſunt tanquam ea quæ non ſunt, dare nomina, & titulos hominibus imaginarios præbere; ſed unicum tribuere vel capillum, aut ſolum ſanitatis dragma non poſſunt. Hæc ſola nobis eſt gloria in perſonâ Chriſtianiſſimi Regis noſtri præ omnibus aliis Regibus ut miraculoſam ſtrumis afferat ſanitatem, iis ſolam manum applicando & voluntatem, ut agit hodie Dei Filius, *Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, Volo, Mundare.* Sed ſemper præ dependentiâ à ſupremâ authoritate Dei; Rex autem non eſt niſi inſtrumentum hujus ſummæ Cauſæ, ſicut & hujus inſtrumenta Cauſæ fuerunt omnes Sancti qui miracula patraverunt; velut miniſter Regis, ſui Principis authoritatem æquè ac nomen adhibens, munia obit, quæ non exequeretur Regiâ deſtitutus authoritate.

t Gen. 1. 3.

Sed his non obſtantibus in meâ perſiſto ſententiâ, nimirum, quòd eſſe Juſtum & Bonum non ſolùm eſt aliquid reale magis quàm ſint tituli & qualitates mundi; ſed etiam eſt theſaurus qui valore excedit quidquid deſiderari poteſt; & quòd iſtud bonum aut iſte theſaurus ita in noſtrâ eſt poteſtate, ut ſolùm oporteat ipſum deſiderare aut velle, quò illius poſſeſſores evadamus. Videte quid dicat Propheta u, *Dixi, Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hâc orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Ait, *Dixi.* Ac ſi diceret, *Fiat lux; Et facta eſt lux.* Et ecce anima ipſius tenebris involuta, ſtatim illuminata, *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ita ut nondum ſuam abſolverit orationem, aut ſua verba terminaverit, cùm ſe confeſtim experitur ſanctificatum, *Orabit omnis Sanctus.* Sed nunquid non Deus eùm ſanctificat, & parcit peccatis ipſius? Eadem eſt igitur res ac de Rege Chriſtianiſſimo ſtrumas curante? Ha! magna intercedit hic differentia. Dixi enim vobis quòd Rex ſit inſtrumentum Dei, nihilque tribuat è ſuo; ſed peccator, licèt ipſi Deus ſuam gratiam & ſuum amorem præbeat, operatur tamen ut una cauſa principalis ex parte ſuâ; ut agit homo læſæ reus Majeſtatis, qui ſe infenſum Regi declaravit; ſi abſolutionem à ſuo crimine concupiſcit, poteſt quidem eam expectare à Rege; ſed oportet ut ex ſe pravam ſuam deſerat voluntatem, ſeque diſponat ad ſerviendum Regi præ inviolatâ fidelitate: amicitia enim debet eſſe reciproca; ſi verò hoc peragat, paratus eſt ſemper Rex ei abſolutionem impendere: Sic peccator qui per peccatum ſuum Deo bellum indixerat, ſuam non poteſt deſumere abſolutionem niſi ab eodem Deo; ſed ſicut Deus eam nunquam dat niſi iis qui illam deſiderant gratiam, quam per peccatum amiſerant, ſic nunquam recuſat hanc gratiam illis qui eam concupiſcunt, ita ut dicere tibi poſſim, Peccator leproſe ſpiritualis, verba ſimilia iis quæ leproſus dicebat Chriſto, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Ego autem tibi, *Domine, ſi vis, potes* mundari; tu es dominus tuæ ſaluris, *ſi vis.* Sufficit ut pronuncies hoc verbum, *Volo*, firmo præ conſilio, & ſanitatem illicò recuperabis.

u Pſ. 31. 5. & 6.

Sed heu! *Vult piger, & non vult* x. Vellemus quidem ſanari, ſed non volumus; vellemus quidem habere gratiam Dei, quæ noſtrarum eſt ſanitas animarum, ſed nollemus deſerere aliquid, quo prurimus ſub noſtrorum leprâ peccatorum. Ad iſtos agones & ad has moleſtas ſe redactum intuitus eſt aliàs S. Auguſtinus y anguſtias, immodicâ ſcalpendi ardens libidine; modò ſuam ad Deum elevabat mentem, tædio affectus ob infælicitates, quas experiebatur medias inter voluptates ſuas, & dicebat Deo, *Da mihi caſtitatem & continentiam.* Et ſtatim revocatæ in memoriam ejus omnes voluptates & deliciæ, quibus in mundo indulſerat, retinebant eum. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant, Dimittiſne nos? Et à momento iſto non erimus tecum ultrà in æternum? & à momento iſto non tibi licebit hoc & illud ultrà in æternum?* Et ſicut ipſum pœnitebat ſupplicationis ſuæ Deo propoſitæ, metuendo ne citius exaudiretur quam voluiſſet, ipſe moras expoſcebat ab eodem Deo, *Sed noli modò. Timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui.* Iens igitur & rediens per varias iſtas cogitationes, quibus agitabatur non ſecus ac fluctibus irati maris, tandem firmum propoſuit ſibi conſilium, Ha! Domine, meâ ſolùm intereſt determinare me ad veram converſionem; video equidem quòd pigritia titubare me faciat, & non impotentia, cùm nihil ſit quod non poſſim, tuâ adjutus gratiâ; ideò age de me quidquid volueris; ure me, in flammis carnis meæ, continuo martyrio, modò te non offendam, & in æternum ſim tecum, *In hâc vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit* z. Eodem nos gerere debemus modo ex nobis ſinguli. Nullus eſt ex nobis, qui ſævis non ſtimuletur & angatur difficultatibus, cùm agitur de deſerendo peccato. Sicut enim peccatum ſemper eſt conforme alicui affectui qui eſt in nobis, & affectus iſte nobis placet, & nobis eſt naturalis; ita peccatum quod eum ſequitur, non poteſt eſſe nobis niſi jucundum, & ſeparatio ab hoc peccato nonniſi amara. Sed ſi alterâ ex parte conſideremus ſtatum infortunatum, cui nos immergimus per peccatum mortale, tam propter infamias, jacturas, & infortunia quæ nobis affert in hoc mundo, quàm ob ſupplicia, à quibus declinare non poteſt peccator obſtinatus ſubeundis in æternitate; & ex aliâ magnam facilitatem recuperandi amorem & gratiam Dei, quòd nimirum ſola ſufficiat voluntas ad hanc nobis conciliandam gratiam, fortaſſis imitari poterimus S. Auguſtinum, & dicere Deo, Ha! Domine, verumne eſt in nobis eſſe ſanari ab infirmitatibus noſtris? Sed ſufficitne ut dicamus tantùm, *Volo*, ut tuum amorem conſequamur, & tuas gratias obtineamus? Agiturne tantùm de firmo propoſito deſerendæ vitæ pravæ, ut purgemur à tot ſordibus

x Prov. 13. 4.

y D. Aug. lib. 8. Confeſſ. c. 7. & 11.

z Idem in Pſ. 37. 2.

quas

Digitized by Google

qnas in nos invehit peccatum? Tantamne dediſti nobis authoritatem ſuper inimicos animæ noſtræ, ut ſolo mandato eos à nobis procul amandare poſſimus? Eſtne pro comperto, quòd ſi volo, ſanari poſſum? Scito, Deus meus, me id velle. Volo ſanè ex parte meâ non obſtantibus omnibus difficultatibus, quas in hâc ſanitate recuperandâ experior, & experiar, certus quòd ex parte tuâ tuum mihi ſubminiſtraturus ſis auxilium, & animam meam à ſpirituali peccati leprâ libereturus.

Sic eſt, Peccatores: cautam illius præſto cauſam, *Fidelis autem Dominus eſt, qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo* a. In ſuis eſt promiſſis verax b. Et vos *omnes vult ſalvos fieri* c meliùs quàm vos velitis. Quare autem majori non proſequetur amore ſalutem animæ veſtræ, quàm ſanitatem corporis hujus leproſi? & cùm deſcenderit *de monte* deorſum ut illum conveniret, è cœlo deſcendet libentiſſimè ut conveniat vos in miſerandum ſtatum depreſſos. Si verò poſtquàm ille vos inſpexerit, audetis ei dicere, *Domine, ſi vis, potes me mundare*; & ego ex toto corde meo ſanari concupiſco, pro certo tenete, eum dicturum vobis ore pleno, *Volo*. Iſtud enim eſt optimū nunciorum omnium quæ poſſitis ei dare, ac ei dicere, vos velle gratiam ipſius, & quòd non priùs eam volueritis, cùm ſtatim eam poſſidebitis, *Et confeſtim ſanata eſt lepra ejus*. Sed hoc non eveniet quin ſimul præbeat vobis manum continuæ protectionis & auxilii ordinarii, cujus interventu opera deinceps tali digna peragatis beneficio, nam *extendens manum, tetigit eum*. Solùm autem exiget à vobis ut pergatis ad Sacerdotem, ut manifeſtetis ei velle vos ſanati à leprâ veſtrâ, confitendo ei veſtra peccata, *Vade, oſtende te Sacerdoti* d. Sed quantam invenietis in hoc difficultatem, cùm fueritis conſecuti id, quod poſtulabatis! Quin imò propter hoc gaudere debetis: nam Deus vult ut iſte Sacerdos, aut Confeſſarius futurus ſit teſtis coram tribunali ipſius proficuum vobis laturus teſtimonium, & convicturus omnes inimicos veſtros, & dicturus quòd per vos non ſteterit, quin vitam veſtram emendaveritis, cùm coram ipſo Deo feceritis id, quod peragere debebatis, adorantes eum, manifeſtantes lepram veſtram ei, ab eoque petentes curari ab illâ, quam ſanitatem impertietur vobis in hoc mundo per gratiam ſuam, quam ſequetur in altero gloria ſempiterna.

a 2. Theſſ. 3. 3. b Matt. 22. 16. c 1. Timo. 2. 4. d Matt. 8. 4. ex Lev. 14. 2.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. ADVENTVS.

Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. &c.

SI primi motus Filii Dei incarnati ſic fuerunt violenti, ut ab inſtanti Conceptionis ſuæ cœperit præ tanto ardore ſalutem noſtram operari, devinciens ſibi homines ex tunc beneficiis nunquam interruptis, licèt ipſorum malitia Divinæ Bonitati ut obex fuerit oppoſita ut plurimùm, ideò cœpit eis benefacere in tempore, ut continuaret in æternitate, cum primi favores Nativitatis ipſius ſint principia eorum quos eis eſt largiturus in vitâ ſuâ, & fuſiùs in morte ſuâ. Videte quomodo pergens Jeroſolymam ut ibi cruci ſuffigatur pro peccatis populi ſui, innumeras in viâ per anticipationem exhibet probationes valoris Sanguinis ſui, & mirabilium effectuum, quos brevi ingratiam noſtri erat operaturus, dum cœco *dixit, Reſpice, & confeſtim vidit* a, ut innuat ſe veniſſe ad illuminandam naturam humanam excœcatam peccato Adæ *b* primi & infœliciſſimi hominum. Bethaniæ *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras, & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus* c, ut oſtendat quòd per mortem ipſius conſequeremur vitam, quam per peccatum emiſeramus. *Cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi* d, & ſanavit eos. Hodiernâ verò die *cùm deſcendiſſet de monte*, ubi doctrinam prædicaverat Evangelicam, eidem doctrinæ ſuæ conciliare volens authoritatem miraculo, legationis ſuæ ſigillo, & virtute verbi ſui, alium curat leproſum, ut demonſtret quòd aliquando nos omnes ſit ſanaturus in Cruce, licèt majori dolore, & elatiori pretio. Sic cùm morbus noſter eſſet periculoſior, remedia exigebat violentiora ab eo qui incarnatus eſt in ſinu Virginis ſacratiſſimæ, poſtquàm dixit ei Angelus, *Ave Maria*.

a Luc. 18. 42. &c. b Rom. 5. 12. c Joan. 11. 43. & 44. d Luc. 17. 12. &c.

Malum ſic eſt ex naturâ ſuâ deforme, ut ſufficiat ut quis perſpicaces præ ſe ferat oculos ad hoc ut ab eo abhorreat. Sic eſt abominabile ut ipſum pudeat apparere in proprio apparatu, ita ut nunquam exhibeat ſeſe intuendum niſi ſub apparentiis boni, cujus induit ſimilitudinem, ſic noſtro eſt conſonum propoſito id quod dicitur, quòd cùm virtus cœlum aſcenderet, ſuum dimiſit pallium, quo vitium ſe induit, ut ſic converſaretur inter homines, qui alioquin illud è ſuâ ſocietate eliminaſſent, cùm ſolus illius aſpectus ipſis fuiſſet intolerabilis, cùm voluntas humana nunquam feratur niſi ad bonum reale, aut apparens, præ ſe ferens tamen ſemper inſigne boni, quod eſt ejuſdem objectum. Eſt igitur Dei ſimius defectus, ſeu malum, cùm in omnibus & ubique eum imitari contendat. *Bonum eſt diffuſivum ſui* e ex naturâ ſuâ. Videte quomodo malum illud ſequatur & imitetur, intuemini quâ ratione ſe communicet. Unicum peccatum totam ſpeciem inficit *f*, offenſa unius omnes perdit homines, lepra Adæ adhæret toti poſteritati ipſius, inobedientia ejus omnes ſuos poſteros iniquitatis inſignivit charactère, nec eſt è tota progenie ullus qui hanc non experiatur infectionem, ita ut dicere poſſimus ſinguli, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum* g. Leproſi ſumus univerſi, & hanc reliquit nobis lepram Pater noſter titulo ſucceſſionis & hæreditatis, qui cùm eſſet leproſus, nos omnes inquinavit, *Omne caput languidum, & omne cor mærens, à plantâ pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas* h. Quæ lepra eſt effectus peccati, maximum præ ſe horrorem ferens.

e D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4. f Rom. 5. 12. g Pſ. 50. 7. ex Job 14. 4. h Iſai. 1. 6.

Cùm Deus in veteri Fœdere hoc uſus fuiſſet ſemper ſupplicio, ut eos criminis conſcios plecteret, teſte Gieſi famulo Eliſei, qui leprâ percuſſus eſt ob ſimoniam ſuam, *Et egreſſus eſt leproſus quaſi nix* i. Sic *fuit Ozias Rex leproſus uſq; ad diem mortis ſuæ*, eò quòd temerariè præſumpſiſſet uſurpare Sacerdotium, cùm *ingreſſus templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis* k. Ita David juſto percitus zelo, imprecatione

i 4. Reg. 5. 27. &c. k 2. Paral. 26. 21. & 16.

Digitized by Google

tione igneâ deſiderat infligendam lepram Joab ob interfectum ab eo Abner l. Pari modo murmuratores adversùs Sacerdotes puniebantur, *Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix* m. Etiam idem Deus ſapientiâ ipſi ſpeciali deferebat aliàs cognitionem, judicium, & expiationem hujus mali ſolis Sacerdotibus n, ut eorum inimici & detractores compellerentur ſeſe humiliare coram illis ipſis, contra quos infeliciter inſurrexiſſent, & malitioſè acuiſſent *linguas ſuas ſicut ſerpentes* o.

l 2.Reg.3.29.&28. m Num.12.10.&c. n Lev.14.2. o Pſ.139.4

Septem dabantur aliàs lepræ genera, quæ videri poſſunt in Scripturâ p, quæque brevitatis ergo omitto; ſicut & luſtrationum, quas peragere debebant leproſi, & ceremoniarum q quas obſervare tenebantur, ut ſanitatem ſibi conciliarét, mentionem nullam facio. In unicâ ſiſto circumſtantiâ veſtris attentionibus dignâ, putà quia præcipiebat Deus, ut leproſus qui à capite uſque ad pedes totus eſſet leprâ opertus, cenſeretur mundus, & in hoc ſtatu liceret ei circuire civitatem, & converſari cum ſanis, nedum eorum communicatio foret illi probibita r: Et ut alii econtrà qui ſemileproſi erant, aut per intervallum, aut per partes ſparſas, ſpeciatim obſtringerentur ut immundi ad fugiendas orbes, ad recipiendum ſe in ſolitudinem, nedum licitè ſuorum perfrui poſſent ſocietate concivium, ſegregati ab omni cõmercio ſ. Difficultas hujus legis me inducit ad inquirendam ipſius æquitatem mediis duabus conſiderationibus, quæ toti huic diſcurſui materiam ſubminiſtrabunt, & inuſitatâ curioſitate veſtras demulcebunt attentiones.

p Lev. 13.2.&c. q Lev. 14.2.&c. r Lev.14.12. & 13. ſ Lev. 14.14.&15. Diviſio.

I. Pars. Lyranus t ſuper difficultatem propoſitam ait, id debere intelligi de leprâ æquivocè, quæ non erat lepra niſi apparens, ſed ſcabies realiter, quæ nõ erat prohibita à Lege, *Hic accipitur lepra æquivocè pro eo quod videtur eſſe lepra abigeſtantibus, & tamẽ non eſt, & ideò vocatur lepra mundiſſima. Quia talis ſcabies univerſalis in corpore trahit putredinem humorum ab interiori ad extrà, & ſic per eam raro mundatur.* Tamen Doctor iſte ſpiritualiùs loquens, innuit hoc præcepto deſignari duo genera leproſorum ſpiritualium ſeu peccatorum. Quorum alii operti ſunt leprâ à pedibus ad caput uſque; & iſti cogniti ut tales ab hominibus, & ſeipſos cognoſcentes, non ſunt periculoſi, nec ita difficilè ſuam conſequi poſſunt ſanitatem. Alii qui ſunt mixti inter morbum & ſanitatem, inter vitium & virtutem, quorum malum non eſt ſic evidens, nobis eſſe debent maximè ſuſpecti, & eorum communicatio æqualiter timenda eſt ut periculoſiſſima, quippe quæ meliùs diffundere ſuum poteſt venenum, cùm non metuatur. Ideò Lex u interdicit eis commercium, prohibetque illis ne interſint circulis, ut inſtruat debere nos declinare à conſortio malorum, niſi criminum eorum velimus eſſe participes. Noſtra enim natura *in malum prona* x, oblatâ occaſione fœdus libenter init & facilè cum vitio, cujus non intuetur deformitatem. Ideò non vult Deus ut iſti ſemileproſi ingrediantur civitates, cùm eorum acceſſus ſint noſtræ ſaluti noxii. Hæc eſt prima conſideratio eruta à Lege.

t Lyran. in Levit. 14. 33. u Lev. 14. 46. x Gen.8. 21.

Quòd leproſus ſit imago peccatoris, & lepra ſymbolum peccati, ecce convenientiæ hanc veritatem demonſtrantes ſenſibiliter. Lepra eſt corruptio omnium humorum corporis: Nonne peccatum eſt depravatio omnium qualitatum animæ? Halitum reddit lepra fœtidum: Peccatum nunquid non ſimiles nos efficit ſepulchris quæ nihil includunt niſi oſſa & cadavera? *Sepulchrum patens eſt guttur eorũ* y. Lepra privat voce ita ut leproſi niſi præ magno labore non loquantur: Peccatum annon reddit nos mutos quoad laudem Dei, gratiarum actiones, confeſſionem peccatorum, quæ eſt abſolutè neceſſaria ad operandam ſalutem noſtram z? Lepra eſt malum contagioſum quod inquinat eos qui converſantur cum illis qui eo laborant: Annon peccatum impii cõmunicatur illis, quibuscum ſocietatem pangit? Nunquid non virtus & ſanctitas in conſortio malorum peſſumit? *Cum Sancto ſanctus eris, & cũ perverſo perverteris* a. Lepra eſt morbus abominabilis: Nonne Deus & homines abominantur peccatũ & peccatores? *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt* b. Lepra totum deformat corpus, ejusque colorem immutat: Si in nobis vigeret perſpicax viſus ad intuendum quomodo peccatorum *denigrata eſt ſuper carbones facies* c; ſeu quanta ſit vaſtitas quam operatur peccatum in animâ quæ illud perpetrat, æquè ac deformitas, ſanè magis à peccato abhorrerem', nec illud ita facilè committeremus. Prohibetur leproſis ne ingrediantur civitates, neve miſceantur aut cõmunicent cum earum incolis. Hoc autem eſſet maximè deſiderandum ut vitioſus ab omnibus procul amandaretur ſocietatibus æquè ac urbibus, nedum poſſet cum aliquo cõmunicare, cùm ejus acceſſus ita ſint funeſti, & morbus illius ſic contagioſus ut facilè cõmunicetur, præſertim verò hominibus ad illum ſuſcipiendum diſpoſitis, & pravâ affectis voluntate in eo ſibi cõplacendi. Cùm igitur vitioſi ſint in eodem gradu periculi quo leproſi, nonne eâdem debemus uti curâ, eandem imò verò majorem adhibere diligentiam ut ab eorum pravo declinemus cõſortio? cùm iſti inficiant animas, leproſi autem ſola inquinare poſſint corpora. Sociare nos iniquo & impio, jam eſt amare ejus iniquitatem, exponere nos occaſioni peccati, & illud jam perpetraſſe deſiderio ac voluntate. Non ſolùm præcipit nobis Deus ut vitemus malum, *Declina à malo* d; ſed etiã ut fugiamus occaſiones, quæ viã ad illud patrandum nobis pandunt utplurimùm. Hæc eſt autem ſupplicatio, quam David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* e, eidem offert Domino, *Viã iniquitatis amove à me* f. Quaſi diceret, Reſeca à me Domine, obſecro, quidquid ad offenſam me poſſet inducere; præſcinde omnes illas vias quæ ad hunc infauſtum tendunt terminum; noli ſinere ut exponam me occaſionibus, in quibus infidelis ego tuis evadere poſſem mandatis; effice ut nunquam adducar in periculum infringendæ fidelitatis, quam erga Divina mandata tua cuſtodire debeo inviolatam; à me procul impios amanda, ne exemplo eorum allectus ad impietatem illorum inducar ſectandam.

y Pſ.5.11. z Pſ.31.5. a Pſ.17.26. & 27. b Oſee 9. 10. c Thren. 4.8. d Pſ. 36. 27. e 1. Reg 13.14. f Pſ.118. 29.

Nunquid poteſt homo ambulare ſuper prunas, ut nõ comburantur plantæ ejus g? Hoc eſt ferè impoſſibile: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ: & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam* h. Sic quaſi impoſſibile eſt ut quis converſetur cum vitioſis, & ab eorum conſortio mundus exeat, & quin pravis illorum qualitatibus communicet, & agnoſcat talem ſocietatem ſibi fuiſſe multùm damnoſam: Ita verum eſt, commercium initum cum malis eſſe veluti peſtem, & lepram inquinantem omnes illos qui ad iſtos accedunt; & has occaſiones, quæ nos iſtis alligant circulis, nobis ſemper eſſe infauſtas. Ideò debemus ab il-

g Prov.6. 27.&28. h Eccl.13. 1.

lis declinara, ni velimus eſſe noſtræ ſelicitati inſenſi, noſtræ ſalutis proditoras, & infortuoii noſtri opifices. Unuſquiſque ergo examinet ſeſe in ſpeciali, ſemetipſum ingrediatur per ſeriam ſuper ſe reflexionem, per exactam diſcuſſionem ſuper ſuum procedendi modum, ſuper univerſas actiones ſuas, & ſenſibiliter ac quaſi digito manifeſtam tanget iſtam veritatem. Adolaſcens iſte, qui ſemper olfacit cadavera inſtar canis venatici prædam aucupantis & inſequentis, maturè perpendat, utrùm reverſus è tali conſortio, poſt habitam talem converſationem, in quâ plures transegit horas inutiliter & perniciosè conando decipere verecundam hanc puellam, aut honeſtam iſtam mulierem, non adverterit puritatem ſuam in tali commercio pertuliſſe naufragiom, vel potiòs arſiſſe, imò verò in cineres fuiſſe redactam medias inter flammas amuris profani? Ha! oporteret ut quis eiſet alter Seraphicos Pater D. Franciſcus, & præterea ut ſe ſuper medios injiceret carbunes ſuccenſos, aut more Patriarchæ S. Benedicti ſeſe ſupra ſpinas acutas circumageret ac volutaret, ut innocens exiret ab his occaſionibus puritatem noſtram tentantibus: Et taman eas inveſtigamus, induſtrii efficimur ut meliùs noſtram machinemur ruinam, & ordiamur noſtræ infelicitatis relam, quia *qui amat periculum, in illo peribit* i.

i Eccli. 3. 27.

Hæc magna & exacta providentia, quam De° oſtendit arga leproſos, ne communicarent cum hominibus ſanis, edocet nos ſanctitatem hujus praxis, quam vobis annuncio. Præcipiebat enim
k Lev. 13. 44. &c. Deus k ne admitterentur leproſi ad conſortia urbium aut pagorum; imò verò ſi aliquando neceſſitare compellerentur ingredi aliquem locum, in quo invenirentur homines, ad emendum, comedendum, curandum, aut ad neceſſaria conſervationi vitæ providenda, expreſſe jubebatur eis, quò meliùs agnoſcerentur, ut capite nudato incederent, & extremo pallio os ſuum obtegerent, ne aliquem obvium fœtore flatûs ſui inficerent, & ingreſſi in aliquem vicum, contentâ voce inclamare tenebantur, ita ut unusquiſque à leproſo declinaret non ſecus ac ab homine peſte laboranre. Hic procedendi modus erat lectio quæ noſtram nos edocebat obligationem: *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis: Scripta ſunt autem ad correptionem noſtrã, in quos fines ſeculorum devenerunt* l. Oporteret
l 1. Cor. 10. 11. ergo juxta æquitatem hujus Legis (utinam autem vigeret illa adhuc!) ut omnes vitioſi, qui ſunt leproſi hujus temporis, præ ſe ferrent ſigna exteriora, quorum interventu agnoſcerentur, ut, cùm ab illis declinatum eſſet, malum eorum contagioſom non ita communicaretur, nec ſic funeſtas ſecum inveheret conſequentias. Expediret v.g. ut ſuffurator boni publici, qui more ſanguiſugæ diteſcere inquirit deſolando & opprimendo viduas & orphanos, cujus *in alis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentiũ* m;
m Jer. 2. 34. præ ſe ferret, quo agnoſceretur, ungues harpyiarum, ut unusquiſque ab eo caveret, ab eo abhorreret, eumque inſequeretur & expelleret ut latronem, qui in alienam meſſem ferre vult manum ſuam violentam; opus eſſet ut digito demonſtraretur, Videtisne eum? Ha! fur aſt iſte domeſticus, attendite vobis ab eo, eripite gubernationem è manibus ejus, cùm ſic tenaces ſint ut ſemper teneant id quod ſemel apprehenderunt.

Oporteret etiam ut meretrices, hæ infames proſtitutæ, iſtæ lupæ quæ mediam alontur inter ſamam praxibus ſuis damnabilibus, profligantaa animas, quas Chriſtus *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* n; ſcripturam deferrent magnis characteribus fronti ſuæ impreſſam præ hoc titulo in Apocalypſi o exarato, *In fronte ejus ſcriptum nomen, Myſterium*: mater fornicationum & abominationum terræ, & ut ipſæ eam ſcripturam ſibi applicarent. Ha! quid dicerent infames iſtæ? quomodo ſuos juſtificarent incaſſos, & intentiones ſuas? Præterea, Oporteret ut ingredientes eas in civitatem aliquam præco, ſeu meliùs juxta crimen illarum, carnifex præcederet tubâ clamans, & illas digito demonſtrans, Hæ ſunt peſtes Rerumpublicarum: Videtisne eas? Hæ ſunt depopulatio civitatum, corruptio adoleſcentum, origo omnium malorum, & ideò neceſſariò ſunt ejiciendæ & eliminandæ ex urbibus à vobis, niſi velitis inquinari malo, quod exacerbans cœlum, inducit illud ad vibranda ſua fulmina ſuper capita impudicorum. Iſtud præcepit Deus leproſis, & idem exactè deberemus nos obſervare quantum ad vitioſos, cùm eorum frequentatio ſit periculoſior. Hic attendere deberent politiæ Præpoſiti, hæc ad eos ſpectant, & iis tenentur invigilare. Sed iſtis, Auditores & Animæ fideles, aures præbere debetis, quæ vobis conſulit Propheta p.

n Apoc. 1. 5. o Apoc. 17. 5. p Jer. 50. 8

Recedite de medio Babylonis, & de terrâ Chaldæorum egredimini. Exite ex occaſionibus, fugite à terrâ infideli, ubi virtus deprimitur, & vitium tripudiat; diſcedite Sodomâ q, niſi velitis comburi igne infami flammarum ejus, & miſerabiliter perire medias inter occaſiones; *Et eſtote quaſi hædi ante gregem* r. Imitamini hœdos & agnos, qui, quandiu grex pergit ad ovile, antecedunt ovas, nec audent manere retrò, veriti naturali metu ne apprehendantur à lupis voracibus, & eorum præda fiant. Stabilite ſalutem veſtram, declinate ab occaſionibus, quæ vos ad peccatum inducentes, eidem veſtræ ſaluti officiunt: Adhærete diſcipulis poſt mortem Domini ſui euntibus *in caſtellum, nomine Emmaus* ſ, diſcedentibus Jeroſolymis juxta conſilium Prophetæ, ne infidelitate civitatis illius fuiſſent fœdati, *Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere* t, cùm ſola fuga poſſit vos ſalvare. Ha! Davide u non eſtis ſanctiores; & hunc unicus intuitus x, qui fuit ipſi funeſtus, proſtravit, & inimicum Dei effecit. Non eſtis Salomone y ſapientiores; & iſtum occaſio z, quam ipſe non evitavit, depravavit. Nec fortiores Samſone, quem converſatio Dalilæ infirmavit a. Neque firmiores D. Petro parato ad moriendum pro Chriſto, quem tamen negat in occaſione b. Quânam igitur percellimini cæcitate, ut irruatis in medias occaſiones, ad quas Deus & ſalutis veſtræ zelus fugiendas vos inducunt? Nonne prorſus eſt velle cõburi ac ad ignẽ æquo propiòs accedere? nũquid nõ eſt velle naufragium pati ac ſe mediis exponere ultrò tempeſtatibus, & in ſcopulos illidi? Nimis trahunt nos pravi affectus noſtri ad malum, nedum ſuper flammas eorum infundamus oleum. Deus, qui leproſis communicationem prohibet, eosque ad receptum obſtringit, nos etiam ad fugiendos eos obligat, niſi leprâ eorum velimus inqui-

q Gen. 19. 14. &c. r Jer. 50. 8 ſ Luc. 24. 13. t Iſa. 52. 11. u 1. Reg. 13. 14. x 2. Reg. 11. 2. &c. y Eccl. 1. 16. z 3. Reg. 11. 1. &c. a Judic. 16 3. &c. b Matt. 26. 35. &c.

inquinati, propterea legem illius fugæ ſeu receptus fert expreſſam. Eorum igitur eſt evitanda occaſio, & fugiendus occurſus; & hæc eſt poſterior conſideratio ſupra difficultatem propoſitá.

II. Pars. Secundam inniti facio conſiderationem eidem difficultati, quam ſuprà attuli circa hanc legem, quæ declaret, ut ille qui duntaxat ſemileproſus erat, apparenter cenſeretur immundus, & ut ſic ab omni cõmunicatione ſecerneretur. Dico igitur hoc ita fuiſſe decretum, quia cùm illi leproſi ſint periculoſiores, ita ſanatu ſint difficiliores, quia cùm ſuum non cognoſcent malum, nec conſequenter de remedio ei applicando multùm cogitent; ideò ipſorum morbus evadit inſanabilis, quandiu illi qui parent leproſi, ſeque tales cognoſcunt, non longè diſtant à recuperandâ ſanitate, cùm eam deſiderent, & ad illam ſe diſponent ſuſcipiendam. Magdalena v. g. tota eſt repleta leprâ, ut leproſa cognoſcitur

Luc. 7. 37. &c. Jeroſolymis, *mulier in civitate peccatrix* c. Ipſa ſeſe intuetur ad hunc redactam ſtatum. Videte quomodo quærat illa remedium curandæ lepræ ſuæ conſonum, quandiu Simon Phariſæus, qui Chriſtum invitavit ad prandendum ſecum, qui

d Matt. 26. 6. non ſe credit leproſum, licèt reverà ſit talis d, de ſuâ non cogitat ſanandâ leprâ. Nihil magis eſt deflendum quàm eſſe peccatorem, & non ſe exiſtimare talem; hoc eſt valdè progreſſum eſſe ad perditionem; illud eſt jam promoviſſe pedem ad extremas inferni oras; hoc eſt contemnere remedia ſalutis ſuæ, cùm quis autumet ſe eorum non indigere adminiculo; hoc eſt planè à ſuâ excidiſſe mente ac imaginari ſe ritè incolumem, quandiu quis lethali laboret morbo. Sed quod ſanguineis deplorendũ eſt lacrymis, hoc eſt, quòd voluntaria malorũ noſtrorũ ignorantia inducat nos ad perpetranda nova & majora diſſolutione non minori quam rapidus ſit impetus torrentis,

e Pſ. 41. 8. ita verum eſt quòd *abyſſus abyſſum invocat* e.

Eo cæcitatis redactus non eſt leproſus noſter Evangelicus. Suũm agnoſcit ipſe malum, & intuitu miſeriæ ſuæ, humiliat ſe coram Filio Dei, *Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.* Agnoſcit eum ut Dominum amantem, cui omnes creaturæ ſunt obſtrictæ ob plura beneficia, quibus ipſe eas jugiter ſibi devincit; & æquè bonum ac potentem, & ut ſic procidit ante pedes ejus, eumque adorat cõfeſtim ac illum à longè intuetur. Quod eſt ceremonia, quam hæretici noſtri temporis digerere nõ poſſunt, quaſi verò neſciamus, quòd *Iacob progrediens adoravit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater ejus Eſau* f. Quòd fratres Jo-

f Gen. 33. 3. &c. ſeph *incurvati, adoraverunt eum* g, quem conſti-

g Gen. 43. 28. tuerat *Pharao ſuper univerſam terram Ægypti, Salvatorem mundi* h eum vocando, & diſtribuendo-

h Gen. 41. 41. &c. rum frumentorum ei curam præbendo. Quòd

i 1. Reg. 20. 41. *David cadens pronus in terram, adoravit tertiò* i Jonathan. Quòd *filii Prophetarum adoraverunt proni*

k 4. Reg. 2. 15. *in terram* k Eliſeum ſpiritu Eliæ ſanctificatum. Quòd D. Petri, Centurio *Cornelius procidens ad pe-*

l Act. 10. 25. *des, adoravit* eũ l. Quòd Lycaonicæ vocantes *turba Barnabam, Iovem; Paulum verò, Mercurium, ſa-*

m Act. 14. 10. &c. *crificare* m volebant eis. Quòd Aman amicus Regis Aſſueri adorari voluit à Mardochæo n.

n Eſth. 3. 2. &c. Quòd Abraham *cùm elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum; quos cùm vidiſſet, cu-*

o Gen. 18. 2. *currit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram* o. Quòd Lot duos Angelos

p Gen. 19. 1. *cùm vidiſſet, ſurrexit, & ivit obviàm eis, adoravitque*

q Judic. 13. 20. *pronus in terram* p. Quòd parentes Samſonis, *proni ceciderunt in terram*, adorantes Angelum q.

Quòd cecidit D. *Ioannes ante pedes Angeli* r ad adorandum eum. Et quòd ipſemet diabolus

r Apoc. 22. 8. hanc fatetur ceremoniam, cùm ſe petierit adorandum à Filio Dei, *Si cadens, adoraveris me* ſ. Hi

ſ Matt. 4. 9. omnes ſuas peregerunt adorationes proſtrati & proni in humum. Et tamen Reformatores hi exiſtimati & crediti volunt abrogare hanc ceremoniam, quæ exercita fuit & permiſſa omni tempore erga Angelos, & in gratiam Juſtorum, aut eximiorum Virorum. Illi omnes qui Dei Filium adierunt ut ab eo aliquem favorem conſequerentur, eum ſemper adoraverunt præ omni reverentia, *Mulier Chananæa adoravit eum* t. *Acceſ-*

t Matt. 15. 22. & 25. *ſit ad eum mater filiorum Zebedæi, adorans* u. Mag-

u Matt. 20. 20. dalena *oſculabatur pedes ejus* x. Et id quod illæ

x Luc. 7. 38. exhibuerunt Filio Dei, cùm erat adhuc in ſtatu mortali & paſſibili, nũquid nõ volemus nos reddere eidem Dei Filio nunc cùm *ſedet à dextris Dei*

y Marc. 16. 19. y, diademate gloriæ coronatus? *Moyſes curvatus eſt pronus in terram, adorans* z, & deprecans

z Exod. 34. 8. Deum. *Deprecatus eſt David Dominum pro parvulo,*

a 2. Reg. 12. 16. *& jacuit ſuper terram* a. *Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare* b. Nos autem

b Luc. 18. 13. recuſabimusne Sanctis, Angelis, Virgini Deiparæ, & Deo ipſi adorationem, genuflexionem, & actus humilitatis, cùm volumus ab eo favorem aliquem expoſcere? Sed nonne ſcitis quòd Deus noſter habitat in nubibus? *Pone nubem aſcenſum*

c Pſ. 103. 3. *tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum* c. Scitote autem quòd nubes iſtæ, in quibus Deus habitat, non poſſunt penetrari niſi mediâ oratione, ſed oportet ut iſtam orationem ſocia individua comitetur humilitas, quia *oratio humiliantis ſe,*

d Eccl. 35. 21. *nubes penetrabit* d. Et, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Sed præterea, huic humilitati ſociatur magna fides.

Ecce validum argumentum, inquiunt hæretici noſtri, cùm producetur nobis homo, qui concioni à Filio Dei habitæ in monte non interfuerat, quod tamen non impedit quin faciat actum fidelis, & convertatur ad eum; quod ſignum eſt, aiunt, Spiritum Sanctum deduxiſſe in animam ejus œconomiam ſalutis ipſius; nullus enim erat Sacerdos, aut Pontifex, vel Alius authoritatem præ ſe ferens, quem homo iſte adire deberet ut ſciret ab eo quid ſibi eſſet agendum ad operandam ſalutem animæ ſuæ: Dei Filius nihil ei dixeret: Spiritus Sanctus igitur tetigit cor ejus; & ſic omnium noſtrũm corda tangit, nedum indigeamus ſcire interventu hominum, Papæ, aut Epiſcoporum, vel Sacerdotum, noſtræ ſalutis capeſſendam viam. Eximiam conſequentiam, Auditores, ſed ſanè altero claudam pede! Verum quidem eſt, Spiritum Sanctum tetigiſſe cor hominis hujus ad exercendum actum fidelis; abſque eo enim non poſſumus actui fidei aut virtutis vacare, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* e.

e Joan. 15. 5. Sed hanc inſpirationem prævenerunt nuntia de Chriſto huic homini data non ab ore Pontificum, & Sacerdotum, cùm nondum ex iis ulli fuiſſent inſtituti, quandiu *Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* f vivebat

f Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18. & ex Pſ. 109. 4. adhuc in mundo; ſed à populo, qui hâc in occaſione erat oraculum infallibile, peragens veluti corpus Eccleſiæ ſub Chriſto, quem Pater æternus *dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt cor-*

g Epheſ. 1. 22. & 23. *pus ipſius* g. Unde credendum eſt, quòd, ſicut hic leproſus cùm vidiſſet omnem populum egredi ut curreret poſt ipſum, ductus curioſitate ſciendi quiſnam vir ille foret, & quidnam vellet eis dicere, ut intuitus eſt eos omnes redeuntes habe-

te eundem ſermonem,& repetere communi approbationa ſublimes ſantentias & doctrinas profundas ejus, inda cognovit quòd conſenſus ſia unanimis non poterat eſſe factus niſi ab eximio viro, qui ſcientiam præ ſe ferret Divinam, nec indigabat ut iter conſultum oracula, aut interrogatum Pontifices, ut ab eis diſceret alia myſteria, cùm jam communibus vulgi tererentur linguis. Nam hodiernâ die non oportet ut illi qui credunt in Eccleſiam Romanam, neceſſariò viderint Papam; quin imò ax ils quamplures nunquam viderunt aut loquentes audierunt ſuos Epiſcopos, & fortaſſis Parochos, qui tamen non deſinunt eſſe Chriſtiani, & probatæ vitæ hominas; ſufficit enim ut doctrina, quam credunt, ſemel propoſita fuerit ab Eccleſiæ Paſtora, qui eſt Vicarius Chriſti in terrâ *b*, à quo

b Matt. 16. 19.

authoritatem ſuſcepit inſallibilem, licèt hæc doctrina pergens ab aliis ad alios, non perveniat ad ipſos immediatè; ſalutam anim ſuam operantur per proportionam ad condicionem & capacitatam ſuam; & ſufficit ipſis ut vidaent concurſum tot diverſorum populorum, & tot generum & aonditionum hominum, qui tenant inviolatè & amplectuntur unanimiter eandem fidem, & eandem Religionem per aasdem ceramonias, ut inducantur ad cradendum, quòd iſtud non poteſt eſſe quin Deus, qui eſt prima *Veritas* *i* det ais hunc motum & hana inclinatioonem, & quin hanc tavelaverit Fidam alicui Capiti, è quo populus iſta illam ſuſcaperit; quod addicit ipſos illicò ad credendum actu id, quod vident alios credere inſpiratos ſimul à Spiritu Sancto. Videns igitur iſta leproſus quòd Jeſus *cùm deſcendiſſet de monte, ſecuta ſunt eum turba multa* confitentes magnitudinem & potentiam ejus, hâc univerſali populi confeſſione excitatus produxit actum fidei, credens firmiter, quòd ille impertiri ſibi poſſet ſanitatem, quod ipſum induxit ad dicendum ei, *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Exorditur à fide, quæ incipit ab auribus, nam *fides ex audits, auditus autem per verbum Chriſti* *k*. Sed hæretici ſic gloriantur de Spiritu S. quem dicunt ſe penes ſe habere, ut audire nolint Caput Eccleſiæ viſibile, quod eſt Papa *l*, nec præcipua ejus mambra, quæ ſunt Epiſcopi & Prælati, ſed ne val ipſum univerſale corpus Eccleſiæ ſic vaſtum & celebre, quale ſunt iſtæ, quæ Dei Filium *ſecuta ſunt, turba multa*. Dicitur *multa* in plurali, ad repræſentandas diverſas Monarchias, & varias Provincias, quæ omnes unanimiter *ſecuta ſunt eum* ad ſarviendum ei, & ad agnoſcendum illum Regem *Regum & dominantium* m Dominum, & primum Eccleſiæ *Caput* *n*, inviſibile, *in conveniendo populos in unum, & Reges ut ſerviant Domino* *o*. Veriſimile anim eſt, quòd, cùm eſſet io monte, plures ex urbibus & pagis vicinis accurrerunt ad eum, & redeuntem comitati ſunt eum ſub eâdem fide *p*, & ſub eodam Paſtore *q*. Sed miracula non ſufficiunt his aberrantibus ut ad viam rectam redeant (illa anim omnia diſſitantur) licèt aliqua ſemper fiant ad confirmandam fidem noſtram, & credunt ſe ſatis edoctos à Spiritu ſancto, quem nunquam viderunt, nec alium io locum illius ſubrogatum, nec qui poſſit ipſos certos reddere, ipſos non eſſe deluſos, ſicut ſunt in ſtatu obſtinationis & impœnitentiæ.

i 1. Joann. 14. 6.
k Rom. 10. 17.
l Matt. 16. 18. & 19.
m 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.
n Epheſ. 1. 22.
o Ps. 101. 23.
p Epheſ. 4. 5. & 6.
q Joan. 10. 16.

Loquens Jeremiae *r* de impœnitentiâ & ſordibus Jeroſolymitarum, nullam aliam affert earum rationem niſi voluntariam criminum propriorum ignorantiam, *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci?* Nemo aſt qui reflectens ſe ſupra vitam ſuam præteritam, & ſeſe interrogans, dicat, Quomodo geſſi me? quonam pacto inſumpſi totum tempus vitæ meæ, quod tribuit mihi Deus ad operandam ſalutem meam? inſumpſine illud ad ſanitatem, & ad virtutum praxim? *Quid feci* decem, vigioti, &c. annis? Qui iſtas perageret reflexiones, quomodo ſibi non proponeret vacare pœnitentiæ, ſciens vitam ſuam non eſſe à crimine immunem? Heu! diceret ille pudore confuſus ex intuitu deordioatæ conſciantiæ ſuæ, heu! *peccavi Domino* *ſ*. Incurri igitur inimicitiam ejus; perdidi ergo omne jus quod habebam ad *hæreditatem ejus* *t*; nihil habeo deinceps timendum niſi rigorem juſtitiæ ejus, poſt contemptam ſuavitatam miſericordiæ ejus. Heu! *quid feci?* Quomodo meis perfunctus ſum muniis, Sacerdotis, Religioſi, Magiſtratûs, Superioris? Propter nihil, ob vanitatam, pro voluptate momentaneâ, ad conſequendum commodum temporale, cœlum amiſi ut emerem infernum, gloriæ cœleſti abrenunciavi ut pœnas eligerem æternas. Heu! cæcitas mea fuit intolerabilis, cùm meorum ignorantia errorum mihi viam ad nova patpetranda aperuarit ſcelara. In omnes irrui occaſionas præ affectibus immoderatis, qui erant excaſſus in matariâ criminis. Meam in memetipſum converti rabiem, cùm tantâ exceperim animam meam ſævitiâ, quantâ non torquant carnifices reos inhumanitate; omnem decôrem ajus caligine ſuffudi, totam ejus pulchritudinem ſordibus meis inquinavi, nobilitati ejus detraxi, nihil habet illa ampliùs ſpecioſi propter mea crimina; non paret ampliùs ea niſi ut captiva præ oculis Dei, vinculis onuſta, *Domina Gentium, facta eſt ſub tributa* *u*. Hæc nobilis creatura, quæ nata erat ad coronas, evaſit captiva Satanæ, tota deformis aſt amiſſis omnibus ſuis ornamentis, quæ ravarentias omnium ipſi aonciliabant. Nihil habet ampliùs ipſa dignum ſuâ magnitudine; in ſtatum redacta eſt miſeriæ, quæ ipſam obſtringit ad deplorandam infelicitatam ſuam. Non habet ampliùs ipſa hæc lanoainia, quæ efficiebant ut ipſam amarent Angeli, & in ipsâ intuendâ ſibi complaceret Deus, *Egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor ejus* *x*. Non cognoſcitur ipſa ampliùs, *Denigrata eſt ſuper carbones* *y*. Eam intuentur deinceps Angeli ut inimicam Dei, charactère iniquitatis inſignitam, poſt deletam *imaginem* *z* à Deo ſuſceptam. Ecce, peccarot, id quod agis, cùm Deum offendis; & tamen de eo non cogiras; alioquin enim lacrymas funderes ſanguineas, niſi prorſus inſenſibilis ſis quoad ea quæ ſaluté tuâ ſpectant. Hæc igitur cæcitas & ignorantia aſt cauſa criminû, nedum iis curandis invigiles per pœnitentiam, quæ eſt opportuniſſimû omnium remediorum. Et hoc eſt quod inducit Deum ut communicationem prohibeat ab hujuſmodi leproſorû genere ineundam cum aliis hominibus. Hæc eſt æquitas legis ipſius, quâ vult ut noſtrum agnoſcamus malû, eique remedium applicemus conſonû; nõ autem ut adhæreamus reprobis, qui vivunt criminoſi nõ ſecus ac ſi eſſent innocentes. Heu! Auditores, ſi ſciremus quanâ res ſit peccatû, ſi videremus illud propriis coloribus & horroribus deformatû, proculdubio illud tantâ nõ perpetraremus facilitate: ſi in nobis eſſat viſus ſatis perſpicax, profectò potiùs eligerem⁹ infernû cû univerſis horroribus ejus, pœnis & ſuppliciis,

r Jer. 8. 6.
ſ 2. Reg. 12. 13.
t Matt. 21. 38. &c.
u Thren. 1. 1.
x Thren. 1. 6.
y Thren. 4. 8.
z Gen. 1. 27.

tiis quàm peccatum lethiferô cum omnibus ſuavitatibus & delıciis illius;diceremus cum S. Ludovico Galliarum noſtrarum Rege, quòd mallemus centies eſſe leproſi, quàm peccatores ſemel;ſeu cum Ludovico Juſto, ono è ſucceſſoribus ejus,quòd,ſi haberemus Regnum, ſicut hoc habebat ille, mallemus illud emittere, quàm peccatum mortale perpetrare. Hoc eret ſanè enormitatem illius cognoſcere. Eodem,quo illi eximii Reges ducebantur, affectu alliciemur, Auditores; non ampliùs perſeveremus in delictis noſtris,quin imò pœniteat nos eorum,reſurgamus à caſibus noſtris, abhorreamus ab eis, cùm illorum cognoſcamus errorem & enormitatem; idcircò adhæreamus modo procedendi hujus leproſi,& agamus ad conſequendem ſanitatem ſpiritualem animarum noſtrarum id,quod ille fecit ad impetrandam incolumitatem corporis,ſeu,ut meliùs dicam,ſalutem animæ æquè ac corporis, cùm Chriſtus ſemicurationes non ageret,ſed animabus ſimul mederetur æquè ac corporibus, quia *Dei perfecta ſunt opera* a. Ubi obſervate,ſi placet,quòd

a Deut. 32.4.

Leproſus iſte adimplet id omne,quod eſt neceſſarium ad veram pœnitentiam peragendam. Videte quam adhibet diligentiam, ut lepræ ſuæ remedium applicandum ſatagat, *Ecce leproſus veniens*. Procedit obviàm Medico ſanitatem eb eo efflagitat. *Domine,ſi vis,potes me mundare.* Dum dicitur *veniens*, innuitur ſurgere, quod eſt nota derelictionis peccati, à quo ipſe abhorreret æquè ac à leprâ ſuâ. propter quod pudore ſuffunderetur,conſiderans ſuam vilitatem, quæ non ſineret ipſum propter propriam impuritatem propè accedere ad Chriſtum, qui *candor eſt lucis æterna, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* b. Ideò ſicut *Publicanus à longè ſtans* c præ ſuorum cognitione demeritorum, *ecce leproſus veniens* in hoc humiliationis ſtatu, *adorabat,dicens.* Vocem promit ex intimo corde, quod eſt nota contritionis interioris,quæ debet præcedere Confeſſionem ipſius,quæ eſt abſolutè neceſſaria ad veram pœnitentiam, *Domine,ſi vis,potes me mundare.* Sua confitetur delicta,divinæ confidit miſericordiæ,cùm ejus imploret auxilium. Tandem,pollicetur,ſe ei velle ſervire ut verum diſcipulum,& ut ſic divina illius cuſtodire mandata. Nihil ampliùs requiritur niſi Sacerdos, qui ei ſanitatem largiatur perfectam, ideò Chriſtus eum ad Sacerdotem mittit, *Vade,oſtende te Sacerdoti*; poſtquàm idem *extendens Ieſus manum,tetigit eum, dicens,volo, Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.*

b Sap. 7. 26.
c Luc. 18.13.

Cùm igitur, Auditores,peccatum ſit lepra, & omnis peccator ſit leproſus; ſi velimus impetrare ſanitatem à ſummo Medico Jeſu, imitemur diligentiam noſtri leproſi. *Ecce leproſus veniens.* Promoveamus greſſum more illius; ſi autem illum adire non poſſumus ob impuritatem noſtram, proferamus vocem ex intimo corde noſtro, quod erit ſignum deſiderii, quo ducimur recuperandæ ſanitatis noſtræ,dicamus ei ſinguli, *Domine, ſi vis, potes me mundare*; obſecrantes eum ut miſereatur noſtri, ut applicet nobis remedium pretioſi Sanguinis ſui, proteſtantes, quòd à leprâ noſtrâ ſanati, deinceps ab occaſionibus in eam relabendi declinabimus, ut viventes in vitæ puritate,frui tandem poſſimus beato conſortio illius in gloriâ.

FERIA V. POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Et ecce leproſus veniens, adorabat eum dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Matthæi 8.2. &c.

Quemadmodum pro compertiſſimo eſt, quòd peccatum fuit omnium malorum principium *a*; ſic eſt infallibile,quòd cognitio illius, omnium bonorum cauſa foret, ſi homo veluti inſenſibilis inter medias remanens infelicitates ſuas, in ſuo non blandiretur ſibi infortunio, voluntariâ percuſſus cæcitate, quæ proprias cauſat ipſi miſerias, dum iis curandis remedium non applicat conſonum. Notitia morborum plurimùm confert ad conciliandam ipſis ſanitatem;eorundem ignorantia pariter immodicè ipſorum medelæ obeſt ac curationi. Ita ſentit leproſus noſter Evangelicus; dum ſe in ſtatum intuetur ſic miſerandum redactum ut ſit opprobrium reliquorum hominum, recurrit ad Medicum,qui morbo ipſius ſalutarem & convenientem ſanando applicet apparatum, *Domine,ſi vis potes me mundare.* Hic procedendi modus, eſt lectio nobis proficua propoſita,quæ edocet nos, ut,cùm eidem ſimus expoſiti periculo, eodem utamur remedio, ut ab infirmitate reſurgamus. Ut autem remedium iſtud ſalubriter poſſimus inſumere, eique ſucceſſum largiri fortunatum, efflagitemus lumen cœleſte, interventu Matrie gratiæ,dicentes ei cum Angelo, *Ave Maria.*

a Rom. 5.12.

Sicut nihil eſt in munde amabilius virtute, ſic nihil eſt in naturâ odioſius vitio. *Similiter odio ſunt Deo,impius & impietas ejus* b. Sufficit autem ſimplex notitia deformitatis ejus, ut de eo concipiat unuſquiſque horrorem æternum, ego autem opinor veram hominis ſapientiam in hâc cognitione eſſe ſitam; quod ajo contra ſententiam multorum, cùm Peripatetici aſſerant veram ſapientiam in propriarum conſiſtere cognitione cauſarum; Platonici in divinarum intelligentiâ ſubſtantiarum; Anaxagoras in ſcientiâ cœlorum & motuum eorum, glorians ſe à Deo & a naturâ in mondo ideò poſitum, ut meliùs cœlorum contemplaretur excellentiam. Alii majori fulti probabilitate, opinati ſunt veram ſapientiam conſiſtere in cognitione ſuiipſius, inter quos fuit Socrates, juxta oraculum Delphicum, *Noſce teipſum.* Theologi ut perſpicaciores, ſic meliùs ſunt ratiocinati, conſtituentes eam in notitiâ primi Eſſe c, *Hæc eſt vita æterna,ut cognoſcant te,ſolum Deum verum* d. Ego autem opinor, nedum tamen illuſtrium virorum iſtorum ſententiæ detraham,veram ſapientiam ſitam eſſe in notitiâ vitii. Qui ſcit & noſcit peccatum, verè ſapiens præ omnibus mundanis ſapientibus poteſt nuncupari. Tunc enim proprias cognoſcit cauſas cum Peripateticis; res divines intelligit cum Platonicis;cœlum contemplatur cum Anaxagora, ſemetipſum cognoſcit cum Socrete, & Deum cum Theologis.

b Sap. 14.9.
c Exod. 3. 14.
d Joan. 17.3.

Ha! quam profunda eſt hæc peccati notitia! cùm ab eâ noſtra procedat ſalus. Qui noſcit peccatum, ſtatim in notitiam pervenit propriæ cauſa

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſæ quæ docte in infernum, *Qui egerunt mala, in ignem æternum* ibunt, ait S. Athanaſius e. Cognoſcit ſubſtantias divinas, ſciens quòd cùm in Deum inſurrexiſſet *Lucifer, ad infernum in profundum lacûs* f detractos eſt. Cœlorum notitiam ſibi comparat, apprimè tenens, quòd illi qui ſe vitio tradunt in prædam, ejuſque ditionem ſubeunt, ad domicilium Beatorum nunquam pervenient. Cognitionem ſibi aſciſcit ſuî ipſius, & officii ſui exequendi circa hoc mandatum, *Declina à malo, & fac bonum* g intuitus ſeſe ad tantas redactum miſerias per peccatû. Tandem, Cognoſcit Deum & ejus attributa, videns eum juſtum quoad ſupplicium de criminibus referendum. Sanctiſſimam cognoſcit Trinitatem, edoctus quòd *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* h, liberatus à peccato. Quòd Filius ejus *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* i. Et quòd Spiritus ſanctus deſcendit è cœlo *tanquam ignis ſupra* k Eccleſiam ſ, ut eam ſui amoris igne à peccatis purgaret. Hinc videtis quomodo tota Chriſtiani ſapientia ſita ſit in notitiâ peccati. Sed quia non poſſumus meliùs cognoſcere cauſas quàm ex earum effectibus, ita volo vobis oſtendere Primò: Quid ſit peccatum per effectus quos cauſat, & per convenientiam ejus cum leprâ (ne aliquid emendicem extra propoſitum noſtrum) ut meliùs cognoſcatur horror illius; Secundò. Ut inquiratur remedium ejuſdem peccati, aut lepræ, curationi congruum.

e S. Athan. in Symbol. f Iſai. 14. 11. &c. g Pſ. 36. 27. h Joan. 3. 16. i Apoc. 1. 5. k Act. 2. 3. Diviſio.

I. Pars. Certum eſt malitiam peccati ſic eſſe enormem, ut nulla poſſint eam exprimere verba, nec ullus illam poſſit intellectus concipere. Pergit illa in infinitum, & nulli poteſt illa comparari rei quin inter utramque ſit diſproportio. Eam lepræ comparo per convenientias, quas audietis. Sed non eſt hoc ſatis ad oſtendendum totum illius horrorem, cùm abominabilius ſit quàm poſſim enarrare, nec mea mens tantam poſſit in ſe efformare cogitatione impuritatem, quantam peccatum in ſuâ complectitur naturâ. Pauca de eo dicam: multa de illo concipite. Ex omnibus morbis, qui humanæ ſunt ſtipendium naturæ à lapſu Protoplaſti noſtri, nullum novi deformiorem, quique majorem cauſet horrorem quàm lepra, quæ corrumpit humores corporis, deformat confeſtim hanc ſpeciem exteriorem, quæ reſultat ex ſymmetriâ boni temperamenti, quæque præ ſe ſatis deferebat lenociniorum ad inducendas mentes noſtras ad ſtuporem intuitu perfectionum ipſius. Nihil in naturâ execrabilius peccato, nihil impurius, nihil ſordidius, cùm animam ſuis ſic inquinet affectibus, ut ex objecto ſpecioſiſſimo & gratiſſimo, quod erat ſpeculum divinæ pulchritudinis, deferens *imaginem* l ejus, convertat eam in imaginem dæmonum, quippe quæ per peccatum *denigrata eſt ſuper carbones* m.

l Gen. 1. 27. m Thren. 4. 8.

Quid ſpecioſius animâ Juſti ditatâ gratiâ & lenociniis charitatis? Eam admirantur Angeli, quin imò Deus in illius decore ſibi complacet, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es* †. Repetitione utitur, ad oſtendendum, quòd nihil amplius pulchritudinis deſiderandum ſit in illâ, quòd omni perfectionum genere ſit conſummata, & quòd nihil ei deſit ad ipſam commendandam. Sed hæc maledicta lepra ſupervenienſ more torrentis rapidi, totam iſtam abripit pulchritudinem, & eam confeſtim in tantas immutat deformitates, ut eas ſuſtinere non poſſit Deus. De his deformitatibus queritur Deus per Prophetam n, *Abominabilem feciſti decorem tuum*. Non eſt ea ampliùs hæc imago divinitatis, inſignita charactere gratiarum ejus, nigredine tota eſt ſuffuſa tota eſt inquinata, ita ut eam Deus videre non poſſit oculis propitiis; abominabilis eſt, & ita vitiata ut ſordibus ſuis inficiat id omne, ſuper quod ipſa cadit; & actiones illius Deo jucundæ eſſe non poſſunt neque ullo modo gratæ, *Hoſtiæ impiorum abominabiles* o.

† Cant. 1. 15. n Ezech. 16. 25. o Prov. 21. 27.

Præterea, Lepra hanc maledictam præ ſe fert qualitatem, quòd inter omnes morbos ea eſt maximè contagioſa, inquinans alios homines ſuâ communicatione. Ideò leproſi ſeparandi erant ab urbibus, & ab omnibus congregationibus juxta Legem p, *Præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant omnem leproſum de caſtris*. Quæ major vaſtitas, quæ ingentior infectio, quæque communicetur facilius, quàm diffundat ſe inquinatio peccati? Lepra peccati & animæ non eſt minùs funeſta quàm ſit lepra corporis, cùm ſolus peccator malo ſuo exemplo & praxibus ſuis criminoſis plures alios efficiat peccatores, *Cum perverſo perverteris* *. Ha! quàm merito jure Juſti & Boni declinare debent ab habendis communicationibus cum his maledictis leproſis. Ægroti poſſunt quidem converſari cum ſanis abſque ullo detrimento, imò è contrà cum utilitate; ſed non ſani cum leproſis, cum hoc genere infirmorum qui funeſtâ peccati ſunt infecti contagione. Ideò Deus non præcipit Babyloniis & Chaldæis ut recedant à conſortio populi ſui, ſed è contrà jubet populo ſuo ut ſe elonget Babylone & à Chaldæâ, & nihil habeat peragendum cum nationibus iſtis infidelibus, *Recedite de medio Babylonis, & de terrâ Chaldæorum egredimini; & eſtote quaſi hædi ante greges* q. Hujus ratio præcepti erat, Quia cùm converſatio eorum eſſet contagioſa, exemplum illorum poterat inquinare. Quid enim faciliùs quàm ut à vitio abripiamur? cùm noſtra natura corrupta illud corroboret, & è partibus illius ſtans, noſtram machinetur ruinam, niſi gratiæ freno coerceatur. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit* r? Unus ſufficit vitæ depravatæ homo ad inquinandos innumeros bonos homines. Hoc manifeſtè videmus in impiis illis Hæreſiarchis Ario, Luthero, & Calvino. Quot infelicitatum non fuerunt illi cauſæ? quot ruinas non ſunt machinati? quot tam animas non perverterunt? Quod non eſt ita facilè probare vitæ hominibus. Majorem debet quia inſumere laborem ut inducat alios ad virtutem ſectandam: debet enim veluti præliari, diſputare, deprecari, & perſæpe conatus iſti omnes ſunt inutiles; quia natura noſtra in his difficultatem inveniens, reſiſtit; quæ interim *in malum prona* ſ, vergit facilè ad proſequendum illud omne, quod ipſi attulerit, etiamſi illud omnimodam ſit ruinam ipſius moliturum. Heu! quàm miſera eſt conditio noſtra! cùm vivere compellamur in hoc mundo in conſortio tot leproſorum, ita ut jure merito vereri debeamus, ne nos ſuâ inficiant ſuperbiâ, *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam* t. Satius eſt ut nos oderint improbi, quàm ut nobis ſint amici, & ut frequentemus eorum conſortium, quod non poteſt eſſe nobis niſi damnoſum. Id patet ex eo quòd cùm Chriſtus *aſcendit in naviculam, & diſcipuli ejus; & navigantibus illis obdormivit, deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur* u pro-

p Num. 5. 2. * Pſ. 17. 27. q Jer. 50. 8. r 1. Cor. 5. 6. ſ Gen. 8. 21. t Pſ. 100. 7. u Luc. 8. 22. & 23.

propter conſortium infelicis Judæ, parùm abfuit quin unicus perfidus naofragium invexerit in undecim magnos Apoſtolos: Et hic cauſa fuit propter quam, ut opinantur aliqui, non interfuerunt omnes Apoſtoli iidem illi ſpectaculo gloriæ, quòd ipſorum Dominus exhibuit ſolis tribus ex ipſis, cùm *transfiguratus eſt ante eos* x. (x Matth. 17.1.) Si verò bonus Rex Juda Joſaphat amiſit claſſem & naves ſuas contendentes Tharſis ad quærendum aurum; ideò quia *iniit amicitias cum Ochozia Rege Iſraël, cujus opera fuerunt impiiſſima.* Hæc eſt ſola ratio illius allata à Scripturâ, *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naves, nec potuerunt ire in Tharſis* y. (y 2. Paral. 20.35. &c.) Monitus etiam fuerat à Propheta Jehu præ magno rigore, eò quòd ſuppetias tribuiſſet Achab Regi pernicioſiſſimo, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris: & idcircò iram quidem Domini merebaris* z. (z 2. Paral. 19.2.) Cùm ſocietas malorum noſtrarum ſit cauſa infelicitatum. Ideò expreſsè prohibebat Deus populo ſuo ne ſociaretur cum Gentibus & nationibus idololatris, quin imò vetabat eis commercium & converſationes familiares cum eis, ne communicatio mutua adinvicem cauſa foret ruinæ ipſorum. *Non inibis cum eis fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia* a. (a Deut. 7. 2.&c.) Quia cum malis facilè quis malus efficitur.

Pro tertio effectu lepra depravat os, & halitum reddit fœtidum: nam cùm interius corruptum ſit, quid prodire poteſt ex eo niſi fœtens? Peccatum autem, peſtis hæc animæ eandem ſic inquinat animam ut nihil ampliùs exhalet niſi fœtores. Quàm fœtidum eſt os peccatorum! quàm pravus eſt illorum halitus! David *b* illud (b Pſ. 5. 10.) comparat ſepulchro operto, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*; in quo nihil continetur præter cadavera vermibus & putredine ſcatentia. Quid autem erumpere poteſt ex animâ quæ eſt mortua per peccatum c? (c Ezech. 18.4.& 20.) Ibi nihil eſt niſi fœtor ſimilis ei qui exit è tumulo. Quàm fœtentia ſunt juramenta, blaſphemiæ, calumniæ, detractiones, quæ ſunt verba peccatorum, eructantia ex hoc tumulo infernali! Ea non poteſt Deus ſuſtinere, etiam Deus ipſe in ſeipſo beatus *d*. (d Pſ. 2.7. & Joan. 5.26.) Ideò terram ab hâc leprâ purgaturus, eandem terram diluvio immerſit universali *e*: (e Gen. 7. 17.) & *Sodomam*, cæterasque finitimas *civitates* in cineres redegit *f*. (f Gen. 19. 24.& 25.) Vult ut morbus iſte ſeparetur à ſanis, id eſt, à Juſtis, quoad locum, quoad meritum, & quantùm ad conſortium. Quantùm ad locum, quadtuplex datur locus, Cœlum Empyreum domicilium Beatorum, Paradiſus terreſtris, Mundus, & Infernus. In cœlo leproſus non poteſt habitare, & vix primus Angelus leprâ infectus eſt, cùm ſtatim ex eo probroſè expellitur *g*. (g Ezech. 28.17.) Ubi Adam leprâ inobedientiæ affectus eſt in paradiſo terreſtri, *emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis* h. (h Gen. 3. 6.& 23.) Si autem in hoc mundo hi leproſi aliquandiu ſuſtinentur, hinc tandem foràs emittentur ut collocentur in æternum in inferno, qui erit xenodochium ſempiternum, in quo commorebuntur iſti infortunati leproſi. Præterea, Separati ſunt à Bonis & Sanctis quantùm ad meritum, cùm nullo modo communicent eorum bonis operibus, virtuti & ſanctitati, unde fit ut, cùm maximè ſint infirmi, reſiſtere nō poſſint violentiæ dœmonum, qui ipſos ſuam faciunt prædā. Tandem, Separabuntur quoad conſortium & ſocietatem. Licèt enim peccatores & impii ſeparati ſint à Bonis in hâc vitâ quantùm ad meritum, non ſunt tamen ſeperati ab eis quoad conſortium, cùm adinvicem ſint commixti, quaſi *zizania in medio tritici*: Sed in alterâ vitâ ſeparatio fiet, & quantùm ad locum, & quoad meritum, & quantùm ad conſortium: *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum*; ecce ſeparatio quoad conſortium: *Et mittent eos in caminum ignis*; en ſegregatio quoad locum: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium* i, (i Matth. 13,28. &c.) quod innuit diviſionem quantùm ad meritum: æternis enim impii & peccatores afficientur luctibus, quandiu Juſti & Boni *inebriabuntur ab ubertate domus* Dei, *& torrente voluptatis* k (k Pſ. 35.9.) ejus ac deliciarum *fluminis*, cujus *impetus lætificat civitatem Dei* l (l Pſ. 45. 5.) ejuſdem, potabuntur in gloriâ paradiſi.

Lepra pro ultimâ convenientiâ cum peccato, hoc habet proprium, quòd ſucceſſo temporis hominem reddit veluti inſenſibilem, deſtitutum motu & ſenſu; confodit ei oculos, os abripit, aures tollit, naſum averruncat, guſtum impedit, efficiens omnes potentias externas & internas immobiles. Nonne autem hoc idem eſt, quod videmus in peccatoribus obſtinatis in malitiâ ſuâ, qui cùm peccatum ſibi veluti familiare effecerint, nullo ampliùs Dei ducuntur affectu cognoſcendi, aut amandi; viſum præ ſe ferunt tenebroſum & obſcurum, odoratum hebetem, auditum ſtupidum, palatum & guſtum depravatum, actionem lentam & infirmam quoad virtutis opera exercenda. Funeſtus iſte & contagioſus morbus depravat animam ſpiritualiter, ſpecioſiſſimas ejus ſiſtit operationes. Debemus ergo vires omnes noſtras inſumere & curas ut ab eo declinemus, & illo nunquam inquinemur, fugientes illum non ſecus ac colubrum, juxta conſilium Salomonis, *Quaſi à facie colubri fuge peccata* m. (m Eccli. 21.2.) Peccatores non habent ampliùs oculos, quibus Deum *majeſtatis* n (n Pſ. 28.3.) intonantem videant: Suas non intuentur miſerias; periculum non advertunt imminens perpetiendi naufragii: de formidando non cogitant judicii die *o*, (o Matth. 25.31.&c.) de exactâ illâ criminum ſuorum reddendâ ratione. Heu! miſerandi illi *oculos habent, & non videbunt* p (p Pſ. 113. 13.) ea quæ ſunt ſalutis ſuæ. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem* q. (q Pſ. 57.9.) *Os habent, & non* r (r Pſ. 113. 13.) guſtabunt *quoniam ſuavis eſt Dominus* ſ: (ſ Pſ. 33.9.) *Nares habent, & non odorabunt* t (t Pſ. 113. 15.) *odorem unguentorum* u (u Cant. 1. 4.) Chriſti. *Manus habent, & non palpabunt* bonum peragendum. *Pedes habent, & non ambulabunt* x (x Pſ. 113. 15.) verſus *Ieruſalem* y (y Apoc. 21.2.) cœleſtem per viam divinorum mandatorum. Non habent ampliùs naſum, qui eſt ſymbolum prudentiæ, niſi ut meliùs ſuam operentur damnationem. Non ſunt ampliùs homines niſi æquivocè, mortui ſunt gratiæ, habent *nomen quòd* z (z Apoc. 3.1.) vivant, quandiu mortui ſunt. Nullum habent ampliùs motum aut ſenſum quoad cœleſtia: *Aures habent, & non audient* a (a Pſ. 113. 14.) vocem Dei, hæc maledicta lepra privavit eos virtute auditivâ; non audiunt ampliùs monita Confeſſariorum, minas Concionatorum; ſurdi ſunt, nec aures habent apertas niſi ad audienda objecta ſenſibilia & terrena, & ad hunc miſerandum ſurditatis ſtatum redacti dicere non poſſunt ut dicebat aliàs Deo Samuel, *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus* b. (b 1. Reg. 3.10.) Eò quòd auditu & cæteris ſenſibus careant.

Sed, quod peius eſt, ſpe operandæ ſalutis ſuæ veluti exciderunt. Sicut enim lepra infirmitas eſt incurabilis, juxta Medicos; ſic peccatum eſt inſanabile, ſecundùm Theologos poſt ſententiam Prophetæ c, (c Jer. 30. 12.) *Inſanabilis fractura tua.* Et ſicut miraculum foret, ſi ſanaretur leproſus à leprâ

ſuâ

ſuâ; ſic miraculum eſt videri juſtificari peccatorem, & majus quàm creare cœlum & terram, ut aſſerit S. Auguſtinus *d*. In hoc enim ſtatu deplorando peccatum totam corrumpit virtutem intellectivam animæ ejus, quam cæcitate percellit ſpirituali, *Excæcavit illos malitia eorum* *e*. Fidus eſt oculus illius dexter, hic tenebris ſuffuſus eſt oculus, & nihil videt, cùm peccatum eum hoc divino & ſupernaturali deſtituerit lumine. Præterea, Virtutem impedit potentiæ ejus memorativæ, quæ eſt veluti odoratus illius, de quo loquebar vobis modò: cùm enim deberet anima odores olfacere cœleſtes & divinos, tamen per peccatum ſic depravata, in ſolis complacet ſibi lutis, fæcibus, & ſordibus, & in hoc ſtatu conſtitutæ illi *erit pro ſuavi odore fœtor* *f*. Ejus odorifera unguenta non erunt ampliùs niſi abominationes. Cùm jugiter memor eſſe deberet beneficiorum, quibus à Deo fuit cumulatus peccator, ut pro iis ſuſceptis reciprocas gratiarum actiones & vices illi rependeret, è contrà non recordatur niſi injuriarum ſibi illatarum, & mediorum vindictæ de iis referendæ conſonorum, etiamſi teneatur illarum obliviſci, eaſque condonare *g*. Tandem, Lepra ſpiritualis potentiam deordinat affectivam, quæ eſt veluti palatum animæ; homo autem peccator, qui hoc eſt infectus morbo, guſtum ſic habet depravatum, ut dicebam etiá vobis mox, ut nó ampliùs res guſtet cœleſtes, ſed afficiatur ad terrenas, quæ non poſſunt niſi ei nocere & obeſſe. Et, ut uno dicam verbo, Peccatum infirmat & debilitat virtutem operativam, quæ eſt veluti manus, & reliqua organa, quibus mediis anima ſuas exercet operationes externas; & in hoc ſtatu conſtitutus æger nulli bonæ actioni peragendæ, mercede cœleſti dignæ poteſt incumbere. Debet igitur jure merito expoſcere ſanitatem, & liberare ſe à morbo, qui ipſi ſic funeſtus eſt atque periculoſus.

d S. Aug. tract. 72. in Joan. 14. 12.
e Sap. 2. 21.
f Iſai. 3. 24.
g Matth. 5. 44. &c.

Heu! peccator, poſſibilene eſt ut omnes hæ veritates mediâ luce clariores prævalere non poſſint adversùs mentem tuam tenebris cœcitatis inauditæ circumfuſam, eamque ab errore removere? Num tibi ſemper in tuorum complacebis horrore criminum? Poteriſne jugiter fœtorem ſuſtinere hujus lepræ contagioſæ, quâ depravata eſt anima tua? Nonne ſenſibiles erunt tibi aliquando miſeriæ & infœlicitates, quibus exagitaris, & quæ tuo impio imminent capiti? Nunquid præ te non fers ullos oculos, quibus videas extremas ſtatûs deplorandi, in quem redactus es, anguſtias, qui ſtatus eſt abominabilis toti Curiæ cœleſti Beatorum; ſicque fœtidus & immundus, ut à te abhorreant omnes Cœlites, imò nec Deus ipſe te ſuſtinere queat? Peccatum maledictum, quod tantas peragit deordinationes, tot & tam inuſitatas in naturâ humanâ edit ſtrages & ruinas, quodque ſic immodicâ percellit oculos animæ interiores cæcitate, ut ſuas intueri non poſſit jacturas, & abhorrere ab hoc peccato quod omnimodam ipſius machinatur ruinam! Ultimum eſt omnium infortuniorum & infœlicitatum ac nullo propriæ deſtructionis ſenſu affici. Morbi chronici & inveterati difficiliùs ſanantur; major eſt iis ſanandis adhibenda cura & induſtria, eò quòd veluti profundas in corpus pravis humoribus affectum injecerint radices; nec ideò curari valeant niſi præ valido opportunorum & ſalubrium remediorum apparatu.

Miſerandi leproſi vultiſne deperditam recuperare ſanitatem? Approximate ad ſummum veſtrarum animarum Medicum, adite *cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam & gratiam in auxilio opportuno* *h* inveniatis, & dicite ei ſinguli more leproſi noſt *i*, *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Vel, ſi mavultis cum aliis decem leproſis, *Ieſu præceptor, miſerere noſtri* *i*. Solare nos ab infirmitate noſtrâ, in priſtinam reſtitue nos ſanitatem. Imperaſti aliàs *ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna* *k*; dum hæ creaturæ te ut ſuum Dominum agnoverunt, & ut ſic tibi geſſerunt morem. Dixiſti illi qui *defunctus efferebatur*, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge; & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui* *l*, ad vitam revocatus. Præcipe igitur morbo noſtro ut à nobis diſcedat, & ſtatim infirmitas noſtra obediet tibi, & ſanabimur. Cognoſcit leproſus miſeriam ſuam, & ſic appoſitè Dei Filium orat, ut ipſum Dei Filius idem mittat ad Sacerdotem ut ad remedium infirmitatis ipſius, & ut agnoſcat leproſus authoritatem ejuſdem Sacerdotis veluti Vicarii ipſiuſmet Chriſti, *Vade, oſtende te Sacerdoti*. In quo imitatus eſt Jeſus Principes terrenos, qui debentes aliquam gratiam alicui indulgere, mittunt illum ad Conſilium ſuum: idem peragit Chriſtus in hâc poſteriori parte.

h Hebr. 4. 16.
i Luc. 17. 13.
k Matth. 8. 26.
l Luc. 7. 12. &c.

II. Pars.

Veritas eſt infallibilis, & fidei noſtræ dogma, Quòd, ut quis ſanetur à leprâ ſpirituali, præſentare ſe debeat Sacerdotibus mediâ Pœnitentiâ, & recurrere ad eos interventu Confeſſionis, cùm poteſtatem liberandi nos ab eâ, ſuſceperint à Deo dicente ipſis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt* *m*. Confeſſio eſt antiqua, ſtatuta à Deo omni tempore. In Lege naturæ ab ipſis mundi naſcentis incunabulis Deus loquitur illam in Adam, cùm *dicit ei, Ubi es* *n*? Quod innuit Gloſſa Ordinaria his terminis, *Verba increpantis, & ad Confeſſionem cogentis, & non ignorantis*. In Lege ſcriptâ *o* diverſa erant ſacrificiorum genera ſecundùm varietatem & gravitatem criminum, & Sacerdotes debebant ea ſcire. Lex autem Evangelica id clariùs propalat, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Atqui ſi poſſunt illa remittere, ea debent ſcire: Confeſſio autem eſt tribunal, in quo Sacerdotes hanc habent poteſtatem condonandorum criminum à Deo ſibi commiſſam.

m Joan. 20. 23.
n Gen. 3. 9.
o Levit. 4. & ſeqq.

Commune ventilatur in Scholâ proloquium, *Deus & natura nihil faciunt fruſtrà*; Idcircò Deus obſtringit homines ad Confeſſionem, ut poteſtas Sacerdotum ſuum ſortiatur effectum, *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur* *p*. Ad recuperandam ſumus obligati gratiam Dei, quam amiſeramus, eamque denuò ſuſcipimus per Confeſſionem; per interventum ejus, habemus ſanitatem animæ; & in eâ non priùs noſtram manifeſtavimus miſeriam, cùm ſuam nobis impendit præ immodicâ bonitate miſericordiam Deus, ſalutarem malis noſtris curandis applicans apparatum. Hoc eſt unicum remedium infortuniorum noſtrorum medelæ conſonum, *Ore confeſſio fit ad ſalutem*, ait eximius Medicus ſpiritualis S. Paulus *q*, Id eſt, *æternam adipiſcendam*, dicit Dionyſius Carthuſianus *r*. Nec priùs hoc bonum propoſuimus nobis conſilium, cùm confeſtim ſanati ſumus. Auſcultate quomodo loquatur leproſus quidam, putà Rex pœnitens *ſ* in ſuarum agnitione miſeriarum. *Dixi, Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino*. Propoſui mihi (ait quilibet pœnitens in perſonâ Davidis) confiteri pec-

p Prov. 28. 13.
q Rom. 10. 10.
r Dion. Carth. art. 14. in Rom. 10. 10.
ſ Pſ. 31. 5.

Digitized by Google

peccatum meum,& ſtatim fuit illud mihi condonatum: illicò ac præ me tuli voluntatem aperiendæ lepræ meæ Sacerdoti in tribunali Confeſſionis ſanatus fui, *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Quod accidit per virtutẽ Contritionis cum firmo propoſito confitendi ubi ſe opportuna obtulerit agendæ Confeſſionis occaſio, *In ordine ad Confeſſionem*, ut ajunt Theologi Morales. Idemque evenit pœnitenti, quod accidit decem leproſis Samariæ, qui ſanati fuerunt in viâ, nam

s Luc. 17. 14. &c. ex Levit. 14. 2.

poſtquàm eis Jeſus dixit, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, factum eſt, dum irent, mundati ſunt* t. Sic nos ſpiritualiter ſanamur per Contritionem cum conſilio firmo pergendi ad Sacerdotem, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Diligentiam debemus adhibere, & oblatam fronte capillatâ apprehendere occaſionem more leproſorum illorum, qui ſcientes quòd Jeſus *ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei*: cùm ingreſſus urbium ipſis eſſet vetitus. Chriſtus autem concupitam dilargitus eſt eis ſanitatem præ hoc penſo perſolvendo ab eis. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Id eſt, *propter myſticam rationem, videlicet ob poteſtatis clavium commendationem* u.

u Dion. Carth. art. 40. in Luc. 17. 14.

Scio hanc doctrinam duræ digeſtionis eſſe hæreticis noſtri temporis, qui nolunt admittere Confeſſionem. Sed non me latet modus humiliandi eos citò, & compellendi eos ad ſociandos ſe turbis multis, id eſt, veris fidelibus; more leproſi noſtri. Si auderem ingredi conclave divinæ Providentiæ, ſatagerem ut ſimiles evaderent huic miſerando viro, qui ſuam hodie ſic proponit Dei Filio ſupplicationem, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Sic erat ſuâ afflictus leprâ, ut de ſolo remedio ei applicando cogitaret: Empiricos nolebat adhibere, ſed beneficam æque ac induſtriam quærebat manum morbo ſuo impendendam. De Dei Filio fuerat ipſi factus ſermo, ideò eo meliùs voluit inſtitui; Expectavit donec *deſcendiſſet de monte*, & auditâ famâ mirabilium ejus, *veniens adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.* Ha! Si Reformatores iſti exiſtimati & crediti purulentâ onuſti eſſent lepra, validis morbis afflicti, miſeriis & paupertatibus oppreſſi, ſicut laborant hæreſi figuratâ per lepram, ut docet S. Auguſtinus x, *Leproſi non abſurdè intelligi poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur errorum*; ſic in ſuis malis eſſent occupati ſanandis, ut non cogitarent de tot aliis conſiliis, quæ ipſi comminiſcuntur quotidiè; nulla ampliùs nova fingerent dogmata; non gloriarentur ampliùs oppugnare veritatem; quin imò convenirent ipſi Dei Filium, aut Vicarium ejus in noſtrâ Sanctâ Eccleſiâ Catholicâ Apoſtolicâ & Romanâ partes agentem, fatendo authoritatem ejus his verbis, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Ingenuè teſtificor malum meum eſſe incurabile, meque uſque nunc graviter hallucinatum fuiſſe & deceptum errore & mendacio, unde indignus evaſi gratiâ Dei; oportet ut adeam eum qui omnia poteſt, & *verax* y eſt, nec mentiri poteſt; & illum, cui ipſe ſuam præbuit authoritatem z, qui eſt Papa, aut Epiſcopi, vel cæteri Sacerdotes; nam Miniſtri omnes qui mihi prædicaverunt, ſunt Empirici loquaces, qui æquè parùm ſolidam præ ſe ferunt doctrinam, ac caput illorum eſt ſanæ mentis compos.

x S. Aug. lib. 2. Quæſt. Evangel. q. 40.

y Matth. 22. 16.
z Matth. 16. 19.

Ha! Auditores, ſi permiſiſſet Deus ut illi omnes qui mentem ſuam habuerint ſeparatam à corpore Eccleſiæ per doctrinas corruptas, præ ſe ferrent etiam corpus ſejunctum à bonis conſortiis & à ſocietate hominum mediâ leprâ monſtroſâ inſtar leproſi noſtri, procul dubio nullus eſſet qui eum non imitaretur, quique non diceret humillimè cuilibet obvio Sacerdoti Eccleſiæ noſtræ vel minimo, *Domine, ſi vis, potes me mundare*, Sed deſeramus eos pro nunc, & deteſtemur illorum ſocietatem: Si enim corpus præ ſe non ferant infectum leprâ, hoc non impedit quin graviori leprâ inquinata ſit illorum anima, etiamſi illam non ſentiant: Et videamus, aut audiamus verba iſtius ſapientis leproſi, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Animæ Chriſtianæ, ſed quæ tamen leprâ peccati eſtis inquinatæ, ſi veſtra curanda deſideratis mala, oblatam arripite occaſionem, opportunum tempus inſumite, recurrite ad Medicum infirmitatum veſtrarum ſpiritualem, ut nobis omnibus conſulit Apoſtolus a, *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Proſternite vos ante pedes Sacerdotum, qui ſunt Vicarii Filii Dei in terrâ, *Vade, oſtende te Sacerdoti.* Vel, ſi mavultis, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Et deperditam retribuent vobis animarum veſtrarum ſalutem, & priſtinum reſtituent eis decorem. Sed cavete ne moras protrahatis in re tanti momenti: *Ite*, diligenter agite, greſſum promovete, exite ex infectione veſtrâ, quæ vos coram Deo & palam hominibus abominabiles efficit: *Ite*, de veſtrâ peragitur ſalute. Si aliquo laboratis morbo, Provincias pervaditis, circumquaque gyratis ad inquirendum remedia corpori illi applicanda, & ad habendum obvium aliquem induſtrium Medicum, pharmaca hauritis amara, gladiolus ſuſtinetis, & ignem.

a Galat. 6. 10.

Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignes.

Et tamen ad curandam animam à leprâ peccati, noliris adire Sacerdotem; *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Pergite igitur, ad extremæ neceſſitatis anima veſtra redacta eſt anguſtias. Heu! Verbum æternum in Cruce ſuſpenſum, auxilium inclamar, *Sitio* b; & Pater æternus illud derelinquit c, ut ſuccurrat animæ in neceſſitate conſtitutæ, & miſertus infelicitatis prodigi reverſi, *dixit ad ſervos ſuos, Citò proferte ſtolam primam* d. Ait, Citò, ut oſtendat neceſſitatem, ad quam redacta erat hæc anima. *Ite* igitur, exite è peccato, ex hâc leprâ, quæ vos ſeparat à ſocietate Dei & Angelorum ejus, eorumque vos efficit inimicos. Odium, quo Deus peccatum proſequitur, tantum eſt, ut *Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato peccatum in carne* e damnaverit. Nec odium Samſonis adversùs Philiſthæos tantum fuit ad inferendam eis mortem, *Moriatur anima mea cum Philiſthiim* f, quantum fuit odium Chriſti contra peccatum, cùm in ultionem ejus crucifigi voluerit, *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt* g.

b Joan. 19. 28.
c Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.
d Luc. 15. 22.
e Rom. 8. 3.
f Judic. 16. 30.
g Rom. 6. 5. & 6.

Ut ſuccurreret Deus Regi Ezechiæ, qui *ægrotavit uſque ad mortem, reverſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat* h. Et ſtiterunt omnes influentiæ cœleſtes, jubente eodem Deo, veluti negligente curam, quam præ ſe ſemper tulerat illorum corporum ſuperiorum, & malente ut totus deordinaretur mundus, quàm ſi Princeps ille obiiſſet; ut innuatur nobis, omnibus præponendam eſſe animæ noſtræ ſalutem, in omnibus incumbendum eſſe ſanitati imper-

h Iſa. 38. 1. & 8. ex 4. Reg. 20. 1. & 9. & ex 2. Par. 32. 24.

tiendæ illi; & omnia deſerenda, inſtar alterius Sunamitidis pergentis ad Prophetam Eliſeum, ut ab eo filii ſui defuncti ſuſcitationem impetraret; univerſa, inquam, quantùmlibet difficilia ſuperanda, ut animæ noſtræ per peccatum emortuæ reſurrectionem conciliemus, nedum ut aliquid quod promovendis noſtris greſſibus ponat obicem. Si autem fortaſſis dicat nobis mundus, *Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calenda, neque Sabbathum*; expectandus eſt dies feſtus, patienter agendum eſt uſque ad Paſcha. Reſpondendum eſt ei cum hâc bonâ matre ſolicitâ de reſurrectione filio ſuo mortuo procurandâ, [i 4.Reg.4. 2.&c.] *Vadam* i. Adire volo Sacerdotem, qui meam ſuſcitet animam; nihil eſt quod me impedire poſſit quin ad eum pergam; non enim ampliùs permanere poſſum in hoc miſerando ſtatu conſtitutus, & cùm meam infirmitatem cognoſcam eſſe gravem, adhærere volo conſilio Medici mei, *Vade, oſtende te Sacerdoti.* In flumine Jordane Pœnitentiæ conſonum morbo meo curando inveniam remedium, inſtar Naaman leproſi: ibi anima mea æquè ac corpus meum mundabuntur. Facile & ſalutare remedium! Peccatores, miſerendi leproſi nolite imitari hunc Principem Syriæ in contemptu Prophetæ Eliſei, qui adventanti ei dicendum juſſerat, *Vade, & lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* Exacerbatus Princeps iſte & iratus *Naaman recedebat*, Prophetam inſimulans inurbanitatis, cùm exciperetur ab eo ut homo vulgaris, *Vade, & lavare.* Quaſi verò, inquit, an ſer ego ſim, ut immergam me aquis Jordanis coram omnibus, Princeps eximius ego. *Nunquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluvii Damaſci omnibus aquis Iſraël?* Ut video, Propheta iſte deridet me, *Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſuâ locum lepræ, & curaret me. Cùm ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſervi ſui, & locuti ſunt ei, Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, Lavare, & mundaberis? Deſcendit, & lavit in Iordane ſepties juxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt* k. Peccator, leproſe miſerande, hoc [k 4.Reg.5. 10.&c.] eſt remedium proficuum, quod myſticus Eliſeus tibi inſpirat ad medendum malo tuo, promptè illud exequere, nedum tuam conſulas rationem; res eſt peractu facilis, *Vade, & lavare in Iordane* Pœnitentiæ, immerge te aquis iſtis ſalutaribus, *Vade, oſtende te Sacerdoti*; & procul dubio reſtituetur tua *caro, ſicut caro pueri parvuli*, & mundaberis, dum anima tua evadet ſpecioſa & jucunda more Angeli, reſumens virtute hujus Sacramenti primam *imaginem* l Divinitatis, [l Gen.1. 27.] quam per peccatum amiſeras, quæque fuerat *denigrata ſuper carbones* m. Hoc eſt unicum hujus [m Thren. 4.8.] mali remedium, & ſola iſtius morbi ſanitas. Hal Auditores, aperiamus oculos mentis noſtræ, ut noſtrarum conciliemus nobis infirmitatum notitiam ſpiritualiom, cùm tota noſtra ſapientia ex iſtâ pendeat cognitione: & videntes nos peccati leprâ inquinatos, & opprobrium cœli & terræ, Dei & hominum effectos, ex intimis cordis noſtri clamemus penetralibus, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Hæc maledicta lepra, animæ noſtræ corrupit penitus ſubſtantiam, ruis fœtentem effecit illam naribus, deſtituit eam ſocietate Angelorum, expulit illam in deſertum, ut ſit omnium abominatio creaturarum; medere nobis, purga nos ab hâc leprâ, ut integrè mundati, mereamur præ miſericordiâ tuâ ingredi locum illum, in quem *non intrabit aliquod coinquinatum* n, qui de- [n Apoc. 21.27.] bet eſſe domicilium noſtræ beatitudinis in gloriâ.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Et ecce leproſus veniens, adorabat eum dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Matthæi 8.2. &c.

APpoſitè Dei Filius ſuorum ſigillo miraculorum æquè ac beneficiis, quibus devincit ipſe ſibi turbas, quæ ipſum ſequuntur deſcendentem *de monte*, incipit authoritatem conciliare doctrinæ, quam mox in eodem monte prædicaverat, eamque prodigiis legationis ſuæ inſignibus obſignare, & confirmare. Intendebat ipſe ut ſequerentur ipſum hæc *turba multa* inter anguſtias & labores hujus vitæ, cujus felicitas juxta id quod ipſe annunciaverat in monte, ſita erat in tolerantiis ſuſtinendis, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Reg-* [a Matth. 5.10.&c.] *num cælorum* a. Et ideò hæc intentio ſuo fruſtrata fuiſſet effectu, niſi incolumes effeciſſet omnes eos, qui infirmi erant, impotentes, febrientes, paralytici, cæci, aut leproſi; cùm in hoc ſtatu languoris conſtituti, non potuiſſent niſi vix ſociari his turbis multis, quæ *ſecuta ſunt eum.* Quantus debebat eſſe concurſus ad eximium iſtum adeundum Medicum, qui omni infirmitatum generi confeſtim conſonam applicabat medelam? Quomodo de primatu debebant inter ſe contendere infirmi, quemnam ipſorum primum tangeret manus hæc miraculoſa, ut poſſent ſinguli certatim experiri primi, effectus omnipotentiæ ejus? Immodicum, quo ducebantur, recipiendi citò auxilii deſiderium, ſubminiſtrabat eis voces extraordinarias, quarum interventu poſſent accedere ad hunc Virum miraculoſum, inter alios autem leproſus noſter ad ſuſcipiendam ab eo ſanitatem animæ æquè ac corporis mediâ gratiâ, quâ Maria repleta fuit, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

Si bona opinio & fides, quam de ſuo concepit æger Medico, ipſum inducit Medicum ut majorem ejuſdem infirmi curam ſatagat, & conetur citiùs ei priſtinam reſtituere ſanitatem, quâ idem infirmus tanto concupiſcit affectu; omnis hic populus accurrens ad Dei Filium deſcendentem *de monte*, eundem Dei Filium ex urbanâ quadam obſtringit condecentiâ ut hominum iſtorũ doloribus medeatur & morbis, intuitu deſideriorum, quæ ipſi præ ſe ferunt, recuperãdæ ſanitatis quò eâ perfectè ſuſceptâ, obſequio ipſius divino vacare deinceps poſſint fideliter, ipſum ſequẽdo & prædicando bonitatem ipſius æquè ac potentiâ. Ubi obſervo quòd nimis ſapiens erat Dei Filius, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*

abſcon-

b Coloſſ. 2.3. *abſconditi* b, nedum recuſaret eis id quod efflagitabant, & quòd ex illis nullus eſt, cui non reddiderit ſanitatem. Sed quàm beatus eſt hic populus, eò quòd virum adierit ſic potentem ad medendum morbis ſuis, cùm hoc divinis ejus operationibus dignos illos efficiat! Si verò infirmitates hæ corporales repræſentat nobis ſpirituales; & impotentia horum corporum nobis innuit ſtatum peccati lethiferi, quod vulnerat & perimit animas noſtras c, (c Ezech. 18.4. & 20) quodq; conſequẽter privat nos gratiâ Dei d, (d Iſai. 59.2) quæ eſt perfecta *ſanitas in pennis ejus* e; (e Malach. 4.2.) nonne proficuum erit ut illi, qui ſpiritualiter ægrotant peccatis lethiferis, quibus ſcatent, recuperent ſanitatem, quæ eſt gratia Dei hæc, quæ homines ſanos efficit & probos?

Ha! hoc eſt quod ipſos deceret, & quo profectò valdè indigent. Sed quid opus eſt ut faciant ad conſequendam hanc ſanitatem? Nihil aliud niſi ut accedant ad eum qui illam præſtat, præ firmâ fide, quâ credant illum poſſe eam tribuere, & cum ardenti deſiderio obtinendæ illius ab eo, inſtar leproſi noſtri, qui accedens præ omni reverentiâ poſſibili ad Salvatorem, ſanitatem ab eo ſic expoſtulat, *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Sed obſervanda ſunt tria ad impetrandam ſanitatem neceſſaria. Unum è parte Ægroti qui eam efflagitat. Secundum è parte Medici qui debet eam præſtare. Tertium ex parte utriuſq;. Æger exponere debet & manifeſtare morbum ſuum, Medicus debet ei ſe exhibere propitium, eumq; adjuvare, uterque autem cavere debet à relapſibus, Medicus remedia præſcribẽdo, æger autem illa obſervando. Oſtendi jam vobis in genere convenientiã, quam lepra per ſuos effectus habebat cum peccato lethali: hodie verò monſtrabo vobis in ſpecie, Primò convenientiam
Diviſio. quam habet cum ſeptem peccatis mortiferis: Secundò remedium illius.

I. Part. Lepra, quâ laboramus, eſt quædam infirmitas ſpiritualis, quæ ſecum ſeptem magnos invehit defectus, quibus aperiuntur nobis ſeptem peccata mortalia, quæ non ſolùm animam noſtram ægrotam efficiunt, ſed prætereà illam interimũt per ſubtractionem gratiæ, *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* f. (f Ezech. 18.4. & 20) Et ecce hi defectus, Primus, eſt tumor corporis, qui nobis indicat ſuperbiam. Secundus eſt ſitis ardens, quæ nobis oſtendit avaritiam. Tertius, eſt contagioſa communicatio, quæ nobis monſtrat luxuriam, Quartus, eſt conſumptio humoris radicalis, quæ nobis innuit invidiã. Quintus, eſt fœtor halitus, qui nobis denotat gulam. Sextus, eſt ſermo raucus, qui iram exhibet itam. Septimus, eſt debilitas & infirmitas membrorum, quæ eſt ſignum pigritiæ & otioſitatis.

Primus lepræ defectus igitur, eſt tumor corporis, quo ſuperbia oſtenditur quæ inflat, quandiu homo cogitat de excellentiis, quas habet à ſeipſo, aut quas à ſuis traxit Majoribus. Sed iſtæ res ſunt vanitas, ut ait Poëta,

Si modò non cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

Sola nos commendat virtus, ideò de eâ gloriari debemus ſolâ, cætera omnia ſunt tumor, *Scientia inflat* g. (g 1. Cor. 8.2.) Quin imò ſunt aliqui qui de bonis ſuperbiunt operibus, qui de ſuis vanitatem deſumunt eleemoſynis, de gratiis, quas à Deo ſuſceperunt; quaſi verò ipſi earum eſſent authores, *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* ait S. Paulus h. (h 1. Cor. 4.7.) Et S. Auguſtinus i, *In malis operibus iniquitas exercetur ut fiant, ſuperbia verò bonis operibus inſidiatur ut pereant.* Et *quid prodeſt dare pauperibus & pauperem fieri ſi anima miſera ſuperbior efficiatur cõtemnendo, quàm fuerat poſſidendo?* (i S. Aug. Epiſt. 109.) Illi autem, qui gloriantur in dignitatibus ſuis, tremore concutiãtur ad hæc verba, *Duriſſimum judicium in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur* k. (k Sap. 6. 6. & 7.) Omnibus dicetur, *Redde rationem villicationis tuæ* l. (l Luc. 16. 2.) Sed à Superioribus exigetur ratio de inferioribus ipſis cõmiſſis, *Duriſſimum judicium in his qui præſunt, fiet.*

Secundus defectus lepræ, eſt magnus ardor ſitis, qui nobis denotat avaritiam, de quâ ſiti dicit Poëta,

Creſcit amor nummi quantùm ipſa pecunia creſcit.

Et Salomon m, *Tria ſunt inſaturabilia, Infernus, & os vulvæ, & terra quæ non ſatiatur aquâ.* (m Prov. 30.15. & 16.) Avarus autem omnium iſtorum eſt inſatiabiliſſimus. Inferno poſt extremum judicium repleto ſatisfiet, nedum aliquid amplius ipſe deſideret; ſed avarus quò plus habet, eò magis concupiſcit, *Avarus non implebitur pecuniâ* n. (n Eccl. 5.9) Inſatiabilior eſt concupiſcẽtiâ carnis, quæ mitigatur in homine, adveniente ſenectute quæ impetus illius retundit, ſed avaritia è contrà augetur in ſenibus, & juveneſcit, cæteris vitiis ferè ſeneſcentibus, in illis. Inſatiabilior eſt terrâ hiãte nimiâ ſiccitate, quæ expletur tandem imbribus, avaro autem nihil eſt unquam ſatis. Ratio autem inſatiabilitatis hujus eſt Quia ſicut ille qui ſitit, non expletur, intuendo ſolùm vinum aut aquam, quia hæc ſtomachum illius nõ ingrediuntur; ſic divitiæ in animam avari non intrant, implent illæ quidem cellulas ejus & marſupium, ſed animã illius minimè cumulant, *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis* o. (o Eccl. 5.9.) Quia illis nunquam ſatiabitur. Inde videmus quod avaris tã deficiat illud quod poſſident, quàm illud quod penes ſe non habent; & quòd ditiſſimi quilibet ut plurimùm ſint impiiſſimi, quippe qui maximis vacent fœnoribus & oppreſſionibus exercẽdis, ita ut illorum ſingulis exprobrari poſſit, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* p. (p Jer. 2.34) Cùm magis ſemper habere concupiſcant quàm habeant. Deflet Alexander Magnus audiens Philoſophum quendam aſſerentem plures dari mundos, cùm tamen ipſe vix unicum ſuæ ditioni ſubjeciſſet; non erat ipſe contentus, ſicut e verâ nemo eſt, niſi fortè contenti ſint ii, qui contemnentes terram, anhelant ad aquas cœleſtes, quæ ſemel hauſtæ, in æternum ſatiant, *Omnis qui bibit ex aquâ hâc, ſitiet iterum; qui autẽ biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum* q. Ec certum eſt, eum omnia poſſidere, qui nihil deſiderat. (q Joan. 4.13.)

Tertius defectus lepræ, eſt communicatio contagioſa, quæ veluti peſtis maligna inquinat omnes eos qui ad eam approximant, Sic Lex r præcipiebat aliàs ut ejicerentur leproſi è communibus conſortiis; (r Num. 5.4.) quod oſtendit peccatum luxuriæ, cujus communicatio non poteſt eſſe niſi contagioſa, unde concinunt Poëtæ,

Morbida facta pecus totum corrumpit ovile.
Una infecta pecus inficit omne pecus,

Vitiũ iſtud depravat omnia. Salomon, qui dicebat de ſe, *Præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Ieruſalem* ſ, (ſ Eccl. 1. 16.) hâc deſtruitur ſapientiâ & idololatra efficitur, *depravatũ eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos* t. (t 3. Reg. 11.4.) David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* u, (u 1. Reg. 13.14.) ſuam amittit ſanctitatem cum Bethſabee x. (x 2. Reg. 11.4.) Et Samſon fortitudi-

tudinem ſuam cum Dalilâ, quæ *cœpit abigere eum, & à ſe repellere; ſtatim enim ab ea ſortitudo diſceſſit* y. Hiſtorias evolvite, & luxuriæ deprehendetis vaſtitates innumeras, præter eas quas narrat Scriptura, cùm ſciatis quòd *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulgur & ignem à Domino de cœlo; & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terrà virentia* z. Quin imò homo, qui iſto inquinat ſe peccato, pœnam illius jam ſuſtinet in hoc mundo, cùm non lateat vos quinam morbi, hîc non nominandi, illud ſequantur. Videte infortunium hujus peccati. Sed quid dicere poteſt anima hæc immerſa huic ſterquilinio, huic corpori, hoic tumulo viventi? Heo! corpus infelix, eò quòd tibi nimis indulſerim, in hunc infelicitatis ſtatum me redactam intueor. Heu! ignis concupiſcentiæ, quo ardere incipio, in æternum me conſumet in inferis, cùm ibo *in ſupplicium æternum* a. Quod oſtendit nobis, quàm ſedulò evitari debeant hæ perſonæ infames, cùm frequentari non poſſint, quin eorum ſordibus communicetur; ideò fugiendæ ſunt non ſecus ac leproſi, niſi velimus inquinamentis illarum infici. Id nobis conſulit Propheta b, *Egredimini de medio Babylonis, populus meus: ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam ab irâ furoris Domini. Et ne fortè molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terrâ*. Unde videtis, eum, qui à pravis declinat conſortiis, quatuor vitare malorum genera. Primum. Jacturam animæ ſuæ, *Ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam*. Perſæpè enim Boni ſuas in conſortio malorum profligant animas, *Cum perverſo perverteris* c. Secundum, Indignationem Dei, quæ incurritur ob ſocietatem initam cum impiis, *His, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcircò iram Domini merebaris* d, dicebat Jehu Regi Joſaphat, qui amicitiam pepigerat cum Achab Rege ſceleſtiſſimo. Et hoc eſt quod ait Jeremias *Ab irâ furoris Domini*. Tertium, Mollitiem mentis, in converſando enim improbis relaxatur facilè praxis virtutis, *Ne fortè molleſcat cor veſtrum*. Tandem, Tentationem diaboli, qui Bonos pervertit per malos, quibus utitur ut inſtrumentis infamibus ad exercenda execrabilia ſua conſilia, *Ne fortè timeatis auditum, qui audietur*. Hic auditus eſt ſuggeſtio maligna, quam diabolus in noſtras inſufflat animas per interventum malorum, quibuſcum converſamur.

y Judic. 16. 19. &c.
z Gen. 19. 24. & 25.
a Matth. 25. 46.
b Jer. 51. 45. & 46.
c Pſ. 17. 27.
d 2. Paral. 19. 2.

Quartus defectus lepræ, in hoc ſitus eſt, ut totum conſumat humorem radicalem, in quo tota hominis vita conſiſtit. Sicut enim tandiu lampas illuminat, quandiu in eâ invenitur oleum quod ignem fovet, & ſtatim extinguitur ac liquor iſte igne eodem conſumptus, ipſi deficit; hoc denotat peccatum invidiæ, quæ conſumit charitatem, in quâ ſita eſt tota vita gratiæ, *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres* e, ait diſcipulus, *quem diligebat Jeſus* f. Et, *Qui non diligit, manet in morte* g. Hoc autem peccatum reddit homines filios diaboli, cujus præcipuum eſt invidiæ peccatum, *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius* h. Et ſicut per charitatem cognoſcuntur quinam ſint veri Chriſti diſcipuli, *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis ſi dilectionem habueritis ad invicem* i: ita agnoſcuntur quinam ſint diſcipuli diaboli per invidiam, cùm eam ſic ritè ſuos edoceat diſcipulos.

e 1. Joan. 3. 14.
f Joan. 21. 20.
g 1. Joan. 3. 14.
h Sap. 2. 24. & 25. ex Gen. 3. 1. &c.
i Joan. 13. 35.

Quintus effectus lepræ, eſt, quòd fœtidum reddit halitum, & totum corpus infectum. Ideò jubebat Lex k, ut *quicumque maculatus leprâ, os veſte contectum* haberet; quod nobis indicat guloſum, qui fœtentem præ ſe fert flatum ob nimiam ciborum corruptionem. Ut enim proficuus ſit cibus, tres debet præ ſe ferre digeſtiones. Primam, In ollâ, in quâ coquitur. Secundam, in ore, in quo manditur. Tertiam, In ſtomacho, in quo corrumpitur, & multas gignit infirmitates animæ æquè ac corpori noxias, niſi digeratur. Ubi obſervate, ſi placet, quòd ab initio mundi conditi, ab Adam ad Noë non comedebant homines carnes, nec piſces, ſed ſolos fructus, & bibebant aquam puram l. Sed poſt diluvium, quia cataclyſmus hic univerſalis omnes fructus vaſtaverat, & cunctas origines depravaverat m, homines cœperunt comedere carnes, & bibere vinum n. Poſteà, cœperunt homines ſæpiùs & lautiùs comedere, & ſic dies vitæ reſecti ſunt, *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuagintâ anni* o. Et paulatim ubi homines pluries intra diem comederunt, ſic minus vitæ peregerunt tempus; ideò monet nos Chriſtus, *Attendite ne graventur corda veſtra in crapulâ & ebrietate* p. Et, ſicut dicitur, *Plures occidit gula quàm gladius*. Quinque autem nocere poteſt gula modis, ut obſervavit S. Gregorius q, qui in hoc verſu comprehenduntur,

k Levit. 13. 44. & 45.
l Gen. 5. 3. &c.
m Gen. 7. 23.
n Gen. 9. 21.
o Pſ. 89. 10.
p Luc. 21. 34.
q S. Greg. lib. 30. mor. c. 13. citans de Conſecrat. diſt. 5.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

Sextus effectus lepræ, conſiſtit in hoc, quòd vocem raucam efficit, quod manifeſtat nobis iram. Nam iracundus ſubito paſſionis ſuæ motu percitus, inordinatè loquitur, quia ira, quæ mentem interturbat, obicem etiam linguæ ponit ne rectum ſermonem promat,

Impedit ira animum ne poſſit cernere verum,

Præterea, Ira inducit hominem ad validè inclamandum, quod vocem illius raucam efficit & confuſam. 1. Clamat contra Deum jurando & blaſphemando. 2. Contra proximum, minas ei intentando, injurias ei inferendo, illique detrahendo. Tobias loquens de blaſphemiâ contra Deum, ait ei: *Domine, maledicti erunt qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemaverint te* r. Corrigendi hujus vitii, tres aſſignantur modi. Primus pertinet ad parentes, qui ſuos corrigere debent liberos, ne illud perpetrent. Secundus, Reſpicit eos, qui illud perpetrant, ut ſibi imponant ipſimet pœnitentiam, qualis eſſet v. g dare aſſem pauperi ſingulis vicibus quibus jurarent, aut blaſphemarent. Tertius, Spectat Superiores & Magiſtratus, tam Eccleſiaſticos, quàm Seculares & Politicos, ut corripiant delinquentes & reos hujus ſceleris nefandi mulctent inſtar S. Ludovici Francorum Regis, qui decreverat perforandam ferro candenti linguam, quæ juraſſet.

r Tob. 13. 16.

Septimus effectus lepræ eſt, quòd debilitat membra, eaque reddit infirma ad operationem, quod nobis oſtendit peccatum pigritiæ & otioſitatis, quæ efficit nos negligentes ad operandum ſanctè & præ merito. Licèt enim homo multùm laboret ad conſequenda bona temporalia, tamen dicitur otioſus quoad cœleſtia, ſi nullam inſumat operam ad ea ſibi comparanda; Hoc enim malè eſt adhibere tempus, ac illud tranſigere ſine ullo emolumento, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum*

rum in manibus ſuis f. [ſ Pſ. 75. 6.] Hanc non concipiunt homines mundani veritatem; illam cognoſcunt, ſed tardiùs quàm ſit par, in inferis, ubi clamant ex rabie & daſperatione, *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra. in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus* t. [t Sap. 5. 7. &c.] Econtrà verò probatæ vitæ hominibus, qui continuò vacant operibus ſpiritualibus exercendis, ſatisfiet, cùm videbunt impendi ſibi ſuorum mercedem laborum, *Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit Dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem* u. [u Matt. 20. 8.] Ideò, Auditores, audite conſilium iſtud, *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos* x. [x Eccl. 9. 10.]

[II. Par.] Audiſtis infirmitatem: Ecce remedium illius in his verbis comprehenſum, *Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare*. Indiget ſanè leproſus iſte ſuum malum exponere, & manifeſtare ex ſeſe, comprobatâ ſenſibiliter experientiâ à ſemetipſo, quàm ſit contagioſum, periculoſum, & abominabile, petendo præ omni inſtantiâ & reverentiâ poſſibili ab eo liberari. Hic eſt modus neceſſarius ad recuperandam ſanitatem à leprâ peccati. Omnis enim peccator per peccatum mortale elongat ſe à Deo, *Longè eſt Dominus ab impiis* a. [a Prov. 15. 29.] *Longè à peccatoribus ſalus* b. [b Pſ. 118. 155.] Sed videamus quid agat Medicus ex parte ſuâ, & modum quo utitur ad medendum ei. Non dubitat infirmus de ejus potentiâ, ſed bonitatis ejus expectat effectus experiri, & ideò ait illi, *Si vis, potes me mundare*. Medicus autem ut oſtendat ei, bonitatem ſuam æquiparari potentiæ ſuæ, cùm hæc duo attributa ſint in ipſo una & eadem res, reſpondet illi, *Volo, Mundare*. Æger ait, *Si vis*; Medicus reſpondet, *Volo*. Infirmus dicit, *Potes me mundare*; Annuit Medicus, *Mundare*. Et hanc admirandam operatur medelam, tangendo illum, applicando ei Divinæ manus ſuæ extenſionem, *Et extendens manum, tetigit eum, dicens, Volo, Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus*.

Ubi obſervabitis, ſi placet, lepram fuiſſe aliàs quinque modis ſanatam, ſicut & ſanatur adhuc lepra peccatorum ſpiritualis. Primò, Ablutione, ut videmus in Naaman, cujus, poſtquam ipſe ſe *lavit in Iordane, reſtituta eſt caro, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt* c. [c 4. Reg. 5. 14.] Quod ſignificat nobis effuſionem lacrymarum cauſatam à ſancto dolore, & ab intimâ contritione cordis ob peccata commiſſa, quæ lacrymæ ſanitatem largiuntur, & purgant animam ab omni leprâ ſpirituali, quam contraxit. Secundò, Lepra ſanabatur per manifeſtationem ipſius; ideò leproſo noſtro ait Jeſus, *Vade, oſtende te Sacerdoti* †. [† Matt. 8. 4. ex Lev. 14. 2.] Quod ſignificat nobis Confeſſionem, & virtutem quam hæc præ ſe fert ad ſanandam lepram ſpiritualem peccati per manifeſtationem illius factam Sacerdoti, qui eſt Medicus ſpiritualis. Tertiò, Applicabatur lepræ medela per ſeparationem, ut patet ex Mariâ ſorore Moyſis, nam jubente Domino, *excluſa eſt extra caſtra ſeptem diebus* d, [d Num. 12. 14. & 15.] antequàm ſanaretur. Quod nobis innuit fulmina, anathemata, & excommunicationes ad tempus, ut tandem anima reſipiſcat, & priſtinam reſumat ſanitatem. Hoc intendebat Apoſtolus, cùm fornicatorem quendam judicavit *tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* e eſſet. [e 1. Cor. 5. 3. & 5.] Quartò, Sanabatur aliàs lepra per incluſionem, ut videre eſt in manu Moyſis, quæ educta è ſinu ejus, parebat leproſa; & in eum remiſſa ſinum, munda erat, *Dixit Dominus, Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ* f. [f Exod. 4. 6. & 7.] Quod ſignificat, quòd plures expoſiti mundo, erant leproſi, qui incluſi in ſolitudinibus, mundi fiunt. Tandem, Lepra corporea curabatur tactu, ut conſtat in noſtro leproſo, *Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, Volo, Mundare*; ſanando eum ſimul quantùm ad corpus & quoad animam; quod ſpiritualiter agit in nobis & propter nos, tangendo nos efficaciter Divinis ſuis inſpirationibus, quæ cùm ſalutares ſint, proficuam nobis impertiuntur ſanitatem. Triplex autem admittitur tactus. Unus purè corporeus & phyſicus, ut cùm corpus aliud tangit corpus, & hic tactus in Chriſto erat maximæ virtutis, ita ut homines turmatim in eum confluerent ad tangendum illum, *Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes* g. [g Luc. 6. 19.] Secundus eſt partim corporeus, & partim ſpiritualis in eo quòd id, quod tangitur, eſt corpus, & illud quod ipſum tangit, eſt ſpiritus; quod fit cùm Deus nos tangit afflictionibus. Tertius eſt purè ſpiritualis, cùm ille qui tangit, & id quod tangitur, ſint puri ſpiritus, quod accidit cùm Deus tangit internam hominis mentem ſeu illius cor ſuis inſpirationibus. Leproſus noſter tactus fuit tactu partim corporeo, & partim ſpirituali. Corporeo, quia Chriſtus verè *tetigit eum*. Spirituali, quia ſanavit illum quantùm ad animam æquè ac quoad corpus. Et hoc eſt quod ait illi, experiendos ei exhibens ſimul potentiæ & bonitatis ſuæ effectus mirificos, *Volo, Mundare*.

Hoc eſt quod peragitur, & quod requiritur ex parte Medici, ad quam ægrotus, qui ab eo ſe elongaverat per peccatum (*Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* h) [h Iſai. 59. 2.] reverti debet tribus greſſibus, *Ecce leproſus veniens*; qui tres greſſus denotantur tribus tactibus obſervatis à Chriſto ſanante hunc leproſum. Primâ, *Extendens Ieſus manum, tetigit eum*. Secundâ, *Ait illi Ieſus, Vade, oſtende te Sacerdoti*. Tertiâ, *Et offer munus*. Primâ, Ut ſignificetur Contritio cordis, quæ exhibetur per tactum Chriſti, *Abii amarus in indignatione ſpiritus mei, manus enim Domini erat mecum confortans me* i. [i Ezech. 3. 14.] Quinque digiti iſtius manus ſunt quinque motiva, quæ nos ad contritionem inducunt. Primum eſt incertitudo mortis, quam metuimus. Secundum eſt pœna, quam peccato meruimus. Tertium, eſt gratiæ, quam per peccatum amiſimus. Quartum eſt gloria, quâ per offenſam nos privamus. Quintum eſt paradiſus, quem perdidimus. Secundus greſſus eſt Confeſſio oris, dum *ait illi Ieſus, Vade, oſtende te Sacerdoti*. Et aliàs decem aliis leproſis, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*. Sed obſervate quod *factum eſt: Dum irent, mundati ſunt* k. [k Luc. 17. 14.] Ut oſtendatur, quòd ſtatim ac hominem ſui peccati pœnitet, præ contritione conceptâ propter illud, illico ipſe à culpâ abſolvitur antequàm peccatum confiteatur, ut jam dixeram vobis ex mente Davidis æquè ac praxi, *Dixi, Confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei* l. [l Pſ. 31. 5.] Tertius greſſus eſt Satisfactio operis, quæ nobis inſi-

inſinuatur his verbis, quæ leproſo ait *Ieſus, Offer munus.* Super quod obſervare debetis, ſi placet, quòd ad peragendam Deo ſatisfactionem pro criminibus, quæ adversùs adorandam ejusdem Dei perpetravimus majeſtatem, debemus ei offerre munera, quæ ab illius manu ſuſcepimus liberali, nimirum animam rationalem, corpus materiale, & bonum temporale. Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices iſta tria m offerunt in Religione die profeſſionis ſuæ ſolemnis ſacro: Animam per votum ſanctæ obedientiæ; Corpus per promiſſum immaculatæ caſtitatis; Bona verò temporalia per jusjurandum voluntariæ paupertatis. Seu, ut res efficiatur communis, & unicuique propria, Animam per orationem; Corpus per mortificationem quæ peragitur jejuniis, abſtinentiis, & auſteritatibus; Bona autem temporanea per eleemoſynas, quæ tres res ſunt tres partes Satisfactionis, quas nobis conſulit Tobias n ut exerceamus, cùm ait, *Bona eſt oratio cum jejuniis; & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere.*

m Matth. 19. 12. & 27.

n Tob. 12. 8.

Sed non ſufficit præſtare ſanitatem, cavendum eſt inſuper ſummoperè ne in relapſum æger incidat. Ideò Medicus ſedulò remedia debet opportuna Infirmo præſcribere, & ab ægrotus inviolatâ fidelitate ſervare. Intuitus Dei Filius, vanitatem, oſtentationem, deſiderium aucupandæ auræ popularis, appetitum laudis fuiſſe cauſam deordinationis morum in noſtro leproſo, ut artis ſuæ peritiſſimus eum ſanavit, juxta aphoriſmum, per contrarium ipſius, *Vide, nemini dixeris.* Prohibet eum in publicum prodat id quod in ſe actum erat. Sed aliunde manifeſtatio morbi ipſius erat neceſſaria ad curationem ipſius, & ut omnino ſanaretur ab omni leprâ ſpirituali, ab omni impuritate ſenſuum & carnis, & ab universâ inflatione vanitatis & mentis, atque ab omni cupiditate & affectu bonorum terrenorum; ideo ait illi *Ieſus, Vade, oſtende te Sacerdoti.* Et quia avaritia detinebat eum in infirmitatibus ſuis, conſulit ei liberalitatem, erogandaſque eleemoſynas. Æger Medici ſui præſcripta exactè obſervat, idcircò ſanus à ſuâ reſurgit infirmitate, *Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Ecce leproſus noſter ab omnibus ſuis malis immunis effectus. De quibus malis loquens ille diſcipulus, *quem diligebat Ieſus, qui & recubuit in cœnâ ſuper pectus ejus* o, è quo hauſerat omnem ſcientiam ſuam, ait, omnem universi orbis deordinationem procedere ex his tribus principiis fatalibus & originibus omnium malorum quæ patimur, aut quæ pati poſſumus, nimirum ex luxuriâ ſeu impuritate carnis, ex avaritiâ, & ex vanitate mentis, ſeu ſuperbiâ. *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* p. Et quia impuritas & concupiſcentia carnis eſt univerſaliſſima in mundo, ita ut ferè poſſit dici de ſeculis noſtris id quod Scriptura ſacra eloquitur de primis, in quibus corruptio erat generalis, *Omnis caro corruperat viam ſuam* q, in hâc iſto præcipuè ſananda, ſi poſſibile eſt, antequam huic limites imponam diſcurſui, & dico, quòd ſpecies mulierum eſt præcipitium apertum, & quòd magnâ eſt opus induſtriâ ut quis utatur eâ ſine crimine, & amet eam abſque offenſâ, etiamſi Philoſophi aliqui antiqui dixerint eam eſſe radium Divinum, qui externam inaurat rerum ſuperficiem, & ad earum

o Joan. 21. 20.

p 1. Joan. 2. 16.

q Gen. 6. 12.

amorem induxit; vel illam provenire ex aſtris, quæ influunt ſuper corpora. Hi Philoſophi nimis pompaticè loquebantur de pulchritudine, fortaſſis autem magis erant amantes quàm par eſſet alicujus terrenæ pulchritudinis, & ipſorum ſuis lenociniis cor demulſiſſet, cùm ſola pulchritudo cœleſtis mereatur hominum amores ſibi devincire, quippe quæ ſit abſoluta penitus.

Ad inveniendam pulchritudinem perfectam tria ſunt abſolutè neceſſaria, juxta Divum Thomam r. Integritas, proportio, & claritas: Atqui hæc tria non inveniuntur in terrâ: Inde ergo ſequitur quòd conſummatam non poſſimus invenire niſi in cœlo pulchritudinem; omnes pulchritudines terrenæ defectibus ſunt obnoxiæ, ideò amari non poſſunt ſine defectu, & conſequenter absque crimine. *Bonum ex integrâ causâ, malum ex unico defectu*, ait proloquium Philoſophicum. In terranis pulchritudinibus multi inveniuntur defectus. In ais non eſt integritas, plura eis deſunt. Exigua vel infirmitas, quinimò unica roris nocturni guttula, vel exilis quælibet moleſtia hanc penitus deformare poteſt ſpeciem. Non invenitur in ſpecie caducâ proportio, quæ in diverſis eſt ſita juxta nationum varietatem: Europa corium requirit candidum ad concinnandam pulchritudinem, Mauritania nigrum, Æthiopia grandia labra & naſum ſimum, & Gallia parvum os & naſum aquilinum; non eſt ibi proportio. In illâ non reperitur claritas, cùm pulchritudines terrenæ mediis lucernis nocturnis aſpiciendas duntaxat ſeſe exhibeant, ne ipſarum defectus obſervantur. Hæ tres eximiæ qualitates non inveniuntur niſi in cœlo ſ. Impaſſibilitas efficit corpus glorioſum immune ab omni defectu, & reſpondat integritati: Agilitas & ſubtilitas convenientiam habent cum debitâ proportione: Et claritas conſona eſt claritati. In cœlo igitur, & non in terrâ inveniendæ ſunt & amandæ veræ pulchritudines. Præterea, Hæ terranæ ſpecies niſi præ magno cuſtodiri non poſſunt labore. Videte quantam inſumant puellæ & mulieres hujus temporis curam & ſolicitudinem æquè ac tempus prodigant immodicum ad illam colendam. Unde cernitis quòd hæ pulchritudines amari non poſſint abſque ſcelere, & quòd fœmina formoſa ſit præcipitium patens, & quòd ſicut peccatum carnis eſt patratu facilius, ita difficilius eſt ut ex eo quis ſeſe extricet, poſtquàm ei aſſuefactus eſt; quia id quod noſtris blanditur ſenſibus, eſt noſtræ carni convenientius, & ex eo difficilior panditur aditus, ita ut prodigium gratiæ requiratur ad hoc ut quis ab eo eximatur, eò vel maximè quia cætera vitia, de quibus vobis ſum locutus, in iſto deprehendantur. Superbia, Valle amari propter vitium quod meretur horrorem. Ingratitudo, Deus nobis ſpecioſum donavit corpus, eoque nos utimur ad eum offendendum, *Haccine reddis Domino* t? Avaritia, Meretrix, aut quælibet mulier impudica, proſtituendo ſe, ſolis invigilat ſuis commodis, dans ut detur ſibi. Contemptus Dei, cùm poſtponatur Deus creaturæ, *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit* u. Prodigitas, omnem diſſipat impudicus *ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè* x. Invidia, Livore tabeſcit luxurioſus, ſi alius magis ab amicâ ametur quàm ipſe. Triſtitia, Innumeræ

r D. Th. 2. 2. q. 145. a. 2. in concl.

ſ 1. Cor. 15. 40. &c.

t Deut. 32. 6.

u Prov. 18. 3.

x Luc. 15. 13.

ræ ſparguntur famæ injurioſæ aliis, detractiones, &c. Ira, Excandeſcit lubricus in cottivalis. Pigritia & Gula, quæ ſunt illius fomites & *eſca*, Obſtinatio. Scandalum tandem, Cùm hic & iſta digito demonſtrentur ab omnibus, & ipſi hæc nuncia fiant ultimi.

Amoris profani latete non poteſt modus procedendi. Ignis eſt amor hujusmodi, & citò videtur ejus fumus, oportet ut omnes illius praxes pateant. Fabulæ, quæ ſub corticibus ſuis ementitis ſpecioſas contegunt veritates, comminiſcuntur, quòd Ignis, Aqua & Amor præſentiæ ſuæ nobis aliquando voluerunt exhibere notas. Ignis dixit, Ubi erit fumus, ſtatim cognoſcetis me ibi intereſſe, Aqua ait, Ubi inveniuntur junci, ibi adſum. Amor autem inquit, Nullas equidem præſentiæ meæ præbeo probationes, ſed citò notitiam mei compatabitis; ſtatim enim ac aliquam ingrediot civitatem, unusquisque de me loquitur in circulis & ſocietatibus, nemo eſt qui me non promat in medium. Ego autem ſic argumentor: Ubi ſunt majores vincendæ vires, plures oppugnandi inimici, & ingentior noſtra infirmitas, inde exire vix poſſumus victores niſi majore adhibito labore: Ad hoc peccatum omnes concurrunt inimici, noſtra verò infirmitas eſt maxima, cùm hoc peccatum noſtris blandiatur ſenſibus, & omnia ſint naturæ noſtræ conformia: Maximi ſunt ergo labores inſumendi ad hoc ut de eo glorioſam reportemus victoriam, & inde vix exire poſſumus (cùm janua ſit veluti clauſa per pravam conſuetudinem) niſi fortè præ miraculo gratiæ, & dicat nobis Deus, *Mundare*, ſingulos noſtrî alloquens.

Plura operatus eſt Dei Filius miracula. Primum peregit *in Canâ Galilææ aquam vinum* y faciens. Aliod, quo Centurionis Cornelii *ſanatus eſt puer* z. Aliud, *hominem cæcum à nativitate* a ſanando. Magnum miraculum præ ſe ferens reditum à privatione ad habitum, cùm organa eſſent corrupta, nec ulla eſſet in eis diſpoſitio ad viſum ſuſcipiendum. Primum miraculum minùs nobile eſt quàm ſit ſecundum. Tertium nobilius eſt ſecondo propter difficultatem. Et ſecundum nobilius primo, cùm homo ſit excellentior aquâ. Sed maximum horum omnium eſt reſurrectio Lazari, quâ poſt hæc verba *Lazare veni foras*, *ſtatim prodyt qui fuerat mortuus* b. At excellentiſſimum univerſorum iſtorum eſt converſio Magdalenæ, cùm *Ieſus dixit ad illam, Remittuntur tibi peccata* c. Cùm cuncta ſupradicta in hoc inveniantur. Ad deſerendum vitium impuritatis requiritur ſuavitas gratiæ. In hoc autem occurſu Dei potentia magis manifeſtatur, quàm in alio quolibet, cùm ex unâ parte reperiretur obſtinatio voluntatis, & reſiſtentia Magdalenæ; ex aliâ verò conſuetudo, quam contraxerat eadem in impuritatibus ſuis, quæ in quandam veluti indeclinabilem tranſierat neceſſitatem.

y Joan. 2. 1 & 9.
z Matt. 8. 13.
a Joan. 9. 1 &c.
b Joan. 11. 43. & 44.
c Luc. 7. 40. & 49.

Corpora noſtra lutea ſunt, *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus* d. Ideò fragilia ſunt ſicut vitra, quæ ſi contingantur, aut alia aliis ſuperponantur, infringuntur & pereunt: ſic pro primo remedio cuſtodiendæ puritati tonſono, nunquam ſinere deberis tangi vos inurbanè, alioquin puritas perit more floris, quia et ſi pertractetur. Secundum remedium eſt, ut declinetur a legendis libris profanis, amoris inſani methodum edocentibus. Sed legimus eos, ut concinnè loquendi diſcamus modum, dicetis mihi. Ego autem reſpondeo, Ibi eſt venenum abſconditum. Suum Chirurgus oleo inungit ſcalpellum, quo meliùs pertoret; ſic libri iſti præ ſe ferunt ſuavitatem, ut meliùs corda perforent, alioquin viri aut mulieres virtutem profitentes, eos non legerent. Tertium remedium eſt fuga circulorum æquo liberiorum & nequam, in quibus de rebus profanis agitur. Quomodo enim cuſtodiri poteſt puritas inter hircos infames? Nihil his periculoſius. Sponſus ait Sponſæ. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* e, ad audienda verba aurea puritatis. *Oculi tui columbarum* f, præ puritate aſpectuum. *Sicut vitta coccinea labia tua* g, ad coercenda omnia verba indecentia. *Naſus tuus ſicut turris Libani* h, nihil olfaciens ſenſuale puritati contrariom, quia Libanus idem eſt ac candidatio, & cedri quæ in monte Libano inveniuntur, innuunt incorruptibilitatem. Recurramus igitur ad hunc ſummum Medicum, qui eſt Puritas per eſſentiam, cùm ſit *Sanctus Dei* i, Et dicamus ei ſinguli, *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Et profectò dicet nobis ſingulis, *Volo, Mundare* beneficio gratiæ meæ, poſt quam daturus tibi ſum gloriam meam.

d 2. Cor. 4. 7.
e Cant. 1. 10.
f Cant. 1. 15.
g Cant. 4. 3
h Cant. 7. 4.
i Marc. 1. 24. & Luc. 5. 34.

IN FESTO
IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te. Cant. 4. 7.

VEritas eſt communiter, & abſque ullâ contradictione admiſſa in Philoſophiâ, ea quæ aſſerit, quòd propoſitio univerſalis, quæ concludit per bonam particularem, eſt bona, & ut ſic quòd eſt admittenda Omnes homines ſunt rationales: inde poteſt inferri ſequelâ neceſſariâ, quòd talis homo in particulari eſt rationalis: iſta concluſio eſt legitima. Beatiſſima Virgo *tota pulchra* eſt, ut teſtatur Sponſus ſanctus, qui eſt eſſentialis *Veritas* a, & oraculum omnium veritatum infallibilium: & ex hâc propoſitione concludi poteſt legitimâ conſequentiâ, quòd nullam contraxit unquam labem peccati originalis: Et *macula non eſt in te*. Ipſa fuit ſemper tota repleta plenitudine gratiæ, & hoc fatetur Archangelus, dicens ei, *Ave Maria*.

a Joan. 14 6.

Quàm-

Quamvis potentia, ſapientia, & bonitas Dei ſint una & eadem res, & tres adorandæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis communicent æqualiter tribus iſtis Divinis & ſupremis perfectionibus; & Filius ſit æquè potens ac Pater qui ipſum producit, ut ipſemet ait, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* b;

b Pſ. 2. 7.

& Pater æquè ſapiens ac Filius, & uterque æquè bonus ac Spiritus Sanctus, ſicut iſte æquè potens & ſapiens ac Pater & Filius, è quibus procedit, ſicut ait idem Filius, *Paraclêtum, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit* c:

c Joan. 15. 26.

tamen attribuunt Theologi ſpecialiter potentiam Patri, ſapientiam Filio, & bonitatem Spiritui Sancto. Potentia attribuitur Patri æterno: ſi enim imperare & dare eſt effectus potentiæ, Pater æternus imperat, & dat Filio ſuo incarnato: *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio* d.

d Joan. 5. 22.

Obedientia ſupponit ſubmiſſionem, & iſte Filius incarnatus obedit, ſicut ipſemet fatetur, *In capite libri ſcriptum eſt de me: Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei* e.

e Pſ. 39. 9.

Pater æternus omnia creavit, univerſa eduxit è nihilo virtute Verbi ſui. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* f.

f Pſ. 148. 4.

Sic potentia pertinet ad Patrem, ſapientia ad Filium: nam ſapientiæ eſt ordinare actus intellectus: hoc peragit Filius, ordinat id omne quod eſt mentis Patris ſui: eſt dirigere ad finem: hoc fecit Filius Dei, Diſpoſuit enim negotium graviſſimum noſtræ ſalutis: *Nunquid non Sapientia clamitat? Cum eo eram cuncta componens* g.

g Prov. 8. 1 & 30.

Et, ut ait Incognitus h ſuper verbo prædicta Pſalmiſtæ, *In capite libri ſcriptum eſt de me*, &c.

h Incogn. in Pſ. 39. 9.

Sciendum, quòd Divina præſcientia ac prædeſtinatio liber quidam æternus dicitur, in quo omnia ab æterno ſunt diſpoſita invariabiliter, & Bonorum electio, ac reprobatio malorum. Qui liber ideò dicitur, quia licèt in intellectu noſtro maneat ſcientia, ipſa tamen variatur, quia de eâdem re diverſi diverſa concludunt; quin imò de diverſis temporibus: ſed in libro ſcientia ſcripta uniformiter manens non variatur, ſic quòd ipſa Divina præſcientia, & prædeſtinatio invariabilis perſeverat: Et ille liber dicitur clauſus, quoad illa quæ nobis ſunt occulta; apertus autem, quoad illa quæ nobis ſunt manifeſta. Et quia ſapientia quàmvis communis in tribus perſonis, Filio tamen appropriatur, ſicut potentia Patri, & charitas Spiritui Sancto: ideò hic liber prædeſtinationis & ſcientiæ Dei, Filio Dei, id eſt, ipſi Verbo incarnato appropriatur, in quo quisque noſtrûm legere debet quid agendum, quid ſequendum, quid cavendum, quid timendum, & quid amandum. Sic ſapientia attribuitur Filio, & bonitas Spiritui Sancto. Cùm Spiritus Sanctus ſit bonitas, & *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ut ait D. Dionyſius, i, oportet ut perſonæ Divinæ ſe communicent, Pater diligendo Filium ſuũ, & Filius Patrem ſuũ, & hæc dilectio nõ eſt niſi Spiritus S: atqui tres iſtæ perſonæ Divinæ inſumunt præfatas perfectiones ſibi proprias in favorem beatiſſimæ Virginis, Pater potentiam ſuam, Filius ſuam ſapientiam, & Spiritus Sanctus bonitatem ſuam, ut præſervent eam à peccato originali, *Cùm ſit Dei Patris Filia, Filii Dei Mater, Spiritus Sancti Sponſa*, ut ait Cornelius k.

i D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

Potentia Patris reddit eam Filiam ſuam, ſapientia Filii Matrem ſuam, & bonitas Spiritus Sancti Sponſam ſuam, ut videbimus in tribus partibus diſcurſus iſtius, ut in ſingulis concludamus in favorem ejus, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.*

k Cornel. in Act. 1. 14.

Diviſio.

I. Pars.

Aggredior de repentè ratiocinationem meam, & probare ſuſcipio primam propoſitionem meam axiomate univerſaliter admiſſo in Philoſophiâ, quod nemo negare poterit, niſi minùs ſanæ mentis compos haberi velit: *Qui facit majus, facit & minus.* Pater æternus fecit majus: inferri poteſt legitimâ conſequentiâ, quòd facere poteſt id, quod eſt etiam minus. Fecit majus: eſt enim aliquid majus creatio cœlorum, aſtrorum, elementorum, & eorum omnium, quæ eſt intueri in naturâ, quæ eduxit ipſe è nihilo, quàm præſervatio à peccato: Deus potuit illud omne quod eſt majus: potuit per conſequens & hoc quod minus eſt. Legiſlator eſt ſupra legem, ipſe condidit legem, ad ipſum ſpectat ab eâ eximere quemcumque ipſi placuerit: illud potuit, conſequenter illud voluit, & illud fecit: alioquin non dilexiſſet eam, cùm proprium amori ſit benefacere: ſi ipſo conceptionis inſtanti non præſervaſſet eam à peccato originali, non dilexiſſet eam, cùm non feciſſet ei bonum, relinquens illam in defectu: oporteret igitur dicere, quòd ipſa non eſſet tunc *tota pulchra*, & inſimulare mendacii primam Veritatem, æquè ac maximam iſtam irrefragabilem, *Qui facit majus, facit & minus.* Quin imò audeo dicere, quòd ſi beata Virgo concipi debuiſſet in labe peccati originalis, eſſet ipſa miſerrima & infortunatiſſima omnium damnatorum inferni. Antequàm veritatis iſtius rationem propalem, quia poſſet eſſe difficultas circa hoc verbum debiti, obſervandum eſt priùs id quod ait de Ponte l de illo: *Sed quoniam negari non poteſt, Deiparam habuiſſe debitum contrahendi maculam, à quâ præſervata eſt, & redempta, illud tantùm debitum tribuendum eſt illi, quod minus eſt, & longiùs diſtat à maculâ, & tam Matri quam Filio eſt honorificentius. Eſt autem duplex debitum, radicale ſcilicet, & actuale. Actuale voco, ſi intelligas beatam Virginem ſicut reliquos Adæ poſteros in ejus voluntate, cùm peccavit m, fuiſſe contentam: unde actus ille peccati, ſicut imputatus eſt poſteris, quia omnes in Adam peccaverunt n, ita imputatus eſt Virgini, quæ cum eo Adam peccavit, etſi privilegio ſpeciali cùm imprimenda illi erat peccati macula in ipſâ conceptione, tunc per gratiam eſt ſanctificata, & præſervata; & ſic eſt communior explicandi modus. Debitum autem radicale ſic intellige, ut miſericors Deus, ab æterno decreverit in voluntate Adæ, ſi peccaſſet, omnes poſteros contineri, exceptâ Virgine, quam elegerat in Matrem Filii ſui, quamque ob merita ejuſdem Filii ex eâ naſcituri, voluit in eâ voluntate Adæ ad prædictum effectum non contineri; ideòque in eo non peccavit; peccaſſet tamen niſi ob Chriſti merita excepta eſſet: Et hoc ſat eſt ut redempta dicatur, & liberata ab omni contagione per ipſum; ut eleganter deducit divus Auguſtinus o ex illo Pſalmi, Eruiſti animam meam ab inferno inferiori. Quod ibi optimis confirmat rationibus. Et hâc ratione glorioſiùs vocatur tota pulchra, & ſine maculâ, quia longiſſimè diſtavit ab illâ, nec major ſub Chriſto diſtantia potuit excogitari.* Hoc poſito, ratio, propter quam ſi beatiſſima Virgo concipi debuiſſet in peccato originali, eſſet ipſa miſerrima & infeliciſſima omnium damnatorum inferni, eſt, quòd ſi Adam non inſurrexiſſet contra mandatum Dei ſui, & non peccaſſet, Dei Filius nunquam deſcendiſſet de cœlo in terram ad ſumendam carnem humanam;

l De Pont. lib. 7. in Cant. 4. 7. Exhort. 20. §. 3.

m ex Gen. 3. 6.

n ex Rom. 5. 12.

o D. Aug. in Pſ. 85. 13.

nam; ſi Dei Filius non fuiſſet incarnatus, non habuiſſet Matrem: atqui B. Virgo non fuit facta, niſi ut eſſet Mater Dei: ſi ergo Dei Filius non fuiſſet incarnatus, illa non habuiſſet niſi eſſe poſſibile, tale quale habent creaturæ quæ poſſunt exiſtere & nunquam exiſtent. & hoc modo nunquam ea habuiſſet exiſtentiam: atqui eſſe magis valet quàm privatio eſſe, dæmones habent eſſe, ſicut & damnati, Virgo non habuiſſet illud: ergo fuiſſet infeliciſſima omnium damnatorum: ſi ergo *Evam quæ tam morientium, quàm viventiũ cunctorum mater eſt, & vocari poteſt*, ut ait Cornelius p, venit in mundum ſine peccato originali q: quare Maria, quæ eſt mater viventium non potietur hoc privilegio? *Hinc Eva typus fuit Mariæ; quæ Mater eſt viventium, non temporali, ſed ſpirituali & æternâ vitâ in cælo. Ita S. Epiphanius. Melior ergo Mater eſt Maria quàm Eva. Vnde Lyranus & Abulenſis, Eva, inquiunt, ſignificat matrem omnium, non ſimpliciter, ſed ærumnosè & miserè in hâc mortali vitâ viventium*, ait idem Cornelius. Pater æternus potuit eam præſervare: dicendum eſt ergo quòd eam præſervavit.

p Corn. in Gen. 3. 20. citans D. Epiph. hæreſ. 78.
q Gen. 2. 22.

Sed ut redeamus ad axioma noſtrum, tres obſervo favores conceſſos B. Virgini, majores quàm quòd fuerit concepta ſine peccato originali. Primus eſt, quòd nata fuerit ex D. Annâ & D. Joachim ſterilibus ut filia gratiæ, & precum, *Propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti*, ait D. Epiphanius r. Secundus eſt, quòd fuerit effecta Mater Dei; quæ dignitas eſt qualitas, quæ non habet æqualem nec ſuperiorem: ſi enim haberet ſuperiorem, non eſſet ipſa Mater Dei: & ſicut non poteſt eſſe aliquid perfectius Deo, ſic nec perfectior inveniri poteſt mater Matre Dei, ut ait D. Thomas ſ, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei, & beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito † quod eſt Deus; & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eo: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Nun habet ſimiliter æqualem: alioquin enim Deus haberet diverſas matres, & in hanc caderetur confuſionem, *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate.* Favor iſte Divinæ Maternitatis plures alios ſecum invehit, nimirum quód prædita fuerit uſu rationis ab inſtanti ſuæ conceptionis, quòd Virgo fuerit & Mater, quòd gravida fuerit ſine gravedine, & pepeperit abſque dolore, ut ait illi D. Bernardus t, *Aperi Virgo ſinum, expande gremiũ, præpara uterum, quia ecce facturus eſt tibi magna qui potens eſt, intantùm ut pro maledictione Iſrael, beatam te dicant omnes generationes. Nec ſuſpectam habeas prudens Virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, ſed ſine peccato. Gravida eris, ſed non gravata: paries, ſed non cum triſtitiâ: neſcies virum, & gignes Filium.* Tertius eſt, quòd non fuerit materia cinerum, ita ut hæc applicari poſſint ei verba, quæ Filius ipſius dicit Patri ſuo, ob ſtrictam unionem quæ eſt inter Matrem & Filium, *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem* u. *Id eſt, non permittes corpus meum immaculatum, per corruptionem incinerari* x. Tres iſti favores, quibus cumulavit Deus B. Virginem, majores ſunt quàm quòd præſervaverit eam à peccato originali: concludendum eſt igitur; *Qui poteſt majus, poteſt & minus.* Pater æternus, cùm fecerit majus, poteſt etiam minus; hoc potuit: ergo fecit iſtud, ut demonſtraret ei amorem ſuũ.

r D. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
ſ D. Tho. 3. p. q. 25. a. 6 ad 4.
† ex Baruch 3. 25.
t D. Bern. hom. 3. ſuper Miſſus eſt, ex Luc. 1. 31. &c.
u Pſ. 15. 10.
x Incogn. in Pſ. 15. 10.

Pater æternus igitur inſumit potentiam ſuam, ut reddat illam Filiam ſuam immunem ab omni peccato, & tribuit ei potentiam generativam patiendi in tempore eundem Filium, quem ipſe producit in æternitate, quæ eſt id quod ipſe habet auguſtiſſimum in adorandâ perſonâ ſuâ, & quòd ipſe tenuit Filio ſuo. Pater æternus producit ex ipſo beatæ æternitatis momento Verbum ſuum intuitu omnium perfectionum ſuarum, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te* y. Et iſte Filius, quem gignit inter ſplendentia lumina ſua, ſecum abripit totum eſſe, & totam vitam Patris, cujus eſt imago & figura: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* z. Si Pater æternus eſt principium Verbi ſui, Verbum eſt ipſius terminus: Pater æternus ſemetipſum exhauſit in hâc productione ſuâ: quid præbebit igitur Mariæ? Pater æternus ſibi reſervavit qualitatem Patris, quæ eſt character adorandæ perſonæ ipſius, qui diſtinguit ipſum à Filio, & à Spiritu Sancto: hæc eſt igitur qualitas quam ipſe tribuit Mariæ: cùm acquirit ipſa titulum Matris, obtinet ipſa favorem & potentiam à Patre æterno producendi in tempore illius, quẽ idem Pater æternus producit in æternitate; ſed præ circunſtantiâ glorioſiori, quæ in hoc eſt ſita, quòd acquirit ipſa jus imperii ſuper hunc Filium, cui Pater æternus nunquam imperaverat, quia ipſi erat æqualis, ut ipſemet Filius ait, *Ego, & Pater unum ſumus* a. Et D. Athanaſius b, *Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* Et in hâc ſecundâ qualitate Maria abſolutè ei imperat, *Et erat ſubditus illis* c. Id eſt, Jeſus Mariæ digniſſimæ Genitrici ſuæ, & Joſepho Sponſo ejus, & amabiliſſimo nutricio ſuo. Unde D. Bernardus d exclamat intuitu ſupremæ dominationis hujus Mariæ, æquè ac ingentis humilitatis Jeſu, *Quòd Deus Fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo; & quòd Deo Fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio.* Pater æternus producit eum intuitu excellentiarum ſuarum, Maria verò intuitu depreſſionum ſuarum, *Ecce ancilla Domini* e, &c.

y Pſ. 109. 3.
z Sap. 7. 26.
a Joan. 10. 30.
b D. Athanaſ. in Symb. fid. v. 31.
c Luc. 2. 51.
d S. Bern. hom. 1. ſup. Miſſus eſt. poſt med.
e Luc. 1. 38.

II. Pars.

E potentiâ Patris, qui Mariam reddit Filiam ſuam immunem ab omni peccato, communicando ei eandem potentiam ſuam, tranſeamus ad ſapientiam Filii, cujus magis intereſt, cùm honor filii inveniatur in bono patre, & in virtuosâ matre, *Gloria filiorum, patres eorum* f. Propiereà D. Ambroſius g encomiis evecturus ſublimes qualitates, æquè ac nobilitatem D. Joannis Baptiſtæ, ab egregiis moribus parentum ejus eas ſic exorditur ſtatim poſt D. Lucam, *Docet nos Scriptura Divina, non ſolùm mores in his qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, ut veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas, in his quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco ſancti Evangeliſtæ, niſi ut ſanctus Ioannes Baptiſta nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, paſſione? Sic etiam ſancti Samuel mater Anna laudatur* h, *ſic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit* i, *quam poſteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec ſolùm Sacerdos, ſed etiam de vice Abia † id eſt, nobilis inter ſuperiores ſemine. Et uxor, inquit, ejus de filiabus Aaron. Non ſolùm igitur à parentibus, ſed etiam à majoribus ſancti Ioannis nobilitas propagatur: non ſeculari poteſtate ſublimis, ſed religionis ſucceſſione venerabilis.* Tales

f Prov. 17. 6.
g S. Ambr. lib. 1. in Luc. 1. 1. & 2.
h ex 1. Reg. 1. 9. &c.
i ex Gen. 21. 2. &c.
† ex 1. Paral. 24. 10.

enim majores habere debuit prænuncios Chriſti, ut non repentè conceptam, ſed à majoribus acceptam, & in ipſo infuſam jure naturæ prædicare fidem Dominici videretur adventus. Erant, inquit, ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querelâ. Profectò autem magna gloria filio provenit ex eo quòd natus eſt è parentibus honorabilibus; ipſe meliùs honoratur, & præ majori reverentiâ conſpicitur, cùm virtutes parentum illabantur in ſanguinem liberorum: cùm igitur beatiſſima Virgo deberet eſſe Mater Jeſu Chriſti, &, ſecundùm Phyſicos, liberi ſint portio parentum, appoſitèque dixerit Arnoldus Carnotenſis k, *Una eſt Maria & Chriſti caro*, ſi iſta caro peccato originali fuiſſet inquinata, caro Jeſu Chriſti, quæ immolata fuit in cruce (*Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* l) non fuiſſet pura ſemper, & dici poſſet de eâ, quòd educta fuiſſet è maſſâ corruptâ: ut autem illud non ſit, ad hoc Dei Filius inſumit totam ſapientiam ſuam, quæ ſita eſt in dirigendo ad finem: hanc ergo ſic direxit fabricam corporis Matris ſuæ, ut nunquam communicaverit peccato originali.

k Arnold. Carnot. de Laudib. Mariæ.
l Epheſ. 5. 2.

Hanc tangit appoſitè veritatem de Ponte m, ſed ſatis quidem fusè, cùm ait poſt multa, *Deinde. Ex tribus magnalibus quæ de Deiparâ prædicantur in hoc encomio, Tota pulchra, & ſine maculâ, in corpore, in animâ, & in ſpiritu, duo priora, ab inſtanti conceptionis habuit; cur ergo non tertium? quod ſic deduco: In corpore omnes fatemur ſemper integritatem ac virginalem pulchritudinem conſervaſſe, etſi Filium conciperet, & pareret, virtute Altiſſimi obumbrante illam* n; *& inſuper integrum perpetuò manſiſſe poſt mortem, ut nulli corruptioni ſubjectum, nec in cineres ſit reverſum, quia ex eo caro Chriſti deſumpta eſt. Oportebat autem, inquit ſanctus Auguſtinus* o, *ut ſancta Chriſti caro, non ſolùm in ſeipsâ non videret corruptionem* p, *ſed nec etiam in carne Matris ſuæ: nam caro Chriſti caro Mariæ eſt, & quaſi una caro reputantur. Multò ergo magis oportebat, ut etiam caro illa non conjungeretur animæ corruptione peccati infectæ, unde majorem ſine dubio ignominiam contrahebat, majuſque dedecus in Filium redundaret, quantò pejor eſt culpa quàm pœna: reverſio enim in pulverem pœna eſt originalis culpæ. Prætereà, Omnes etiam fatemur Deiparam totam pulchram, integram, & perfectam ſemper fuiſſe in animâ, quæ nullos in parte ſentiente defectus ex peccato originis provenientes experta eſt: nunquam eam vexavit peccati fomes, nunquam caro concupivit adversùs ſpiritum, nunquam appetituum motus rationem ejus prævenerunt, & turbarunt; ſed ſemper magna fuit inter eos concordia, magnuſque omnium appetituum ejus cum ratione conſenſus, ut præ omnibus Deipara homini ſuo exteriori, ſeu inferiori portioni dixerit, Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu* q. *Cùm igitur dona Dei ſint perfecta, quæ Matri contulit ut effectibus peccati originalis careret, multò magis contuliſſe dicendum eſt, ut ipſo nunquam maculata fuerit; quia hoc optabilius ei erat, ne vel ad momentum temporis Dei diceretur inimica, & ab eo eſſet elongata, quæ per quandam antonomaſiam amica & proxima nuncupatur. Fuit ergo tota pulchra etiam ſpiritu & mente, quam nulla infecit labes, ſemper ornavit gratia, & intima cum Deo ipſo amicitia.*

m De Pòt. lib. 7. in Cant. 4. 7. exhort. 20 §. 3.
n ex Luc. 1 35.
o ex S. Auguſt. lib. de Aſſumpt. B. M. V. c. 3.
p ex Pſ. 15. 10.
q Pſ. 54. 14. & 15.

Veritatis iſtius, quòd beatiſſima Virgo peccati originalis labe non fuerit infecta, multas Scriptura ſacra figuras nobis exhibet intuendas. Lege Levitici r cavetur, quòd ſi fortè quis in ſervitutem fuerit redactus, hàc lege liceat alicui è propinquis illius ſolvere redemptionem ejus, ipſumque liberare; ſi autem neminem habeat propinquum, à quo in priſtinam reſtituatur libertatem, anno ſaltem jubilei, libertate donetur, *Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei, aut cuiquam de ſtirpe ejus: poſt venditionem poteſt redimi. Qui voluerit ex fratribus ſuis, redimet eum, & patruus, & patruelis, & conſanguineus, & affinis. Quòd ſi redimi non potuerit, anno jubileo egredietur.* Natura humana erat ſervituti ſubjecta, gemebat ipſa ſub captivitate peccati tyrannicâ: juxta legem poterat ipſa redimi, & liberari: circumquaque intuetur ipſa, ut invenire queat aliquos propinquos. Ipſa ſe convertit ad Angelos; ſed illi reſpondent ei, quòd ipſi non ſint è progenie ejus, cùm ſint puri ſpiritus, ipſa verò corporeæ concretionis mole ſit prægravata. Ad beſtias ipſa deſcendit: ſed illæ reſpondent ei, quòd illud ad ipſas non pertineat, eò quòd non ſint ejuſdem ſpeciei, ſed quòd vitam duntaxat habeant animalem, non autem rationalem. Quid aget homo? nullos habet propinquos qui libertatem ipſi impendendam procurent: Deus miſeretur illius in tali miſeriâ conſtituti, Filius Patris æterni ſemetipſum offert ad veniendum impenſum operas ſuas ad liberationem ejus, *Ecce ego, mitte me* ſ. Ipſe præſentat ſe ad veniendum ſolutum catenas ejus, & indultum ei jubileum perfectiſſimæ libertatis, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* t. Nam, ut ait Cornelius u, *Deus voluit jubileum eſſe typum pleniſſimæ libertatis, gratiæ, & lætitiæ, quam attulit, & in quam aſſeruit nos Chriſtus Redemptor in Lege novâ, ut patet Lucæ* x 4 19.

r Levit. 25. 47. &c.
ſ Iſa. 6. 8.
t Galat. 4. 31.
u Corn. in Levit. 25. 49 &c.
x ex Luc. 4 19. & 20. & ex Iſa. 61. 1. & 2.

Sed quomodo? (ut dicere præſumpſerunt aliqui Hæretici) quòd Dei Filius naſcatur è peccatoribus, & è peccatricibus, cùm *Liber generationis IESU Chriſti* y meminerit Davidis adulteri & homicidæ z, Salomonis idololatræ a, Rahab meretricis b & Ruth Moabitidis c? Ha! videtur hoc indecorum. Reſpondeo, hoc injurioſum non eſſe Deo: cùm enim ædificanda eſt aliqua ſpecioſa domus, ſumuntur lapides rudes, æque ac magni, qui ponantur in fundamentis ad eam ſuſtentandam; ſed inter eos eſt lapis fundamentalis: omnes iſti lapides rudes qui ponuntur circum hunc lapidem fundamentalem, non inhonorant eum tactu ſuo; eſt enim lapis veluti privilegio munitus: ſic beatiſſima Virgo eſt lapis magnus, qui portare debet totum ædificium palatij, quod Verbum Divinum debet inhabitare: *Illa enim reperitur eſſe templum: quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem: peperit enim Dominum* d, *qui eſt ſpes* e *totius mundi, nempe Chriſtum*, ait ſanctus Epiphanius f. Et aliquantò pòſt, *Mons nullatenus inciſus, præruptam habens Petram Chriſtum, de quâ ſapientiſſimus Daniel* g *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. Hoc eſt abſque viro ſolidam Petram Chriſtum Virgo peperit, ipſa templum minimè compoſitum, quæ lapidem cœleſtem habes Chriſtum.* Et ſanctus Auguſtinus h, *Sapientia (quæ utique Chriſtus eſt) ædificavit ſibi domum* i. *Poteſt & corpus ejus dici domus ipſius, ſicut dicitur & templum ejus. Si enim propter habitationem*

y Matt. 1. 1. &c.
z 2. Reg. 11. 4. &c.
a 3. Reg. 11. 4.
b Joſue 2. 1.
c Ruth 2. 6
d ex Luc. 2 7.
e ex Pſ. 141. 6.
f S. Epiph. de laudib. Deipar
g Dan. 2. 34.
h S. Aug. q. ex Vet. & Novo Teſtam. q. 52.
i Prov. 9. 1

tionem dicitur templum Dei k, *non abſurdè dicetur & domus.* David, Salomon, Rahab, & Ruth ſunt veluti alii lapides poſiti circum hunc lapidem fundamentalem Mariæ, cui nullum poſſunt inferre detrimentum, cùm lapis iſte fundamentalis à Sapientiâ Divinâ ſit privilegio donatus.

Filius igitur iſte Divinus, qui non minùs diligit Matrem ſuam, quàm Pater ipſius amet eam ut Filiam ſuam, communicando ei potentiam ſuam; quique ab eodem ſancto Auguſtino *l* poſt Scripturam, *Sapientia appellatur, quia non aliunde quàm de Patre veniens credentibus arcana cœleſtia revelavit* m, gratificatur ei duabus qualitatibus, ſive titulis eximiis ſibi propriis: Ipſe eſt *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* n. Eſt etiam illius primogenitus quantùm ad ordinem prædeſtinationis, *Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, ait ſanctus Paulus o. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p: *Ut ſit ipſe Filius Dei primogenitus in multis fratribus, id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum* q, *& jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo. Porrò ut unigenitus non habet fratres, ſic enim eſt unicus Filius, verusque Deus: ſed ut primogenitus, fratres habet, quorum ipſe naturam aſſumpſit, & ſua gloria participes erunt.* Iſte Filius reddit ſe ſuæ Matris unigenitum, & primogenitum, *Peperit Filium ſuum primogenitum* r. Et conſtituit eam unicam, & primogenitam. Unicam, *Una eſt columba mea, perfecta mea* ſ. Unde appoſitè de Ponte † dicit: *Eſt enim una columba, & una perfecta, quia unica eſt Mater Chriſti: nec in hâc præcellentiſſimâ dignitate potuit habere conſortem. Præterea, Una fuit columba in ſingulari modo ſanctificationis, nulli ex filiis Adæ & Evæ conceſſo, vel unquam concedendo. Peculiari enim privilegio ita unicè ab æterno eſt dilecta, ut decreverit Deus propter Chriſti merita etiam peccante Adamo, & omnem naturam humanam inficiente, illam ſolam ab hâc contagione excipere, & immaculatam ſemper ſervare, ſimul creans animam, & infundens ſanctificantem gratiam: meritò ergo unica eſt columba, ſuper quam Spiritus Sanctus requievit in primo inſtanti Conceptionis ſuæ. Deinde, Una eſt columba, & una perfecta ex plenitudine gratiæ, ſanctitatis, ac perfectionis, quam obtinuit, ad quam nullus Sanctorum potuit pervenire.* Et primogenitam, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* t. Super quod ait Hugo Cardinalis u ritè ad propoſitum noſtrum, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita. Et omnis creatura ex ore Altiſſimi prodiit; Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt univerſa* x. *Cur ergo pro laude Virginis ponitur quod omnibus eſt commune? Reſponſio. Quia ipſa eſt principium Chriſti, eſt os Patris: & quia de ipſâ ſpiritualiter dixit, tota Trinitas: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* y. *Primogenita ante omnem creaturam, id eſt, dignior omni creaturâ purâ.* Ipſa fuit prævisa ſeorſum antequàm Deus tractaret cum Adamo, natura ceſſit gratiæ, & gratia opus iſtud eximium elaboravit. Sicut cùm aliqua navis advenit ex Oriente, & appellitur ad aliquem è portubus noſtris, confeſtim miniſtri & officiales inſtituti à Rege ad exigendos denarios Regios, quos Princeps juſtè imponit ad cuſtodiendos Status ſuos, quales ſunt tributa, vectigalia, &c. accurrunt ut agnoſcant illius merces; ſed ſi ibi ſit aliqua ſarcina, in quâ ſint panni ad induendum Principem, nihil propter eam illi exigunt, alia merx nihil debet, ſed ubique gaudet immunitate cùm ſit negotium quod Regem ſpectat: ſic Deus impoſuit tributum omnibus poſteris Adæ, qui venientes in mundum tenentur omnes ſolvere, ſunt tributarii peccato originali, *In quo omnes peccaverunt* z. Sed beatiſſima Virgo fuit vas pretioſum, *Vas admirabile, opus Excelſi* †. Seu, ut ait Hugo Cardinalis a, *Vas admirabile beata Virgo, Arca Noe* b, *Urna aurea plena manna* c, *Pera David* d, *Thronus Salomonis, Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem* e. *Opus excelſi, Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* f. Ipſa fuit pannus exquiſitus, quo *Rex Regum, & Dominus dominantium* g induendus erat, ut ait illi ſanctus Bernardus h, *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud eum* i. *In te manet, & tu in eo: & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ majeſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut Mulier circundaret Virum* k, *nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur, Ecce vir, Oriens nomen ejus* l. *Novum quoque fecit in cœlis, ut Mulier Sole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari.* Veniendo igitur in mundum per Conceptionem ſuam, publicatur immunitas à peccato originali incurrendo, in gratiam ejus, ipſa nihil debet, quia ſpectat ad Regem Chriſtum, qui ideò inſumit ſapientiam ſuam, ut illam à tributo peccati originalis eximat.

Spiritus Sanctus vice ſuâ gloriæ ducit hanc Sponſam ſuam ſibi devincire, & ſuam adhibere bonitatem in illius favorem. Proprium eſt bono ſe communicare, ut ſuprà audiviſtis ex divo Dionyſio m, *Bonum eſt diffuſivum ſui.* Spiritus Sanctus vocatur donum præ excellentiâ, & origo omnium donorum, & cùm ſuſcipimus gratiam Divinam, recipimus Spiritum Sanctum ſicut donum, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* n. Et ſicut Sol illuminat per ſemetipſum, influit, & eſt origo omnium influentiarum, quas cœlum communicat terræ, & ut ſic vocari poteſt donum, quo Deus gratificatur naturæ; ita Spiritus Sanctus eſt donum, quod Deus largitur hominibus in ordine ſupernaturali gratiæ. Præterea, Eſt origo omnium gratiarum particularium, quæ oriuntur ab ipſo ut à principio ſuo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* o. Spiritus Sanctus eſt amor ſacer Patris & Filii p; amor iſte fuit origo doni Patri erga Filium, quia Pater cognoſcens & diligens perfectiones ſuas, fœcunditate Divini intellectus ſui, eſſe, vitam & Divinitatem tribuit Filio ſuo q: Hic idem Divinus amor fuit origo doni Patri æterno, & Verbo increato erga Spiritum Sanctum reciprocatione amantiſſimâ; & ſanctâ gratitudine ſe reddit originem doni erga Filium: plenè enim & penitus ſe communicat B. Virgini r, eamque præparat ad hoc ut ſit digna Mater Dei; & ſic Spiritus Sanctus qui erat ſterilis in Trinitate, fœcundus efficitur in tempore, reddens JESU Chriſto in tempore id, quod ab eo ut Verbo increato ſuſceperat in æternitate, à quo in unita-

k ex 1. Cor. 3. 17.
l S. Aug. ſerm. 2. in Feſt. Trin. qui eſt 190 de Temp.
m ex Joan. 1. 18.
n Joan. 1. 18.
o Rom. 8. 29.
p Dion. Carth. art. 02. in Rom. 8. 29.
q ex Epheſ. 1. 22.
r Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
ſ Cant. 6. 8.
† De Pont. lib. 9. in Cant. 6. 8. exhort. 3. §. 4.
t Eccl. 24. 5.
u Hugo Card. in Eccli. 24. 5.
x ex Pſ. 148. 5.
y Gen. 2. 18.
z Rom. 5. 12.
† Eccl. 43. 2.
a Hugo Card. in Eccl. 43. 2.
b ex Gen. 6. 14.
c ex Hebr. 9. 4.
d ex 1. Regum 17. 40.
e 3. Reg. 10. 18.
f Eccli. 24. 10.
g 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.
h D. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. Signum magnum, &c.
i ex Luc. 1. 30.
k ex Jer. 31. 22.
l Zach. 6. 12.
III. Pars.
m S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
n Rom. 5. 5.
o Jacob. 1. 17.
p Jo. 15. 26.
q Pſ. 2. 7.
r Luc. 1. 35. &c.

te principii cum Patre productus erat. Spiritus Sanctus igitur, cui bonitas attribuitur, quia communicat ſe per gratias ſuas, ſuam inſumens bonitatem erga beatiſſimam Virginem, ad hanc inducitur communicationem peragendam duplici ratione, gratitudinis nimirum, & zelotypiæ. Invitatur ad ſe communicandum beatæ Virgini titulo gratitudinis: per beatiſſimam enim Virginem fœcundus factus eſt in tempore, cùm infœcundus eſſet in æternitate, *Quod in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt* f. In Trinitate nihil ipſe producit: Pater generat Filium ſuum: Pater & Filius in unitate principii producunt Spiritum Sanctum: ſed Spiritus Sanctus eſt terminus, & nihil producit, cùm totum ſit productum; alioquin eſſet progrediendum in infinitum: ſed in tempore per beatiſſimam Virginem fœcundus efficitur, producit in viſceribus beatiſſimæ Virginis eundem Filium Dei, quem Pater æternus producit *in ſinu* t ſuo, juxta id quod eidem beatiſſimæ Virgini *Angelus dixit, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te* u. *Hoc eſt, non naturali viâ, non virili concurſu, non poteſtate Angelicâ, ſed ſuperveniento, id eſt, de ſupervemiente & ſupra id quod nunc contulit tibi, tunc abundantius influente Spiritu Sancto concipies, quia ipſe te fœcundabit, ex tuis puriſſimis ſanguinibus corpus Verbo Dei aptando, formando, & ſubitò organizando,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus x. Non quòd Spiritus Sanctus ſit Pater Filii: nequaquam. *Generatio eſt origo viventis à vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ,* ait Philoſophia. Licèt enim in hâc productione ſit *origo viventis à vivente principio conjuncto,* quod eſt Spiritus Sanctus, beatiſſimæ Virgini, qui ambo vitam habent, tamen ei deeſt hæc conditio ad generationem requiſita, *in ſimilitudinem naturæ.* Spiritus Sanctus igitur invitatur titulo gratitudinis inſumere bonitatem ſuam in favorem beatiſſimæ Virginis Sponſæ ſuæ, ei benefacere, illamque à maculâ peccati originalis præſervare. Inducitur & ob alteram rationem, id eſt, zelotypiæ, *Deus Zelotes* y. Quia ſponſus zelotypus, qui benè diligit ſponſam ſuam, deſiderat eam totam pulchram, qualitatibus omnibus naturalibus perfectionibusque cunctis poſſibilibus præditam, & ab univerſis defectibus immunem: propter iſtas rationes Spiritus Sanctus inſumit bonitatem ſuam in favorem beatiſſimæ Virginis, ut illam præſervet ab omni peccato originali, dicens ei, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Sanctitas eſt objectum amoris, imò verò motivum dilectionis: conſequenter ubi magis eſt charitatis, ibi magis eſt gratiæ & ſanctitatis: & ſic in Mariâ amplior eſt gratia & ſanctitas: *Nam etſi plures dicantur pleni gratiâ, & repleti Spiritu Sancto,* dicit de Ponte z, *quia totam gratiarum habuerunt plenitudinem, quam eorum munus, ſtatus, & conditio exigebat; tamen in hoc Deipara omnes antecellit, ſicut dignitas Matris Dei alias ſuperabat. Nondum Filium conceperat, & jam vocatur ab Angelo gratiâ plena* a: *& audeo dicere tantâ plenitudine, quæ nec in terris, nec in cœlis hactenus inventa fuiſſet major: nam quànvis Angeli ſuperarent viſione beatificâ, ipſa tamen præcellebat gratiâ, & charitate, quam non repugnat in viatore majorem eſſe, quàm in aliquo comprehenſore. Quàm immenſam ergo plenitudinem obtinuit, cùm poſt longiſſima, & copioſiſſima, ac excellentiſſima merita ad plenam menſuram in ſuâ vitâ pervênit? cui Angelus dixit: Inveniſti gratiam apud Deum* b. *Verè talem gratiam invênit, qualem nullus Sanctorum.* Hinc exclamat David c, avus illius, eam alloquens, *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.* Unde Lorinus d ait, *De Mariâ Virgine Germanus Conſtantinopolitanus apertiſſime contendit verbis his Davidem in ſpiritu ceciniſſe, ut de civitate magni Regis, atque maniſeſtiſſime, ac ſine ullâ contradictione ita ſentiendum: illam verò ſuperiorem omnibus eſſe, non domorum excellentiâ, & altitudine excitatorum ædificiorum, ſed Divinarum & ſublimium virtutum magnitudine; & puritate, nullâ penitus culpæ aſſinem, in quâ qui verè eſt Rex Regum, & Dominus dominantium* e, *habitavit. Eccleſia* f *ſic uſurpat in Officio parvo beatæ Mariæ: Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te ſancta Dei Genitrix.* Civitas idem eſt ac civium unitas: ipſa eſt quæ univit in ſe Divinitatem cum humanitate in eâ. *Verum enim,* ut ait Divus Bernardus g, *& anima & caro in unam convenêre perſonam: & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ* h. *Mirum enim eſt quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit: quomodo credi potuit quòd Deus eſſet homo: quòd Virgo manſerit quæ peperiſſet. Sicut ferrum & teſta jungi non poſſunt; ſic & hæc duo nequeunt commiſceri, ſi non miſceat gluttinum Spiritus Sancti.* Ipſa eſt etiam Mater Angelorum, & omnium Chriſtianorum, cùm non faciant niſi unicam Eccleſiam unione charitatis, cujus Eccleſiæ Caput eſt Jeſus Chriſtus Filius ipſius, *Ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* i. Seu, ut ait Dionyſius Carthuſianus k, *Chriſtum Deus Pater conſtituit Principalem ſuper omnem Eccleſiam militantem, ac triumphantem, quæ eſt corpus ipſius Chriſti myſticum, quoniam unitur ei, ut Capiti, per communionem naturæ participationemque gratiæ.* Igitur *quia membra ſumus corporis ejus* l, & conſequenter fratres ejus, *Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus* m, & ut ſic filii Mariæ adoptivi; cùm honoraverimus in hoc diſcurſu ſanctiſſimam Virginem conceptam ſine labe peccati originalis, ut digniſſimam Filiam Patris æterni, qui communicavit ei propter hunc effectum eminentem potentiam ſuam, ſatagamus efficere nos filius adoptivos ejuſdem Patris æterni, conſervando gratiam, quam ſuſcepimus in Baptiſmo, ubi renati *ex aquâ & Spiritu Sancto* n, *ſed abluti, ſed ſanctificati, ſed juſtificati in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* o fuimus à peccato originali, quod inficit totam naturam humanam; Baptiſmo, qui aperit nobis januam cœli, & è filiis Satanæ (*Eramus naturâ filij iræ, ſicut & cæteri* p) nos efficit filios Dei, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* q. Dicebat aliàs Judæis Ieſus, *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite* r. Ita ſi Chriſtiani ſumus, filii Jeſu Chriſti, faciamus opera Chriſtianorum, & aſſimilemur Jeſu Chriſto, *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* ſ Pater æternus. Eſtiſne Chriſtiani? Unuſquiſque dicit, quòd ſic. Mutemus mores noſtros, & tunc dicemus, quòd verè Chriſtiani ſumus. Omnes nos *ſumus membra corporis ejus* t, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* u hujus, quod ſuas communicat influentias reliquo corpori, motum & ſenſum: ſic Deus tribuit nobis ſenſum fidei. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumē ſuum,* ait nobis D. Petrus x. Et obſtringit nos ad credendū,

Quo-

f Matt. 1. 20.
t Joan. 1. 18.
u Luc. 1. 35.
x Dion. Carth. art. 3. in Luc. 1. 35.
y Exod. 20. 5.
z De Pont. lib 9. in Cant. 4. 7. exhort. 3. §. 4 ex D. Th. 3. p. q. 27. a. 5. & q. 7. a. 1. ad 1.
a ex Luc. 1. 28.
b Luc. 1. 30.
c Pſ. 86. 3.
d Lorin. in Pſ. 86. 3. citans D. Germ. orat. in Adorat. Venerandæ Zonæ Deip. Virg. c. 1.
e ex 1. Timot. 6. 15. & ex Apocal. 19. 16.
f Eccleſia ex Pſ. 86. 7
g D. Bern. ſerm. 3. in Vig. Nat. Dom.
h ex D. Athan. in Symb v. 34
i Epheſ. 1. 22. & 23.
k Dion. Carth. art. 3. in Epheſ. 1. 22. & 23
l Epheſ. 5. 30.
m Rom. 8. 29.
n Joan. 3. 5
o 1. Cor. 6. 11.
p Epheſ. 2. 3.
q Jo. 1. 12
r Jo. 8. 39.
ſ Rom. 8. 29.
t Epheſ. 5. 30.
u Coloſſ. 1. 18.
x 1. Pet. 2. 9.

Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unū ſunt y. Sed hęc fides debet eſſe viva: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operibus mortua eſt* z, Filius Mariam reddidit Matrem ſuam, præſervans eam ſuâ ſapientiâ à peccato originali; oportet etiam ut conceptiones noſtræ ſint puræ, ſi velimus eſſe digni filii Matris hujus quæ nos adoptavit *juxta crucem* † in perſonâ S. Joannis. Et Spiritus ſanctus Sponſam ſuam titulo gratitudinis, & zelotypiæ; fœcundus per eam effectus, & volens eam pulchram; fœcundi eſſe debemus bonis operibus, & cuſtodire nos in gratiâ, ut habeamus gloriam.

y 1. Joan. 5.7.
z Jacob. 2.26.
† Joan. 19.25. & 26.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt pauperes evangelizantur. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Matth. 11. 3. &c.

RÈs inoſitata quòd ubi Dei Filius exivit à *Patre, & in mundum* a venit, qui *mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit: In propria venit, & ſui eum non receperunt* b. Venit ab Empyreo, miſſus à Patre ſuo æterno c, non præ mandato, quod ſupponit ſuperioritatem, & in Divinitate omnia ſunt æqualia, *Ego & Pater unum ſumus* d. Non præ conſilio, cùm ille, qui conſilium præbet, ſupponatur ſapientior & intelligentior eo, qui illud ſuſcipit; & ipſe eſt *Sapientia* e Patris æterni. Non ut effectus à ſuâ causâ, cùm effectus ab eâ pendeat; in divinis autem, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Et in hâc Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus; ſed tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales,* ait S. Athanaſius f. Sed per miſſionem extraordinariam. In mundum venit, & à mundo non fuit agnitus poſt tot authentica teſtimonia, *Tres ſunt qui teſtimonium dant, Pater* g, in fluvio Jordane, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* h: *Verbum, & Spiritus ſanctus* i. Iſte in formâ columbæ, *Baptizatus Ieſus, vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe* k Qui ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum* l. Ecce miſſio ejus, & tamen in mundo non eſt agnitus, quod eſt inauditum.

a Joan. 16.28.
b Joan. 1. 10. & 11.
c Iſai. 6. 8.
d Joan. 10.30.
e Sap. 7. 24.
f S. Athan. in Symbol. v. 7. & 24.
g 1. Joan. 5.7.
h Matth. 3.17.
i 1. Joan. 5.7.
k Matth. 3.16.
l Joan. 16.28.

Idcircò S. Joannes Baptiſta hanc ad eum legationem mittit, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Sed quomodo? Ille qui eum prædicaverat; *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* m; quânam ratione verè poteſt ei dicere, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Hæc dicere ei intendebat S. Joannes, cùm jam te prædicaverim in mundo, ſine obſecro ut vadam te prædicatum Patribus qui ſunt in limbo, & ad eos deferam hoc jucundum nuntium, quòd proxima ſit ipſorum libertatio (*S. Joannes in vinculis* erat tunc, & mortem præſtolabatur jam imminentem.) Vel, videns ſuos diſcipulos incredulos, mittit eos ad Chriſtum, qui exhibitione ſuorum miraculorum, authoritatis ſuæ inſignium, incredulitati eorum ſalutarem medelam apponat; imitatus ſanctus Joannes Bacchalaureum in materiâ Chirurgicâ, qui manet in Officinâ, & levibus medetur vulneribus; ſed quoad periculoſiora remittit ea ad præcipuum Magiſtrum veluti artis ſuæ peritiorem, qui eis apparatus applicet congruos: vel adhærens S. Joannes tyroni citharædo citharam ritè concinnatam pulſanti; ſed ſi deordinetur cithara, oportet ut Magiſter citharædus ei componendæ manum applicet. Virgo ſanctiſſima non fuit incredula, *Beata quæ credidiſti* n; Credidit illa Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria.*

m Joan. 1.26. & 29
n Luc. 1. 45.

Ordinarium eſt mundo, & iis qui agunt juxta ejus maximas, quòd cùm Principes ſupremi ſibi proponunt ſuus circuire Status Politicos, & perſonaliter viſitare præcipuas Regni ſui civitates, diſponant ſe earum Magiſtratus, hunc adventum præſtolantes, ad eos dignè excipiendos. Inter alias autem diſpoſitiones prima eſt, Quòd dirigunt & planam efficere ſatagunt viam, per quam ad ipſos venire debet Princeps. Secunda, Magnificum parant ei domicilium ditatum & ornatum pretioſiſſimis quibusque aulæis & ſupellectilibus. Tertia verò, Illi ſumptuoſiſſimum erigunt convivium, cui nihil deeſt eorum, quæ illud efficere poſſunt celeberrimum; non deficiunt ibi inſtrumenta muſica, concentus ſonori, gratiarum actiones, munera; tandem ibi omnes diem feſtum agunt, ut meliùs honorent Principem, qui ipſos honorare vult viſitatione & præſentiâ ſuâ. Cùm igitur Dei Filius intra breve tempus dignaturus ſit nos viſitare in carne humanâ s; quandiu hunc adventum expectamus, debemus Primò hæc tria obſervare erga Regem cœli, & mittere ad eum hanc legationem cum S. Joanne, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Secundò, Videbimus reſponſum Chriſti factum S. Joanni.

s Luc. 2.7.
Diviſio

Præparare debemus Domino vias, juxta conſilium quod nobis ſubminiſtrat eximius ille Vir, quo *non ſurrexit inter natos mulierum major* p, dum ait, *Parate viam Domini* q. Sed quænam ſunt iſtæ viæ? dicetis mihi, & quomodo ſunt eæ à nobis Domino præparandæ. Veſtræ ſatisfacio petitioni, ſi obſervetis, quòd ſicut juxta ſanctum Dionyſium r, triplex datur motus, circularis, obliquus, & rectus, ſic triplex admittitur via, circularis, obliqua, & recta. *Homines ſeipſos amantes, cupidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei* ſ, primam inſequuntur iſtarum viarum, *In circuitu impii ambulant* t, Semper rebus temporalibus age-

I. Pars
p Matth. 11. 11.
q Luc. 3. 4. ex Iſai. 40. 3.
r S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
ſ 2. Timoth. 3. 2. &c.
t Pſ. 11. 9.

cordium noſtrorum, *Fide purificans corda eorum* n. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus o, *Fide formatâ, quæ per dilectionem operatur* p, *purificans corda eorum, non obſervantiis Legis, quia credendo* q, *non Legem obſervando meruerunt accipere Spiritum ſanctum. Iuſtus enim ex fide vivit* r, *& per fidem habitat Chriſtus in nobis, qui in Evangelio ſ ait frequenter: Fides tua te ſalvum fecit. Nam fide error & ignorantia intellectus repellitur, oculus mentis in ultimum finem dirigitur, vis intellectiva in captivitatem ſe redigit* t, *& Deo perfectè ſe ſubjicit, aſſentiendo ſeu adhærendo his quæ comprehendere nequit, propter authoritatem & reverentiam primæ & inviolabilis Veritatis.* Spiritus ſanctus in conclavi voluntatis immoratur, & hoc per amorem, cùm producatur à voluntate Patris & Filii u. Unde fit, ut, cùm Chriſtus dixiſſet, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*; ſtatim ſubjungat, *Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* x. Atqui oportet ut expellamus ex hâc habitatione perturbationem omnem & inquietudinem, & omne faſtidium, cùm Spiritus Dei, qui ibi debet habitare, non complaceat ſibi niſi in locis quietis. *Et factus eſt in pace locus ejus* y.

n Act. 15.9.
o Dion. Carth. art. 15. in Act. 15.9.
p Ex Galat. 5.6.
q Ex Hebr. 2.10.
r Ex Hebr. 10. 38. & ex Habac. 2.4.
ſ Ex Marc. 5.34. & ex Luc. 7.50.
t Ex 2. Cor. 10.5.
u Joan. 15.26.
x Joan. 14.23.
y Pſ. 75. 3.

Tandem, Tertia diſpoſitio ad dignè excipiendum hunc Regem cœleſtem, qui vult intrare ad nos, & corda noſtra ſuâ honorare viſitatione, requirit ut ſumptuoſum & magnificum erigamus illi convivium, & triplicis generis apponamus ei cibum, alium materialem, alium ſpiritualem, alium verò cœleſtem. Cibum ei ſubminiſtramus materialem, cùm in nomine ejus & propter amorem illius, aliquem paſcimus egenum; & tunc id quod alicui pauperi impendimus, quaſi uni ex membris ipſius, *Quia membra ſumus corporis ejus* z, ipſe ſibi reputat erogatum; idque affirmat præ juramento, dicens: *Amen dico vobis, Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. Sitivi, & dediſtis mihi bibere* a. Secundum ferculum, quod debemus apponere huic Deo amoris, eſt cibus virtutum, deſiderii operandæ ſalutis noſtræ, & zeli quo duci debemus erga noſtram juſtificationem peragendam. Iſte eſt cibus, quem præ omnibus aliis Deus æſtimat, *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis* b, dicebat ipſe aliàs Apoſtolis ſuis, loquens de juſtificatione mulieris Samaritanæ, cujus converſionem tantâ ſolicitudine & curâ promovere ſatagebat. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus c, *Ego cibum habeo manducare, id eſt ſpirituali alimoniâ animam meam reficere, ſcilicet opere virtuoſo, quod mentem alit atque delectat, quemadmodum ſcriptum eſt, Cibabit illum pane vitæ & intellectus* d. *Quem vos neſcitis, qui nondum cognoſcitis myſteria mea.* Deinde ſubjungit in verſum paulò pòſt ſequentem, *Meus cibus præcipuus, id eſt, in quo magis quàm in corporali cibo delector & recreor, eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, id eſt, facere opera Deo Patri placentia, ut perficiam opus ejus, ſingulare & maximum, id eſt, hominum converſionem intendam, atque humani generis liberationem conſummem, de quo opere ait Salvator, Opus conſummavi quod dediſti mihi ut facerem* e. Hunc cibum oſtiatim ipſe emendicat, ut eum conſequatur, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* †. Ad hoc convivium tria debet afferre peccator. Contritionem, *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies* f. Confeſſionem, *Dixi, Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino* g. Et Satisfactionem, *Domine, ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* h. Deus autem ex parte ſuâ tria alia apponet. Remiſſionem culpæ. *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei* i. Infuſionem gratiæ, & collationem gloriæ, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus* k. Sed peccator vult ut Deus omnia peragat, nedum ipſe aliquid ex ſuo ſubminiſtret. Errorem deponite. Veſtrum eſt, hoc erigere convivium, in quo magnificè excipiatis iſtum Divinum Hoſpitem, qui ſuâ viſitatione vos citò dignabitur honorare.

z Epheſ. 5.30.
a Matth. 25.40. & 35.
b Joan. 4. 32. & 34.
c Dion. Carth. art. 11. in Joan. 4.32. & 34.
d Eccli. 15.3.
e Ex Joan. 17.4.
† Apoc. 3. 20.
f Pſ. 50. 19.
g Pſ. 31.5.
h Luc. 19.8.
i Pſ. 31. 5.
k Pſ. 83. 12.

Tertius cibus, quem debemus apponere, debet eſſe cœleſtis; Deus enim, quem excepturi ſumus, non paſcitur rebus materialibus, *Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo* l? In hoc convivio nihil comedi debet eorum omnium, quæ inveniuntur in magnificis mundi conviviis, in quibus excipitur eximius aliquis Vir, Princeps ſupremus, aut Provinciæ alicujus Gubernator. Nam præter exquiſitiſſimorum diverſitatem quorumque ferculorum, audiuntur ibi inſtrumenta muſica perſonantia, ſuaviſſimarum concentus vocum; ibi habetur panegyris Perſonæ quæ excipitur; innumeræ ei exhibentur gratiarum actiones pro beneficiis ab illius liberalitate ſuſceptis, & pro honore viſitationis ejus; teſtimonium ei perhibetur omnis generis obſequii fidelis illi præſtandi cùm ſeſe oblatura ſit occaſio proficua & opportuna; mutuæ rependuntur ei reciprocarum gratiarũ vices; offeruntur ei munera in ſignum amoris, & veluti obſequium ei jure debitum, & meritis ejus impendendum. In hoc convivio cœleſti hæ omnes inveniuntur circumſtantiæ. Animas audio ſanctas, quæ excipientes hunc Principem cordium, exclamant præ gaudio, & actione gratiarum pro honore quo hoſpes hic divinus viſitatione ſuâ dignatur ipſas afficere, *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum.* m.

l Pſ. 49. 13.
m Apoc. 7. 12.

II. Pars.

Ecce diſpoſitiones quas afferre debemus, ut excipiamus hunc Regem glorioſum, quem præſtolamur citò venturum; & ad quem S. Joannes Baptiſta hanc mittit legationem, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Sed ecce reſponſum à Chriſto factum S. Joanni Baptiſtæ, *Euntes, renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis.* Imitatur Dei Filius Empiricos, qui ut majorem ſuæ arti & pharmacis ſuis concilient authoritatem, aliquas palam omni populo peragunt medelas: ſic diſcipulis Joannis Baptiſtæ *reſpondens Ieſus, ait, Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Hæc ſunt inſignia, quæ notitiam præbent Divinitatis ipſius, literæ patentes legationis ipſius æquè ac Divinitatis; ſigillum quo ſuas Deus obſignat & confirmat commiſſiones, cùm miracula ipſum manifeſtent ut Deum. Tria Deum cognoſci faciunt. Primum, Scriptura ſacra, *Scrutamini Scripturas: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me* n. Secundum, S. Joannes Baptiſta, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* o. Tertium, Ipſemet, opera ipſius. *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimoniũ perhibẽt de me* p. Hæc autem opera nullus operari valet, niſi ſit Deus, ut eidem Chriſto Nicodemus dixit, *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus*

n Joan. 5. 39.
o Joan. 1. 29.
p Joan. 5. 36.

cum

cum es q. Et de eodem ait Evangeliſta r, *Hunc Pater ſignavit Deus.* Quibus verbis ſubdit Hugo Cardinalis ſ, *Unde quaſi nuncius Patris, habet ſigillum Patris* Regium, quod præ ſe fert poteſtatem patrandorum miraculorum. Sicut cùm Curia Regia ſuum è civitate in aliam civitatẽ mutat domicilium, nondum dicitur Curia in hanc perveniſſe civitatem, donec ſigilla Regia in eam fuerint aſportata: ſic cùm *Verbum caro factum eſt* t, propriè dici non poterat, quod Curia cœleſtis deſcendiſſet in terram, niſi poſt patratum Canæ in Galilæâ miraculum u: ſed poſtquàm in terrâ viſa ſunt ſigilla Regia, dici potuit, quòd Curia cœleſtis eſſet inter homines. In Chriſto enim miracula fuerunt magna ſigilla, quibus mediantibus Pater æternus conciliavit authoritatẽ commiſſioni, quàm Filio ſuo decreverat imponendam ad redimendum genus humanum, poſt manifeſtationem gloriæ ſuæ. Quoniam Verbum æternum incarnando ſe, præ ſe tulit hæc duo eminentia conſilia Gloriam Patris ſui. *Ego honorifico Patrem meum* x. Et hominum utilitatem, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* y. Idcircò omnes actiones, & univerſa miracula, quæ operatus eſt Chriſtus, hunc duplicem rendebant in ſcopum, quod videtur præſertim in miraculo Canæ, qood fuit omnium primum, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus* z. In quo miraculo plures eximias habuit Chriſtus intentiones, quas non abs re eſſe cenſui obiter attingere.

Iſtud operatus eſt Dei Filius miraculum, ut intuenda exhiberet hominibus miracula, quæ occurrunt in naturâ. Cùm *in principio creavit Deus cœlum* a, dedit ei omnes qualitates, quas habet, valdè proficuas: *& terram* producens, providit illi plovias, quibus irrigata, fructus germinaret, & neceſſitatibus noſtris ſubveniret: Atqui ſicut iſta ſunt maximè communia & ordinaria omnibus, homines non habent ea ut miracula: Idcircò Chriſtus ut oſtenderet iſtud fuiſſe magnum miraculum, hanc agere transſubſtantiationem voluit miraculoſam aquæ in vinum in nuptiis Canæ. Deinde, Iſtud operari voloit miraculum, ut ſuam agnoſcendam ſatageret doctrinam, quã diſtinguendam in duo voluit puncta, aut in myſteria ſua, aut in mores. Atqui myſteria ejus non poterant agnoſci ſine multis miraculis. Myſterium SS. Trinitatis non poterat recognoſci, in quo Filius generatur à Patre per viam intellectus b, & Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio per viam voluntatis c, nedum Pluralitas Perſonarum deſtruat unitatem Divinitatis, & nedum unitas Divinitatis officiat Trinitati Suppoſitorum. Secundum punctum circa mores non poterat agnoſci ab hominibus ſine miraculis, quod videtur in duabus rebus maximi ponderis. Quarum prior eſt odium ſuiipſius. *Qui amat animam ſuam, perdet eam* d. Poſterior verò eſt amor inimicorum, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderent vos* e. Quod ritè edoceri non poterant homines niſi à Chriſto Domino. Licèt enim dicamus, quòd aliqui Ethnici ſuos dilexerunt inimicos, invenimus eos ad hunc amorem exhibendum fuiſſe obſtrictos per juſtitiam, non autẽ per charitatem, cùm utilitas poblica præferenda ſit particulari. Præterea, Chriſtus operatus eſt miracula, ut homines induceret ad conſtituendam in ſe fiduciam, quam non habuerunt niſi poſt viſa miracula. Alii non tulerunt præ ſe hanc virtutem, implorabant quidem Deorum ſuorum ſubſidium, ſed non impetrabant id quod poſtulabant. Chriſtiani in afflictionibus conſtituti, ſuam in ſolo ſpem collocare debent Chriſto, qui ipſos eripiet è fornace tribulationis, ſicut liberavit tres pueros Iſraëlitas è fornace Babylonicâ Deus, cùm *excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem* f. Tandem Chriſtus iſtud peregit miraculum in nuptiis Canæ, ut diſponeret homines ad credendum SS. Sacramento. Duo myſteria credi non poterant ab hominibus, Incarnatio g, & Euchariſtia h, niſi priùs miracula feciſſet Chriſtus. Idcircò Deus diſpoſiturus homines ad credendum myſterio Incarnationis, mittens Angelos ad homines in veteri Fœdere, humana faciebat illos induere corpora i; Nili *aquam fluminis in ſanguinem* k convertit; quin imò Deus ipſe intuendum ſe exhibebat Moyſi *per Angelum viſibili ſpecie apparentem & ſonorâ voce loquentem*, ait Cornelius l; licèt hæc unio non eſſet ſubſtantialis. Hæc autem omnia peragebat ut diſponeret homines ad credenda mirabilia quæ ſunt in Euchariſtiâ, quæ ſunt tria. Transſubſtantiatio panis in Corpus, & vini in Sanguinẽ Chriſti. Multiplicatio præſentiæ Chriſti in variis locis. Et, Suſpenſio qualitatum & accidentiũ. Ut ſuaderet multiplicem præſentiam ſuam in diverſis locis, duobus panibus ab ipſo multiplicatis ſatiata ſunt *quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis* m. Ut ad credendã induceret qualitatum & accidentium ſuſpenſionem, diſcipuli viderunt *eum ſuper mare ambulantem* n, nedum immergeretur. Ex utero Virginis ſacratiſſimæ prodiit illæſo integritatis ejus ſigillo o. Convertit tandem aquam in vinum in nuptiis Canæ, ut transſubſtantiationẽ panis in Corpus, & vini in ſuum Sanguinem perſuaderet.

Uſus eſt igitur Chriſtus miraculis, ut commiſſioni, quâ donatus fuerat à Patre ſuo, authoritatẽ conciliaret. Cùm autem adierunt eum *quidam de Scribis & Phariſæis, dicentes, Magiſter, volumus à te ſignum videre* p, idem fuit ac ſi dixiſſent ei. Oſtende nobis ſigillum & inſigne legationis tuæ, perage aliquod miraculum, ut cognoſcamus quòd tu ſis Meſſias *deſideratus cunctis Gentibus* q. Scribæ & Phariſæi Dominum noſtrum nuncupant Magiſtrum, ſed ſeſe non exhibent ejus diſcipulos. Eum vocant Magiſtrum, cùm ſint hypocritæ & tentatores, quippe qui ſub verbo ſpecioſo ementitæ dulcedinis & reverentiæ multam molirentur perfidiam & proditionem. Lingua proditoris & diſſimulati ſuum recuſare deberet obſequium & organum homini, qui concipit cogitationes alias ab eis, quas ſuis intendit verbis exprimere, nedum interpres efficiatur diſcurſus contrarii verbo, quod ille formavit in mente ſuâ, cùm velit ut illa Magiſtrum nominet eum Dominum, cujus adhærere non vult doctrinæ, nec admirari miracula, nec ſuſcipere decreta, nec amare legem. Judas mortuus eſt ut deſperans, cùm *ſuſpenſus crepuit medius; & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus* r, quibus alligati erant ipſius affectus. Non effudit inteſtina ſua per os, quod funis patibularis arctè tenebat conſtrictum, ſed per illam corporis partem, in quâ ſuum ipſe collocaverat cor. Verè enim os ejus cùm magis abhorruiſſet à crimine perfidiæ, quàm ejus anima, dùm hæc ipſum coegit pacis oſculum Domino infigere †.

com-

q Joan. 3. 1. & 2.
r Joan. 6. 27.
ſ Hug. Card. in Joan. 6. 27
t Joan. 1. 14.
u Ioan. 2. 8
x Ioan. 8. 49
y Luc. 19. 10.
z Ioan. 2. 11
a Gen. 1. 1
b Pſ. 2. 7.
c Joan. 15. 26
d Ioan. 12. 25.
e Matth. 5. 44.
f Dan. 3. 49. & 50.
g Ioan. 1. 14.
h 1. Cor. 11. 24. & 25.
i Gen. 18. 2. & 19. 1.
k Exod. 7. 20.
l Cornel. in Exod. 6. 1.
m Matth. 14. 21
n Matth. 14. 26
o Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
p Matth. 12. 38.
q Agg. 2. 8.
r Act. 1. 18.
† Matth. 26. 49. & 61

Digitized by Google

compulſum fuerat ab eâdem animâ ad ſerviendum ſpiritui avaritiæ, & infamiâ refertos; ita ut labia ipſius effecta pretioſa ex attactu oſculi Dei *pacis* f, poſt inſigne iſtud amoris pignus, alio cumulata fuerint favore, omnium libertate non conſentiendi, ut anima, quæ ſymbolum amicitiæ infamaverat, per ipſa tranſiens, ad infetos deſcenderet, ulciſcentia ſe ſic de dedecore, quod ipſis fuerat irrogatum, & de vituperio ſibi illato, eò quòd ita diu loco fuiſſent interpretis perfidiſſimo ſicut & impiiſſimo omnium hominum.

f Rom. 15. 33. &c. 2. Cor. 13. 11.

S. Antonius Paduanus t explicans hunc locum, *Va duplici corde*, obſervat, quòd natura faciens monſtra præ ſe ferentia duo capita, quatuor pedes, totidem manus, &c. nunquam tamen efficiat hominem qui habeat duo corda; quia cùm cor ſit origo vitæ, ſicut homines unicam habent vitam, ſic & unicam vitæ originem, ita nec habere debent niſi unicum cor; & nihilominùs impii diſſimulati duo ferunt præ ſeſe corda, habentes ſemper intentionem contrariam moribus ſuis, & diſcurſus alios à cogitationibus ſuis, quales erant Scribarum & Phariſæorum, *Nota quòd natura non patitur monſtra in corde, quia eſt membrum quod eſt vita principium. Et ideò ſicut homo non poteſt habere duas vitas corporales ejuſdem ſpeciei, ſic nec duo corda poteſt habere. Et tamen peccator ut fictus hypocrita hic geminat cor. Labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt* u. *Et ideo duplici contritione conteretur ex Prophetâ* x. Hinc hypocritæ verba præ ſe ferunt blandientia quibus mediis demulceant nos adulationibus ſuis; illinc verò diſſimulata, quibus decipiant nos. Jacob jam capulo vicinus, hanc orationem ad Deum dirigit, *Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea.* Et quare? *Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſuâ ſuffoderunt murum* y. Simulaverant ſe amicitiam iniiſſe cum Sichimitis, ut majori aſtutiâ ſua poſſent ad exitum perducere conſilia, & proditionem, quam fuerant machinati, perficere, & illis omnem ſuſcipionis occaſionem eripere, ut meliùs perfidiam ſuam valerent hâc amicitiâ palliatâ prætexere, quò faciliùs eos delerent internecione, & eorum depopularentur *urbem in ultionem ſtupri* z *ſorori ſuæ Dinæ à Principe Sichem illati*. Sic igitur Deum orat Jacob, Noli ſinere, Domine, ut cùm Pater infortunatus fuerim iſtorum proditorum, credar conſcius ego perfidiæ eorum. Eos benè inſtitueram, & tamen fuerunt illi proditores & hypocritæ. Tales erant Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui petebant ſigna à Chriſto, quibus legationem ſuam confirmaret.

t S. Ant. Pad. in Eccli. 2. 14.

u Pſ. 11. 3.

x Ex Jer. 17. 18.

y Gen. 49. 6.

z Gen. 34. 20. &c.

Dominus Deus noſter igitur ſuo ſemper obſignavit ſigillo legationes, quibus ſuos honorare dignatus eſt amicos, magno, inquam, ſigillo miraculorum, ut majorem præ ingentiori ſplendore conciliaret eis authoritatem, & literas patentes earum redderet abſolutiores, & majori vigore munitas. Ita committens ſapienti regimini alicujus generoſi & periti Ducis moderandum exercitum, aut gubernandam aliquam arcem graviſſimi momenti, patrandorum poteſtatem tradebat ei miraculorum, quæ erat privilegium auguſtum officii & commiſſionis ipſius, & ſigillum Regium quod ei conciliabat authoritatem, & impertiebatur ei totum vigorem ſuum. Cùm conſtituit *Dominus Moyſen Deum Pharaonis*, ad quem miſit eum legatum in Ægyptum, dedit illi miraculoſam *virgam, quæ verſa eſt in colubrum* a, & alia operata eſt miracula innumera, ſicut cùm idem Moyſes hanc *elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem*.

a Exod. c. 7. & ſeqq.

Solus Deus operari poteſt miracula, hæc poteſtas eſt illi ſpecialis, & hanc ipſe ſibi reſervat ut ſpecioſiſſimum dominii ſui radium. Ita nõ viget in Angeli poteſtate, ſicut neque homines, ſed ſoli Deo propriè eſt. Alii enim non agunt niſi in virtute ejus, & dependenter ab hac poteſtate abſolutâ & ſummâ, ut inſtrumenta ſeparata, ut videre eſt in brachio & in ſecuri; gloria enim attribuitur brachio, non autem ſecuri, quæ lignum non ſcindit niſi virtute brachii quod ipſam pertractat, & agere efficit; ſic gloria miraculorum attribuitur Deo, & non Sanctis, qui ſunt veluti inſtrumenta conjuncta, brachium cum corpore, humanitas Chriſti cum ſuâ divinitate, Sancti in virtute Chriſti, & Chriſtus potentiâ propriâ; Sancti flendo, orando, Chriſtus propriâ authoritate, *Adoleſcens tibi dico, Surge* b; *Lazare veni foras* c; *Reſpice* d ait cæco propè Jericho. Sancti ad confirmandum & prædicandum Chriſtum, Chriſtus autem per ſeſe, ſemetipſum intuendo ut terminum actionum ſuarum. Nullus autem propter res falſas aliquod fecit unquam miraculum.

b Luc. 7. 14.

c Joan. 11. 43.

d Luc. 18. 48.

Calvinus, ſpecioſus iſte Galliarum noſtrarum reformator exiſtimatus, aucupandâ ſanctitatis ementitæ gloriâ ductus, ſuſcitare voluit mortuos, ut majorem falſæ doctrinæ ſuæ conciliaret authoritatem miraculo ementito; nedum autem vitam retribueret mortuis, è contrà mortem viventibus intulit ob juſtam punitionem criminis ſui, & temeritatis ſuæ ad extremam uſque periodum inſolentis. Si Sibyllæ prophetaverunt, hæc prophetia fuit ipſarum omnimoda deſtructio. Miracula igitur ſunt literæ patentes Chriſti, & Divinitatis ejus probationes: *Cæci vident*, ecce miracula. Sed infortunium! his non obſtantibus, *mundus eum non cognovit* e. Sanctitas vitæ ejus, miracula, hæc omnia non valent in illius nos perducere notitiam, oculos habemus inſolentandâ percuſſos cæcitate, quod eſt noſtræ nota reprobationis. cùm beatitudo ſita ſit in cognitione Dei, & Filii ejus Domini noſtri, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* f.

e Joan. 1. 10.

f Joan. 17. 3.

Univerſus mundus, iſte ſimius Dei, operatur miracula. Quomodo miracula? Etiam: eadem peragit miracula. *Cæci vident*, Ante valvas ſacri Templi egenus aliquis magis nudatus quàm indutus laceris veſtibus, ſtipem emendicat; cæcus eſt unuſquiſque, nemo videt, nedum aliquis ei eleemoſynam eroget. Mulieres, aut earum *filiæ compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi*, g aſpiciuntur ab omnibus generatim, *Cæci vident*. Puella gibboſa, membris impotens, claudicans, non poteſt incedere; ſed ſi nummis eam oneretis, ſi pedibus ejus ſaccum numeroſa repletum pecuniâ alligetis, rectà incedet illa ſtatim, & quòcunque perget ſine ullâ difficultate, & innumeras inveniet conditiones quibus mediis virum ducat, cui alioquin nunquam ſociaretur, *Claudi ambulant*. Non poteſt quis promoveri ad dignitates, non habet præ ſe pedes ſatis firmos ut eorum interventu illuc uſque perveniat; ſed ſi pecuniam porrigat, non ſolùm ad illas currit, ſed etiam volat; *Claudi ambulant. Leproſi mundantur*, decumbit quis morbo lethali oppreſſus; ſi

g Pſ. 143. 12.

pauper eſt, derelinquitur à Medicis, Pharmacopolis, & Chirurgis dicentibus, Morbus ille eſt inſanabilis, nullus ei applicari poteſt apparatus proficuus, nec ipſe ullâ curari poteſt induſtriâ, aut medelâ; ſed ſi habeat ipſe quod eroget, Ha! Domine, inquiunt ſinguli illi, macte animo, non eſt ægritudo tua deſperata ſic quin ei poſſim medelam afferre, & te in priſtinam reſtituere ſanitatem, *Leproſi mundantur. Surdi audiunt*, Miſerandus quis jacet in Xenodochio, quandiu de injuriâ bonis ſuis vel perſonæ ſuæ illatâ pœnas expoſcit infligendas ſuis Partibus, vel ab illis ſibi impendendam ſatisfactionem quærit; ſolicirentur in gratiam ejus, Judices, & alii ſubalterni juſtitiæ miniſtri, ut litem promoveant, ut jus cuſtodiant, nolunt audire; ſed ſi coram eis tinniant oblati nummi aurei, *Surdi audiunt. Mortui reſurgunt*, Quomodo? Perpetravitne quis plura crimina capitalia, extremo plectenda ſupplicio? Ha! de eo eſt conclamatum, nulla relinquitur ei ſpes vitæ, veniæ, & indulgentiæ, iſtud eſt infallibile; oportet ut moriatur ille perfidus, crimen illius nimis eſt notorium, & illius probaſiones ſunt ſatis convincentes. Sed repleat ille crumenam Judicis muneræ afferat Commiſſario, & pecunias effundat in marſupium iſtius, & illius, ut numeratâ ſic vendant juſtitiam pecuniâ; conciliat ille ſibi favorem, & ſententiam abſolutionis à ſuis criminibus conſequitur, *Mortui reſurgunt*, ecce eripitur tuni patibulari, aut triremi, torquentur leges, eripitur velum juſtitiæ. *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum* h. *Pauperes evangelizantur*, Quomodo? A Prædicatoribus illis qui pauperibus evangelizantes, deprimunt ſe, & ſe ad captum omnium accommodant, ut intelligantur ab omnibus, *facti omnibus omnia, ut omnes ſalvos* i faciant. Mundus magnos requirit Oratores, & plerùmque nihil intelligit eorum, quæ ab illis ſibi annunciantur. Quanta miracula, ſed falſa miracula! *Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me*, ait mundus. Felix qui iſtarum omnium peritus eſſet praxeos, & eas exerceret; felicitas mundi, ſed infortunium cœli. Deſeramus mundum ut eamus ad Deum. Si cæci ſumus, præbebit nobis viſum; ſi ſurdi, auditum; ſi claudi, greſſum; ſi infirmi, ſanitatem; ſi mortui gratiæ, eidem nos reſtituet gratiæ, & tandem ſuſcitabit nos ad gloriam.

h Pſ. 11. 2.
i 1. Cor. 9. 22.

FERIA II. POST DOMINICAM II. ADVENTVS.

Cùm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum, & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus, Ego veniam, & curabo curabo eum. Matth. 8. 5. &c.

HOc eſt ſecundum miraculum, quo Dei Filius doctrinam quam prædicaverat in monte Evangelicam a, confirmare voluit in deſcenſu ex eodem monte, ut docet S. Hieronymus b, *Notandum quòd curatus ſit ſecundo puer Centurionis, cùm leproſus ſanatus fuiſſet prope civitatem Capharnaum, Domino primus occurrit leproſus; Necdum enim poterat cum leprâ tam multiplicem in monte Salvatoris audire ſermonem.* Auditâ ſamâ miraculorum Chriſti Cornelius *Centurio acceſſit ad eum* per fidem, ut docet Dionyſius Carthuſianus c, *Non acceſſit ad Chriſtum in propriâ perſonâ, ſed per alios à ſe miſſos, ſecundùm quod Lucas* d *dicit, Miſit ad Ieſum ſeniores Iudæorum*, & horum interventu expoſuit ei humiliter ſtatum in quo poſitus eſſet ſervus ſuus Sufficit Dei Filio ut ſciat deſiderium quo quis ducitur, expetiundorum mirabilium effectuum manus ipſius potentis in animas æquè ac ſopet corpora, quò propitia ſua ſtatim efflagitantibus impendat auxilia, & ut reſpondeat ſe ſanaturum eum æquè ac alium paralyticum ſibi offerendum Capharnaum. *Et venit in civitatem ſuam, & ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto* e. Et licèt dicatur *Nazareth civitas Chriſti, quia in eâ conceptus* f; *& Bethleem, quia in eâ natus* g. *Sic Capharnaum, quia in eâ moratus, frequenter converſatus, & multa miracula operatus*, pariter civitas ejus nuncupatur, docet idem Carthuſianus h. In hâc civitate ultra ſanitatem corpoream, quam impertitur his paralyticis, largitur eis etiam gratiam, dicens quoad priorem, *Ego veniam, & curabo eum.* Et poſteriori, *Remittuntur tibi peccata tua.* Sed priùs eos præparaverat per internas inſpirationes ſuas, quæ ſunt diſpoſitiones ad ſuſcipiendam eandem gratiam, quâ repleta erat Maria poſt hæc verba, *Ave Maria.*

a Matth. c. 5. & ſeqq.
b S. Hier. lib. 1. in Matth. 8. 2
c Dion. Carth. art. 16. in Matth. 8. 5
d Ex Luc. 7. 3.
e Matth. 9. 1. & 2.
f Ex Luc. 1 38.
g Ex Luc. 2. 7.
h Dion. Carth. art. 18. in Matth. 9. 1.

Duo præcipuè populos ad ſequendum Dei Filium deſcendentem *de monte* invitabant. Quorum prius erat ſanitas & incolumitas, quam ſperabant ab illo infirmitatibus ſuis impendendam, auditâ ſamâ illorum quæ de eo enarrarentur. Poſterius verò erat eloquentia & ſuavitas ſermonum ejus, qui lenociniis ſuis aures ipſorum demulcebant, dum mentes ipſorum rapiebant in admirationem. Cùm iſtis fidem adhiberent favoribus, Dei Filius illorum excitabat ſpem ad beneficia, quibus erat ubertim illos cumulaturus. Honeſtas igitur & urbanitas eos obſtringebat ad illum circumquaque ſequendum. Ego autem, auditores, cùm conſidero hunc magnum populum ſequentem Filium Dei, intueri mihi videor Herculem, quem Antiqui pingebant cum arcu & pharetrâ, ſimul & catenâ aureâ pendente ex ore ejus, quæ ſe ibat alligatum auribus eorum omnium, qui prope illum erant, in quos prætereà multas jaculabatur ſagittas, quibus corda eorum perforabat; quaſi innuentes hâc picturâ, hûc eximium Virum ſic fuiſſe eloquentem, ut ſuavibus & aureis ſuis ſermonibus attentiones omniû ipſum audientium, ſibi conciliaret, & eorum imprimeret cordibus affectus quoſcôque voluiſſet. Id melius aſſerere poſſumus de hoc altero Hercule cœleſti, Salvatore mundi, qui prædicans populis, eos ſic reddebat attentos ſermonibus ſuis, ut ab eis audiendis aurem non poſſent avertere, veluti catenæ aureæ alligati, *Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum* i. Sed, quod maximi eſt momenti, corda ſua præ ſe ferentes hi populi amoris illius ſagittis perforata, manibus ejus ſuarum committebant regimen animarum æquè ac ſuorum ſanitatem corporum, quorum infirmitates cùm eſſent in aliquibus ex ipſis inſanabiles, curari non poterant niſi ab induſtrio Medico, ut ait S. Ambr. k, *Eos ſanavit Dominus Ieſus, quos nemo curaret.* Id eſt, curare potuiſſet. Sicut autem hæc paralyſis eſt figura peccati mortiferi, ſic oſtendere vobis intendo, Primò effectus, quos peccatû lethale in noſtris operatur animabus: Secundò, Quam æſtimationem peragere debemus gratiæ ad medendum huic infelici peccati paralyſi.

i Luc. 19. 48.
k S. Ambr. Epiſt. 75.
Diviſio.

Qua-

I. Pars. Quadruplicem admittit operum noſtrorum Theologia ſacra diſtinctionem. Alia ſunt mortua. Alia viva. Alia mortificata. Alia tandem vivificata. Ad clariorem harum quatuor diſtinctionum intelligentiam, Manum ſomo ad exemplum. Aliquando illa eſt viva, oimirum quando penes ſe habet principium vitæ & operationum ſuarum. Principium vitæ corporeæ eſt anima, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem l.* l Gen. 2. 7. Fluere fecit Deus in os hominis & in cor ejus animam cordium, & vitam corporum; & cœlum infudit in pectus illius ſemen immortalitatis, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum m.* m Sap. 2. 23. ex Gen. 1. 27 Communicavit ei Deus afflatu Divino hanc originem vitæ, id eſt, ſpiritum, qui ſtatim ſplendere fecit ſuper facie ejus imaginem & exemplar tranſumptum Divinitatis. Hæc forma cœleſtis ſine ſtrepitu & abſque morâ ſe per totum effudit corpus totam, cùm tamen integra maneret & tota indiviſibiliter in illius parte quâlibet. Operatio vitæ conſiſtit in ſenſu & motu: Cùm igitur manus eſt unita corpori, ſentit, & movetur, dicitur ea viva, quia habet in ſe principium & operationem vitæ. Aliquando dicitur mortua, & hoc eſt, cùm ipſa eſt omni ſenſu & motu deſtituta, aut quia eſt reſecta à corpore. Aut quoniam eſt unita corpori immobili, ſed non habet illa operationem vitæ, propter aliquam infirmitatem, aut ob aliquod impedimentum, quale foret paralyſis, quâ aliquando verè eſt mortificata. Aliquando tandem eſt vivificata, ſcilicet, quando hoc impedimentum eſt ablatum, & manus in priſtinam reſtituitur ſanitatem, & è mortificata evadit vivificata.

Nuncad propoſitum noſtrum opera noſtrà dicuntur viva, quando principium vitæ penes ſe habent. Vitæ ſpiritualis principium eſt gratia Divina, per quam anima vivit in Deo, *Spiritu vivimus n.* n Galat. 5. 25. Id eſt, *Spiritus ſancti operatione intra nos vitâ gratiæ*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus o; o Dion. Carth. art. 5. in Galat. 5. 25. quæ nobis data eſt per merita Chriſti, qui vivere nos facit *ſub umbrâ alarum p* protectionis ſuæ, & p Pſ. 16. 8. vivificat nos gratiâ ſuâ, quam in animas effundit noſtras per ſuorum canales Sacramentorum, favente eiſdem animabus eodem Spiritu ſancto, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis q.* q Rom. 5. 5. Sic operatio vitæ ſpiritualis, eſt meritum vitæ æternæ. *Nos qui vivimus, benedicimus Domino r.* r Pſ. 113. 18. Bona opera igitur tunc nuncupantur viva, quæ procedunt à principio vitæ, quod eſt gratia, quæ fiunt in gratiâ cum circunſtantiis requiſitis & neceſſariis, & habent operationem vitæ, nimirum meritum vitæ æternæ. Secundò, Opera noſtra vocantur mortua, & hoc eſt cùm deſtituta ſunt principio vitæ, quod eſt gratia, & operatione ejus, quæ eſt efficacia meriti. De his loquitur S. Paulus ſ operibus mortuis, ſ Hebr. 9. 14. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi*, id eſt, *omni vita ſontali principio in ſanctitate & juſtitiâ corā ipſo*, ut explicat Dionyſius Carthuſianus t. t Dion. Carth. art. 9. in Hebr. 9. 14. ex Luc. 1. 75. Hæc autem opera mortua in quadruplici ſunt genere. Aliquando mortua ſunt defectu principii vitæ, nimirum gratiæ, ut cùm is qui eſt gratiâ deſtitutus, aliquod peragit opus, quod eſt ex naturâ ſuâ bonum, cùm opus iſtud non habeat principium vitæ; nec conſequenter ejus habet operationem; quia non eſt meritorium. Ex his autem operibus nullam capeſſit homo mercedem, quæ vitam reſpiciat æternam, etiamſi convertatur ipſe, & ſuorum pœniteat eum criminum, & amiſſam ipſe recuperet denuò gratiam Divinam, quod ego ſic probo; Deus noſtrorum *bonorum non u* egens, u Pſ. 15. 2. nunquam accipit opera hominum veluti digna mercede, nec ut ſatisfactoria, niſi acceptet perſonas quæ hujuſmodi incumbunt operibus, idcircò dicitur, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus x.* x Gen. 4. 4. Intuetur quidem Deus dona ſibi oblata, ſed priùs perſonam hujuſmodi munerum largitricem, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Atqui Deus nō acceptat perſonam in ſtatu peccati mortalis conſtitutam, quia homo peccati lethalis conſcius, eſt ejus inimicus, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus y.* y Sap. 14. 9. Non acceptat igitur illius opera. Et ſicut ramus præciſus ab arbore, nullum fructum defert, quia principium vitæ eſt radix arboris, aut arbor ipſa; radix aut arbor operum meritoriorum hominis eſt Jeſus Chriſtus, aut gratia ejus: Atqui per peccatum mortale homo ſe ſeparat à Deo, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum z.* z Iſai. 59. 2. Et, *Si quis non amat Dominum Jeſum, ſit anathema a*, a 1. Cor. 16. 22. ſit excommunicatus, & reſectus à corpore Eccleſiæ ſanctæ ut membrum putridum & corruptum, *Id eſt, ſeparatus à conſortio fidelium, & condemnatus à Deo*, ait Dionyſius Carthuſianus b. b Dion. Carth. art. 17. in 1. Cor. 16. 22. Et hoc eſt quod dicitur apud *diſcipulum quem diligebat Jeſus c*, c Joan. 21. 20. cùm idem Salvator ibi nobis ſic loquitur, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis; vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere d.* d Joan. 15. 4. & 5. Id eſt, meritoriè. Cui concordat S. Paulus e, e 1. Cor. 13. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Niſi inducar ad peragenda hæc eximia opera ex ſeſe ſplendentia, ex motivo & principio charitatis, quæ animare debet iſtas omnes actiones, eædem hæ actiones mihi ſunt inutiles, nimirū quantùm ad acquiſitionem Regni cœleſtis, ut ait S. Auguſtinus f, f S. Aug. ſerm. 50. de Verb. Dom. c. 2. *Ecce venitur ad paſſionem, ecce venitur & ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporum incenſionem: & tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia: Detrahe charitatem, nihil proſunt cætera.* Illud confirmat Chriſtus, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum g.* g Matth. 5. 23. & 24. Unde colligere debetis, opus non poſſe eſſe bonum, nec æterna mercede dignum, niſi is qui illud peragit, in ſtatu gratiæ ſit conſtitutus. Sic Deus non eſt acceptor nominum, ſed adverbiorum, id eſt, Deus, non præmiatur bonum quod fit, ſed illud quod benè fit: Atqui bonum rectè factum, non potuit peragi niſi ab eo qui fuerit in ſtatu gratiæ conſtitutus. Unde oritur, ut, ſi quis adimplet pœnitentiam ſibi impoſitam à Confeſſario, in ſtatu peccati mortalis poſitus; hæc pœnitentia non ſerviat ei quantùm ad remiſſionem pœnæ debitæ intuitu judicii Dei, licèt ſit utilis illi quoad ſatisfactionem præcepti ipſi impoſiti à Confeſſario, cui morem tenetur gerere; & quantùm ad obligationem aliorum præceptorum, quæ non requirunt Dei gratiam in ſui executione, illi etiam ſervit.

Hæc concluſio eſt veritati conſona, niſi fortè in tribus caſibus, in quibus opera ex naturâ ſuâ bona, facta ab eo qui non eſt in ſtatu gratiæ, ſed in ſtatu peccati mortalis conſtitutus, gratiâ in ejus animam redeunte, reviviſcunt ipſa etiam. Primus caſus eſt, niſi hæc opera ſuam habeant efficaciam *ex opere operato*, ut ſit in Baptiſmo, in quo quis renaſcitur *ex aquâ & Spiritu ſancto b.* [h Joan. 3.5] Et ratio iſtius eſt, Quia Baptiſma non ſuam trahit virtutem ex bonitate Miniſtri qui baptizat, ſed præſertim ex ipſo opere, ut dicitur in Scholâ, *Ex opere operato*, quod eſt opus ipſius Dei, & non opus hominis, & ſic nullo modo poteſt eſſe mortuum. Secundus caſus ſupponit, quòd ſint opera è quibus homo non trahit immediatè meritum, ſed ex alio opere cum conditione illius, ut quotidiè videmus in Bullis Apoſtolicis, quæ tractant de jubileis, & complectuntur indulgentias, quæ dantur ut *infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei i.* [i Sap. 7.14] Tertius caſus eſt, niſi forſan hæc opera ſint propter utilitatem illius qui eſt in ſtatu gratiæ; illa enim non operantur ut procedentia purè è Miniſtro qui ſit in ſtatu peccati mortalis, ut videre eſt in ſuffragiis. Intuemini igitur quomodo opera nuncupantur mortua per peccatum mortale, defectu principii vitæ ſpiritualis, quod eſt gratia.

Secundo modo opera dicuntur mortua defectu finis, quia illa fiunt quidem ab eo qui eſt in ſtatu gratiæ conſtitutus, ſed tamen ſunt ea ordinata ad finem qui non eſt bonus, ſicut foret v.g. Primò *Eleemoſynam* erogare præ reſpectu humano, oſtentatione, vanâ gloriâ, ad aucupandas auras populares, & admirationes hominum, eorumque ſibi conciliandos applauſus, *tubâ ante ſe canendo, ſicut hypocritæ faciunt in vicis, ut honorificentur ab hominibus*, qui ideò *receperunt mercedem ſuam* k. [k Matth. 6. 2.] Non quòd hæc actio ad peccatum mortale pertingat uſque; tunc enim opus eſſet mortuum defectu principii vitæ. Vel, Sicut eſſet Secundò facere aliquod opus bonum præ aliquâ conſideratione temporali, v.g. propter amorem, aut timorem alicujus, tunc opus eſt mortuum, non defectu principii, cùm fiat ab eo qui eſt in ſtatu gratiæ conſtitutus; ſed defectu finis, quem ipſe ſibi propoſuit & quem intendit, quia cùm finis moralibus formam det actionibus, ſi ipſe ſit ſiniſter & pravus, etiam opus erit lævum & malum formaliter, etiamſi ſit bonum materialiter. Finis enim boni operis, ſicut & ejus, qui illud peragit, debet eſſe charitas, ut docet S. Paulus, *Finis præcepti eſt charitas de corde puro* l: *Id eſt, appetitu intellectivo, ſeu voluntate à paſſionibus & vitiis expurgatâ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m. [l 1. Timoth. 1.5.] [m Dion. Carth. art. 2. in 1. Timoth. 1.5.]

Tertio modo opera dicuntur mortua, non defectu principii, quia peraguntur ab eo qui habet gratiam; nec defectu finis, quia ad bonum vergit finem, ſed defectu materiæ; ut mendacium jocosè prolatum ab eo qui eſt in ſtatu gratiæ ſitus, ſeu quodvis aliud veniale ſcelus, facit ut opus hujuſmodi dicatur tunc mortuum. Talia autem opera uſurpata ſecundo & tertio modo, nullam merentur mercedem; ſed primo ſumpta modo, merentur ex condecentiâ aliquid aliud de congruo.

Quarto modo opera dicuntur mortua defectu modi agendi. Opus eſt bonum, is qui illud agit, eſt in charitate, finis eſt bonus, ſed deeſt illi modus, v.g. ſi quis Miſſam ſine cereis accenſis celebraret. Ad quamlibet enim rem ut ſit meritoria, tria requiruntur ex parte illius, qui eam peragit, ſpecies, modus, & ordo.

Tertio, Aliquando opera dicuntur mortificata, & hoc eſt cum non ſunt deſtituta principio vitæ, quod eſt gratia, quia ſunt è numero bonorum operum in ſtatu gratiæ factorum; ſed deinde ſequitur peccatum mortiferum, per quod bona opera facta in gratiâ, dicuntur mortificata; opera meritoria ſunt mortificata quantùm ad meritum, ſi enim homo moriatur in hoc ſtatu peccati, nullam capeſſit mercedem ex his primis bonis operibus, *Si averterit ſe juſtus à juſtitiâ ſuâ, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccavit, in ipſis morietur n.* [n Ezech. 18.24.] Et omnia bona opera quæ peregerint unquam Saul & Judas, nihil illis unquam proderunt quantùm ad meritum de quo loquimur.

Quarto, Dantur opera vivificata, & hæc ſunt ea quæ vivam habuerunt fidem, ſed inſuper per peccatum mortale fuerunt mortificata, & conſequenter peccato lethifero ablato, in vitam redeunt, quia reſumunt meritum vitæ quod priùs fuerat mortificatum. v.g. ſi quis bona peregiſſet opera, & deinde labatur in peccatum lethale, hæc opera ſunt mortificata, donec in animam redeunte gratiâ, revertantur ea pariter in vitam, & vivificentur ab hoc principio vitæ. Ex dictis poteſt colligi, quòd, ſi homo mereri vult actionibus bonis, oportet ut eas faciat in ſtatu gratiæ conſtitutus, alioquin non poſſunt illæ eſſe meritoriæ. Hinc Evangeliſta o ait, *Oportet operari donec dies eſt*, [o Joan. 9.4] nimirum, quandiu gratia ſignificata per diem, eſt in homine. *Venit nox quando nemo poteſt operari*, ſcilicet nox peccati mortiferi, per quam nullus agere valet præ merito.

Invenio tamen, juxta doctrinam Theologorum & Canoniſtarum, bona opera facta in gratiâ, vel ſine gratiâ, ſed mortificata peccato mortali, quod ipſa ſequitur, ſex iſtos habere effectus in his verſibus contentos,

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, & minuunt tormenta gehennæ,
Inclinant, reprimunt hoſtem, pœnamque retardant.

Primò, Hæc bona opera ſerviunt ad acquiſitionem bonorum temporalium. Sicut enim Deus omnes malas punit actiones, ita bonis impendit mercedes, quia *juſtus* p eſt. [p Pſ. 118. 137.] Sic diviti epuloni clamanti, *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, quia crucior in hâc flammâ: dixit Abraham, Fili, recordare quia recepiſti bona in vitâ tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris q.* [q Luc. 16. 24. & 25.] Cum igitur videtis impios non eſſe *in labore hominum, & cum hominibus non* r flagellari; [r Pſ. 72. 5.] ſed è contrà omnia eis ad votum ſuccedere, credite iſta eſſe mercedem impenſam bono quod peragere potuerint, cùm æterno non ſint donandi præmio. Secundò, Iſta bona opera ſerviunt ad impetrandam veram contritionem aut pœnitentiam, v.g. de Cornelio Centurione, qui licèt Æthnicus bonis incumbebat operibus, Judæis *Synagogam* ſ ædificaverat, [ſ Luc. 7. 4.] & præ ſe *tantam fidem* tulit ut meruerit quòd à Dei Filio fuerit *ſanatus puer* t [t Matth. 8. 10. & 14.] ipſius paralyticus; & propter orationem

Digitized by Google

w Act. 10. 31. — x Cornel. in Act. 10. 48. — y Marty rol. Rom. 2. Februar. — z Matth. 2. 14.

ſionem & eleemoſynas ſuas *w* baptizatus fuit à S. Petro, aut ſaltem *à comitibus* ejus, ut explicat Cornelius *x*, & *Cæſarea in Paleſtinâ Epiſcopali honore* ab eodem ſublimatus, juxta Martyrologium Romanum *y*. Imò refertur de Dima, quòd cùm S. Joſeph *conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum z*, ut declinarent à furore Herodis, irruentibus ſuper eos latronibus dixerit, Verè ſi fieri poſſet ut incarnaretur Deus, aſſererem ego hunc parvulum eſſe Deum, tantis præditus eſt lenociniis; & quòd converſus ad ſuos, rogavit illos ut eos ſic dimitterent, nedum illis aliquid nocumenti inferrent. Iſte creditur fuiſſe bonus Latro, cui deinceps in Cruce ſuſpenſus *dixit Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo a.* Unde videtis quantum noſtrâ interſit ut bonis incumbamus operibus ſemper quolibet in ſtatu conſtituti, ad flectendum meliùs Deum ut nos ad pœnitentiam inducat ampleſtendam. Tertiò, Inſerviunt bona opera ad minuenda *tormenta gehennæ.* Non quòd damnati aliquod ſolamen experiantur in inferno, propter bona quæ fecerant in hoc mundo, cùm dives epulo jam ab aliquot annorum millibus guttam expoſcat aquæ, quæ ei denegata eſt, nedum poſſit eam unquam impetrare ad refrigerandos ardores ſuos; ſed hoc intelligendum eſt, quòd damnati minus patientur, quam ſi non egiſſent hæc bona opera, quandiu viverent. Quartò, Utilia ſunt ad contrahendam conſuetudinem bonam ad bonum; habitus enim contrahitur ex reiteratis actibus; qualitas eſt difficilè ſeparabilis ab animâ, eamque inclinat ad producendos hoc actus præ facilitate; ſicut è contrà prava conſuetudo ad malum inducit. Quintò, Inſerviunt ad retundendos impetus dæmonum. Sextò, Proficua ſunt ad retardandas pœnas, quas in hoc mundo deberemus incurrere, ut patet in Rege Achab, qui Eliæ *cùm audiſſet ſermones, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbiten, dicens, Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt meî causâ, non inducam malum in diebus ejus, ſed in diebus filii ſui, inferam malum domui ejus b.* Oportet igitur ut continuo bonorum operum vacemus exercitio, cùm ea nobis ita ſint proficua in quocunque ſtatu conſtitutis, aut in gratiâ, aut in peccato, vel in hâc vitâ vel in alterâ, & intuitu cœli, & reſpectu inferni. Sed etiam magni æſtimare debemus gratiam, ut medeamur infelici peccati paralyſi.

a Luc. 23. 43. — b 3. Reg. 21. 27. &c.

II. Pars.

Gratiam æſtimare debemus ob tres rationes præcipuas. Prima eſt quia gratia tranſit, ſi in nobis ſit ita parum induſtriæ ut eam non arripiamus quando ipſa ſeſe nobis offert. Ubi eſt obſervandum, quòd ſi Spiritus ſanctus, qui eſt Author gratiæ, *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis c*, ſeſe intuendum exhibet, id agit ſub formâ rerum quæ citò tranſeunt. Quid celerius fulgure? Quid levius ave, ſeu columbâ? Quid fluidius igne? Sub iſtis apparet formis ignis *d*, columbæ *e*, & fulguris. *In principio Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas f.* Ubi verùo fert, *Ambulabat ſuper aquas*, quaſi tranſeundo. *Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat g* Jeſus. Gratia tranſit, idcircò idem Chriſtus *h* comparat eam quinque *virginibus*, quæ, dum *mediâ nocte Sponſus venit, ſurrexerunt ſimul, & ornaverunt lampades ſuas. & paratæ, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua* quinque fatuis, quæ *acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum*, id eſt, non habebant lampades ſuas inſtructas oleo charitatis. Ut diſcamus quòd, ſi non ſumus parati quandiu gratia tranſit, ipſa nos deſeret, & deſtituemur illius præſentia; & idem nobis accidet quod evenit cùm excutitur ignis è lapide, ex eo ſola erumpit ſcintilla, ſed ſi eſca eſt rite diſpoſita, in eâ concipitur ignis ex quo magnum deinde fit incendium. Gratia eſt exilis ſcintilla ignis Divini, ſi labatur illa in corda benè diſpoſita, in eis accendit ipſa ſornaces amoris, charitatis, & virtutis; ſed ſi eſca non eſt ritè parata, ſcintilla extinguitur, id eſt, gratia non inveniens nos diſpoſitos, deſerit nos in paralyſi peccati noſtri, *& in peccato i* noſtro morimur.

c Rom. 5. 5. — d Act. 2. 3. — e Matth. 3. 16. — f Gen. 1. 1. & 2. — g Luc. 4. 30. — h Matth. 25. 1. &c. — i Joan. 8. 21.

Idem Dominus noſter eam explicat per hanc comparationem, *Si ſciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam k.* Fur enim horas quærit ſuſpectas, & tenebras, ne in ſuis apprehendatur furtis; *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus l.* Ideò Carthuſianus *m* concludit, *Multo ergo pius cuſtodire debet homo animam ſuam, & ſpiritualia dona ſibi à Deo collata, ſeque diligenter contra ſpiritualem furem parare atque armare, id eſt, contra diabolum, qui domum mentis, id eſt, conſcientiam indeſinenter perfodere ſeu lædere ac maculare conatur.* Sed dicamus meliùs, Gratia furari vult corda noſtra, ut lucretur nos cœlo; niſi vigilemus, tranſibit illa, & nos in paralyſi peccati noſtri relinquet. Ipſa eſt fluvius trahens aurum, ſed tranſit. Ipſa eſt argentum è manu in manum tranſiens, ſemper fluens; retineamus eam quandiu illam habemus, æſtimemus illam cùm ipſa ſe nobis offert; non ſinamus eam evadere, quia, cùm præſentia ejus paralyſi noſtræ ſanandæ futura ſit accommoda, abſentia illius non poteſt eſſe nobis niſi damnoſa.

k Luc. 12. 39. — l Joan. 3. 20. — m Dion. Carthuſ. 33. in Luc. 12. 39.

Antiqui inter ſua ænigmata ſpecialem nobis detegunt veritatem circa hoc propoſitum, dum pinxerunt Occaſionem ſub formâ ſpecioſæ puellæ tenentis pedem unum ſuper globo, alterum verò in aëre & alis inſtructum, præ ſe ferentis faciem hilarem & gratam, longoſque capillos, ſed tamen à tergo calva erat,

Fronte capillata, poſt tergum Occaſio calva eſt.

Gratia eſt ſpecioſa virgo orta è cœlo, alas habet in pedibus, eſt elapſu facilis, rotæ inſidet, ſemper eſt in motu; longos habet capillos antè, cùm poſſimus eam cuſtodire quandiu illam habemus: ſeſe offert nobis, poſſumus eam admittere? Sed ſi ſinamus eam elabi, calvitium habet, quia ſemel elapſa, non poteſt ampliùs recuperari. Non permittamus, Auditores, ut evadat illa; teneamus eam penes nos, in nobis vult illa commorari atque deliciari medendo malis noſtris, non ejiciamus eam malis exceptionibus noſtris. Salomon *n* pigros mittit *ad formicam*, quæ eſt animal ferè minimum omnium, ſed præ omnibus maximè induſtrium, cùm æſtate ſibi neceſſaria provideat in hyemem: Tempore ſanitatis neceſſaria providere nobis debemus in tempus morbi, alioquin *famem ut canes*, patiemur, *& civitatem o circuibimus*, id eſt, ſi gratiam contemnamus, nullum inveniemus auxilium.

n Prov. 6. 6. — o Pſ. 58. 7.

Secunda ratio, quæ inducere nos debet ad æſtimandam gratiam, eſt, quòd in noſtrâ non ſit

poſitum poteſtate eam invenite ex nobis ipſis, ubi eam amiſimus, ſed ejus inventio ſit purus favor Dei, & *donum perfectum, deſurſum deſcendens à* p Jacob. 1. 17. *Patre luminum p.* Eem amittimus per demerita noſtra, nec eam invenimus oiſi præ miſericordiâ Dei. Queritur Sponſa ſe quæſiviſſe Sponſum ſuum, nec eum inveniſſe, *Quæſivi, & non inveni illum.* Ratio iſtius in promptu eſt, Venerat Sponſus mediâ nocte ad illam, oſtium ejus pulſaverat pluries. Reſpondit illa, *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Diſceſſit Sponſus, tædio affectus, videns ſe contemptum; & veluti exacerbatus, eò quòd parvi æſtimaretur à Sponſâ ſuâ, quæ cognitâ culpâ ſuâ ſurrexit ad aperiendum ei; *Surrexi, ut aperirem dilecto meo; peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo.* Exiſtimabat illa ſe eum inventuram, ſed ſpe ſuâ fruſtrata fuit; *At ille declinaverat, atque tranſierat.* Qood advertens, & rata eum non longiùs proceſſiſſe, ſequitur eum, ſed quid accidit? *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum q?* q Cant. 5. 2. &c. Idem accidit animæ quæ dormit Sponſo ſuo, dum gratiæ ejus quandiu pulſat januam cordis ipſius ut medeatur morbis ipſius ſpiritualibos, r Apoc. 3. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo r. Vox Dilecti pulſantis, Aperi mihi ſoror mea ſ.* ſ Cant. 5. 2. Pulſat Deus ſemel, ſecundâ vice ſuum Concionator exequitur officiom, tertiâ Confeſſarius ſalutaria præbet monita, &c. Sed quid advenit animæ illi vaganti medias inter noctis tenebras & obſcuritates circumquaque? Labitur ea in manus militum inferni. Heu! quàm dirè excipiuntur illi qui aorem gratiæ pulſanti præbere noluerunt. Gratiam quærunt, ſed illam oon inveniunt: Gratia, ſicut Occaſio, à tergo calva eſt; ſemel elapſa, non valet ampliùs apprehendi, *Quæretis me, & non invenietis* t. t Joan. 7. 36. Idem accidit illis quod evenit domui patrisfamilias alicujus. Nunquam meliùs cognoſcimus neceſſitatem gratiæ ad medendum infirmitati noſtræ ſpirituali, quàm cùm ipſa abeſt, & licèt videatur illa nobis inutilis, cognoſcimus auxilium quod ea præſtare nobis poſſet, cùm illa nobis deeſt. Sicut igitur ſenex iſte videtur otioſus prope ſocum & inutilis, & ideò domum utſic gravare, filiifamilias, qui ut plurimùm ſuot ingrati & ſuſceptorum immemores beneficiorum, eum libenter videre vellent ſepulturæ mandatum: videtur illis, inquam, inutilis, cùm in hoc ſtatu infirmitatis ſuæ æquè ac ætatis provectæ conſtitutus, exercendo ampliùs labori ſit impar & inidoneus; ſed interim iidem liberi timore quodam ducuntur reverentiali, intuitu ejus, veriti ne illi moleſtiam inferant; uxor gerit ſe prudenter, omniaque ſuot ritè compoſita. Quàm appoſitè laborat iſte ſenex, licèt nihil agere videatur! Sicut in navi quandiu omnes nautæ operi incumbunt maritimo, velis explicandis vacant æquè ac deprimendis, remiſque ſe applicant agendis, Naculerus interim nullo commovetur modo, ſed ſedet in puppi; & tamen quis plus operatur quàm ille, cùm ſolus navis regimini præpoſitus, eam gubernet, & illam rectà procedere ſaciat; Nunquid non tota navigationis debetur ei gloria? Idem dicendum eſt de iſto ſene. Sed ſtatim ac extremum ille vitæ edit halitum, tota interturbatur domus, frater inſurgit in fratrem, ecce confeſtim orta ſeditio, & nihil aliud dicitur niſi, Ha! ſi Pater meus adhuc eſſet inter vivos, iſtud agere non auderes. Videtiſne, Auditores, id quod agebat ſenex iſte apparenter otioſus? Sic gratia in animâ noſtrâ videtur otioſa & paralytica; ſed ipſa hanc eandem animam noſtram ſanat à paralyſi ipſius ſpirituali, omnia agit in eâ, præbet ei motum, inducit eam ad praxim virtutis, ad frequentationem Sacramentorum, & ad erogationem eleemoſynarum, &c. Illâ deficiente, univerſa perturbantur in nobis, innumeris afflictionibus impetimur, peſte concutimur, bello deſolamur, & præ ſame ad extremæ neceſſitatis redigimur anguſtias, & præ omnibus malis iſtis paralyſi peccati laborantes, producendis bonis operibus inidonei evadimus, idcircò cuſtodiamus eam exactè, ne, ſi ſimul illam incuriâ noſtrâ perdiderimus, illam ampliùs invenire non poſſimus.

Tertium motivum, quod invitare nos debet ad faciendam maximi gratiam, eſt periculum, quod incurrimus eâ per noſtram culpam deperditâ moriendi in impœnitentiâ finali, in paralyſi ſpirituali peccati noſtri. Non eſt cur futuræ noſtræ confidamus pœnitentiæ. Communi ventilatur proloquio, Qualis eſt vita, talis eſt mors. Si vivamus in paralyſi peccati, nedum contendamus bonis operibus incumbere, nullo ducti affectu erga ea quæ ſunt virtutis exercendæ, periculoſum eſt ne in hoc ſtatu efferamur, & in tumulum impœnitentes trahamur. Præterea, Quis ſecuros nos reddet tunc temporis & in hoc ſtatu à ſuſtinendâ irâ Dei? cùm nemo nos certos poſſit efficere, pœnitentiam noſtram illo tempore bonam futuram. Et ſicut dicitur vulgò, heu me miſerum! Miſericordiam!, cùm jurat quis, aut blaſphemat, & tamen illico in idem crimen relabitur. Vel alteri ait. Peccatum tibi imputatur, inducis me ad jurandum, blaſphemandum, iraſcendum, &c. Ignoſcat mihi Deus, nihilominùs in bonam emendatæ vitæ ſeſe non recipit frugem, ſed è contrà in peccatis hujuſmodi perſeverat agendis. Non eſt hoc pœnitere. Pœnitentia firmum ſupponit conſilium non peccandi ampliùs, etiamſi de capite ageretur.

Cùm filios Iſraël *perſequentes Ægyptii, ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites per medium maris,* intuitus Pharao quòd iiſdem filiis Iſraël ingreſſis *per medium ſicci maris, erat aqua quaſi murus à dextrâ eorum & lævâ* cryſtallinus, Ha! inquit, perfidi oos ſumus, populus iſte ſanctus eſt, & amicus Dei, ſinamus eum, & revertamur, *Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos: Fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus u:* u Exod. 14. 22. &c. Hæc pœnitentia nihil illi profuit, ſicut nec profecit Judæ ſuum pœnitere, qoia *pœnitentia ductus, laqueo ſe ſuſpendit x,* x Matth. 27. 3. & 5. & damnatus obiit. Hæc pœnitentia æquè parùm valebat ac dolor illorum qui *percutientes pectora ſua, revertebantur y.* y Luc. 23. 48. Chriſto à ſe cruci ſuffixo, quandiu in ſuâ perſiſtebant malitiâ & inſenſibilitate; & ſi è patibulo deſcendiſſet, ut petebant z, z Matth. 27. 42. eum denuò in illo ſuſpendiſſent. Peccatores nolite his confidere. Unicus bonus Latro Dimas ſalvatus eſt, ſolus veniam impetravit, quandiu cœlum erat apertum, & Sanguis Chriſti adhuc ebulliebat. Sitis vos in monte Calvariâ inſtar illius, patiamini propter amorem Chriſti, ſicut patiebatur ille, fortaſſis ſalvabimini. Unicus igitur eſt ſalvatus, alter verò damnatus a, a Luc. 23. 39. & 43. quia noluit agere pœnitentiam, & contemnens gratiam lateribus ſuis veluti adhærentem, mortuus

eſt

eſt in impœnitentiâ finali, in paralyſi peccati ſui ſpiritoali, *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos.*

Poſſumus quidem aliquod exhibere ſignum pœnitentiæ in Sacramentis, ſed dare certitudines infallibiles ſalutis æternæ hominis non valemus, cùm pœnitentia ex intimis cordis oriri debeat penetralibus, non autem ex apparentiis externis, quæ humanis illudunt oculis quandiu eis ſatisfaciunt. Peragenda eſt à nobis pœnitentia quandiu ei ritè exercendæ ſumus idonei, nedum expectemus ei vacate donec ad ejus compellamur exercitium, ad extremas doloris anguſtias redacti, cùm neſcienus ampliùs quid acturi ſimus, more Antiochi, *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus b.* Num opportunè ſuorum pœniteret eum ſcelerum, qui ducitur ad furcas, ut ibi ſuſpendatur in pœnam eorum præ decreto juridico delictis ſuis infligendam carnificis violentâ manu? Heu! pœnitet me criminum meorum.

b 2. Mach. 9. 13.

Amice, reſponderetur ei, non eſt modò pœnitendi tempus. Sic dicendum eſt de peccatore. Cùm oblatam recuſavit gratiam, non invenit ampliùs tempus medendi paralyſi ſui peccati ſpirituali, infirmitas ejus eſt incurabilis, *Quia hæc dicit Dominus: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua c.* Et periculoſum eſt, ne præ deſpectu hujus gratiæ oblatæ à Chriſto dicente ei, *Ego veniam, & curabo eum:* Vel, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua d,* moriatur in hoc ſtatu miſero paralyſis ſpiritualis peccati ſui. Idcircò, Auditores, ad noſtram inſumamus utilitatem gratiam, quàm Dei Filius nobis offert. Tranſit illa, *Cùm autem introiſſet Capharnaum*, Seu, *Venit in civitatem ſuam e.* Si ſemel ille elabetur à nobis, eam non poterimus invenire, expoſiti periculo evidenri moriendi in paralyſi ſpirituali criminum noſtrorum. Abſit hoc à nobis. Quin potiùs moriamur in amore & in gratiâ ejus, ut gloriâ illius poſſimus vivere in æternum.

c Jer. 30. 12.
d Matth. 9. 2.
e Matth. 9. 1.

FERIA III. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Et cùm veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit Socrum ejus jacentem, & febricitantem: & tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris. Matth. 8. 14. &c.

IN noſtram loquitur utilitatem S. Gregorius a de malis, quibus impetit nos Deus, cùm ait, illum iis uti tanquam ſtimulis quibus excitet nos ut recurramus ad ipſum, *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.* Sinit Deus percelli nos tempeſtatibus, ut ex illis nos eximat præ majori gloriâ. Vult nos affligi, quò majorem arripiat medendi nobis anſam; nec mala pœnæ ideò nos opprimunt, niſi ut ſuper nos bona gratiæ attrahant. Suum nobis pollicetur auxilium, nec de illius amore poſſumus ambigere, quin verbum ejus reddamus crimino ſum, *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum b.* Incommoda, quæ patimur, non minùs nos ad illum ducunt; quin imò, quod majus eſt, eum ad nos uſque venire faciunt. Videte iſtam veritatem in Socru S. Petri febriente. Jeſus ſummus animarum æquè ac corporum Medicus illam ſuâ dignetur honorare viſitatione, *Et dimiſit eam febris.* Quis iſtas non amabit infirmitates, quæ fortunatam nobis procurant fruitionem talis medici, qui cùm eſſet Deus, *habitu inventus ut homo c* eſt, quò meliùs noſtris compati poſſet miſeriis, quod incepit *in utero* B. Virginis poſtquam ipſa reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum d,* Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria.*

a S. Greg. citat. à Rodriq. 2. part. de Perfect. Relig. tract. 4. c. 3. de Tentat.
b Pſ. 90. 15.
c Philipp. 2. 7.
d Luc. 1. 28. &c.

Plura invenio nomina, quæ Scriptura e ſacra attribuit Chriſto, ſecundùm varias, quibus præditus fuit, excellentias. Inter alia autem vocatur *Medicus f.* Et appoſitè quidem, cùm mereatur ille hoc nomen, qui theoriâ viget & praxi. Theoriâ in intellectu, quâ ſciat proprietatem Herbarum, lapidum, & aliorum hujuſmodi ſanandis infirmitatibus accommodorum. Praxi verò in actione: alioquin enim induſtrius non foret Medicus. Quòd Jeſus his duabus apprimè fuerit inſtructus ſcientiis, nemo eſt qui de hâc ambigere debeat veritate. Quis enim meliùs peritus eſt proprietatis rerum, quàm ille qui eas creavit? *Fons ſapientiæ Verbum Dei g, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi h.* Praxim præ ſe tulit, cùm ab initio mundi uſque nunc fuerit operatus; ideòque David i memor beneficii ab eo ſuſcepti, gratiarum reciprocas rependebat illi vices pro ſanitate ab illo ſibi impensâ, *Benedic anima mea Domino, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Argumentemur autem, ſi placet. Ille eſt induſtrius Medicus, qui theoriæ peritus fuit & praxis: Jeſus Chriſtus utramque in ſeſe univit. Ideò optimus fuit Medicus. Ipſemet de ſe id aſſerit, *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus k.* Tempore enim, quo inter omnes converſabatur Chriſtus viſibiliter, plures illorum erant infirmi. Alii laborabant ſuperbiâ l; Alii avaritiâ m; Alii luxuriâ n; Alii aliis vitiis, & hi omnes repræſentati fuerunt in hoc leproſo, de quo diſſerui vobis his diebus nuper elapſis; idcircò indigebant Medico. *Medicina autem ideò inventa eſt, ut pellatur vitium, & ſanetur natura. Venit ergo Salvator ad genus humanum, nullum ſanum invenit; ideo magnus Medicus venit,* ait S. Auguſtinus o. Et David †, *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos.* Jeſus Chriſtus eſt ergo optimus Medicus, & videmus in Evangelio hodierno quòd mulierem febri laborantem ſanet.

e Matth. 2. 2. & Act. 10. 42.
f Matth. 9. 12.
g Eccli. 1. 5.
h Coloſſ. 2. 3.
i Pſ. 102. 2. & 3.
k Matth. 9. 12.
l Luc. 18. 12.
m Luc. 19. 2.
n Luc. 7. 37.
o S. Aug. ſerm. 6. de Verb. Apoſt. c. 10.
† Pſ. 106. 20.

Sed tria obſervo neceſſariè abſolutè ad conciliandam Medico authoritatem, & ad famoſè commendandam illius artem. Primum eſt, Ut cognoſcat naturam morbi, quo laborat æger. Secundum eſt, Ut diſcernat ejus eventus. Tertium eſt, Ut applicet ei remedia efficacia & ſanando illi accommoda. Cùm igitur hodiernâ die curare ſuſceperim febrientem, velimque obire officium Chriſti ſummi Medici Socrum S. Petri febri laborantem præ miraculo ſanantis, imitabor officium Medicorum. Primò, Examinant naturam morbi. Secundò, De cauſis illius loquuntur & effectibus. Tertiò, Remedia præſcribunt curando & ſanando morbo convenientia. His tribus perfungi, ad ſanandas animas veſtras a febri peccatorum, conabor muniis. Diviſio.

I. Pars. Quoad primum, Non poſſumus meliùs cognoſcere naturam morbi, quo laborat infirma

noſtra,

noſtra, quàm diſcendo definitionem febris allatam à Medicis, quâ dicunt aam eſſe caloram extraneum inflammantem cor, & ſe diffundentem per corpus, & ſuis ai officientem effectibus malis, quos in illo producit, *Febris eſt calor innaturalis in corde, diffuſus in membra, ſusque lædens effectu.* Hæc definitio febris quatuor complectitur partes, quæ repræſentant quatuor res maximi momenti in peccato, quod eſt febris animarum noſtrarum ſpiritualis, Primò, *Febris eſt calor.* Secundò, *Innaturalis*, & extraneus. Tertiò, *In corde* ſuam ſumens originem. Quartò, *Membra ſua lædens effectu.* Hæc omnia ad vivum delineant naturam peccati. Sicut anim iſta *febris eſt calor innaturalis*, & improprius, qui vergit ad conſumendam vitam corporis: Sic peccatum eſt amor inordinatus tendens ad deſtruendam vitam animæ, & agit in animam omne id, quod febris operatur in corpus, Ignis eſt noo ſecus ac febris, *Vt enim Latinis febris à fervendo, ita Græcis à πυρὸς, id eſt, ab igne πύρετος dicta eſt*, ait Fuchſius p, Ignis ergo peccatum eſt inſtar febris, ob duas rationes.

p Fuchſius in ſect. 1. aphoriſ. 16 Hippocrat

Prima aſt, Quia ſicut ignis deſtruit & conſumit id omne, quod ſpecioſum, bonom, & excellens eſt in homine; ita peccatum vaſtat & diſſipat omnia bona opera, gratias univerſas, & cuncta merita animæ, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans* q, & conſumens omne illud quod aliquam præ ſe fert ſpeciem & bonitatem in homine. Secunda eſt, Quoniam ſicut ignis denigrat illud, quod ipſe non poteſt abſumere; ſic peccatum in homine nigredine offundit illud, quod ipſum non poteſt exinanira. Poteſt quidem delere gratias & merita ex animâ, ſed non poteſt annihilare ſubſtantiam illius, & facultates ejus naturales: ideò deſtruit marita ejus, & naturam illius denigrat, ut ait Jeremias r, *Denigrata eſt ſuper carbones.* Hic eſt ignis, de quo loquitur David ſ, *Exarſit ignis in Synagogâ eorum.* Id eſt, concupiſcentiæ *ignis in Synagogâ* peccatorum accenſus eſt. Eſt igitur ignis non naturalis, ſed extraneus, quia nihil æquè contrarius eſt naturæ ac peccatum, quod probatu facile eſt: Quia naturale eſt ac deſiderare conſervationem ſui aſſe, & declinare ab illius ruinâ & deſtructiona: Atqui peccator contrarium penitus peragit; nedum enim ſugiat & oderit deſtructionem ſuîipſius, ſicut ipſum edocet natura hoc officium, è contrà illam inquirit & machinatur peccando, cùm proprius effectus peccati ſit deſtruere peccatorem. Et hæc eſt ona ex præcipuis cauſis, propter quas peccator appellatur ſtultus, *Haccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens* t? Non enim exiſtimo majorem in mundo admitti inſaniam, quàm moliri voluntariè integram ruinam perſonæ ſuæ æquè ac bonorum ſuorum, qualis eſt ea quam cauſat ipſi peccatum, naturæ infenſum.

q Job. 31. 12.

r Thren. 4. 8.

ſ Pſ. 105. 18.

t Deut. 32. 6.

Ecce exempla qoæ fidem faciunt, hunc ignem eſſ. extraneum. Domitianus filius Imperatoris Veſpaſiani, Princeps ſui temporis nebulonum omnium diſſolutiſſimus, cùm ad cumulum ſuorum perveniſſet exceſſuum; qui in eum omnium hominum odium attraxerant, & pravam famam illi apud Romanos conciliaverant, ita ut pater illius Veſpaſianus moralibus utique præditus virtutibus, auditâ hujuſmodi famâ effrænis vitæ ejus, vellet illum privare jure ſucceſſionis ſuæ hæreditario: intuitus patrem ſuum adversùs ſe iratum, exoravit amicos ſuos ut patri ſuo dicerent nomine ſuo, ſe fuiſſe ſtultum, & ſanâ mente deſtitutum, & ideò ſuis induliſſe diſſolutionibus præ merâ inſaniâ, non autem præ malitiâ. Nõne deberet nos pudere intueri Principem Ethnicum ſic agnoſcere horrorem & deformitatem vitii, ut malit potiùs haberi ſtultus & inſanus, quam malus? Si modò dicisis alicui æquo liberiori, Domine, ſtultus es & inſanus, actiones tuæ ſatis demonſtrant, te non eſſe ſanæ mentis compotem, in furorem & in rabiem trahitur, ac ſpumas ex ore emittit præ ira. Dicite nebuloni alicui, qui periculoſis intereſt conſortiis, ipſum in actionibus æquè ac in verbis ſuia ſufficienter oſtendere, ſe non habere timorem Dei & hominum; ipſum eſſe impudicum, & cum ſolis converſari profligatæ vitæ hominibus, & atheis: Nihil habetis improperandum prætar iſtud, reſpondebit ille? hoc, eſt vivacitas mentis, & ſanè iſtud eſt, honeſtum virum agera. Sed quid? dicat iſte illi qui ipſum ſic corripit, Vocas me ſtultum, fatuum, & inſanum? Ha! efficiam ut iſtius contumeliæ à te mihi irrogatæ te pœniteat: pœnas iſtius injuriæ lues mihi, & ſatagam ut indiſcretum iſtud inſanus ipſe verbum digeras. Nuncupa me malum, diſſolutum, impium, æquo liberiorem, quantòmlibet volueris, id meâ parùm intereſt. Quod contrarium eſt mudo agendi illius Æthnici, qui maluit reputari inſanus, quàm improbus, ita ſciebat vitium eſſe deteſtabile. Impii tamen illud amant, & decóres inveniunt in ipsâ deformitate, malentes æſtimari mali, quàm reputari inſani; illud autem Domitianus ita credit contra naturam, ut potius eligat haberi inſipiens, quàm vitioſus.

Secundum exemplum eſt Romanorum, qui fundatorem ſuum deiſicare voluerunt Romulum, & conſequenter matrem ejus catalogo falſorum numinum inſcribere, ſed audito illam fuiſſe impudicam & diſſolutam, maluerunt in locum ejus ſubſtituere lupam. Quid? Romani, hi idololatræ, qui non erant illuſtrati lumine fidei, ſicut nos illius luce fruimur per hujus peregrinationis noſtræ diſcurſum (*Per fidem enim ambulamus* u) maluerunt adorare lupam, quam infamem & proſtitutam? Sed auderemne iſtud dicere? Enunciaremoe ego veritatem, quòd in civitate iſtâ N. quæ eſt Chriſtiana, quæ profitetur fidem Filii Virginis, inveniantur lupæ diſſolutæ inter mulieres honeſtas ſpecioſum ſervantes ordinem? & quòd hæc civitas præ proportione ſit corruptior Româ? Cùm de hâc re cogito, ſanâ mente excido, mirum in modum excandeſco, & extra me rapior, intuitus peccata augeri, & voluptates ſua conſequi ultima incrementa; & quòd quò magis nobis Deus noſtrorum condonat vaniam peccatorum, eò majori & effræniori libertate eum offendimus. Sed prætereamus hunc diſcurſum, non enim mihi ſufficiunt verba ad exprimendas abominationes qoæ perpetrantur. Unuſquiſque hanc febrim amat lethiferaam. Dicant Impii quidquid voluerint, ilia eſt ignis extranaus, Ethnici id oſtendunt; & qui in eâ ſibi complacet, infernum ſibi ſic conciliat.

u 2. Cor. 5. 7.

Tertiò, Hæc inflammatio ignis extranei ſuam ſumit originem *in corde*, ubi febris formatur hoc modo. Primo, Humores coacervantu: Deinda, Harmonia temparamenti illorum diſſolvitur & infringitur magnâ intemperie, quam ſequitur inflammatio, quæ paulatim creſcens, diffunditur *in membra*, quæ validis & vehementibus perculſa agitationibus oſtendunt verè febrem in corpore

collu-

collocatam eſſe. Sic formatur febris animarum noſtrarum ſpiritualis. Primò enim primæ cogitationes concipiuntur in corde, *Concupiſcentia cùm conceperit*. Deinde, intemperies fit in voluntate, quæ *parit peccatum* per deſideria inordinata, quæ per conſenſum voluntarium ad effectum perducta, perficiunt formare febrem peccati, *Peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem x.* Quæ febris peccati diffunditur in omnes animæ noſtræ potentias, eas quarto loco, *ſuo lædem effectu*, producens errorem in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in parte iraſcibili, & violentiam effrænem in parte concupiſcibili. Hæc eſt natura febris peccati. Ecce cauſæ & effectus illius.

x Jacob. 1. 15.

II. Pars. Medici & tota natura nobis aſſerunt, corpora noſtra eſſe compoſita e quatuor humoribus diverſis, reſpondentibus ſeu convenientibus quatuor elementorum qualitatibus. Humor bilioſus & cholericus convenit igni, qui calidus eſt & ſiccus. Humor ſanguineus conſonus eſt aëri, qui eſt calidus & humidus. Pituita aut phlegma concordat aquæ, quæ eſt frigida & humida. Melancholia verò conſonat terræ, quæ eſt ſicca & frigida. Atqui hæc quatuor elementa ſic differentia inter ſe, producunt in corporibus noſtris quatuor genera febrium, ſeu hæ eorum elementorũ qualitates. Bilis producit tertianam; Sanguinis abundantia continuam; Phlegma quotidianam; Melancholia verò quartanã. Animæ noſtræ pariter aliis quatuor afficiuntur febriũ generibus; Cholera enim animæ gignit iram, Sanguinis abundantia concupiſcentiam; Pituita cupiditatem; Melancholia, quæ nihil eſt aliud quàm refrigeratio charitatis, producit invidiã quã adverſùs ſuum afficitur proximum. Hæ ſunt cauſæ febriũ animarum noſtrarum. Ecce earum effectus.

Septem invenio differentes effectus febris corporalis, qui ad vivum repræſentant infortunatas qualitates ſeptem peccatorum mortalium. Primus effectus febris eſt, ut elevet & inflet pulſum & motum cordis hominis; & iſte eſt verus effectus peccati ſuperbiæ, quæ animam turgere facit præſumptione & arrogantiã: ſi verò febris excitat motum & pulſum cordis, modò enim elevando, modò illum deprimendo, hoc convenit ſuperbiæ,

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant.

Lucifer expertus eſt primus infelicem hujus febris effectum, & pulſus cordis ejus ita elatus eſt, ut ad Dei dexteram aſcendere voluerit, ſuo dicens in *corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci y.* Ecce ſequela. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, depoſuit potentes de ſede z.*

y Iſai. 14. 13. &c.
z Luc. 1. 51. & 52.

Secundus effectus febris eſt, ut cauſet ſitim, quod illa agit ordinariè in cordibus avarorum, cùm in hoc conveniat febris, avaritiæ, quia avarus ſitit bona & divitias, & quò magis ea coacervat, eò magis ea ſitit, *Avarus non implebitur pecuniâ; & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis a.* Avarus ſemper ſitit,

a Eccl. 5. 9

Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Creſcente pecuniâ, creſcit & illius de novo conciliandæ affectus immodicus, ut ait Poëta,

Creſcit amor nummi quantùm ipſa pecunia creſcit.

Quod non impedit quin avarus ſit ſemper miſer, cùm jugiter indigeat, ut dicit Flaccus *b*,

Semper avarus eget.

b Flacc. epiſt. 1. 2.

Tertius effectus febris eſt, ut producat ardorem in corpore, qui illud ſuo igne ſuccendat. Ecce luxuria, quæ eſt ignis comburens corpus & animam, cùm luxurioſus in hoc ſtatu ſit totus ignis, cùm libido conſumat animam flammis impudicis, ut accidit duobus illis ſenibus qui caſtitatem Suſannæ volebant violare, qui *exarſerunt in concupiſcentiam ejus c.* Job *d* de hoc loquitur igne, dum ait, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*; conſumens corpus, animam, virtutes, & merita. Si enim quis conciliaſſet ſibi omnia S. Joannis Baptiſtæ merita *e*, ea omnia unico amitteret luxuriæ actu. In hoc igne prodigus totam *diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè f.* Ardor hujus ignis eradicat univerſa ſemina virtutis, gratiæ, virtutum Theologicarum *g*, & Moralium, donorum Spiritus ſancti *h*, & fructuum ejus *i*.

Hieron. c. 6. Eccl.
c Dan. 13. 8.
d Job. 31. 12.
e Matth. 3. 4. &c.
f Luc. 15. 13.
g 1. Cor. 13. 13.
h Iſai. 11. 2. & 3.
i Galat. 5. 22. & 23.

Quartus effectus febris eſt, ut lucem ſuſtinere non poſſint ægri, cùm oculis ſanis amabilis ſit ipſa lux, quod convenit invidiæ, quæ nonniſi ægro videre poteſt proſperitatem atque felicitatem proximi, animo. Hoc eſt infortunium invidorum, qui contemplari non poſſunt abſque dolore diem ſpecioſam gloriæ, & ſplendorem felicis ſucceſſus aliorum, ſuum componentes infernum è paradiſo aliorum; magis illis officit præclara dies proximi, quàm febrienti oblit lux, ut accidit aliàs fratribus Joſeph fraternæ felicitati invidentibus, qui *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui k.* Ubi obſervate, ſi placet, modum procedendi duorum illorum hominum, quorum unus erat invidus, alter verò avarus. Cùm enim illis propoſuiſſet Princeps ut à ſe aliquid peterent, poſitâ hâc conditione, quòd ipſe certè concederet uni ex ipſis duplum illius, quod alter ipſorum prior efflagitaſſet: orta eſt contentio inter eos ſic urbana hoc in occurſu, ut unus alteri deferret æquo animo, & nollet prior ſupplicationem offerre. Nolebat avarus prior petere, veritus ne duplum petitionis ſuæ daretur alteri: Suſtinere non poterat invidus ut aliquid conſequeretur avarus. Sed quid invidus poſtulat? *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc l*, ad quod nos inducit hoc vitium, quod alienum perpeti non poteſt commodum! Expoſcit ut ſibi unus eruatur oculus, ut ſocius ſuo uterque confodiatur.

k Gen. 37. 4.
l Jer. 2. 12.

Quintus effectus febris eſt, ut ægro quietem eripiat, innumeras afferens ei inquietudines, quæ qualitas convenit peccato iræ. Iracundus nunquam quieſcit, ſemper cum proximo & vicino dimicat, nullius ſuſtinere poteſt conſortium, & omnes declinant à ſocietate ipſius veluti intolerabili. Semper commovetur homo iræ obnoxius, qui effectus patuit in Abſalon exacerbato adverſùs fratrem ſuum Amnon, qui nunquam quievit donec eum interimendum ſategiſſet; *Oderat enim Abſalom Amnon, eò quòd violaſſet Thamar ſororem ſuam m.* Idem effectus inventus eſt cùm *collegerunt ſe quidam ex Iudæis, & devoverunt ſe, dicentes, neque manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum n.*

m 2. Reg. 13. 28. & 29.
n Act. 23. 12.

Sextus effectus febris eſt, ut faſtidium afferat infirmo; univerſos faſtidit ægrotus cibos, qui videntur ei inſipidi; crudos expetit fructus ſibi noxios, & res pravas ſanitati ſuæ contrarias; res dulces videntur ei amaræ; & optimæ, quoad guſtum ejus depravatum ſunt peſſimæ; & ecce pigritia. Puſillanimus & piger non guſtat res ſpirituales, inſipidæ ſunt ex intuitu illius; idcircò tepidus eſt, & tædio affectus quoad exercitia

virtutum, in ſolis complacens ſibi rebus variis ſeculi. Pigri imitantur filios Iſraël dicentes *in ſolitudine*, *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo* o, id eſt, manna. Spirituales faſtidiunt animæ cibos, qui ſiti ſunt *in omni verbo, quod procedit de ore Dei* q, gratias, & Sacramenta r. Negligentes ſunt quoad negotia ſalutis ſuæ: Infirmi & debiles quantùm ad bonorum praxim operum, more Jonæ, qui præ ſe non ferebat pedes, nec vires, nec animum ad exequendum mandatum Dei ſibi dicentis, *Surge, & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in eâ: quia aſcendit malitia ejus coram me. Et ſurrexit Ionas, ut fugeret in Tharſis à facie Domini* ſ.

o Num. 21. 5.
q Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3.
r Joan. 6. 51. &c.
ſ Jon. 1. 1. &c.

Septimus effectus febris eſt, ut halitum reddat fœtidum, quod accidit per gulam. Guloſus enim ob crapulam immodicam & nimium potum, præ ſe ſpiritum defert fœtentem, *Sepulchrum patens eſt guttur eorũ* t. Et, *Plures occidit gula, quàm gladius*, ut dicitur communiter. E contra verò abſtinẽtia ſanitati corporis æquè ac animæ proficua eſt. *Et ſicut in Adã omnes moriuntur* u, *in quo omnes peccaverunt* x: ita cauſa hujus peccati fuit gula, quæ fuit origo omnium malorum quæ fuerunt, ſunt, & erunt. Guloſi inſtar Hebræorum præferunt cibos Ægyptiacos & mundanos cibo cœleſti, dicentes, *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia; anima noſtra arida eſt* y. Ecce quæ ſint cogitationes & deſideria inordinata guloſi quoad allia, & cœpe, quæ lacrymas excitant, & halitum reddunt fœtidum & intolerabilem, complacendo ſibi tantùm in iis, quæ deliciis corporis blandiuntur.

t Pſ. 5. 11.
u 1. Cor. 15. 22.
x Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6.
y Num. 11. 5. & 6.

III. Pars.

Sed examinatis cauſis & effectibus febris, ecce occurrunt nobis illius expendenda remedia. Et hoc eſt quod noſtrâ magis intereſt, & quo indigemus magis. Edocent nos Medici quòd febris quatuor ſanetur modis diverſis, his nimirum remediis, ſudore, phlebotomiâ ſeu venæ inciſione, vomitu, & ſomno. Sudor ſunt lacrymæ, phlebotomia ſeu inciſio venæ eſt reſtitutio, vomitus eſt Confeſſio, & ſomnus eſt contemplatio brevitatis hujus vitæ, & diuturnitatis ſeu potiùs æternitatis alterius. Dico igitur primò, Quòd iſta febris peccati ſpiritualis ſanatur ſudore: Atqui ſudor eſt familiaris febrientibus, ejuſque materies conſtat ex abundantiâ humorum peccantium aut in quantitate, vel in qualitate, & exit per poros corporis medios, ut definiunt eum Medici, *Sudor eſt communis febricitantibus, cujus materia eſt humor copiâ vel qualitate gravis, profiliens per cutis ſpiracula.* Triplex autem obſervatur ab iiſdem Medicis ſudor. Primus vocatur ſymptomaticus, quo medio, natura conatu violento expellit id omne quod ſibi eſt noxium. Secundus naturalis nuncupatur, cùm abſque violentiâ natura ejicit illud quod in ſe eſt ſuperfluum. Tertius verò artificialis dicitur, qui fit adminiculo alicujus rei ab extrà advenientis.

Lacrymæ ſunt ſudores animæ, quæ liberatur à febri criminum tribus diverſis ſudoribus, ſicut febris corporea tribus aliis ſudoribus variis ſanatur. Aliquando miſeranda iſta febriens curatur ſudore ſymptomatico, cum vivo & valido confixa *timore, à judiciis* z Divinis timens, ſuum deſerit peccatum, & pœnitentiam amplectitur, ſicut *crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem*, pœnitentiam agentes, veriti ne juxta verbum Jonæ poſt *quadraginta dies Ninive* a ſubverteretur. Aliàs hæc anima peccatrix ſanatur ſudore naturali, id eſt, convertitur ad Deum non præ timore ſuppliciorum, ſed propter amorem ejus; ſic ſanata fuit *mulier, quæ erat in civitate peccatrix: Vt cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus* b, criminum ſuorum redundantiam ſuis immergens fletibus fuſis propter amorem Jeſu Chriſti. Tandem, Perſæpe reſurgit hæc anima adjuta auxilio monitionum, correctionum, & concionum, vel aliquâ afflictione temporali impetita, quæ afflictio proficua eſt ut plurimùm animæ ut inducat eam ad deſerendum peccatum ſuũ, & ad convertendam ſe ad Deum. De hâc loquuntur Medici febri, cùm ajunt, *Non ægrotantium, ſed bene valentium eſt, quando exercitatione fit ſudorũ eruptio.* Idem dici poteſt de animâ, quæ bonitatem præ ſe fert naturalem, cùm mediâ aliquâ inſpiratione ſalutari, aliquâ bonâ cogitatione, exhortatione, correctione, aut adverſitate, plenè agnoſcit culpam, cujus conſcia evaſit, & ſic citò liberari poteſt à febri ſpirituali, quâ angitur.

z Pſ. 118. 120.
a Jon. 3. 5. & 4.
b Luc. 7. 37. &c.

Secundum remedium curando huic morbo importuno & faſtidioſo proficuum, eſt vomitus, remedium ſalutare, quo uſus eſt David, ut à ſuâ reſurgeret infirmitate, *Dixi, Confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei* c. Heu! Deus meus, ajebat Rex iſte peccator in agnitione criminis ſui, malignâ impetitus ſum ego febri, non poſſum ampliùs ſuſtinere violentiam hujus infirmitatis, quæ opprimit me, quin ſtatim illi curandæ remedium afferam. Sed quod malagma, magne Princeps, huic morbo ſanando applicabis conſonum? Inſumam, inquit, vomitum; confiteri volo & declarare cogitationes impuras quibus me inquinavi, dum aſpicerem *mulierem ſe lavantem, ex adverſo, ſuper ſolarium* d meum; & amplexus impudicos à me habitos cum illâ; ſicut & proditionem, quâ perfidè uſus ſum adverſùs Vriam virum illius, quem interimendum præcepi; & certus ſum, quòd, ſtatim ac iſtud ſalutare adhibuerim remedium, ſanus ero, convaleſcam, recipiam ſanitatem animæ meæ, quam amiſeram præ ardore febris hujus malignæ, *Dixi, Pronunciabo, non adverſùs Deum, ſicut in clamore impietatis quando tacui, ſed adverſùm me injuſtitiam meam Domino. Et tu remiſiſti impietatem cordis mei. Audiens vocem confeſſionis in corde, antequàm voce proferretur*, ait S. Auguſtinus e. Qui ſtatim ſubjungit ex Pſalmo eodem, *Pro hâc orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Pro hâc impietate cordis orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.*

c Pſ. 31. 5.
d 2. Reg. 11. 2. &c.
e S. Aug. enarrat. 1. in Pſ. 31. 5. & 6.

Tertium remedium, quod Medici præſcribunt ad ſanandam febrim, eſt phlebotomia ſeu inciſio venæ. Intueri mihi videor hoc in occurſu Zachæum gravi morbo laborantem. Euge Zachæe, ſine, obſecro, ut explorem pulſum tuum. Proculdubio febri angeris, idcircò incidenda eſt tibi vena; ſanguis tuus peccat in quantitate, & in qualitate, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* f. Abundantiam habes boni per nefas & per uſuras acquiſiti, *Zachæus princeps publicanorum, & ipſe dives.* Oportet ut ſatisfacias iis, quorum ſuffuratus es ſubſtantiam. Non priùs Zachæus hoc in praxim redegit remedium, cùm ſtatim convaleſcit, ut aſſerit verus Medicus animarum, æquè ac corporum, *Hodie ſalus domui huic facta eſt.* Quare autem? Quia æger ſuſtinuit venæ inciſionem, & ipſemet ait, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid ali-*

f Jer. 2. 34.

g Luc. 19. 2. &c.

aliquem defraudavi, reddo quadruplum g. Hæc autem ſatisfactio eſt vera phlebotomia animæ, cùm temporale bonum vocetur a Prophetâ *Sanguis animarum pauperum & innocentum.*

Quartum & ultimum remedium, quod Medici decernunt ad medendum febri, eſt ſomnus, qui non eſt alius niſi contemplatio. Remedium ſalutare, quo uſa eſt perſæpe Sponſa ſacra Canticorum, quod ſic bonum ac proficuum inventum eſt ex ſententiâ magni ipſius Medici, ut ſinere noluerit eam à ſociabus ſuis ſuſcitandam, donec ipſa voluiſſet, poſtquam ſopori ſufficienter ſuperque indulſiſſet, *Adjuro vos, filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit h.* Sed quis eſt hic ſomnus ſic perutilis & beneficus ut medeatur febri ſpirituali & importunæ peccati, niſi conſideratio horroris & deformitatis ejuſdem peccati; & matura contemplatio pulchritudinis & lenociniorum innocentum gratiæ Dei; & exactæ diſcuſſionis rigoris judiciorum ejuſdem Dei, qui de ſceleribus noſtris vindictas referet horribiles; & ſuavitatis miſericordiæ Divinæ, quæ nobis condonabit delicta noſtra, ſi eorum pœniteat nos, & ipſi in bonam emendatæ vitæ recipiamus nos frugem; ſicut & brevitatis hujus vitæ, necnon & diuturnitatis ſeu potiùs æternitatis alterius? Hæc ſunt quatuor remedia ſanandæ febri ſpirituali peccati congruentia.

h Cant. 2. 7.

Hæc autem remedia non operantur niſi mediâ virtute ſummi Medici, qui eſt Deus, *Tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris.* Quæ verba ſic explicat Dionyſius Carthuſianus i. *Id eſt, receſſit ab eâ febris repente, quia (ut Lucas k ait) imperavit febri, & continuò ſurrexit. In quo ſigno magis mirandus eſt modus agendi, quàm actio. Quamvis enim naturaliter poſſit quis ſanari à febribus, non tamen in inſtanti, ſed hoc ſupernaturale eſt.* Hoc miraculo probat Chriſtus clarè Divinitatem ſuam, ait S. Hieronymus l, *Tangitur manus mulieris, & ſanatis operibus ejus, peccatorum infirmitas fugit. Natura hominum iſtiuſmodi eſt, ut poſt febrem magis laſſeſcant corpora, & incipiente ſanitate, ægrotationis mala ſentiant. Verùm ſanitas, quæ confertur à Domino, totum ſimul reddit: nec ſufficit eſſe ſanatam, ſed additum eſt. Et ſurrexit, & miniſtrabat eis. Illa manus miniſtrabat, quæ & tacta fuerat, & ſanata.* Unde concludit idem Carthuſianus, *Quod ergo hæc mulier ſubitò vires perfectè recepit, certum eſt ſupernaturale fuiſſe*, & hoc ſigno Chriſtum manifeſtaſſe Deitatem ſuam; quia omnes creaturæ agnoſcunt Creatorem ſuum; illæ enim, quas ipſe corripuit, & quibus præcepit, adorant majeſtatem Domini ſui, non quòd ipſæ ſint animatæ, ſed quoniam res quæ ſunt inſenſibiles quoad nos, ſenſibiles ſunt quantùm ad Deum, & habent penes ſe potentiam obedientialem, quæ eſt capacitas aut idoneitas, intuitu Dei, eſſendi, faciendi, & ſuſcipiendi quidquid ei placuerit, aut impotentia reſiſtendi ei, quæ eſt naturalis, & alligata eſſentiæ alicujus rei. Ha! quòd Deus agnoſcatur à rebus inanimatis, & ita parùm adoretur à rationalibus, quales ſunt homines, quis non ſtupeat? Imprime, Deus meus, intimis animæ meæ potentiis omnibus obedientiam, quàm tuis exhibeam voluntatibus; & omnimodam impotentiam peragendi alicujus contra te, aut extra te, aut abſque te. Cùm præcipitur rebus inanimatis, imperatur (ſi ita loqui fas eſt) ipſi Deo, quia illæ ſubditæ ſunt omnipotentiæ ejus, ſummo illius gubernantur imperio, nec ſiſtere poſſunt ex ſeipſis quoad curſus ſuos naturales.

i Dion. Carth. art. 17. in Matth. 8. 15.
k ex Luc. 4. 39.
l S. Hier. lib. 1. in Matth. 8. 15.

Idcircò cùm *ſteterunt Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*, Scriptura ait, quòd Deus obedierit orationi Joſue, *obediente Domino voci hominis.* Quia non tam *Sol*, qui incapax eſt obedientiæ, & audiendæ vocis, cùm ſit inanimatus; neque *Luna*, quippe quæ inidonea auſcultando verbo, cùm ſit inſenſibilis, *ſteterunt* ex ſeſe, quam ſiſtere præceptum fuit ipſis ab *obediente Domino voci hominis* dicentis ipſis, *Sol contra Gàbaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon m.* Majoris igitur eſt ſignum authoritatis, imperare rebus ſenſus & rationis expertibus, quàm iſtorum capacibus, & motu propriæ libertatis præditis. Iſta omnipotentia hujus ſummi Medici ſuper febrim quam ſanat in perſonâ Socrus S. Petri, edocet nos, quòd ſolâ virtute illius noſtrarum impetramus medelam animarum ſpiritualem. m Joſue 10. 12. &c

Sed antequàm hunc diſcurſum concludamus, Ecce notæ & ſigna quæ nobis notitiam ſubminiſtrabunt febrium lethalium animæ, præ conſideratione febrium, quibus anguntur noſtra corpora; quæ ſigna tribus injunguntur aphoriſmis Hippocratis edocentis nos Primò, *In non intermittentibus febribus ſi exteriores partes frigidæ fuerint, interiores verò urantur, & ſitim habeant, lethale eſt n.* Simili modo cùm intueor peccatorem frigore percitum, & glacie penitus conſtrictum, cùm agitur de obſequio exhibendo Deo, de obſervantiâ Divinorum mandatorum ſaragendâ præ inviolatâ & exactâ fidelitate, de frequentandâ oratione, de exercendis jejuniis, de erogandis eleemoſynis ad ſublevandas egenorum miſerias, de condonandis inimico injuriis, aut de faciendâ aliquâ aliâ actione externâ; intùs verò video illum ardere innumeris pravis deſideriis & concupiſcentiis eſſrænibus, illico concludo, eum in ſtatu mortis ſpiritualis eſſe conſtitutum.

n Hippocr. ſect. 4. aphoriſm. 48.

Secundus aphoriſmus non minus invehit periculum quam primus, *Si in febre non intermittente labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur, ſi non videat, nec audiat, imbecillo jam exiſtente corpore, quidquid horum acciderit, mors in propinquo eſt o.* Pariter cùm conſidero peccatorem præ ſe ferentem os, naſum, & oculum tortuoſum & perverſum, id eſt, agentem contra maximas & præcepta Chriſtianæ charitatis; habentem os ſacrilegum erumpens in juramenta, in blaſphemias, in contumelias, in injurias, in detractiones; nares inflatas appetitu capeſſendæ de injuriis ſibi illatis vindictæ; oculum eminentem faſtu, & ſuperbiâ elatum; & exiſtimo eum non auſcultare ſalutaria & proficua monita quæ ipſi charitativè impenduntur; nec videre periculum imminens mortis æternæ, cui eſt obnoxius, & quod incurrit præ deſpectu inaudito, confeſtim infero intentari ei mortem proximam æquè ac jacturam & ruinam animæ ſuæ omnimodam.

o Idem ſect. 4. aphoriſm. 49.

Tertius aphoriſmus tertium nobis ſubminiſtrat interitus ſignum, *Quando in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium accidit, lethale eſt p.* Sic quando peccator obſtinatus ad continuandam depravatam vitam ſuam, non reſpirat, id eſt, non teſtatur per ullum ſuſpirium aut ſtimulum conſcientiæ, aliquem dolorem de peccatis ſuis, & nedum de illis queratur, *delirium accidit* ipſi, id eſt, deridet ipſe eos, qui ipſi intuendum proponunt horrorem peccati ſui, & gloria-

p Idem ſect. 4. aphoriſm. 50.

gloriatur in diſſolutâ vitâ ſuâ, imitatus eos de quibus loquitur Scriptura q ſacra, *qui lætantur cùm maleſecerint, & exultant in rebus peſſimis; quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum*, morbo lethali percuſſus eſt, id eſt, in ſtatu conſcientiæ maximè deplorando & periculoſo conſtitutus eſt. Dici enim poteſt, quod ſi in hoc mundo liceret deſperare de ſalute alicujus, poſſemus excidere ſpe videndi unquam convertendos hujuſmodi depravatæ vitæ homines; ſed poſſumus audacter aſſerere, eos magis diſtare à viâ ſalutis, quam diſtent alii qui præ fragilitate peccantes, experiuntur ſtatim dolorem, pudorem, & timorem in ſe conceptum de ſceleribus ſuis, quia hæc media impediunt ne obſtinentur in peccato, & inducunt ipſos ut citò revertantur ad amplectendam ſedulò pœnitentiam. Hic eſt ſtatus in quo conſtituta erat infirma noſtra. Jeſus qui ſuſcitare poteſt mortuos, præ ſe tulit virtutem ſanandæ illius, & præcipiendi febri ut illam dimitteret, *Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris*. Obedit hæc voci ſummi iſtius Medici, & infirma ſanata, præ gratiarum actione pro ſuſcepto hujuſmodi a Domino ſuo beneficio, *ſurrexit, & miniſtrabat eis*. Iſtud eſt, Auditores, quod peragere debemus: Utentes ſanitate, quam præbuit nobis Deus, ut meliùs noſtra ei rependamus obſequia; inſumentes omnes vires noſtras ad exhibendas ei reverentias noſtras, efflagitemus ab illo noſtrarum ſanitatem animarum, noſtrarum medelam febrium ſpiritualium. Gratia unicum eſt earum remedium; eam præbebit nobis, & deinde gloriam ſuam.

q Prov. 2. 14. & 15.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitaverunt eum, dicentes, Domine, ſalva nos, perimus. Et dicit eis, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Matth. 8. 23. &c.

ILle à rectâ aberraret ratione qui aſſereret, Deum injuriam irrogaſſe Abrahæ, cùm ait illi: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi a*. Cùm hoc eſſet medium unde dupliciter ſuſcepturus erat idem Deus gloriam, per obedientiam quam exhibiturus eſſet ipſi hic ſanctus Patriarcha, diſponens ſe ad violandas naturæ leges, ne Divinum præteriret mandatum; & per auxilium quod eſſet ipſe eidem Abrahæ præbiturus, antequàm filium ſuum internecione deleret, ut mereretur hoc firmo conſilio ſacrificandi ejuſdem filii, omnes promiſſiones & benedictiones quibus Divina cumulavit eum, ipſius bonitas. Nec ille appoſitè loqueretur, qui diceret, S. Antonium fuiſſe infelicem, cùm permiſit Deus aliquando eum ſenſibiliter & viſibiliter vapulare & torqueri à Dæmonibus, cùm ad ſe reverſus, & Deum deprecatus ut efflagitaret ab eo, ubinam fuiſſet, quando ipſe angeretur ab hoſte communi, vocem audiret intimè ſibi reſpondentem. In exiguo cubiculi tui eram angulo, ubi deliciabar videre te ſuſtinere patienter agonem tuum. Sic eſt, Auditores; paſſiones conſervant nos in gratiâ, quâ Maria erat repleta poſt hæc verba, *Ave Maria*.

a Gen. 22. 2. &c.

Moleſtum ſanè eſt intuitu afflictionem probatæ vitæ hominum, & proſperitatem malorum, cùm omni tempeſtate inventi fuerint aliqui qui Divinæ viſi ſunt detrahere Providentiæ, neſcientes quid de eâ ſentirent, & num credere deberent, admittendam aliquam Divinitatem, videntes tot funeſtos effectus, quibus ut plurimùm obnoxii ſunt homines virtute præditi, ita ut dixerit Poëta Ethnicus,

Cùm rapiant mala fata Bonos, ignoſcite fulto;
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.

Eodem vacillat Aiius modo (etiamſi naturalem Dei haberet notitiam) circa hanc eandem Providentiam,

Sed cùm res hominum tantâ caligine volvi
Aſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat
Religio.

Sed ne immoter in pluribus aliis hujuſmodi, qui facilè vinci poterant, aut ſaltem turbare circa hanc Divinam Providentiam, cùm verâ deſtituti eſſent fide; claram videmus illius manifeſtationem in Evangelio noſtro, cùm probatæ vitæ homines, qui non erant minùs quam diſcipuli & Apoſtoli Chriſti, ingrediuntur cum eo navim, ſeſeque fluctibus maris committunt examinandos, quibus citò ſic concutiuntur ut confeſtim exclamare cogantur, *dicentes, Domine, ſalva nos, perimus*. Heu! Domine, miraculum perage in gratiam noſtrî, alioquin de noſtrâ conclamatum eſt ſalute. Si autem mirari oporteret videre homines probos apparentes derelictos à Deo quandiu cum cæteris converſantur hominibus; majori percelli deberemus ſtupore intueri Apoſtolos, qui pietatem & Religionem Chriſtianam profitebantur meliùs quam quilibet alius, ſocietate Filii Dei fruentes, maris tempeſtate impetitos. Sed quia iſtis æquè ac illis invigilat, & providentia ejus manifeſtatur æquè in mari ubi patrat miracula, ac in terrâ, ubi ſimiliter prodigia operatur, de omnibus generaliter philoſophabimur, & dicemus, Quòd perſæpe Deus ſinit ut ſervi ſui malè excipiantur, ut eos efficiat ſibi ſimiles in pœnâ ſuâ, & in gloriâ ſuâ. Hæc propoſitio materiem exercendis veſtris ſubminiſtrabit attentionibus. Propoſitio.

Admittitur convenientia inter vitam ſeculi & vitam cœli tanta & magis quanta ſit inter duas tempeſtates ſerendi & colligendi. Peto autem à vobis, Auditores, Cùm frumentum ſeritis, intenditiſne colligere avenam, aut hordeum? Nequaquam; benè quidem frumentum, non autem hordeum, aut avenam. Sed fatemini mihi ingenuè. Triticum, quod ſeritis, tenetiſne ſic purum & mundum ac illud quod in veſtro ſervatis horreo? licèt ſit ejuſdem naturæ, habetiſne illud ſic pretioſum, quod terræ mandare vultis? Minimè, quin potiùs illud humo committitis, illud ſtercore operitis, ſinitis ut ſuper illud pluat,

ut

ut ipſum corrumpatur; efficitis ut ipſum in ſuum veluti primum redeat nihilum, dummodò germen maneat. non commoveminì ob quamcumque tempeſtatem, glaciem, aut nivem ſupervenientem; ſcitis enim apprimè juxta agriculturæ praxim, tempore meſſis inventuros vos illud multiplicatum, renovatum, & alendis vobis per totum annum accommodè ſufficiens. Scitote autem dari duas tempeſtates generales quoad vitam ſpiritualem, unam ſeminandi, alteram metendi. Omne tempus, quod nobis indulget Deus in hoc mundo, deſtinatum eſt ad ſeminandum; & omne tempus, quo vivere debemus in altero, meſſibus eſt conſecratum. Quod metere debemus & intendimus, debet eſſe fructus, aut cibus, qui nobis ſit alendis ſufficiens per totam æternitatem; & hoc non eſt aliud niſi gloria Beatorum, quam nuncupare poſſumus nomine fructus, & cibi: Ut autem metamus hunc fructum, aut cibum, debemus priùs illum ſerere: Si igitur hæc gloria vocatur *vita* b, *ſalus* c, beatitudo d, *gloria* e, ſerendi nobis ſunt hîc fructus vitæ, fructus ſalutis, fructus beatitudinis, & fructus gloriæ; hoc autem ſemen non eſt aliud niſi bona opera innixa gratiæ Dei, & hæc opera bona conveniunt proportione quâdam cum meſſe quam peragere intendimus. Si enim in cœlo, ſupernaturali, quod nobis dabitur, *in lumine videbimus Lumen* f; id eſt faciem Dei; in terrâ eundem cognoſcere debemus Dei vultum lumine fidei, quod eſt etiam ſupernaturale, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* g. Si in cœlo poſſidere debemus ſalutem, & benè eſſe corporis & animæ; in terrâ capeſſere debemus remedia huic ſaluti conciliandæ nobis accommoda, & ſanandis omnibus morbis noſtris congrua: Si in cœlo frui debemus beatitudine; in terrâ vacare debemus operibus, quibus mediis hanc conſequi mereamur felicitatem: Si in cœlo debemus eſſe glorioſi; oportet ut in terrâ ſimus gratioſi: Et ſi in cœlo jugiter amare debemus hanc Divinam Bonitatem, quæ debet eſſe *omne Bonum* h noſtrum; debemus incipere in terrâ diligere eum quantùm poterimus, cùm ipſe ſit noſtræ ſpei ſcopus.

b Joan. 17. 3.
c Apoc. 12. 10.
d Pſ. 83. 5.
e Pſ. 111. 3.
f Pſ. 35. 10.
g 1. Cor. 13. 12.
h Exod. 33. 19.

Sed attendendum eſt, quòd licèt hæc ſint grana & ſemina colligendæ meſſi accommoda quoad ſuum ſtatum & primam ſuam naturam; tamen conditio ipſorum, prout ſeminum, ſupponit quòd aliquo differant modo, & quòd opera, quæ mereri debent vitam, ſecum invehant mortificationem; ea quæ conciliare debent gloriam, præbeant infamiam; illa quæ conſequi debent felicitatem, dent hic infelicitatem; illa quæ debent acquirere ſalutem, largiantur hic infirmitatem; illa quæ debent frui veniâ & indulgentiâ plenariâ omnium ſcelerum, præ ſe ferant contritionem & pœnitentiam; illa quæ comparare debent exilium generale dolorum & triſtitiarum, tædiorum, laborum, infirmitatum, & incommodorum, complectantur hic genus omnimodum auſteritatum, paſſionum, & martyriorum: tandem, quòd iſtud corpus, & omnia opera hujus corporis ad tempus moriantur, ut vivere mereantur in æternum, ſicut *granum frumenti cadens in terram, ſi mortuum fuerit, multum fructum affert* i, & novo revivit modo, ſi germen ipſius ſemper remaneat; germen bonorum operum noſtrorum eſt gratia; & dummodò hæc gratia vivat in nobis, nihil noſtrâ intereſt ſi moriantur cætera. Dometur ſenſualitas noſtra, mortificentur appetitus noſtri animales, paſſiones noſtræ coerceantur, propria voluntas noſtra ſupprimatur, pereat fama noſtra, ſplendor noſter obſcuretur, magnitudo noſtra deprimatur, quin imò & annihilemur, ſi fieri poſſet, vivaciores & integriores reviviſcemus, quam eſſemus anteà, ſi ſemen gratiæ maneat in nobis integrum, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet* k.

i Joan. 12. 24.
k 1. Joan. 3. 9.

Auſcultate, ſi placet, S. Paulum l loquentem de reſurrectione mortuorum. Ipſe ſibi objicit, *Quomodo reſurgunt mortui? quali autem corpore venient?* Et confeſtim ipſe ſibi reſpondet in perſonâ alienâ, *Inſipiens, tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi priùs moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta, tritici, aut alicujus cæterorum. Sic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione; ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate; ſurget in gloriâ. Seminatur in infirmitate; ſurget in virtute. Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpiritale.* Quod intellectum fuerat a Prophetâ m, qui illud paucis fuerat complexus verbis, *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Quaſi dixiſſet, quod ſemina, quæ pluviæ irrigant, ſunt optima, & uberrimam pollicentur meſſem; quod convenit cum illo quod ait Chriſtus in monte, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur* n. Revertamur igitur ad propoſitum noſtrum, & dicamus quòd ſicut Dei Filius, qui granum frumenti nuncupari voluit, priùs mortificatus eſt, quàm reſurgeret glorioſus & impaſſibilis, dicens, *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert* o; ſic vult ut more ipſius priùs ſimus participes pœnæ ipſius, quàm gloriæ, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* p.

l 1. Cor. 15. 35. &c.
m Pſ. 125. 6.
n Matth. 5. 5.
o Joan. 12. 24.
p Luc. 24. 26.

In cujus probationem ſi agatur hodie de incurrendo periculo vitæ profligandæ tempeſtate ſuſcitandâ in medio mari, aſcendit ipſe primus in navem, & vult ut illuc ſequantur ipſum diſcipuli ſui. *Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Ha! quàm appoſitè aguur hi diſcipuli, dum ſequuntur Dominum ſuum quòcumque pergat. Ha! quam ritè diriguntur, cùm gubernentur ab eo, qui dominatur elementis, & univerſis præſidet creaturis. Et licèt cœli *ſolidiſſimi quaſi ære fuſi* q ſint, & nullam habeant rimam, aut labefactionem, per quam tranſiri poſſit, hoc non impedit quin circumquaque penetret, cùm aſcendere vult in cœlum, quandiu imperat omnibus corporibus cœleſtibus ut aperiantur, & lucum ſibi pandant ut univerſarum Domino creaturarum, *Iter facite ei qui aſcendit ſuper Occaſum, Dominus nomen illi* r. Quàm felices ſunt illi, cum dirigantur ab eo, qui novit omnes vias pravas, & univerſos obices, qui poſſent illis opponi. Non habent unde timeant occurſum Sirenum demulcentium, cùm ſint in ſocietate illius, qui loquitur ſuaviùs quàm illæ concinant. Metuere non debent colliſionem ullius ſcopuli, Scyllæ, aut Charybdis, cùm ipſe rectam carpere noverit viam inter maris procellas, necdum illius agnoſcantur veſtigia, ut ait illi David ſ, *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Quid dico? inter fluctus maris? Pro compertiſſimo tenere debent, quòd nulli fluctus, nullus ventus nec aliquæ procellæ ipſos audebunt impetere. Quæ enim futura eſt hæc creatura, quæ inſurgere audeat

q Job. 37. 18.
r Pſ. 67. 5.
ſ Pſ. 76. 20.

deat in Dominum illorum, & nullâ illarum inſurgente in eum, certi eſſe debent, ſe fruituros pacatâ tranquillitate, nec ullum ſibi inferendum ab aliqua creaturâ nocumentum, quandiu ſociabuntur Dei Filio.

Sic eſt, Auditores. Sed quandiu loquor vobis, *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus maris; nam aqua eam abundanter ingrediebantur*; ſubdit Dionyſius Carthuſianus *s*. En confeſtim ventus impetuoſus & procelloſus inſurgit, tantamque in navem invehit aquarum copiam, ut in profundum demergenda mox videretur hæc miſeranda navicula. Nos autem dicebamus modò iſtis Apoſtolis, ut nihil metuerent. Iſtæ autem promiſſiones ſuntne certitudines, quas illis exhibebamus, ipſos peracturos fauſtam navigationem? cùm vix explicatis velis, navi & mari ſe committentes, in altum ſint delati pelagus, & tempeſtate ſic validâ percuſſi, ut nunquam ei ſimilis alia fuerit viſa. Nonne dicere poſſent, factum ſuum eſſe infelix, & conſilium ſuum fuiſſe infortunatum, cùm propoſuerint ſibi ſecuritatem portus deſerere, ut inconſtantiæ maris ſe crederent? Ha! Auditores: Apoſtoli iſti non ritè loquerentur, ſi in hujuſmodi querelas erumperent. Nunquid enim infelix æſtimandus eſt miles, quem Princeps ipſius mittit ad bellum, ut exponat eum ſclopetorum & catapultarum globulis excipiendis? Nequaquam: hoc enim eſt illi procurare gloriam, dum è prælio eſt reverſurus hujuſmodi miles. Debetne reputari infortunatus ille, qui obviam apprehendit aliquam occaſionem, etiamſi periculo propriæ profligandæ vitæ expoſitam, devinciendi ſibi alicujus amici, eique inſerviendi? Non; hoc enim eſt authenticum amoris, quo erga eum afficitur, exhibere ei teſtimonium. Credine debet infelix Vir aliquis Politicus, cùm multa ei committuntur negotia gerenda, & inducitur ad reſpondendum & ſatisfaciendum eodem tempore multis hominibus, & pluribus eventibus inopinatis? Minimè: nam iſtud eſt præbere ei anſam manifeſtandi eximii ingenii ſui, devinciendi ſibi homines omnis generis, & ſibi conciliandi amicos, & conſequendi famam. Si igitur tempeſtas quæ inſurgit in navem Apoſtolorum eſt quædam ſpecies belli, quod creaturæ illis indicunt, iſtud eſt occaſio præſens exhibendæ eis aliquo modo amicitiæ ſuæ; eſt eventus inopinatus multa complectens negotia, cùm illi debeant eſſe Duces exercitus Chriſti, *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram u*; quos idem Chriſtus ut ſuos optimos & fideliſſimos elegit *amicos x*; & futuri ſint Senatores & Conſiliarii Politici hujus magnæ Monarchiæ Chriſtianiſmi. S. Petrus autem qui inter alios futurus eſt Cancellarius hujus eximii Status Eccleſiaſtici, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: Et tibi dabo claves regni cælorum: Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis y*; nunquid non conſtanter debet ſe habere, & intrepido reſiſtere tempeſtati animo, ut ex hâc occaſione glorioſus evadat? nonne gaudere debet de eventu ſubortæ improviſæ hujus tempeſtatis? cùm hoc in occurſu reſpondere debeat ſimul & ſatisfacere Deo per fiduciam ſuam, animæ ſuæ per conſtantiam ſuam, & creaturis quæ ipſum aggrediuntur, provocando eas veluti ad certamen, & dicendo eis, quòd ipſæ ſibi nunquam ſint nociture, quandiu ipſemet eſt habiturus Nauclerum illum, qui ſolo ſuo halitu ipſas coercere poſſit ac domare. Alioquin dicere oporteret, quòd Job fuerit hominum omnium infeliciſſimus, eò quòd ipſius Fortunæ veluti ludus fuerit, cùm viſitavit eum Deus *z* generatim quantùm ad perſonam ipſius, liberos, & ſubſtantiam ſeu bona temporanea, privans eum omnibus voluptatibus & commodis, & ſolam relinquens ei uxorem propriam in cumulum omnium infortuniorum ipſius; & quòd Deus illum odio proſequeretur; cùm è contra validiſſimum hoc eſſet motivum præ omnibus illis quæ unquam ſuboriri potuiſſent, quod Job habere poterat ad oſtendendum Deo, ſe nunquam creaturis hujus mundi ſuum alligaſſe affectum; & quòd nihil poſſet ipſum concutere, vel avertere ab obſequio Divinæ majeſtati ipſius exhibendo, exiſtimando ſibi ſatis ſuperque fuiſſe, quòd Deus ſibi complaceret & deliciaretur videre ipſum ſic humano deſtitutum auxilio, cum hoſte generis humani æquè ac cum adverſâ fortunâ fortiter dimicantem, quaſi verò luctamen quod Job aggreſſus fuerat contra potentiſſimum palæſtritam, de quo dicitur, *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret a*; Deo delicias ſubminiſtraret; & domus ejuſdem Job eſſet veluti theatrum, ſuper quod ſolemnis ageretur tragœdia, quæ totam Curiam cœleſtem oblectaret, eique quaſi manibus plauderet; cùm nihil eſſe poſſit laudabilius, vel omni admiratione dignius, quàm cùm videtur multis calamitatibus & laboribus impetitus homo, de iis glorioſam reportare victoriam, ut disertè eloquitur Seneca *b*, *Ego verò non miror ſi voluptatem capiunt Dii, dum ſpectant magnos viros luctantes cum aliquâ calamitate.* Miramur nos, & immodico afficimur oblectamento, dum aſpicimus hominem aliquem aggredi leonem, eique reluctari; hæc tamen lucta non eſt æquiparanda ei quam ſuſcipit ille, qui cum adverſâ congreditur ſorte, cùm ex iſto prælio incomparabile deſumat Deus oblectamentum; *Ecce par Deo dignum, Vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus. Non video quid habeat Juppiter in terris pulchrius, ſi convertere animum velit, quàm ut ſpectet Catonem jam partibus non ſemel fractis, ſtantem inter ruinas publicas nihilominùs rectum*, ait idem Seneca ibidem.

Redeo ad Apoſtolos noſtros, Auditores, & dico, quòd parcere poterant labori, quem inſumpſerunt ut dicerent Chriſto, *Domine, ſalva nos, perimus*, ſi conſideraſſent, quòd iſti expoſuiſſet ipſos periculo, ad probandam ipſorum fidem & magnanimitatem, & ad complacendum ſibi inter videndum corpora ipſorum fluctibus maris concuſſa, & mentem ipſorum ſimul perſeverantem intrepidam in firmitate fidei, & ipſorum animum *ſtantem inter ruinas publicas nihilominùs rectum*. Cùm certitudo quam præ ſe ferre debebant, quòd Divinum auxilium inter quoslibet ſiniſtros eventus ſibi foret propitium, ipſorum mentes ſtabilire deberet ſubortâ hâc ſubitaneâ tempeſtate. Videte, obſecro, quomodo Propheta ſaniùs procedat, cùm ſe intuitus circumquaque tribulationibus impetitum, non titubat in fiduciâ, quam debet habere, ſed rectà pergit ad Deum, dicens ei, *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me c*. Eſtne verum, Domine, quòd complaceas tibi in videndo me, omni genere afflictionum circumcinctо?

s Dion. Carth art. 57. in Matth. 8. 24.

u Pſ. 44. 17.

x Joan. 15. 15.

y Matth. 16. 18. & 19.

z Job. 1. 14. &c & 2. 6. &c.

a Job. 41. 24.

b Senec. lib. Cur bonis viris mala accidant. c. 2.

c Pſ. 31. 7.

Id

Id mihi placet etiam, cùm tale ſit beneplacitum tuum. Sed permitte mihi, obſecro, ut projiciam anchoram fiduciæ meæ in te, qui unicum *es refugium meum*, &c.

Refert Plutarchus in ejus vitâ, num. 64. & ſeq. & Alii. Videns aliàs Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum ſe obſeſſum in quâdam civitate, in quâ paucis ſtipatus erat militibus, confugit cum eis & ſe recepit ad arcem, ubi ſe ita munivit ut ad illam accedere foret impoſſibile. Quod cùm advertiſſent hoſtes, imaginati ſunt eum compellendum ad ſubeundam deditionem præ fame; & propter hunc finem magnam foderunt foveam circum totam civitatem, ut foret impoſſibile Ageſilao ut aliquem extrà mitteret ad providenda obſonia, quod cum vidiſſent milites Ageſilai, conſulebant ei ut ſimul cum ipſis foras erumpens in hoſtes irrueret, & cum eis prælium committeret potiùs quam ipſe & ipſi in hujuſmodi propugnaculo ſeu arce concluſi, remanerent expoſiti periculo mortis oppetendæ fame. Sed ſapiens iſte Rex ſatis oſtendit ſe artis bellicæ præ ipſis omnibus peritiſſimum; patienter enim tulit videre fodi foveam circum civitatem, donec ſupereſſet tantillum hujuſmodi foſſæ peragendæ; & tunc cœpit in hoſtes irruere cum ſuo exercitu exiguo, ſed ritè ordinato, per hunc exiguum tramitem qui fodiendus ſupererat, habens pro defenſione à lateribus & à tergo eandem foveam ab hoſtibus foſſam; & ſicut in locis ſtrictis tantùm agit parvus militum numerus, quàtùm facit magnus, victor ipſe permanſit cum ſuo parvu exercitu, & ſuam ſimul manifeſtavit magnanimitatem, & ſapientiam. Magnum fuit permittere ſe circumcingendum ab hoſtibus, ſed tandem non conſenſit fodiendam omnino foveam, nedum ullus relinqueretur militibus ſuis exitus locus. Sed Deus noſter magis progreditur, permittit enim ut circumquaque cingamur, nedum pontem, aliumve locum tranſitus nobis deſerat, & in eum nos aliquando redigit ſtatum, ut nihil videamus aut inveniamus in hoc mundo qood nobis poſſit auxilium ſubminiſtrare aut conſolationem, ita ut, niſi haberemoa animam quæ ſola cogitatione poteſt ſe fiducialiter brachiis Dei committere, videremur in innumeras labi deſperationes, & in mortem nos præcipitare voluntariam, ut limites imponeremus iis, quæ nos opprimunt, infortuniis: Sed Deus, qui vult ut omoes creaturæ nobia terga vertant, ſuam vult ad nos converrere faciem, & intendit ut eodem tempore præ ſancto conſilio conſentiamus his omnibus afflictionibus, manentes ſemper prope ipſum, & habentes ipſum ut ſummum & unicum refugium noſtrum, *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me; erue me à circumdantibus me.* Quid quid agere poſſumus, cùm nimiâ impetimur afflictione, eſt ut imploremus ejus auxilium, & dicamus ei more Apoſtolorum, *Domine, ſalva nos, perimus.* Inſurgant in me elementa, aperiatur terra ad me deglutieodum, dilatetur mare ad me immergendum, agat ignis adversùs me, quò me in cineres redigat, ſæviriam præ ſe ferant beſtiæ ad devorandum me, cœlum vibret fulmina quæ caput meum conterant, nec ullum inveniam hominem omnino in oniverſo orbe, qui ſubſidium præſtare mihi poſſit; hæc omnia mihi ſunt indifferentia, nam refugium meum eſt

d Eſth. 13. 11. ad Deum qui *Dominus omnium* d eſt. Deinde, Ipſe eſt qui à nullis poteſt offendi creaturis,

e Iſa. 9. 6. cùm ſit *Deus fortis* e, inexpugnabilis, & invincibilis, imò & qui det eis omnibus vires & audaciam me aggrediendi, & quandiu ſub illius ero protectione, tandiu has omnes deridebo afflictiones æquè ac illas exiſtimo ſatis infirma ad concutiendam animam in gratiâ Dei conſtitutam, *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* Deus enim noſter, Auditores, ita ſapiens eſt in ſuo procedendi modo, ut veluti omnia computet momenta, quibus elapſis ſtatim ingrediatur ſcenam, ut ibi agat quaſi perſonam ſuam in hâc tragœdiâ noſtrarum afflictionum, & nobis præbeat propriam manum ſuam in maximâ neceſſitate conſtitutis, *Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam à perditione* f. Sed quomodo? Quòd deſtruere velit Deus civitatem Sion, & ideò tendat funem? Benè quidem, ſi eam vellet ædificare; ſed ad illam diſſipandam quare hoc? Ha! Auditores, Deus humano non ſe gerit more. Homines benefacturi procedunt præ circino, funiculo, regulâ, & menſurâ; ſi eleemoſynam erogent, aſſem unicum ſingulis hebdomadibus, aut panem unum egenis diſtribuent, &c. & non magis, menſurandæ ſunt enim propriæ vires, inquient illi: Sed ſi vindicta ſumenda ſit de injuriâ ipſis irrogatâ, & malefaciendum inimicis, officient illis quantùm poterunt; ſi fœnerandum ſit, toties fœnori incumbent, quoties fœnerandi eſt ipſis ſeſe oblatura occaſio. Deus autem alio agit modo, ſi enim agatur de benefaciendo nobis, nunquam quieſcit a benefaciendo, hodie, cras, &c. ſed ſi aliquâ impetere nos vult afflictione, id agit præ funiculo & circino, quaſi ipſum tædeat probationibus ſuis nos examinare, *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere* g. *Tetendit funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam à perditione*; applicatam nobis præ ſe *manum ſuam* ſemper ferens, quâ nos erigat confeſtim ac nos depreſſerit.

f Thren. 2, 8.

g 1. Cor. 10. 13.

Propterea *ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat*: Quandiu tempeſtas oritur, & mare intumeſcit, Chriſtus ſopori ſe tradit. Ha! Auditores, Jeſus ſomno depreſſus eſt, & qoomodo Apoſtoli ſuam in eo collocabunt fiduciam? Si illos intueretur ſaltem, illis aliqua ſpes ſupereſſet, quòd ipſis poſſet fieri ſatis ſuperque: Nam cùm Antigonus aliàs paratus eſſet ad indicendum bellum navale Ptolemæo Regi Ægypti, & Præpoſitus Generalis exercitus ipſius voluiſſet ipſum ab hujuſmodi conſilio avertere, dicens Regi ſuo, eique conſulens ne hujuſmodi aggrederetur prælium, eò quòd naves hoſtium in majori eſſent numero quàm ſuæ; huicque Generali reſpondiſſet Rex, *Me verò ipſum præſentem quam multis navibus hoſtium comparas?* ſic & meliùs Apoſtoli poſſent dicere, quòd præſentia Domini ſui ſibi adjicere poſſit animos Si verò dormit, quomodo id dicere poterunt? In gratiam illorum volo ego reſpondere, aliam in medium proferens hiſtoriam non minùs opportunam. Cùm quidam Legati Græciæ aliquando adiiſſent Philippum Regem Macedoniæ, ut cum eo negotia quædam pertractarent politice, eum invenerunt dormientem ſicut non ita citò audiri potuerint ac deſideraſſent; cùm autem propterea inter ſe muſſitarẽt, Parmenio qui fuit unus ex præcipuis amicis Alexandri Magni filii ejuſdem Philippi, dixit eis appoſitè, *Ne miremini ſi nunc dormit Philippus, nã cùm vos dormiretis, his vigilabat*: innuens his verbis, quòd in quâdam occaſione expeditionis

bellicæ

bellicæ, in quâ ipſi dormierant præ pigritiâ, Philippus eis opportunas ſubminiſtraverat ſuppetias, & ideò admirationem ſuam continerent ſi tunc Philippus dormiret. Dico autem, Auditores, conformiter ad hoc, quòd ſi Dei Filius dormit in navi, quandiu tempeſtas exurgit & navem concutit, ideò quia aliis bonis invigilaverat operibus exercendis, quandiu Apoſtoli dormierant medias inter meliores occaſiones. Sed aſcendàmus altiùs, & dicamus, ſi placet, quòd omnes homines profundè dormierant in perſonâ Adæ, cùm ſe decipiendos permiſerint à ſerpente infernali, qui nunquam dormit, & eo perſuadente, *de fructu h* comederunt vetiti ligni *ſcientiæ boni & mali i*. Hinc S. Petrus *k* illos admonet ut attendant ſibi, ſobrii ſint & vigilent, ne in laqueos ejus iterùm cadant, *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Interim Dei Filius ita vigilabat, ut ex tunc deprehenderit unde & quomodo hanc reparare poſſet culpam, & ſibi propoſuerit ſuo exire *à Patre, & in mundum l* venire ad uterum uſque Matris ſuæ virgineum, ſed præ hâc conditione, quòd peractâ principali parte noſtræ ſalutis, & dato nobis optimo amoris ſui pignore, *Sanguine ſuo m*, liceret ſibi denuò dormire, & relinquere *iterùm mundum, & ad Patrem n* vadere, ibique ſuam reſumere quietem ut in centro ſuo; & quòd toto tempore quo foremus in hoc mundo poſt ipſum, ſemper vigilaremus ad ſpeculandos inimicorum noſtrorum acceſſus, & ad reſiſtendum tentationibus quæ nobis acciderent. Non eſt igitur cur miremini ſi aliquando videtur Deus dormire quandiu afflictiones vos inſequuntur, & tentationes vos impetunt, ac angit vos pœnitentia, cùm jam vobis præbuerit media vincendi omnes difficultates, & reſiſtendi omnibus tempeſtatibus. Igitur *quid timidi eſtis, modicæ fidei*? Quid eſt quod vos terrore percellit? cur animo excidistis? quid non committitis ei regimen navis, & eorum omnium quæ in illâ ſunt? quare non ſinitis ut de vobis agat quidquid ipſi placuerit? cùm non vocaverit vos in navim eâ intentione ut naufragium pateremini. Non ideò vos poſuit in mundo ut in eo continuis agitaremini miſeriis: Expedit hoc quidem ad tempus. Non enim eſt hic locus perfectæ quietis. Mundus hic eſt mare; veritas eſt; & corpus iſtud eſt navis, in quâ anima veſtra ſuam peragere vult navigationem, altera veritas eſt: è mari autem qoid ſperari poteſt niſi amaritudo? in mari quid haberi poteſt niſi venti, concuſſiones, & tempeſtates? Hæc autem amaritudo, hic fœtor, hæ concuſſiones & commotiones quid cauſare vobis poſſint niſi deliquium cordis, ſudorem, vomitum, & viciniam mortis? Ex iſto autem mundo quid expectare poteſtis, niſi amaritudines, dolores, moleſtias, tædia, & morbos mentis æquè ac corporis? Et licèt aliquando, cùm commiſiſtis vos huic mari mundi, polliceatur vobis certam tranquillitatem, nolite ei credere; hoc enim agit ut vos periculo expoſitos teneat; & ſtatim ac navem aſcenderitis luxuriæ, aut alterius voluptatis, avaritiæ, ſeu ambitionis, quantùmvis gratæ & allicientes videantur vobis iſtæ in principio, experiemini citò ventos contrarios, aut paupertatis, aut morbi, aut calumniæ, aut adverſæ fortunæ, qui concutient vos, & invitos vos compellent ad vomitum præ ſuſpiriis, lamentationibus, & acribus anguſtiis, quæ vos inducent ad maledicendum & deteſtandum horam & diem, quibus in hoc mare mundi ingreſſi fueritis.

h Gen. 3. 6. &c.
i Gen. 2. 17.
k 1. Petr. 5. 8.
l Joan. 16. 28.
m Apoc. 1. 5.
n Joan. 16. 28.

At ſic libenti & æquo animo maris commiſiſtis vos fluctibus. Sed quid? annon ſciebatis quænam eſſet conditio maris? Neſciebatis igitur quænam foret conditio mundi? Diſcite igitur propriis veſtris impendiis ipſum eſſe mundum innumeris ſcatentem infelicitatibus. Sed cùm præ magno infortunii noſtri cumulo nobis peragenda ſit hæc navigatio, & Deus ipſe in hoc nos projecerit mare; agamus ſapientiùs, & ſedulò conſideremus hoc ideò feciſſe Deum, non ut in eo noſtras ſpes omnes collocemus, ſed ut illud intueamur ut iter, per quod ad portum appellamur ſalutis, cùm per eamdem viam ad portum hujuſmodi ſecuritatis pervenerint omnes Sancti, comitati Filium Dei, qui eidem ſe commiſit mari enavigando, nedum expectaret majorem in eo invenire requiem, quam vos ſperare poſſitis. Quod vobis inſerviet ad eruendas hinc ambas concluſiones conſolandis animabus veſtris accommodas. Quarum prior eſt, quòd cùm mundus tantis ſit refertus infortuniis, & continuis agitetur tempeſtatibus ut mare moleſtiſſimum, hinc colligamus eum noſtris indignum eſſe affectibus. Si enim voluptatem innumeri ſequuntur dolores, & exiguam ſuavitatem amaritudo immodica, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat o*, procul à nobis mundus, & omnes amaritudines ejus. Poſterior, Licèt hoc mare tranquilliſſimum foret, nunquam tamen proficuum foret in eo ſuam conſtituere fiduciam; tamen quantùmvis procelloſum ſit illud, & naufragiis ſuis famoſiſſimum, ſic cæci & ſtupidi ſunt aliqui homines ut illius non poſſint oblviſci. o Prov. 14. 13.

In iſtos invehitur S. Auguſtinus *p*, *Ecce rumoſus eſt mundus, ecce tantis calamitatibus replevit Dominus mundum, ecce amarus eſt mundus, & ſic amatur. Quid faceremus ſi dulcis eſſet? O munde immunde, teneri vis periens, quid faceres ſi maneres? Quem non deciperes dulcis, ſi avarus alimenta mentiris?* In hoc eſt ergo manifeſta Dei providentia, quæ evidenter nobis oſtendit id quod mundus penes ſe habet, & cum reverâ ſit fallax & inconſtans, experiendas nobis aliquanda exhibet fraudes ejus & inconſtantias: *Ille enim labiles motus ſuos torrentis ictu percurrens, dum te videt inhærentem ſibi, & tenentem ſi; ad hoc te rapit non ut ſalvet, ſed ut perdat te.* Si autem ob miſeram conditionem noſtram tranſire compellimur per hoc mare ut ad cœleſtem portum appellamus, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei q*; gratias agamus eidem Deo pro finali noſtrâ conſolatione, eò quòd oſtenderit nobis, labores & afflictiones eſſe unicam viam, per quam ad cœlum poſſumus pervenire, dicentes ei, *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo r*.

p S. Aug. lib. 4. de Symbol. ad Catechum. c. 1.
q Act. 14. 21.
r Pſ. 15. 11.

Mementote reſponſi dati S. Joanni Evangeliſtæ *ſ*, nam cùm multos vidiſſet Beatos *in conſpectu Agni, in manibus* palmas habentes, & inquireretur ab uno *de ſenioribus*, *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt?* Et ipſe dixiſſet illi, *Domine mi, tu ſcis*; Ille ſenior reſpondit ipſi, *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ*. Sic eſt, Auditores; ſuſtinendæ ſunt tribulationes, ſed quæ nullam habent proportionem cum mercede, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis t*. Velletis quidem ire in cœlum, ſed nolletis deſerere mundum; velletis quidem coronari cum Sanctis, ſed non pati cum iiſdem Sanctis. Ha! ullus *non coronabitur, niſi legitimè*

ſ Apoc. 7. 9. &c.
t Rom. 8. 18.

gitimè certaverit u. [u 2.Tim. 2.5.] Hæc eſt enim differentia quòd infantes gloriam cōſequuntur titulo hæreditatis x; [x Rom. 8. 17.] adulti verò titulo mercedis: Atqui merces ſupponit meritum, & meritū ut ſit tale, emanare debet ab operibus laborioſis. Sunt ergo peragenda bona opera. Si autem communicare vultis felicitati, attendite cuinam innitatur, *Si compatimur, ut & conglorificemur* y, [y Ibid.] *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, &c. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis* z, [z Matth. 5.11.&12.] quoad beatitudinem animæ æquè ac corporis. Fides enim veſtra meliorabitur clarâ viſione a; [a 1.Cor. 13.12.] Spes veſtra cumulabitur poſſeſſione theſauri, quem inquiſiviſtis; Charitas veſtra perficietur, cùm voluntas veſtra unietur ei qui eſt *omne Bonum* b. [b Exod. 33.19.] Corpus veſtrum poſt tot tantoſque labores, glorificabitur in omnibus ſenſibus ſuis c; [c 1.Cor. 15.42.&c.] & poſt intrepidè toleratos omnes fluctus hujus vaſti maris, Dei Filius, qui ſimulat ſe dormire, ut veſtrum obſervet agonem, evigilabit ad ſedādam tempeſtatem, & ad oſtendendum quòd omnes creaturæ ſibi ſubditæ ſint præ miraculo, *Tunc ſurgens imperavit ventu, & mari, & facta eſt tranquillitas mea.*

Domine Rex omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta ſunt poſita; & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati d. [d Eſth. 13.9.] Iſtud ita credimus, & hâc fide fulcienda deinceps volumus omnia conſilia noſtra. Eſt igitur verum quod oporteat neceſſitate abſolutâ, ut omnes homines hoc mare mundi enavigent? Signum ergo eſt, quòd portus communis eſt omnibus, quia navigatio communis eſt. Macti igitur ſimus animo, licèt enim pauperes ſimus aut divites, magni aut parvi, debiles aut robuſti, viri aut mulieres, docti aut ignari, nobiles aut plebeii, nihil iſtorum eripiet nobis modum & deſiderium regnandi aliquando tecum, *Non enim eſt acceptio perſonarum apud* e [e Rom. 2. 11.] te: & inæqualitas, quæ reperitur in hoc mundo, non invenitur penes te, & talis contemnitur in hoc mundo, qui multòm in cœlo elevatus erit; & talis potens eſt hic, & conterit homines, qui neceſſariò emendicabit auxilium & authoritatem illorum quos contēpſerit. Hæc eſt conſolatio, Deus meus, miſerorum hujus mundi, dum conſiderant, ſe æquè cōmunicare gloriæ cœleſti ac divites, teque ſolis meritis, quæ nobiſcum deferimus horâ mortis noſtræ, tuam indulgere gloriā juxta congruam proportionem. Nam *ſi in hâc vitâ tantùm, in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus* f. [f 1.Cor. 15.19.] Sed ſpes, quam concipimus ſublevandos nos generaliter ab omnibus iſtis doloribus in cœlo, efficit ut illos æquo & libenti ſuſtineamus animo, & exiſtimemus nos beatos ex hoc mundo præ gratiâ tuâ, ut beati tandem efficiamur in altero per gloriam tuam,

FERIA V. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes, Domine, ſalva nos, perimus. Matth. 8. 23.&c.

NOn immeritò reſpondit aliàs Philoſophus Socrates appoſitè mulieri cuidam mundanæ & diſſolutæ quæ ipſi improperabat, quòd ipſa magis eſſet ſtipata, & plures haberet ſequaces, quam ipſe cum totâ ſuâ Philoſophiâ haberet diſcipulos, cùm omnes adoleſcentes civitatis ipſam adamarent, & non ſecus ac exiguam deam venerarentur. Non miror propter iſtud, reſpondit ei ſapiens Philoſophus iſte: Tu eis vitium inſpiras, ego autem diſcipulos meos virtutem edoceo; & ſicut virtus reſidet ſurſum, vitium autem deorſum, & difficilius eſt aſcenſu, quàm deſcenſu, plures habes diſcipulos, quàm habeam ego; ſed diſcipuli tui eò magis ſunt vituperandi, quò diſcipuli mei majori digni ſunt laude, magiſque commendabiles.

Duas iſtas nobis exhibet Dei Filius intuendas veritates in Evangelio hodierno. Nuper enim vidiſtis eum deſcendentem *de monte*; hodiernâ verò die videmus eum aſcendentem *in naviculam*, & hâc in navi delatum in altum mare. Deſcenſus montis erat ei facilis, & aſcenſus maris illi videtur periculoſus, ſic in utroque tam deſcenſo quàm aſcenſu eſt diverſimodè ſtipatus, nam *cùm deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Id eſt, homines omnis generis turmatim ſociari ſuot ei; & nunc aſcenſuro ei ſuper undas maris, parvus nautarum numerus iunit ſe, id eſt, ſoli diſcipuli ejus aſcendentem eum ſuper ſtagnum Genezareth audent ſequi, *Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Hinc ſi illi plurimòm meriti ſunt, comitantes eum in deſcenſu, iſti majori digni erunt laude, quò comitantur illum in aſcenſu ſuper mare, media inter pericula. & ſi aliqua ſubitanea exoriatur tempeſtas, quæ ipſos interturbet & contentiat, miraculoſè ſe intuebuntur adjutos ab hoc Divino Naucleto, qui ipſos in aſcendendam navim induxerat. Et cùm ipſemet ſit qui auxilium præbet iis omnibus qui mari ſe committunt ipſo jubente, illud idem polliceri nobis poſſumus ſubſidium in præſenti navigatione, ſi noſtra dirigamus vota ad Sanctiſſimam Virginem, quæ eſt Stella maris, & ſi dicamus ei, *Ave Maria.*

Non miror quòd mare, quod videtur habere per naturalem proprietatem perpetuam inconſtantiam & indeſinentem agitationem in undis ſuis, excidat hodiernâ die è reverentiâ, quam exhibere debebat Filio Dei & diſcipulis ejus, & cùm eximia non agnoſcat illius merita æquè ac diſcipulorum illius, violentam exciret tempeſtatem, etiamſi deferat Creatorem ſuum, & ſummum Dominum ſuum. Sed mirandum eſt quòd cùm deambulationem aut itinerationem aggrederetur peragere cum ſuis diſcipulis, & propter hunc finem committens ſe cum eis huic furioſo elemento, non præceperit ei ut ſe ſuoſque diſcipulos pacatè deferret; vel, ſi volebat ut illud ageret juxta inclinationem ſuam naturalem, non elegerit ipſe navem prægrandem ritè inſtructam, quæ his poſſet reſiſtere procellis, & quaſcumque obvias ſuperare tempeſtates, nedum diſcipuli ſui timoribus perpetiendi miſerandi

randi concuterentur naufragii, malens eos exponi naviculæ æquè levi ac ſit ventus, quæ à minimâ abtiperetur tempeſtate, & ſtatim ſupervenientibos in eem undis, penitus repleretur. *Ita ut navicula operiretur fluctibus.* Quaſi verò præſentia Dei, quæ omnia debet ſtabilire, & in ſecuritate perfectâ collocare, eſſet potiùs *lapis offenſionis, & petra ſcandali* a, & poſita *in ruinam* b eorum qui eo honore afficiuntur ut ipſâmet potiantur.

a 1. Petr. 2. 8.
b Luc. 2. 34.

Eâdem fuit S. Bernerdus c percitus edmiretione, quâ ego, ſed ante me, cùm dixit, generaliter nullum eſſe locum ritè ſecurum imò in præſentiâ Dei, *Nuſquam eſt ſecuritas, neque in cælo, neque in paradiſo; multò minùs in mundo. In cælo enim Angelus cecidit* d *ſub præſentiâ Divinitatis: Adam in paradiſo* e *de loco voluptatis: Iudas in mundo* f *de ſcholâ Salvatoris.* Videtur diſtinguere loca, in quibus poſſont ſubditi alicujus Regni, aut Aulici præſeotiâ Regis potiri quantùm ad quatuor præcipuas res. Primò, In faſtu & ſplendore Curiæ, in deliciis & volopcatibus, in pertractandis graviſſimis negotiis ad bonum politici ſtatus regimen pertinentibus, & in bellis, & commotiooibus ejuſdem ſtatus politici ſociabus individuis: & ait Deum his veluti quatuor modis ſeſe exhibuiſſe præſentem, ſed propterea in ſecuritate non conſtituit eos qui ipſum viderunt. In cælo enim, quod eſt locus ubi Curia ipſius eſt major & ſplendidior, Angeli non fuerunt ſecuri, ex iis ſiquidem *Lucifer ad infernum in profundum laci* g detractus eſt cum ſequentibus ſuis Angelis apoſtatis. In paradiſo terreſtri, qui erat locus, in qoo deliciabatur Deus, Protoplaſtus noſter non fuit ſecurus, ibi quippe inimicitiam Dei incurrit, dùm *de fructu comedit* h vetiti ligni *ſcientiæ boni & mali* i. In Collegio Apoſtolorum, quod erat ſacratius Conſilium, in qno Dei Filius omnie reſolvebat negotia Regni ſui Eccleſiaſtici, nullam Judas ſecuritatē invēoit; ibi enim ſuam perpetravit proditionem, propter quam læſæ divinæ Majeſtatis reus declaretus eſt. In expeditionibus & commotionibus marinis, quibus interfuit Chriſtus, diſcipuli ejus nullâ fruiti ſunt ſecuritate, cùm videamus eos hodie timore ſuſtinendi naufragii perculſos. Dicendum eſt igitur aut quòd nulla poſſit haberi ſecuritas in cælo, in terrâ, in mari; aut ſi alicobi poteſt elique reperiri, eam inquirendam eſſe extra Deum.

c S. Bern. ſerm. de Ligno, Iœno, & Stip.
d Ex Iſai. 14. 12. &c.
e Ex Gen. 3. 6. &c.
f Ex Matt. 26. 14. & 15.
g Iſai. 14. 12. &c.
h Gen. 3. 6
i Gen. 2. 17.

Sed ſicut is notabili aſſiceret Regem injuriâ, qui diceret ei, quòd extra ipſius præſentiem Regiem, & propitios ipſius obtutus poſſet aliquis ſubditus ipſius quietem & ſecuritatem reperire quantùm ad perſonam, & quoad fortunam ſuem; ſic & potiori jure Divinam greviter offenderet quis Majeſtatem, ſi vellet aſſerere, quòd hec exigoa vita, quam ducimus, poſſet ſubſiſtere ſine Deo, cùm dicat Apoſtolus k, *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Si autem quotidianâ videmus experientiâ lapſus, infortunia, pericula, & inſelicitates quæ acciderint in præſentiâ ejus; illa non evenerunr quòd non potuerit illa avertere, aut ejicere; ſed ut majores daret probetiones & poteſtatis quâ viget ſuper omnie, & ſubſidii quod impendit iis qui ad ipſum recurrunt. Exemplum, quod præ noſtris habemus manibus, ſufficiens veritatis iſtius nobis exhiber teſtimonium. Committere ſe Chriſtus vult mari, aſcendit *in naviculam*; ſinit ut oriatur tempeſtas, & intumeſcat mare, & efficit ut præſentia ſua talem diſcipolis ſuis edjiciat enimum; ut nedum infallibiliter credant ſe demergendos quandiu validâ concutiuntur tempeſtate, è contrà perſuadeans ſibi, nullom paſſuros ſe detrimentum, ſi Dei Filius ipſos protegat præ miraculo, ſicut teſtantur, *dicentes, Domine, ſalva nos, perimus.*

k 1. Cor. 4. 7.

Inveniamus hic myſterium, Auditores, & dicemus, mundum repræſentari per hoc mare, cui ſe committont hodie Apoſtoli; Eccleſiam verò Sanctam per nevim, & tres eximias aperiemus veritates propoſito noſtro conſonas. Prima erit, Quomodo iſta navis, eò quòd ab opiimo fabricata fuerit Opifice, & bonâ ex materiâ continnata, perſeveratura ſit integre uſque ad finem muodi. Secunda, Quòd tempeſtates & perſecutiones eam ite concutient, & in rantas redigent eam perplexitares, ut videnda ſit apparentee his fluctibus immodicis immergi debere. Tertia tendem, Quòd victrix ſempet & triumphans ex iſtis eſt exitura, licèt videat ipſa diebus ſingulis in profundum demergi multos homines, qui ſe benè ſecuros autumebant.

Diviſio.

Quemadmodum Deus eſt Author Eccleſiæ, *quam acquiſivit Sanguine ſuo* l, ita ipſe, qui eſt Dominus cordium & voluntatum, *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud* m; facilè multas poterar congregare, & eaſdem unire totas ſub eâdem fide & ſub eâdem lege: & cùm elegerit ad Eccleſiam iſtam concinnandam Patriarchas n, & Prophetas o in primâ illius inſtitutione, & tandem Apoſtolos p ad eandem perficiendam, ſignum erar hoc evidens quòd vellet ei tribuere formam ſic conſummetam, ut nunquam facilè eſſet diſſolvende. Sic certitudines illius ita præbet firmas, ut quandiu divina ipſius *verba non præteribunt* q, & Divinitas ipſius erit ſtabilis, cujus *anni non deficient* r, randiu permanebit ſtabilitas & ſubſiſtentie Eccleſiæ ipſius. Atqui ſicut dona Regis duplici fiunt modo. Aliqoando impenduntur ſoli perſonæ ad totum tempus vitæ ejus, nedum poſteri illius hujuſmodi gaudere poſſint dono, dignitate, aut officio. Interdum verò donum ſic erogatur amplum, ut tota familia & poſteritas viri donis Regiis cumuleti, iiſdem potiatur beneficiis & favoribus à Rege conceſſis. Deus noſter continuum ſuum Eccleſiæ ſuæ dupliciter pollicetur auxilium. Unâ vice in perſonâ Iſaiæ: Nam ſicut illa erat ſub Lege Moyſis, quæ non debebat eſſe perpetua, ſed finem ſumere poſt adventum Meſſiæ, ideò conſolator eam, & ſuas promittit ei ſuppetias ad totum vitæ iſtius tempus, poſt eliquas punitiones, quas ei inflixerar, & ait illi: *Non vocaberis ultrà Derelicta: & terra tua non vocabitur ampliùs Deſolata: ſed vocaberis, Voluntas mea in eâ* ſ. Quod S. Auguſtinus t clarè intelligit de ſubſiſtentiâ, quam pollicebatur tunc Deus Eccleſiæ ſuæ, quæ erat Synagoga, ad quoddam tempus, *Quia ei dicitur, quam nemo Chriſtianus, niſi Eccleſiam Chriſti intelligit.* Sed cùm Chriſtus ſuam compoſuiſſet Eccleſiam ex aliâ materiâ tempore Legis gretiæ, donum coocesſit ei ſimul & poſteris ejus uſque ed finem mundi, quod non fuit aliud niſi promiſſum, ſe nunquam eam dereliсturum, *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* u. *Simon, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* x.

I Pars.
l Act. 20. 28.
m Prov. 21. 1.
n Gen. c. 8 & ſeqq.
o 1. Reg. c. 3. & ſeqq.
p Luc. 6. 13. &c.
q Matth. 24. 35.
r Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12.
ſ Iſai. 62. 4.
t S. Aug. l. de Unitate Eccleſ. c. 19.
u Matth. 28. 20.
x Luc. 22. 31. & 32.

In diverſis iſtis egit promiſſis more architecti,

qui

qui volens ædificete domum, illius protoiypon peragit in papyto exaratum aur in chartâ. Domus quæ conſtiuenda eſt, fotmam præ ſe latura eſt ſimilem illi quam delineavit idem architectus in papyro aut in chartâ, ſed ſub eliâ materiâ, & ut diutiùs duret, Quandiu domum conſtruit atchitectus, hanc in conclavi ſuo ſedulò cuſtodit ideam exteriorem; ſed cùm domus perfecta eſt, eamdem conſetvat ſemper domum, & in fruſta diſcindit ideam illam extetnam, ad cujus ſimilitudinem domum ſuam fabticavit, quam ideam uſque ad tempus quo conſummata fuit domus, ita ſolicitè cuſtodieras. Lex Moyſis etat prototypon aut idea Eccleſiæ, quæ ædificanda erat in adventu Filii Dei, *Quia Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* y. Antequàm verò hæc Eccleſie ædificaretur, Deus conſervavit hanc priorem legem: cùm facte fuit Eccleſia, Deus eam ſumit in habitationem ſuam, & ait ſe velle in illâ immotari uſque ad finem mundi, *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Et favorem ſic impendit integrum, ut licèt Eccleſiæ hujus familia mutata fuerit, & mutetur diebus ſingulis in membris ſuis, nimirum in fidelibus, *Quia membra ſumus corporis ejus* z; Imò verò & in Capite ſuo viſibili, nimirum in omnibus Succeſſoribus ſancti Petri, cui dixit Chriſtus, *Tibi dabo claves regni cœlorum* a; ipſe ſemper fuerit in navi, & modo conſervaverit edmitabili totam illam ſucceſſionem continuam Capitis viſibilis & membrorum ſub unâ ſimplici, unicâ, & indiviſibili formâ Eccleſiæ; ſicut Regnum eſt ſemper idem Regnum in individuo ſuo, licèt interveniat diverſitas & ſucceſſio Regum & omnium ſubditorum eorum, propter eamdem fotmam quæ eſt ſemper in Regno; & eamdem juriſdictionem, quæ perſeveret indiviſibiliter, etiamſi per varias tranſeat manus.

Multa ſunt, quæ retinent eum in hâc navi, & in ſinu hujus Eccleſiæ; concurſus diverſorum populorum; generalis confeſſio fidelium, quia in hâc Eccleſiâ *una Fides, unum Baptiſma* b invenitur; authoritas, quam ipſa ſibi conciliavit; cùm inceperit c à miraculis, quæ ipſam veluti ſigillum obſigneverunt & confirmaverunt, educata fuerit inter auſteritates, & promoveatur per charitatem; nomen Catholicæ & Univerſalis, quod ipſa ſemper cuſtodivit inter tot errores, qui ipſam deſtruere conati ſunt, Succeſſio continua Summorum Pontificum uſque ad illum qui hodiernâ die ſedet in cathedrâ ſancti Petri, Sed quomodo? dicent Hæretici noſtri, debemusne credere quòd Papa, qui eſt hodie Romæ, infallibiliter habeat eaſdem *claves Regni cœlorum* d, & eamdem authoritatem, quæ detæ fuerunt à Chriſto ſancto Petro? Quomodo eſſerere poſſumus, eum eſſe legitimum Succeſſorem Principis Apoſtolorum? Non enim fuit inſtitutus à Chriſto, ſicut ab eo fuit inſtitutus ſanctus Petrus. Homines Papam creant, & perſæpè illius electioni immiſcent commoda propria, & reſpectus humanos. Non eliguntur ſemper maximâ ætate provecti, ſanctiſſimi, ſapientiſſimi, doctiſſimi, quod ſignum eſt, Spiritum ſanctum forſan non præſidere electioni omnium ſummorum Pontificum. Quomodo dicemus igitur eos eſſe veros S. Petri Succeſſores?

Ha! Auditores, ſi Deus faceret id omne quod ipſe agit, omnibus viis optimis quibus poteſt il-

y Joan. 1,17.
z Epheſ. 5,30.
a Matth. 16,19.
b Epheſ. 4,5.
c Act. 2,2, &c.
d Matth. 16,19.

lud peragere, invenirent adhuc adverſarii noſtri in eo aliquid corripiendum. Illis debet fieri ſatis, ſcire quòd Electores Papæ faciunt corpus Eccleſiæ, quod licèt in omnibus membris ſuis (ſi particulariter conſideretur) non ſit ita ſanum aut ſanctum ut deceret, ſumptum tamen in genere, eſt corpus Sponſæ Jeſu Chriſti, corpus autem, cujus *Caput* e, quod non eſt aliud niſi idem Chriſtus Jeſus, eſt totum repletum ſanctitate, & ſapientiâ, quia ipſe Chriſtus eſt *Sanctus Dei* f, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* g. Et corpus cujus cor, quod eſt Spiritus ſanctus, quoniam *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* h; eſt primum vivens, & ultimum moriens, ſed cor quod eſt ſemper movens & ſemper calefaciens hoc corpus igne charitatis & gratiæ ſuæ. Si autem inveniantur intuitus propriorum commodorum, aliive humani reſpectus in electione Capitis viſibilis, in hoc Divina manifeſtatur Providentia, & hinc cognoſcere poſſumus, Deum noſtrum iſtud opus peragere, & quaſi ei dicere cum Prophetâ i, *Domine opus tuum*; atque electionem, ſeu potiùs authoritatem Summi Pontificis non eſſe opus hominum, ſed ſolùm Spiritus ſancti, cùm homines procedentes ſolâ notitiâ & directione humanâ, & præ ſe ferentes utplurimùm effectus, propriorum intuitus commodorum, & alios humanos reſpectus, dirigantur tamen per hanc viam ad illum Virum, quem Spiritus ſanctus in conclavi ſanctiſſimæ Trinitatis jam notavit & ſegregavit ad tradendas ei *claves* & authoritatem Eccleſiæ.

Quomodo igitur verum foret id, quod Chriſtus dixit Apoſtolis ſuis? *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* k. Paucis duntaxat vixit ſanctus Petrus annis, Eccleſia ſancta durare debet *uſque ad conſummationem ſeculi*: fideles autem hujus ſeculi annon tanto gaudere debent privilegio, & æquè communicare poſſunt theſauris & hæreditatibus Eccleſiæ, ac illi qui ſancto Petro ſuppares tempore fuerunt? Si autem ſanctus Petrus habens præ manibus ſuis *claves regni cœlorum*, & authoritatem Chriſti, dare poterat gratias, jubileos, & indulgentias, quæ ſunt *infinitus theſaurus hominibus; quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei* l; cur Papa eoſdem non poterit largiri favores? cùm eoſdem habeat *claves*, & eandem authoritatem ut legitimus ſancti Petri Succeſſor? Auſcultate ſanctum Paulum m, *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Hoc innuit quòd in Eccleſiâ iidem debuerũt inveniri Miniſtri, qui in eâ fuerãt ab initio mundi, & futuri ſunt in illâ uſq; ad finem mundi, præſertim verò Caput, quod habeat eaſdem influẽtias ſuper totum Eccleſiæ corpus, & eandem poteſtatẽ ſuper fideles. Si verò dixit Chriſtus Petro, *Paſce oves meas* n; & hoc pabulum non eſt aliud niſi ſanctiſſimum Sacramentum o, & Verbum Dei p; quo involuta ſunt omnia ſalutis noſtræ myſteria, & univerſa gratiæ Dei inſtrumenta, in eâ ſunt oves ſicut tunc, eadẽ alimenta ibi ſunt. S. Petrus non eſt in illâ ampliùs, nunquid non in eâ aliquis debet eſſe Paſtor? Unus requiritur, nã oves neſciunt

e Epheſ. 1,22.
f Marc. 1, 24. & Luc. 4,34.
g Coloſſ. 2,3. & 9.
h 2. Petr. 1,21.
i Habac. 3,2.
k Matth. 28,20.
l Sap. 7, 14
m Epheſ. 4,11. &c.
n Joan. 21,17.
o Joan. 6,51.
p Matth. 4, 4. & Deut. 8,3.

gere pabula quæ ſpectant ad dominos ſuos, aut ea quæ ad illos non pertinent, & ipſis ſunt vetita, oportet ut Paſtor ea dirigat; fideles in particulari veræ aut falſæ doctrinæ diſcernendæ ſunt inidonei. quænam ſit Chriſti, quænam verò diaboli; & niſi ſit Paſtor viſibilis, periculum incurritur ſumendi agri unius pro altero. Oportet igitur ut Paſtor indicet & doceat veram doctrinam, & ſuo pronunciet ore veros articulos fidei, & bonorum morum, qui ſunt alimenta fidelium; ſed Paſtor qui eos ritè calleat, & qui non poſſit errare. Dicere autem quòd Spiritus ſanctus ſufficiat, figmentum eſt; non enim poſſumus eum videre.

Mihi quidem fieret ſatis, dicet aliquis, ſi videremeum venientem ad me ſub formâ igneâ, q Act. 2. 3. ſicut cùm *tanquam ignis ſedit ſupra ſingulos* q Apoſtolos, ut edoceret me ea quæ mihi credenda r Joan. 16, 13. ſunt, *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* r. Iſtud non ſufficit, ſed requiritur præter hoc Paſtor viſibilis. Sed ubinam eſt? Ille ſanè qui agnoſcetur ab ovibus, bonus & legitimus erit Paſtor; inde enim Chriſtus dixit ſ Joan. 10, 14. ſe fuiſſe bonum Paſtorem, *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ* ſ. Omnes fideles agnoſcunt ſummum Pontificem Romanum, & oves & agni, & docti & ignari, Paſtor autem eos omnes agnoſcit, & in principio electionis ſuæ, aperit eis paſcua Domini ſui theſau- t Sap. 7. 14 ros t Eccleſiæ, ſignans eos *Thau* u, quod T eſt ſi- u Ezech. 9. 14. gnum Crucis ✠, communicans eis indulgentiarum & jubileorum interventu, merita Chriſti; omnes oves illuc accurrunt libenter, omnis ille grex intrat in hunc theſaurum, & in hoc pabulum, & inde exit ſatiatus & conſolatione perfu- † Joan. 10. 9. ſus, *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet* †. Ille igitur verus Paſtor eſt; actum enim veri Paſtoris agit, & agnoſcitur ut verus Paſtor. Omnes Epiſcopi & Prælati Eccleſiæ; univerſi Parochi, Confeſſarii, Concionatores ſunt parvi Paſtores ſubalterni; & magni, & parvi, & medii, & omnes vos paſcunt ſub mandato generali & ſub directione ſummi Paſtoris, qui eſt Romæ, qui habet eaſdem S. Petri *claves*.

II. Pars. Dixi ſecundo loco hanc navim concutiendam procellis perſecutionum. Quatuor præcipuæ ſunt perſecutiones, quæ ſuos inſumpſerunt conatus, aut eos adhibebunt ſuo tempore. Prima ſuſcitata eſt à Tyrannis, quales fuerunt Nerones, Domitiani, Trajani, Maximiani, Diocletiani, & alii ſimiles Furiis infernalibus, qui ſanguinem Chriſtianorum ita ſitiebant, cùm eſſet adhuc hæc Eccleſia in ætate tenerâ, veluti in incunabulis, ut milliones eorum crudeli internecione delendos ſatagerint, autumantes hanc navim deplorando perituram naufragio, & penitus undis ſuæ perſecutionis immergendam, cùm nautas, qui illius regimen ſuſceptant, è medio ſuſtuliſſent truculentâ nece; ſed fauſto augurio, ſeu melius, Divinâ ſic diſponente Providentiâ illi erant homines electi, magnanimi & generoſi, qui tempeſtatibus iſtis omnibus intrepido eluctati ſunt animo, propriæ vitæ diſpendio, devoventes eam martyriis inauditis libentiſſimè, ut authentica veritatis fidei ſuæ præberent teſtimonia, *qui per fidem, vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti* x Hebr. 11. 33. *ſunt repromiſſiones* x; & morientes, ampliorem præbebant ſemper vitam corpori Eccleſiæ, propagationem novorum Chriſtianorum, qui formabantur occaſione effuſionis ſanguinis ſui, illi procurantes; ita ut ſi nauta unus mortem oppeteret, tormentum ſævæ & inauditæ perſecutionis ſuſtinens, alii renaſcerentur numero præ infinito ad ſuſtinendam & dirigendam ſemper navem, quæ nunquam derelicta fuit.

Secunda, & periculoſior perſecutio ſuſcitatur ab hæreticis, qui ſunt veluti vermes qui naſcuntur in ligno, & deinde rodunt idem lignum, *In vobis erunt magiſtri mendaces* y. E corpore ve- y 2. Petr. 2. 1. ſtro, & ex eodem ligno navis exibunt vermes. *Putà Hæreſiarchæ*, ait Dionyſius Carthuſianus z, z Dion. Carth art. 2. in 2. Petr. 2. 1. aut Miniſtri, *qui introducent ſectas perditionis, id eſt, ſpeciales & falſas doctrinas, hæreticas pravitates, erroneas collectiones, ad æternam damnationem tendentes*, & volent devorare ſubſtantiam hujus navis, quæ eſt bona & ſana doctrina. Videte quomodo dicat S. Petrus, eos exiiſſe è conſortio noſtro, quod ferè idem eſt quod ait Filius Dei, *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces* a. Vide- a Matth. 7. 15. buntur induti pelle ovinâ, præ ſuis ferent manibus eaſdem Scripturas ſacras, quas habemus in Eccleſiâ noſtrâ, ſed ſub hâc apparentiâ ementitâ, luporum rapacium furorem exercebunt; & ſub formâ ligni, è quo eſt concinnata navis, officium obibunt vermium, qui eam clàm devorabũt. Sed Dei Filius remedium providit Eccleſiæ opportunum contra hos vermes, & venenum eorum non eſt tantum, ut navem perforare potuerint, aut illam immergere; doctrina enim, quâ illa eſt repleta, ſtipata & oblita ipſam præſervat ab hâc immerſione; Doctores autem & Prælati, qui eam dirigunt, valent iſtorum luporum faciem detegere ſano dogmate, poſſunt *exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere* b. b Tit. 1. 9.

Tertia perſecutio, quæ non eſt minùs periculoſa, ſuſcitatur ab ipſis Catholicis, qui in hanc navem cùm intraverint ad operandam ſalutem ſuam, conantur tamen eam immergere, ſi non falſis doctrinis, ſaltem operibus depravatis; Eccleſia enim non ſubſiſtit per ſolam fidem, ſed etiam per bona opera, *Quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm* c. Hæretici no- c Jacob. 2. 24. ſtram oppugnant fidem, ſed Catholici in noſtra inſurgunt opera, ſi non diſceptatione & verbis, ſaltem malis ſuis praxibus, & modis agendi criminoſis, *In noviſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes*, ait S. Paulus d. Qui non vituperat eos qui d 2. Tim. 3. 1. & 2. ſe amant amore licito & rationabili, cùm naturale ſit amare ſemetipſum; ſed illos accuſat ſolos, qui ſemetipſos magis amant, quàm diligant Deum; quicunque enim talis eſt, poſtponet facilè amorem Dei ejusque legem amori proprio; & ſi amor ipſius proprius ipſum inducat ad furta, ad adulteria, & ad alia ſimilia ſcelera, quæ Lex e e Exod. 20. 14. &c Dei ipſi vetat, amor ipſius contra hujuſmodi Dei Legem æquè ac amorem prævalebit. Aſſerit Apoſtolus tempus venturum, quo Eccleſia hujuſmodi ſcatebit hominibus. Sed videmus iſtud tempus adveniſſe citiùs quàm par eſſet, tùm vitium ita regnet hodie inter Catholicos, ut videretur hæc Eccleſia jam jam immergenda, niſi in eâ ſemper eſſent aliqui probatæ vitæ homines, qui bonâ ſuâ vitâ & exemplis ſuis ſalutaribus ſuſtinent hanc navim adversùs iſtam perſecutionem, ut faciunt Doctores ſanis doctrinis ſuis contra hæreticos.

Quarta & ultima perſecutio ſuſcitabitur ab Antichriſto extremâ mundi declinantis tempeſtate, qui inſurget adversùm Henoch & Eliam tunc venturos, eique ſe oppoſituros ad confir-

man-

maodos fideles, in quos fidelea pariter invehetur; *Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos* f. Hæc autem perſecutio eò præcedentibus erit crudelior, quò totam illarum mutuam accipiet malignitatem: Nam è Tyrannis deſumet tormenta atrociſſima; ab hæreticis errores capiet falſiſſimos & deteſtabiliſſimos; & à Catholicis malis, qui Catholici non ſunt niſi nomine tenus, diſſolutiſſimas & abominabiliſſimas quaslibet capeſſet actiones; & his omnibus addet dona, munera, promiſſa, blanditias, adulationes, perſuaſiones, omnigena tandem artificia lenitiva & corroſiva, ut inducere ſatagat homines ad deſerendam Fidem, & Religionem Catholicam mente & voluntate ſimul, & ſuffocare, ſi poſſet, ætate confectam provectâ hanc ſanctam Sponſam Jeſu Chriſti, quæ uſque ad illud tempus fidelitatem cuſtodierit inviolatam, & demergere in portu, ſi per ipſum ſtaret, hanc navem, eique moliri deplorandum naufragium, quæ feliciſſimè fluctuaverit inter undas altiſſimi maris ſemper inconcuſſa.

f Apoc. 11. 7.

III. Pars.

Sed ſi verum eſt, quòd hæc navicula agitata eſt, agitatur adhuc, & ſæviùs agitabitur etiam tempore futuro tempeſtatibus validis & periculoſis, non minùs certum eſt quòd ipſa ex iis egredietur ſemper victrix & triumphans. Fuitne vobis unquam factus ſermo de viſione, quà apparuit S. Joanni Evangeliſtæ g *Mulier amicta Sole, & in utero habens, & clamabat parturiens; & ecce draco magnus ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura; ut cùm peperiſſet, filium ejus devoraret: Et peperit filium maſculum; & raptus eſt filius ejus ad Deũ, & ad thronum ejus: & Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone; & draco projectus eſt in terram: Et perſecutus eſt mulierem quæ peperit maſculum; & datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum?* Hæc mulier non eſt alia niſi Eccleſia, quæ incepit ab Abel h, & durabit uſque ad finem mundi. *Peperit filium maſculum* hæc Eccleſia, ſcilicet Salvatorem mundi, qui eſt *Primogenitus in multis fratribus* i. Statim ac *aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei* k; *factum eſt prælium magnum* inter draconem infernalem & Angelos hujus Eccleſiæ, id eſt, Apoſtolos, cùm incipientes prædicare & publicare fidem & Evangelium, ejecerunt eum è ſocietate ſuâ, juxta id quod prædixerat Dei Filius, *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* l. Quod eum ſic exacerbavit, ut, cùm non potuiſſet nocere Filio, qui ait de ſe, *Princeps mundi hujus, in me non habet quidquam* m, ſibi propoſuerit Matrem illius aggredi, quæ eſt Eccleſia, interventu Tyrannorum; ſed ſtatim *datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum.* Aquila ſignificat Regnum, aut Imperium. Confeſtim igitur ac Imperatores Romani inceperunt ſe exhibere Tyrannos adversùs Chriſtianos, duo Imperia Orientis & Occidentis aſcenderunt in *naviculam* Eccleſiæ, eamque ſic protexerunt duabus alis aquilarum magnarum ſuarum, id eſt, fortitudine & authoritate ſuâ, ut eæ eſſent veluti vela quæ illam altiùs eveherent ſuper undas & fluctus perſecutionum & tyrannidum, deducendo eam in portum Gentilitatis, quæ repræſentatur per *deſertum*. Et licèt omnia perſecutionibus videantur concuſſa, inde tamen Eccleſia robur aſſumpſit, & crevit, unde orbis ſolitus eſt deſcere; cùm tempeſtatibus non minuatur, ſed augeatur, & tunc ſuperet, cùm affligitur; *Firmitas fundamenti, cui totius Eccleſiæ ſuperſtruitur altitudo, nullâ incumbentis ſibi templi ſibi mole laſſeſcit,* ait S. Leo n. *Inter tria difficilia, viam navis in medio mari ponebat Salomon* o. Mihi autem cognitu videtur difficillimum, quomodo Eccleſia per jacturam & mortem ſuorum filiorum, invicta ſemper permaneat, & divitiis ac honoribus accreſcat. Tandem, Ipſa eſt palma, quæ quò magis oneratur, eò firmior & rectior efficitur: Lampas eſt, quæ quò magis deprimitur, eò magis illuminat: Navis eſt, quæ quò magis agitatur & concutitur, eò minùs immergitur; quin imo eò magis ventis, procellis ac tempeſtatibus reluctatur.

g Apoc. 12. 1. &c.

h Gen. 4. 2. &c.

i 1. Rom. 8. 29.

k Marc. 16. 19.

l Joan. 12. 31.

m Jo. 14. 30.

n S. Leo ſerm. 2. in Anniverſ. aſſumpt. ſuæ ad Pontificis munus.

o Prov. 30. 19.

Sed quis impertitur huic navi tantam ſecuritatem? Nonne profectò ille, qui continuum pollicitus eſt illi auxilium? Nunquid non is, de quo dicitur, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael* p? Annon eſt ipſe Filius Dei? Quomodo igitur dormit? *Ipſe verò dormiebat.* Quomodo poteſt ipſe hanc *naviculam* dirigere, ſi ſopore ipſe deprimitur, & ut ſic tempeſtatem, quæ navem concutit, non videtur advertere? Ha! Auditores, Hic eſt myſterium ſecuritatis Eccleſiæ noſtræ. Ipſe ædificavit eam, *Et ipſe fundavit eam Altiſſimus* q *Eccleſiam* r, ait Lorinus. Ipſe in eam nos introduxit, qui primus in eam ingreſſus eſt; pollicitus eſt ſe futurum nobiſcum toto tempore navigationis noſtræ. Hæc præſentia Filii Dei, in ſecuritate totam eam conſtituit, ſed non impedit quin Chriſtiani metuant naufragium. Cùm eſſet Dei Filius in navi, non poterat illa immergi; ſed Apoſtoli videntes eum dormientem, titubare poterant in fide. Eccleſia Sancta conſtituta in præſentiâ Dei, qui illam tuetur & protegit, nullam poteſt unquam eclypſim ſuſtinere, nec fidem amittere, ſi ſumatur ipſa in corpore ſuo. Sed ſicut fides uniuſcujuſque non eſt fides totius Eccleſiæ, fieri poteſt ut perſecutiones hæreſeon tantæ ſint, ut Chriſtiani metuant ne Deus dormiat, & de ſeipſis non ampliùs, aut parùm curet, & ne inde fides illorum vacillare incipiat, aut penitus deficere. Videtur dormire Deus, quando ſinit prædicari errorem & mendacium: Cùm permittit ut inimicis fidei proſpera cuncta accidant: Cùm tolerat in Eccleſiâ ſimonias, quæ panguntur in emptione & venditione beneficiorum: Cùm negligentiam ſuſtinet Prælatorum in exercendo officio ſuo: Cùm diſſimulat mala exempla & ſcandala quæ videntur interdum inter Eccleſiaſticos: Cùm non punit tot abuſus ſacrilegos qui inter Sacramentorum adminiſtrationem aut ſuſceptionem perpetrantur: Cùm ſinit ut bona Eccleſiæ maneant inter manus hominum laicorum, & in uſus impendantur profanos: Denique, Omnibus modis, quibus videmus Eccleſiam incurrere jacturam aliquam, ſeu quoad ſpiritualia, ſive quantùm ad temporalia, videtur Dei Filius, qui debet eſſe Gubernator & Nauclerus hujus navis, ita dormire, ut naufragium ſit inevitabile: Unde fit ut fides uniuſcujuſque facilè titubare poſſit, & Chriſtiani fundamento innixi ruinoſo dicturi ſint Deo, more Apoſtolorum, *Domine, ſalva nos, perimus.* Ha! *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Quid intenditis propoſitâ hâc ſupplicatione Filio Dei? Vultisne eripiendam è periculo eminenti navem, quæ eſt corpus Eccleſiæ? Dictum eſt vobis jam, illam nimis eſſe ſecuram;

p Pſ. 120. 4.

q Pſ. 86. 5.

r Lorin. in Pſ. 86. 5.

curam; oporteret enim ut mentiretur Deus, qui *Veritas* f eſt, cùm eam ſibi deſponſavit in æternum, *Sponſabo te mihi in æternum* t. Vultiſne ut Chriſtus vosmetipſos ſalvos faciat? Sed interrumpendusne erat illius ſomnus? Illud non erat neceſſarium; vobis autem ſatis erat, ut in eum veſtros projiceretis oculos, ut inde inferretis, quòd, licèt corpus ejus quieſceret, mens ejus invigilaret vobis, *Ego dormio, & cor meum vigilat* u. Vos autem Auditores quid intenditis, cùm Deum veluti manicâ trahitis, & repræſentatis ei damna quæ illata ſunt & inferuntur Eccleſiæ ipſius, ſive ab extra ab Hæreticis fidei noſtræ infenſis, ſive ab intrà à Catholicis, Prælatis, Eccleſiaſticis, aut laicis? Oratiſne eum ut conſervet corpus Eccleſiæ? Ha! ipſe in eo eſt. Deprecamini ne eum ut impediat ne labamini in abyſſos horum infortuniorum? Ritè agitis. Sed putatiſne eum ſomno deditum eſſe, ſicut dormire videtur? Ha! quàm peſſimè ſe haberent omnia, ſi dormire Deus poſſet. Peſſimè pro hominibus æquo liberioribus; ſi enim aliquando crederent quòd Deus ipſos non intueretur, in quasnam non irrumperent iniquitates perpetrandas? Quamnam non exercerent ſævitiam adversùs Eccleſiam, & contra probatæ vitæ homines? Peſſimè pro bonis Catholicis; nunquam enim ſuam ſtabilire poſſent fidem, nec ſuam firmiter ſpem fundare. Peſſimè pro Eccleſiâ; inter enim tot inquietudines, quibus agitatur, nunquam poſſet ipſa ſperare ſolatium. Peſſimè pro Deo & pro gloriâ ejus; nam licèt Deus omnibus invigilet, inveniuntur tamen aliqui qui ita inſoleſcunt, ut in eum præſumant inſurgere, & gloriam ejus ſibi aſcribere, quæ tamen ei ſoli debetur, *Gloriam meam alteri non dabo* x. Et quid agerent iſti, ſi certi eſſent quòd Deus clauſos haberet oculos profundo ſomno? Ha! hoc ſola ſpectat ad falſa numina ac dormire, qualia erant ea, quæ deridebat Elias, cùm pacto inito cum Prophetis ſeu Sacerdotibus Baal contentâ voce inclamantibus, *Baal exaudi nos, illudebat eis, dicens, Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſoriis eſt, aut certè dormit, ut excitetur* y. Illi falſi Dii dormire poſſunt, & aliis incumbere, quæ impediant ne Deorum perfungantur officio: Sed Deus noſter, qui non eſt corporeus, *Spiritus eſt Deus* z, nec opus manuum humanarum, oculos ſemper habet apertos, & tantùm ſimulat ſe dormire, ut noſtræ fiduciæ & ſpei probationem deſumat; & vix tempeſtas exurgere incipit, cùm ſtatim protectionem ejus experimur, *Exaudivi te in abſcondito tempeſtatis, probavi te apud aquam contradictionis* a, veluti ſi ſpicula, quæ in nos ejaculatur, in ſuo chalybe deferrent abſconditum remedium curando vulneri conſonum; & ſi in vento tempeſtatis aut tentationis eſſet aliquis halitus celatus, qui tantùm ſtabiliret navim, quantùm illa concuteretur, ſpiritus qui non eſt alius niſi gratiæ, quæ eſt principium gloriæ ſempiternæ.

f Joan. 14. 6.
t Oſee 2. 19.
u Cant. 5. 2.
x Iſai. 42. 8.
y 3 Reg. 18. 26. &c.
z Jo. 4. 24.
a Pſ. 80. 8.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. ADVENTVS.

Et cùm veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo tranſire poſſet per viam illam. Et ecce clamaverunt, dicentes, Quid nobis & tibi Ieſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? Matth. 8. 28. &c.

AMor eſt inventionum parens. Nullus unquam ſic noſtræ fuit amans naturæ ac *Verbum caro factum* a. Omnia peregit, nulli pepercit rei ut illam ad ſe traheret; ſed præſertim ob hunc eminentem finem, inſumit pulchritudinem, afflictiones, & beneficia. Vidiſtis ab iſtius primordiis Adventus quomodo ſanitatem largitus leproſo corpoream, ſalutem animæ indulſit ei ſimul ſpiritualem, nempe gratiam dedit ei Dei Filius, quæ gratia eſt communicatio Divinitatis, & ideò pulchritudinum omnium exquiſitiſſima. Quòd ſervus Centurionis paralyſi afflictus fuerit, & ab illâ ſanatus ab eo. Quòd ſocrus S. Petri febriens ab eodem curata ſit. Quòd Apoſtoli mari implacabili expoſiti æquè ac periculo perpetiendi naufragii, tempeſtate validâ perculſi, ad optatum portum, eo condonante appulſi ſint. Hodiernâ verò die *occurrerunt ei duo dæmonia habentes.* Et ſicut proprium erat ei ut pertranſiret *benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo* b; Hos duos ſuis cumulat beneficiis, eosque liberat à tyrannide dæmonum, qui eorum angebant corpora. Sed invenio quod inſigniſſimum, quibus gaudemus ipſius interventu, beneficiorum illud eſt, cùm noſtras exemit animas à tyrannide peccati c, quod maximum eſt omnium dæmoniorum, *Magnum enim dæmon peccatum eſt* d; ut daret nobis gratiam, cujus ſuſcepit Maria plenitudinem, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a Jo. 1. 14.
b Act. 10. 38.
c 1. Jo. 3. 8.
d S. Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matth.

Omnes diviſiones, quæ fiunt in naturâ, fieri non poſſunt niſi præ maximis violentiis, & præ immodicis conatibus. Phyſica & naturalis, qualis eſt membri à corpore, totius à parte, cum quibus ſic ſtrictè ſunt conjuncta. Moralis, qualis eſt conjugis à ſponſo ſuo, cum quo unicum duntaxat conſtituit corpus, *Erunt duo in carne unâ* e. Præterquàm quòd hæc unio ſanctificatur gratiâ Sacramenti, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia* f. Qualis eſt etiàm ſeparatio patris à filio ſuo, qui eſt pars ſubſtantiæ ipſius, & alter ipſemet. Omnes iſtæ ſeparationes non poſſunt eſſe niſi maximè doloroſæ iis, qui illas ſuſtinere coguntur, & cùm ad illas compelluntur perpetiendas, eas nonniſi fuſis amplecti poſſunt lacrymis præ maximo, quo anguntur, dolore. At ſeparatio quæ fit Dei ab animâ, non poteſt ſatis defleri, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum* g. Sanguineas meretur illa lacrymas, quia *ſimiliter odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* h, quæ *nihilum* i eſt, Deus autem eſt *Qui eſt* k, Primum entium, & Ens per eſſentiam; quæ ſeparatio eſt omnium infelicitatum maxima. Heu amittere Deum! Nunquid omnia non perierunt ei, qui in iſtam incurrit jacturam per peccatum? Michas eſt deſolatus, & nullius capax eſt ſuſcipiendæ conſolationis, eò quòd ablata ſibi fuerint idola, veſtis ſacerdotalis, & ſtatuæ profanæ quæ erant domi ſuæ. Ideò milites inſequitur, qui ea ſibi eripuerant

e Gen. 2. 24.
f Epheſ. 5. 32.
g Iſai. 59. 2.
h Sap. 14. 9.
i Pſ. 72. 22.
k Exod. 3. 14.

puerant, importunè ab illis efflagitat quid peragere cogitaverint, dum eò audaciæ & temeritatis proruperunt, ut in res ſacras & diis ſuis dicatas, iojicere præſumpſerint violentas manus ſuas? *Tulerunt qui intraverant, ſculptile, ephod, & idola, atq; conſlatile. Quibus dixit Sacerdos, Quid facitis? Qui dixerunt ad Micham, Quid tibi vis? cur clamas? Qui reſpondit, Deos meos tuliſtis, & omnia quæ habeo, & dicitis, Quid tibi eſt?* l Judic. 18. 18. &c. Ethnicus iſte nullo perpeti poterat modo ſeparationem ſuiipſius ab idolis ſuis, ut diſcamus quàm merito jure metuere debeamus ne ſeparemur à Deo per peccatum, per jacturam virtutum & gratiæ. Intendo igitur veſtris ponere præ oculis Primo infelicitates, quas nobis peccatum cauſat in hâc vitâ. Secundò, Quomodo nos deſtinet ad æternitatem pœnarum ſubeundarum in alterâ vitâ.

Diviſio.

I. Pars.

Præcipua iofelicitatum, quas peccatum operatur in nobis, eſt ſeparatio à Deo. Peccatum lethiferum nos ab eo longè removet. Quærebat Deus Adam, *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Ubi es m?* Sed quid? Dominus, *qui omnia, antequam fiant n*, novit, poteratne aliquid ignorare? *Quid eſt ergo, Adam ubi es?* Petit S. Ambroſius o. Et ipſe reſpondet: *Id eſt, non in quo, ſed in quibus es? Non ergo interrogatio eſt ſed increpatio. Ubi ergo es? Hoc eſt non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu. Quò te perduxerunt peccata tua, ut fugias Deũ tuum, quem ante quærebas?* Ita perierat ut Deus eum non inveniret. Quærebat illum ut quæri ſoleot res amiſſæ. Heu quomodo peccatum perdit hominem, cùm Deus non inveniat illum ibi, ubi eum poſuerat! Sed tandem ubinam perierat Adam? Reſpondet Rupertus p, *Rectè dicitur illi: Ubi es? Quia videlicet movit pedem ſuum, & in loco ſuo non eſt. Locus enim hominis Deus eſt, extra quem nuſquam benè eſt.* Receſſerat Adam è loco ſuo, non erat amplius in eo. Deus eſt centrum hominis, extra quod nullam nanciſci poteſt requiem homo, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* q. Deus eſt centrum noſtrum, ſicut quoad corpus & vitam temporalem elementum terræ eſt locus noſter; & ſi eſſemus in elemento ignis, non viveremus ibi: Sic quoad ſpirituale, Deus eſt elementum noſtrum. Vivere extra eum, non eſt vivere, ſed mori. Sic cùm Adæ *Deus dixit, Ubi es?* idem eſt ac ſi dixiſſet illi, Non es ampliùs in me qui ſum Deus tuus, & elementũ tuum; quò autem abiiſti & aberraſti?

m Gen. 3. 9
n Dan. 13. 42.
o S. Ambr. lib. de Paradiſo c. 14.
p Rupert. in Gen. 3. 9
q S. Aug. lib. 1. Conf. c. 1.

Deus locus eſt & elementum animæ noſtræ, *Neque cognoſcet eum ampliùs locus ejus* r. Quid ſibi volunt hæc verba? Nonne videtis quomodo oon cognoſcat ampliùs Deus Adam, *& dixit ei, Ubi es?* Quaſi diceret illi, Debebas eſſe in ſtatu gratiæ & juſtitiæ originalis, debebas eſſe in me; ſed quònam peregrè profectus es? Sed videamus quonam modo ſic receſſerit Protoplaſtus à Deo, ut illum non inveniret ipſemet Deus. Ecce quò abierat: *Abſcondit ſe Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei ſui in medio ligni paradiſi* ſ. *Quod enim medium habet unum lignum, in quo abſcondi valeant corpora duorum hominum?* petit Rupertus t. Et reſpondet ipſemet; *Abſconſionem ergo hic oportet intelligi non tam corporis, quàm animi, quam Deus maximè requiſierit.* Arbor iſta ſignificat peccatum Adæ, qui fructum illius comederat vetitum, & fuerat ipſi occaſio peccati perpetrandi. Sic autumat ſe latère Adam ut Deus ipſum oon ſit inventurus *in medio ligni paradiſi.* Peccator latens in vitio ſuo, ſic eſt à Deo ſeparatus, ut libenter exiret à ſphærâ regiminis Creatoris ſui, ſi poſſet, ne eſſet creatura; & poſt hæc ubi erit? Unusquisque ſuam conſideret infelicitatem, & cognoſcat inde miſeriam, quam peccatum cauſat, ſuppoſito quòd Deus ſit locus & elementum animæ. Si extra eum eſtis, oportet ut vita veſtra amaritudine repleatur.

r Job 7. 10
ſ Gen. 3. 8. &c.
t Rupert. in Gen. 3. 8.

Job u loquens de corde, quod non eſt in proprio loco, ait, *Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.* Particula hæc, *&*, ſumitur pro, quia; & verba ſupradicta iſtum præ ſe ferunt ſenſum, Quia *cor meum emotum eſt de loco ſuo*: ideò conturbatum eſt. Alii x vertunt, *obſtupuit.* In Hebræo eſt, *removet ſe è loco ſuo*, diſſilit, nec ullam requiem invenit, unde magno dolore afficitur. Equiti ephippio excuſſo contorquetur brachium, os illius è proprio emovetur loco, contentâ voce ioclamat ipſe præ dolore immodico, quo angitur, accurrunt uxor illius & vicini, offerunt ei vinum, & alia remedia confortativa haurienda; hæc omnia non conſolantur eum, qoia malo illius ſanando non ſunt conſona; ſed quærendus eſt aliquis qui brachium ipſius in priſtinum reſtituat locum; donec os illius in proprio repoſitum ſit loco, nemo poterit eum conſolari. Anima debet adhærere Deo: quandiu ea eſt in peccato, ipſa eſt more cordis aut oſſis emota è loco ſuo; ſic angetur doloribus internis, nedum ludi, divitiæ, oblectamenta & deliciæ poſſint ei ſatisfacere. Quare? *Cor meum dereliquit me*, ait David y. Extra ſuum centrum & elementum ſuum eſt, nec alibi requiem invenire poteſt.

u Job 37. 1.
x Apud S. Hier. in hunc locũ.
y Pſ. 39. 13.

Alia infelicitas, quam peccatum ſecum invehit, eſt jactura virtutum. Solæ ſuperſunt peccatori fides & ſpes, quæ etiam mortuæ ſunt in eo; & in locum virtutum ſubſtituitur ei ordinariè legio vitiorum. Hodiernâ die cùm Dei Filius è corporibus duorum hominum iſtorum dæmones ejicit, petunt hi dæmones ut ſibi liceat ingredi in corpora porcorum; *Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum paſcens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes, Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.* Super quæ S. Chryſologus z ait, *Vide ubi Satanas ſedem deſiderat collocare, de ſepulchris in porcos ſemel infectus putredine, habitacula fœtida & immunda perquirit: ſordibus delectatur & cœno, qui utiq; ſemper fœtore criminum, & ſqualore paſcitur vitiorum. Sed ſic eſt odor ejus tartareus & crudelis, ut eũ nec porcorum natura ſufficeret ſuſtinere: denique demergi in mari & fluctibus maluit deperire, quàm ejus immunditiam pati, & putredinem tolerare.* Mirabile viſu quòd porci quietè ſociari non poſſint dæmonibus; & quòd inoumeri ſint homines qui dæmonum legiones habent in animabus ſuis, qui tamen vivunt in ſecuritate conſcientiæ. Poſſidentur à ſpiritu ſuperbiæ, iræ, invidiæ, gulæ, luxuriæ, & pigritiæ, & nihilominùs ſunt in pace. Nunquid non oportet ut ſint magis beſtiæ quàm ipſæmet beſtiæ? Cum legione dæmonum comedunt & bibunt præ ſecuritate. Ego autem neſcio quomodo vivere poſſunt in ſtatu, in qoo mori nollent.

z S. Chryſol. ſerm. 17.

Legibus a cavetur, ut is qui vitam alienam eripit, eam propriæ jacturâ vitæ debeat luere, *Qui percuſſerit, & occiderit hominem, morte moriatur.* Juſtitia Patris æterni, & homo læſæ Divinæ reus Majeſtatis (licèt diverſo modo) vitam

a Levit. 24. 17.

eripue-

eripuerunt Salvatori, *Propter ſcelus populi mei per-*
b Iſai. 53. 8 *cuſſi enim* b. Jeſu Chriſto mortem intulerunt i-
gnominioſiſſimam æquè ac doloroſiſſimam ea-
rum omnium quæ infligi potuiſſent univerſo-
rum hominum nequiſſimo & ſceleſtiſſimo,
quæque decerni valuiſſent adversùs teterrimum
omnium criminum & ſacrilegiorum, cùm cruci
c Luc. 23. 33. ſuffixerunt illum medium inter duos *latrones* c
Pater æternus illum alterâ jam præmiatus eſt
vitâ, *Quòd enim mortuum eſt, peccato mortuum eſt ſe-*
d Rom. 6. 10. *mel; quòd autem vivit, vivit Deo* d vitâ gloriæ,
quam Pater æternus ei communicat & commu
nicabit in æternum. *Vivit Deo, id eſt, in æternâ*
beatitudine Patris, quia ſicut vita Patris, ita & vita
e S. Anſel. in Rom. 6. 10. *Chriſti*, expoòit ſanctus Anſelmus e. Quoniam
vita Filii eſt æqualis vitæ Patris, *Sicut miſit me*
f Joan. 6. 57. *vivens Pater, & ego vivo propter Patrem* f. *Ego &*
Pater unum ſumus g. Supereſt modò ut homo ſa-
g Jo. 10. 30 tisfaciat juſtitiæ Patris æterni æquè ac Filii ejus,
cùm iſti vitam eripuerit per peccata & ſcelera
ſua, & Lex ferat, quòd ille, qui vitam abripuit
alienam, hujuſmodi jacturam, propriæ vitæ di-
ſpendio debeat compenſare, & quòd hæc ſit o-
mnimoda ſatisfactio quæ exigi poſſit a reo. Sed
quomodo iſtam peraget ſolutionem? quâ ratio-
ne perfungetur iſtâ ſatisfactione? Iſtud per-
ſolvet penſum mediâ vitâ gratiæ, cujus Author
eſt Chriſtus, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta*
h Jo. 1. 17. *eſt* h, quam conciliavit huic homini ingrato
mediis laboribus ſuis, & pœnis, & effuſione
Sanguinis ſui, *Qui dilexit nos, & lavit nos à pecca-*
i Apoc. 1. 5. *tis noſtris in Sanguine ſuo* i. Fortaſſis autem ſan-
ctus Paulus loco mox citato alludens ad vitam,
quam Pater æternus dedit Filio ſuo, ſtatim ſub-
junxit: *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem*
eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Ieſu Do-
mino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mor-
tali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed ne-
que exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis pecca-
to, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes,
k Rom. 6. 11. &c. *& membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* k. Quaſi di-
l S. Anſel. in hunc locum. ceret, ait S. Anſelmus l, *Vt per ea Deus pro juſti-*
tiâ pugnet adversùs regnum peccati. Deus enim eſt
qui operatur in vobis, ſcilicet, ut manus, quæ antè ra-
piebat aliena, nunc tribuat ſua. Sic & cætera mem-
bra juſtitiæ ſerviant. Non poteſtis ſolvere vitâ glo-
riæ, ſolvite vitâ gratiæ. Non vivatis ampliùs peccato,
ſed vitâ gratiæ.

Aliud etiam infortunium, quod oritur è pec-
cato, eſt, quòd eripiat nobis pulchritudinem a-
nimæ, quæ conciliabat ei honorem & reveren-
tiam ut Sponſæ Chriſti, eamque denigret more
carbonum, *Egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor ejus*
m Thren. 1. 6. m, *denigrata eſt ſuper carbones facies* n illius. Ait
n Thren. 4. 8. Zacharias o, recenſens *lapidem oneris cunctis po-*
o Zach. 12. 3. *pulis: Omnes qui levabant eum, conciſione lacera-*
buntur. Super quæ dicit S. Hieronymus p: *Mos*
p S. Hier. lib. 3. in Zach. 12. 3 *eſt in urbibus Palæſtinæ, & uſq; hodie per omnem Iu-*
dæam vetus conſuetudo ſervatur: ut in viculis, oppi-
dis, & caſtellis rotundi ponantur lapides graviſſimi
ponderis, ad quos juvenes exercere ſe ſoleant, & eos pro
varietate virium ſublevare, alii ad genua, alii ad um-
bilicum, alii ad humeros & caput, nonnulli ſuper ver-
ticem rectis junctiſque manibus magnitudinem virium
demonſtrantes, pondus extollant. Sed omnes eo
læſi ſunt. Lucifer eum levare aggreſſus eſt, &
ſuam perdidit *ſapientiam in decore ſuo, & in ter-*
q Ezech. 28. 17. &c. *ram* q projectus eſt. Adam circa eum ſuam ex-
r Gen. 3. 6 ercere voluit potentiam r, & ſuam audivit ſta-
tim damnationem ore Dei prolatam, *Morte mo-*
s Gen. 2. 17 *rieris* s. David contra illum inſumit animum

ſuum t, ſed confeſtim ſe ſanguine opertum in- t 2. Reg. 11. 2. &c.
tuetur, & dicere Deo cogitur, *Libera me de ſan-*
guinibus u. Sed quod majori percutit me ſtupo- u Pſ. 50. 16
re, Dei Filius adversùs eum ſuas probavit vires;
ut autem levaret eum, oportuit ut ipſe eſſet *Bra-*
chium Domini x, & *Sapientia* y Patris. Illum ce- x Iſa. 53. 1
pit è bono latere; peccatum enim duas habet fa- y Sap. 7. 24
cies, unam culpæ, alteram pœnæ; non ſumpſit i-
pſum ex illo, ſed ex iſto. Hoc tamen non impe-
divit quin ipſe ita ſe deformaret, ut non poſſet
ampliùs ferè agnoſci ut Filius Dei, *Vidimus eum*
deſpectum, & noviſſimum virorum z. Conſidera igi- z Iſa. 53. 3
tur peccator, quòd tu, qui non es brachium Dei,
ſed ipſa infirmitas, & qui non capis peccatum ex
latere pœnæ, ſed ex parte culpæ, non poteris ei
adhærere, quin confeſtim omnem tuum decô-
rem amittas & ſplendorem.

Non ſolùm autem deformat peccatum ani-
mam, eam interimendo; ſed etiam vitam eripit
Deo: ſaltem auſu ſacrilego, unico ictu occidit
Deum & animam; hanc per jacturam gratiæ a; a Ezech. 18. 4. & 20
illum verò, quia Deus ceſſat amare eam b, quam b Sap. 14. 9.
diligebat c anteà. Præterea, Efficit ut res in-
ſenſibiles ſuam perdant pulchritudinem, *Infecta* c Jer. 31. 3.
eſt terra in ſanguinibus d. Id eſt, peccato. Ubiver-
ſio ait, *Hypocrita facta eſt terra in ſanguinibus.* Men- d Pſ. 105. 39.
ſibus Aprili & Majo videbitis agros ſpecioſâ o-
pertos viriditate, unde laudabitis Deum, & ſpē
concipietis meſſis ubertimæ; hæc ſpecies appa-
rens nō eſt niſi hypocriſis; adveniente enim ge-
lu, glacie, aut turbine, diſſipabitur id omne quod
ſic pompaticè apparebat, & nihil metendum de-
feretur. Dicamus potiùs, peccatum cauſare hoc
infortunium, & terram efficere hypocritam. O-
portet ut peccator ſe gerat adversùs peccatū eo
planè modo quo bajulus erga mercatorem pro-
cedit. Antequàm onus aggrediatur deferre ba-
julus, illud ſublevat, petit utrùm ſit illud pere-
grè portandum, & convenit cum eo de pretio
mercedis. Idem peragite, Auditores, antequam
peccetis; ſcitote quodnam ſit pondus oneris ve-
ſtri, petite num illud vobis ſit longè deferendū,
& quandiu durabit pœna, cui obnoxii eritis, il-
lud deferentes; quæ merces dabitur vobis in al-
terâ vitâ pro eo quòd peccatores fueritis. Inve-
nietis autem quòd pœna tandiu durabit, quan-
diu Deus erit Deus; quòd merces veſtra, eſt jactu-
ra honoris, gratiæ, & omnium perfectionū aoi-
mæ. Sed peccatum non videtur grave impio,
quia in eo eſt ut in centro ſuo. *Stimulus mortis pec-*
catum eſt e, Græcum fert κέντρον, *Centrum mor-* e 1. Cor. 15. 56.
tis peccatum eſt. Philoſophico ventilatur prolo-
quio, *Gravia non gravitant in propriis centris.* Navis
in mari non gravitat; facilè extrahitur è loco, in
quo eſt: ubi autem eſſet ejus gravitas? *Centrum*
mortis peccatum eſt, & conſequenter peccatoris;
ibi facilè illi eſt delatu peccatum. Tandem,
Peccator, tantam incurrit per peccatum ſuum
jacturam, ut nullo æſtimari poſſit illa modo,
Formavit Dominus Deus hominem, eumque colloca-
vit in paradiſo deliciarum & *voluptatis à princi-*
pio f, ut illinc ejectus g agnoſceret ſenſibiliter f Gen. 2. 7. & 8.
quantis bonis deſtitutus eſſet ſpiritualibus per g Gen. 3. 24. &c.
peccatum inobedientiæ ſuæ; &, ut ait Theo-
doretus h, *ut iis privatus, odio gravi proſequeretur* h Theodoret. qu. 24. in Gen. 2.
peccatum, per quod tantis bonis careret in iſtâ vitâ;
& quod deſtinat peccatores ad æternitatem pœ-
rum ſuſtinendarum in alterâ vitâ, ut videbimus
in hâc poſteriori parte.

Articulus eſt fidei noſtræ, & veritas conſtans II. Pars.
in Theologiâ, pœnam inferni cauſatam à pecca-

to mortali, eſſe æternam: *Diſcedito à me maledicti in ignem æternum. ibunt hi in ſupplicium æternum* i. *Vermis eorum non morietur* k. Et S. Gregorius l ait, *Anima mortalis eſſe intelligitur, & immortalis. Mortalis quippe; quia beatè vivere amittit. Immortalis m autem, quia eſſentialiter vivere nunquam deſinit, & naturæ ſuavitatem perdere non valet, nec cùm in perpetuâ fuerit morte damnata. Illic enim poſita, beata eſſe perdit, & eſſe non perdit. Quâ ex re cogitur ſemper, ut & mortem ſine morte, & finem ſine fine patiatur. Quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.* Videtur autem quòd pœna inferni, ad quam nos deſtinat peccatum mortale, non debeat eſſe æterna. Quod infertur ex Jure Divino, & humano. Ex Jure Divino, *Pro menſurâ peccati, erit & plagarum modus* n. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* o. Ex Jure humano, quod fert, pœnam non debere eſſe majorem crimine perpetrato, & habendam eſſe rationem exceſſus. Cùm igitur culpa commiſſa, fuerit finita, quare pœna erit infinita quantùm ad durationem? Videtur hoc adverſari Juſtitiæ Dei, magis autem detrahere Divinæ Miſericordiæ, cui proprium eſt mitigare potiùs pœnas, quàm illas augere: Jus autem humanum ait, *Odia ſunt reſtringenda, favores verò ſunt ampliandi.* Non obſtantibus iis omnibus quæ dici poſſunt in contrarium, Aſſero, pœnas peccato mortali debitas eſſe æternas. Hanc autem aliquibus probo rationibus veritatem.

i Matt. 25. 41. & 46.
k Iſai. 66. 24.
l S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 45.
m ex Gen. 1. 27.
n Deut. 25. 2.
o Apoc. 18. 7.

Quarum prima eſt, Quia non eſt neceſſarium ut pœna menſuretur ad culpam quantùm ad durationem; nam, ut ait S. Auguſtinus p, non opus eſt ut in hoc judicio menſuretur pœna ad culpam quoad durationem, *Nec quiſquam extitit qui cenſuerit tam citò nocentium finienda eſſe tormenta, quàm citò factum eſt vel homicidium, vel adulterium, vel ſacrilegium, non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte multatur, nunquid mora, quâ occiditur, quæ perbrevis eſt, ejus ſupplicium leges æſtimant, & non quòd eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viventium? Quod eſt autem de iſtâ civitate mortali homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt de civitate illâ immortali homines ſupplicio ſecundæ mortis* q *auferre.* Et hæc eſt doctrina S. Thomæ. Iſtud autem quod dicitur, *Pro menſurâ peccati, erit & plagarum modus*, debet intelligi de menſurâ proportionis, non autem de menſurâ durationis; nam quò culpa gravior eſt, eò acerbior debet eſſe pœna juxta proportionem, *Pœna peccato proportionatur ſecundùm acerbitatem, tam in judicio Divino, quàm in humano* r.

p S. Aug. lib. 21. de Civit. c. 11
q ex Apoc. 21. 8. &c.
r S. Thom. 1. 2. q. 87. a. 3. ad 1.

Secunda ratio eſt, Quòd licèt duratio pœnæ debeat menſurari ad culpam, pœna inferni propterea debet eſſe infinita quantùm ad durationem; quod probo, ſi obſervetis, quòd quandiu anima eſt unita corpori mortali, ipſa recipit conditiones hujus corporis, mutabilitatem, inconſtantiam, gaudium, triſtitiam, &c. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* ſ, attrahendo eam ad proprias qualitates. Unde dico neminem deſperare debere ob peccata ſua quandiu vivit, quia illorum poteſt ipſum pœnitere; ſicut econtrà nemo de ſe nimis præſumere debet, *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat* t. Nam quantùmvis juſtus & ſanctus ſit, poteſt tamen labi; quia cùm peccatum non eripiat libertatem, u nec illam aufert gratia x. Sed ubi anima ſemel eſt à corpore ſeparata, remanet ipſa in naturâ ſuâ, quæ in eo ſita eſt, ut mutari non poſſit, ſive ipſa *torrente voluptatis* y potetur in gloriâ, ſive miſera ſit in inferno, *ligatis manibus & pedibus, in tenebras exteriores* z miſſa. Sic anima damnata non poteſt agere pœnitentiam, ita ut ipſam pœniteat peccatorum ſuorum, quatenus illa offendunt Deum, & illi diſplicent; quàmvis ipſam eorundem pœniteat, prout illa merentur pœnam, quam ipſa ſuſtinet; in quo ipſa ſemetipſam intuetur, & non Deum qui offenſus eſt, *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* a. Damnati conſtituti ſunt in ſtatu, in quo non poſſunt ampliùs mereri, aut demereri; tam quia non ſunt ampliùs obnoxii mutationi, quàm quia non ſunt ultrà viatores. Ideò blaſphemiæ diabolorum non ſunt nova peccata, quæ mereantur novas pœnas, ſed ſunt eædem quas commiſerunt, & committunt obſtinati in malo & in primâ malitiâ ſuâ, nedum unquam concupiſcant bonitatem & pœnitentiam induere, ſi enim pœnitentiam poſſent agere, eamque actu facerent, Deus ita *bonus* b eſt ut illis parceret; ſed diabolus in inferno eſt ſemper in eâdem voluntate, quam præ ſe tulit in cœlo, & æquè dicit nunc ac dicebat tunc. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meũ, ſimilis ero Altiſſimo* c. Hanc ſemper ambit æqualitatem, & per totam æternitatem hoc ambitioſo ducetur deſiderio, quia cùm pervenerit ad terminum, non eſt ampliùs viator, nec ulli obnoxius mutationi. Unde ſequitur, quòd, cùm culpa nunquam condonetur niſi per pœnitentiam, nec pœnitentia peragi poſſit in inferno; culpa permanet ſemper, ſicut etiam pœna illi debita: Ergo cùm culpa ſit æterna, pœna pariter erit ſempiterna, *In menſurâ contra menſuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eam* d. Ubi obſervabitis, ſi placet, quòd anima in æternum punietur in inferno propter peccatum veniale, licèt peccatum veniale ex naturâ ſuâ non mereatur pœnam æternam, tamen per accidens prout unitum eſt peccato mortali, pœna illius erit æterna. Ratio autem, propter quam culpa non condonatur in inferno, hæc eſt, quia illius, animam damnatam non pœnitet; quin imò vellet ipſa de novo poſſe offendere Deum, quem continuis impetit blaſphemiis. Præterquam quòd nunquam dimittitur culpa ſine gratiâ juſtificante: Sed in inferno nulla eſt gratia: Nulla eſt ergo in illo remiſſio. Pœna igitur æquè ac culpa erit æterna; veluti ſi intemperies & deordinatio humorum eſſet æterna, febris, quæ inde orietur, eſſet ſempiterna; cùm qualis unusquisque ex hoc mundo exit, talis Deo judicanti ſit præſentandus.

ſ Sap. 9. 15.
t 1. Cor. 10. 12.
u Eccl. 15. 14. &c.
x Eccl. 31. 10.
y Pſ. 35. 9.
z Matt. 22. 13.
a Eccl. 11. 3.
b Pſ. 118. 68.
c Iſa. 14. 13. & 14.
d Iſa. 27. 8

Tertia ratio eſt, Quòd licèt culpa non ſit infinita quantùm ad durationem, pœna nihilominus eſſe debet infinita in duratione; Nam etiamſi culpa mortalis non ſit infinita extenſivè, extenſio enim attenditur ex parte actus peccati, aut ex parte converſionis ad creaturam, quæ eſt finita extenſivè, attamen eſt infinita intenſivè; intenſio enim deſumitur ex parte averſionis à Deo, quæ dat eſſe formale peccato: Cùm igitur pœna augeatur juxta proportionem qualitatis illius, qui offenſus eſt, ut obſervat ſanctus Thomas e, & Deus ſit excellentiæ quæ *non habet finem* f, & dignitatis immenſæ & illimitatæ, ſequitur quòd culpa debeat etiam eſſe infinita ratione objecti, intenſivè: Atqui pœna non poteſt eſſe infinita intenſivè quantùm ad rigo-

e S. Thom. 1. 2. q. 73. a. 9. in concluſ.
f Baruch 3. 25.

rigorem, quia exinaniret creaturam, quæ non eſt capax infinitatis, cùm non poſſit eſſe capacitatis infinitæ: Supereſt igitur ut ſit infinita extenſivè, nimirum quantùm ad durationem. Hæc autem pœna minor eſt, aut major, juxta quod voloptas quæ deſumpta eſt ex converſione ad creaturam, major fuit, aut minor, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Id eſt, *tantum date illi tormentum, quo in corpore affligatur propter delicias impuras præhabitas; & luctum, id eſt dolorem in animâ contra glorificationem inanem: ſicque pœna correſpondeat culpæ*, ait Dionyſius Carthuſianus *g*.

g Dion. Carth. art. 19. in Apoc. 18. 7.

Quarta ratio, eſt intentio illius qui peccat: In peccato enim attenditur voluntas & intentio illius qui illud perpetrat, & non ſolus actus externus peccati. Id ſentiunt Juriſperiti *h*, cùm aſſerunt, quòd *voluntas & propoſitum facientis diſtinguunt maleficia.* Atqui licèt actus externus peccati ſit finitus, voluntas tamen peccatoris eſt infinita, ut ait ſanctus Gregorius *i*: *Iniqui ideò cum fine deliquerunt: quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſent utique, ſi potuiſſent, ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare. Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato.* Ille qui ſine fine peccat, delinquit in æternitate vitæ ſuæ, & ideò puniri debet in æternitate Dei; quia qui finem ſuum conſtituit in peccato, habet voluntatem peccandi in æternum, ut docet ſanctus Thomas *k*, & ſic probo: Quia ille qui propter aliquod bonum temporaneum *receſſit a Deo l*, qui eſt ultimus Finis *m* ſuus, qui poſſideri debet in æternum, præfert fruitionem temporalem hujus boni caduci fruitioni æternæ Finis ultimi, unde oſtendit ſe voluiſſe frui hoc bono temporaneo in æternum: Debet igitur juxta judicium Dei puniri ac ſi æternaliter peccaviſſet, ſecundùm eundem ſanctum Gregorium: *Oſtendunt enim quia in peccato ſemper vivere cupiunt, qui nunquam deſinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hâc vitâ nunquam voluerunt carere peccato.* Nec adverſatur quòd, ſecundùm Leges humanas, *non debet puniri affectus, niſi ſequatur effectus.* Huic reſpondeo primò quòd illud eſt verum quoad crimina atrocia, quibus punitur etiam deſiderium, ſi aliquo modo exteriori manifeſtetur, etiamſi ſuum non ſortiatur effectum: Si autem exteriùs non appareat, ſecundùm Leges humanas, cùm affectus criminis ſit internus, non debet puniri, quoniam *occultorum ſolus cognitor & judex eſt Deus.* Secundò reſpondeo, quoad homines crimen non dici realiter conſummatum, niſi cùm venitur ad actum exteriorem perfectum. Et ratio iſtius eſt, Quia non ſpectat ad hominem judicare de rebus occultis; ideò deſiderium criminis non punitur, niſi ad exitum perducatur: Judex autem ſolùm ſupplicia decernere poteſt infligenda criminibus cognitis, & non aliis. Prætereà, Quia Jus Civile eſt præſertim inſtitutum ut homo ſit juſtus, & juſtè ſe gerat erga proximum ſuum, in cujus gratiam Juſtitia Civilis concinnata fuit, non autem præcipuè ut ſit juſtus erga Deum. Inde oritur ut ii, qui falsò jurant in judicio, niſi falſi convincantur juramenti, non puniantur ab hominibus, ſed à ſolo Deo, quippe qui ſolus eſt ſcrutator cordium, ut ait Jeremias *n*, *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Crimen dicitur perfectum, cùm voluntas eſt determinata, etiamſi non perveniat ad actum externum; idcircò ſola voluntas punitur à Deo. Cùm igitur voluntas hominis feratur ad peccandum uſque ad infinitum, ſi in æternum viveret (peccator autem libenter fœdus pangeret cum Deo, ut nunquam poſſe mori vellet, ut poſſet ſemper & in æternum peccare, & ſibi complacere in vitio ſuo, nedum curaret de paradiſo, de gloriâ, de vitâ æternâ, *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem o*) cùm, inquam, peccator hoc ſibi proponit, etiamſi actus externus non extenderetur uſque ad infinitum, tamen jure merito punitur æternaliter & infinitè.

h L. Qui injuriæ, cum concor. in gl. D. de furt. L. Divus de ſicar.
i S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 44.
k S. Thom. 1. 2. q. 87. a. 1. ad 3.
l Deut. 32. 15.
m Apoc. 1. 8.
n Jer. 17. 9 & 10.
o Pſ. 105. 24.

Quinta ratio & ultima, eſt propter differentiam tribunalium. Non enim mirandum eſt quòd à Senatu aliquo quædam pœna decernatur infligenda cuidam crimini; & ab alio Senatu alia minor, aut major eidem crimini imponatur ſubeunda. Et ſic videmus mutari pœnas ſecundùm conſuetudines regionum & civitatum; nam propter furtum alicubi flagellis cæditur latro, alibi ferro candenti inuritur. alio in loco plectitur exilio, & in alio enecatur ſuſpendio. Sic mutantur Leges & ſtatuta juxta varietatem temporum, & locorum. Idem dicimus de pœna Purgatorii *p*, quæ licèt non ſit æterna, eſt tamen abſque ullâ comparatione, maxima omnium pœnarum, quas in hoc mundo perpeti poſſumus; & peccata venialia, quæ in hoc mundo levi pœnitentiâ diluerentur, maximo puniuntur rigore in Purgatorio præ comparatione pœnarum hujus mundi: Hoc accidit propter diverſitatem tribunalium. In inferno peccata venialia pœnâ plectuntur æternâ, ſi moriatur quis cum peccatis mortalibus & venialibus, etiamſi peccatum veniale ex naturâ ſuâ pœnam non mereatur æternam. Et iſtud ob eandem rationem varietatis tribunalium. Et ſic videtis quomodo pœna debita peccato lethali in inferno eſt æterna, licèt culpa mortifera ex parte converſionis ad creaturam, & durationis, ſit finita, & temporalis, ut ait ſanctus Joannes *q*, *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habent requiem die ac nocte.*

p Malach. 3. 3.
q Apoc. 14. 11.

Ecce, Auditores, infelicitates, quibus impetimur in hâc vitâ per peccatum; & pœnæ quæ reſervantur peccatoribus obſtinatis oppetendæ in alterâ vitâ. Sed nunquid induſtrii non erimus ut proficuè utamur mediis, quæ inſumit Dei Filius, ut nos ad bonam frugem reducat, de quibus loquebar vobis in principio hujus diſcurſus, nimirum pulchritudine, afflictionibus, & beneficiis, quæ invenio præſtita dæmoniacis noſtris, quibus Chriſtus ſanitatem animæ largitur, æquè ac corporis, quia neminem ſanabat unquam niſi perfectè; & ſi alicui ſanitatem indulgebat corpoream, impertiebatur etiam ei ſalutem animæ ſpiritualem per gratiam, quæ eſt illius decor. Sciens igitur Dei Filius vim hujus pulchritudinis, eâ utitur ad alliciendas animas, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna r.* Davidem decor iſte in admirationem rapit, *Speciosus forma præ filiis hominum ſ*: Sicut & S. Auguſtinum *t*, *Nobis ergo jam credentibus, ubique Sponſus*

r Pſ. 44. 5.
ſ Pſ. 44. 3.
t S. Aug. in Pſ. 44. in princip.

ſus

ſus pulcher occerrat; &c. Cor humanum nunquid tam iis ad Deum non trahêris lenociniis, & ad juſtitiam? *Summa & vera pulchritudo juſtitia eſt* u.

Homo recedit à Deo ut pergat ad creaturam, *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturã* x. Ut convertatur ad Deum, & compellatur ſuaviter reverti ad eum, quid agendum eſt? Eripiendum eſt ei illud quod eum removet à Deo, nimirum creatura; privandus eſt eo quod ipſe magis diligit, non poteſt eo deſtitui quin affligatur: Affligendus eſt igitur, ſicut Deus ſinit ut iſti duo homines affligantur à dæmone: Et ecce privatus eo quod ipſe amat, convertitur ad Deũ. Deus veſtris privat vos ſatisfactionibus, ideò ut trahat vos ad ſe; Luxurioſum deliciis ſuis, *Sepiam viam tuam ſpinis. Et dicet. Idcircò convertar.* y. Avarum divitiis ſuis, *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum, Quia hodie ſalus domui huic facta eſt* z. Afflictio revocari facit ad Deum Adamum a, Davidem b, Manaſſen c, Nabuchodoſor d qui haberi volebat ut Deus, Prodigum e, & Chananæam f, *Cùm occideret eos, diluculò veniebant ad eum* g. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine* h. *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt*, ait S. Gregorius i.

Præterea, Beneficia miræ ſunt catenæ quæ nos trahant; homo enim amat bonum honeſtum, ſicut bruta utile & delectabile. Homo videns ſe amari, & ſibi fieri bonum, amat bonum; ſicut verè fertur ad bonum, ita beneficiis conciliatur, ut duo dæmoniaci, quos Chriſtus liberat è tyrannide diaboli. Et ſicut bruta devinciuntur beneficiis, ut canis fruſtulo panis, quia bonum apprehendunt; Deus hoc utitur beneficiorum medio, ſuis cumulat nos favoribus. Sed nunquid non beſtiis ipſis beſtialiores erimus, nedum beneficiis ſinamus nos conciliari? *Interroga jumenta, & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi* k. Nos ipſe magis devinxit ſibi quàm lapides, plantas, & animalia. Cor humanum nunquid horum non memor eris beneficiorum? Tibi dedit eſſe ſpirituale l: Cùm perieras, *venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* m, ut liberaret te à tyrannide Satanæ, & à pœnis inferni. *Exivit à Patre, & in mundum* n venit, ubi miſer factus eſt o, & te *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* p. Ha! quid dicet tibi Deus iſte ſic beneficus in judicio particulari, & univerſali? Omnia pro te feceram, te mihi ſic devinxeram, *Rex gloriæ* q eram, & tamen ut Rex theatricus ignominioſè exceptus ſum r. *Quid debui ultrà facere, & non feci* ſ tibi? Quid autem feciſti unquam mihi? Salvator adorande, nimis tuis reſtitimus beneficiis, favores tui nimii ſunt nedum non convertamur ad te. *Nobis oſtende faciem tuam* t, quæ paradiſum facit, ut tuo trahamur ad te decôre: *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi* u. Aperi oculos meos, *neque in irâ tuâ emendes me, et in hâc vitâ purges me; & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit* x. Quænam eſt cæcitas noſtra ut cùm tanti animas noſtras feceris, nos eas flocci pendamus? Ha! Domine, volumus conari eas ſalvare, cùm tuo non peperceris Sanguini ad eas redimendas, & eruendas à tyrannide diaboli, peccati, & à pœnis æternis inferni, communicans nobis merita tua infinita, impertiens nobis gratiam tuam in hoc mundo, ut gloriam tuam largiaris nobis in altero.

u Idem ib.
x ex Jer. 8. 5. & 6.
y Oſee 2. 6. &c.
z Luc. 19. 8. &c.
a Gen. 3. 7. &c.
b Pſ. 50. 3. &c.
c 4 Reg. 21. 17. &c.
d Dan. 4. 31. &c.
e Luc. 15. 18. &c.
f Matt. 15. 22. &c.
g Pſ. 77. 34.
h Pſ. 82. 17.
i S. Greg. citat. à Rodrig. 2. p. Perfect. Relig. tract. 4. c. 3. de Tentat.
k Job 12. 7.
l Gen. 1. 27.
m Luc. 19. 10.
n Jo. 16. 28.
o Luc. 2. 7. &c.
p Apoc. 1. 5.
q Pſ. 23. 7. &c.
r Matt. 27. 27. &c.
ſ Iſa. 5. 4.
t Exod. 19. 13.
u S. Aug. in Soliloq. c. 13.
x Idem in Pſ. 37. 2.

PRO DOMINA IOANNA FRANCISCA de CHANTAL, VIDUA.

Scit omnis populus mulierem te eſſe virtutis. Ruth 3. 11.

Die 13. Decemb.

SAlomon erat ſapiens, & ſapientiſſimus omnium mortalium, ſicut ipſemet a ait, *Ecce præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Ieruſalem*, niſi ſtultiſſimus eorum effectus eſſet, quemadmodum & ipſemet fatetur alibi b, *Stultiſſimus ſum virorum. & ſapientia hominum non eſt mecum.* Multis illuſtratus erat ipſe luminibus, niſi ſplendores iſtos omnes in denſiſſimas convertiſſet ipſe tenebras: tamen inter tantam lucem, quâ illuminabatur, intueor illum anxium & ſolicitudine immodicâ laborantem ad habendum occurſum mulieris virtuoſæ & fortis, qualem ipſe deſiderabat, & conceperat in mente ſuâ: ipſe dicit, quòd illa quæri poteſt, ſed quòd illam inventu iſtud ſit ferè impoſſibile: *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus* c. Cùm ſeculum noſtrum ſit felicius, eſt minùs ſterile virtute, & fœcundius ſanctitate. Secula quæ nos præceſſerunt, habuerunt Saras d, Rebeccas e, Lias f, Racheles g, Deboras h, Jaheles i, Annas k, Abigailes l, Thecuirtides m, Judithas n, Eſtheres o, Paulas, Melanias, &c. ſed ſeculum quo vivimus, nihil habet inferius virtuoſis Dominabus iſtis antiquis, in perſonâ Rever. Matris Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, quam ipſum vidit. Totum erat magnũ in hâc animâ ſanctâ, licèt ipſa faceret per virtutem ex altiſſimo apice elevationum ſuarum ultimam depreſſionum ſuarum, imitans in hoc virtuoſiſſimam purarum creaturarum, quæ plurimùm ſe depreſſit eo momento quo plurimùm exaltabatur, ancillam ſe Dei vocans eo ipſo quo annunciabatur ut fieret illius Mater, *Dixit autem Maria*, alloquens Angelum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, poſtquàm idem *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* p *Maria.*

Id quod aliqui antiqui dixerunt, quòd Divina Providentia, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* q, habet quoſdam homines ingenioſos reſervatos, quos tenet ipſa paratos ad hoc ut mittat eos in mundum, ut ſuũ ei in neceſſitate conſtituto impendant auxilium, quò ipſa momento magnarum occaſionum faciat miracula ſua politica, more Ducum generalium alicujus exercitus, qui interventu acierum ſuarum electarum & reſervatarum deprehendentes hoſtem ſuum defatigatum, & inordinatum, præclariſſimos victoriæ patrant effectus: hoc idem poſſum audacter & ſine ullâ adulatione propalare quoad conſilium, quod Deus habuit, ſeculo noſtro præbens hanc animam reſervatam verè & præparatam ab omnibus ſeculis, quæ ipſam præceſſerunt, imò verò

a Eccleſ. 1. 16.
b Prov. 30. 2.
c Prov. 31. 10.
d Gen. 18. 9.
e Gen. 25. 20.
f Gen. 29. 23.
g Gen. 29. 28.
h Judic. 4. 4.
i Judic. 4. 21.
k 1. Reg. 1. 2. &c.
l 1 Reg. 25. 18. &c.
m 2. Reg. 14. 2. &c.
n Judith 8. 5. &c.
o Eſth. 2. 15. &c.
p Luc. 1. 38. & 28.
q Sap. 8. 1.

ab æternitate, ad illius reſormationem, tantum attulit ipſa ſplendorem virtuti, tot ipſa produxit Eccleſiæ lumina, tot ipſa coegit acies, tot ipſa vocavit animas & exercitus ad obſequium Divinæ Majeſtatis, ad deſtruendum vitium, & ad expugnandum totum illius imperium. Etiam, Auditores, hoc ſeculum diviſum, virtuoſum in congregatione multarum animarum electarum, ſed vitioſum & corruptum in pluri-mo ſuo numero, diſſolutum moribus ſuis, inſolens audaciâ ſuâ, proſtitutum libertate ſuâ effræni, petulans converſationibus ſuis criminoſis, efflagitabat à Deo auxilium talis meriti, quod opponeret huic torrenti peccatorum & criminum, qui terram devaſtabat univerſam, aggerem ſeu molem eminentiſſimæ perfectionis, ſicut egit feliciſſimè ſancta noſtra Mater de Chantal, Joanna Franciſca Fremiot, inſtituens Ordinem auguſtum & religioſum Monialium Viſitationis S. Mariæ; Ordinem ſacrum, qui natus eſt, & initia ſua ſumpſit annis iſtis extremis, ut vice coronæ ſerviret ſeculis noſtris: ipſe venit, & inſtitutus eſt poſt omnes alios, ut meliùs illorum omnium virtutes imitaretur, & ſic ſe redderet perfectum prototypon totius ſanctitatis, quippe qui providere poſſet virtutes omnibus ſequentibus, qui poſſent ipſi ſuccedere, ne dicam quòd ipſe docere poſſit eas illos omnes, qui ipſum præceſſerunt. Nolite autem, ſi placet, Auditores, me reprehendere, ſi qualificem Reverendam Matrem de Chantal nomine Sanctæ. Sine crimine largior ei in particulari titulum iſtum, expectans donec S. Sedes Apoſtolica, ad quam illud pertinet, hoc agat palàm præ majori ſplendore & ſolemnitate, ad juſtificandam propoſitionem meam. Propereà ſcire debetis, in quonam conſiſtat ſanctitas. Sanctitas eſt ſita in puncto gratiæ excellentis, & virtutis heroicæ ſtipatæ ſplendore miraculorum, quæ ſunt radii Divinæ iſtius faciei, licèt hæc ad eam non ſint abſolutè neceſſaria: atqui virtuoſa Mater noſtra poſſidet hunc ſtatum virtutis, gratiæ, & miraculorum, ſicut verificatur probationibus vitæ ipſius, & informationibus proceſſus ipſius: ergo ipſa poteſt teneri in famâ ſanctitatis, & ſuſcipere honores, qui exhibentur huic ſtatui, & verè dicere poſſumus illi, *Scit omnis populus mulierem te eſſe virtutis*. Et ut afferam lucem huic propoſitioni, volo præ veſtræ mentis oculis illam ponere virtuoſam in omnibus ſtatibus & conditionibus vitæ ſuæ, ut ſerviat vice ideæ virtutis & perfectionis toti ſexui in omnibus conditionibus ſuis. Videamus igitur illam, Primò Virginem Secundò Mulierem, Tertiò Viduam,
Diviſio. Quartò Religioſam, in quatuor partibus iſtius diſcurſus.

Ut verum fatear, & nihil fingam, intuens ſub-
I. Pars. jectum meum, & fixis reſpiciens oculis faciem, cujus polliceor imaginem, ſentio me percuſſum eâdem caligine, quâ ſuffuſus erat ille, qui deſcribere virtutem volebat, & ſapientiam depingere, quærens de naturâ, quòd ſibi non ſubminiſtraſſet colores nec penicillum ad eam pingendam, nec oculos hominibus ad illam intuendã: & mihi non ſupereſt niſi exclamatio, & raptus cujuſdam Oratoris ad occurſum cujuſdã Principis perfectæ: Intueor, aiebat ipſe, miraculum pulchrarum virtutum, compendiũ perfectionũ, mirabile ſeculi, Reginam creaturarum, congregationem gratiarum, theſaurum meritorum, mundum integrum univerſarum raritatum poſſibilium, & ditiſſimum munus quod Deus unquã fecerit ipſius imperio. Tace Orator, ſine ut loquatur natura, prout eloquentior in favorẽ Matris noſtræ de Chantal. Ipſa impendit in illam quidquid ipſa reſervatum tenebat, & cœlum ipſum poſuit in eâ pulcherrimam animarum ſuarum, & univerſaliſſimum ſpirituum ſuorũ. Ipſa deſcendit è cœlo cum ſuo ſtipendio ſingularitatis. Et, ut uno verbo totum dicatur, natura & gratia ſuas ioſumpſerunt operas ad hoc ut ex eâ facerent opus eximium, & perfectam Sponſam Jeſu Chriſti. Tota SS. Trinitas intuetur eam ut objectum, in quo ipſa ſibi complacet, cùm hæc potenter vacet ipſius honori Divino manifeſtando. Ipſa, eſt fœmina virtutum, ditiſſima virginũ, forma ſequentium, ſpeculum præteritarum, ſingularis temporis, *una perfecta* r. Mundus uni- r Cant. 6, 8.
verſus eam laudat, & totus mundus non dicit ſatis: tota eloquentia eſt abbreviata, ipſa eſt inops, & non habet colores ſufficientes ad hoc ut micare faciant ſplendores illius.

Silentio prætereo nobilitatem progeniei illius, nihil dico de affinitatibus ejus, taceo illud omne quod extollit ipſam ſupra vulgares homines. Ipſam conſiderate ſimul & unà in ſtatu ratiocinationis. Ipſa eſt puella, verum eſt, ſed puella præventa *in benedictionibus dulcedinis* ſ ab in- ſ Pſ. 20. 4.
fantiâ ſuâ, cùm ipſa non operetur in univerſis actionibus ſuis, niſi mota hoc principio: puella inimica vitii, quod ipſa nullo ſuſtinere poteſt modo, ſic ut ipſa faciat ex eo horrorem & odiũ benedictiſſimæ animæ ſuæ; ab incunabulis ſuis, quos ipſa conſecravit illius obſequio, tota dedita virtuti, quæ erat ipſius elementum, tota laudabilis in honeſtate ſuâ, tota admirabilis in modeſtiâ ſuâ. & ſemper pura in vitâ ſuâ: loqui autem ei de impuritate, eſt ipſam ſuffundere ſacro pudore & ſanctâ erubeſcentiâ, hoc eſt eruere lacrymas ex oculis ipſius, iſtud eſt ipſam vulnerare ad inferendam ipſi mortem uſque, ſic vehementer diligit ipſa puritatem, quæ eſt vita cordis ſui, dicens cũ mure Pontico, *Malo mori, quàm fœdari.*

Suas impendat operas S. Hieronymus in epiſtolis ſuis, quantùm voluerit, ad dandas inſtructiones puellis: hæc enim omnes in praxim redegit exactè: ſic ipſa debet eſſe templum Spiritus Sancti, juxta iſtud verbum S. Pauli t, *Neſci-* t 1. Cor. 3. 16. & 17.
tis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos. Nec ego miror, ſi tot præclaris ornamentis eſt ipſa ditata: præterquàm quòd ipſa debet eſſe exemplar tot ſanctarum puellarum, quæ militare debent ſub ipſius vexillis, cùm ſit ipſamet diſcipula ita boni Magiſtri, S. Franciſci Epiſcopi Genevenſis. Totum eſt perfectum in ipſâ, & videtur nihil ampliùs in ipſâ poſſe deſiderari. Non obſervatur àpud eam quidquam profanum, nec ulla tabella impudica, non ſecus ac nec in templis noſtris ſacris: non auditur de eâ verbum ullum paſſionis aut affectionis inordinatæ, nec mali odoris, quemadmodum nec in Religionibus reformatis, & benè moratis: ſic ut homines, æquè ac Angeli præ admiratione & ſtupore contentâ voce inclament intuitu tot virtutum quas ipſa præ ſe fert in hoc ſtatu pueritiæ ſuæ, & quæ quodam modo præſagiunt eas, quas ipſa eſt exercitura in decurſu totius vitæ ſuæ, ſecundùm ſtatus juxta quos ſtatuimus illam conſiderare in toto iſto diſcurſu, *Quæ eſt iſta quæ*

progre-

progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata u. Ecce, ſicut ait de Ponte x, *Tres Juſtorum ſtatus, incipientium, proficientium, & perfectorum: ideòque dum Sponſam laudant, quidquid in ſingulis eſt præcellens, illi attribuunt, ut S. Gregorius hic teſtatur. Incipientium enim congregatio, quæ per viam graditur purgativam, eſt quaſi aurora conſurgens; proficientium verò in illuminativâ ſit pulchra ut Luna; perfectorum verò unitivo amore flagrantium eſt electa ut Sol; eadem verò cùm non tantùm Deo contemplando vacat, ſed proximorum lucris incumbit, terribilis eſt ut caſtrorum acies ordinata.*

u Cant. 6.9.
x De Pont. lib. 9. in Cant. 6.9. exhort. 5.

Sed ſicut nulla eſt vera virtus, quæ probationibus non ſit obnoxia, Deus permittit ut iſtius ſanctæ puellæ virtus examinetur, ut inde ſplendor ipſius plùs emicet, juxta verbum iſtud Eccleſiaſtici y, *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Cùm enim eſſet aliquando in domo ſororis ſuæ natu majoris, Dominæ de Effran, ibi ipſius innocentia fuit potenter impetita, & virtus ipſius eſſet ibi paſſa naufragium, niſi Deus, qui ipſam elegerat, adjuviſſet eam gratiâ ſpeciali: aderat ibi quippe vetus quædam matrona, dicamus melius, hallocinor, vetus quædam faſcinatrix, quæ ſibi proponens hanc puellam pro prædâ malitiæ ſuæ; hæc impia in executione conſilii ſui, offerebat huic innocenti puellæ eſcam abſcondendo hamum: ipſa laudabat eam, volens eam edocere ut vacaret amori profano, & ſe fucaret. Joanna quid aget? hæc ſancta puella quomodonam exibit è laqueis iſtis, & ex his tentationibus? Non eſt quid æquè lubricum & periculoſum ac iſtud vitium: *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria,* dicit S. Auguſtinus z. Duæ academiæ ab initio orbis erectæ fuerunt; una virtutis, manu Dei; altera vitii, manu Satanæ: nunquam defuerunt Magiſtri, nec diſcipuli in utrâque: libri ſunt ibi pro omnibus: ambæ factiones & diſputationes ibi jugiter fuerunt ardentes. Sed heu! Magiſtri, & diſcipuli Satanæ pro quonam ſtipendio ſervitis tali Domino? Jactura eorum, quos lucrabimini, vel potiùs, quos perdetis, conſolabiturne *ſupplicium æternum* a veſtrum? Vos verò qui eſtis in ſcholâ Dei, diſcipuli ſimul & Magiſtri, ne fatigemini unquam facere diſcipulos paradiſi, liberando alios à laqueis inferni, ut deducatis illos vobiſcum *in vitam æternam* b. Sanctè puella noſtra eſt ad omnem probationem incunctulis: ſi impudentia aggreditur hanc turrem, tantam reperit ibi reſiſtentiam, ut judicet eam capi non poſſe, ſed eſſe inexpugnabilem, cùm hæc puella dicat more S. Agnetis, *Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo.* Ecce, puellæ, idea virtutis, quam debetis imitari: Joanna, prout puella, vobis ſerviet ad hoc vice prototypi & ſpeculi, ad quod exigatis vos, ut conſideretis ibi obligationes veſtras. Attendite vobis, eſtote fideles virtuti, quam plùs diligere debetis quàm propriam vitam: ſatagite ut totus amor veſter ſit Deo deditus; & ſi quis vult illum participare, dicite ei cum eâdem S. Agnete, quòd totus hic amor veſter eſt Jeſu Chriſto conſecratus, *Diſcede à me pabulum mortis, quia jam ab alio Amatore præventa ſum.*

y Eccli. 2.1
z S. Aug. ſerm 250. de Temp. c. 2.
a Matth. 25.46.
b Ibid.

II. Pars.

Ecce pro virginibus & puellis; nunc ecce pro mulieribus & conjugatis ipſa eſt prototypon excellens Matrimonii benedicti, ſi hæ velint illius characteres tranſumere. Deus conſultò fecit illam tranſire per omnes ſtatus, ut daret omnibus illam ut ideam, quippe perficientem curſum ſuum in omnibus, nedum unquam vel unico greſſu declinaret ab ipſius timore, rectâ viâ ſemper in illo incedens, quem agnoſcebat, & præ ſuæ mentis oculis jugiter habebat ut ducem & directorem ſui modi procedendi, quaſi ipſi fuiſſent expreſsè dicta hæc verba Iſaiæ c, *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis, hæc eſt via ambulate in eâ: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: ſemper in puritate, in fidelitate, & in pulchritudine gratiæ, non obſtante corruptione ſeculi, ſicut aqua dulcis in medio aquarum ſalſarum, quemadmodum *Pyrama, vel potiùs Phyrama lacryma gemmæ ex Metopio arbore ſtillans pingue & reſinoſum* d, viridis inter ignes & flammas montis Ætnæ: omnes ignes & prunæ nihil aliud egerunt niſi dealbare & mundare innocentiam iſtius lini immaculati deſtinati ad veſtem ſui Sponſi cœleſtis. Noſtra virtuoſa puella amatrix puritatis, conſecrat eam legitimo Matrimonio inito cum Domino Barone de Chaotal, anno nato viginti ſeptem, orto ſecundùm lineam maternam è progenie S. Bernardi, & ipſa nata annos viginti. En Matrimonium feliciſſimum omnium illorum quæ ferè unquam viſa fuerint, non ſolùm propter gratias naturales, quibus erant ambo ubertim cumulati; ſed etiam propter unionem cordium & mentium ipſorum, quæ erat ſic perfecta, ut dici poſſet, quòd non habebant ambo niſi unam animam in duobus corporibus, dicente Dionyſio Carthuſiano e, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Et ſicut Deus eſt Pater ſanctarum unionum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* f, tantas gratias tribuit huic felici familiæ, ut viderentur ibi micare virtutes omnes, ſic ut illorum domus poſſet eſſe perfectum prototypon verorum Chriſtianorum, quales erant illi primitivæ Eccleſiæ, de quibus ſcriptum eſt; *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una* g. In hoc Matrimonio ipſa vivit ſemper ſancta, ſicut fuerat ipſa priùs virgo virtuoſa, nunc autem mulier virtutis amans, reverenter obſequioſa viro ſuo, vigilanter intenta directioni liberorum & domeſticorum ſuorum, ſolicita de illorum ſalute ſatagenda, œconoma & ſolers quoad negotia familiæ ſuæ pertractanda, charitativa pauperibus, & benefica univerſis, induens ſe ſpiritu mulieris fortis, de quâ loquitur Salomon h, quæ merita fiduciam viri ſui, curam ſuſcipit ſuorum domeſticorum, nec aliquid negligit omnis illius, quod concernit bonum regimen œconomiæ ſuæ: *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in eâ cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Conſideravit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum. Guſtavit & vidit quia bona eſt negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis: omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus, &c.* Quæ omnia videntur ad literam dicta de eâ, juxta illa quæ ſcripta habentur in ipſius vitâ. Matrimonium benedictis

c Iſai. 30. 21. & 21.
d Calepin. in Diction. v. Pyrama.
e Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12.34.
f Jacob. 1.17.
g Act. 4. 32.
h Prov. 31. 10. &c.

Digitized by Google

nis, quod non eſt inſtitutum niſi ad replenda loca Angelorum apoſtatarum. Mulieres conjugatæ, diſcite ab hâc muliere virtuoſâ quomodo vos gerere debeatis in Matrimonio, obedire viris veſtris, vivere cum eis unanimiter, ut benè ſerviatis Deo, qui vos univit ſancto vinculo Matrimonii, ut è fructu qui inde procedet, poſſit ipſe glorificari. Hoc eſt conſilium ipſius, & iſtud eſt exemplum, quod vobis tribuit virtuoſa noſtra Mater de Chantal.

III. Pars.

Videamus nunc generoſam noſtram Judith in ſtatu viduitatis ſuæ, ſed ſemper virtuoſam, ſed ſemper magnæ *mulierem virtutis*, ut ait Textus noſter. *Erat Judith relicta vidua* i viri ſui; hanc autem viginti octo annos natam reliquit viduam vir ſuus, qui ab uno ex affinibus & amicis ſuis inadvertenter in venatione vulneratus eſt, quo vulnere conſequenter mortuus eſt, ſtipatam quatuor liberis. Iſtius luctum ſolus repræſentare poſſet *Timanthes, nomen pictoris celeberrimi. Inter verò ejus ingenii monumenta, Iphigenia Oratorum laudibus celebratur, quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes mæſtos pinxiſſet, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit, velo obduxit* k. Nam ſi Agamemnon diligebat filiam ſuam Iphigeniam, non amabit eam niſi amore naturali: ſed iſti duo conjuges diligebant ſe amore ſancto & divino, *ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam* l. Et, *Dimovet de ſtatu divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur* m. Diluvio lacrymarum perfuſa in morte ſponſi ſui, libenter ipſa fuiſſet ingreſſa ſepulchrum, niſi timuiſſet ipſa, ne mori penitus feciſſet eum qui vivebat adhuc in corde ipſius: nam ſicut dixi ſuprà, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat* n. Uno verbo, hic incipit ipſa cruces ſuas, quæ non debent finiri niſi cum vitâ ipſius: ſed hæc eſt omnium graviſſima latu, cùm incipiat ex tunc ſeriò ſe crucifigere mundo, ſicut ipſi mundus debebat eſſe crucifixus, cùm non haberent ambo quid ampliùs ad invicem dividendum, eò quòd ipſa totale faceret ab eo divortium, ut tota viveret Deo, cui dabat ipſa totum cor ſuum, cùm non haberet alium ſponſum, quocum poſſet illud dividere, ſic ut ipſa dicere poſſit cum S. Paulo, *Confixa Chriſto ſum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus* o: *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo* p. Ipſa eſt tota dedita Deo & non eſt ampliùs alligata mundo, niſi præ neceſſitate. S. Paulus q loquitur in favorem viduarum, *quæ verè viduæ ſunt. Quæ verè vidua eſt & deſolata ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte & die*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus r. *Quod intelligo de his, quæ verè viduæ ſunt, id eſt vitam ſuo ſtatui convenientem ducunt tanquam ſeparatæ à ſolatio amoreque ſeculi, ſicut deſtitutæ ſunt à ſolatio viri. Quæ autem verè vidua eſt, ſecundùm ſenſum præfatum, & deſolata, id eſt ſola ſperet in Deo, id eſt, totam ſuam fiduciam in Deo conſtituat. Inſtet obſecrationibus & orationibus nocte & die, id eſt, competentibus horis diurnis atque nocturnis, totaliter occupando ſe in divinis, orando pro ſeipſâ, ac aliis, ut ſic vacet divinis. Sic ergo agendum eſt viduæ.* Ecce verum & legitimum motivum laudum omnium illius: Ipſa eſt vidua: ipſa eſt humilis, patiens, mitis, & talis qualem S. Hieronymus deſcribere poſſet Paulam ſuam. Vera vidua, eſt ea quæ renuntiat omnibus vanitatibus mundi, & non cogitat ampliùs niſi virtutes æternitatis; quæ æternùm valedicit cunctis amoribus vanis hominum, ut non diligat ampliùs niſi JeſumChriſtum; quæ nullum ſumit ampliùs aliud officium, niſi exercitium operum ſanctorum, nec aliud oblectamentum niſi illud quod ſpectat virtutes; quæ totum tempus ſuum tribuit Deo, pauperibus, captivis, & afflictis, & plures lucratur horas in exercitio orationis & devotionis, quàm mundani amittant in ludendo, in ſe induendo, aut in garriendo; quæ habet *deſiderium diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* ſ, ſicut ipſius theſaurus eſt in *cœlis. Ubi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor* t. Iſtud eſt totum quòd ſancta Vidua noſtra exercet appoſitè, mulier verè magnæ virtutis, generoſa ſicut *Judith* u, quæ ſe diſponit interventu jejuniorum ſuorum & auſteritatum ſuarum, ad abſcindendum *caput* x Holofernis ſeculi, & ad collocandas multas civitates in libertate. Diſcite, Viduæ, obſequium veſtrum à ſanctâ Viduâ noſtrâ, edocemini non ampliùs diligere niſi unicum objectum, quod requirit ex obligatione totum amorem veſtrū y; nullas habete ampliùs voluptates niſi ad tollendam veſtram *crucem, &* z ſequendum ipſum; nec ullum otium, niſi ad inſumendum illud ad opera pietatis & miſericordiæ. conformate vos huic Viduæ, imitamini virtutes illius, ſequimini veſtigia ejus, & eritis verè viduæ, & ſic vobis conciliabitis admirationes hominum & Angelorum.

Veniamus ad quartum ſtatum vitæ ipſius, qui eſt Religio, quò ipſa magnanimiter ingreditur ut victima, ut ſe Deo prorſus ſacrificet. Videte eam mente in domo Dei ſui Religioſam in altiſſimis praxibus perfectionis; intuemini fidem ejus vivam, ſpem illius firmam & conſtantem, & charitatem ipſius inflammatam; conſiderate quomodo contemnat ipſa mundum, ut non æſtimet niſi bona æternitatis; reſpicite eam exactam ad implenda munia Religionis, ferventem in oratione, fidelem in obedientiâ, generoſam in reſiſtentiis tentationibus, conformem conſiliis divinæ Providentiæ, alligatam voluntatibus Dei, & ſemper inconcuſſam in propoſito adhærendi ei, ideòque dicentem: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt* a. Sed ſicut bona conſilia patiuntur ordinariè reſiſtentias, videte, ſi placet, quomodo ipſa generosè ſe procellis opponat omnibus, & quomodo ipſa glorioſè triumphet de univerſis tempeſtatibus, quæ manifeſtum minantur ipſi naufragium. Ipſa conſiderat, quòd meritum vitæ Religioſæ eſt elevatum ſupra omnes eminentias vitæ devotæ & virtuoſæ perſonarum ſecularium. Hoc enim non eſt niſi in gradu vitæ purgativæ, cùm illa ſit in ordine vitæ illuminativæ, & tendens ad vitam unitivam, tandem perveniat ad perfectionem: hæc non dat niſi fructus, illa verò Deo offert & ipſam arborem cum fructu: hæc reddit quidem obſequia ſed reſervat libertatem, quæ eſt totus homo, & valet plus quàm omnia Imperia, illa verò præbet ſervitia ſua, & totam ſuam libertatem, quæ eſt pretii inæſtimabilis, juxta iſtud Poëticum,

Non benè pro toto libertas venditur auro.

Sicut nunquam infringenda ſit, alligando eam triplici funiculo trium votorum Monaſticorum b, qui eſt indiſſolubilis, *Funiculus triplex difficilè rumpitur* c. Illa non alligat ſe, ut habeat libertatem frangendi, hæc verò ſe vincit omnino, & quidquid habet, conſecrat irrevocabiliter obſe-

Marginal notes: i Judith 8. 4. — k Calepin. in Diction. v. Timanthes. — l Epheſ. 5. 25. — m S. Dion. Lib. de div. Nom. c. 4. — n Dion. Carthuſ. art. 33. in Luc. 22. 34. — o Gal. 2. 19. & 20. — p Gal. 6. 14. — q 1. Tim. 5. 3. & 5. — r Dion. Carthuſ. in 1. Tim. 5. 3. & 5. — ſ Philip. 1. 23. — t Matth. 6. 20. & 21. — u Judith 8. 2. &c. — x Judith 13. 10. &c. — y Matth. 22. 37. — z Matth. 16. 24. — IV. Pars. — a Pſ. 72. 28. — b Matth. 19. 12. &c. — c Eccl. 4. 12.

obſequio Dei ſui. Hæc autem vota Religionis tanti æſtimantur, ut ſolus ingreſſus in Religionem, plus mereatur quam tota vita devotorum ſecularium. Re autem vera perſonæ Religioſæ dant univerſaliter omnia ſimul & unà, cùm ſeculares non tribuant niſi paulatim, & exiguum, ſibi reſervantes ſemper principale, & non honorantes Deum niſi parvo acceſſorio. Nemo autem mihi loquatur de difficultate laborum ſecularium: millies plus eſt laboris in deſerendo mundo; & vel hæc ſola cogitatio ſeculares illos pavore concutit immodico: & duratio vitæ Ma-
d Gen. 5. 27. thuſalem d in mundo; minoris eſt momenti quàm ſint pauci dies in Religione tranſacti: & ſeculares vel generoſiſſimi fatentur ingenuè ſe deſpondere animum ad expugnandos tres iſtos gigantes. Hæ prærogativæ vitæ Religioſæ, iſta motiva inducunt hanc animam electam, Dominam de Chantal ad renuntiandum mundo, ad faciendum receptum ſuum in ſolitudinem, di-
e Pſ. 54. 8. cendo cum Davide e, *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* En ipſa in agone animæ ſuæ, quæ ſe ſeparat, non ab uno corpore ſolùm, ſed à tot corporibus & animabus, quot habet ipſa perſonas ſibi notas & amicas. Non eſt ita doloroſum animæ diſceſſu è corpore infirmo, nec corpori viſu ſe deſtitutum hâc divite hoſpitâ & peregrinâ, ac eſt moleſtum mundo alligato affectibus reciprocis intuitu ſe derelictum, vel deſerere æternâ ſeparatione, quæ eſt mors civilis Religionis, eos quos plurimùm diligit. Tandem
f Luc. 9. 60. ſinendum eſt *ut mortui ſepeliant mortuos ſuos* f. Et
g Iſai. 48. 20. canendum eſt Canticum triumphi egreſſus *de Babylone* g, & *de Ægypto* h. Quandiu Ægyptus
h Pſ. 113. 1. ex Exod. 13. 3. flet mortem primogenitorum ſuorum i, id eſt,
i Exod. 12. 30. quandiu omnes diffluunt lacrymis, hæc virtuoſa Domina manet inconcuſſa, firma ut columna, & ſiccis oculis, & corde repleto lætitiâ vadit præ triumpho, dicens, Lætata *ſum in his, quæ dicta ſunt*
k Pſ. 121. 1. *mihi, In domum Domini ibimus* k. Valete ſubditi mei, nolite flere miſeram creaturam, quæ vos deſerit, & vobis Deum ſubſtituit in locum ſuum, & deprecatur eum inſtanter ut ſuam det vobis benedictionem. Valete pauperes mei, ſemper eritis filii mei. Valete domeſtici mei. Vale munde, renuntio tibi. Ad te venio Jeſu, mi Sponſe,
l Pſ. 83. 11. *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia* l.

Poſtquàm ipſa valedixit omnibus propinquis ſuis, qui omnes amarè flebant, Dominus Baro de Chantal filius ipſius annos natus quindecim duntaxat, deliciæ & amores ita dignæ matris, venit ad pedes ipſius procubitum. Suſpiria loquuntur, lacrymæ ſunt eloquentes, mater hæc valedicit filio ſuo. Hâc generoſâ parente devictis amoribus ſui filii, tranſire volente ad conclave ut ultimam ſumeret à Domino Præſide patre ſuo benedictionem, iſte filius, res inaudita & digna æternitate! cucurrit ſe extenſum ſuper limen oſtii aulæ, contentâ voce inclamans, heu! mater mea, nimis infelix, nimis infirmus ego ſum ad te retinendam, ſed ſaltem dicetur, quòd conculcaveris filium tuum. Quale certamen, Auditores! Oportet ut mater ſit crudelis, & filius non ſit ſatis pius. Tandem buccina S. Hieronymi, quæ cecinit aliàs ſignum filiis ut irent ad crucem, *Licèt in limine pater jaceat, Percalcatum perge*
m S. Hier. epiſt. 1. ad Heliodor. n. 8. & 9. *patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola* m: canere videtur huic ſanctæ mulieri ſignum ſimile, quaſi dicens ei, ſi mihi licet dicere, *Licèt in limine filius jaceat, percalcatum perge filium, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola.* Paratum eſt, ipſa ſacrificaſſet eum, ſi Deus hoc ipſi præcepiſſet. Ipſa odit omnia, ut non diligat niſi Deum.

Nunquid non, Auditores, igitur ipſa eſt mulier fortis, & magnâ virtute prædita, in quolibet vitæ ſtatu conſideretur? Nonne ipſa, eſt idea perfectionis puellarum, mulierum, viduarum, & Religioſarum? Etiam, magna Domina: *Scit omnis populus mulierem te eſſe virtutis.* Ipſa eſt in domo Dei, & ipſa ibi facit id omne quod facere poteſt virtuoſa creatura, ibi virtutes omnes exercet: ipſa habet in ſummâ illud omne quod invenitur diſperſum in omnibus aliis Dominabus virtuoſis antiquis: ipſa patitur id omne, quod cor generoſum pati poteſt: paſſiones ſunt ipſius elementum: ipſa non vult vivere, niſi velit pati, dicens Deo cum S. Tereſiâ, *Domine, aut pati, aut mori.* Ipſa ſuam felicitatem collocat in paſſionibus, & paradiſum ſuum invenit ibi, ubi alii conſtituunt infernum ſuum. Pati animæ (ait ipſa) mihi videtur cibus amoris in terrâ; ſicut frui Deo n, cibus eſt ipſius in cœlo. Cella ſua ſervit n Matth. 5. 10.
ipſi loco *Calvariæ* o, lectus ſuus vice crucis, o Joan. 19. 17. &c.
morbus ſuus ipſi locum tenet oblectamentorum, id quod ipſa comedit aut bibit, capit ipſa veluti *fel* p, & decreta Medicorum ſumit ipſa pro vo- p Pſ. 68. 22.
luptatibus Dei ſui. Ipſa refert omnes actiones ſuas ad finiendum ſacrificium vitæ ſuæ per cogitationem magni holocauſti Salvatoris ſui.

Dominæ meæ, en imago bonæ Matris veſtræ, en imago virtutis & ſanctitatis, quod idem eſt: en idea veſtra, conformate vos ei, ſufficit ut illam imitemini ad hoc, ut ſitis ſanctæ omni genere virtutum, cùm ipſa poſſederit eas in altiſſimo apice ſuo. Actum eſt igitur de eâ, iſte Sol eclypſi ſuffuſus eſt, mors nobis eripuit eam onuſtam meritis, & cœlum æmulum theſauri iſtius, à nobis eum aufert. Ipſa, eſt mortua & vivens ſimul; mortua in ſeipsâ, & vivens in domibus ſuis, & in corde Religioſarum ſuarum; in domibus Viſitationis, inquam, quas ipſa inſtituit, in domo Molinenſi, ubi ipſa mortua eſt, & ubi requieſcit cor ipſius; in domo Annecienſi, ubi jacet corpus ipſius, æquè ac corpus S. Franciſci Saleſii adjutorii ſui, & conſequenter in omnibus aliis, ubi amor nominis ſui, imago beneficiorum ſuorum; memoria verborum ſuorum, reverentia erga intentiones ſuas, admiratio virtutum ſuarum, deſiderium & cura imitandarum earum ſubſiſtunt inviolatè, & ſimul in ſenſu glorioſo, quem tota concio iſta concepit de ipſius merito, rata quòd ſolæ noſtræ puſillanimitates nos elongant ab q Act. 4. 32. &c.
Eccleſiâ primitivâ q, non autem ſecula noſtra, & quòd nemo eſt in mundo, vel in Clauſtris, qui non inveniat in actionibus ipſius unde ſe confundat, vel ſe inſtruat. Tandem, Ipſa manet in cordibus veſtris, Filiæ felices iſtius virtuoſæ Matris, *Secundùm Auguſtinum* ſanctum Patrem r Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34.
veſtrum, *Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat* r. Ipſa vivit in vobis, anima veſtra ipſam adhuc animat: ibi ipſa vobis dicit, quòd poſtquàm fuit filia primogenita curarum & directionis S. Franciſci Saleſii, ut vos faceret hæredes illius, quod ipſa ſuſceperat ab eo; poſtquàm fecit familiaritates in cœlo, ut vobis procuret ibi potentia fulcra; poſtquàm ſe conſtituit primam petram Ordinis veſtri, ut vos ſuſtineat exemplis & monitis ſuis; poſtquàm perfectè cor ſuum ſeparavit à creaturis, ut edoceat corda veſtra id, quod ipſa debent agere; poſtquàm per multos annos vos amavit & eſt conſolata ut filias ſuas, adjuvit ut ſorores ſuas, honoravit ut ancillas Dei ſui, ſervi-

vit

vit vobis ut Sponſabus Jeſu Chriſti, manetis obſtrictæ ad faciendam ipſam vivere poſt mortem ſuam in ſancta vitâ perſonarum veſtrarum. Hoc, eſt vinculum honoris quo afficimini, eſſe filias ipſius, obligatio quam titulus Matris acquiſivit ipſi ſuper vos, unica conſolatio quam reperire poteſtis in jacturâ illius, & modus inducendi eã ad ſperandum, quòd ipſa poſſit aliquando vos reunire ſecum in cœlo. Vos eſtis in hoc paradiſo Ordinis Viſitationis plantato & inſerto beatâ manu ejus, culto curis illius maternis, irrigato ſuavi verbo ipſius, & benedicto ſanctis orationibus ejus, veluti floridé plantæ iſtius paradiſi, quæ debetis ei exiſtentiam veſtram: ſic vice reciprocâ debetis ei texere diadema gloriæ è ditiſſimâ margaritâ coronæ veſtræ. & jure merito: ſi enim lumen redit ad totam principii ſui, ſi fons vivus ſalit versùs originem ſuam, ſi tranſumptum præclariſſimas qualitates ſuas refert ad prototypon ſuum, & ſi terra offert cœlo totam gloriam tempeſtatum ſuarum, quâ eſt ipſa coronata; cùm non habeatis aliquid niſi interventu virtuoſæ Matris veſtræ, pro eo debetis illi gratias agere, fatentes vos rotas ipſius, & compenſantes illam theſauro cordium veſtrorum, cujus ipſa eſt Auctrix poſt S. Franciſcum Saleſium; debetis eſſe creaturæ virtutis & ſanctitatis ipſius, artariæ ſpiritus ipſius, filiæ meritorum ipſius, & ſpeculum ubi raræ perfectiones ipſius ad vivum repræſententur. Ipſa formavit vos ſuper perfectiſſimas ideas ſuas, ipſa vos decoravit omnibus ornamentis Spōſæ Canticorum *f*, ipſâ vos ditavit omnibus ſplendorib⁹ & monilibus pretioſiſſimis Spōſi; vos exitis perfectæ è ſtudio curarum ipſius. & è ſapientiâ manuum ipſius; tandem, ipſa non habet requiem, quin ſceptrum manui veſtræ, & coronam capiti veſtro impoſuerit. Sic tot millia perſonarũ, quæ feliciter ſub vexillis ejus prælianturr, invitantur exemplo ipſius, roborantur auxilio ejus, & animantur ſuavibus illius attractionibus. Vos eſtis filiæ ipſius ſpirituales, ipſa eſt Mater veſtra, cùm ipſa vos parturiverit *iterum donec Chriſtus in vobis* t formaretur. Vos eſtis pulcherrima & certiſſima poſſeſſionum ipſius, ubi nomē ipſius canitur à tot linguis, quot ſunt corda, ubi ſcriptum eſt. Quòd ſi hæc poſſeſſio eſt paradiſus ſecundi Adæ, vel *Hortus concluſus* u Sponſi, flores omnes ibi picti ſunt characteribus ipſius: vos quæ eſtis veluti flores iſtius horti, non habetis pulchritudinem, neque odorem niſi propter illam, vel ſaltem debetis habere: ſed tamen poſt florem *campi* x, veſtra Mater eſt ſpecioſiſſimus flos iſtius horti, qui non eſt alius ab Ordine veſtro & ſuo. Si eſt paradiſus ſacer omnium arborum myſterioſarum Salomonis y, vos quæ eſtis velut illius plantæ humanæ & divinæ, debetis exhaurire vires omnes veſtras ut agnoſcatis culturam veſtræ ſanctæ Matris, ſanctâ uſurâ utilitatum veſtrarum. Si eſt alveare caſtarum & laborioſarum apum, vos quæ eſtis velut ſancta Reſpublica, non debetis elaborare niſi mel & ceram in ore Leonis *de tribu Juda* z occiſi pro vobis, ut faceret vos deguſtare ſavos dulcedinum ſuarum poſt gratam amaritudinem laborum quos ſuſceperitis ad ſequendũ ipſum. quò vos induxerint exempla Matris veſtræ, quæ propterea participare debet omnes iſtas dulcedines. Si eſt organum Regium paradiſi vos quæ eſtis veluti rubi illius, non debetis reſpondere niſi nomen ejus, ad omnes ipſius pulſationes differentes. Vos non debetis volare niſi ad eam, ut caſtæ columbæ *a*; non diligere niſi illam, ut ſanctæ *filiæ Sion* b; non lucere niſi propter eam, ut lampades virgineæ *c*; nō fumare niſi pro eâ, ut altaria ſancta, non offerre ſacrificia veſtri ipſarum Deo ut victimæ obedientiæ, niſi manibus hujus veſtræ Matris; non congregare merita niſi pro coronis ejus, nō ædificare templa in cordibus veſtris Jeſu Sponſo veſtro, niſi pro gloriâ veſtræ Matris: mutare debetis omnia divina verba ejus in ſancta opera, vos debetis eſſe in perfectâ obedientiâ quoad regulas, quas ipſa vobis reliquit; vivere in perfectâ unione, micate præ oculis mundi, ſicut ſtellæ cœli, quemadmodum *tabernacula Jacob* d, non ſecus ac Hierarchia Angelorum incarnatorum, & æquè eſſe in famâ ſpiritualiſſimarum Religioſarum Eccleſiæ Dei, ac Pater veſter S. Franciſcus Saleſius & Mater veſtra Domina de Chantal præbuerunt vobis ſpiritum humiliorem & modeſtiorem. Satagite, Dominæ meæ, ut Mater veſtra præ ſuis ferat manibus ſortem prædeſtinationis veſtræ, quod continget, ſi ſingulæ vitam veſtram cōformetis Regulis, quas ipſa vobis reliquit. Hoc erit induere *ſtolâ gloriæ eam, & coronam gratulationis* e ſuperponere ei, ultra eam, quâ ipſa eſt coronata, ſicut credimus in cœlo.

f Cant. 4. 1. &c.

t Gal. 4. 19.

u Cant. 4. 12.

x Cant. 2. 1.

y Cant. 4. 13. & 14.

z Apoc. 5. 5. &c.

a Cant. 5. 2.

b Cant. 3. 11.

c Matth. 25. 4.

d Pſ. 86. 2.

e Eccli. 6. 32.

IN OCTAVA IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Liber generationis Ieſu Chriſti. Matth. 1. 1. &c.

ASſerere in favorem B. Virginis Mariæ, quòd ipſa prima fuerit præventa *in benedictionibus dulcedinis* a, fateri plenitudinem gratiarum ejus, perfectionem virtutum illius, numerum ferè infinitum meritorum ejus, ſublimitatem cognitionum ipſius ſupernaturalium, profunditatem humilitatis ejus, ardorem charitatis illius, vivacitatem fidei ejus, firmitatem ſpei ipſius, & puritatem virginitatis illius; hoc eſt proſſus, ut mihi videtur, nihil oblivisci eorum, quæ afferre poſſumus ad extollendas laudes ejuſdem B. Virginis, & quas ei tenemur impendere: tamen confeſſio noſtra multò minor eſt prærogativis quæ ſunt illi conceſſæ. Complectamur eas omnes ſimul, Auditores, & dicamus, quod *ab æterno ordinata* b & prædeſtinata ad hoc ut eſſet Mater Dei, ut patet ex verbis S. Matthæi, à quo vocatur *Liber generationis Jeſu Chriſti*, & ex iſtis S. Epiphanii *c*, qui eam ſic alloquitur, *Liber incomprehenſus, quæ Verbum & Filium Patris mundo legendum exhibuiſti*: concipitur hodie propter hanc eminentem qualitatem, quæ meretur ei, illique cunctas affert prærogativas, quas poſſidere poteſt eminentiſſima creaturarum: ideò *Angelus Gabriel* vocans eam Matrem mox futuram Jeſu Filii *Altiſſimi*, priùs ejus cogitur agnoſcere gratiarum plenitudinem, cùm ait ei, *Ave a Maria.*

a Pſ. 20. 4.

b Prov. 8. 23.

c S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

a Luc. 1. 26. &c.

Ab omni tempore, Auditores, libri fuerunt æſtimati plurimi, & optimè ſuſcepti ab hominibus ingenioſis, qui rati ſunt ſe devinctos eis, qui illos ſibi obtulerunt. Cuſtodiebant aliàs Ægyptii ſolicitè librum quendam tanquam prædivitem theſaurum, imaginati eum ſibi veniſſe è cœlo: Deus in teſtimonium favoris ſingularis tribuit po-

Iſraëlitico interventu Moyſis librum Legis ſcriptum manu ſuâ in tabulis lapideis, *Dedit Dominus Moyſi in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei* b. Inter myſterioſas viſiones Prophetæ Ezechieli exhibitas fit mentio cujuſdam libri ſcripti intùs & foris, quem expreſsè juſſus eſt comedere, quemque ſic dulcem invênit, ut mel deguſtare videretur, *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in quâ erat involutus liber, qui erat ſcriptus intùs & foris* c. *Et dixit ad me. Fili hominis comede volumen iſtud. Et comêdi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce* d. Simili favore donatus eſt diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* e, *Ioannes in inſulâ quæ appellatur Patmos* f, cùm eundem vidit *in dexterâ ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem*, & quem debebat *Leo de tribu Iuda, radix David, aperire, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus* g. Sacra Biblia erât tota conſolatio Judæorum inter validiſſimas ipſorum perſecutiones, & lectura illorum mitigabat acerrimos ipſorum dolores h. Omnes iſtos multi libros æſtimo, quos honoravit Antiquitas venerabilis; ſed revereor etiam magnoperè eum, quem Eccleſia nobis proponit hodie, librum pulcherrimum, nimirum Beatam Virginem, quæ vocatur à ſancto Matthæo *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Liber myſticus qui complectitur in ſe encyclopediam, ſeu ſcientiarum omnium divinarum chorum. Volo vobis, Auditores, hunc aperire librum, & vobis oſtendere illas, quas continet, excellentias, & utilitates nobis accommodas: debetis enim ſcire, quòd unum è maximis arcanis myſteriorum noſtrorum, eſt illud quod credimus *de libro vitæ* i, aut de prædeſtinatione ad gloriam, quomodo Deus prædeſtinet, *Quos præſcivit: & prædeſtinavit: quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit* k. Prima prædeſtinatio fuit illa Filii Dei, *Vt ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus. Id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo*, ait Carthuſianus l poſt Apoſtolũ. Secunda fuit Mariæ, nedum comprehenſe fuerit in corruptâ maſsâ Adæ, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi Primogenita ante omnem creaturam. Id eſt, dignior omni purâ creaturâ*, ait Hugo Cardinalis m loquens de B. Virgine poſt Salomonem. Videamus ergò primò quomodo Maria concepta fuerit ſine peccato originali: Secundò utilitates quæ nobis ex eâ proveniunt.

S. Paulus e loquens de diverſis prædeſtinationibus Jeſu Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum, comprehendit illas ſub iſtis verbis comparationis claritatis Solis, claritatis Lunæ, & claritatis Stellarum, dicens, *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum.* Jeſus Chriſtus enim eſt *Sol juſtitiæ* o, Beata Virgo hodie *progreditur pulchra ut Luna* p. Et à Cornelio q *aptè Sancti & Beati comparantur ſtellis, ob cauſas quas* ipſe aſſert. Prima prædeſtinatio eſt Jeſu Chriſti, quæ præcedit omnes alias: ipſe eſt in primo folio libri prædeſtinationis conſtitutus, *In capite libri ſcriptum eſt de me* r. *Alia claritas Solis.* Secunda, quæ immediatè ſequitur, eſt prædeſtinatio B. Virginis, *Alia claritas Lunæ.* Tertia tandem, eſt prædeſtinatio Sanctorum, *Et alia claritas ſtellarum.* Obſervate autem, ſi placet, Auditores, quòd prædeſtinatio B. Virginis & prædeſtinatio Jeſu Chriſti ſimul incedunt, ita ut indiſcriminatim verba prædicta Eccleſiaſtici exponantur ab Interpretibus de Mariâ, æquè ac de Jeſu Chriſto, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi. Et omnis creatura ex ore Altiſſimi prodiit, Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt univerſa* ſ. *Cur ergo pro laude Virginis ponitur, quod omnibus eſt commune? Reſponſio. Quia ipſa eſt principium Chriſti, eſt os Patris: & quia de ipſâ ſpiritualiter dixit tota Trinitas: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* t. *Primogenita ante omnem creaturam, id eſt dignior omni creaturâ purâ. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, id eſt, genui Chriſtum, qui eſt in cælis lumen indeficiens*, explicat Hugo Cardinalis u. Et Salazar x hæc verba Proverbiorum, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* edíſſerens *juxta eos ſenſus, quibus ex doctrinâ Sanctorum de Chriſto locum iſtum* expendit, *de Virgine per accommodationem*, ſic ait ad propoſitum noſtrum. *Quapropter ſi nomine viarum Dei, definitiones, conſilia, & decreta accipiamus (placet enim hinc ordiri, & à lectione Septuaginta) ſic ſententia confirmanda eſt, Dominus creavit me initium viarum ſuarũ ad opera ſua. Id eſt, Dominus in decretis ſuis, ac præ definitionibus, quibus Sanctos ad gratiam & gloriam deſtinat, mihi primatum addixit, ac per me cœpit inſtaurare, ac reficere opera ſua.* Sicut enim erat neceſſarius Mediator ad reparandam naturam humanam lapſam, huic Mediatori conſequẽter erat neceſſaria Mater: non poterat eſſe Homo ſine Matre, nec Mediator eſſe, nec ſatisfacere Juſtitiæ divinæ quin fieret homo, *Vnus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*, ait S. Paulus y. Et poſt eum Carthuſianus z. *Vnus enim Deus eſt, utpote in eſſentiâ ſimplex, & in perſonis trinus, qui eſt Trinitas ſuperbenedicta, unus verus, ſimpliciſſimus Deus. Vnus eſt & Mediator id eſt, recõciliator & ſequeſter Dei Trinitatis & hominum, homo Chriſtus Ieſus cum utroque extremo conveniens, cum Deo ſecundùm naturam divinam, & cum hominibus ſecundùm naturam aſſumptam. Iſtq; Mediator Dei ac hominum, propriè loquendo, nec ut Deus, neque ut homo, ſed ut Deus homo, ſeu Deus incarnatus. Sic quippe competit ei & ſatisfacere ſeu reconciliare, & idoneitas vel efficacia reconciliandi. Quorum primum convenit ei ratione aſſumpta naturæ: ſecundum verò ratione Deitatis unitæ, ex qua opera & pœna Chriſti hominis infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam ſortiuntur, in tantum ut minima gutta ſanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſima ad totius humani generis liberationem* Deus prædeſtinat igitur Jeſum Chriſtum ad reparandum genus humanum, & eodem inſtanti indiviſibili ſuæ beatæ æternitatis prædeſtinat B. Virginem ad hoc ut ſit Mater ipſius, nedum comprehendatur ipſa in maſsâ corruptâ Adæ.

S. Matthæus in ſerie quam texit Parentum B. Virginis quantùm ad id quod ſpectat generationem, non ſervat eundem ordinem, quem in aliis, *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham*, & ſic de cæteris, de patre in filium. Filius procedit à Patre, & trahit ab eo per generationẽ temporalẽ peccatum originale derivatum ab Adamo in omnes ipſius poſteros *In quo omnes peccaverũt* a. Id eſt, ut ait Dionyſ. Carthuſianus b, *Non actualiter, ſed virtualiter, originale peccatum incurrendo, quod eis imputatur in culpam, inquantùm aliquo modo erant in primo Parente ſecundùm corporalem ſubſtantiã, ſeu materialẽ propagationẽ. Porrò Originalis juſtitia ſic data erat primo Parẽti, ut tranſfũ-*

Marginal notes: b Exod. 31.18. — c Ezech. 1.9. & 10. — d Ezech. 2. 1. & 3. — e Joan. 21.20. — f Apoc. 1.9. — g Apoc. 5. 1. &c. — h Deut. c. 5. & ſeq. — i Exod. 32.32. — k Rom 8. 29. & 30. — l Dion. Carth art. 22. in Roman. 8. 29. — m Hugo Card. in Eccl. 24. 5 — Diviſio. — I. Pars. — n 1. Cor. 15.41. — o Malach. 4.2. — p Cant. 6.9. — q Cornel. in 1. Cor. 15.41. & Rom. 4.18 — r Pſ. 39. 9. — ſ Ex Pſ. 145. 8 — t Gen. 2. 18. — u Hugo Card. in Eccl. 24. 5. & 6. — x Salaz. in Prov. 8. 22. n. 259 — y 1. Tim. 2. 5. — z Dion. Carth. art. 2. in 1. Timoth. 2. 5. — a Rom. 5. 12. — b Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5. 12.

de-

deretur in poſteros. Ideò *primo Parente hâc juſtitiâ deſtituto, poſteri ejus juſtè privantur eâdem, nec tamen fit eis injuria, quia nec primo Parenti, nec eis ipſa juſtitia naturaliter debebatur, aut competebat: ſed nec beatifica viſio Deo, quâ merebantur privari propter hujus juſtitiæ privationem.* Sed cùm noſter Evangeliſta venit ad B. Virginem, & ad Jeſum Chriſtum Filium ejus iſtam frangit texturam, & ait, *Virum Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Relinquit Patriarchas, Prophetas, Reges, Duces, & omnes illos homines eximios, qui ſic honorati ſunt, ut fuerint majores Meſſiæ, & Mariæ Genitricis ejus, ut veniat ad *virum Mariæ*, quæ non traxit è majoribus ſuis originale peccatum, *Vna eſt Mariæ & Chriſti caro*, dicit Arnoldus Carnotenſis c. Exiguam enim Matri ſuæ reverentiam ipſe exhibuiſſet; imò verò ſibi dedecus intuliſſet ipſè, ſi carnem maculatam, & Satanæ vel unico momento ſubditam aſſumpſiſſet, quod non poteſt, nec debet eſſe, quod innuit eam fuiſſe conceptam ſine peccato originali. *Oportebat autem, ut inquit S. Auguſtinus* d. *ut ſancta Chriſti caro, non ſolùm in ſeipsâ non videret corruptionem* e, *ſed nec etiam in carne Matris ſuæ: nam caro Chriſti caro Mariæ eſt, & quaſi una caro reputantur. Multò ergo magis oportebat, ut etiam caro illa non conjungeretur animæ corruptione peccati infectæ, unde majorem ſine dubio ignominiam contrahebat, majuſque dedecus in Filium redundaret, quantò pejor eſt culpa quàm pœna; reverſio enim in pulverem* f *pœna eſt originalis peccati*, ait de Ponte g.

c Arnold. Carnot. de Laudibus Deip.

d Ex S. Aug. l. de Aſſumpt. B. M. c. 3.

e Ex Pſ. 15. 10.

f Ex Gen. 3. 19.

g De Pont. lib. 7. in Cant. 4. 7. exhort. 20 parag. 3.

Hanc veritatem confirmant multi alii Patres. S. Hildephonſus h loquens de Nativitate B. Virginis, ſic ait, *Quia tam ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quòd nulli quando nata eſt, ſubjacuit delictis, nec contraxit in utero ſanctificata originale peccatum.* Et aliquantò pòſt ſubdit: *Eximiæ pietatis honorem vobis, & decus virtutis beatiſſimæ Virginis prædicare incorruptam & incontaminatam, & ab omni contagione primæ originis cenſiteri alterâ.* Idiota i ſic illam affatur inter Contemplationes ſuas, admiratus pulchritudines ipſius, *Tota pulchra es* k, *Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto: & macula peccati ſive mortalis ſive venialis, ſive originalis, non eſt in te, nec unquam fuit, nec erit: ſed adeſt tibi omnis gratia naturalium bonorum ſpiritalium chariſmatum, & cœleſtium donorum* Adam Victorinus l hanc ſpecioſam concinit ei proſam,

h S. Hildeph. lib. de Virginit. & Partur. B. M.

i Idiot. in contempl. de V. M. c. 2.

k Cant. 4. 7.

l Adam Victor. Proſâ de Aſſumpt.

> *Salve Verbi ſacra Parens;*
> *Flos de ſpinâ, ſpinâ carens,*
> *Flos ſpineti gloria.*
> *Nos ſpinetum, nos peccati*
> *Spinâ ſumus cruentati,*
> *Tu ſpineti neſcia.*

m S. Th. 1. 2. q. 81. in corp. in Summâ impreſſâ Lugdun. apud J. Pillehote. 1608.

n S. Th. lect. 6. in Galat. 3. 6. &c. impreſſ. Pariſienſ. apud Joan. Petit. 1532.

o Ex Gal. 3. 13. & ex Deut. 21. 23.

p Pſ. 140. 10.

Quin imò & S. Thomas m ait in laudem illius, *Omnes homines præter ſolum Chriſtum, ex Adam per originem procedentes (quia dubium non eſt quin Chriſto Redemptore ſinguli indigeant) originale peccatum ex Adam contraxiſſe, ſaltem in potentia (propter beatam Virginem) ſi non omnes actu, firmiter credendum eſt.* Et alibi n expreſſiùs dicit ſuper hæc verba Apoſtoli, *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non, inquit, dicit in ſeminibus, quaſi in multis, id eſt, ſicut faceret, ſi de multis illud valeret, ſed in uno, quod eſt Chriſtus, quia ipſe ſolus eſt, per quem & in quo omnes potuerunt benedici: nam ipſe ſolus & ſingularis eſt, qui non ſubjacet maledictioni culpæ, etſi maledictio pro nobis* o *dignatus ſit fieri. Unde dicitur in Pſalmo* p. *Singulariter ſum ego, &c. Item, Non eſt qui faciat bonum* q, *&c. Eccleſ.* † *Virum de mille unum reperi, ſcilicet Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato, mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omnino immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali; excipitur puriſſima & omni laude digniſſima Virgo Maria.* Et in favorem hujus B. Virginis Eccleſia Feſtum celebrat & officium Immaculatæ Conceptionis; & Clemens IX. felicis recordationis, celebrari inſtituit Officium ejuſdem Immaculatæ Conceptionis cum Octavâ in totâ Eccleſiâ.

q Pſ. 13. 1.

† Ex Eccl. 7. 29.

Præterea, Nos iſtam edocet ipſamet B. Virgo veritatem in verbis jam allatis, quæ nobis ſunt meliùs diſcutienda, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum* r. Ait ipſa primò, *Dominus*. Cùm Moyſes loquitur de Deo, qui creavit cœlum & terram, non dicit, Creavit Dominus, ſed, *In principio creavit Deus cœlum & terram* ſ. In Hebræo pro Deus ponitur Elohim, id eſt, Judex; quatenus Judex in juſtitiâ: atqui *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi* t. Sic Deus Elohim, ſeu Judex tribuit aſtris claritatem, igni levitatem & altiſſimum locum ut nobiliſſimo elementorum; aëri aquæ, terræ, ſingulis ex iſtis elementis ea, quæ ipſis ſunt propria: ſed hìc *Dominus* dicitur, id eſt, Deus procedit ut ſupremus Dominus. *Cujus eſt condere legem, ejus eſt & ſolvere.* Statuerat Deus ut homines omnes nati ex Adamo, conciperentur in peccato originali. *Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terrâ*, ait Job u: qui ſuum ſic deplorat infortunium, *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo* x. Sic & David y, dicens Deo: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* Sed beatam Virginem ab hâc lege diſpenſat, cui propterea Eccleſia applicat hæc verba Scripturæ z: *Eſther noli metuere. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Procedit hoc in occurſu ut ſupremus Dominus, & agit id omne quod ipſi placet. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit* a. Inſuper, Ipſa dicit, *Poſſedit me.* Hæc admittitur differentia inter dominium, poſſeſſionem, proprietatem, & uſum fructum vel uſum juris, quòd poſſumus habere uſum fructum, vel uſum juris alicujus domus, ſed non habebimus illius proprietatem. Omnes autè terminos iſtos juris ſic deſcribit noſter Politius b. *Dominium, jus eſt habendi, poſſidendi, vendendi, donandi, diſtrahendi, &c. prout domino rei placuerit, ſecundùm modos à iure nõ improbatos. Poſſeſſio, eſt temporalis rei retentio: & addit ſupra dominium, quòd non impediatur ab altero. Proprietas addit ſupra dominium, & poſſeſſionem, quòd rei dominum ſecum parem non habeat in poſſidendo. Vſusfructus, eſt jus utendi, & fruendi rebus alienis, ſalvâ rerum ſubſtantiâ. Vſus juris, ſeu jus utendi, facultas, ſeu jus eſt rebus alienis tantùm. Et in hoc differt ab uſufructu: quia uſufructuarius pro ſe, & pro aliis fructus accipere poteſt, vendendo, donando, aliiſque diſtrahendo: uſuarius verò nonniſi pro ſe ſolo poteſt fructus accipere.* Quantùm igitur ad id quod ſpectat B. Virginem, dicit ipſa ritè, *Dominus poſſedit me.* Deus poſſidet illam ut Dominus & proprietarius ejus; quippe quæ ſe Illi totam vovet, dicat, offert, & conſecrat à primo inſtanti ſuæ conceptionis: ideò ipſa eſt tota Deo, & SS. Trinitati. Dominus poſſedit illam ab æterno, & gratam habet oblationem ejus. Pater æternus eam poſſidet ut Filiam ſuam, Filius ut Matrem ſuam, & Spiritus ſanctus ut Sponſam ſuam; ipſa eſt tota Deo, & ut ſic prævenitur ipſa omnibus gratiis, quarum ſuſcipiendarum capax eſt pura creatura, & omnes favores poſ-

r Prov. 8. 22.

ſ Gen. 1. 1.

t L. 10. D. de Juſt. & Jure & Inſtitut. in princip.

u Job. 25. 4. juxta LXX.

x Job. 3. 3.

y Pſ. 50. 7. ex Job. 14. 4.

z Eſth. 15. 12. & 13.

a Pſ. 134. 6.

b Polit. 10 Expoſit. Reg. S. P. Franciſci, c. 6. n. 2.

poſſibiles ipſi conceduntur: *Hæc enim cùm ſit Dei Patris Filia, Filii Dei mater, Spiritus S. Sponſa, quid non obtinet. Quid enim nõ impetret Filia à Patre, Mater à Filis, Sponſa à Sponſo?* dicit Cornelius c. *In initio viarum ſuarũ.* Non ſumus Deo, ſed priùs ſumus diabolo per peccatum originale, quod contrahimus ipſo noſtræ conceptionis inſtanti, *In utero dãnati antequàm nati: quia de peccato, & in peccato concepti,* ait S. Bern. d. Sed B. Virgo ſemper eſt Deo, *In initis viarum ſuarũ.* Ubi, ſi placet, obſervate, quòd duæ ſunt viæ, per quas Deus venit ad nos, juſtitiæ, & miſericordiæ. Per viam juſtitiæ venit ad homines ot ad inimicos ſuos per peccatum originale, per flagella & pœnas, quæ ſunt illius effectus: ſed venit ad B. Virginem per viam miſericordiæ, liberalitatis, favoris & gratiæ, præſervans illam à labe peccati originalis, *Vniverſa via Domini, miſericordia & veritas* e. Difficilius autem eſt creditu, & factu (ſi difficultas aliqua poſſit admitti in Deo, quantùm ad faciendum, ſed loquor noſtro concipiendi modo) quòd Maria ſit Virgo & Mater, Virgo in partu f, & Virgo poſt partum, quàm creditu & factu quòd concipiatur immunis à peccato originali: nã quantùm ad primum tot res ſunt peragendæ, tot ſunt inferendi conatus & violẽtiæ irrogandæ naturæ, ut ſaoè major potentia ſit adhibenda quàm quoad ſecundum, ad quod ſola requiritur voluntas, cùm Deus habeat potentiam, & voluntatem, & utraque conſtituat eſſentiam ejus. Quantùm ad potentiam, *Cujus eſt condere legẽ, ejus eſt & ſolvere.* Hoc igitur eſt credendum, ut B. Virgo habeat omnes prærogativas poſſibiles ſuper omnes creaturas, ot illarum excellẽtiſſims, alioquin minus earum prærogativarũ ſuſcepiſſet quàm ſuſceperint Angeli g, & Protoplaſti noſtri h, qui creati fuerunt in gratiâ, & in juſtitiâ originali. *Nato*, ut ait Cornelius i, *Adã in primo inſtanti creationis ſuæ, cum gratiâ infuſas fuiſſe ſimul omnes virtutes Theologicas, & morales: item datam ei eſſe juſtitiam originalem.* Et de Angelis dicit S. Auguſtinus k, *Simul ut facti ſunt, ei à quo facti ſunt, amore cum quo facti ſunt, adhæſerunt.* Et paulò pòſt ait, quòd Deus *eos creavit ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Vnde ſine bonâ voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe, credendum eſt.* Commentator autẽ ejus Vives, ait ſuper hæc verba ejus, *Simulq́; ut facti ſunt, ei à quo facti ſũt, &c. Apertè fatetur, Angelos omnes creatos eſſe in gratiâ gratũ faciente: quod idem ait libro de Correptione & Gratiâ. Antequàm caderent, inquit, gratiam habuerunt.* Et Coquæus, alter illius Commentator, ſuper eadẽ verba dicit, *Non de amore naturali, quo feruntur in Deũ tanquam in Authorem naturæ & finem naturalem intelligit, ſed de amore ſupernaturali, quo Deũ amabant, tanquã bonum ſupernaturale, & objectum beatitudinis ſupernaturalis; quem noverant ab initio per fidẽ ſibi eſſe propoſitum: unde apertiſſimè vult Angelos ab initio fuiſſe creatos in gratiâ, quod dilucidè teſtatur hoc eodem capite cùm dicit ſimul in eis Deum condidiſſe naturam, & largitum eſſe gratiam, & non tantùm ad homines pertinere, verùm etiam de Angelis dici poſſe, quòd Charitas Dei diffuſa ſit in eos per Spiritum ſanctum, qui datus eſt* l *eis. Amor enim quo ab initio Deo adhæſerunt, nõ aliud erat à charitate diffuſâ in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis. In eâ igitur bonâ voluntate, quâ Deo adhærebant, fuerunt creati. Neque verò ſi illa bona voluntas & charitas ab initio fuit in Angelis, ideò in eis erat naturalis, ſiquidem liberè infundebatur à Deo, neq́; reſultabat ex principiis naturæ inſtar proprietatis cujuſdam naturalis, neque conſequebatur ipſam naturam; & debemus concipere aliam actionem, quâ Deus crearet naturam Angelicam, aliam verò quâ infunderet charitatem, quemadmodum primo homini ab initio infuſa fuit juſtitia originalis, & ſcientia omnium rerum perfectiſſima, quæ tamen non erant illi naturalia, ſed gratuita dona. Simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Ex mente S. Auguſtini, ſatis conſtat eum intelligere gratiam illam ſupernaturalem, quam Theologi vocant gratum facientem, quæ eſt donum ſupernaturale, & habitus infuſus homini conferens eſſe quoddam ſupernaturale & divinum, quâ efficitur filius Dei adoptivus.*

c Cornel. in Act. 1. 24.
d S. Bern. ſerm. 2. Pent. ex Pſ. 50. 7. & Job. 14. 4.
e Pſ. 24. 10
f Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
g Gen. 1. 3.
h Gen. 2. 7 & 22.
i Cornel. in Gen. 1. 26.
k S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei c. 9.
l Ex Rom. 5. 5.

Sed mihi dicetis, Auditores, quòd, ſi B. Virgo non fuit infecta originalis peccati labe, Jeſus Chriſtus non fuit Redemptor hujus creaturæ, quam majoris æſtimat incomparabiliter quàm omnes homines, & univerſos Angelos; propter quam ſolam redimendam ipſe naturam ſumpſiſſet humanam, ſic ingentia erant illius merita, ut ipſa ſola valeret plus, quàm quidquid eſt in univerſo mundo conſpicere. Ad hoc reſpondeo, quòd duplex eſt redemptio, una quæ prævenit ante caſum, altera verò quæ ſuccurrit poſt lapſum. Prima eſt nobilior, ideò debemus dicere, *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio* m. *Et adverte, quòd hic Pſalmiſta cùm dicit: Apud Dominum miſericordia, &c. per Dominum intelligit Chriſtum, qui ſolus redemptio noſtra dicitur: quia ipſe & non alius nos redimere potuit,* ait Incognitus n. Secunda eſt minùs nobilis, ſicut Medicus magis devincit ſibi infirmum medicinâ præſervativâ, prævidens ex phyſiognomiâ morbum, quàm ſi, poſtquàm in ægritudinem lapſus eſt, & aliquot menſibus febriens recubuit, ipſum ſanet à febri: ſic Jeſus Chriſtus egit erga B. Virginem modo nobiliori, ſibique glorioſiori, & Matri ſuæ accõmodiori; ſed non minùs nobis opportuno propter utilitates, quæ nobis inde proveniunt, quæ nobis ſuperſunt examinandæ.

m Pſ. 129. 7.
n Incognit. in Pſ. 129. 7.

S. Bernardus o vocat Mariam propter magnas ipſius curas, *Negotium ſeculorum.* Sicut autem, ut dicitur, *Filii ut plurimùm matrizant*, id eſt, ordinariè cum lacte ſugunt mores matris, inde fit ut Salvator mundi ſic eſſet addictus negotiationi, qualis repræſentetur nobis à S. Matthæo p; *Sicut homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua: & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique ſecundùm propriam virtutem.* Ideò quia hanc inclinationem traxerat à Matre ſuâ, quod tribuit nobis notitiam illius celebris elogii, quod Concilium Conſtantinopolitanum V. & Concilium Chalcedonenſe & S. Damaſcenus tribuunt B. Virgini, vocando illam Theotocon: *Chriſtiparam nequaquam dicimus ſanctam Virginem: quia ad renuendum vocabulum Theotocos, id eſt, Deipara, & Dei Genitrix, ſceleſtus & odibilis, & cum Iudæis ſapiens Neſtorius id adinvênit,* ait S. Damaſcenus q. In Concilio Toletano r II. *Habetur etiam edictum piiſſimi Imperatoris Iuſtiniani, beatam Virginem propriè dici Genitricem Dei.* Et Concilium Conſtantinopolitanum V. ſ ait, *Si quis abuſivè, & non verè Dei Genitricem dicit ſanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam, aut per relationem tanquam homine puro nato. Et criminatur ſanctam Chalcedonenſem Synodum, tanquam ſecundùm impium intellectum à Theodoro commentatã,* (in canone autẽ præcedẽte loquitur de Neſtorio, æquè ac de hoc Theodoro inſenientibus ſimul) *Dei Genitricem Virginem aſſerentẽ, aut ſi quis hominis Genitricem vocat eam, aut Chriſti Genitricem, utpote*

II. Part.
o S. Bern. ſerm. 2. Pent.
p Matth. 25. 14. &c.
q S. Damaſc. lib. 3. de Fid. Orth. c. 12.
r Conc. Tolet. 2. decret. 3.
ſ Conc. Conſtantinop. 5. can. 6.

Chriſto non exiſtente Deo, & non ſpecialiter & ſecundùm veritatem Dei Genitricem eandem confitetur, ob id quod ante ſecula à Patre genitus t Deus Verbum, in ultimis diebus u ex eâ incarnatus & natus eſt, atque ita pie ſanctam Chalcedonenſem Synodum Dei Genitricem eam confiteri, talis anathema ſit. Hæc Concilia cum S. Damaſceno vocãt B. Virginem Theotocon, quo verbo nihil aliud innuitur, niſi Mater Dei, uſura Dei, aut, negotiatio Dei, ut dicunt alii. Sicut autem illud elogium nobis eſt utiliſſimũ, ita & ſedulò nobis eſt examinandum.

t Ex Pſ. 2.7.
u ex Hebr. 1.2.

Sciendum eſt igitur quid ſit uſura. *Vſura eſt lucri facere fructus rei pignoratæ* x. v. g. conſtitutus aliquis in neceſſitate, ut hujuſmodi ſuccurrat neceſſitati, oppignorat vineam, domum, aut aliquid aliud; ille qui poſſidet pignus, vineam, domum, vel quid ſimile, tradit illud in redditum annum alteri, & hoc modo multũ lucratur: hoc autẽ propriè vocatur *uſura, lucri facere fructus rei pignoratæ.* Pater æternus oppignoraverat *in utero* y B. Virginis, ditiſſimũ pignus quod ipſe haberet in theſauris ſuis, nimirum Filium ſuum, qui vocatur Pignus ab Eccleſia, *Futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quid agit B. Virgo? Facit *lucri fructus rei pignoratæ.* Lucratur ipſa quantum poteſt cum illo, ideò ut nobis benefaciat, & nos ditet: Ecce quomodo ipſa eſt Theotocos, Mater Dei, vel uſura Dei. Præterea, *Vſura eſt aliquid ultra ſortem petere,* aiunt Theologi Morales, v. g. commodat aliquis alteri centum nummos ad annũ, qui expleto termino non eſt contentus quòd ſibi reddatur pecunia commodata, ſed ultra eam requirit quinque, decem, aut viginti nummos lucri, quod eſt propriè uſurã agere: hoc modo B. Virgo vocari poteſt uſura Dei, quia Patri æterno nõ ſatisfit ut ſibi ſolvat illa id quod ipſi debet, ſed etiam vult ut ea ſibi det aliquid amplius. Quid eſt quod beata Virgo debet Deo? Debet ipſa Filio ejus indumentum humanitatis noſtræ, debet eum alere lacte ſuo z, ſemper eum ſequi debet a, & comitari uſque *juxta crucem* b. Debet ei etiam qualitatem, quòd ſit Mater ejus, & ſit aſylum & refugium hominum: ecce totũ id quod ipſa Deo debet; ſed iſtis non ſatisfit Deo, ideòq; Deus vult ut Maria ſibi det aliquid amplius, & aliquo modo ſua magnificet & quaſi reduplicet attributa divina. Cùm Pater æternus producit Filiũ ſuũ c, præbet ei omnia ſua divina attributa: ſimiliter producens unà cum Filio ſuo *Spiritum* d ſanctũ, dat eidem Spiritui ſancto omnes ſuas ſupremas perfectiones: ſed in omni eo quod ipſe dat aut communicat, nullum lucrum invenit: quia licèt divinæ perſonæ multiplicentur, eſſentia & attributa non multiplicantur, ſed remanent eadem in tribus perſonis Divinis, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* e. Ita ut videns, quòd nec per Filium ſuum, nec per Spiritum ſanctum multiplicare vel reduplicare ſua potuerit attributa, hoc obtinere voluerit interventu B. Virginis, quaſi negotiationem cum illâ iniẽs, ad quod referri videtur id quod ait S. Chryſologus f, *Vna Puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio ut ipſius Dei cum carne commercium, pro ipſâ domus exigat penſione.* Et hoc modo lucratus eſt, & acquiſivit id quod intendebat. Videamus autem quonam modo. Antequàm B. Virgo eſſet in mũdo, ſi Deus erat potens, ſibimetipſi potens erat, ſi miſericors, miſericordia ipſius non erat quaſi niſi propter ipſum, & ſic de cæteris ejus attributis: quàmvis enim mundũ creaſſet, & in eo eſſent innumeræ creaturæ, in quas ſuam poterat impẽdere miſericordiam, totum hoc non erat niſi ſpecimen potentiæ, & quaſi fragmentum bonitatis ipſius, utilitas erat exigua, lucrũ ipſius erat modicum, donec interventu B. Virginis cœpit agnoſci in mundo, & per eam manifeſtari ipſe qui erat *Deus abſconditus* g velut in angulo æternitatis: ita ut ſi Deus eſt *omnipotens* h, talis ſit nobis, æquè ac ſibi, & ſic de reliquis ipſius perfectionibus, quas videmus magnificatas & reduplicatas interventu B. Virginis; ſicq; Deus meliùs appareat per creationẽ B. Virginis quæ concipitur hodie ſine peccato originali, quàm apparuerit per creationem totius mundi, eorumq; quæ in illo continentur: ſic ipſa eſt omnium creaturarum perfectiſſima, & ipſa ſola magis extollit gloriam Dei quàm univerſæ creaturæ ſimul: *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum* i. Seu, juxta S. Bernardinũ k, *Magnificat anima mea Dominum, ſcilicet, voce, opere, & affectu: magnificat quidem Dominum omnis creatura, ſed anima mea ſuper omnia.* Inſuper, B. Virgo vocatur Theotocos, Genitrix Dei, aut uſura Dei; quia quidquid ipſa habuit, tanquam ſapiens uſuraria tribuit Deo negotians cum eo, intendens inde haurire utilitatem, & lucrum facere ſupra id quod illi tribuit. Ipſa præbuit ei ad uſurã carnem puriſſimam viſcerum ſuorum, ut eam redderet & retribueret filiis Adæ ſub ſpeciebus SS. Sacramẽti l. Re autem verâ id adimplevit Deus; tribuit illi B. Virgo ubera ſua ad uſuram, ut Deus daret lac miſericordiæ ſuæ hominibus: commodavit ei brachia ſua, cùm eum amplectens faciebat ipſa quaſi crucem, ut Puer Jeſus diſceret ab infantiâ ſuâ modum moriendi in iſto ligno, & ne inuſitatum inveniret cùm pro ſalute hominũ ſuper id extendendus eſſet. Hæc eſt obſervatio S. Epiphanii m dicentis, Chriſtum fuiſſe priùs crucifixum inter brachia Matris ſuæ, quam patibulo ignominiæ alligatum, ibiq; didiciſſe tyrocinium paſſionis ſuæ, & ibidem infinitis deſideriis millies amantiſſimè mortuum pro ſalute noſtrâ: *Dicoenim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucẽ: extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit.* Totum autem iſtud S. Thomas n ſic complectitur: *Vnigenitus ſiquidẽ Dei Filius ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos o faceret factus homo. Et hoc inſuper quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem. Corpus namque ſuum pro noſtrâ reconciliatione in arâ Crucis hoſtiam obtulit Deo p Patri: ſanguinem ſuum fudit in pretium ſimul & lavacrum: ut redempti à miſerabili ſervitute, à peccatis q omnibus mundaremur. Vt autem tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ſub ſpecie panis & vini ſumendum, fidelibus dereliquit.* Ipſa præbuit ei omnes peregrinationes ſuas, ut ipſe miſereretur peregrinorum; propterea voluit Salvator ut triginta denariis, qui erant pretium Sanguinis ſui, emeretur à Judæis ager ad ſepeliendos peregrinos, *Principes Sacerdotum acceptis argenteis, quia pretium ſanguinis eſt, conſilio inito emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis* r. Si corpora peregrinorum primitias paſſionis ejus abſtulerunt, quas divitias, & quam gratiam non dederit animabus eorum? Deinceps, Ipſa tribuit ei ſpiritum ſuum, ut Deus poneret Spiritum ſuum in Eccleſiâ, tanquam ſuper menſâ, quo reficerentur fideles, *Et erit in noviſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem* ſ. Et aliquantò antè, *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſan-*

x L. 1. Cod. de Pignorat. Actione.
y Matth. 1.18. & 23 & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7.14.
z Luc. 2. 7. &c.
a Joan. 2. 1. & 2.
b Joan. 19. 25.
c Pſ. 2.7.
d Joan. 15.26.
e 1. Joan. 5.7.
f S. Chryſol. ſerm. 140.
g Iſai. 45. 15.
h Eſth. 13.9.
i Luc. 1. 46. & 47.
k S. Bernardin. ſerm. 9. de 7. verb. B. M. a. 2. c. 1.
l Matth. 26, 26. &c.
m S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip. ex Luc. 2, 28.
n S. Thom. Opuſc. 57 lect. 1. & 2.
o Ex Pſ. 81.6.
p Ex Epheſ. 5.2.
q Ex Apoc. 1.5.
r Matth. 27.6. &c.
ſ Act. 2.17 ex Joel. 2. 28. & Iſai. 44.3.

Digitized by Google

t Act. 2.4. ſanct st, Propter eà vocatur à S. Epiphanio u *Fidei*
u S. Epiph. ſerm de Laudib. Deip. *menſa intellectualis, qua panem vitæ mundo ſuppeditavit.* Sic ipſa lucrata eſt id omne quod ipſa tribuit Dso, ut meliùs interventu lucri hujus faveret & gratificaretur nobis omnibus. Tandem, Vltima expoſitio verbi illius, Theotocos, Mater Dei, aut uſura Dei, in hoc eſt ſita, quòd inter omne commercium & negotium quod inivit ipſa cum Deo, ita fuit ipſa ututatia, ut id omne quod ipſa tribuit Deo, hoc illi dederit eâ Intentione ut ſibi illud Deus doplicaro fœnore retribueret. Videamus, ſi placet, quomodo Deus ſolvat id omne, quod ipſi B. Virgo obtulit. Offert ipſa Dso peccata hominum, & Deus in ſolutionem retribuit ei gratiam pro illis: ipſa præſentet ei abſtinentias illorum & jejunia; & Deus interventu illius præbet eis in mercedem refectionem vitæ æternæ, ubi *inebriabuntur abubertate domus* ipſius, *& torrente voluptatis* ejus potabun-
x Pſ. 35. 9. & 10. tur, *quoniam apud* ipſum *eſt fons vitæ* x. Porrigit ipſa ei eorum eleemoſynas: & Dsus in præmium dat poſſidendum eis *paratum Regnum à*
y Matt. 25. 34. &c. *conſtitutione mundi* y. Unde videtis quomodo ipſa ſe reddat uſurariam, ut benefaciat hominibus, quia in omnibus negotiis, commerciis, & cambiis ſuis habitis cum Deo, ipſa requirit & exigit plus quàm ipſi tribuerit, *Vt viſcera ſa, tenera, & materna magnificentia pietatis ex Christi Matre reſplendeſcat,*
z S. Bernardinus ſerm. 13. de Exalt. B. M. in gloriâ, a. 1. c. 4. ait S. Bernardinus z. Ipſa negotiatrix eſt admirabilis, & mercatrix nobis omnibus utiliſſima, cùm in univerſis ubique promovendis commodis noſtris, & peragendæ ſaluti noſtræ ſemper invigilet.

Sed heu, Auditores, quàm ingens eſt noſtra puſillanimitas, quàm criminoſa, & ſanguineis lacrymis deflenda! Nonne traditores efficimur propriæ felicitatis noſtræ? Cùm ita exiguis ſumptibus lucrari paradiſum poſſimus interventu ſic ſanctæ & ita induſtriæ mercatricis, quæ omnes curas ſuas refundit in utilitates noſtras; noſtram tamen negligimus operari ſalutem, nolentes cooperari ſolicitudinibus ejus. Ha! ſedulò cogitate intra vos, quonam dolore angantur damnari, perpetientes in inferis *ſup-*
a Matt. 25. 46. *plicium æternum* a, pro eo quòd ſtupidâ & criminoſâ negligentiâ torpentes non ſategerint in bonam emendatæ vitæ ſe recipere frugem, nec reformare mores ſuos, nec perfungi juſto officio, ed quod obeundum ipſos obſtringebat perfectio & ſanctitas Chriſtianæ Religionis: ſed econtrà unusquisque ex ipſis *averſus eſt averſione contentioſâ; nemo quod bonum eſt, locutus eſt, nullus qui* egerit *pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium* b. Præ omnibus b Jer. 8. 5. & 6.
autem quòd pro nihilo duxerint in neceſſitatibus ſuis conſtituti implorare auxilium & favorem hujus ſupremæ Reginæ paradiſi, quæ ſupplicationibus ſuis, ipſos eripere potuiſſet è faucibus inferni. *Et ipſa, dico vobis, Chariſſimi, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & Mater miſericordiæ,* ait S.
Bernardus c. Quid utiliùs nobis, & quod magis nos inducere debet ad pietatem, & ad reverentiam illi exhibendam, cùm nullus ſit peccator, quantùmvis flagitioſus, qui perire poſſit, ſi c S. Bern. ſerm. 2. Dom. 1. poſt Oct. Epiph.
B. Virgo dignetur ipſi opem præſtare parrocinii ſui; & infernus diſcedat confuſus confeſtim ac ipſa ſuum os aperit in auxilium noſtrum? Ideò ſi digne celebrare volumus Feſtum hoc Immaculatæ Conceptionis ipſius, ſatagamus ut opera noſtra ſint omnino pura & innocentia, & hæc placebunt iſti B. Virgini: ſi imitari volumus eam præ majori perfectione, firmiter ſtatuamus potiùs mori quàm nos inquinare: Habeamus puritatem mentis, puritatem cordis, & puritatem memoriæ: puritatem mentis per puritatem & ſimplicitatem intentionis, ſatagentes ut intentiones noſtræ purè dirigantur ad Deum, purgantes eam a vanitate, quæ eſt excidium & ruina virtutum *d*, & ab intuitu proprii com- d Matt. 6. 2.
modi: puritatem cordis per puritatem affectuum, ita ut amor noſter ſit propter Deum ſolum, mundantes affectus omnes noſtros ab amore proprio, & à timore; Benefacere, Auditores, præ timore inferni, eſt habere ſpiritum ſervitutis, qui veretur ſupplicia; benefacere mercedis intuitu ſempiternæ, eſt habere ſpiritum mercenarium, qui non reſpicit niſi ſolum præmium, *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba, Pater,* ait nobis S. Paulus *e*. Facia- e Rom. 8. 15.
mus bonum propter Deum ſolum. Puritatem memoriæ, retrahentes eam à recordatione voluptatum & deliciarum mundi: purificantes tandem corpora noſtra, & animas noſtras, ut hæc B. Virgo videns nos vacare puritati, ſatagat nos unire ipſimet Puritati *f*, quæ eſt Deus. f Iſai. 6. 3.

DOMINICA III. ADVENTUS.

a ex Iſai. 40. 3. *Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus, ait, Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini* a. Joann. 1. 19. &c.

b Sap. 7. 24. DEus, cujus *ſapientia* b *attingit à fine uſque ad*
c Sap. 8. 1. *finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* c; quæque in omnibus ipſius palàm manifeſtatur operibus, cùm elegiſſet Moyſen ad dirigendum populum ſuum, & liberandum eum à tyrannicâ captivitate Pharaonis, videndo *filiorum Iſrael af-*
d Exod. 3. 9. &c. *flictionem, quâ ab Ægyptiis* d opprimerentur, eumque tantâ muniturus eſſet potentiâ & authoritate, ac ſi impii Regis illius Ægyptiorum futurus eſſet Deus, ut ipſemet eidem Moyſi deinceps eſt proteſtatus, dicens, *Ecce conſtitui te Deum*
e Exod. 7. 1. *Pharaonis* e: Moyſes autem inexplendi hujusmodi eximii & auguſti officii ſpecioſam prætexeret excuſationem defectu linguæ ſuæ inexpeditæ, cùm ait, *Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ego ſum* f; Deus f Exod. 4. 10.
præbuit illi Aaronem fratrem ipſius in Interpretem, *Aaron frater tuus erit Propheta tuus. Tu loquêris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Iſrael de terrâ ſuâ* g. Qui g Exod. 7. 1. & 2.
officium illud magno duxit honori, etiamſi natu minor eſſet ipſo Moyſe, & illud præ tanto & ſic felici obivit ſucceſſu, ut Scriptura ſæpè lo-

quens de Moyſe, ſermonem habeat de Aarone,
h Exod. 8. 16.&c. *Dixit Dominus ad Moyſen, Loquere ad Aaron* h. Cùm
i Rom. 8. 3. *Deus Filium ſuum* i miſiſſet in mundum ad libe-
randum populum ſuum è captivitate Satanæ,
Pharaonis infernalis. *In hoc apparuit Filius Dei, ut*
k 1. Jo. 3. 8 *diſſolvat opera diaboli* k; cùm Filius iſte ſit *Ver-*
l Pſ. 44. 2. *bum* l Patris, Verbum iſtud non erat ſatis in-
telligibile hominibus; ideò Deus Pater tradit
ei Interpretem nimirum S. Joannem Baptiſtam,
qui ſic apprimè iſto perfungitur ſplendenti offi-
cio, ut populus præcurſorem uſurpet pro Meſ-
ſiâ, diſcipulum pro Magiſtro, & vocem pro Ver-
bo.

Commenti ſunt aliqui, quòd ubi *in principio*
creavit Deus cælum & terram, elementa, & quid-
quid eſt in mundo ſpecioſi, quod nos in admira-
tionem rapit, *dixitque Deus, Fiat lux, Et facta eſt*
m Gen. 1. 1 &c. *lux* m, id eſt, Angeli creati ſunt, unus è beatiſ-
ſimis iſtis ſpiritibus dixerit Deo, quòd deſidera-
retur adhuc aliqua perfectio in mundo, quæ eum
omnibus redderet abſolutum partibus, In eo
vellem, inquiens, adhuc cymbalum, quod con-
tinuas pulſaret gratiarum actiones. Qui ſubti-
lem iſtum efformaverunt conceptum, mundum
intuebantur ut magnum horologium, cujus pri-
mum mobile & cœli eſſent præcipuæ rotæ mo-
tus; Sol & Luna hæc *duo luminaria magna; lu-*
minare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut
præeſſet nocti, notarent & numerarent horas; e-
lementa forent veluti libramenta; terra vicem
haberet momentorum & ponderum; Homo ve-
rò ſolus creatus fuiſſet ut iſtius magni horologii
eſſet tintinnabulum. Poſtquàm Protoplaſtus
prohibito *de fructu comêdit* n, ne ſtatim poſt per-
n Gen. 3. 6 petratom inobedientiæ crimen, in mortem in-
curreret, quam minatus fuerat ei Deus, cùm *præ-*
cepit ei, dicens, De ligno ſcientiæ boni & mali ne co-
medas: In quocumque enim die comederis ex eo, mor-
te morieris o; iſtud magnum diſſolvit horolo-
o Gen. 2. 16. & 17. gium per peccatum ſuum, cùm loco gratiarum
actionis impendendæ permaneret mutum; ideò
p Jo. 1. 14. *Verbum caro factum* p, voluit illud in priſtinam
redintegrare perfectionem, & tribuere illi id
quod abſolutum ipſius efficeret complemen-
tum, nimirum tintinnabulum; iſtud autem
cymbalom non eſt aliud niſi S. Joannes Baptiſta,
qui fatetur de ſe, *Ego vox.* Aliàs adhibebantur
cuſtodes, qui horas noctis obſervarent, *Cuſtos*
q Iſai. 21. 11. *quid de nocte? cuſtos quid de nocte* q? Hodiernâ
verò die nobis dicitur, *Hora eſt jam nos de ſomno*
ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm
cùm credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropin-
quavit r. S. Joannes Baptiſta eſt *vox* quæ intelli-
r Rom. 13. 11. & 12. gibile debet reddere iſtud *Verbum*, quod erat in-
ſ Jer. 32. 19. comprehenſibile ſ, licèt ſenſibile fuiſſet effectum
in ſinu Virginis ſacratiſſimæ, in quo humanâ ſe-
ſe induit carne, poſtquàm eidem Virgini dixiſ-
ſet Angelus, *Ave Maria.*

Jeſus in proprietate Divinæ ſuæ naturæ voca-
t Coloſſ. 1. 15. tur *imago Dei inviſibilis* t. Quia procedit à Patre
in ſimilitudinem naturæ; imago quæ repræſen-
tat & continet Eſſentiam Divinam, & omnes
illius perfectiones; imago æqualis & coæterna
ſuo Archetypo; & productio hujus imaginis
eſt prima Dei emanatio, & Deus ipſe, *Dominus*
u Pſ. 2. 7. *dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te* u.
Jeſus autem homo Deus, cùm *ſemetipſum exina-*
nivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem homi-
x Philipp. 2. 7. *num factus, & habitu inventus ut homo* x, in depreſ-
ſione ſuæ hujus naturæ humanæ fecit imaginem
penitus ſibi ſimilem, nimirum S. Joannem Bapti-
ſtam, qui ipſum repræſentat in Conceptione, in
Nativitate, in vitâ, in officiis, in prædicationi-
bus, & in Morte ipſius; formatio autem hujus i-
maginis fuit primus effectus hujus Verbi incar-
nati, primus radius hujus Divini Solis, prima
productio gratiæ per Jeſum y, poſt Matrem i- y Luc. 1. 44.
pſius ſanctiſſimam z. Verbum increatum in z Cant. 4. 7.
productione mundi ſuam impreſſit imaginem
creaturis, *Et creavit Deus hominem ad imaginem,*
& ſimilitudinem ſuam a. Et idem Verbum incar- a Gen. 1. 27.
natum, in redemptione, *in ſimilitudinem hominũ* b
factum ſecundùm naturam, & non ſecundùm b Philipp. 2. 7.
culpam, reficere & reparare voluit homines *ad*
imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ſecundùm gra-
tiam; & ſic fecit S. Joannem ſicut alterum ſei-
pſum, impreſſit ei vivam imaginem vitæ ſuæ,
gratiæ ſuæ, Spiritus ſui, ſanctitatis ſuæ, ſicut Ver-
bum exprimitur per vocem, & Sol exhibetur in-
tuendus in aurorâ diei, aut in radiis ejus, & ſicut
facies manifeſtatur in ſpeculo. Jeſus enim eſt
Verbum S. Joannis, & S. Joannes eſt vox Jeſu.
Jeſus eſt *Sol* c, & S. Joannes radius ejus & auro- c Malach. 4. 2.
ra. Jeſus eſt exemplar S. Joannis, & S. Joannes d Coloſſ. 1. 15.
eſt imago Jeſu viſibilis, ſicut Jeſus in Divinitate
ſuâ *eſt imago Dei inviſibilis* d. Excellentia S. Jo-
annis ut ſit imago ſeu radius, & vox Jeſu; Et ut
ſic Primò repræſentet eum ut imago, aut intu- Diviſio.
endum eum exhibeat ut radius ejus, animabus:
Secundò, ut exprimat eum hominibus ut vox e-
jus, quantùm ad naturam, effectus, & ſonitum
vocis. Hæ duæ conformitates duplicem hujus
diſcurſus conſtituent partem.

Prima copia aut imago debet fieri coram I. Pars.
ſuo originali, & eæ quæ apparent in ſpeculo,
nullum habent eſſe, nec ullam ſubſiſtentiam niſi
palam rei quam repræſentant, & ſtatim ac hæc
ab eis avertitur, pereunt illæ & evaneſcunt. S.
Joannes fuit primus ſanctificatus à Chriſto e, e Luc. 1. 41. &c.
primus formatus *ad imaginem* vitæ gratiæ ejus;
idcircò Jeſus adhuc reſidens in ſinu materno,
præſentem ſe ei exhibet, eum vadit viſitatum
per ſanctam Genitricem ſuam, replet eum gra-
tiis Spiritus Sancti per præſentiam ſuam; puriſ-
ſima & ſanctiſſima format in eo lineamenta ſuæ
Divinitatis, Humanitatis, & Vitæ, ad eum ſe
convertit, nedum nunquam ab illo momento
fuerit averſus ab eo. O impreſſio ſanctitatis
Jeſu facta S. Joanni! prima ſanctificatio! mutua
converſio Jeſu ad S. Ioannem, & S. Ioannis ad
Ieſum! *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus* f. f Cant. 7. 10.
Providebat enim S. Ioannes *Dominum in conſpe-* g Pſ. 15. 8.
ctu ſemper g ſuo, eum jugiter in omnibus intue-
batur. Peſſimum enim omnium eſt ac averti à
Ieſu, quod fit per peccatum, quod ſeparat nos à
Deo, quod proprium eſt reprobis, *Sed iniquitates* h Iſai. 59. 2.
veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum h.

Tres voluit Deus conſtituere ordines in ter-
râ, in quibus ſuam nobis impreſſit imaginem.
Primus eſt naturæ. Secundus gratiæ. Tertius
verò ordo ſupremus unionis ſuæ hypoſtaticæ,
quem replere voluit per ſemetipſum, Sic S. Io-
annes præ ſe fert imaginem Jeſu in his tribus or-
dinibus & ſtatibus. Primò, Quæ intuentur na-
turam licèt elevatam per conformitatem ad Ie-
ſum, ad eſſe ſupernaturale & Divinum, ſunt ejus
Conceptio, Nativitas, Vita, & Mors: Sicut igi-
tur conceptio S. Ioannis fuit imago Conceptio-
nis Ieſu, ſic nativitas ejus convenientiam habuit i Luc. 1. 35
cum Nativitate Chriſti. Angelus enim dixit
Mariæ de Jeſu, *Quod naſcetur ex te Sanctum, voca-*
bitur Filius Dei i: Et de S. Ioanne dixit Zacha-
riæ,

riæ, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ* k. Chriſtus natus eſt *Sanctus Sanctorum* l, &, *Sanctus Dei* m, per excellentiam, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* o; Et S. Ioannes natus eſt ſanctificatus per gratiam Ieſu. Ieſus natus eſt ex Virgine p, Ioannes verò è muliere ſterili q. In Nativitate Ieſu, paſtoribus dixit Angelus, *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum*; & alii *cum Angelis* eodem concinunt, *Gloria in excelſis Deo* r: Et in natali S. Ioannis, *ait Angelus, Multi in nativitate ejus gaudebunt* ſ. Canticum illud cecinit *Maria*, *Magnificat anima mea Dominum*: *Et Zacharias prophetavit, dicens*, canendo iſtud aliud canticum, *Benedictus Dominus Deus Iſrael* t. Utraque Nativitas prædicta fuit in Lege veteri à Prophetis, Nativitas S. Ioannis à Malachia u, Nativitas Chriſti ab Iſaia x; annunciata ab Angelo, qui dixit Ioſepho, *Vocabis nomen ejus Ieſum* y; & Zachariæ, *Vocabis nomen ejus Ioannem* z. Et utrumque nomen venit è cœlo, Ioannes idem eſt ac gratia; Ieſus autem, Salvator, & Author gratiæ a. Ieſus manifeſtatus eſt per adorationem Magorum b, & per præſentationem in Templo, ubi cum S. Simeone *Anna Propheti*ſ*ſa loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael* c. Et de S. Ioanne dicitur, *Super omnia montana Iudææ divulgabantur omnia verba hæc. Quis, putas puer iſte erit* d? Ieſus cum Ioſeph *ſeceſsit in Ægyptum, Herodis* e perſecutionem fugiens: *Et venit in omnem regionem Iordanis* f, S. Ioannes adhuc puer. Uterque manſit abſconditus, antequam manifeſtaretur, Ieſus *Nazareth* g *quaſi annorum triginta* h ſpatio; Et S. Ioannes *in deſerto* i Uterque ſuam exorſus eſt prædicationē his verbis, *Pœnitentiam agite* k. Uterque egreſſus eſt è deſerto ad prædicandum l. Uterque convocavit diſcipulos m, S. *Ioannes autem duos de diſcipulis ſuis* n miſit ad Ieſum, quaſi nihil agens & operans niſi propter amorem ejus. Uterque vitium æqualiter corripuit o. Ieſus morti traditus eſt præ invidiâ Synagogæ, *Pilatus ſciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum* q; Et S. Ioannes decollatus eſt *in carcere* per invidiam impudicæ Herodiadis, *Herodias autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum* r. Uterque paſſus eſt ab Herode, qui *miſſo ſpeculatore præcepit afferri caput S. Ioannis in diſco* ſ, Ieſum *ſprevit autem Herodes cum exercitu ſuo; & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum* t. Tandem, Sic inveniuntur inter ſe conformes & ſimiles, ut Scribæ & Phariſæi miſſis ad S. Ioannem Sacerdotibus & Levitis, *ut interrogarent eum, Tu quis es?* eum accipiant pro Ieſu; Herodes verò ſumat Ieſum pro S. Ioanne, dum *ait*, *Quem ego decollavi Ioannem, hic à mortuis reſurrexit* u, *& ideò virtutes operantur in eo* x. Conformitates admirabiles impreſſæ ab ipſo Ieſu S. Ioanni! Magnitudo S. Ioannis ut ſit ſimilis Ieſu ut lux alteri Luci: *Ille erat lucerna ardens & lucens* y, Ieſus autem *erat Lux vera* z.

k Luc. 1. 15. l Dan. 9. 24. m Marc. 1. 24. o Coloſſ. 2. 9. p Luc. 2. 7. q Luc. 1. 57. r Luc. 2. 10. &c. ſ Luc. 1. 11. & 14. t Luc. 1. 47 & 63. u Malach. 4. 5. & 6. x Iſa. 7. 14. y Matth. 1. 21. z Luc. 1. 13. a Jo. 1. 17. b Matt. 2. c Luc. 1. 22 &c. d Luc. 1. 65. & 66. e Matth. 2. 14. f Luc. 3. 3. g Luc. 2. 51. h Luc. 3. 23. i Luc. 3. 2. k Matth. 4. 17. & Matth. 3. 1 l Marc. 1. 12. & Luc. 3. 19. & 20 m Joan. 1. 35. &c. n Matth. 11. 2. o Matt. 11 20. &c. & Luc. 3. 19. q Marc. 15. 9. & 10. r Marc. 6. 28. & 17. ſ Marc. 6. 27. t Luc. 23. 11. u Marc. 6. 16. x Matt. 14 2. y Jo. 5. 35. z Jo. 1. 9.

Præterea, S. Joannes ſimilis fuit Ieſu in ordine gratiæ. Sicut autem tria poſſumus obſervare in imagine; Relationem, quia omne illius eſſe eſt relativum ad rem, quam repræſentat: Dependentiam, eò quòd imago quæ apparet in ſpeculo, pendet omnino ab ipsâ re; Et repræſentationem, quoniam imago ſervit nobis ad repræſentandum nobis exemplar ſuum: Hæ tres qualitates perfectè fuerunt in S. Joanne reſpectu Ieſu; Omne enim illius eſſe, tota vita, & cunctæ actiones illius fuerunt relatio continua gratiæ, honoris, reverentiæ, & amoris ad Ieſum. Non eſt ille niſi propter eum, non fert præ ſe cogitationes niſi de Ieſu, & ob Ieſum, nec habet diſcipulos niſi propter Ieſum; & in totâ vitâ ſuâ, in omnibus officiis ſuis ſe totum retulit ad Ieſum. Hinc interrogatus, *Elias es tu? Propheta es tu? Reſpondit, Non.* Sed ſola Echo, aut *vox clamantis in deſerto*, veluti non habens de ſe ullum eſſe abſolutum, ſed relativum ad Ieſum. Dependens fuit etiam a Ieſu; Vocatur enim, *Magnus coram Domino* a, quaſi trahens ab eo totam ſuam magnitudinem, cùm nihil ſit niſi ab illo. Tandem, Officium ejus ſitum fuit in repræſentando & manifeſtando nobis Ieſu, & in imprimendâ animabus noſtris reverentiâ erga illum. Vivam imaginem gratiæ & ſanctitatis Jeſu in S. Ioanne! S. Ioannes fuit primus Sanctus Ieſu, primus ſanctificatus gratiâ Incarnationis b. Non ſolùm autem miniſtravit in ordine naturæ, ſicut Angeli: non tantum in ordine gratiæ propter ſalutem animarum, inſtar Apoſtolorum; ſed ſpecialiſſimè in ordine Divino unionis hypoſtaticæ.

Conceptio enim ejus fuit veluti diſpoſitio præambularis ad Conceptionem Ieſu, cùm Mariam præparaverit ad conſentiendum ut in ſuo perficeretur hæc ſinu c. Primum ſuſcepit S. Ioannes gratiæ effectum a Verbo incarnatò. Primum ei exhibuit obſequium. Nativitas ejus, vita, prædicatio fuerunt veluti præparatio ad Ieſum introducendum in mundum, eumque hominibus manifeſtandum. Et cùm eſſet ipſe expreſſa imago Ieſu hominis Dei, repræſentavit eum in vitâ ſuâ, in verbis ſuis, & animabus illum impreſſit. Excellentia S. Ioannis, eò quòd ſic excelsè repræſentaverit Ieſum ut imago ſuū exemplar, aut ſicut radius ſuum Solem. Quod edocet nos, debere nos ſociari S. Ioanni Baptiſtæ, ut amemus Ieſum, & miniſtremus ei in terrâ, & ut præ nobis feramus relationem aut convenientiam, dependentiam, & repræſentationem ſanctæ vitæ ejus, ſicut eam præ ſe tulit S. Ioannes.

Ubi obſervate, ſi placet, quòd duplex datur repræſentatio. Una per viam ſculpturæ, reſecando à materiâ id quod ſuperfluum eſt. Altera verò per viam picturæ, addendo colores coloribus, & lineamenta lineamentis, ut perficiatur tabella. Quoad priorem viam S. Ioannes humiliavit & minuit ſemetipſum; Hæc tota fuit ipſius cura, ut humiliaret & deprimeret ſe, ut Jeſum exaltaret, ſicut cùm *confeſſus eſt*, *Quia non ſum ego Chriſtus*: Et denuò interrogatus, *Elias es tu? Propheta es tu? Reſpondit, Non.* Et alibi d, ait, *Illum oportet creſcere, me autem minui.* S. Ioannes e Evangeliſta verò eum elevat, deprimendo illum, & dat ei, reſecando ab illo, dum ait de illo, *Non erat ille lux.* Sicut in Curiâ Regiâ homo incognitus indigebit, ne fortè decipiatur, ut dicatur ſibi, Princeps iſte, aut eximius hic Vir, quem vides ſic ritè ſtipatum atque honoratum, non eſt Rex. Duplex zelus S. Ioannis Baptiſtæ, cùm humiliat ſe, & glorificat Ieſum, ut diſcamus quòd tota noſtra cura & omnis noſtra cogitatio in hoc eſſe debet ſita ut contemnamus nos & nos humiliemus coram Deo & palam hominibus, ut honoremus & glorificemus Deum ante faciem cœli & terræ.

Quoad poſteriorem viam, Ieſus ſuam expreſſit imaginem aut delineavit in S. Ioanne; & hoc picturæ genus fit duobus modis. Priori, per impreſſionem, ut fit in chartâ, & ſicut ſolus poteſt

a Luc. 1. 15. b Luc. 1. 41. c Luc. 1. 36. & 38. d Jo. 3. 30. e Joan. 1. 8

ſe

ſe repræſentare Sol in ſpeculo, aut in ſubjecto pellucido diaphano, cùm aës id non poſſit efficere; ſic ſolus Jeſus ſeſe in animabus imprimit; hoc modo ſemetipſum impreſſit S. Joanni Baptiſtæ in primâ ipſius ſanctificatione; deinde per præſentiam & habitatiooem Mariæ in domo ipſius paternâ *quaſi menſibus tribus* f; & tandem in reliquo vitæ ipſius. Potens & efficax impreſſio vitæ & Spiritus Jeſu ſancto ſuo præcurſori! Poſterius picturæ genus fit per expreſſionem lineamentorom, quod peragitur penicillo colores diſtribuente. Hoc eſt autem quod facimus, cùm exercitio actuum virtutis incumbimus, cùm humilitati, & aliis virtutibus hujusmodi vacamus; Gratia enim non agit totum ex ſemetipſâ, ſed illi cooperari debemus, *Non ego, ſed gratia Dei mecum* g. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus h, *Non ego ſic laboravi propriâ poteſtate, vel tanquam principalis cauſa operum bonorum, ſed gratia Dei mecum operata & auxiliata eſt mihi, ſuitque principalior cauſa bonorum, quam ego ſeu natura mea.* Sic S. Joaones omnium ſe applicuit praxi virtutum, humilitatis, obedientiæ, zeli, puritatis, fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, manſuetudinis, &c. in iis exercendis novitiatum peregit triginta annorum circùm circà. Sed eas excelleotius Jeſus exprimit, cùm diſcipulis Ioannis ad ſe ab ipſo miſſis, *abeuntibus, cœpit dicere ad turbas de Ioanne, Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plùs quàm Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* i. Excellentiæ S. Ioannis publicatæ à Ieſu, qui ait, quòd ille Angelus eſt qui ipſum annunciare debet; & vox quæ ſe audiri faciat, ut vias ipſius paret!

f Luc. 1. 41. & 56.
g 1. Cor. 15. 10.
h Dion. Carth. art. 15. in 1. Cor. 15. 10.
i Matt. 11. 7. &c. ex Malach. 3. 1.

II. Pars.

Diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* k, medias inter revelationes ſuas ait, *Poſt hac vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem* l. Pererius & alii apud Cornelium m id intelligunt de die judicii, cùm Deus *mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magnâ* n. Deinde proſequitur S. Ioannes, *Et vidi alterum Angelum.* S. Ambroſius o id explicat de Chriſto, *Alter Angelus Chriſtus eſt, de quo ſcriptũ eſt: Et vocabitur nomen ejus magni conſilii Angelus.* Et ita ſentit Cornelius p juxtà LXX. Alii id explicant aliter ibidem. Si autem liceat mihi promere quid ſentiam, dicam poſt iſtos Interpretes, hunc Angelum eſſe S. Ioannem Baptiſtam, cùm Chriſtus id aſſerat, *Ecce ego mitto Angelum meum.* Angelus eſt, non naturâ, ſed virtute & officio. Angelus, id eſt, miſſus, & *fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes* q. Philoſophia ait, Res commuoicant extremis. Terra proxima aëri & aquæ, utrique communicat, cùm in exhalationem & vaporem reducatur: Aër vicinus ſphæræ ignis, & terræ, utriusque qualitates partim induit: S. Ioannes eſt Angelus, & plusquàm Angelus, majori enim gloriæ adſcribitur, eſſe aliquid magnum præ virtute, quam per naturam. *Aſcendentem ab ortu Solis.* Quis autem eſt iſte? Niſi S. Ioannes Baptiſta, *Ipſe præibit ante illum* r, qui eſt *Sol juſtitiæ* ſ. Sed *habentem ſignum Dei vivi.* Et quodnam? Niſi virtutem patrandi miracula. Hæc virtus præ ſe fert literas patentes commiſſionis ejus extraordinariæ, cùm ordinaria ſita ſit in eo quòd *fuit homo miſſus à Deo.* Sic autem aſſimilatur ei, ut pro Meſſia habeatur, ſicut dixi ſuprà jam, & confirmatur ex iis quæ reſpondent Chriſto diſcipuli. *Quem me dicunt eſſe homines? Qui reſponderunt illi, dicentes, Ioannem Baptiſtam* t. Quid autem egit Angelus iſte? *Clamavit.* S. Ioannes verò ait, *Ego vox clamantis.* Quid clamat ille? *Nolite nocere terræ, & mari.* Prohibet, ſuſpendit, ita ut nihil ultrà attentetur: Ita ſanctus Ioannes clamat, *Pœnitentiam agite* u, quæ efficit ut Deus arma iræ ſuæ deponat. Clamat præterea, *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui* x. Sed quibus *clamavit? Quatuor Angelis.* Cornelius y referens Aureolum, & Lyranum, ait, *Quatuor Angeli fuerunt quatuor Tyranni tempore Conſtantini, putà Maximinus in Oriente, Severus in Italia, Licinius in Ægypto, Maxentius Romæ; qui tenuerunt ventos, id eſt, Doctores ne diſſeminarent fidem Chriſti.* Et ſanctus Ioannes Baptiſta *clamavit quatuor Angelis*, id eſt, quatuor Magnatibus, qui ut Angeli maligni omnia volebant depopulari, nimirum Tiberio Cæſari, Herodi, Pilato, & Philippo, dum *factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto* z, ut iſtis Tyrannis prædicaret. Inclamat igitur contentâ voce, *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa: & aſpera in vias planas.*

k Joan. 21. 20.
l Apoc. 7. 1 &c.
m Corn. in Apoc. 7. 1.
n Matt. 24. 31.
o S. Ambr. in Apoc. 7. 2. ex Iſa. 9. 6.
p Com. in Apoc. 7. 2.
q Jo. 1. 6.
r Luc. 1. 17
ſ Malach. 4. 2.
t Marc. 8. 28.
u Matt. 3. 2.
x Marc. 6. 18 ex Lev. 18. 16.
y Com. in Apoc. 7. 1.
z Luc. 3. 1 &c.

Quatuor res iter reddunt difficile. Nimirum aſcenſus. Deſcenſus qui corpus deorſum defert præ gravitate. Si in eo occurrant ſentes. Si ibi offendant lapides. Ad parandam Domino viam, auferenda eſt ſuperbia, quæ ſemper vult aſcendere & ſupra ſe ire. Proclivitas ſeu propenſio voluptatis quæ tendit deorſum. Spinæ tollendæ ſunt avaritiæ quæ lacerant & dividunt cor, divitiæ à dividendo dicuntur: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui à divitiis ſuffocantur* a. Et removendi lapides offenſionis, ſeu potiùs indurationis & obſtinationis. Hæc omnia agit S. Ioannes. Valles implet & plana efficit, dum deprimit montes ſuperbiæ, *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira* b? *Id eſt, à diſtricto Dei judicio, & damnatione æterna?* ait Carthuſianus c. *Tanquam dicat, Ita impiè vixiſtis, & securè peccaſtis quaſi Divinam poſſetis effugere ultionem.* Diſponit ad Regem venturum recipiendum. Ut lapidem rite collocet faber cæmentarius, removet quidquid impedit, accipiens normam; deinde lineam facit, & poſteà malleo percutit, & omnia faciat æqualia: *Ipſi tanquam lapides vivi* d debemus ſuperædificari in cœlo, *ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali* e, reſecando à nobis id omne quod eſt contrariom Chriſto, ut imagines ejus ſimus inſtar S. Ioannis. Philoſophi dicunt, quòd oportet ut medium conveniat cum fine. Naſcentes flemus, &, ut obſervatum eſt, morientes emittimus lacrymas. Cur igitur non plorabimus in hac lacrymarum valle? ut quid deliciis diffluemus & voluptatibus? Nudi naſcimur, & nudi morimur: Quare ergo tantâ efferimur ſuperbiâ & ambitione? Primò infantes ſumus; deinde ſenio confecti, in infantiam redimus: Ob quid igitur ſic inſolenter ſuperbimus?

a Luc. 8. 14.
b Luc. 3. 7
c Dion. Carth. a. 8. in Luc. 3. 7
d 1 Pet. 2. 5
e 1. Cor. 4. 10. & 11.

S. Ioannes Evangeliſta proſequitur, *Quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Ut intelligatur, In memoriam revocandum eſt man-

datum

datum quod fecit Deus Ezechieli, cùm *dixit ad eum, Tranſi per mediam civitatem, & ſigna thau ſuper frontes virorum gementium.* Videbantur huic Prophetæ omnia perdita, & annihilandæ reliquiæ Iſraëlis, cùm ipſe clamavit, *Heu, heu, heu, Domine Deus! ergone diſperdes omnes reliquias Iſrael* f?
f Ezech. 9. 4. & 8.
Nequaquam, dixit ei Deus, ſed quicumque ſignatus fuerit ſigno thau, non peribit. Idem agit S. Joannes Baptiſta, *Dirigite viam Domini* g, *prædicans Baptiſmum pœnitentiæ* h, quod idem eſt ac ſignare, cùm ſine hoc ſigno oppeteretur mors, ſicut etiam ſine pœnitentia, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* i. Macti animo, Auditores. Peccaviſtis, actum eſt de vobis, latum eſt decretum mortis adversùs vos; ſed ſi vos pœnituerit, vivetis. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Si autem impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, & non morietur* k. Sed quid eſt iſtud ſignum *thau*? Quidam dicuntur populi uſi tribus characteribus, cùm ſuum eſſent laturi ſuffragium in aliquo judicio: Primò, Corde ſagittâ perforato, ſi in mortem inferendam vergerent: Secundo Literâ λ, Non licet, Non morietur: Tertio, Literâ aliâ Græcâ ϑ, quæ concurrit cum thau quæ eſt litera τ, Ut innocens declaratus talis, ſententiâ abſolutionis extra Curiam poſitus. Pœnitentia iſtud nobis confert beneficium. Aliàs non erat ſermo niſi de rigore l; Hodie verò non fit mentio niſi pacis mediâ pœnitentiâ, quam S. Joannes Baptiſta nobis annunciat, qui ideò ſe vocem nominat, *Ego vox clamantis in deſerto.*

g Jo. 1. 23.
h Marc. 1. 4.
i Luc. 13. 3.
k Ezech. 18. 20. & 21.
l Gen. 18. 23. &c.

Hic eſt ergo titulus, quem S. Joannes ſumit magnitudinum ſuarum, quas ſuper ſua conſtituit depreſſione, cùm humilitas ſit omnium verarum magnitudinum fundamentum; vox quæ ſecundùm naturam ſuam nihil eſt, cum eo ipſo finiatur quo diſcurſus terminatur; vox ex naturâ accidentium. Quid humilius? Vox præterit, & verbum auditum remanet: S. Joannes tranſit, & Jeſus reſtat. *Illum oportet creſcere, me autem minui* m. Vox non eſt ex ſe ipſa, ſic ſanctus Joannes eſt vox Verbi, & nos omnes vox Dei, qui vel unico ſubſiſtere non poſſumus momento ſine ejus auxilio. Mementote illius qui ſuavi demulſus philomelæ cantu, cùm iſtam cepiſſet aviculam, invenit, quòd *vox, & prætereà nihil* eſſet. Idem dicendum de homine: Quantùmvis magnus & elevatus ſit homo, ſi deſtituatur donis naturalibus, quid eſt? *Vox, & prætereà nihil.* Quid eſt homo? Vox. Quid eſt vox? Aër percuſſus, inter dentes & linguam contritus, è pulmonibus pulſus. Homo eſt igitur vox, halitus, *afflatus Dei*, ait Tertullianus n, cùm *Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* o. Homo igitur non eſt niſi vox; S. Joannes autem iſto ſe inſignit titulo præ humilitate, vox verbi, quod eſt Verbum Patris æterni, qui ait, *Eructavit cor meū Verbū bonum* p. In fluvio Jordane autem hæc vox paterna audita eſt, *Et ecce vox de cœlis dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* q. Sed cum hæc vox non eſſet intelligibilis, & hoc Verbum eſſet incōmprehenſibile r, neceſſaria fuit alia vox S. Joannis, *Ego vox.*

m Joan. 3. 30.
n Tert. l. 2. adverſ. Marcion. c. 9.
o Gen. 2. 7.
p Pſ. 44. 1.
q Matth. 3. 17.
r Jer. 32. 19.

Petunt Philoſophi utrum amborum ſit prius, verbum, aut vox. Alii dicunt quòd hæc duo ſint ſimul tempore. Alii diſtinguunt, Verbum eſt prius intuitu mei, qui illud pronuncio; vox autem eſt prior ratione veſtri, qui eam auditis, & ſermo poſterior. Secundùm hoc S. Joannes erat vox prior Chriſto; *Poſt me venit Vir.* Sed ut Sermo Patris, Jeſus erat prior ipſo, *Qui ante me factus eſt: quia prior me erat* ſ. S. Joannes inſervit huic Verbo loco vocis ut illud explicet; ſed hæc vox gloriam S. Joannis exaltat; & cùm per eam ſeſe voluerit S. Joannes humiliare, per eandem vult Deus illum exaltare, oſtendens magnitudinem legationis ejus. Illud enim nomen, Vox tribus conſtans literis, legationem illius magnificat; nam illæ ſignificant tres perſonas SS. Trinitatis. Litera O ſignificat Patrem, quia hæc litera inde incipit quò finitur, more circuli perfecti, *In principio erat Verbum. Hoc erat in principio* t. Ecce circulus, en eſſe rotundum, ecce *α & ω, principium & finis* u Patris. Litera V, quæ eſt compoſita è duabus particulis unico puncto innixis, figurat Jeſum Chriſtum naturam Divinam & naturam humanam, utramq; unico fultam Divino ſuppoſito, præ ſe ferentem x. Litera X, quæ ex duabus pariter conſtat partibus in modum crucis complicatis & connexis, innuit nobis Spiritum ſanctum procedentem à Patre & Filio, ut nexum amoris eorum y. Quid majus?

ſ Jo. 1. 30.
t Joan. 1. 1. & 2.
u Apoc. 1. 8.
x Jo. 1. 14.
y Jo. 15. 26.

Quoad effectus vocis, nihil eſt voce infirmius, ſed nihil etiam validius eâdem voce erumpente è pectore accenſo Amore Divino. S. Joannes eſt vox fortis, non eſt vox delicata, blandiens; ſed vox tonitrui, cujus effectus ſunt ſemper prodigioſi, *Vox Domini* z. Non eſt vox philomelæ, quæ blandiatur auri & verbis electis nihil præ ſe rude ferentibus auditum demulceat; ſed *vox Damiei*, quæ non agit niſi propter gloriam Divinam, quæque conat in deſerto ita ut audiatur in omnibus Judææ civitatibus, *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua* a. Non eſt S. Joannes Prædicator civitatū, nimis quippe rudis eſt, ſed Concionator ſolitudinis, *Vox clamantis in deſerto.* Sed etiam *Vox Domini in virtute*, quæ tremorem incutit Regibus, & terrore Magnates percellit. *Vox Domini in magnificentia*, quæ nihil metuit. Vox S. Joannis eſt præco Verbi, quod cognoſcendum exhibet, *Medius veſtrûm ſtetit* b, nimirum Dei Filius. Eximiam ſcientiam! Oratorios præ ſe non fert flores S. Joannes, ſed *ſcientiam Sanctorum* c, quæ ducit ad cognitionem Dei. *Vox Domini concutientis deſertum.* Videte vim hujus vocis ſemper æqualis in ſuis partibus. S. Joannes eſt ſemper idem. In nativitate eſt Angelus præ puritate, ſine peccato †. Hanc ſanctitatem puer cuſtodit in deſerto, pœnitentiæ incumbens quandiu eam annunciat, *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtre* d. Semper ipſe idem permanet. Quidquid in eo eſt, ſanctitas eſt. Non poteſt de eo dici, *Vox & prætereà nihil.* Jugiter contentâ voce contra vitium inclamat, *Vox clamantis in deſerto.* Sed quid accidit?

z Pſ. 28. 3. &c.
a Matt. 3. 5. & 6.
b Jo. 1. 26.
c Sap. 10. 10.
† Luc. 1. 41. &c.
d Matth. 3. 4.

Refert Plutarchus e, quòd aliàs Galli noſtri animo vigentes intrepido, Romam adeuntes mediâ favente nocte, & mœnia aut rupes aſcendentes, invenerunt cuſtodes ſomnu ſopitos; ſed quòd anſeres ſacri Iunoni dicati, qui ibi alebantur, audientes ſtrepitum Gallorum, ſic exclamaverunt ut cuſtodes excitaverint, & hoc pacto fuerint Galli repulſi. Sed ſubdunt Alii, quòd Senatus ad compenſandam & remunerandam hanc fidelitatem anſerum, & ad puniendos canes

e Plutarch. in vita Furii Camilli.

nes, quibus proprium eſt latrare, decrevit creando Tribunos & Cenſores qui providerent anſeribus neceſſaria, & eis obſonatorem eligerent, & præ honore deferendum unum anſerem aureum per totam civitatem; & econtrà ut canis vivus lacido confixus, & veru confoſſus per urbem portaretur; talis autem erat conſuetudo. Herodes omnino egit contra hanc conſuetudinem, ſanctus Ioannes erat anſer ſacer, Herodias verò erat canis amore fervens impudico. *Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus,* mercedem accipit, *Pete à me quod vis, & dabo tibi.* Sanctus Ioannes vèrò quaſi larido configitur, *Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ,* ait Regi filia hæc impudens, à matre ſuâ inſtitutâ. *Et Rex miſſo ſpeculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco. Et decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in diſco; & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ* f.

f Marc. 6. 22. &c.

Sed nonne hoc idem eſt quod peragitur adversùs Concionatorem ſancto zelo accenſum? Si contra vitium contentâ vòce inclamet, confeſtim ſcommatibus impetitur, per civitatem defertur, unoſquiſque ei detrahit. Et quare? Eò quòd benè fecerit. *Canes muti non valentes latrare* g, clamare debetis adversùs inimicos, eoſque ad fugam capeſſendam obſtringere. S. Ioannes igitur officium anſeris peragit; idcircò vox eſt in natura, in effectibus, & in ſonitu.

g Iſai. 56. 10.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum. Tu quis es? Ecce res valdè delicata. Habetur à Judæis ut Meſſias, & unuſquiſque ei adulabatur, ut officia ſibi poſſet aliquando ejus interventu conciliare; Si Meſſias eſt, inquiebant illi, magnos nos tandem poterit conſtituere. *Et confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. Quid ergo? Elias es tu? Non.* Neque id mirum eſt, ſancte Joannes, non enim es Elias, licèt virtutem ejus in te contineas. *Propheta es tu? Non.* Verum quidem eſt quòd non es Propheta: Prophetæ prædicunt futura, tu verò digito demonſtras, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* h. Sed plusquàm Propheta, *Vtique dico vobis & plusquàm Prophetam* i. Quid mirum ſi ſic ſuaviter tractatus, ita dulciter reſonet, S. Joannes? Sed ſi manus gravis te pulſet, ibi parebit ſonitus tuus k, ſicut in Martyribus, inter quos ne vel ulla audiebatur querela, ut concinit Eccleſia,

h Jo. 1. 29
i Luc. 7. 26
k Marc. 6. 28.

Caduntur gladiis more bidentium,
Non murmur reſonat, non querimonia;
Sed corde tacito mens bene conſcia,
Conſervat patientiam.

Et in Job, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum* l. Satan æmulus gloriæ ejus, illum aggreditur. *Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerva.* O jucunda vox! *In omnibus his non peccavit Iob labiis ſuis* m. Æmuli Judæi Joanni *dixerunt, Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus?* Ha! temerarios & ſacrilegos myſteriorum noſtrorum profanatores! *Quid ergo baptizas?* Nihil ampliùs præſtolantur ab eo, qui ſic reſonat, *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrûm ſtetit.* Hoc eſt tantùm baptiſma diſpoſitionis & præambulare Baptiſmatis Meſſiæ. Imitatur S. Joannes mulieres magnarum & illuſtrium domorum ſupellectili curandæ præpoſitas, quæ approximantibus præcipuis anni Feſtis, omnia linteamina immunda præparant, eaque abluenda & ſapone dealbanda lotricibus tradunt: Sic S. Joannes, adventante jam jam ad nos Dei Filio, parat conſcientias peccatorum immundas, eaſque remittit Chriſto ut earum maculas abſtergat cineribus humanitatis ſuæ, aquis gratiæ ſuæ dealbet eorum animas, & illas ſuarum meritis lacrymarum ſanctificet. S. Joannes enim cum ſuo baptiſmate non habebat poteſtatem dimittendi peccata, ſed tantùm conſcientias diſponebat, *Dirigite viam Domini.* Si verò petatis à me, *Tu quis es?* Reſpondeo vobis, Vos videtis, vos auditis, quòd ſum *ego vox* infirma, & rudis. Ego non baptizo, cùm baptizare ſit proprium Parocho aut Curato officium. Sed vellem quidem more ſancti Joannis diſponere conſcientias, immergere hos magnos peccatores totos impuros & immundos aquis lacrymarum veræ pœnitentiæ, exclamando inſtar illius, *Dirigite viam Domini. Pœnitentiam agite.* Moyſes & Aaron miſſi fuerunt à Deo ad Pharaonem n, ut eum ad pœnitentiam invitarent, ſed noluit hic eos audire. Niniviris cùm pœnitentiam prædicaſſet *Ionas, crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem. Et miſertus eſt Deus* o eorum. Pœnitentia eſt arca Noë, quæ omnia ſalvat p: *Lignum vitæ* q, clavis *David* r, quæ cœlum aperit. Quis ergo recuſabit pœnitentiæ exercitio incumbere, quis ſuæ confeſtim non ſit injurioſus ſaluti? Audienda eſt igitur *vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini.* Eja ergo peccatores, accedimus propè ad feſtum Nativitatis, ſinite ut vos tradam JESU Chriſto, qui cinere Humanitatis ſuæ, aquâ gratiæ ſuæ, & ſapone Divinæ ſuæ miſericordiæ a veſtris vos omnibus liberabit ſordibus & inquinamentis, ipſe *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* ſ, ut *abluti, ſed ſanctificati, ſed juſtificati in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* t, & ſic puri effecti, uniri poſſitis ipſi Puritati u quæ eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

l Job 1. 21.
m Job. 1. 4. &c.
n Exod. 7. 1. &c.
o Jon. 3. 4. &c.
p Gen. 7. 23.
q Gen. 2. 9.
r Iſai. 22. 22.
ſ Apoc. 1. 5.
t 1. Cor. 6. 11.
u Iſai. 6. 3.

FERIA

FERIA II. POST DOMINICAM III. ADVENTVS.

Domine, filia mea modò defunctaeſt ; ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matth. 9. 18. &c,

OMnes homines ſunt hæredes Adæ Protoplaſti ipſorum communis; ſed omnes proficuè non utuntur hæreditate ſibi ab eo relictâ. Sicut ſunt juvenes aliqui nebulones otioſi & æquo liberiores. qui citò diſſipant medias inter diſſolutiones & ineptias bona temporalia, quæ Patres ipſorum ipſis comparaverant præ magna cura per multos annos, quique brevi exhauriunt hæreditatem, quando probi & virtute præditi induſtriâ ſuâ eam utiliter inſumunt ad ingens ſuum commodum: Sic boni & mali qui æqualiter ſunt hæredes Protoplaſti ſui, ſuſceptâ ab eo titulo hæreditatis morte, eâ non utuntur æqualiter; eam ad ſuum inſumunt Boni commodum, quandiu improbi ex ea non educunt niſi infelicitates & infortunia, & ſe opifices ſuæ exhibent jacturæ mediis diſſolutionibus ſuis; *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors* a. Hanc veritatem habemus delineatam in Evangelio noſtro in perſona Iairi Principis Synagogæ Capharnaum, qui cùm vitam præbuiſſet filiæ ſuæ, non poteſt eam à morte eximere. poſt quam adit Dei Filium, cumque deprecatur ut priſtinam reſtituat filiæ ſuæ vitam, quam illa perdiderat propter peccatum primi Parentis, qui omnes ſuos poſteros morti obnoxios effecerat. Comparitur Chriſtus dolori quo afficitur pater hic afflictus intuitu obitus filiæ ſuæ, & ideò eam à morte ad vitam ſuſcitat. Virgo Deipara mortua eſt, ſed mortua eſt præ amore *b*, nullo unquam inquinata peccato *c*, quod eſt principium mortis; ſemper fuit illa *gratiâ plena* d, ut teſtatur Angelus, eo modo quo nos dicimus ei, *Ave Maria.*

a Rom. 5. 12.
b Can. 8. 6
c Cant. 4. 7
d Luc. 1. 28.

Obſoletas legens chartas, duo invenio teſtamenta à duobus variis Teſtatoribus edita. Prius eſt Adami. Poſterius eſt Chriſti. Adam nepotibus ſuis omnibus legat præ teſtamento mortem, *Domine, filia mea modò defuncta eſt.* Chriſtus verò fratribus ſuis natu minimis vitam legat in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento e. *Sed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Prius teſtamentum eſt fatale & infortunatum. Poſterius eſt favorabile & benedictione plenum. Volo igitur edere publicationem teſtamenti. Sed priùs ſciendum eſt qoid ſit teſtamentum. Juriſperiti docent, quòd *Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit,* ut definit Modeſtinus *f*. Inde dixerunt iidem Juriſperiti, quòd teſtamentum eſt quædam immortalitatis animæ imago, quia perpetuam reddit memoriam Teſtatoris apud poſteros, nam cùm voluntas ſit nobiliſſima animæ potentia, iiſdem debet potiri privilegiis; & ſuæ particeps eſſe immortalitatis, quod fit per teſtamentum, quod jugiter præbet ipſi vigorem, & ſemper ipſam facit vivere. *Teſtamentum eſt typus quodammodo & figura immortalitatis, non ab hominis authoritate, ſed à natura ipſa profectum. Nam quando anima, mens, voluntas eſt immortalis, certè non debet etiam, quatenus ad bona attinet, cum mortali corpore extingui,* ait Lexicon utriuſque Juris *g*.

e Jo. 6. 51.
f Modeſtin. in L. 1 D. Qui teſtam. fac. poſſ.
g Lexic. Juris Civil. & Canon. v. Teſtamentũ.

Hoc ſuppoſito, Dico quòd Adam legavit teſtamento ſuo mortem omnibus nepotibus ſuis. Nemo autem dicat, ad reddendum illud invalidum, quòd neceſſariò debuerint ei intereſſe Teſtes, qui teſtimonio ſuo illi conciliarent authoritatem, & validum illud efficerent, & quòd in paradiſo terreſtri nullus eſſe poterat Teſtis, cùm nullus alius ibi eſſet homo. His reſpondeo, quòd Deus ut Judex ſupremus huic interfuit judicio, & quòd Sapientia Divina veluti Tabellio in ſuo codice rationario, ſeu in tabulis ſuis publicis illud ſcriptis exaravit. *Teſtamentum hujus mundi morte morietur* h. Quod ſufficit. Decretum eſt igitur omnes homines, magnos & parvos, divites & pauperes, nobiles æquè ac plebeios morituros: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Teſtamentum mortis eſt validum ob conditiones requiſitas ad verum teſtamentum, quæ materies erunt prioris partis hujus diſcurſus. Et mors cùm ſit inevitabilis, debet eſſe terribilis improbis ob rationes, quæ ſeges erunt poſterioris,

h Eccl. 14. 13.
Diviſio.

Prima conditio requiſita ad teſtamentum, eſt, quòd debeat eſſe juſtum, *Teſtamentum eſt voluntatis juſta ſententia.* Teſtamentum Adæ juſtum eſt. Ubi obſervabitis, ſi placet, quòd miſericordia & juſtitia inveniuntur in omnibus operibus Dei, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia & pax oſculata ſunt* i veluti regulæ, quæ omnibus actionibus ipſius regimen veluti ac modum præſcribant. *Juſtitia quæ eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi* k, Deo honorem qui ei raptus fuerat per peccatum; juſtitia ab eo expoſcit & ſumit mulctam & pœnam, quæ erat obligatio quam Protoplaſtus iſte contraxerat ut obnoxius pœnæ. Pepegerat enim Deus cum Adam, ut ſi ipſe & poſteri ipſius ſua cuſtodirent mandata, victurus eſſet vitâ naturæ, & gratiæ, vitâ beatâ; econtra verò, ſi ſuis refragaretur præceptis, utramque amiſſurus eſſet vitam, animæ æquè ac corporis, *Morte morieris* l. Adam vetito *de fructu comêdit* m, & miſer effectus eſt & mortalis, ſicut & omnes ipſius poſteri. Hæc eſt pœna talionis, quam ſubire compulſus eſt. Sicut enim ſi fidelis fuiſſet, potitus eſſet vitâ naturæ, & gratiæ; factus inobediens, utramque debuit amittere; cùm talio & pœna talionis ſit tantum pro tanto. Sed quomodo? Quòd Adam pereat, & omnis poſteritas illius?

I. Pars.
i Pſ. 84. 11.
k L. 10. de Juſt. & Jur. & Inſtitu. in princ.
l Gen. 2. 17.
m Gen. 3. 6.

Concipite, ſi placet, iſtud. Sicut corde vulnerato, omnes partes corporis dolori illius communicant; cerebrum, quod ſpiritus ſuos animales per totum diffundit corpus, &c. & origine turbidâ effectâ, omnes rivi ab ea manantes, pariter evadunt turbidi; ſic eſt de Adam. Ipſe Caput erat, & omnes poſteri illius agebant in eo voluntate interpretativa; eo conſcio criminis ef-

ſecto, omnes illius poſteri covincuntur ſtatim e-
juſdem ſceleris. Sed quid eſt hoc? Homo pec-
n Iſa. 14. 13 &c. cat, delinquit Angelus n; homo moritur tem-
poraliter, & Angelus æternaliter. Homo pecca-
o Baruch 3 25. vit ſicut Angelus contra Divinitatem quæ *non
habet finem* o, & eorum pœnæ tamen ſunt inæ-
quales. Angelus erat purus ſpiritus, & homo
corporeæ molis ſarcinâ erat gravatus, *Quid eſt
homo, quòd memor es ejus? Minuiſti eum paulominùs*
p Pſ. 8. 5. & 6. *ab Angelis* p. Angelus in Deum inſurgit, homo
reluctatur Deo. *Quàm incomprehenſibilia ſunt ju-
q Rom. 11 33. dicia ejus* q, qui miſeretur hominis, & de Ange-
lo, eodem tempore ſumit pœnas! hunc præci-
pitat, & illi manum præbet; *Venit Filius hominis
r Luc. 19. 10. quærere & ſalvum facere quod perierat* r Id eſt,
hominem; mortem oppetitur ei vitam largia-
tur: Satisfacit pro eo & pro peccatis illius Pa-
tri ſuo. Quamnam miſericordiam!

Iſtud eſt quod validum reddit teſtamentum
Protoplaſti noſtri Adæ, hæc nimirum miſericor-
dia, cui proprium eſt ut miſeros à ſuis ſublevet
miſeriis. Heu in quantas miſeriæ poſt pecca-
tum erat homo redactus anguſtias! Quam exi-
miam miſericordiam! Flagella immittit ad
nos Deus, quæ noſtra affligant corpora, qualia
ſunt peſtis, fames, & bellum. Peſtis, quæ intra
exiguum tempus civitates devaſtat integras, fa-
ſ 2. Reg. 24. 15. milias ferè totas deſolat ſ, è propriis domibus
dominos ejicit, aeremque totum accendit, & in-
quinat: Fames, quæ nos in extremæ deſperati-
onis redigit anguſtias, defectu neceſſariorum ad
tuendam vitam, ut contigit in obſidionibus Sa-
t 4. Reg. 16. 25. &c. mariæ t, & Jeroſolymæ, in quibus matres ſuos
præ fame cogebantur comedere liberos: Bel-
lum, quod noſtris expellit nos è domiciliis,
quod triumphatorum nos efficit victimas, & in-
ſolentiæ eorum ludum, quod ſacra noſtra deſtru-
enda fecit templa, profananda altaria noſtra æ-
què ac myſteria conſtuprandas virgines noſtras,
& violandas mulieres caſtas, non ſecus ac alias
u Dan. 13. 23. Suſannas u, ad ima Sanctuarii, *Miſeros facit po-
pulos peccatum* x. Ex iſtis omnibus nos eripit
x Prov. 14 34. Deus miſeris, mortem nobis decernens obeun-
dam unâ vice poſt timores innumeros. Miſeri-
cordia quoad corpus! Miſericordiâ quoad ani-
mam! Protoplaſtus noſter per peccatū ſuum in
obſcuras lapſus eſt tenebras, quibus fuit intelle-
ctus ipſius Primò ſuffuſus. Secūdò, Volūtas ipſius
repleta fuit malitiâ. Tertiò, Pars ipſius iraſcibi-
lis incurrit infirmitatem, & concupiſcibilis de-
y Gen. 8. 21. fectum, quo medio ipſe *in malum* y pronus eva-
ſit. Quartò, Appetitus inferior inſurrexit ad-
versùs ſuperiorem. Hæc ſunt quatuor vulnera
inflicta nobis à peccato Adæ, à quibus nos peni-
tus eximit interitus. Reperitur igitur miſericor-
dia in hoc teſtamento Patris noſtri.

Quid reſpondetis ad hæc delicati? Nunquid
non moriemini contra teſtamentum Protopla-
ſti veſtri? Nonne querimini ei? Ha! Adam ut
quid non dicebas conjugi tuæ? Sanè pruden-
ter non agis; decipi te ſinis apparentiâ exte-
riori & colore ſplendenti pomi, miſerum me
reddes, & totam poſteritatem meam efficies in-
felicem. Quare non reſiſtebas ei? Non dee-
rant tibi cognitiones, ſciebas apprimè illam de-
ceptam fuiſſe, cur ita ei complacebas, ut, ne ei
diſpliceres, Dei mandatum transgredereris?
Ha! Auditores, idem vobis ego dico; Quando
mundus, aut caro tentationibus ſuis vos impe-
tit, eſt veluti altera Eva; cur ei conſentitis?
nunquid non agitis id ipſum quod corripitis?
Exigua apparentia, ſplendor ementitus vos fal-
lit, & peſſum itis ut complaceatis mundo aut
carni, nedum ei fortiter reſiſtatis. Cavete ne
alteri teſtamento Luciferi vos ſubjiciatis, *Me-
mor eſto, teſtamentum inferorum quia demonſtratum* z Eccl. 14. 12.
eſt tibi z. Peccatum nos obſtringit ad illud. No-
lite ergo allegare teſtamentum Patris veſtri,
cùm juſtum ſit; & intentio ejus manifeſtetur,
quæ eſt ſecunda conditio, quæ validum facit te-
ſtamentum.

Intentio eſt veluti lex. Teſtatore ſemel
mortuo, durat illa ſemper, voluntas ejus eſt æ-
terna. Hoc non ait Juriſperitus, ſed Apoſto-
lus a, *In omnes homines mors pertranſiit*. Non ait, a Rom. 5 12.
pertranſibit, aut pertranſit; ſed, *pertranſiit*, in
præterito. Hoc eſt decretum pronunciatum
quod *tranſiit in rem judicatam*, de domo in do-
mum, univerſi in eo comprehenduntur; cùm e-
nim Teſtator nullam agit mentionem illius
quod ipſe legat in particulari, omnes hæredes
illi communicant æqualiter. Adam ſuum con-
didit teſtamentum, & ſuas ultimas manifeſtavit
voluntates. Omnes homines æqualiter ſunt il-
lius hæredes, pauperes & divites, magni & par-
vi, nobiles & ignobiles, &c. Univerſæ crea-
turæ in eo ſua habent legata; omnes enim de-
bilitatæ ſunt per peccatum: Terra gravior e-
valit & minùs fertilis: Aqua craſſior eſt & mi-
nùs diaphana; Aſtra minorem præ ſe ferunt
ſplendorem, *In omnes homines mors pertranſiit*.
Mundus iſte eſt veluti comœdia, in qua unus-
quiſque ſuam perſonam agit; Iſte Regis per-
ſonam ementitur: Ille verò perſonam mendici
induit: Scenâ peractâ unuſquiſque diſcedit,
nemo eſt qui non diſpareat, indifferenter om-
nes recedunt, *Quià non eſt reſpectus morti eorum* b. b Pſ. 72. 4.
Nullus relinquitur modus declinandi ab ea, ex-
equendum eſt hoc teſtamentum Patris noſtri.
Sed caveamus evitare infelix iſtud teſtamen-
tum Luciferi, in quo omnia infortunia reperi-
untur comprehenſa. Hic exiguus invenitur
dolor capitis, ibi anguſtiæ ſunt interminabiles:
hic eſt modica febris, ibi perperi eſt *ignem æter-
num*. Hic eſt aliqua pœna, illic oportet ſuſti-
nere *ſupplicium æternum* c, quod complectitur c Matth. 25. 41. & 46.
infinitam æternitatis infelicis durationem. Æ-
quo igitur morem geramus animo, Patris noſtri
teſtamento; diſponamus nos ad ejus executio-
nem quæ eſt ſine exceptione, quæ eſt tertia
conditio, quæ validum efficit teſtamen-
tum.

Nam primò oportet ut teſtamentum ſit ju-
ſtum. Secundò, ut manifeſtatâ intentione Te-
ſtatoris, non poſſit illud infringi. Tertiò, ut ſit
ſine exceptione. Teſtamentum Patris noſtri ta-
le eſt. Primò enim juſtum eſt, quia Deus ut Ju-
dex ei interfuit. Secundò, Manifeſtatâ ſemel
intentione Teſtatoris jam mortui, non poteſt il-
lud infringi, nam decreta Dei ſunt æterna, ſicut
eſſentia ejus eſt immutabilis, *Dicit Dominus exer-
cituum: Ego Dominus, & non mutor* d. Tandem, d Malach. 3. 5. & 6.
Illud eſt ſine exceptione, cùm omnes homines
indiſcriminatim complectatur, *In omnes homi-
nes mors pertranſiit*, ait S. Paulus e. *Dixitque mu-* e Rom. 5. 12.
lier Thecuitis ad Regem, Omnes morimur, & quaſi a-
qua dilabimur in terram, quæ non revertuntur f. In- f 2. Reg. 14. 9. & 14
ter Romanos veteres duplex admittebatur hæ-
redum genus. Alii erant neceſſarii. Alii verò
voluntarii & liberi. Iſti voluntarii erant pro
hominibus liberis, conditionis liberæ, & hi po-
terant

Digitized by Google

teſtant ſuſcipere & recuſare hæreditatem. Illi verò ut neceſſarii, quales erant ſervi, tenebantur ad eam capeſſendam. Adam condit teſtamentum, quod nos omnes aſtringit neceſſariò, hæredes nos ſumus illius, & ejus teſtamento alligati, [g Rom. 6. 17.] quia omnes *ſervi peccati* g ſumus. Solus Jeſus [h Pſ. 87. 4.] Chriſtus *inter mortuos liber* h, illud acceptat liberè, voluntariè præ amore, *Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem Deus voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in* [i Pſ. 39. 8. & 9.] *medio cordis mei* i. Quaſi diceret, nihil aliud in votis habeo, Pater æterne, niſi ut divinæ voluntati tuæ ſedulò & exactè morem geram; eamque in omnibus, & per omnia, & ubique perficere ſatagam, ſicut ſcriptis exaratum eſt in libro æternæ prædeſtinationis tuæ, & in voluminibus Scripturæ ſacræ, quæ meum prædicit adventum, & obedientiam, quam libenti exhibiturus tibi ſum animo; & quia agnoſco voluntatem tuam eſſe talem, te nimirum decreviſſe, ſalutem humanam meo interventu operari; libentiſſimè diſpono me ad exequenda ea quæ tibi placent, præ amore; nec aliam præ me fero voluntatem niſi tuam; & tua lex ſic eſt cordi meo impreſſa, ut ab eâ recedere non poſſim, paratus offerre tibi hoc, quod ſuſcepi à te, corpus.

[k Pſ. 9. 1.] Ubi David k in principio Pſalmi pro titulo [l Theodoret. in Pſ. 9. 1.] ponit, *Pro occultis Filij*: Theodoretus l ait: *Symmachus quidem, Triumphalem de morte Filij: Aquila vero, Victoriæ Auctori juventutis Filij: Et Theodotion, de florida ætate Filij. Concordiſſime igitur omnes facientes de Filio mentionem, docent nos, quòd hic etiam Pſalmus continet prædictionem victoriæ, quam Dominus Chriſtus contra mortem conſecutus eſt.* Quaſi diceret Theodoretus, quòd Chriſtus hoc teſtamentum mortis à juventute ſuâ amplexus ſit, juxta [m Pſ. 87. 16.] iſtud, *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea* m. Ubi videtur Jeſus queri Patri ſuo æterno, dicendo ei, Heu! Domine, nonne ſufficit tibi quòd à teneris annis meis ſemper miſer fui, & creſcente ætate adauctis infirmitatibus meis, vix parvam conciliavi mihi famam, & agnitus [n Joan. 7. 46. &c.] fui ab hominibus n, cùm ſtatim ab hâc exiſtimatione decidi, & tantis impetitus ſum tribulationibus, ut dici poſſim *opprobrium hominum & abje-* [o Pſ. 21. 7.] *ctio plebis* o, *exaltatus autem, humiliatus ſum & con-* [p Pſ. 87. 16.] *turbatus* p? Dei Filius reclinatus *in præſepio* q, ab [q Luc. 2. 7.] ipſâ Nativitate ſua ſe convertit ad mortem; & vix incepit vivere, cùm mori cœpit, veluti nos hæredes faciens hujus teſtamenti neceſſarios. [r 2. Reg. 14. 14.] *Omnes morimur* r. *Quotidie morior* ſ. Re enim verâ [ſ 1. Cor. 15. 31.] ſingulis diebus amittimus aliquid illius quod ſumus, *Teſtamentum hujus mundi morte morietur* t. [t Eccli. 14. 13.]

Tria hominum genera hoc invalidum facere vellent teſtamentum: Avari, Invidi, & Superbi. Avari, qui ſemper mentem ſuam habent terræ alligatam, eorum *ubi eſt theſaurus, ibi & cor* u. [u Matth. 6. 21.] Hinc avaritia vocatur *Simulachrorum ſervitus* x. [x Coloſſ. 3. 5.] Quia avari ſunt idololatræ, impendentes creaturis adorationes, quæ ſoli Deo debentur y, omnia [y Exod. 20. 3.] habere volunt, nullum alium agnoſcunt Deum præter theſauros ſuos; nihil dant, quia omnia volunt; poſt mortem verò *relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æ-* [z Pſ. 48. 11.] *ternum* z. Et tunc bona injuſtè & per nefas comparata, reddenda ſunt eis, ad quos pertinent, nedum ex iis, erogentur pauperibus eleemoſynæ, quæ de bono fieri non debent alieno. Invidus omnia torvis & malignis intuetur oculis, rabie excæcatus & tuſſiens ob felicitatem proximi, nec unquam vellet mori, cuncta coacervans quaſi eſſet immortalis. Superbus extollit ſe ſupra omnes, & libenter excuteret executionem hujus teſtamenti. Job, qui ſedebat in throno, a, & [a Job. 1. 3.] *in ſterquilinio* b, de eo ait, *Si aſcenderit uſque ad cœ-* [b Job. 2. 8.] *lum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit; quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent, Ubi eſt* c? Quidquid faciant hi omnes, o- [c Job. 20. 6. & 7.] portet ut exequantur teſtamentum Patris noſtri. Avarus ſuos invitus deſerit theſauros, & dicitur de eo, *Ubi eſt*? Quid autem eſt de divitiis & poſſeſſionibus ejus? Invidus, qui omnia volebat, nihil aufert, & peritur, *Ubi eſt*? Superbus diſſipatus eſt & evanuit more fumi, nulla fit ampliùs ejus mentio, *& dicent, Ubi eſt*? In omnes inſurgebat omnibus ſe præponebat, videbatur immortalis, & ecce obligatus remanet ad exequendum teſtamentum Patris ſui. Conſtat igitur, omnes eos huic alligatos eſſe teſtamento.

Soli duntaxat nobis aperiendi ſunt oculi, ut videamus, nos eſſe mortales, & obligatos ad hoc teſtamentum; Exempla autem nimis ſunt familiaria & ordinaria, nedum de iis nos ſinant ambigere. Moyſes d tamen aliquid amplius ultra [d Deut. 32. 28. & 29.] oculos petit à populo ſibi commiſſo, id eſt, validas conſiderationes, *Gens abſque conſilio, & ſine prudentiâ. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Et quare? Antiqui Philoſophi Platonici dixerunt, altiſſimam & eminentiſſimam Philoſophiam eſſe conſiderationem mortis & ad eam nos pervenire per ſapientiam, quæ *eſt cognitio per altiſſimas cauſas*. Per eam enim elevantes nos uſque ad cœlum, invenimus, Deum ſolum eſſe immortalem, *Qui ſolus habet immortalitatem* e. Et licèt Angeli ſint immortales, hoc fit [e 1. Tim. 6. 15.] per gratiam ſpecialem Dei, qui iſtud primum entium creatorum f poſſet annihilare, ſi vellet. [f Gen. 1. 3] *Utinam ſaperent* igitur ad agendam hanc reflexionem, elevantes ſeſe ad cauſas uſque ſupremas, ut deſcenderent ad ſemetipſos uſque, ubi viderent principium defectus; *Saperent, & intelligerent.* Intellectus eſt lux, habitus, facilitas ad exerendas operationes intellectuales. Intelligere, ajunt Ethimologiſtæ, eſt intùs legere. Sed deſeramus Metaphyſicam, ut adeamus Logicum, qui huic veritati claram præbebit lucem.

Aſſerit Logicus, quòd *totum eſt majus ſuâ parte*. Quòd compoſitum reſolvi debet in partes ipſum componentes. Cùm homo ex quatuor conſtet elementis, in ea neceſſariò reſolvi debet, *Tempus reſolutionis meæ inſtat* g, *id eſt, mortis in pro-* [g 1. Tim. 4. 6.] *pinquum eſt* h, ait Dionyſius Carthuſianus. Phy- [h Dion. Carthuſ. in 2. Tim. 4. 6.] ſicus ait, quòd tria dantur principia rerum naturalium, Privatio, Materia & Forma. Privatio quæ non eſt purè negativa, ſed poſitiva; privatio quæ non eſt niſi nihilum poſitivum. Ecce, Mortales, id quod nos ſumus. Materia non eſt ferè quid amplius hujuſmodi privatione, cùm ſit ens imperfectum, quod mutatur adveniente formâ. Hæc autem forma eſt etiam quid exile. *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Hanc ergo Moyſes jure merito requirebat in populo ſuo cognitionem, quâ cerneret ſe eſſe mortalem, & obligatum ad exequendum teſtamentum Protoplaſti ſui Adæ, & ut ſic diſponeret ſe ad terminandos feliciter dies ſuos. Hæc autem eſt differentia Bonorum & malorum: Boni enim proficue utuntur hæreditate Patris ſui, quandiu mali ſuam moliuntur jacturam, cùm mors, quæ ipſis eſt inevitabilis propter iſtud teſtamentum, ſit ipſis terribilis ob rationes, quæ poſterioris hujus partis facient ſegetem.

Digitized by Google

II. Pars. Prima ratio, quæ inducit me ad dicendum, mortem eſſe terribilem improbis, eſt valida inclinatio, quâ omnia Entia ducuntur ut uniantur centris ſuis, ubi quietem ſuam nanciſcuntur; vix autem ab eis avelluntur, cùm ſtatim maximas ſuſtinent violentias. Id videmus in omnibus rebus, v.g. Si lapidem e terra elevetis ſurſum, non eſt ille in proprio loco, ſeparatus eſt a centro ſuo & utiic in ſtatu eſt conſtitutus violento. Et lignum viride in ignem projectum, veluti lacrymas emittit, quaſi doleat; ignis enim qui debet ipſum conſumere & dividere à ſuo toto, eſt ipſi violentus. Ideò bruta conte ... â voce inclamant, ſi percutiantur. Propterea ... ictum ſeoit quis, dum ipſum momordit canis. Idcircò immodicis angitur aliquis doloribus, dum ab ipſo dens radicitùs avellitur, cùm pars ſeparari non poſſit à toto, cui unita erat, niſi præ violentiâ ingenti & maximo dolore. Cùm igitur anima ſeparanda ſit è corpore ſuo, quocum ſic ſtrictum pepigerat fœdus, & ita intimam contraxerat unionem per tempus ita diuturnum, non poteſt quin dolores patiatur immodicos ipſo puncto diviſionis compoſiti, quod eſt ratio propter quam mors eſt terribilis. Si enim res quæ ſolum habent eſſe ſimplex, vegetativum, aut ſenſibile, ſeparantur violenter à centro ſuo; & animalia in querelas erumpunt ſuo modo, cùm ex eo educuntur, quidnam debet eſſe de animâ rationali? Quo dolore angitur improbus homo bis extremis momentis, cùm videt ſibi diſcedendum eſſe! quanta perpetitur! & quam faſtidioſa eſt ipſi hæc diviſio! Sanè æquè moleſta ac unio erat ſtricte. Et ſicut anima nihil æquè quærierat ac commoda hominis nefandi, & nihil eſt quod non agar ipſa ed foveodam hanc unionem, ſi Sacerdos ægros inviteus, loquatur eis de Deo, de gloriâ paradiſi, ſtatim iſti ſomno ſopiuntur; ſi autem Medicus accedat, & tractet de ipſorum curandis morbis, confeſtim e ſomno redeunt, & ſuſcitantur hilares. Unde oritur illud? Velletne peccator damnari? Nequaquam. Sed iſtud procedit ex magno affectu, quo quis ducitur, cuſtodiendæ hujus unionis animæ cum corpore, cujus diſſolutio non niſi vix ſuſtineri poteſt.

i Pſ. 6. 5. Hanc proponebat David i Deo ſupplicationem, *Convertere Domine, & eripe animam meam.* Quid poſtulas magne Princeps? Num ut tuam Deus educat animam, quæ affectu adhæret Bethſabee k? quia, ut vulgò dicitur, *Anima plùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Sunt etiam è contrà *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur* l. Nequaquam Quid igitur? *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui* m. Sed cur homines ſuam non quærunt operari ſalutem? quare cœleſtia non cogitant? Ratio iſtius eſt, quia ſolam ſatagunt cuſtodire hanc unionem corporis & animæ, cujus diſſolutio ſic eſt difficilis. Videte otioſum & nequam hominem, extremum jam jam efflaturum vitæ halitum, & obſervate quomodo ejus oculi caligine offunduntur, frons induratur, naſus acuitur, os pallet, dentes nigreſcunt, pectus non reſpirat ampliùs, pedes extenduntur, brachiaque inclinantur: qualem dolorem! ſimilem ſanè illi, quo anxiatur reus qui ducitur ad furcas, jam jam patibulo ſuſpendendus, ſcalæ inſidens, & mox ab eâ excutiendus à carnifice, mens ejus obſcuratur, memoria turbatur, vox vacillet, facies ſudat & pallet, quia interitus eſt terribile patibulum; iſte homo extremum agens agonem, in cubili decumbens, eſt veluti patibulo affixus, nihil ipſi ſupereſt niſi ut expiret, iiſdem vexatur anguſtiis quibus reus iſte. Interitus eſt terribile patibulum, ad quod properas, peccator, & id non advertis; cubili ita es alligatus ut inde non ſis deſcenſurus niſi ut efferaris; in eo es quaſi ſcalæ inſidens, ab eâ jam jam deorſum excutiendus, & de ſalute tuâ non cogitas. Deliciis indulges & diſſolutionibus, & fortaſſis è conviviis ad mortem deſcendes abſque Confeſſione, in ſtatu peccati mortalis conſtitutus; è morte naturæ ad mortem gehennæ; hinc gladio transfoſſus exiens; ex hâc recedens ſaltatione, in quâ criminosè vidiſti id quod licitè non poteras concupiſcere, ad mortem celeriter curris, nec de eâ cogitas. Iſti moriuntur morte corporis & animæ, morte naturæ & gratiæ, diſſolutione compoſiti, qui in ſtatu hujuſmodi conſtituti è vivis recedunt.

k 2. Reg. 11. 2. &c.

l S. Dion. lib. de div. Nom. c. 4.

m Pſ. 6. 6.

Secunda ratio, quæ mortem terribilem impiis exhibet, eſt derelictio omnium rerum ipſis peragenda, quia quò major eſt affectus quo amatur aliquid, eò derelictio illius difficilior eſt, & ſeparatio gravior. Videte duos amicos ſtricto amicitiæ vinculo unitos, videtur eis cor eripi quandiu ſeparantur, *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David* n. Ha! impius aliquis vehementer amabat terram, cogitationes ejus erant ad terram, affectus illius erga terram, ideò appellatur ter, *Terra* quoad corpus. *Terra* quoad animã. Et, *Terra* o quoad affectus. Sed diſcedendum eſt tandem. Senſibilem ſeparationem! deſerenda ſunt omnia, nec aliquid auferendum præter linteum aut ſudarium, quo cadaver involutum efferendum eſt. Avarus iſte, qui per fas perque nefas omnia volebat, iſte ſceleſtus *homo cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus* p. Splendor ejus & theſauri illius deſerent ipſum in morte ſuâ. Quo pudore ſuffundetur impius! Villæ ejus, domus illius campeſtres, in quibus deliciari conſueverat, uxor quæ illius ſolabatur faſtidia, liberi, amici, naturæ bona, ſanitas, vita, libertas ſenſuum & functionum eorum, bona fortunæ, divitiæ, quin imò & bona gratiæ, hæc univerſa ab eo auferentur. Hoc eſt, quod ſentit Salomon, dum ait, *In malitia ſua expelletur impius* q. Et alibi dum ſic fatur, *Cogitationes impiorum eradicabuntur* r. Id eſt præ violentiâ evellentur non ſecus ac illæ magnæ arbores, quæ videntur eſſe immortales, & adverſus omnes tempeſtates inconcuſſæ, quæ validis agitatæ turbinibus ventorum eradicantur, aut applicatâ & infixâ radicibus ipſarum ſecuri pluries, dejiciuntur, & tunc ramis & foliis ſuis deſtituuntur, ſic impius eradicabitur, nedum ſperare poſſit ſe unquam ad priorem ſtatum reſtituendum, ſpoliabitur & nudabitur. Quàm horribilis eſt igitur mors hominis improbi! Romani, etiamſi ſuperſtitioſi, habebant auguria, quæ erant felicia & vera in præſagiis ſuis. Cùm caſtra erant ipſis movenda, & auferendi papiliones bellici, ſi paxilli ſine reſiſtentiâ & difficultate eruebantur è terrâ, erat hoc præſagium victoriæ; ſicut è contrà ſi reluctabantur, præſagium jacturæ: *Militia eſt vita hominis ſuper terram* ſ. In eâ ſumus veluti ſub papilionibus, affectus noſtri ſunt veluti paxilli, ſi cùm ſpiritualiter movenda ſunt caſtra, & canendum eſt receptui, paxilli affectuum noſtrorum, quibus innituntur papiliones, facilè & ſine labore eruuntur, di-

n 1. Reg. 18. 1.

o Jer. 22. 29.

p Pſ. 48. 18.

q Prov. 14. 32.

r Prov. 15. 5.

ſ Job 7. 1.

cen-

cendo, Vocate mihi Confeſſarium, &c. Tabellionem, &c. Præſagium eſt victoriæ, & nota animæ prædeſtinatæ; è contrà ſi reſiſtant paxilli, ſi difficultas inveniatur in amplectendâ morte obviâ, præſagium ruinæ, & ſignum reprobationis.

Ponite vobis ob oculos mentis peccatores ut Regem Agag jamjam immolandum coram Saule, auſcultate in quaſnam erumpat miſerandus Princeps ille querelas, mortem vicinam oppeliturus, *Siccine ſeparat amara mors t?*
t 1. Reg. 15. 32.
Uxor mea chariſſima, liberi mei dilectiſſimi, ſi diutiùs vixiſſem, ampliora vobis reliquiſſem fortunæ bona. *Siccine ſeparat amara mors?* Voluptuoſe, avare, ambitioſe, ecce mors. Heu! quantos dolores! *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis u!*
u Eccli. 41. 1.
x Amos 6. 4. &c.
In hujuſmodi æquo liberiores & otioſos invehitur Amos x homines, *Væ qui dormitis in lectulis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: væ qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* Infelicitas irruat ſuper vos qui ſummum manè inter dormiendum inſumitis, nedum veniatis ad concionem, qui faciem veſtram pigmento adornatis, quaſi corrigere velitis opus Dei, qui vos *creavit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam y. Filij hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium z?*
y Gen. 1. 27.
z Pſ. 4. 3.
Aperite oculos, antequàm hoc vobis accidat infortunium, declinate ab horrore hujus mortis, præ diſſolutione compoſiti, derelictione omnium, & rigore judicii.

Hæc eſt tertia ratio propter quam mors ſic eſt terribilis, quam mallem equidem lacrymis, quàm verbis exprimere. Undenam oritur iſte timor, quo correpti extremum mortis agonem agentes, toto corpore contremiſcunt? Inde ſanè quia quandiu vivimus, ſynderesim extinguimus, & vocem ejus audire nolumus a; ſed ubi mors imminet, excitatur illa demùm, & nobis noſtras improperat perfidias; & inde procedit timor judicii, cùm criminoſos nos intueamur;
a Prov. 1. 24. &c.
timor enim eſt apprehenſio mali imminentis, quod ubi magnum eſt, & timor pariter eſt immodicus. Nihil terribilius ſententiâ Judicis irati, qui noſtrorum enormitatem videt criminum. Hæc ſynderesis, quæ fuerat extincta, ſuſcitatur iterùm, nec unquam moritura eſt ampliùs. Nihil intuetur peccator juxta cubile ſuum niſi vultus triſtes, & candelam accenſam, ſeu cereum benedictum ardentem mortis vicinæ prodromum; nihil audit niſi ſuſpiria & gemitus; & internè ſævioribus torquetur anxietatibus. Interroganti aliàs Carolo Magno Magiſtrum ſuum, quænam res eſſet ira Dei; reſpondit Magiſter, *Eſt fecialis Ira Divina.* Alludens ad id quod ait Calepinus b, *Feciales, Dicti à faciendo (et author eſt Feſtus) quòd belli pacisque faciendæ penes eos jus erat, φετιαλεῖς. Neque enim licebat bellum inferre, niſi id & juſtâ causâ ſuſceptum declaraviſſent, & priùs indixiſſent. Et priuſquam indiceretur bellum iis, à quibus injurias factas ſciebant, feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant.*
b Calepin. in Diction. v. feciales.
Ita ſe gerit Deus adversùs peccatores, quibus infenſus eſt, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum c.*
c Iſai. 59. 2.
Miſit ad eos legatos quatuor Evangeliſtas, ſuos Oratores Sacerdotes, qui illos reconcilient ſibi. Eos adeunt Sacerdotes, ferentes Oleum ſanctum, illosque *Oleo* d ſacro ungunt; quia Eccleſia non judicat niſi de exteriori; Confeſſionem excipiunt horum peccatorum, qui tamen ſacrilegia perpetrant, eò quòd non omnia detegant, & fœnora ſua pallient; ſed interior ſynderesis ipſos excruciat. *Terrores Domini militant contra me e.*
d Jacob. 5. 14. &c.
e Job 6. 4.
Inferos intuentur apertos, & dæmones ſeſe expectantes. Quantus terror! quàm horribilis eſt iſta mors! Diaboli gaudent, dicentes, Præda nobis fient iſti; abyſſi aperiuntur ut eos deglutiant, *Pericula inferni invenerunt me f.*
f Pſ. 114. 3.
Medias inter tranſegerunt dies ſuos peccatores delicias, *Suavis eſt homini panis mendacij: & poſteà implebitur os ejus calculo g.*
g Prov. 20. 17.
In hoc mundo nihil guſtaverunt præter voluptates & delicias, ſed horâ mortis imminente panis iſte in lapides convertitur, qui digeri non poſſunt: *Metaphora ſumitur ab his, qui panem praduris lapillis plenum comedunt, qui inter mandendum dentes magno cum dolore rumpunt, & extrudunt,* ait Salazar h.
h Salazar in Prov. 20. 17. n. 60. & 63.
Qui ſubjungit, *Ex his intelliges, cur illorum conſcientiæ, quibus leviores culpæ, aliquando etiam nulla magnam curam inceſſunt, ſcrupulos habere dicentur. Metaphora enim ſumitur ab Aurificibus, aut Medicis, qui ad res pendendas minutiſſima adhibent pondera. Nam ſunt aliqui timoris expertes, apud quos ne grandia crimina in lancem veniunt, quia ad hæc etiam librandis ponderibus, hoc eſt, juſtâ æſtimatione carent.* Iſti igitur viventes indiſcriminatim ſine pondere, ſine conſideratione, omnia volunt deglutire; ſed poſt mortem, maximas experientur anguſtias. Antiqui utebantur lapillis, quos calculos vocabant, ad adnotandos dies Candidi inſerviebant ad ſignandos dies fortunatos; nigri verò infauſtos indicabant. Candidis calculis ſuas inſigniebant victorias & triũphos, ad quod refertur illud, *Qui vicerit, dabo ei calculum candidum i.*
i Apoc. 2. 17.
Improbi in vitâ ſuâ ſuos adnotaverunt dies candidis calculis proſperitatis, gaudii & felicitatis; ſed horâ mortis advenienie, eos lapillis atris adnotant, quibus ſuam præſagiant infelicitatem, ut ait idem Salazar k, *Si quis acceptis contra fas opibus ſuaves ac voluptate plenos dies tranſegit, ita ut ſingulos candidis lapillis adnotare poſſit, tandem aliquando dolebit, tunc ſcilicet, cùm morti proximus, aut poſt mortem jam damnatus, anteactos dies, & rapinas furta, & peculatum in his admiſſos memoriâ repetet, verſabit, diſtribuet, concidet. Nam calculos mandere, & conterere, nil aliud eſt, niſi dies ſuperiores in deliciis actos memoriâ volvere & revolvere.*
k Salazar in Prov. 20. 17. n. 61. & 62.
Ideircò Deus ait, ut improborum infelicitatem oſtendat, *Ecce dies veniunt; & mittam famem in terram, non panis famem, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. In illâ die deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti l.*
l Amos. 8. 11. & 13.
Tunc deſiderabunt, & renuetur eis verbum unitum. Contempſerunt illud; tunc illud habere volent, & non habebunt illud.

Cùm igitur, Auditores, mors ſit inevitabilis & ſic terribilis, diſponamus nos ad eam, ſicut expedit, ut ritè exequentes hoc teſtamentum Protoplaſti noſtri, declinemus à teſtamento Luciferi, quod editum eſt adversùs peccatores in peccato lethali morientes. Chriſtus etiamſi liber, mori voluit, & moriens pro nobis aliud condidit teſtamentum ſuper altari m, teſtamentũ vitæ, quod ipſe confirmavit moriens in Cruce, ubi ait, *Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.*
m Matth. 26. 28. &c.
In cruce ſua brachia elevat ut nobis benedicat; benedicit Eccleſiam, quæ vidua Sponſo ſuo remanens, cœleſtem cibum alendis filiis providet. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam, ſicut decet illorum miniſterium, & Sancti tui exul-*

Digitized by Google

[n Pſ. 131. 15.&9.] *vitent* n propter hoc teſtamentum, quod in ſortem illis advenit. Heu! quanto perfundiemur gaudio, cùm Crucifixum præ manibus noſtris habentes, dicemus Patri æterno, *Reſpice in faciem Chriſti tui* o. [o Pſ. 83. 10.] Propter amorem Filii tui, Teſtatoris noſtri, miſerere noſtri; brachia habet elevata verſùs te pedes alligatos ut nos expectet, & latus p apertum, ut nobis pandat aditum ad te adeundum; vulnera ejus ſunt veluti ora clamantia, [p Joan. 19.18. &c] & gratiam à te poſtulantia in noſtri favorem, in hâc vitâ, ut tandem ſit noſtra *portio in terrâ viventium* q per gloriam in alterâ vitâ. [q Pſ. 141. 6.]

FERIA III. POST DOMINICAM III. ADVENTVS.

Domine, filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matth. 9. 18. &c.

[a S. Chryſoſt. orat. in Petrum & Paulum.] S. Chryſoſtomus a nuncupat S. Paulum, tubam, citharam, & vocem: *Paulus magnus præco veritatis, lyra, organum Dominicum.* Ait illum eſſe tubam ad terrendos peccatores: citharā ad demulcendas & conſolandas bonas conſcientias; & vocem, quâ diverſis prædicaturus populis, varios præ ſe mores ferentibus, diverſimodè uteretur. Peccatores alloquens, debebat eos edocere quātum malum eſſet peccatum, quod cauſat mortē naturæ, gratiæ & gehennæ, & ſermonem ſuō ad Bonos dirigens, eis è contrà debebat oſtendere, quòd gratia præbeat vitā naturæ, gratiæ & gloriæ. Jairus Princeps Synagogæ Capharnaō adit hodie Dei Filium, eumq. deprecatur ut priſtinā defunctæ filiæ ſuæ largiatur vitam, & miraculum operetur in gratiam ipſius, reddens patri deſolato eā, in quâ ipſe ſibi complacebat, denuò viventem. Ipſi videtur ſatis ſi Dei Filius imponat ſuam *manum ſuper eam*, ut vivat, & credit quòd ſolus illius tactus vitam poſſit ei reſtituere corpoream eâdem facilitate quâ vitam largitur ſpiritualem animabus noſtris, cùm ab eis expellit peccatum figuratum in hâc morte, per gratiam ſuam quæ [b Joan. 1.17.] *per ipſum facta eſt* b, & cujus plenitudinem ipſe conceſſit Virgini ſacratiſſimæ Genitrici ſuæ, cùm carnem ſumpſit humanam in puriſſimis ejus [c Luc. 1 28.&38.] viſceribus c eo momento quo dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

Quatuor invenio civitatum genera ſecundùm quatuor ſtatus & diverſas conditiones hominum qui illas incolunt; Orbem, Eccleſiam militantē, Eccleſiam triumphantem, & Infernum. Et ſtatutæ ſunt Leges ſubeundæ in quâ libet ex iſtis civitatibus. In civitate hujus mundi viciſſitudo & inſtabilitas. *Non enim habemus hic manentē civitatē:* [d Hebr. 13.14 ex Mich. 2. 10.] *ſed futuram inquirimus* d. Eccleſia militans, cùm verū ſit, quòd *militia eſt vita hominis ſuper terrā* e, [e Job 7.1.] *terribilis ut caſtrorum acies ordinata* f, [f Cant. 6.9.] legem habet partim ſuavitate, partim rigore coaleſcentē. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt* h. [h Pſ. 22.4.] Eccleſia triumphans Jeruſalem *civitas* i [i Apoc. 21.23.] cœleſtis nihil habet præter dulcedines. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* k. [k Iſai. 32. 18] Civitas inferni nihil cōtinet niſi pœnas, ſupplicia & torturas. *Aſſur virga furoris mei* l. [l Iſai. 10.5] Id eſt, *diabolus* ait Cornelius m. [m Cornel. in Iſai. 10.5.] In hoc mūdo viatores ſumus, & obnoxii peccatis quæ nobis cauſant mortē, cùm ſit lex mortis, nec mors in mūdum intraverit niſi per peccatum, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors* n. [n Rom. 5.12.] Non eſt aliud motivum mortis præter peccatum. *Stipendia enim peccati mors* o. [o Rom. 6. 23.] Interitus eſt ſtipendium inobedientiæ Protoplaſti noſtri, & peccati omnium poſterorum illius: ſicut miles ſtipendium ſumit à Duce ſuo; ſic peccator cùm peccaverit, morti obnoxius efficitur. *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua* p, [p Pſ. 75. 8.] more Præſidis decreta pronunciantis ex tribunali aulæ ardentis ſummæ juſtitiæ tuæ, *ex tunc ira tua*, ait David, Deum alloquens. Sed unde Propheta? Num ex adulterio tuo cum Bethſabee perpetrato? An ex homicidio Uriæ viri ejus à te præcepto q? [q 2. Reg. 11.4. &c.] Ex temeritate tuâ, quâ juſſiſti tuum numerandum *populum ut numerum ejus* r *ſciros*? [r 2. Reg. 24.2.] Ex diluvio univerſali ſ? [ſ Gen. 7. 17.&c.] Ex incendio Sodomæ & Gomorrhæ t? [t Gen. 19. 24. & 25.] E morte primogenitorū Ægypti u? [u Exod. 12.29.] *Ex tunc* peccati Adæ, *ira tua.* Statim ac Protoplaſtus iſte *de fructu comēdit* x [x Gen. 3.6.] ligni vetiti *ſcientiæ boni & mali* y, [y Gen. 2. 17.] tota poſteritas ejus, inobedientiæ illius conſcia effecta eſt, *Stipendia enim peccati mors.* Effertur aliquis adoleſcens, qui erat idolum parentū, totius fulcrum domus & de quo eximiæ concipiebantur ſpes in futurum: contentâ voce inclamat tota familia, & ipſa cœlum incuſat quādiu murmurat contra Deum, eò quòd florem iſtum recētem ita citò è medio ſuſtulerit mundo: interim dicunt alii dum cauſas mortis ejus perquirunt, eum nimio motu accendiſſe ſibi ſanguinē, & ſic ſibi propriam fuiſſe machinatum mortem. Sed verè peccatum eſt cauſa interitus illius. Puella aliqua formoſiſſima è vivis eripitur; illa, quā adorabant adoleſcentes civitatis, efficitur præda mortis præ admiratione, *Haccine eſt illa Iezabel* z? [z 4. Reg. 9.37.] Dicitis illam bibiſſe aquam nimis frigidam. Aqua non eſt cauſa mortis illius, ſed peccatō, *Stipendia enim peccati mors.* Hinc inducor ut inquiram Primò quis author ſit mortis. Sacundò ut dicam, quòd peccatum inferat mortem animæ quæ ipſum admittit. Tertiò, Quòd necem invehat in corpus idem peccatum. [Diviſio.]

[I. Pars.] Veritas eſt infallibilis, quòd receſſus à Deo nobis cauſat mortem, & acceſſus ad ipſum nobis largitur vitam, Si prope Deum ſumus, vivimus; ſi ab eo peregrè proficiſcimur, morimur. Radius recedēs à ſuo Sole, eclypſim patitur; Rivus ſeparans ſe ab origine ſuâ, ſiccatur: Membra ſine capite nullum præ ſe ferunt motum: Deus eſt noſter *Sol* a, [a Malach. 4.2.] noſter *Fons* b, [b Pſ. 35. 10.] noſtrum *Caput* c. [c Coloſſ. 1.18.] *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* d: [d Act. 17.28.] Cùm è contrà receſſus ab illo, noſtræ ſit cauſa mortis. Utinam hæc verba intimis noſtris eſſent impreſſa cordibus, quòd ſatius nobis eſſet mori, quàm peccato nos inquinare lethifero; cùm peccatum mortale elongans nos à Deo qui eſt *Fons vitæ*, nos deſtituat vitâ. Sapientiſſima æquè ac caſtiſſima Suſanna ab impudicis duobus ſolicitata ſenibus ad coinquinandum thorum conjugalem, dicentibus ſibi, *Aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum: ingemuit, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi undiq.; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſq. opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini* e. [e Dan. 13. 20.&c.] Conſtantiſſimum mulieris conſilium, quod frōtes virorū pudore debet immodico ſuffundere.

Uoio

Unio cum Deo eſt cauſa vitæ, ſicut diviſio ab eo eſt cauſa mortis. Anna mater Samuelis dicebat in ſuo Cantico, *Dominus mortificat, & vivificat* f. Cauſa mortis Deus eſt, æquè ac vitæ. Sed quomodo hoc, ut ex eodem principio oriantur duo differentes effectus? aut quid Deus poteſt eſſe Author mortis, qui eſt Opifex vitæ? Inter Legislatorem & Legem debet eſſe convenientia. Omnia vivunt in Deo, etiam inanimata, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* g. Quomodo igitur Mors eſt privatio, & omnis privatio ſuam habet formam oppoſitam. Vita eſt appoſita morti: *Deus mortem non fecit* h. Illam non vult, *Nolo mortem impii* i. Tamen alibi eam dat, *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris* k, ſicut illam dat peccatum, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* l. Deus eſt cauſa vitæ naturæ, & vitæ gratiæ, & cauſa mortis peccatoris quatenus pœnæ. Quomodo enim fieri poſſet ut Deus qui eſt *fons vitæ*, ſit cauſa mortis culpæ? ut peccatum oriatur ab hoc principio vitæ, cùm mors nihil ſit niſi privatio, Deus autem ſit principium vitæ, cauſa eſſentialis, exemplaris, efficiens, & finalis omnium rerum? Ipſe eſt *Vita* m eſſentialis in ſemetipſo. Quomodo autem è principio eſſentiali vitæ mors procederet? Ipſe eſt cauſa efficiens vitæ omnium entium, ipſe illa omnia vivificat: Quâ ratione igitur cauſaret hanc privationem, quæ nullam aliam ſortitur cauſam præter defectum? Deus, qui eſt cauſa exemplaris omnium perfectionum, quomodonam cauſa foret iſtius monſtri, hujus abortivi naturæ? Ipſe, inquam, qui eſt præterea cauſa finalis omnia ordinans ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* n.

f 1.Reg. 2.6.
g Joan. 1.4
h Sap. 1. 13.
i Ezech. 33.11
k Gen. 2. 17
l Ezech. 18.4.& 20
m Joan. 14.6
n Prov. 16.4

Hoc non eſſe poteſt, & penitus blaſphemare foret, & in enormem Calvini errorem labi ex aſſerere, Deum eſſe Authorem & cauſam peccati, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ait ei Propheta o. Eſt Theologia, *Non impertiendo malitiam, ſed denegando gratiam*. Id eſt efficacem. Sic peccator eſt author & cauſa illius. Nã cùm Deus recedit ab eo per peccatum, & Deus recedit ab illo per ſubtractionem gratiarum ſuarum efficacium, etiamſi nunquam recuſet ei gratias ſufficientes p, ipſemet peccator labitur in horrorem peccati, quod eſt tota cauſa mortis ipſiuſmet peccatoris. Deus igitur eſt cauſa mortis peccatoris quatenus pœnæ, peccator verò cauſa ej' quatenus culpæ. Duo enim obſervanda ſunt in morte. Quatenus illa eſt effectus peccati, homo eſt author ejus. Prout autem ea eſt pœna peccati, Deus eſt Author illius, & de noſtro pœnas reportat crimine. Idcircò Adæ *Deus præcepit, dicens, De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* q. Sed quare hæc repetitio? *Morte morieris*. Nonne ſufficiebat dicere? *Morieris*. Non. Duplex eſt mors, Quoad corpus, & quoad animam; Pœnæ & culpæ. Adam peccans, mortuus eſt quoad animam, & fuit ipſemet cauſa hujus mortis culpæ; eoque moriente quoad corpus, Deus fuit Author hujus mortis pœnæ illius.

o Pſ. 5.5.
p Hebr. 12.15.
q Gen. 2. 15.&c.

Iſtud eſt ergo pro comperto quòd Deus eſt cauſa mortis quatenus pœnæ; peccator verò author ejus prout culpæ. Impius deridet Deum, & Deus erit illi, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* r. Infideles antiqui hoc improperabant primis filiis Eccleſiæ naſcentis, dum adhuc ſuis etat hæc in incunabulis, quod Deum agnoſcerent immortalem, eumque ut ſic publicarent, *Qui ſolus habet immortalitatem* ſ; & tamen viverent velut immortales, etiamſi fides, quam profitebantur, ipſos inducere ad credendũ, quòd ipſimet eſſent mortales, juxta doctrinam S. Pauli t, cui adhærebant, *Statutum eſt hominibus ſemel mori*. Hoc eſt decretum pronunciatum à Deo, qui eſt *Veritas* u infallibilis, quo fertur, omnes homines unâ vice debere mortem oppetere, & ſolvere hoc commune tributum naturæ propter inobedientiam Protoplaſti noſtri, qui omnem poſteritatem ſuam peccato ſuo inquinavit, & ſuos conſequenter nepotes morti obnoxios effecit, cujus ipſemet primus rigores expertus eſt x; & illius exemplũ offert nobis Evangelium noſtrum in perſonâ filiæ Jairi Principis Synagogæ Capharnaum: *Factu autem negant* y, & nihilominùs quòd actiones ipſorum non convenirent cum fide ſuâ: *Dicunt enim, & non faciunt* z. Cujus defectus poſſe mus jure merito nunc inſimulari, æquè ac tuoc illis is improperari poterat.

r Gen. 3. 19
ſ 1.Tim. 6.16
t Hebr. 9. 27
u Joan. 14.6
x Gen. 5.5
y Tit. 1.16
z Matth. 23.3

Audiviſtis quòd Deus ſit Author mortis quatenus pœnæ peccator verò author illius quatenus culpæ, quoniam peccatum occidit animã, *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* a. Ad intelligentiam hujus veritatis, Conſulẽda eſt definitio peccati, quod eſt privatio gratiæ, receſſus a Deo, qui eſt *Vita* b, *Fons vitæ* c; qui eã communicat omnibus: recedendo autem a vita, ſtatim incurritur mors. Hæc propoſitio ſic eſt clara ut probatione nõ indigeat. Venenũ peccati ſic eſt peſtiferũ, malitia ejus ita eſt immodica ut ibi non ſiſtat; ſed in Deũ inſurgat; & quãtùm ipſi poſſibile eſt, eum conetur deſtruere Hæquãtum venenum ac inſurgere in Deum, qui eſt origo & principium vitæ! Peccatum id agit, & ecce quomodo. Theologia ait, quòd *vivere Dei eſt ejus intelligere*. Vita Dei eſt ejus intellectus, ejus intellectus eſt notitia luminum quæ ipſe habet, quibus *omnia* d *ſcit & intuetur* e. Impius in hunc inſurgit intellectum, extinguere vult hæc lumina, Deũ privare vult intellectu ſuo. Audacia peccati *Dixerunt, Nõ videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob* f. Philoſophia dicit, quòd in *viventi vivere eſt ejus eſſe*. Atqui vita Dei eſt ipſius Eſſe; & ipſius Eſſe eſt baſis omnium attributorum ipſius, & omnia ipſius attributa ſunt eadem res ac ipſe; Nam *Quidquid eſt in Deo, Deus eſt*. Peccator in omnia divina inſurgit attributa, ea intẽdit annihilare. Inſurgit in Providentiam, *Nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat* g. In Juſtitiam, quam conatur exinanire, ut meritis ſcelus perpetret; neve ab eâ puniatur, ei ſceptrum nititur eripere æquè ac poteſtatem pœnarum de criminoſis referendarum: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? Neſcio Dominum* h.

II. Pars
a Ezech. 18.4.&20
b Joan. 14.6
c Pſ. 35.10
d Dan. 13. 42
e 1. Reg. 16.7.
f Pſ. 93.7
g Job. 22. 14
h Exod. 5.2

Peccatum enecat Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Explico me. Licèt *Deus unus* i ſit in Eſſentiâ, trinus *k* eſt in Perſonis. Et quamvis attributa divina abſoluta, ſint communia omnibus Perſonis, propria tamen ſunt aliqua ſingulis, & Theologia attribuit Potentiam *l* Patri, Sapientiam *m* Filio, & Bonitatẽ *n* Spiritui S. Peccatum intendit exinanire hæc omnia attributa, & ideò Deũ occidere in his ipſius attributis. Inſurgit in Potentiã Patris, quæ *creavit* o mund i, eumq; illã conatur deſtruere, eumque redigere ad impotentiam puniendi ſuipſius In Sapientiam Filii, quæ innumeras reperit *adinventiones* p ad nos redimendos, ne noſtra detegat ſcelera. Et in Bonitatem Spiritus ſancti, qui ſanctificavit nos gratiis ſuis, *Sed ſanctificati eſtis in Spiritu Dei noſtri* q & gratiis ejus, quas peccatum occidit, Idcircò dice-

i Deut. 6.4
k 1 Joan. 5.7
l Pſ. 64.7
m Sap. 7. 24
n Pſ. 118 68.
o Gen. 1.1.
p Iſa. 12.4
q 1. Cor. 6 11.

a Job 24. 13.

rjus; *nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* n. Ita ut claudens oculos ne potiatur beneficio hujus luminis ſupernaturalis & divini, quod Deus ipſi offert, ſentiat ſibi ſubtrahi hanc gratiam efficacem, quę ipſi jure merito non impertitur Deus, etiamſi nõ deneget ipſi ſufficientem *o*: ita ut infelix iſte eò quòd benè non fuerit uſus gratiâ ſufficienti, quæ ipſi nunquam defuit, nec illam proficuè inſumpſerit, cæcus permaneat medias inter tenebras & obſcuritates, quibus eſt offuſus. Qualem infelicitatem! quantum infortunium! Sed quid? nunquid non aliquod erit remedium huic cæcitati ſanandæ accommodum? Ecce ipſum in promptu eſt, Concinnandum eſt collyrium, & eo inungẽdi ſunt oculi, juxta conſilium Angeli Apocalypſis *p*, *Collyrio inũge oculos tuos, et videas*. Sed quid eſt collyrium? Aliqui apud Serarium *q* dicũt eſſe quoddam genus piſcis illuminando viſui & purgandis oculis accommodi, de quo fortè loquebatur Archangelus Raphael Tobiæ, *Lini ſuper oculos ejus ex felle iſto piſcis, quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus lumen* r; alludens ad Chriſtum, qui appellatur Piſcis à Tertulliano *ſ*, *Nos piſciculi ſecundùm* ἰχθὺν *noſtrum Ieſum Chriſtum*. Collyrium, cujus fel, quod eſt amaritudo Paſſionis ejus *t*, & memoria illius, inſervit nobis ut viſum recuperemus, & ad amorem illius veniamus, ad quam memoriam nos ipſe invitat, *Recordare paupertatis & transgreſſionis meæ, abſinthii & fellis*, per Prophetam *u* ſuum. Qui tandẽ concludit, *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Quis enim peccare auderet poſt hæc, & poſt illud quod ait S. Ambroſius *x*? *Per collyrium, quo caliginem ab oculis detergit, lacrymasque educit, pœnitentiam atque compunctionem cordis debemus intelligere.*

o Hebr. 12. 15.

p Apoc. 3. 18.

q Serar. in Tob. 11. 8. quæſtiunc. 2.

r Tob. 11. 8.

ſ Tert. lib. de Baptiſmo c. 1.

t Joan. c. 18. & 19.

u Thren. 3. 19. & 20

x S. Ambr. in Apoc. 3. 18.

Tertia mors animæ eſt lethargia, quæ *eſt torpor, & inexpugnabilis penè ſomni neceſſitas, cum alienatione mentis*, ait Calepinus *y*; ſicut etiam ſopor generalis omnium ſenſuum; quantùmvis enim circum circà moveatur corpus & convertatur, ſenſûs ipſum manet expers; ſtimulis angatur lethargicus, nihil ſentit, alto ſopore & torpore depreſſus, nec aliquid audit, quidquid agatur. Heu! peccator in miſerandum lethargiæ peccati redactus ſtatum, inſenſibilis eſt penitus; loquimini ei de ſalute animæ ipſius, de extremis infelicitatis, ad quas redactus eſt, anguſtiis; tangite eum bonis monitis & ſalutaribus conſiliis; Verbum Dei æquè parùm agit ſuper ipſum ac circa parietẽ: inſenſibilis eſt, ſurdus eſt, dormit his omnibus ſaluti ſuæ promovendæ accommodis; lethargicus eſt, mortuus eſt per peccatum, quod occidit animam ipſius, æquè ac corpus, *Morte morieris* *. Hoc eſt tertia mea pars.

y Calepin. in Diction. v. Lethargus ex Celſo l. 3. c. 20 & Plin. l. 20. c. 12.

* Gen. 2. 17.

III. Pars.

Peccatum mortem infert corpori, *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* z. Nihil eſt juſtius hâc morte. In eâ invenitur æqualitas, & proportio ut omnes moriantur; *Statutum eſt hominibus ſemel mori* a. Decretum eſt iſtud latum è Divinâ Juſtitiâ & Sapientiâ ab ipſius mundi naſcentis incunabulis contra Protoplaſtum noſtrum, quòd eo ipſo quo crimen incurreret & inobedientiam, divina tranſgrediendo mandata, confeſtim mortem oppeteret, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* b. Et quòd omnes poſteri ejus, utputà conſcii peccati inobedientiæ Patris ſui voluntate interpretativâ, eidem morti ſubeundæ forent obnoxii, ut exponit Dionyſius Carthuſianus *c* ea verba Apoſtoli ſuprà dicta, *Statutum, id eſt, à Divinâ Sapientiâ ac Iuſtitiâ determinatum ſeu præfixum eſt hominibus ſemel mori in pœnam originalis peccati.* Omnes homines æqualiter obſtringuntur ad ſubeundas implacabiles interitus leges, ſicut obligantur omnes æqualiter homines ad cuſtodiendam legem, per quam ad ſolvenda tenentur vectigalia & tributa. In hoc ſita eſt æqualitas. Sed datur etiam proportio, quæ in hoc conſiſtit, ut ii qui ampliora habent bona, copioſiora juxta proportionem impendant vectigalia & tributa. Sed unde oritur quòd iſti moriantur citiùs quàm illi? Hoc eſt ſecretum divinæ Providentiæ reſervatum, & arcanum myſterium ſummæ Sapientiæ nobis inſcrutabile, quia Deus ita ſtatuit, *Iudicia tua abyſſus multa* d. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus* e!

z Rom. 5. 12.

a Hebr. 9. 27.

b Gen. 2. 17.

c Dion. Carth. art. 9. in Hebr. 9. 27.

d Pſ. 35. 7.

e Rom. 11. 33.

Prætereà, In hâc morte ſic decretâ invenitur neceſſitas magni mundi, ſicut etiam parvi, iſtius microcoſmi, id eſt hominis, qui, cùm peccaverit, ſubire debet pœnam peccato ſuo congruentem. Prætetquàm quòd cùm ipſe ſolus debeat pati, vita juge foret ipſi ſupplicium. Morimur igitur univerſi præ neceſſitate, ut *dixit mulier Thecuitis ad Regem, Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur* f. Quoad neceſſitatem magni mundi, qui eſt univerſus hic orbis, iſta congregatio creaturarum eſt illius ornamentum; ſicut enim in eo ſunt puræ intelligentiæ à materiâ ſeparatæ, & corporeæ concretionis expertes; aliæ ſubſtantiæ è materiâ conſtantes, & quæ non ſunt corruptibiles, ut cœlum, eò quòd non habeant hanc inclinationem & iſtum appetitum ad comparandas ſibi formas alienas; aliæ quæ corpora habent corruptibilia, ut mixta, oportebat ut daretur medium quod convenientiam haberet cum extremis, & iſtud eſt homo, qui mente ſuâ & luminibus notitiæ ſuæ approximat ad Angelos qui ſunt puri ſpiritus, cùm ſit immortalis, more illorum, ratione animæ ſuæ *g*; & accedit ad mixta per corpus, cùm ſit corruptibilis. Neceſſitas igitur eſt abſoluta ſolvendi communis iſtius tributi naturæ.

f 2. Reg. 14. 9. & 14

g Gen. 1. 27.

Re autem ſic habitâ pro compertâ, quòd omnibus nobis ſit moriendum, quandonam nobis erit canendum receptui? Citò, aut poſt aliquantum tempus? hodie aut cras? Nemo eſt qui id ſciat *h*, niſi fortè is, cui Deus id revelaſſet. Tertullianus *i* ait, quòd unuſquiſque de morte eventurâ loquitur, & ſcire ſatagit unde nobis proveniat, *Quia nec ipſam ſint quæſtionibus, licèt finem omnium quæſtionum, publicâ totius generis humani ſententiâ pronunciamus. Hoc ſtipulata eſt Dei vox, hoc ſpopondit omne quod naſcitur.* Iſtud eſt ſtipulatio: Atqui in ſtipulatione mutuus utrimque debet præberi conſenſus, & conventio reciproca: Deus convenerat cum homine quoad præceptum quod fecit illi, *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris* k. Ibi duo ſunt, ut videtis, permiſſio, & prohibitio. Permiſſio comedendi *ex omni ligno paradiſi*; Et prohibitio manducandi *de ligno ſcientiæ boni & mali* ſub pœna mortis incurrendæ duplicis, *Morte morieris.* Adam *de fructu comedit l*

h Matth. 15. 35

i Tert. lib. de Animâ c. 50

k Gen. 2. 16. & 17.

l Gen. 3. 6.

ligni vetiti,& ſic conſcius criminis, hâc geminâ morte mulctatus eſt , factus mottalis quoad corpus , cùm jam mortuus eſſet quoad animam.

m Tert.l. de Animâ, c.50

Idem Tertullianus m ſcribens contta Menandrum Hæreticum docentem, *mortem ad ſuos non modò non pertuere, verùm nec pervenire. In hoc ſcilicet ſe à supernâ & arcanâ poteſtate legatum , ut immortales & incorruptibiles,& ſtatim reſurrectionis compotes fiant qui baptiſma ejus induerint* , ait appoſitè, *Vin ſunt illi,quos Menander ipſe perfudit, quos in ſtygem ſuam merſit ? Apoſtoli perennes veniant,aſſiſtant;videat illos meus Thomas* n*, audiat, contrectet, & credat*. Conformiter ad hoc memini, quòd cùm Philoſophi quidam tationes dediſſent ſubtiliſſimas & teſponſa maximè coolona interrogationibus propoſitis , Alexandro Magoo,& ilte eos præmiari concupiſceret juxta eorum merita,illosq; ideò invitaret ut à ſe aliquid peteteent,ipſi fronte capillatâ Occaſionem arripientes maximâ induſtriâ, ut hunc Monarcham aò etrore ab ipſo concepto temoverent , petierunt ab eo immortalitatem;cui reſpondenti ipſis,ſe non potuiſſe eam dare , cùm ipſemet morti obnoxius eſſet , dixerunt illi convenienter ad propoſitum, *Ergo mortalis es tu*.Cut igitut tantam præ te fers vanitatem ? utquid ad novos aſpiras mundos,qui iſtum ſuſpirare facis ? quare ſi mortalis es,ſic ambitioſa formas conſilia ? *Ergo mortalis es tu*.Si petam ab hoc avaro,qui ſic ſolicitus eſt de congregandis divitiis per vias illicitas, Esne immortalis? Exiſtimabit ſe à me derideri: *Ergo mortalis es tu*. Si dicam huic ambitioſo, Num immortalitate donatus es? autumabit me ſibi vetba dare; *Ergo mortalis es tu*.Oportet igitur ut tu & ille moriamini. Cut ergo tu poſt auras cutris populares , ut vento paſcatis more chameleontia ; ſicut ille poſt divitiaa quæ ipſum implere nunquam poterunt ? Si interrogam hanc puellam , aut iſtam mulierem pompaticè incedentem ptæ vanitate immodicâ & luxu inuſitato, more deæ, num immortalitate potiatur , & nunquam ſit moritura? credet à me illatam ſibi injuriam : *Ergo mortalis es tu*. Oportet igitut ut tota hæc pulchritudo ſic ſtudioſè culta morte adveniente deſtruatur,& corpus tuum ſic delicatè exceptum cotrumpatur: *Subter te ſternetur tinea,& operimentum tuum erunt vermes* o.

o Iſai.14. 11.

His experrectus hotis matutinis omnes interrogabam creaturas,& exponens eis ſententiam meam,aſſetebam hominem debete eſſe immortalem. At illæ voce unanimi reſponderunt mihi, *Nos legem habemus,& secundùm legem debet mori* p. Sed ſummi Pontifices, triplices hæ cotonæ nunquid januam non claudent morti, clavibus q S. Petti?Nequaquam.Illi debent moti,Sed Ptincipes,Reges,& Monarchæ,qui terrotem omnibus incutiunt, & de omnibus triumphant, nunquid de morte triumpbum non refetent? Non.*Nos legem habemus,& ſecundùm legem mori* debent. Tot Gubernatotes Provinciarum nunquid impedite non poſſent ingreſſum huic ſanguinatiæ,&præcipere civitatibus finitimis ut attenderent ſibi ab eâ? Neutiquam. *Nos legem,&c.* Tot generoſi Duces nonne ei bellum poſſent indicete,ei in faciem reſiſtete,illamq; expugnare , nedum ea ſit inexpugnabilis?Neutiqoam,*Nos legem*,&c. Præſides togis induti rubeis , annon decteta ferre poſſent advetsùs hanc truculentam ? Conſiliatii ut Commiſſarii infotmationem componere advetsùs cædea ejus?Cauſidici aliquas Jutis invenire rimulas & aliquos apices , ut illam à conſiliis ipſius dimovetent,& à dominio ejus declinarét? Procuratotes aliquas copias ſacculares & inſtrumentarias contra eam reperire? Nunquid puellæ & mulietes ſuavibus ſuis lenociniis rigotes ejus non demulcebunt? Mercatotes,quos nihil latet, & qui tantâ ptæditi ſunt induſtriâ, annõ aliquod fœdus cum illâ pangent? Minimè.*Nos legem habemus,& ſecundùm legem mori* debent. Univetſæ hæ quattuot civitates mundi,de quibus locutus ſum vobis ſuprà,leges habent particulares.In magnũ mundum venit homo per vitam,ut ex illo exeat per mortem;Hæc eſt lex hujus mundi:*Omnes morimur* r. Ex Eccleſiâ, in quam Reges,glotiæ ducunt recipi,& illius eſſe habitatores,in eam venientes pet Baptiſma, in quo renaſcuntur *ex aqua & Spiritu ſancto* ſ, eximus pet vitam. *Ieruſalem* t cœleſtem ut in vitam pergimus, quò in vitâ ſemper permaneamus. Sed *infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*,& è morte peccati imus ad mortem gehennæ, *Hac eſt mors ſecunda* u; Babylonem,quæ eſt confuſio & commixtio , *Et facta eſt habitatio dæmoniorum , & cuſtodia omnis ſpiritus immundi* x,

p Joan. 19.7.
q Matth. 16.18.
r 2.Reg. 14.14.
ſ Joan.3.5
t Apoc. 21.2. &c.
u Apoc. 20.14.& 15.
x Apoc. 18.2.

Ex univerſo iſto diſcurſu diſcete debemus, Auditores,non dari in mundo doctrioam ſaniorem & utiliorẽ ad vocandos peccatotes ad pœnitentiam amplectendam , quàm ſit ſedula & exacta mortis memotia. Nullus eſt Cõcionator qui meliùs nos valeat catechizate, quàm inſtituat nos mors. Nulla monitio noſtris ſalvandis magis eſt ptoficua animabus ; nulla doctrina quæ meliùs nos ad noſtrum redigat debitum , & vigilantiores teddat quàm mors, *In Ioppe quadam diſcipula nomine Tabitha , factum eſt ut infirmata moreretur, Cùm autem propè eſſet Lydda ab Ioppe, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in eâ , miſerunt duos viros ad eum,rogantes,Ne pigriteris venire uſq; ad nos. Exurgens autem Petrus,venit cum illis. Et cùm adveniſſet, duxerũt illum in cœnaculum* y,ubi poſita erat mortua,ut ſuſcitaret eam. Quare hoc? Nunqoid abſens non poterat eâ ad vitam tevocate?S. Chryſoſtomus z ait, *Ducunt Petrum ubi ſita erat mortua,fortaſſe putantes aliquid illi ad doctrinam dari*. Ut mors prædicaret S.Petro. Maximi Prædicatotes ſunt mortui in feretro extenſi; nullus enim meliùs ſuadet ad benè vivendum quàm mors. Quin imò nunquam Chriſtus aggteſſus eſt prædicate iis,quibus mors ptædicavetat. Prædicabat quidem ægrotis, & illis quos ſanabat , ſed non iis quos ad vitam tevocabat , & hodie ſuſcitans filiam Jairi,nihil aliud agit niſi ut illam manu apptehendat,*Tenens manum ejus, & reverſus eſt ſpiritus ejus,& ſurrexit continuò* a. Ptædicavit ſanato paralytico habenti *triginta & octo annos in infirmitate ſuâ : Ecce ſanus factus es; jam noli peccare,ne deterius tibi aliquid contingat* b.Sed cùm ſuſcitavit Filium viduæ Naim , nullo modo ptædicavit, ſed tantùm *dedit illum matri ſuæ* c.Cùm ſuſcitavit etiam Lazarum,nullam habuit concionem, ſed duntaxat ptæcepit eum ſolvendum,*Solvite eum, & ſinite abire* d.Poſt mortem enim nihil eſt ultrà dicendum , nec ullus eſt qui docere audeat poſt tam eximiam Magiſtram;quia niſi illa convertat peccatores , impoſſibile eſt ut quis à vitiis poſſit eos amovere,*Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis* e. Et tamen nemo eſt qui de motte ſetiò cogitet ; æquè citò tranſit cogitatio illius ac objectum illius oculis abripitur.

y Act.9. 36.&c.
z S.Chryſoſt. hom. 21.in hunc locum.
a Luc.8. 54. & 55.
b Joan.5. 5.& 14.
c Luc.7. 14. & 15.
d Joan.11. 43. & 44.
e Eccli. 7. 40.

Iſtud

Digitized by Google

Illud igitur pro comperto eſt, qoòd *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* f. Ab hac declinare non poſſumus lege univerſali, quæ omnes cōplectitur homines: non eſt aliqua potentia, eloqoentia, nec ulla lenocinia ſunt quæ ab iſto communi eximere poſſint nos tributo; idcircò ad mortem ritè debemus nos diſponere; *Ratio manifeſta, ſemper in otio debere fieri quod neceſſariò faciendum eſt*, ait adagium commune. Concionatores antequàm in polpitum aſcendant, concionandi officio incombere debent exercendo, ſicut & milites artem belli probare, anteqoàm cum hoſtibus congrediantur, nam, ut dicitur, *Ars bellandi, ſi non præluditur, cùm neceſſaria fuerit, non habetur: Diſcat miles in otio quod proficere poſſit in bello*. Sic dicendum de morte. Acceſſus enim ejus ita ſunt rudes, & illius arma ſic valida, ut impoſſibile ſit eis reſiſtere, niſi priùs edoceatur quis modum benè vivendi in hac vita, ut benè mori poſſit, *In medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis* g. Nam mors eſt horribilium rerum univerſarum terribiliſſima; & licèt ſit veluti leo ferox, diuturnitate temporis tamen cicuratur. *Effice tibi mortem cogitatione familiarem, ut ſi tua ſors tulerit, poſſis obviàm ei exire: Eſt namque magna ſapientia frequenter cogitare de morte*, dicitur apod Idiotam h. Jeſus Chriſtus qui expugnaturus erat diabolum in Cruce i, incepit in ventre Matris ſuæ præliari contra eum, ait S. Zeno k: *Etenim Deus Dei Filius ab æterna ſede profectus* l, *in prædeſtinatæ Virginis templo ſibimet caſtra metatur*. Dimicabat apud ſe, exercebat ſolus ſe in utero Genitricis ſuæ, ut militiæ ſpirituali efficeretur idoneus, quò de hoſte ſuo diabolo glorioſam referret victoriam. Sic agebant Athletæ; pariterque nos debemus nos exercere adversùs mortem, ſi velimus mori morti peccati, & reſurgere ad vitam gratiæ, & aliquando ad vitam gloriæ.

f Hebr. 9. 27.
g Eccl. 9. 10.
h Idiot. l. 5 c. 5. de Contempt. Mort.
i Oſee 13. 14.
k S. Zeno Veron. ſerm. 2. de Nativ. Chriſt.
l ex Jo. 16 28.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Domine, filia mea modò defuncta eſt; Sed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matth. 9. 18. &c.

ALphonſus Rex Caſtellæ extremum vitæ agens agonem, præcepit ſe deferendum ad ima altaris Templi ſacri ſui, Regiis indutum inſignibus, diadema in capite, ſceptrum præ manibus, & purpuram ſuper homeris habentem; & ibi dicere cœpit, *Deus magne* a, *Rex Regum, & Dominus dominantium* b, *per quem Reges regnant, & per quē Principes imperant* c, reddo tibi diadema, ſceptrum, magnalia, & vitā, quæ à tua ſuſceperam bonitate, & confeſtim expiravit, commendans Dei ſui *in manus ſpiritum* d ſuum. Felix mors immunis ab ingratitudine, quæ eſt extremitas improperiorum, quæ ſuſtinere poteſt homo honoris ſui amans; quæque præclariſſimas quaſlibet caligine offundit actiones, vitam finivit gratitudine Princeps iſte, Divinorum memor beneficiorum. Hæc eſt *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus* e; ſicut econtrà *mors peccatorum peſſima* f eſt. Verum eſt quòd ſpecioſiſſimæ mortes, non ſunt omnium feliciſſimæ; ſed optimæ, ſunt fortunatiſſimæ. Mori in cubili ſuo, omni humano auxilio, amicis, Medicis, & remediis adjutum, hoc non agit bonam mortem. Mori deſtitutum omnibus ut miſerum, ſed obire in gratia Dei, iſtud ſanè bonam efficit mortem. Quam cogitationem efformaſſetis niſi ſcandali, videre Simeonem Styliten ſuper epiſtylio aut capitellio locato ſuper columnæ ſcapo ſtantem, jejuniis & macerationibus aridum, Sole aduſtum, à tanto tempore inclementiæ aëris ſuſtinendæ expoſitum, efficitamen ſcopum fulminum? Sanctus erat, hæc eſt bona mors, ſed non ſpecioſa mors præ oculis hominum. Filia Iairi Principis Synagogæ Capharnaum ſpecioſam obit mortem, omni humano ſubſidio adjuta; ſed bonam peragit mortem, cùm eam ſequatur nova vita, quam impertiturei Dei Filius præ miraculo; nova vita, quam comitatur gratia, quā ſacratiſſima Virgo Maria erat *plena* g, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria*.

a Dan. 9. 4
b 1. Tim. 6 15. & Apocal. 19. 16.
c Prov. 8. 15. & 16.
d Pſ. 30. 6.
e Pſ. 115. 6
f Pſ. 33. 23
g Luc. 1. 28.

Inter univerſas, quas allegabat Philoſophia Ethnica rationes, ad probandum quòd mors non eſſet deſiderabilis, hæc erat præcipua, quòd nimirum naturalis eſſet & indeclinabilis. Sed, ut Chriſtiano more loquamur, mors nobis eſt utilior quàm vita. Verum quidem eſt quòd vita felix erat in ipſo principio ſuo, in quo Deus nos à morte immunes produxerat. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum* h. Sed hoc erat in ſtatu innocentiæ & juſtitiæ originalis, ſicut eam habuit Protoplaſtus noſter aliquandiu in paradiſo *voluptatis* i poſitus à Deo; ſed ex tunc mors nobis eſt deſiderabilior; vita enim noſtra non eſt propriè niſi mors, cùm diebus ſingulis amittamus aliquid noſtri ipſorum. Non ſum ampliùs id quod eram cùm aſcendi in hanc cathedram, cùm ſingulis momentis aliquid mei perdam; & vita, qoam medios tranſigimus inter dolores, & labores, quos ſuſtinemus, non poteſt dici vita, quia quotidie *omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur* k.

h Sap. 2. 23 ex Gen. 1. 27.
i Gen. 2. 8.
k 2. Reg. 14. 14.

Vitæ nihil habemus niſi præſens; præteritum non eſt penes nos; futurom in noſtra poſitum non eſt poteſtate; & præſentis non habemus niſi unicum momentum, quod præterlabitur. In hac vita *neſcit homo utrùm amore, an odio dignus ſit* l. Deum non cognoſcimus niſi imperfectè, *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus* m. Lumina noſtra ſunt obſcura, & in hoc ſtatu conſtituti non amamus eum niſi imperfectè, nec poteſtimus perfectè niſi in cœlo iſtud adimplere præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* n. Quia tunc *videbimus eum ſicuti eſt* o, intuitivè cognoſcentes illum, *Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum* p. Omnes eximii Viri ſoſpiraverunt ad mortem, cùm non poſſent eſſe felices niſi per eam, & frui clarâ viſione Dei, *Non videbit me homo, & vivet* q. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt* r. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* ſ? præ hac cogitatione quòd mors ſit utilior vitâ. Quod inducit me ut oſtendam vobis Primò utilitates quæ comi-

l Eccli. 9. 1
m 1. Cor. 13. 9.
n Matth. 22. 37.
o 1. Jo. 3. 2.
p 1. Cor. 13 12.
q Exod. 33 20.
r Pſ. 119. 5.
ſ Rom. 7. 24.
Diviſio.

tantur mortem Juſtorum & Bonorum. Secun-
dò infelicitates inſeparabiles à morte impio
rum & malorum.

Exordior vobis oſtendere utilitates mortis
I. Pars. Juſtorum & Bonorum, ex morte juſtiſſimi om-
nium hominum, nimirum Filii Dei, quippe qui
t Marc. 1. 24. & Luc 4. 34. eſt *Sanctus Dei* t. Mors ejus in Cruce fuit Sacri-
ficium excellentiſſimum & gratiſſimum eorum
omnium, quæ unquam Patri æterno fuerint ob-
lata, maximè honorabile ipſimet Chriſto, & ho-
minibus vehementiſſimè proficuum. Mors
Crucis fuit Sacrificium excellentiſſimum &
gratiſſimum Patri æterno. Sed quomodo in-
telligenda eſt hæc propoſitio? dicetis mihi.
Adverſatur ipſa rectæ rationi, quòd Pater com-
placeat ſibi in actione ſic tetra, in ſævitia maxi-
ma omnium earum quæ fuerint unquam perpe-
tratæ; videre Filium ſuum infami doloroſæ
crucis patibulo ſuffixum non ſecus ac latronem,
hoc non poteſt eſſe gratum Patri, cùm præ ſe
crudelitatem ferat. Prætereà S. Paulus, qui ait,
*Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis om-
nibus tradidit illum* u; non videtur convenire
u Rom. 8. 31. & 32. cum Iſaia x aſſerente quòd Filius *oblatus eſt, quia*
x Iſa. 53. 7 *ipſe voluit*. Si enim Pater æternus *tradidit illum*
morti, quomodo Filius *oblatus eſt*, ſemetipſum
eidem tradens morti? Reſpondeo quòd ſævitia
interveniret ex parte Patris, ſi ſuæ neci non
conſentiret Filius; & quòd Sacrificium iſtud
non foret ei gratiſſimum, ſi voluntas Filii relu-
ctaretur: ſed ſicut Filius iſti conſentit morti,
nulla irrogatur ei injuria. Pater eam vult, & in
ea ſibi complacet ut in ſacrificio excellentiſſi-
mo eorum omnium, quæ ipſi unquam fuerint ob-
lata. Quoad id quod ait Apoſtolus, quòd *Deus
tradidit illum*, Conſiderare debemus Dei Filium
y Pſ. 44. 2. ut *Verbum* y increatum in æternitate; vel con-
z Joan. 1. 14. ſiderandus eſt ut *Verbum caro factum* z *ubi venit
plenitudo temporis* a. Ut *Verbum* increatum, æ-
a Gal. 4. 4. qualis eſt Patri Dei Filius, *Ego & Pater unum ſu-
b Jo. 10. 30. mus* b. Conſubſtantialis ei, *Cùm ſit ſplendor glo-
riæ, & figura ſubſtantiæ ejus* c. Et ut ſic non tradi-
c Hebr. 1. 3 tur à Patre, ſed ipſe conſentit morti ſuæ,
Ecce ego, mitte me d. Ut *Verbum caro factum*, tra-
d Iſa. 6. 8. ditur ad mortem ad expianda noſtra peccata, *Et
e Iſa. 53. 6 poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm* e.
Cautam præſtiterat Adæ cauſam; cùm illi, pro
quibus fidejubetur, non ſunt ſolvendo, adeun-
tur illorum adpromiſſores; Dei Filius ſuam in-
terpoſuerat fidem in gratiam Adæ, Adam non
eſt ſatisfaciendo, Dei Filius tanquam Vas debet
pro eo ſolvere, & ut ſic juſtitiæ Patris ſui facit
ſatis; Pater æternus gratum habet hoc ſacrifi-
cium, ſuum reparat honorem, nec Filius poteſt
aliquid agere quod ſit gratius patri ſuo, quàm
reparando honori ejus vacare. Læſus fuerat
f Gen. 3. 6. honos Patris æterni f; Dei Filius reſtituit hono-
rem Patri ſuo morte ſuâ; ideò hæc mors eſt Sa-
crificium excellentiſſimum, ut ſatisfaciens juſti-
tiæ Patris æterni, reparans honorem illius, &
novos ei concilians ſubditos.

Prætereà, Dei Filius per mortem ſuam omnes
exercet virtutes Theologicas, & Cardinales. Et
ſicut ſummum exhibet cultum Patri ſuo, qui his
virtutibus agnoſcitur ſupremus *Dominus omni-
g Eſth. 13. 11. um* g; fide credit quòd Patri ſuo ſatisfiet *per eum
h Coloſſ. 1. 20. reconciliare omnia in ipſum, per Sanguinem crucis e-
jus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* h, pacifi-
i Philipp. 2. 9. &c. cando. Spe expectat præ ſancta fiducia dandum
ſibi *nomen, quod eſt ſuper omne nomen* i, & deſumen-
dam gloriam Corporis ſui ex infamia Crucis
ſuæ. Charitate, quòd Amor ſuus operaretur hu-
manam *ſalutem in medio terræ* k interventu mor- k Pſ. 73. 12
tis ſuæ. Coacervate autem iſta omnia, & ex iis
hanc legitimam eruite conſequentiam, quòd de-
cretum, quo *Deus tradidit* Filium ſuum ad mor-
tem in gratiam noſtri, non eſt actus ſævitiæ, nec
iræ Paternæ adversùs eum, quippe qui ſuæ con-
ſentit morti, & vult tradi ut *Verbum caro factum*,
ut ſatisfaciat honori Paterno reparando, æquè
ac Juſtitiæ Divinæ placandæ, quandiu virtutes
omnes exercet; & conſequenter quòd Sacrifi-
cium mortis ejus non poteſt eſſe niſi excellen-
tiſſimum, & Patri æterno jucundiſſimum.

Interim ſedulò perpendite quòd oporteat ut
peccatum graviter Patrem offendat æternum,
cùm ad illud expiandum ipſe *proprio Filio ſuo non
pepercerit*. Obieiſſum ſeſe *cum vidiſſet Rex Moab,
prævaluiſſe ſcilicet hoſtes, arripiens filium ſuum pri-
mogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holo-
cauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna
in Iſrael, ſtatimq; receſſerunt ab eo, & reverſi ſunt in
terram ſuam* l. Deus Pater eodem ſe gerit mo- l 4. Reg. 3. 26. &c.
do, Filium ſuum morti tradit, conſentit jacturæ
ejus, *ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniqui- m Dan. 9. 24.
tas* m. Perſiſtemusne ſemper in indicendo ei
bello, & in obſidendo eo in propria ipſius civi- n Rom. 8. 31. & 32.
tate m? Ha! ſi *Deus proprio Filio ſuo non pepercit* n;
quid aget adversùs peccatorem & criminoſum o Hebr. 10. 31.
ipſe, cujus *horrendum eſt incidere in manus* o? Si
Pater & Filius iſti conſentiant morti, ut quid
invehemur in Judam, *qui tradidit eum* p? In Judæ- p Matt. 26. 25.
os qui *quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum ut
eum morti traderent* q? In Pilatum, qui *Ieſum fla- q Matt. 26. 59.
gellatum tradidit eis ut crucifigeretur*? Et in carnifi- r Matt. 27. 26. & 35.
ce, qui *crucifixerunt eum* r? Si hæc mors decre-
ta erat in conclavi cœli, & talis erat voluntas
Patris, qui *tradidit illum*, juxta S. Paulum; & Fi-
lii, qui *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, ſecundùm Iſaiã.
Reſpondeo, nos poſſe duobus Paſſionem Filii
Dei intueri modis. E parte Patris & Filii ipſa eſt
ſancta, ſuavis, tota jucunda, & Sacrificium ex-
cellentiſſimum. E parte Judæorum, Judæ, popu-
li, Præſidis, & carnificum, in illos poſſumus ex-
candeſcere; quia Judas ex avaritia ob *triginta s Matt. 26. 15. & 25.
argenteos tradidit eum* ſ. Principes *Sacerdotũ per
invidiã* t. Præſes per timorem, *Si hunc dimittis, t Matt. 27. 12. & 18.
non es amicus Cæſaris* u. Et carnifices aut *milites
plectentes coronã de ſpinis*, quam *impoſuerunt capiti u Joan. 19. 12, & 16.
ejus* x, plus peregerunt ad cruciandum illum, x Jo. 19. 2. &c.
quàm fuiſſet ipſis imperatum.

Propter iſtas omnes rationes Sacrificium i-
ſtud eſt ergo gratiſſimum Patri æterno. Eſt et-
iam honorabiliſſimum Filio. Quia cùm Deus ſit,
ſicut Pater, ſatisfacit ipſe ſibi, juſtitiæ ſuæ, & ho-
norem ſuum reparat. Præterquàm quòd mors i-
pſius inſumit omnia ipſius attributa. Sapientiam
ſuam. Quæ *Sapientia* y, uti hoc medio ad ſatisfa- y Sap. 7. 24
ciendum Patri ſuo, & juſtitiæ ipſius! Quanta
Providentia in gratiam ſuarum creaturarum!
Quæ *Fortitudo ejus* z! Ubinam autem magis ap- z Habac. 3. 4.
paruit ea unquam? *Cornua in manibus ejus, ibi ab-
ſcondita eſt Fortitudo ejus*. Quæ Patientia ad ſuſti-
nenda tormenta præ tanta conſtantia! *Hinc vel
maximè Phariſæi Dominũ agnoſcere debuiſſe. patien-
tiã hujuſmodi nemo hominũ perpetraret*, ait Tertull.
a. Deinde, Dei Filius per Crucem conciliavit a Tert. l. de Patien. c. 3.
ſibi nomen Regis gloriæ, oportebat enim ut
priùs ſalutaretur *Rex Iudæorũ* b præ deriſu, quàm b Matt. 27. 29.
Rex gloriæ c. Cùm igitur mediâ Morte ſuâ con- c Pſ. 23. 10
ciliaverit ſibi hunc honoris titulum, concludite
hanc Mortem fuiſſe illi honorabilem, cùm per
eam virtutes exercuerit Theologicas, & Cardi-

nales,

Digitized by Google

nales; & deinde ſubditos ſibi conciliaverit, *Regnavit à ligno Deus* d. Crux eſt cauſa triumphurum ejus; clavis eſt quæ aperuit cœlum, quod clauſum fuerat uſque dum *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem* e. Mors ipſius fuit igitur ipſi honorabiliſſimum Sacrificium, ſicut etiam nobis maximè proficuum.

Heu! perieramos omnes, & Chriſtus per Mortem ſuam nos omnes ſalvavit, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* f. Hi clavi, iſte mucro lanceæ, hæ manus perforatæ, iſtud *latus* g apertum noſtram pepegerunt ſalutem; hic Sanguis effuſus remedium fuit ſalvandis animabus noſtris præſentiſſimum, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* h. In Morte ſua eſt Chriſtus Creator noſter, Magiſter noſter, & Salvator noſter. In Incarnatione factus eſt frater noſter, *Primogenitus in multis fratribus* i. In Euchariſtia, ejus *Caro verè eſt cibus; & Sanguis verè eſt potus* k noſter: Sed hic Creator noſter eſt. Heu! nihil eramus, lapſi in peccatum; creavit nos: peccatum eſt privatio gratiæ, gratia eſt forma animæ, ſicut anima forma corporis, *Forma dat eſſe rei.* Privans formâ, privat eam eſſe; peccatum privans animam gratiâ, deſtituit illam propriâ formâ, & ideò *ad nihilum* l redigit eam. Chriſtus per Mortem ſuam præbet nobis vitam, largitur eſſe gratiæ, Creator noſter eſt & Redemptor, pretium enim redemptionis noſtræ ſolvit, *Quæ non rapui, tunc exolvebam* m. Ibi nos ſalvat, & quoties Eccleſiam ingredimur, in ea Crucifixum videmus ut imaginem Dei noſtri; flectamus ei genua, agamus illi gratias pro illis quæ in gratiam noſtri operatus eſt, præbens nobis eſſe gratiæ quod amiſeramus, & ſolvens pretium redemptionis noſtræ ut Creator & Redemptor. Ecce quomodo Mors Chriſti omnium hominum juſtiſſimi eſt Sacrificium excellentiſſimum, & gratiſſimum Patri æterno, ipſi Filio honorabiliſſimum, & hominibus maximè proficuum.

Mors Juſtorum & Bonorum eſt etiam maximi momenti apud Deum, & ut ſic eſt illis maximè accommoda, *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus* n. Et ratio iſtius eſt, quia illam bona opera comitantur, *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Et jam beatitudinem ſunt aſſecuti conſeſtim ac extremum halitum vitæ expirant in Deo, *Beati mortui qui in Deo moriuntur* o. In obitu Iuſtorum & Bonorum actiones deprehenduntur & bonorum operum praxes; ipſi non fuerunt otioſi in vita ſua, virtuti incubuerunt & ſanctitati exercendæ, quandiu ſaluti ſuæ vacaverunt promovendæ; in modo procedendi vitæ illorum & mortis eorum obſervatur ordo Divinæ Providentiæ; cùm enim eos ad praxim bonorum operum induxerit in vita ipſorum, in morte illorum attendit ad omnia, diſponit omnia, tempus, locum, modum, & circumſtantias, & perſæpè eis mortem ipſorum revelat, ut S. Petro, *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei* p. S. Paulo, *Tempus reſolutionis meæ inſtat* q. Seraphico Patriarchæ S. Franciſco, & tot aliis Sanctis, quibus prædixit Deus obitum ipſorum. Videte in morte Moyſis, *Aſcende in montem Abarim* r. Vel, *Aſcendit ſuper montem Nebo* ſ. Iſtud eſt quoad locum. Quoad modum verò, *Mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini, jubente Domino* t. Seu juxta verſionem, *In oſculo Domini.* Animam ſuam exhalavit in os Creatoris ſui, qui inſpiraverat *in faciem ejus ſpiraculum vitæ* u. Qualis mors! *In oſculo Domini.* In gratia & in amicitia Dei fui.

Quòd moriatur quis ſuper throno, aut ſuper ſterquilinio, iſtud nihil intereſt illius qui mortem obit, dummodò eam oppetat in gratia Dei conſtitutus præ amore Divinæ ejus Providentiæ; quòd omni ſit deſtitutus auxilio, hoc nihil facit ad rem; Deus bonam petit mortem, non ſpecioſam mortem, qualem imaginatur mundus, cùm ait, Dominus N. benè mortuus eſt, Crucifixum eſt oſculatus, miſericordiam inclamavit, ſpecioſam peregit mortem. Hic eſt modus loquendi mundi, & forſan *in peccato* x ſuo mortali mortuus eſt, in malo obſtinatus, in ſtatu reprobationis; & ab omnibus adjutus eſt. Neceſſaria eſt bona mors. Quòd autem hâc pereat quis in ſuo cubili, aut foris, in mari deglutitus à piſcibus, aut in patibulo laqueo ſuſpenſus, morte naturali, aut violentâ, hoc nihil refert. Jeſu Chriſto Cruci ſuffixo medio inter duos *latrones* y, recuſatur aquæ guttula, *Sitis* z. Deſtitutus eſt ibi omnibus, non quidem Divinitate, ſed omnimodâ conſolatione, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* a? deſertus à diſcipulis ſuis, qui *omnes relicto eo fugerunt* b; & ab omnibus creaturis, *Et obſcuratus eſt Sol* c, qui renuit illi lucem ſuam. *Et terra mota eſt* d ad excutiendum Corpus ejus, & extrahendam ab eo ad ultimam uſque Sanguinis guttulam. Bona mors quæ vitam producit!

Sic Iuſti & Boni non moriuntur, quaſi morerentur, *Quaſi morientes, & ecce vivimus,* ait ſanctus Paulus e. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace* f. Videntur quidem mori, juxta peccatorum exiſtimationem, ſed re verâ ſunt viventes, cùm vivant vitâ gratiæ. Sic dicitur de Iuſto, *Obdormivit in Domino* g. Quòd mors illius potiùs dicenda ſit ſomnus, quàm interitus. Ideò Evangelium hodiernum ait de filia Iairi, quam Chriſtus à morte ad vitam ſuſcitat, quòd illa non ſit mortua, ſed quòd dormiat, *Non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Et de Lazaro dicitur, *Lazarus amicus noſter dormit* h. Sic *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis* i. Id eſt, *æternæ*, ait Gloſſa Ordinaria. Mortem ſibi effecerunt familiarem, eam cicuraverunt cogitatione continuâ, quam de illa habuerunt, deſiderio moriebantur; nullo afficiuntur tormento (quali vexantur improbi) dum deſerenda ſunt ipſis bona, quibus ſuos non alligaverint affectus; vitam habent præ patientia, & mortem præ deſiderio; *Non tanget illos tormentum mortis æternæ.* Non verentur mortem gehennæ intuitu peccatorum ſuorum quæ ipſi pœnitentiâ k purgaverunt; conſiderant quòd Deus habet coronam *juſtitiæ* l, quâ ſua præmietur ipſorum bona opera & merita. Sed quid fiet de corporibus illorum? Ha! *Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt* m. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum* n. *Et capillus de capite non peribit* o eorum. Deus diſponit omnia, locum, tempus, modum, & circumſtantias erga illos.

Juſti & Boni non moriuntur igitur, ſed ſolùm vivere incipiunt; ſic mors illorum vocatur dies nativitatis ipſorum, Natalis B.N. Vivere incipiunt verâ vitâ, quæ non eſt ampliùs morti obnoxia; *Abſorpta eſt mors in victoria* p. Nihil habet illa ampliùs Juſtis formidabile, cùm triduo

d Eccleſia ex Pſ. 95. 10.
e Epeſ. 4. 8. ex Pſ. 67. 19.
f Luc. 19. 10.
g Jo. 19. 34 &c.
h Apoc. 1. 5.
i Rom. 8. 29.
k Jo. 6. 55.
l Pſ. 72. 22
m Pſ. 68. 5
n Pſ. 115. 6.
o Apoc. 14 13.
p 2. Pet. 1. 14.
q 2. Tim. 4 6.
r Num. 27 12.
ſ Deut. 34. 1.
t Deut. 34. 5.
u Gen. 2. 7
x Jo. 8. 21.
y Luc. 23. 33.
z Jo. 19. 28.
a Matt. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.
b Matt. 26 56.
c Luc. 23. 45.
d Matt. 27. 51.
e 2. Cor. 6. 9.
f Sap. 3. 2.
g Act. 7. 60
h Joan. 11. 11.
i Sap. 3. 1.
k Luc. 7. 47.
l 2. Tim. 4. 8. & 7.
m Eccleſia
n Pſ. 33. 21
o Luc. 21. 18.
p 1. Cor. 15. 54. & 55. ex Oſee 13. 14.

Digitized by Google

Cùm Aſſuerus duxiſſet *noctem inſomnem, juſſit ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum ubi ſcriptum erat, quomodo nunciaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares eunuchorum, Regem Aſſuerum jugulare cupientium. Quod cùm audiſſet Rex, ait, Quid pro hac fide, honoris ac præmii Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſervi illius ac miniſtri, Nihil omnino mercedis accepit. Statimque Rex* præcepit illum *imponi ſuper equum qui de ſellâ Regis* eſſet, & ut eo ſic incedente, clamaretur *in plateâ civitatis, Hoc honore condignus eſt, quemcumque Rex voluerit honorare k*. Atqui Filius Dei nõ ſolùm noſtram aperuit proditionem, ſed etiam ei remedium appoſuit. Et tamen quam mercedem pro bujuſmodi beneficiis ſuſcipit à peccatore? Ne vel ullam gratiarum actionem, hæc omnia peccator obliviſcitur, iſtorum immemor beneficiorum.

b Eſth.6. 2. &c.

Non latet vos, Auditores, hiſtoria utriuſque Tobiæ *l*. Præcepit Pater Filio ut pergeret *Rages civitatem Medorum* ad Gabelum propinquum ſuum, cui aliàs ipſe quandam pecuniam mutuam concrediderat, ut illius ſummam ab eo exigeret. Ut diſponit ſe ad obediendum patri ſuo *egreſſus Tobias, invênit juvenem ſplendidum, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. Et ignorans quòd Angelus Dei eſſet, ſalutavit eum, & dixit, Vnde te habemus bone juvenis? At ille reſpondit, Ex filiis Iſraël. Et Tobias dixit ei, Noſti viam quæ ducit in regionem Medorum? Cui reſpondit, Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum, qui moratur in Rages civitate Medorum. Ambulaverunt ambo ſimul. Ingreſſi ſunt autem ad Raguelem, & ſuſcepit eos Raguel cum gaudio: & ait, Vnde eſtis juvenes fratres noſtri? At illi dixerunt; Ex tribu Nephtali ſumus. Dixitque illis Raguel, Noſtis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt, Novimus. Cùmque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem, Tobias, de quo interrogas, pater iſtius eſt.* Interim Angelus ſatagit Tobiam in matrimonio collocare cum filiâ Raguelis, quia uxores ducendæ erant ex eâdem tribu *m*, & gradus prohibiti tantùm erant inter fratres & ſorores; ſed cùm reluctaretur Raguel, eò quòd filia ipſius, cùm ſeptem habuiſſet viros, totidem iis ſeptem vidua effecta eſſet ſimul ac illis conjuncta, reſpondit illi Raphaël ut nihil timeret impoſterùm, quia ipſe expulſurus eſſet dæmonem, qui primos illius viros interfecerat, qui nullo modo eſſet ampliùs nociturus filiæ ipſius & futuro ejus ſponſo, ſicut nec nocuit peracto inter eos Matrimonio. Poſt hæc *Raphaël in Rages perrexit & inveniens Gabelum, dedit ei chirographum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam ſuam. Cùmque reverterentur, dixit Raphaël ad Tobiam, accede ad patrem tuum; ſtatimque lini ſuper oculos ejus ex felle iſto piſcis, quod portas tecum; ſcias enim quoniam mox aperientur oculi ejus. Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, linivit oculos patris ſui, ſtatimque viſum recepit. Tunc vocavit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei, Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum? Reſpondens Tobias, dixit patri ſuo, Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, uxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab eâ ipſe compeſcuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipſum à devoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare*, qui ita me obſtrinxit ac ſi meus frater fuiſſet, ſic ut illum hoc nomine nuncupaverim, *Azaria frater*?

l Tob. c.4. & ſeqq.

m Num. 36.6.

Ha! dicamus idem Chriſto, *Azaria frater*. Meliùs enim frater noſter eſt in Cruce, quàm Azarias fuerit Tobiæ. Sic eſt, Auditores: nam ampliora fecit pro nobis, nobis ſe peregrinationis noſtræ ducem exhibuit. Ha! intueor illum in hoc ſtatu doloris & paſſionis; *Quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus?* Quæ infinito modo excedunt ea, quibus cumulavit Tobiam Azarias, qui nihil pertulit, & tamen *Chriſtus paſſus eſt pro nobis n*. Aereum ſumpſit Azarias corpus, ſed Jeſus Corpus reale ſumpſit *o*, quod ipſe in cruce obtulit immolandum, & nos à morte liberavit, ut gloriam nobis præberet. Ingratitudinem inauditam peccatoris obliviſcentis hæc omnia! *Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Dei Filius mortem ſuſtinuit, nos verò eam timemus; mortem, inquam, quæ nihil eſt niſi privatio, nam privatio nihil eſt; timere igitur mortem, eſt timere nihilum; illa fit in inſtanti; dolores enim qui ſuſtinentur in morte, non ſunt effectus mortis, ſed ſenſus & effectus vitæ, tunc enim infirmus adhuc vivit, ſed mors unico peragitur momento. Ideò non debet illa formidari. Homines generoſi & probatæ vitæ eam contemnunt, imò eam deſiderant *p*, ſed ſolus timor judiciorum Dei *q* facit ut timeamus eam.

n 1. Petr. 2. 21.
o Joan. 1. 14.
p Philipp. 1. 23.
q Pſ. 118. 120.

Non igitur mors, ſed peccata noſtra terrorem nobis & timorem incutiunt. Ipſa ſynderelis inducit peccatorem ad extremas deſperationis anguſtias, quandiu ſua intuetur impius crimina. Tunc enim anima operationes habet vivaciores, lumina majora; peccata illo tempore videntur illi enormia; eorum intuetur ipſa numerum abſque numero, quantitatem, & qualitatem; hic viſus miro affligit eam modo, & illam in deſperationem agit. Peccatum igitur efficit ut mors ſit formidabilis impiis, non ipſa præciſè ſumpta, illam enim deferimus apud nos, ipſa eſt hoſpita noſtra, nec eam autumare debemus extraneam. Heu! impii ultimis iſtis momentis ſuſtinebunt *tormentum mortis r*, præ diſſolutione compoſiti; tunc enim deſerenda erit illis vita, quam ſic amaverunt, in quâ omnia ſucceſſerunt ipſis ad votum. Heu! quam moleſta eſt hæc ſeparatio divitibus, qui nihil recuſant ſenſibus ſuis, ſed omnia eis indulgent, *Siccine ſeparat amara mors ſ? O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis t!* Et tamen moriendum eſt eis, deſerenda ſunt illis bona, uxores, liberi, magnitudines, deliciæ, & omnia; & ſicut amaverunt vitam, interitus eſt illis ſupplicium, *tormentum mortis*. Unuſquiſque vitam amat; imò & ipſi miſeri, quibus illa nullum affert oblectamentum; quin etiam reus in profundam demiſſus foveam, catenis & vinculis conſtrictus, corpus præ ſe ferens quaſi ſemiputridum, vivit ibi contentus, præ expectatione ſe tandem illinc exiturum: Sed ſi prælegatur ei decretum mortis, quo feratur, ipſum in patibulo ſuſpendendum, & ſtrangulandum donec mors fuerit ſubſecuta, confeſtim deliquium patitur animi, in deſperationem redigitur, & anticipativè mortem ſuſtinet; deſiderium

r Sap. 3. 2.
ſ 1. Reg. 15. 32.
t Eccli. 41. 1.

autem vitæ cuſtodiendæ hæc omnia in illo peragit Et ego dico quòd gradus vitæ in plantis, quatuor qualitates & ſenſus ultra vitam in animalibus, & ratio ſupra hæc omnia in homine, ſunt omne id quod fecit Deus magnum in hoc orbe, ſunt miraculum potentiæ ejus; & ſicut ille eſt
u Joan. 14. 6. prima *Vita u*, eſſentia ipſius eſt Vita ſua, noſtra autem eſt communicatio illius, *In ipſo enim vivimus x*. Sic ipſe non poteſt aliquid dare majus vi-
x Act. 17. 28.
y Joan. 10. 28. tâ, *Vitam æternam do eis y*. Omnes homines amant vitam, & quidam ex Regibus Galliæ noſtræ morbo decumbens, deferendas ſategit in cubiculum ſuum omnes Reliquias ſacras in monaſterio S. Dionyſii quieſcentes, & accerſivit S. Franciſcum de Paulâ eximium illum thaumaturgum e Calabriâ, ut oraret pro ſe, mortem veritus, & timens amittere vitam, quæ non deſeritur niſi ægrè, præſertim ab iis, quibus omnia ſuccedunt ad deſiderium.

Hoc eſt *tormentum mortis*, hæc nimirum funeſta ſeparatio peragenda eorum, quæ unuſquiſque maximè diligebat, quæque vehementiſſimè carnem demulcebant & ſenſus, *tormentum mortis*. Id eſt, *æterna* juxta Gloſſam. Sed eſt & alterum infortunium majus iſto, ſupplicium, quod magis affligit quam hoc, ſcilicet timor gehennæ & mortis æternæ, qui procedit è ſynderesi vitæ criminoſæ peccatis inquinatæ. Heu! qualis gehenna! quantum ſupplicium homini improbo videre ſe angi à ſemetipſo! *teſtimonium reddente*
z Rom. 2. 15. *conſcientiâ z* ipſius; intueri quomodo vixerit, quâ ratione in impium caput ſuum attraxerit iram Dei, indignationem Angelorum, & horrorem omnium hominum. Interius ejus eſt alter infernus, in eo omnes dæmonum patitur pœnas. Si caput ſurſum elevet, Deum videt iratum, tenentem præ manibus gladium ardentem quo ipſum exterminet; ſi intuitus ſuos deorſum deprimat, infernum conſpicit apertum & hiantem ad ſe deglutiendum: ſi circũ ſe oculos ſuos projiciat, deprehendit diabolos paratos ad ſe arripiendum, & in inferos præcipitandum, ſi ſemetipſum ingrediatur, ſynderesis eſt ipſi intolerabilis. Ecce id quod agit mors infortunata impiorum, *Mors peccatorum peſſima*. Profundas infixerant vitæ radices, vix eas poſſunt avellere, & ideò maximas perpetiuntur violentias, *tormentum mortis*.

Eligite nunc, Auditores. En duæ mortes, *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus a*; ſicut *a* Pſ. 115. 6.
& *Mors peccatorum peſſima b*. Quo modo vixeritis, eodem moriemini; bona mors fructus eſt & effectus bonæ vitæ; talis eſt mors qualis fuit vita, *b* Pſ. 33. 23.
quandiu impii mortem obire volunt ſimilem morti hominum probatæ vitæ. Poſtquàm *aperuit Dominus oculos Baalam, & vidit Angelum ſtantem in viâ evaginato gladio c*, quo ipſi mortem minabatur inferre, dicebat ſceleſtus iſte homo, *Moriatur* *c* Num. 22. 31.
anima mea morte Iuſtorum, & fiant noviſsima mea horum ſimilia d, etiamſi profligatam duxiſſet vitam. Ultimum vitæ noſtræ momentum ſequitur *d* Num. 23. 10. &c.
æternitas beata, aut infelix, attendite ad iſta, obſecro. In hunc tantùm venimus mundum ut hic diſceremus benè mori. Nihil eſt majoris momenti, quàm vitam noſtram bono fine concludere. Imitemur Chriſtum *e* hâc ultimâ vitæ *e* Luc. 23. 34.
noſtræ horâ; diſponamus negotia noſtra, ſicut idem Chriſtus dat paradiſum bono Latroni *f*, *f* Luc. 23. 43.
matrem ſuam S. Joanni Evangeliſtæ *g*, *veſtimenta h* ſua carnificibus, *Corpus i* ſuum Eccleſiæ, & Patri æterno ſuum *ſpiritum*. *Conſummatum eſt k* poſt iſta omnia. Sic ſatagite ut hâc ultimâ horâ veſtrum condideritis teſtamentum, diſpoſueritis univerſa negotia veſtra, ita ut de ſolo Deo, & de rebus veſtræ ſalutis cogitetis quietè, cùm agatur de æternitate felicitatis, aut infortunii, & animus veſter ſolutus ſit ab omni affectu circa terrena, & feratur totus ad cælum, & ad praxim omnium virtutum ſupernaturalium, ut mereri poſſit gloriam æternam.
g Joan. 19. 27.
h Joan. 19. 23.
i Matth. 26. 26.
k Joan. 19. 30.

FERIA V. POST DOMINICAM III. ADVENTVS.

Cùm autem veniſſet ad domum, acceſſerunt ad eum cæci. Matth 9. 28. &c.

COnfeſtim ac venit Dei Filius Capharnaum *ad domum* ſuam ordinariam, quam ſuâ bonorabat habitatione, prædicatione ſuâ, & miraculis ſuis, adierunt illum duo homines cæcitate percuſſi, enixè rogantes eum ut miſeriæ ſuæ dignaretur misereri, ſibique beneficium luminis concupiti impertiri. Propoſitæ ſibi ab illis non reſpondet Salvator ſupplicationi; nec aliquid illorum orationi indulget quandiu poſt ipſum contentâ voce inclamant in viâ, quantùmvis importunæ ſint eorum preces; ſed differt eos conſolari, viſumque ſic deſideratum illis largiri, donec pervenerit *ad domum*, ut ex eorum perſeverantiâ ad petendum infallibilem eruat probationem fidei illorum æquè ac deſiderii, quo ducebantur, recuperandi beneficii luminis, quo erant orbati præ cæcitate ſuâ, quæ maxima erat ipſorum pœna. Modus procedendi illorum in hoc eſt laude dignus, quòd non exauditi in viâ, per quam tranſibat Dei Filius, ſequuntur eum Capharnaum *ad domum* uſque ipſius, quæ erat veluti cathedra ipſius Doctoralis, cùm reliquiſſet Nazareth, ubi manſerat circiter *quaſi anno-*
a Luc. 3. 23. *rum triginta a* ſpatium, ut inciperet prædicare Capharnaum, ibique doctrinæ ſuæ Evangelicæ conciliare authoritatem, eamque ſigillo miraculorum ſuorum obfirmare, hâc ductus conſideratione, *Quia nemo Propheta acceptus eſt in patriâ ſuâ b*, & honorem ibi conciliare ſibi poteſt, etiamſi ibidem producat ſplendentia opera, & *b* Luc. 4. 24.
populorum admirationibus digna. Ideò *relictâ civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum. Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum c*. Et luxum & vitia corripere incolarum *c* Matth. 4. 13. & 17.
illius, ut removeret eos ab affectu terrenorum, quibus erant alligati, & illos induceret ad inquirenda cæleſtia, miraculis ſuis æquè ac ſermonibus. In hâc civitate ab ipſo, Centurionis Cornelii *paralyticus puer ſanatus eſt d*. In eâdem *d* Matth. 8. 6. & 13.
civitate S. Petri Socrus febrientis *tetigit manum, & dimiſit eam febris e*. Dæmoniacos curavit: *e* Matth. 8. 15. &c.
Alium paralyticum ſanavit: Mulieri ſanguineo fluxu laboranti ſanitatem reſtituit: Filiam Jairi Principis Synagogæ Capharnaum defunctam revocavit ad vitam: Hodie verò viſum præbet duobus cæcis, dicens eis, *Creditis quia hoc*

poſſum

poſſum facere vobis. Teneriſne fide firmâ quòd ego poſſim vos illuminare ? quòd quia *ego ſum Lux mundi f.* poteſtatem habeam luminis communicandi veſtris oculis, qui illius amabili ſunt deſtituri beneficio ? *Dicunt ei , Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundùm fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum.* Quod peragitur in domo Capharnaum, quæ eſt figura Eccleſiarum noſtrarum, in quibus Dei Filius reſidet corporaliter ſuper altaribus noſtris , *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi g.* Quique duos iſtos cæcos illuminans , docet nos quòd , cùm ſint *omnia nuda & aperta oculis ejus* h, *intuetur* i ipſe omnia quæ agimus , & cogitamus in iſtis Templis ſacris ; & quòd ibi manere debemus præ eàdem reverentiâ , quâ Sacratiſſima Virgo Mater ſua ipſum ſuſcepit in utero ſuo *k* eo momento quo dixit ei Angelus , *Ave Maria.*

f Joan. 8. 12.
g Matth. 28. 20.
h Hebr. 4. 13.
i 1. Reg. 16. 7.
k Luc. 1. 31. &c. ex Iſai. 7. 14.

Neſcio quibuſnam innitantur ii , qui præſumunt declinare ab intuitu oculorum Dei, & Divinæ notitiæ ejus , cùm neſandum aliquod perpetrare intendunt ſcelus. Autumare enim quòd ille foret cæcus, planè eſſet negare illius Divinitatem , quod eſt graviſſimum omnium criminum, non velle agnoſcere eum, qui nullo ignorari poteſt modo, ut aſſerit Tertullianus *l*, *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quam ignorare non poſſunt.* Idcircò ſanctiſſima & religioſiſſima cogitatio præ omnibus illis quas efformare poſſumus ingredientes ſacra noſtra templa , hæc eſt , conſiderare quòd non poſſumus evitare viſum & cognitionem Dei, qui videt omnes noſtros procedendi modos, quod probabo in priori parte iſtius diſcurſus præſentis , ut cognitio hujus veritatis inducat nos ad cuſtodiendam reverentiam & decentiam ſacris Locis iſtis debitam. In poſteriori verò parte, quòd conſideratio intuitûs iſtius & præſentiæ Dei impedire debet ne eundem Deum pravo noſtro agendi modo offendamus.

l Tert. in Apologet. c. 17.
Diviſio.

Sicut *in principio creavit Deus m* è nihilo omnia quæ ſunt extra ipſum , ſic poteſt & illa ad nihilum redigere, & diebus ſingulis in loco iſtarum creaturarum alias ſubrogare. Hoc autem fieri non poteſt niſi Deus omnia intueatur loca, æquè ac univerſas creaturas. Si verò imaginaremini Deum agere more aliquorum cæcorum, qui, licèt nihil videant, movent tamen manus, & alias exercent motus actiones , Propheta *n* ad deponendum errorem veſtrum vos induceret , cùm ait, Deum alloquens , *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Quaſi diceret , quòd Deus ſola manus ſuæ explicatione univerſa ſuis replet benedictionibus , ſed quòd ad redigenda hæc omnia ad ſuum priſtinum nihilum ſufficit ut ipſe tantiſper ſuos deprimat aut avertat oculos, & ſtatim cuncta iſta deordinabuntur : *Avertente autem te faciem , turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.* Quia oculus & manus Dei nunquam ſe deſerunt, & ſunt eadem res; & confeſtim ac Deus ſuos ceſſat intueri creaturas, non ſubſiſtunt hæ ampliùs. Præterea, Auditores , Ille qui præbet aliis oculos & intellectus, nunquid ſibi optimos omnium reſervaverit; Ipſe qui indulſit hominibus & Angelis virtutem videndi & agnoſcendi, num ſemetipſum cæcum fecerit & ignarum ; *Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non conſiderat o ?*

I. Pars.
m Gen. 1. 1. &c.
n Pſ. 103. 28. & 29.
o Pſ. 93. 9.

Repræſentaturi nobis Ægyptii efficaciam oculorum Dei , utebantur puncto. Sicut enim punctum omnes intuetur partes circumferentiæ ; ſic oculus Dei æqualiter cognoſcit omnes res mundi. Sed clariùs loquitur Eccleſia *p* poſt Prophetam , *Quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.* Quod Genebrardus *q* vertit, *In manu ejus ſunt penetralia terræ.* Non ſolum id quod eſt apertum & manifeſtum hominibus , ſed etiam loca illis abſcondita ; & ab eorum cognitione ſemota , poſita ſunt in manibus Dei. Et lectio Hebraica ibidem fert , *In manu ejus ſunt fundamenta terræ.* Quod intelligere poſſumus ad literam. Vel poſſumus dicere , eum ferre præ manibus ſuis cor hominis, quod eſt fundamentum omnium actionum ejus , juxta id quod ait Salomon , *Cor Regis in manu Domini ; quòcumque voluerit , inclinabit illud r.* Sed miror modum loquendi Prophetæ, cùm ait , Deum ferre præ manibus ſuis fundamentum partis infimæ terræ, & oculos ſuos habere applicatos intuendo faſtigio altiſſimorum montium. Nunquid non ſatis eſſet ut actio viſus comitaretur actionem manuum ipſius? Etiam : hoc videretur magis ad rem juxta apparentiam. Sed Propheta attenderat ad ea quæ agit bajulus, cùm onus aliquod ſurſum vult elevare grave; obſervatis enim eum illud manibus ſuis accipere , ſed eodem tempore illum ſummam ejuſdem oneris partem aſpicere; videtur autem ille hoc intuitu dirigere actionem manuum, & quòd onus non poteſt niſi ritè dirigi quandiu oculi illius bajuli intenti erunt ad partem ejuſdem oneris altiſſimam aſpiciendam: Propheta igitur volens nobis oſtendere, quod Deus ſuſtineat & gubernet ſapientiſſimè omnem orbis machinam, ait, eum tenere manus ſuas in imo & in fundamento illius, quod eſt centrum terræ , & quòd ſuos deferat oculos ſuper faſtigium montium; licèt propriè loquendo plenus ſit oculis & manibus, cùm oculi & manus Dei ſint una & eadem res , nec illi ſint unquam ſine iſtis ; quidquid enim ſuſtinet ipſe , id videt ; & quidquid videt, illud ſuſtinet , & gubernat. Propheta *ſ* igitur appoſitè dicebat , *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat , & humilia reſpicit in cælo & in terrâ ?* Fieri-ne poſſet ut inveniretur aliquis inter falſos Deos , qui innumeri erant inter Antiquos, & quibus iſti idololatræ cæci adorationes & reverentias ſoli vero Deo *t* debitas exhibuerunt, qui ita oculos habeat perſpicaces ac Deus , quem colimus ? *Deum inſpectorem omnium juſtum novimus,* ait S. Juſtinus Martyr *u.* Et S. Baſilius *x* dicit. *Cùm nos ad Dominum reſpexerimus , fuerintque oculi noſtri ad ipſum , ut dicere poſſimus , Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum , ſic oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum : tunc velut attrahimus oculum Domini ad noſtri inſpectionem.*

p Eccl. ex Pſ. 94. 4.
q Genebr. in Pſ. 94. 4.
r Prov. 21. 1.
ſ Pſ. 112. 6.
t Exod. 20. 3. &c.
u S. Juſtin. apolog. 2. pro Chriſtian.
x S. Baſil. hom. 8. in Pſ. 32. ex Pſ. 122. 2.

Dicat Salomon *y* quantùmvis voluerit ſe tres res inveniſſe intellectu difficillimas , & quartæ ſe omnino fuiſſe inſcium , nec ſumma ſapientiæ ſuæ eò potuiſſe pervenire ut notitiam hujuſmodi ſibi comparaverit, quâ comprehenderet diverſos motus & varias agitationes , quibus cietur adoleſcens ; adinventiones quas comminiſcitur, aſtutias quas adhibet , & fraudes quibus utitur ut facilem ſibi pandat viam ad exequenda conſilia ſua , *Tria ſunt difficillima mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri*

y Prov. 30. 18. & 19.

ſuper terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentiâ. Super quæ Salazar *z* ait; *Interpretatio Vulgatæ lectionis ſic habet. Tria ſunt difficilia mihi, ſed quartum reliqua difficultate ſuperat, id autem eſt, Via viri in adoleſcentiâ, propter inſtabilem, ac mobilem naturam ejus ætatis: quaſi dicat, difficile eſt imò planè impoſſibile, viam aquilæ aëra tranantis, & colubri per nudam petram labentis, ac navis per liquidas aquas ruentis dignoſcere, ac certò deſtinare; ſed longè difficilius eſt adoleſcentis mores & ingenium aſſequi, & aſſignare propter ejus ætatis inſtabilem ac diſſonem.* Hoc procul dubio efficiebat ut Sapiens, qui aliunde dicebat de ſe, *Ecce præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Jeruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici a;* è ſapientiâ ſuâ excidiſſet, aut ſaltem in ipſo parum illius remaneret, cùm reverâ ſapientia ipſius exiliſſima foret comparata Sapientiæ Dei, cui omnia ſunt facilia, & nullæ res difficiles, *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui b.* Quaſi diceret Deo Propheta, Domine conſtituiſti præ oculis tuis omnem iniquum noſtrum procedendi modum, univerſae pravas actiones noſtrae, tandem ætas noſtra & cunctæ illius partes tibi ſunt ita manifeſtæ, ut omnes exceſſus juventutis noſtræ, & univerſæ inſaniæ ſenectutis noſtræ tibi ſint viſibiles. Verbum enim Hebræum, quod reſpondet ad *Seculum noſtrum*, idem ſonat in ſubſtantiâ, ut docet Genebrardus *c*, ac errores noſtros, negligentias noſtras, ignorantias noſtras, ſecretum noſtrum, adoleſcentiam noſtram. Hæc omnia innuunt nobis, quòd qualicumque modo noſtra diſponamus negotia, aut illa alteremus, ſub quolibet prætextu peccemus, præ ignorantiâ, aut præ infirmitate, aut præ malitiâ; ſive clam, ſive palàm, hæc omnia patent oculis Dei luce ipſa clarioribus, *Oculi Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes d.* Sol enim poteſt quidem intuenda nobis exhibere corpora, quæ luce ipſius ſunt illuminata; ſed ipſemet non poteſt videre id, quod luminis ſui beneficio aliis præbet intuendum: Deus autem non ſolùm reddit res viſibiles, cùm illis ſuum communicat lumen, ſed etiam eas clariſſimè præ omnibus videt ac diſtinctiſſimè, *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus e.* Quaſi diceret Deo David, Obſcuritas tenebrarum non impediet quominùs omnia videas, ut exponit S. Hieronymus *f*, *Id eſt, tam clara ſunt omnia, quæ à te putantur occulta, ut manifeſtiora ſint luce.* Et idem planè eſt oculis tuis, quòd dies appareat & lucem ſuam diffundat, aut nox tenebris ſuis obſcuretur, cùm à Sole tuum non emendices diem aut ſplendorem, ſed ſolus tuus intellectus Divinus, qui functionem obit oculorum æquè ac luminis, omnia tibi patefaciat.

[z Salazar in Prov. 30.18. & 19.n.185.] [a Eccl. 1. 16.] [b Pſ. 89. 8.] [c Genebr. in Pſ. 89. 8.] [d Eccl. 23. 28.] [e Pſ. 138. 12.] [f S. Hier. in Pſ. 138. 12.]

Verum enimverò agiturne de videndis illis quæ ſunt in cœlis, & de cognoſcendâ nomine proprio Stellarum ſic innumerâ multitudine? *Numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat g. Quàmvis enim numerus nobis ſit incognitus, tamen in ſe eſt certus & determinatus, & cognitus à Deo qui fecit illas. Et, quod plus eſt, non ſolum Stellarum numerum cognoſcit, ſed & omnes earum virtutes, ex quo omnibus ſtellis propria nomina dedit. Nomina enim debitè poſita rebus, imponuntur à rerum proprietatibus & virtutibus. Et ideò ſicut quælibet Stella propriam habet virtutem, licet incognitam nobis, Deo tamen cognitam, ſic & proprium nomen habet à Deo impoſitum ſibi,* ait Incognitus *h*. Suntne videndæ atomi per aërem volitantes, & aſpiciendi diverſi venti quibus agitatur idem aër, quæ duo videntur eſſe objecta imperceptibiliſſima eorum omnium quæ oculus videre poſſit? Ipſe eſt *qui producit ventos de theſauris ſuis i*, & æquè facilè ac ſi maximi eſſent montes, iſtæ atomi, & hi venti, diſtinguit, *formans montes, & creans ventum k.* Suntne aſpicienda verba quæ erumpunt ex ore hominis? Ha! ipſe illa audit, antequàm pronuncientur, eaque annunciat illi, qui vellet ea pronunciare, *Annuncians homini eloquium ſuum l.* Nunquid conſiderandæ ſunt viæ illorum qui incedunt, & eorum paſſus aſpiciendi? *Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat m?* Ut autem intelligatis quid velit nobis innuere Job ſub nomine viarum & greſſuum, Auſcultate, ſi placet, quomodo S. Gregorius *n* hæc verba explicet, *Quid viarum nomine niſi actiones denunciat? hinc enim per Jeremiam o dicitur: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra. Quid verò greſſus appellatione, niſi vel motus mentium, vel profectus accipimus meritorum? Sic autem Dominus uniuſcujuſque conſiderat vias, ſic dinumerat greſſus, ut ne minutiſſimæ quidem cogitationes, ac verba tenuiſſima, quæ apud nos uſu viluerunt, ejus judicio indiſcuſſa remaneant.*

[g Pſ. 146. 4.] [h Incognit. in Pſ. 146. 4.] [i Pſ. 134. 8.] [k Amos 4. 13.] [l Idem ib.] [m Job. 31. 4.] [n S. Greg. l. 21. mor. c. 4.] [o Jer. 7. 3.]

Hoc eſt quod ipſe Dei Filius confirmat in Evangelio *p*, noſtras comparans cogitationes capillis, qui earum ſunt ſymbola, *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt.* Nihil ita exile & tenue eſt in homine ac illius capilli capitis; nihil minoris æſtimatur quàm illi; & tamen quantùmvis exiles ſint & tenues, nullus ex illis in ſuo conſtitutus eſt loco ſine ſpeciali Providentiâ Dei ob particulare aliquod conſilium, *Quoniam omnia & quantumcumque parva, & vilia, diſtinctè & perfectiſſimè cognoſcuntur à Deo,* explicat Dionyſius Carthuſianus *q*. Nec ullus ex illis cadet ſine ſpeciali mandato Sapientiæ ejus, *Et capillus de capite veſtro non peribit r.* Quia *ſpiritualiter, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ,* ait idem Dionyſius *ſ*. Quas omnes Deus intuetur. Videtur hoc paradoxum, & tamen ſana veritas eſt, quia omnis ſapientia, totaque intelligentia, quâ *fecit cœlos in intellectu t*, & alias orbis eximias creaturas, eadem inſumitur ad conſervandum unicum capitis capillum, & ad diſcutiendam cogitationum veſtrarum minimam. Poſt hæc autem putaretiſne abſcondere aliquid oculis illius? imaginareminine eum eſſe cæcum? auderetiſne aliquid eo inconſulto aggredi? & præ vobis ferre cor ſic profundum & ſic ſemotum, ut illud penetrare & intimè pervadere non poſſet intelligentia ejus? *Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium; quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis novit nos u?*

[p Matth. 10. 30.] [q Dion. Carth. art. 20. in Matth. 10. 30.] [r Luc. 21. 18.] [ſ Dion. Carth art. 44. in Luc. 21. 18.] [t Pſ. 135. 5.] [u Iſai. 29. 15.]

Peccator cæce quid cogitas agere, cùm Deum offendis in Locis iſtis Sacris, in ſanctâ ejus Domo, per infames praxes tuas, per jocos tuos, per amicitias tuas criminoſas, per ſermones tuos impudicos, & per geſtus tuos inſolentes? Ha! conſidera, obſecro, quòd Chriſtus te intuetur ex tranſverſo Tabernaculi iſtius. Audeſne te proſtituere ad malum? Pudoremne eò uſque amiſiſti ut tua perpetrare velis ſcelera coram Deo qui te contemplatur, & qui tibi minatur?

Putaſ-

Putaſne quòd diu ſuſtineat hanc vitam infamem, has abominationes, quarum vel imagines contrariæ ſunt innocentiæ; hos actus ſic inhoneſtus ut inquinent ipſimos quod ipſos nominat? Duceturne minori zelo quàm affectus fuerit aliàs Phinees, qui poſtquàm *unus de filiis Iſraël intravit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe, & omni turbâ filiorum Iſrael, qui flebant ante fores Tabernaculi, cùm vidiſſet, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem x*? [x Num. 25. 7. & 8.] Nunquid non dicis Cynicos fuiſſe infames qui ſuas perpetrarent ſpurcitias coram hominibus? In quonam cedis illis? Impudentiâ illos præcedis, cùm ſcias quòd Jeſus Chriſtus te videt, & non te pudet agere palam eo illud quod ipſe prohibet *y*, [y Exod. 20. 14. &c.] & deteſtatur, & quod ſuſtinere nullo poteſt illius patientia modo. Similis es impudico illi Abſaloni, qui *ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo populo z*. [z 2. Reg. 16. 22.] Et qui contra conſuetudinem ſimiliom ſibi, qui medias quærunt tenebras inter quas ſua ſcelera perpetrent, (*Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus a*) [a Joan. 3. 20.] voluit ut effrænium ſuarum Sol teſtis eſſet actionum. Si ſola præſentia Viri ſapientiâ & virtute præditi impedivit ne Romani peterent celebrandos ludos in honorem Deæ Floræ, in quibus puellæ nudatæ incedebant, ne impudicitiæ inſimolarentur à Catone; & Vultus virtutis ſeveræ, quæ immodicè à diſſolutionibus abhorrebat, erat ipſis veluti diſcurſus validus, qui ipſos ad modeſtiam induceret præ ſe ferendam; quomodo potes præ oculis Dei indulgere tuis pravis affectibus id omne, quod ipſos demulcet, & tuum corpus tot peccatis inquinare? Sed cogitaſne te eſſe ſolum in exercendis ſpurcitiis tuis? Nonne meminiſti quòd oculi Dei univerſam intuentur terram? Illene ſolus eſt, quem contemplantur Angeli? Magis ſtipatus es Spiritibus in his Locis ſacris, quam circumcinctus es parietibus, qui te oculis hominum eripiunt. Cherubini circunſtant te; & in eodem loco, in quo te profanas, Seraphini clamant *alter ad alterum, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus b*. [b Iſa. 6. 3.]

Nunquid res non eſt inaudita, & pudor intolerabilis viſu, quòd puellæ & mulieres, præſertim verò fœminæ conditionis non vulgaris, quæ honorem & ſplendorem gloriæ ſuæ ponunt in modeſtiâ, ad ſacra noſtra veniant Templa luxu immodico *compoſita, circumornata ut ſimilitudo templi c*, [c Pſ. 143. 12.] propter hunc finem ut illic videantur non oculis Dei, ſed oculis hominum, ut amorem eorum pravum ſibi concilient, & corda illorum eripiant; accendendo ea ſuorum flammis oculorum veneficis? Ha! ſatius eſſet ut iſti æquè ac illæ cæcutirent (ſi mihi liceat iſtud efformare deſiderium in ſpirituale hominum hujuſmodi emolumentum.) Sed quid? Poteritiſne me induceere ad credendum, quòd ſolido polleatis ingenio, & magni veſtram ducatis famam, ſi quandiu eſtis in his Locis ſacris, coram Deo veſtro, oculos veſtros imprudenter, ne dicam impudenter, circùm circà agatis, & volvatis, ut obſervetis quiſnam ingrediatur, & quis exeat; ibique veſtros præ vobis immodeſtè feratis ſinus apertos & nudatos coram Dominis Sacerdotibus incumbentibus miniſteriis ſacris, quos agnoſcere debetis *ut Angelos d*, [d 1. Cor. 11. 10.] vacantes in terris exercendo officio, quo Spiritus cæleſtes perfunguntur jugiter in cælis? Sed licèt ſacroſancta hæc iſti Sacerdotes peragant Myſteria, hoc non impedit quominùs ſint homines, & dicere poſſint ſinguli,

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto e: [e ex Senec. Epiſt. 95.]

& ut ſic oculos habeant carneos, & animam fragilem & obnoxiam incurrendis defectibus qui eſſe poſſet criminoſi. Diabolus inſenſus cultui Divino, nihil magis ambit quàm eum obſcurare, illumque infamem reddere, ideòque ſatagit obvias vos exhibere intuendas his Miniſtris Dei, præ vobis ferentes facies hilares & comptas, quæ illos avertant facilius à ſancto Officio, cujus exerceant munia, quæque præ imprudentiâ veſtrâ eos à pietate abducant. Sed nunquid non exiſtimatis, quòd Angeli, ſpiritus illi cæleſtes, qui inconcuſſâ potiuntur gloriæ æternæ felicitate, & qui non obſtante totâ ſplendenti Beatitudine, quâ ſunt circundati, magnæ tamen ducunt gloriæ, Divinis intereſſe obſequiis, quæ Domino ipſorum ſupremo exhibentur in Templis noſtris ſacris, iraſcentur adverſùm vos, ſi obſervent vos huc venire ut oblectetis eos, qui nullâ perfundi debent voluptate, niſi in contemplatione ſummæ Majeſtatis, cui ſerviunt & ſummas impendunt adorationes? Nonne audiviſtis unquam, quomodo illi viginti quatuor ſenes, quos S. Joannes Evangeliſta *f* [f Apoc. 4. 10. & 11.] vidit proſtratos coram throno Agni, diademata ſua projiciebant ad ima throni ejuſdem, facies præ ſe ferentes pavimento adhærentes, nec ſuos ocolos audentes attollere coram hujuſmodi Agno. Omnes erant illi Reges, & ideò congruentiùs, quàm vos, illum reſpicere poterant thronum, cui inſidebat Agnus; ſed ubi adverterunt eum fuiſſe thronum Agni puri & innocentis, veriti ſunt ne in ſe haberent aliquem defectum, qui impediret ne decenter poſſent apparere coram Agno; ipſos puduit in ſuis deferre diademata capitibus coram eo qui totus erat plenus innocentiâ; & ſimul ipſi proteſtati ſunt, quòd ipſe ſolus mereretur diadema deferre, & ſibi omnium creaturarum aſciſcere obſequia; *Procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes, Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creaſti omnia & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Vos autem, cùm nihil ſitis habitâ comparatione cum eximiis iſtis viris, apparebitis coram Altari ſacro, quod eſt thronus iſtius Agni immaculati, vanitate redundantes, & præſumetis circumſtantium oculos ſuper vos attrahere, & caput attollere præ tantâ temeritate, quantâ ſi conſtaret vobis quòd eidem throno hujus Agni poſſetis inſidere,

Sed nunquid arrogantia non eſt intolerabilis viſu aliquem qui adſtet coram Judice ſuo, aut palam ſummo ſuo Principe, ut ad interrogata reſpondeat juridica ſibi proponenda, & efflagitet indulgentiam perpetratis ſceleribus ſuis ab eo impendendam, cùm ſit reus; aut ut eximium aliquem ab illo ſibi conciliet favorem, & præ illo maneat ſine honore & abſque reverentiâ, vultum præ ſe ſic ferens alacrem ac ſi lis ipſius perducta eſſet ad victoriam, quaſi verò ipſe non indigeret favoribus ſui Principis, aut Judicis?

N 3 Sanè

Sanè poſſetis inſimulari nimiæ præſumptionis & vanitatis, cùm non conſideret ſtatum in quo ipſe ſit poſitus, & quantùm indigeat Principis, aut Judicis ſui favore ſibi comparando. Nunquid hoc non deberet eum compellere ad proſternendum ſe humiliter coram eo, & præ ſe ferendam faciem pudore ſuffuſam? Sed illæ magis ſunt temerariæ, & majoris inſimulandæ ſunt præſumptionis, quæ noſtra conveniunt ſacra Templa ut rex, aut valdè indigentes, cùm procumbentes in genua ante ſummam Dei Majeſtatem, ut ab illâ ſuarum efflagitent veniam culparum, vel ut favores illius emendicent ſpirituales æquè ac temporales, teſtantur tamen actibus ſuis, & compoſitione corporum & vultuum ſuorum, ſe de illis non eſſe multùm ſolicitas, ſeque non ducere majoris, videri oculis Dei, quam oculis hominum. Cor præ vobis fertis hilare, & faciem ridentem, & oculos veſtros hac, illac, & circùm circà volvitis, ut aſpiciamini, & attentè conſideremini ab omnibus. Et quare hoc? Ideò vel quia eſtis innocentes, ut imaginamini, & ut ſic autumatis vos non indigere impendendâ vobis miſericordiâ (quod vix ego crediderim, cùm, juxta Prophetam, in

g Iſai. 3.16 noſtra Templa *nutibus oculorum* g eutites; id eſt, *obliquando oculos; obliquando ſcilicet oculum jaciendo in juvenes & amaſios, & petulanter eu annictando, quod illicii & meretricu certiſſimum eſt ſignum,*

h Cornel. in Iſai. 3. 16. ex S. Chryſoſtom. ait Cornelius h) difficile poſſitis eſſe innoxiæ. Seu quia creditis, quòd homines veſtris neceſſitatibus ſublevandis non erunt impares, ſed è contrà ſubminiſtrabunt vobis omnia, quibus indigetis. Si propter prius ſacra Templa noſtra convenitis, non opus eſt ut veſtra genua flectatis; ſoli enim rei & criminoſi genua debent flectere. Si ob poſterius, non opus etiam eſt ut veniatis in Eccleſiam, quia Eccleſia *domus orationis*

i Matth. 21. 13. ex Deut. 14. 25. i eſt; in quâ proponuntur Deo ſupplicationes, & ubi manifeſtantur ei neceſſitates, in quas redactus eſt ille qui hujuſmodi offert orationes Deo, ut illis ſublevandis requiſita provideat

k Baruch. 3. 25. bonitate ſuâ, quæ *non habet finem* k.

II. Pars. Dico ſecundò, Quòd conſideratio intuitus & præſentiæ Dei, impedit ne eum offendamus. Cognitio iſta Dei eſt lampas. Nam ſicut peccatum eſt actus cæcitatis, peccator non vult videre faciem Dei quandiu illum offendit, nec intendit ut ipſum videat Deus cùm ipſe ſe crimine inquinat, ut majorem præ ſe ferat libertatem agendi illius omnis quod ſibi placuerit. Modus autem declinandi à peccato perperrando, eſt ſibi præſentem Deum ſemper imaginari, ſicut verè ſemper nobis adeſt, *Quærite Dominum, &*

l Pſ. 104. 4 *confirmamini; quærite faciem ejus ſemper l.* Et quærentes faciem illius jugiter, experiemini vos in gratiâ confirmatos. In facie Domini duo ſunt oculi, dexter & ſiniſter. Dexter, quo intuetur eos qui aliquâ concutiuntur validâ tentatione, & qui verentur ne fragilitate ſuâ abripiantur, ut eis animos adjiciat, & cuſtodiat in eis bonam voluntatem, quam habent, ipſum non offendendi, *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum.* Siniſter, quo aſpicit ſed facie minanti & iratâ illos, qui facilè & voluntate deliberatâ feruntur ad peccatum, *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam*

m Pſ. 33. 16. & 17. *eorum* m.

Prior iſte intuitus ſic erat propitius S. Antonio Abbati, ut cùm diebus ſingulis diverſimodè ſolicitaretur à dæmonibus, qui apparebant ei modò ſub figurâ ſpecioſarum mulierum ut deſtruerent ejus puritatem; modò ſub ſpecie hominum divitum, ut inducerent eum ad revocandam renunciationem, quam fecerat omnium temporalium; aliquando modo, quo ſe intuendos exhibent, ordinario, horribiles vultus præ ſe ferentes, eumque virgis acerrimè cæderent; certitudo quam habebat, quòd à Deo aſpiceretur, efficiebat ut has omnes vexationes patienter ſuſtineret. Unde cùm extraordinariè & viſibiliter flagellis fuiſſet aliquando exceptus ab iiſdem diabolis, nec tamen ſolitâ perfuſus fuiſſet conſolatione, imaginatus eſt quòd forſan Deus ipſum non vidiſſet, & peracto agone, ſuos reſumens ſpiritus, ſic ſuaviter Deum eſt allocutus, Heu! Deus meus, ubi eras modò cum certamini expoſitus eram? Et ſtatim audivit vocem dicentem ſibi, Ne moleſtêris Antoni, tunc enim eram in angulo cubiculi tui, ubi deliciabar videre te præliantem cum diabolo inimico meo.

Nunquid non conſideratio hujus præſentiæ Dei præbuit etiam S. Stephano animum generoſè ictuum lapidū tolerandorum, cùm ſuos projecit oculos in labefacturam quam vidit in cœlis, per quam videbat Dei Filium præ manibus tenentem diadema, quo ipſius eſſet coronaturus eximia merita, & præſervantem interim ipſum ne laberetur in deſperationem inter ingentem grandinem lapidum, quibus impetebatur? *Cum eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei* n. Hinc n Act. 7. 55. &c.

dixit Seneca o, *Non vides quid habeat Iuppiter in terris pulchrius, ſi convertere animum velit, quàm ſpectare Catonem jam partibus non ſemel fractis ſtantem nihilominùs inter ruinas publicas rectum.* Ego autem meliùs dicere poſſum quam Seneca, qui erat Ethnicus, quòd ſi Deus capax eſt ſuſcipiendæ alicujus voluptatis è rebus quæ in hoc mundo peraguntur, illas proculdubio hauriet delicias, cùm intuebitur animam impugnatam à dæmonibus, à carne, vel à mundo, ſollicitatam ad perpetrandum aliquod peccatum, magnanimiter hujuſmodi violentis reſiſtere inſultationibus, & proficuè uti inſpirationibus à ſe ipſi ſubminiſtratis, ſicut miles coram Duce ſuo, novis animatum ſeſe experitur viribus, & duplici animo roboratum ad peragenda eximia facinora bellica. Iſtud autem ſatisfacit Deo noſtro, modo mirabili, cùm ſic præliantes generosè nos intuetur, *Providebam Dominum in conſpectu meo*

o Senec. lib. Cur bonis viris mala accidant. c. 2.

ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear p, p Pſ. 15. 8.

ait Propheta. Qui alibi loquens de eo, qui Deum actionibus ſuis non intuetur præſentem, dicit, *Non eſt Deus in conſpectu ejus; inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore* q. Statim ac impius obliviſcitur Dei, omnia, quæ ſunt ejus, ſordida ſunt. q Pſ. 9. 26.

Non recordatur peccator ſe in præſentiâ Dei conſtitutum eſſe? Heu! omnia opera illius ſunt abominabilia, cuncta verba ejus ſunt diſſoluta, univerſæ cogitationes ejus ſunt immundæ, omnia exercitia ejus ſunt infamia, univerſæ tandem illius ſemitæ corruptæ ſunt & depravatæ. Sicut agri, qui nunquam Solem intuentur, non poſſunt aliquid producere, quod præ ſe bonum ferat guſtum, & omnes fructus qui ex eis procedunt, immaturi ſunt & inſipidi: ita illi, qui nunquam vident verum Solem, qui eſt vultus Dei, nullam poſſunt producere actionem, quæ ſit tantiſper meritoria, omnia in illis ſunt depravata, nec ullo modo amicitiam Dei merentur.

Verum

Verum enimverò cùm peccato ſe quis inquinar, ſi cogitarer Deum ſe intueri, & eſſe præſentem, proculdubio nunquam aliquid peragere ſuſciperet, quod ei diſplicere poſſet. Ha! ſi mulieres illæ, quæ dicunt ſe eſſe inſignes peccatrices, & ſe valdè indigere gratiâ Dei, quæque noſtra conveniunt ſacra Templa ad illam inquirendam, ſedulò cogitarent, Deum ibi intereſſe, in iis certè ſe gererent conformiter ad ſua deſideria; illas puderet ibi adeſſe in apparatu parùm modeſtiæ Chriſtianæ conſono, nuditates ſuas ſcandaloſas velo obtegerent, ut præ ſe ferrent pudorem quo ſuffunderentur ob peccata ſua, & hæc conſideratio impediret ne offenderent Deum, ratæ quòd ſemetipſas Deus intueretur.

Ingentem peccatorum ſuorum intuitus Rex Manaſſes numerum, nec ipſum aſpicere audebat vel cœlum, *Peccavi ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum r.* Et Publicanus *à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: Sed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori ſ.* Magdalena verò noluit alloqui Chriſtum facie ad faciem, quid dico, alloqui? quin imò aperire os ſuum coram eo, aut labia ſua movere, quandiu *oſculabatur pedes ejus*, & non habens ampliùs velum, quo caput ſuum tegeret, ita ſuos ſparſit capillos ut illis operiratur tota, cùm *pedes ejus capillis capitis ſui tergebat.* Nec voluit videri, aut caput ſuum erigere priùs quam audiiſſet, *Remittuntur tibi peccata t.* Vos verò quæ pluribus fortaſſis eſtis oneratæ peccatis, quam eſſet illa, audebitiſne apparere nudatæ in his Locis ſacris coram ſummo Judice veſtro, nedum præ vobis ullum ſeratis pudorem, ullam humilitatem, aliquam peccatorum veſtrorum recognitionem, & aliquem timorem judiciorum Dei? Quin imò convenientes huc ut veſtrorum vobis concilietis hîc indulgentiam criminum, inducitis alius ad perpetranda nova ſcelera exeerabiliora mediis veſtris obtutibus & compoſitionibus immodeſtis.

r 2. Paral. 36. in orat. Manaſſ.

ſ Luc. 18. 13.

t Luc. 7. 37 &c.

Diſcite à Paganis, quòd vix oculos habere deberetis, quibus cœlum ipſum contemplaremini. Videte quomodo Nationes barbaræ, quæ nullam habebant aliam Divinitatis notitiam præter eam, quàm à naturali hauriebant ratione, agnoſcebant tamen, non decuiſſe mulieres faciem ſuam apertam viris intuendam exhibere, ut ait Tertullianus *u*, *Judicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiâ frui luce, quàm totam faciem proſtituere*, ne fortè lapidem offenſionis ſe præbuiſſent viris præ aſpectibus inhoneſtis. Illi igitur & illæ qui modeſtiam non cuſtodiunt decentem ſacra Templa, nunquid non merentur ut Deus indignationis & juſtæ iræ ſuæ fulmina mittat in impia ipſorum capita, ut ipſos privet Templo gloriæ ſuæ, & ipſos ejiciat *in tenebras exteriores x* inferni, expellendo ipſos ex illo paradiſo deliciarum cœleſtium, ſicut Adamum idem *emiſit Dominus Deus de paradiſo voluptatis y* poſt peccatum ipſius? Sed ſicut eſt Deo proprium parcere & miſericordiam largiri iis, qui confitentes peccata ſua, proſternunt ſe ante thronum Divinitatis ipſius, hanc poterimus mereri veniam, ſi imploremus ipſius miſericordiam, quæ noſtrarum cæcitati ſpirituali medebitur animarum. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus* in *auxilio opportuno z.* Quæ illuminabit animas noſtras in hoc mundo, donec perfectiſſimè illuminentur in gloriâ paradiſi.

u Tert. lib. de Vel. Virgin. c. 17.

x Matth. 8. 12.

y Gen. 3. 23. &c.

z Hebr. 4. 16.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem: & ejecto dæmonio locutus eſt mutus: & miratæ ſunt turbæ. Matth. 9. 32. &c.

POſtquàm exclamavit S. Paulus *a*, contemplatus Dei magnitudines, quas fatetur incomprehenſibiles, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* petit præ curioſitate, aut fortaſſis per ironiam, utrùm ſit aliquis qui gloriari poſſit, ſe cognoſcere cogitationes ejuſdem Dei: Aut num inveniatur quis qui eo temeritatis proceſſerit ut illi præſumpſerit præbere conſilium quoad pertractanda negotia ipſius: Vel tandem an reperiatur ullus ita dives, qui munus aliquod tribuere valuerit Deo, cùm Deus qui magnificus eſt, nec ſinit ſe à creaturis ſuperari quoad bonam voluntatem, ſit illud ubertim retributurus. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Jure merito mirari poſſum bonitatem Dei in curando hoc muto dæmoniaco, cui diabolos ſic arctè conſtringit os, linguam, & guttur, ut illum ſuffocet, nedum hic loqui poſſit, aut clamare & ſuum malum publicare. Sed id quod me magis inducit ad admirandam Divinam Providentiam, eſt, quòd, cùm juxta Græcum *κωφὸν*, *ſurdus magis quàm mutus intelligatur*, ex S. Hieronymo *b*, & *fides ex auditu c* fiat, nullam habebat fidem, quâ ſe dignum redderet hoc miraculo, ſicut fidem habuit Virgo Sanctiſſima ut evaderet Mater Dei, veluti teſtatur ei S. Elizabeth, *Beata quæ credidiſti d* verbis Angeli dicentis tibi, *Ave Maria.*

a Rom. 11. 33. &c. ex Iſai. 40. 13.

b S. Hier. lib. 1. in Matth. 9. 32.

c Rom 10. 17.

d Luc. 1. 45. &c.

Difficile eſt cogitatu ſine lacrymarum effuſione de lapſu Protoplaſti noſtri deplorando *e*, cùm mala, quibus imperimur, noſtram excedant notitiam; & infirmitates, quibus laboramus, ferè ſint infinitæ. Inter infirmitates autem iſtas, quinque obſervo præcipuas. Quarum prima eſt, Quòd ſicut ille ſpirituales faſtidivit delicias, ut ſe converteret ad voluptates ſenſibiles, ex tunc naturaliter ferimur ad delicias ſenſuum, & languemus quoad mentis operationes. Secunda, Quòd ſicut ſtatim poſt hanc prohibitionem, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas* *, tranſgreſſus eſt id quod ſibi fuerat vetitum, ita ut præferret exiguam voluptatem oris, & beneplacitum conjugis ſuæ, expreſſæ voluntati Dei; ita ex tunc in nobis *ſenſus & cogitatio prona ſunt ad malum f*; & inclinantur ad ea quæ nobis ſunt prohibita, more avis quæ quieta manet in nido, ſed ſi inde educatur, & in caveâ collocetur, ſtatim circùm circà volat, ut libertatem ſuam quærat.

e Gen. 3. 6. &c.

* Gen. 2. 17.

f Gen. 8. 21.

Tertia,

Tertis, Quòd ſicut adhæſit inſpitationi ſerpentis, qui *mendax eſt*, *& pater* † mendacii; ita (†Joan. 8. 44.) ex tunc magis ſumus proclives ad mendacium, quàm ad veritatem. Quarta, Quòd ſicut *abſcondit ſe Adam à facie Domini Dei* * (* Gen. 3. 8); ſic nos adhærentes huic Patri infortunato, fugimus à Deo quandiu ipſe nos quærit ut noſtris provideat commodis, offerens nobis noſtrorum indulgentiam criminum; nos autem noſtra abſcondimus vitia & peccata, quantùm poſſumus, non ſolùm ipſis hominibus, ſed etiam Deo in tribunali Confeſſionis, ubi ſatis eſſet illa apetire Sacerdoti, cui commiſſa eſt authoritas ab eodem Deo, eorum abſolvendorum, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* g. (g. Joan. 20. 23.) Quinta tandem, Quòd ſicut Adam inobedientiam ſuam in uxorem ſuam retulit, eam accuſando, *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: Et Eva peccatum ſuum refudit in ſerpentem, illum accuſans, *Serpens decepit me, & comedi*: ita illud habemus proprium veluti hæreditariâ ſucceſſione nobis à Protoplaſtis noſtris relictum, ut noſtra ſemper excuſemus peccata, & accuſemus aliena, quod procedit ex pudore quo ſuffundimur ob noſtra, cùm alienorum non pudeat nos. Sed nunquid non ſatius eſt erubeſcere & confundi in Confeſſione coram homine, quàm pudore operiri per totam ætemitatem palam Angelis & hominibus? Oportet ut pudor Confeſſionis inſerviat nobis pro ſatisfactione & pro pœnâ peccatis noſtris debitâ, non autem ut nobis os præcludat, & nos mutos efficiat in magnum noſtræ ſalutis æternæ diſpendium. Sed artificium Satanæ, ſerpentis hujus infernalis, qui primos noſtros ſeduxit Parentes, pudorem nobis eripit cùm peccandum eſt, eumque nobis reſtituit cùm de confitendis agitur peccatis noſtris. Idcircò imitatur modum agendi latronum quando ſuffocare volunt hominem, manum ſuam faucibus ejus trucem applicant, & quinque digitis ſuis os illius & guttur ejus conſtringunt, ita verentur ne clamet, donec eum ſuffocent: ſic agit diabolus adversùs nos, nobis os conſtringit quinque digitis ſuis, ut inclamare non poſſimus miſericordiam, & noſtra confiteri peccata, & ſic nos ſuffocat, & noſtram miſerabiliter molitur ruinam. Sed per nos ſtat repellere violentiam hujus inimici noſtri communis, adjutos gratiâ Dei, quæ nobis non deerit; miraculum operabitur illa in gratiam noſtri, ſicut prodigium ipſa peragit erga hunc *hominem mutum dæmonium habentem*, cui Dei Filius linguam ſolvit, quemque eripit è tyrannide dæmonis. Per nos igitur ſtat repellere hos quinque digitos, quibus inimicus noſter machinatur jacturam noſtram. Hi autem ſunt quinque variæ imaginationes, quibus ipſe nos faſcinat, quæ diſcurſus iſtius ſeriem component,

Diviſio. Prima, eſt Pudor. Secunda, Apprehenſio difficultatis virtutis. Tertia, Timor aſperitatis pœnitentiæ. Quarta, Spes prolixæ vitæ. Quinta tandem, Cæcitas & inſenſibilitas rerum animæ.

I. Pars. Incipio & dico, debere nos elevare oculos animæ & fidei noſtræ, & intueri id quod propoſitum eſt nobis in cœlo, & illud quod à nobis requiritur in terrâ. Efflagitatur à nobis exiguus pudor ac momentaneus, & gloria nobis offertur æterna. Deus noſter, qui eſt *Pater miſericordiarum* h magnum & ſolemne (h 2. Cor. 1. 3.) parat convivium gratiæ & gloriæ filio ſuo prodigo, *Dixit Pater ad ſervos ſuos, Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur* i. (i Luc. 15. 22. &c.) Sed pudor aliquorum momentorum impedit deſideria & gaudia hujus amantis Patris cœleſtis, & ne congratulentur ei amici illius ob inventam *ovem quæ perierat*. Sed quomodo detegam huic Viro, me in tantam fuiſſe lapſum immunditiam? Quid fiet de me, ſi ſciatur me fuiſſe hujuſmodi immerſum ſordibus? Et ſic hæc omittuntur inquinamenta, & ſacrilegium perpetratur. Si verò tantam quis inferat ſibi violentiam ut iſta confiteatur; celat tamen circumſtantiam perſonæ peccati conſciæ, & ſi hæc ab eo efflagitetur, manet ille mutus, ſine linguâ, & abſque corde, *Et factus eſt ſicut columba ſeducta non habens cor* k. (k Oſee 7. 11.)

Ha! Auditotes, pudetne vos fateri veritatem, ut concilietis vobis ſalutis veſtræ æternitatem? Nunquid non veſtrum debetis in hâc vitâ judicium peragere, ne fortè in alterâ vitâ ad damnationem judicemini æternam? Cur erubeſcitis confiteri, cùm latêre non poſſitis? Niſi confiteamini, in damnationem incurretis æternam, tacendo, à quâ poſſetis declinare, confitendo. Salutem ſuam meliùs operatur, & latet quis, peccata ſua aperiendo, cùm Confeſſio non tantùm tegat, ſed etiam deleat peccata, *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata* l (l Pſ. 31. 1.) mediâ ſalutari Pœnitentiâ. Non Judicem, ſed Patronum ſeſe exhibet Deus illis qui ſemetipſos accuſant ante faciem ejus, petendo ab illo veniam, dummodò ante eum erubeſcant. Sed hæc erubeſcentia, pudor iſte ita citò tranſit, ut cum ſonitu verborum aufugiat, & nobis gratiam & miſericordiam conciliet. Ha! nunquid non iſtud veſtra pectora commovet? Nonne ita ſunt indurata veſtra corda ut illa minarum Dei fulmina non poſſint commovere, & dulcedines promiſſionum ejus demulcere, & ad ſe trahere? Pudorem veremini momentaneum, & non formidatis confuſionem æternam quâ operient vos dæmones in inferno? Timetis coram homine, ſed non magis non timebitis coram hominibus ſeculorum omnium? Quid poteritis reſpondere Deo in diſcuſſione examinis ipſius ſeveri? cùm dicet vobis, Ut quid tot contra bonitatem meam perpetraſtis ſcelera? aut poſtquàm iis vos inquinaſtis, quare ea non eſtis confeſſi, & illa ſalutari Pœnitentiâ non diluiſtis m? (m Luc. 13. 3.) Dicetiſne quòd pudor impedivit vos ne ea confiteremini? Ha! nunquid non ſcitis quòd vellet Deus ut pudor iſte futura eſſet pars ſatisfactionis impendendæ ſibi pro criminibus veſtris? & velut medicina efficax ad corrigendas culpas veſtras? vos autem hanc medicinam convertiſtis in venenum, & mavultis mori *in peccatis veſtris* n, (n Joan. 8. 21.) & veſtram *ſecundùm duritiam, & impœnitens cor, iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei* o (o Rom. 2. 5.) theſaurizare vobis, quàm vivere in æternum, obedientes mandatis illius. Ecce ſimiles facti eſtis equo pavore concuſſo, qui vanam aliquam

veritus

veritus umbram, in præcipitium ſeſe projicit, vel miſeris illis ſcabioſis, qui medelam ſibi applicandam reſpuunt, ne ſcabiem ſuam manifeſtare cogantur. Pudet vos propalare peccatum veſtrum Confeſſario? Nonne videtis eum eſſe hominem ſicut vos, neque propterea à communi tributo immunem eſſe quoad peccata æquè ac vos? Quare cogitabitis quòd Sacerdos tunc credat vos immundos, quando veſtra intuetur apoſtemata aperta & ſupputata, & vos perfectè ſanatos? aut inimicos Dei, cùm tradatis hos principes infernales, id eſt, peccata veſtra ſacro tribunali juſtitiæ ipſius? Pudor iſte immodicus eſt frænum quod diabolus veſtro imponit ori, eoque medio circumquaque trahit vos quò vult, donec vos ad infernum perduxerit. Sed nunquid non maximus eſt pudor frænari more beſtiæ, & duci inſtar jumenti & vecturæ Satanæ? Quin imò pudor hic eſt pollex, quem gutturi veſtro applicat, ne veſtra Sacerdori confiteamini peccata. Eventilate pudorem veſtrum, clamate; nonne videtis hunc pudorem è ſuperbia procedere? Utquid tantùm veremini oculum Confeſſarii veſtri, quantùm oculum baſiliſci? Nimia reflexio ſuper vosmetipſos, immodicus amor propriæ famæ hanc in vobis cauſat erubeſcentiam. Timetis ne vos Confeſſarius flocci pendat. Cur autem vultis ut vos æſtimet propter illa, quæ vosmetipſi nihili facitis? Bona æſtimatio, quam de vobis concepit, eſtne præferenda gratiæ Dei, quam vobis conciliabitis? Ducitisne tanti hanc bonam famam, ut veriti ejus jacturam, malitis privari felicitate æterna, & acquirere infernum tormentorum? Conſtituitisne felicitatem veſtram in bona opinione hominis? Exiſtimatisne vos beatos propter bonam opinionem quam de vobis efformavit, etiamſi ſitis improbi? Quæ infelicitas, quòd multi ſua vincant peccata pœnitentiâ & contritione quam de illis concipiunt; & deinde ſuccumbant pudori, quo ſuffuſi non audeant illa confiteri, & ſic omnes ſuas profligent victorias? Nunquid non actus eſt victuris, honoris, & gloriæ, evacuare peccata ſua in Confeſſione? Cur autem pudet vos producere actum ita virtuoſum, ſic honorabilem, & tam glorioſum? Quid cogitatis autem quid ſit confiteri ſcelera veſtra? Hoc non eſt aliud niſi producere & magnificè elevare victorias veſtras. Nam pravum iſtum ſuperatis pudorem, eumque glorioſè expellitis, & quoties peccatum aliquod fornicationis, adulterii, aut inceſtus, aliudve hujusmodi confitemini, illud vincitis, mortem illi infertis, & glorioſum de illo reportatis triumphum. Si homo veneno infectus, virus hauſtum evomat, & ſanus evadat, nonne dicitur quod vi naturæ venenum expulit? Sic vomentes delicta veſtra, expellentes ea è conſcientia veſtra medio auxilio gratiæ, de illis victores evaditis. Cùm dicitis, Tale perpetravi ſcelus, & tale, quorum me pœnitet; devictos à vobis demonſtratis hoſtes, quorum intuenda exhibetis corpora, quæ ſunt veſtrarum tabulæ victoriarum; & quò majora & numeroſiora fuerint illa, eò magis authenticum de generoſis veſtris facinoribus perhibebunt teſtimonium. Quodnam jucundius ſpectaculum, & quodnam auguſtius ſacrificium videri poteſt, & Deo præſentari, ruinâ tot horribilium inimicorum Dei, & ejusdem pœnitentis, qui de illis glorioſâ reportatâ victoriâ gaudet & exultat, *videns ſubverſionem inimicorum ſuorum* p? Nonne magnus error ille eſt, quo quis imaginatur, quòd probroſa & ignominioſa ſit hæc victoria, ipſumque pudeat ſeſe commendabilem exhibuiſſe iſto generoſo facinore contra potentiſſimos inimicos præ omnibus illis, cum quibus unquam dimicare poſſimus, & quorum expugnatio eò majorem ſecum gloriam invehit, quò ipſi fortiores fuerunt & invincibiliores?

p Eccl. 25. 12.

Quânam gloriâ inſignitur generoſus eques videre ſe diſtricto gladio hoſtes ſuos conterentem, & ex eorum cadaveribus acervos facientem à dextra ſua & à ſiniſtra tanquam totidem magnanimitatis ſuæ trophæa? Et ideò Romani jure meritò nō decernebant honorem triumphi niſi iis, qui quinq; millia hominum occidiſſent, ut obſervat Calepinus q, *Lege cautum eſt, ne quis triumpharet, niſi qui & quinq; millia hoſtium unâ pugnâ cecidiſſet.* Et ſic nemo meretur triumphum gloriæ æternæ, qui nō occiderit non ſolùm quinque millia inimicorum Dei, ſed omnes inimicos Dei & animæ ſuæ, qui non ſunt alii niſi peccata. Nullus intercedere igitur debet pudor in peragendo hoc præclaro facinore, in inſumendo in hoc, tempus, in permanendo diu coram Confeſſario, & eo ſæpè repetendo. Verùm enimverò magna inſania eſt aliquem pudere incumbere actioni ſic heroicæ, & ita ad operandam ſalutem neceſſariæ. Quænam impietas! pudere aliquem ſe purgare eo, quo ipſum non puduit ſeſe inquinare. Pudor ſanè eſt hic intolerabilis, à recta ratione alienus, & ſaluti noſtræ ac felicitati inimicus. Quid nobis prodeſt ut quis meliorem putet nos habere conſcientiam, quàm habeamus; ſicut eam vituperationes & calumniæ nō poſſunt offendere, eamve malam efficere, ſi illam præ nobis à peccatis immunem feramus? Satagere tantùm debemus ut illam efficiamus bonam boniâ & frequentibus Confeſſionibus & Communionibus, & ſinamus obgannire eos qui noſtram bonam famam lacerare præſumpſerint. Quò meliores ſunt homines, eò etiam ſæpiùs confitentur. Quot Sacerdotes & Religioſi Inſtituti Cultores & Cultrices bis & ter ſingulis confitentur hebdomadis, quia ſtimulis aguntur conſcientiæ propter res, de quibus ne alii quidem cogitant? In ſemetipſis deprehendunt defectus, quos alii videre nō poſſunt, quia ſunt illuminati gratiâ Dei, ſicut absq; radiis Solis videri non poſſunt atomi in aëre volitantes. Repellamus igitur hunc pollicem Satanæ, id eſt, hunc pudorem malignū qui eſt origo funeſta omnium infelicitatum noſtrarum. Planum faciamos hunc montem, qui impedit ne *paremus viā Dni, rectas ſemitas ejus* r faciēdo; ſcilicet timorem ne nō poſſimus abſtinere à peccatis conſuetis; & difficultatem, quæ occurrit in praxi virtutis exercendæ, quæ eſt ſecunda mea pars.

q Calepin. in Dictionar. v. Triumphus.

r Luc. 3. 4. ex Iſai. 40. 3.

II. Pars

Reus aliquis in carcere incluſus, qui facilè egredi poſſet è carcere, nunquid non inſanâ ageretur phreneſi, ſi inde nollet exire, veritus ne illinc ſemel egreſſus, apprehenſus denuò, illuc iterùm remitteretur, præſertim verò ſi gravis alicujus conſcius criminis, morti imminenti ſibi infligendæ obnoxius eſſet? Sic ille qui in carcere peccati mortalis conſtitutus eſt, læſæ Divinæ reus Majeſtatis, jam jam ejiciendus *in tenebras exteriores* ſ, nonne *ſtultiſſimus virorum* t omnium eſt, nolle ex eo exire, timens ne in ipſum relabatur? & nunquid non loqueretur inconcinnè, ſi diceret, Quomodo continere me poſſem ab hac praxi? Qua ratione cuſtodire poſſem ca-

ſ Matth. 8. 12.

t Prov. 30. 2.

ſtitatem, pergens ad Confeſſionem, ſciens me perpettaturum denuò eadem ſcelera, & ſtatim relapſurum in eadem crimina? Annon foret hoc ſtatum miſerandæ conſcientiæ meæ magis depravare? Qualis mons eſt timor iſte! Tentat nos Satanas digito hujus apprehenſionis, ſeu cogitationis. Sed conſiderandum eſt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ gratiam præbet, & tanta vis eſt Confeſſionis, ut perſæpè is, qui illam adit omni bono deſtitutus affectu, ab illa recedat commotus interiùs; & frequenter ille qui ad illam accedit attritus, ab eadem revertitur contritus. Theriaca expellit venenum, & pravos conſumit humores: Sacramentum verò debitè ſumptum, pravos propulſat affectus peccati, & pravas diſſipat conſuetudines. Cùm ſemel ex aliquo compulſus eſt latro fugere loco, in illum denuò redire formidat; ſic peccata non ita citò revertuntur eò, unde expulſa ſunt; nec tantam præ ſe fert diabolus audaciam aut magnanimitatem contra eos qui ipſum probroſè ex ſemetipſis fugaverant. Nihil magis eum fugat, quàm cùm ipſe detegitur; nec illum aliquid magis dejicit, quàm cùm ſecretæ illius fraudes apetiuntur, & ſatanicæ ejus ſuggeſtiones eventilantur. Peccata, ad quæ nos inducit perpetranda, ſunt ſecreta illius, quæ ideò ipſe ſatagit abſcondenda, quantùm poteſt; ſi verò ea deteguntur, in rabiem agitur ille, & pudore ſuffuſus, fugam capeſſit. Cur igitur deſperabimus non poſſe nos peccata noſtra deſerere, & in emendatæ vitæ bonam nos recipere frugem, cùm non audeat nos aggredi, quantùmvis exiguum ex parte noſtra agamus? Pœnitentia, quam injunget nobis Confeſſarius noſter, erit nobis armaturæ validæ loco adversùs hunc hoſtem communem; pœnitentia, quæ non eſt formidanda, cùm peccatum incluſum in conſcientiâ multò magis cruciet & affligat, quàm tota pœnitentia quæ nobis poſſit imponi, *De abſconditu tuis adimpletus eſt venter eorum* u. Super quæ ait Incognitus x, *Per ventrem autem accipe mentem, quia ſicut in ventre quæ exiſtunt, ab oculis hominum abſconduntur: ſic quæ manent in mente. Quæ eſt cauſa, quare de abſconditis tuis, id eſt, de peccatis adimpletus eſt venter eorum, id eſt, mens ipſorum.* Sed quid accidet? Confeſtim ſinguli contentâ voce inclamabant, *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo* y. At quodnam remedium huic dolori placando conſonum applicandum? Evacuatio, Confeſſio, & quò ſæpiùs ad hoc remedium recurrit quis, eò ſanior inde evadit. Sed confiteri tempore Adventus, aut Quadrageſimæ; oportebit deinde denuò Confeſſionem reiterare ſolemnitate Nativitatis Domini, aut Paſchatis adveniente: Nonne ſatius erit expectare illud tempus, ut unicâ ſimul peragantur omnia Confeſſione? Infirma ratio eſt iſta, Auditores: Nunquid ita grave non eſt aliquas febres pati intermittentes, quàm illas ſuſtinere continuas? potiri aliquâ intermiſſione à phreneſi, quàm eâ laborare perpetuâ? tolerare aliqua dementiæ intervalla, quàm jugiter eſſe inſanum? Nemo eſt qui de hac ambigat veritate. Sic meliùs eſt ad aliquantum tempus ſe in ſtatum gratiæ reſtituere, quàm ſemper in ſtatu peccati remanere; ſe reddere aliquando victorem de diabolo, de peccato, & de carne, quàm ab illis ſemper vinci; præterquàm quòd incertitudo temporis, dierum, & vitæ non promittit nobis infallibiliter otium & copiam confitendi tempore Natalis

u Pſ. 16.14

x Incognit. in Pſ. 16. 14.

y Jer. 4.19.

Domini, vel Paſchæ. Si autem moriamini tempore Adventus, aut Quadrageſimæ, quid agetur de vobis inconfeſſis? Cavete ne pondus peccatorum veſtrorum præcipitet vos in infernum. Ut autem illis exonerari poſſitis, eſt peragenda vobis nunc pœnitentia quandiu poteſtis, nec frigeſcere debetis ob aſperitatem pœnitentiæ.

III. Pars.

Hâc tertiâ utitur Satan apprehenſione, ſeu cogitatione, aut iſto timore ut tertio digito ad ſuffocandum peccatorem, & ad impediendam Confeſſionem illius. Sed ha quàm vanus & riſu dignus eſt timor iſte aſperitatis & rigoris pœnitentiæ! Tranſierunt priſca illa ſecula Eccleſiæ naſcentis, quibus Confeſſarii ſeptem annos integros in peragendâ pœnitentiâ pro ſingulis peccatis mortalibus expiandis tranſigendos pœnitentibus imponebant; nimis quàm ſit par indulgentes ſunt Confeſſarii hodierni, & perſæpè in ſuarum diſpendium conſcientiarum. Pœnitentia non eſt ſic aſpera, nec ita rudis digeſtu, qualem imaginantur aliqui. Dei Filius ſuum vocat *jugum ſuave, & onus leve* z. Perſuadere nobis conatur ut illud noſtris imponamus humeris, *Tollite jugum meum ſuper vos.* Et ideò illud ſic ipſe vocat, quia maximam illius partem ipſe defert. Eſtisne depreſſi ſub inſultatione tot inimicorum qui vos inſequuntur? Concuſſane eſt virtus veſtra? Eccleſia ſancta bona Mater veſtra ſinum ſuū vobis offert ut *ſub umbra alarū* a miſericordię Sponſi ſui vos protegat. Eſtisne deſertores ſolemnes militiæ Chriſtianæ, cui veſtrum dediſtis nomen, & veſtram alligaſtis fidem? Eſtisne rei læſæ Divinæ Majeſtatis? Hæc eadem Eccleſia vobis præſentat veſtri criminis indulgentiam, & innumeros conſequenter favores mediis ſuis Sacramentis. In ſanam igitur revertimini mentem, *Redite prævaricatores ad cor* b, vobiſque proponite utiliter capeſſere ea, quæ ipſa vobis offert auxilia gratiæ, quæ fluit in canalibus Pœnitentiæ, ut illius interventu conciliare poſſitis vobis eminentem gradum beatitudinis. Incipite ex nunc vos conſecrare Deo, & dicite ei, *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam* c. Deus meus, dedicare tibi volo vigorem annorum meorum, nedum vincendum me ſinam puſillanimitate, & rigore imaginario pœnitentiæ, ut felix ſit ſenectus mea, nedum ad illud tempus pœnitentiam differam.

z Matth. 11.30. & 29.

a Pſ. 16.8.

b Iſai. 46.8

c Pſ. 58.10

IV. Pars.

Repellendus eſt hic quartus digitus ſpiritus maligni, ſeu rejicienda eſt hæc quarta imaginatio præſumptuoſa ſpei prolixæ vitæ, quæ ſpes validiſſimum eſt veneficium, quod noſtras faſcinat animas, & efficit ut expectemus, nos id facturos tempore futuro quod peragere debemus præſenti propter animarum noſtrarum ſalutem. Hic quartus eſt digitus, quo conſtringit nos diabolus, hæc eſt quarta imaginatio quæ nos faſcinat penitus, iſta nimirum ſpes, quæ tot animas in *ſupplicium æternum* d inferni præcipites agit. Juvenes ſumus nos, hæc eſt tempeſtas opportuna genio indulgendi, & voluptatibus ac deliciis diffluendi: ſupererit ſatis temporis expiandorum deinde illorum omnium exceſſuum, & reducendi nos ad probitatem, & ad bonam emendatæ vitæ frugem nos recipiendi. Id eſt, Ad bellum pergo, confeſtim ac redux fuero, huic bono vacabo operi, & intra terminos vitæ moderatæ me redigam. Appoſitè quidem. Vade ad bellum; & ſi in bello moriaris, quomodo iſti bono incumbes operi? & ſi mortem oppetas in peccatis tuis,

d Matt. 25. 46.

Digitized by Google

tuis, in phtanaticisvoluptatibus tuis mortifaris, quomodo hæc omnie expiabis?

Magnus fœnetator aſt diabolus, Auditores; mutuum dat aliquando ad tempus aliquantum iſtia & illis; ſed mutuum poſteà tanto multiplicarum ſœnora repetit, ut pro deliciis momantaneis æterna rapendat ſupplicia, *Æthiopia praveniet manm ejus Deo e*. Id eſt, enima peccatrix, cujus *denigrata eſt ſuper carbones facies* f, *præveniet manum* vindicas Omnipotentis, coopetando gratiæ ejus, *Non ego, ſed gratia Dei mecum* g, & feſtinando ad confitendum, ut exponit ſanctus Auguſtinus h, *Quod verò ait, Præveniet manus ejus: hoc ait, preveniet vindictam ejus: converſione ſcilicet ad eum, ut peccata dimittantur, ne peccatores permanendo puniantur. Quod etiam in alio Pſalmo* i *dicitur, Præveniamus faciem ejus in Confeſſione. Sicut per manus vindictam, ita per faciem revelationem præſentiamque ſignat, quæ futura eſt in judicio.* Differre pœnitentiam donec morbus importunus ægrum ad extremas radegarit enguſtias, quomodo tunc rectæ poterit hic æger eſſe rationis compos? Tempeſtara validâ navem concutienta expactandumna aſt ut allevietur navis, donea ipſa tote fluctibus repleta in profundom demargi cœperit? Tempore mortis nullum ſupereſt remedium.

e Pſ. 67. 32.
f Thren. 4. 8.
g 1 Cor. 15 10.
h S. Aug. in Pſ. 67. 32.
i ea Pſ. 94. 2.

Mercator quidam aliquando medias inter nundinas innumeram hominum multitudinem ad riſum provocavit, circumquaque gyrans ſollicitè ut quæreret aſinum qui caudam poſt ſe ferret auream; ſed poſtquàm multùm illac & iſtac vagatus eſſet, & inutiliter quæliviſſet, revarſus aſt à nundinis ab omnibus exploſus ut inſanus. Vultisne ſcire quis ſit iſte marcator? Ille eſt qui vivera vult ut aſinus, & præſumit habere caudam auream, qui vitam tranſigere vult animalam, ſamotam ab omni affectu ſpirituali, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere* k. Et deinde mortem vult habere pretioſam, & finem fortunatum, qualem concupiſcebat Balaam, etiamſi ſceleſtus, *Moriatur anima mea morte Iuſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia* l. Præſumptio intoleranda! Oportet ut quis caput præ ſe ferat aureum, ſi caudam pariter habera valit auream. Mors aſt Echo vitæ: Si vite duxit tempus animale, mors reſpondebit, malè: Si vita dicit, Deliciss continuas; mors dicet, Pœnas perpetuas. Oportat ut vita ſit bona & ſancta, ut mors, quæ eſt illius Echo, reſpondate poſſit ei conformiter ad illa quæ ipſa dixerit, eut fecerit. Nunquid non monet nos ſingulos Eccleſiaſticus m? *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Et nonne verum eſt proverbium commune, quo fertur? Qui non facit quando poteſt, non agit quando vult. Job n verò da hac incartitudine vitæ certus aiebat, *Neſcio quandiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me Factor meus.* Quod hominem ad peragendam aitò pœnitantiam invitat, ut vidatur ei conſulere ſanctus Gregorius o. dicens, *Recta conſideratio, quòd Deum homini idcircò non æquat, quia quandiu hìc ſubſiſtat, vel quando ad Dei judicium tollatur, ignorat.*

k 1. Cor. 2. 14.
l Num. 23. 10.
m Eccli. 5. 8. & 9.
n Job 32. 22.
o S. Greg. l. 23. Mor. c. 6. in Job 32. 22.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis p. Si imparati incidamus in hoc horribila judicium Dei, quomodo poterimus nos ab ejus rigore eximere? Illi qui ſperant ſe diu victuros, & poſteà ſeſe convarſuros ad Deum, ſimilas ſunt iis luſoribus qui omnia quæ habent ludunt, fulti illâ vanâ ſpe recuperandorum eorum quæ ipſi emiſerunt, & cùm omnie perdidarint, bonis ſeſe inveniunt vacuos, & ſuâ ſpe fruſtratos. Ideò convenienter ait Ecclaſiaſticus q ad propoſitum, *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.* Iſtæ ſpes iniquæ multorum jacturam ſunt molitæ; verè iniquæ, quippa quæ juri & rectæ rationi diſſonæ. Vultisne autem illud vidare? Ille qui ducaret jumenta vecturæ, & onus omnium ei imponaret quod aſt cætarorum infirmiſſimum, nunquid contra rectam non agarat rationam? Ita ille qui omnia peccate & eorum onus ac gravitatem patratorum e quatuor ætatibus adoleſcentiæ, juvantutis, virilitatis, & ſenectutis, in ſolem reſunderet ſenectutem, quæ eſt omnium debiliſſima, ſanæ adverſaretur rationi: *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & immolat debilem Domino* r.

p Hebr. 10. 31.
q Eccl. 29. 24.
r Malach. 1. 14.

Prætereà, Illa qui onus aliquod non poſſat tollere, ſi illud augeret, & cogitaret illud ſublevara ſic edauctum quandiu ipſe debilior evaſiſſat, nunquid non pro inſano haberetur? Peccatores obſtinati hâc furunt dementiâ; peccata peccatis accumulant, & ſamper pondus magnificant, & illud imaginantur ſe ſublavaturos quum ſenes avaſerint & debiles, cùm cartum ſit id, quod ait ſanctus Gregorius ſ, *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit.* Deinda, Quid diceratur de homine, qui par longum tempus & magnis ſumptibus magnam & ſpacioſam ædificandam ſatageret domum, in que tamen nunquam vellet habitera, & pro poſſe ſuo deſtrueret eam, quam ſemper concopiſcaret incolara? Is nunquid à recta non aberraret ratione, & inſenæ mentis reputeretur? Illa qui ſuam differt converſionam, & ſaſa obſtinat in paccatis, aodem ſe gerit modo; multis laboribus & immodicis impenſis æternam ſibi conſtruit in inferis domum, quam nunquam vallet incolere, & ſibi deſtruit eam, quam ipſi paravaret Deus, in qua in æternum vallet habitare. Prudens ſenè eſt formica, quæ in hyemem ſibi parat cibum æſtivo tempore; ideò ſapientar Salomon t ad aam mittit peccatorem, ut edoceatur ab hoc enimalculo viam, cui debeat inhærera, *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.*

ſ S. Greg. l. 25. Mor. c. 9.
t Prov. 6. 6. &c.

Illa qui mallat aſſa ægat quàm ſanus, captivus quàm liber, pauper quàm dives, nonne ſibimetipſi crudelis forat? Talis eſt peccator qui ſenectutem expectat ad deſarendum peccatum ſuum: Mavult enim languere infirmitate peccati, quàm ſanitate gratiæ potiri; potiùs eligit mortem, quàm vitam; captivitetem, quàm libertatem; paupertatē, quàm divitias. Impietatē & phrenaſim ſibimetipſi dirè advertantem! O*mnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* u, non ſolùm unius, ſed omnium. *Servus namque peccati, ſervus eſt tot dominorum, quot vitiorum*, ait Patrus Cellenſis x. Quæ autem rigidior ſervitus? Etiam. Principes ipſi, ſi ſint vitioſi, Principes tantùm ſunt apparenter, ſed reverà ſunt captivi vitiorum ſuorum. Ex hac autam ſervitute non niſi vix axpedira ſa poteſt quis, & ſola Omnipotantis voluntas, aut illius gratia afficere poteſt ut peccator, qui ſemal peccati jugo collum ſub-

u Joan. 8. 34.
x Pet. Cellenſ. lib. de Panib. c. 15.

miſit, ab eo ſe poſſit extricare, & ab hac rudi ſervitute exire, *Emitte manum tuam de alto, eripe* [Pſ.143.7] *me, & libera me de aquis multis* y. Nunquid non eſt eligere paupertatem, cùm peccatum nos omnibus veris ſpoliet bonis? Ille qui in peccato conſtitutus eſt lethiſero, amittit participationem meritorum ingentium Sanctorum, & ſuffragiorum Eccleſiæ Sanctæ, & dicere non poteſt Deo [z Pſ. 118. 63.] cum David z, *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Ut autem hoc fiat, oportet ut convertamus nos ad Deum, ut [a Galat.6. 10.] *dum tempus habemus, operemur bonum* a; ut planum faciamus hunc montem, & repellamus hunc quartum digitum Satanæ, ne quinto ſic arctè nos conſtringat ut ſuffocet nos, & in inſenſibilitatem nos projiciat.

[V. Pars.] Dicunt Medici quòd, quando corpus non poteſt expellere & foras emittere corruptiones ordinarias, hæc obſtructio è tribus poteſt cauſis provenire. Quarum prima eſt defectus ſenſus, qui non ſentiens ſuperfluitatem, quæ expellenda foret, efficit ut virtus ſenſitiva evadat convulſa, & non poſſit operari expulſionem neceſſariam. Secunda eſt diſſipatio virtutis naturalis, quæ occupata circa aliquid aliud, remanet minùs fortis & abſque operatione quoad illam partem. Tertia verò eſt denſitas ſeu craſſitudo materiæ, quam virtus expulſiva ſuperare non poteſt. Et ex his retentionibus plures oriuntur infirmitates & morbi. Iſtæ eædem cauſæ impediunt ne peccator confiteatur. Inſenſibilitas; *Impius cùm in profundum venerit peccato-* [b Prov. 18 3.] *rum, contemnit* b. Nullis agitur conſcientiæ ſtimulis propter ullam rem, qualiſcumque ſit illa. Si fiat illi ſermo de peragenda Confeſſione, de exoneranda conſcientia ſua coram Confeſſario, deridet ipſe & flocci facit ſalutaria ſibi ſubminiſtrata monita, quæ in praxim redacta, forent ipſi maximè proficua. Nonne videtis quòd poſt toleratam aliquandiu peſtem, deridet quis ejus venenum? Secundò, Hoc oritur ex diſſipatione virium mentis, quæ occupata circa inquirendas voluptates animales, aut affecta cupiditate lucri ſibi comparandi immodicâ inſenſibilis omnino efficitur quoad negotia animæ interna, & incapax rerum ſpiritualium, & Dei. Tertiò, Iſtud emanat ex craſſitudine & induratione materiæ, id eſt, è gravi enormitate & multitudine peccatorum, quibus animæ peccatrices ſic ſunt oppreſſæ, ut deſperent futurum ut unquam ex ita multigeno ſcelerum numero ſe poſſint extricare, dicentes cum impio Cain, infelici illo fratricida, & reprobatorum æquè ac induratorum facilè Principe, *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear* c. Quæ deſperatio maxima [c Gen. 4. 13.] eſt iniquitatum omnium; *Verbum qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro* d. Hæc, inquam, deſpe- [d Matt. 12 32.] ratio maximè Divinam offendit Majeſtatem præ cæteris peccatis, quippe quæ directè adverſatur bonitati ipſius, quæ *non habet finem* e, quæ [e Baruch 3 25.] eſt ipſius eſſentia, quæ nihil æquè vult ac ut animæ peccatrices, quantùmlibet profundis immerſæ ſint impietatibus, adeant *cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam* conſequantur, & *gratiam in auxilio opportuno* f inveniant, cùm ipſa [f Hebr. 4 16.] ſemper parata ſit ad impendendam illis indulgentiam, ſtatim ac illas ſuorum pœnituerit peccatorum, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego* [g Jer. 3. 1.] *ſuſcipiam te* g.

Erigite igitur animos veſtros, peccatores qui multis eſtis onerati ſceleribus; Deus vult ut in ſuam ſperetis bonitatem, & ut iſtâ fulti ſpe, repellatis manum & digitos Satanæ volentis vos ſuffocare? *Ephphetha, quod eſt, adaperire* i. Aperi- [i Marc. 7 34.] te ergo corda veſtra, cogitationes veſtras, os veſtrum, & ſolvite linguam veſtram mediâ bonâ & integrâ Confeſſione, expellite hunc pudorem ſacrilegum, ſuperate illum, eumque convertite in erubeſcentiam filialem, qualis eſt liberorum, qui verecundo præ robore amicam à parentibus ſuis delictorum ſuorum efflagitant veniam. Nolite timere ne non veſtra poſſitis corrigere ſcelera, in emendatæ vitæ bonam vos recipere frugem, & vos abſtinere à vitiis, quibus uſque nunc fuiſtis immerſi, non obſtantibus clamoribus & ſtimulis internis veſtræ conſcientiæ. Ubi ſemel ex vobis ea generosè expuleritis, non redibunt illa ad vos ita facilè; gratia Sacramenti roborabit vos, & ſic poteritis *omnia in eo qui* k vos confortabit. *Deus eſt enim qui ope-* [k Philipp. 4. 13.] *ratur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate* l. Nec vos latet commune prologium, [l Philipp. 2. 13.] quòd

Gutta cavat lapidem.

Idcircò minimi, quos adhibebitis, conatus, evèhent vos ad faſtigium uſque montis virtutum. Sufficit igitur ut loquamini, ut confiteamini, ut vos pœniteat, ut vos totos Deo conſecretis; & ipſe ſe totum dabit vobis in hoc mundo per gratiam ſuam, & in altero mundo per gloriam ſuam.

IN FESTO
SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

Ieſus dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. Joann. 20. 26. &c.

IN monumentis Hiſtoriæ ſcriptis exaratum repetitur, quòd aliàs Princeps quidam ex transverſo matris ſuæ utero vulnerato, & interventu plagæ aperto exiit ad lucem: ſed fides nos docet, quòd omnes concepti ſumus atque formati in corde Jeſu Chriſti, quod eſt vulva fœcunda, in qua concipi, & è qua naſci poſſunt omnes Sancti, & quòd exivimus ex apertura vulnerum ejus, ut ingrederemur ad fruendum luce gloriæ ipſius, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis,* ait S. Auguſtinus a. Sic dilectus perfectè adim- [a S. Aug. Conc. 4 in Pſ. 103. & Jo. 19. 34.] plevit deſiderium Sponſæ ſuæ dicentis ipſi, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper* [b Cant. 8.] *brachium tuum* b. Cùm ergo ſimus filii egreſſi è vulne-

vulneribus Jeſu Chriſti, æquum eſt ut noſtræ nobilitatis agnoſcamus inſignia: & iſte eſt modus imitandi S. Thomæ, qui ſuam agnoſcit hodiè felicitatem. Sed antequàm adoremus cor Filii, recurramus ad ubera Matris, & dicamus ei, *Ave Maria.*

Si verum eſt, & nemo de hâc ambigit veritate, quòd Jeſus Chriſtus cuſtodit nutas vulnerum ſuorum, & illorum aperturas, quas poſt reſurrectionem ſuam ſuis oſtendit diſcipulis, ut illorum convinceret infidelitatem; & quas tulit in cœlum, ita ut ſplendorem ex illis emicantem admirati cœleſtes incolæ dicerent illi aſcendenti in cœlum, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum* c? Dicendum eſt, quod ſuas in cœlum tulit plagas, ut eas ibi ſplendere faceret tanquàm Soles deſumentes lumen ſuum à Divinitate. Et ſi credamus S. Hippolyto *d*, dicemus quòd intuendum ſe exhibebit ſub finem mundi cum iiſdem vulneribus in corpore ſuo, in ſecundo adventu ſuo *e*, *Videbit populus Hebræorum illum in figurâ humanâ, quemadmodum illis ex S. Virgine per carnem apparuit* f, *& ſicuti crucifixerunt eum, ac oſtendet eis manuum pedumque clavos, latus ſuum lanceâ perforatum, caput perforatum ſpinis* g, *ac pretioſam crucem.* Proptereà ingrediamur hæc ſacra vulnera, pervadamus aperturas illius, & petamus ab eo cum Prophetâ Zacharia, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Sed adoremus has plagas cum S. Thoma, cujus incredulitas noſtram roboravit fidem, & noſtram augere debet pietatem: efflagitemus ab hoc Apoſtolo, quid ſibi velint hæc vulnera in corpore Jeſu Chriſti in cœlo. Quæſtionis iſtius ſolutionem remittit ipſe alteri S. Thomæ, quandiu ipſe reſpondet alteri quæſtioni propoſitæ ab Eccleſiaſtico h, *Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Menſus eſt enim abyſſum miſericordiæ Dei, qui ſanavit peccatum incredulitatis ipſius; latitudinem terræ, cùm tetigit carnem Jeſu Chriſti ſuſcitati; & altitudinem cœli, cùm penetravit ſublimitatem Divinitatis ejus, ut videbimus in priori parte diſcurſus iſtius. In poſteriori verò S. Thomas Aquinas i três affert rationes, propter quas vulnera ſua Chriſtus in cœlum ferre voluit, eaque ſit ibi cuſtoditurus per totam æternitatem, nimirum, propter gloriam ſuam, ob conſolationem Prædeſtinatorum, & propter confuſionem reproborum.

c Zach. 13.6
d S. Hippolyt. orat. de Conſummat. mund. & Antichriſto.
e Matth. 25.31 &c
f Ex Tit. 3.4
g Ex Joan. 19.2, &c
h Eccli. 1.2
Diviſio.
i S. Thom. 3.p.q.54. a.4. in concl.

Admiratus Iſaias *k* abyſſum miſericordiæ Dei, dicebat eidem Deo, *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti, nunquid glorificatus es?* Quaſi illi dixiſſet, Homines peccata peccatis jugiter accumulant, tu verò ſemper illis parcis. S. Thomas menſus eſt abyſſum miſericordiæ Dei erga nos viatores. David offenſus à filio ſuo Abſalom, qui volebat ipſi Regnum eripere *l*, dicebat, *Servate mihi puerum Abſalon* m. Verebatur enim ne occideretur à militibus, ſicut re verâ ab illis occiſus eſt. Deus qui eſt *Rex Regum, & Dominus dominantium* n, ab hominibus offenſus, ait tamen, *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* o. Et, *Indignatio non eſt mihi: quis dabit me ſpinam & veprem* p? Super quod Cornelius *q* ait, *Nota, Deum quaſi vim ſibi facere dum punit. Unde S. Hieronymus ſic explicat, Quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam? Abit ergo Deus quaſi à naturâ ſuâ, dum à clementiâ it ad vindictam. Hoc eſt quod canit Eccleſia, Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Unde Principum, & animi generoſi propria virtus eſt clementia.* Sic Alexander Magnus recenſetur ita fuiſſe beneficus, ut ſi aliquem diem tranſegiſſet, quo neminem aliquo ſibi devinxiſſet beneficio, illum deperditum exiſtimaret diem: ſimili modo Deus noſter ita *benignus & miſericors eſt, patiens & multa miſericordia, & præſtabilis ſuper malitiâ* ſ, ut ſi labatur aliquod momentum abſque miſericordiâ ipſius, videatur hoc ipſi periiſſe.

I. Pars.
k Iſai. 26.15
l 2. Reg. 15.10. &c
m 2. Reg. 18.5. &c
n 1. Tim. 6.15, & Apoc. 19.16.
o Ezech. 33.11
p Iſai 27.4
q Cornel. in Iſai. 27.4
r Eccleſia ex Sap. 11 & 4
ſ Joel. 2. 13

Inventa eſt aliàs Romæ ſtatua ſimilis homini, ſuper cujus pectore aperto ſcriptum erat, *Compatior miſeris.* Super manu dexterâ, quæ erat perforata, *Remitto.* Et ſuper lævâ etiam perforatâ, *Expecto.* Super fronte autem, *Deus pietatis & miſericordiæ.* Hæc ſtatua repræſentabat Deum: miſeris enim veluti ſe comitem adhibet, *Cùm ipſo ſum in tribulatione* t. Peccata condonat, *Remittuntur tibi peccata* u. Expectat, *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore* x. Et pietatem ac miſericordiam præ ſe fert, *Deus, qui dives eſt in miſericordiâ* y. Et, *Suavis Dominus univerſis: Et miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* z. Hæc eſt abyſſus miſericordiæ, de quâ ait S. Jacobus *a*, *Superexaltat miſericordia judicium.* Deus quaſi eques habet circum ſe equum veluti furioſum, nimirum juſtitiam ſuam, quæ ex naturâ ſuâ non quærit niſi conculcare animas peccatorum: ſed Deus volens hunc equum indomitum reddere manſuetum frænum in os illius injicit, *Laude meâ infrenabo te, ne intereas* b. Quod Vatablus ſic vertit apud Cornelium c, *Propter nomen meum differam furorem meum, & propter laudem meam frænum injiciam mihi, tuî causâ, ne te omnino exſcindam.* Cùm dicat idem Cornelius, quòd pro *infrenabo*, *Arias Montanus legi velit paſſivè, infrenabor.*

t Pſ. 90.15
u Luc. 7.48
x Cant. 5.2
y Epheſ. 2.4
z Pſ. 144.9
a Jacob. 2.13
b Iſai. 48.9
c Cornel. in Iſai. 48.9

Deferebant quondam Reges Ægypti ſceptrum, in cujus inferiori parte ſculpti erant pedes hypotami equi fluvialis, animalis crudeliſſimi, in ſuperiori verò caput ciconiæ, quæ eſt ſymbolum miſericordiæ: ſcilicèt miſericordia & juſtitia in Deo reperiantur, tamen *ſuperexaltat miſericordia judicium.* Contingit aliquando ut duo amici ſe ita mutuò diligant; ut unus pro altero ſuum vellet ſanguinem fundere: ſi autem alterum unus offendat, neſcit quid acturus ſit offenſus, indignatio perſuadet illi ultionem, amicitia inducit ipſum ad parcendum ei; indignatio tamen cedit amori, & ipſi ſeſe amanter ampleсtuntur. Deus & homo ſunt iſti duo amici, quia, cùm ſimilitudo ſit cauſa amoris, homo eſt ſimilis Deo. *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* d. Et Deus eſt *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* e. Homo vetito *de fructu comedit* f. Iraſcitur Deus, juſtitia ipſius volt illum perimere, miſericordia juſtitiam ipſius mitigat, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt* g: Adam offenderat Deum, æquè ac uxor ejus, *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem* h. Deambulabat Deus, quaſi neſciens quid eſſet acturus: juſtitiâ ductus pergebat ad inferendam Adæ mortem, æquè ac uxori illius, ſed miſericordiâ mitigatus revertebatur. Perſecutionem Jezabelis fugiens *Elias, cùm ſederet ſubter unam juniperum, petivit animæ ſuæ ut moreretur. Et ecce Angelus Domini ait ei, Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem, ignis: non in igne Dominus: & poſt ignem, ſibilus auræ tenuis* i. Conſolaturus Deus

d Gen. 1.27
e Philipp. 2.7
f Gen. 3.6, &c.
g Pſ. 84.11
h Gen. 3.8
i 3. Reg. 19.3, &c

Digitized by Google

Eliam, non invenitur in ſpiritu furoris, commotionis ignis, ſed in ſibilo *auræ tenuis* refrigerantis & conſolantis, id eſt, miſericordiæ *deambulantis ad auram poſt meridiem*.

Aliqui Philoſophi volentes delineare nobis juſtitiam, commenti ſunt illam ſubvectam à duabus mulieribus, quarum una præ ſuis haberet manibus gladium confractum; altera fragili innixa baculo lentè incederet, innuere volentes per illam mulierem, quòd juſtitia non deberet confeſtim præcidere; & per iſtam innixam baculo, quòd diſcretè intermittenda eſſet mora, antequàm ad punitionem criminum procederetur. *Erant prætereà faſces, apud Romanos Magiſtratuū inſignia, quæ illis à lictoribus præferebātur. Figura faſcium erat hujuſmodi, detractu ex betulâ arbore virgis, ita includebatur ſecuris, ut facies ferri in ſummitate emineret, reliqua pars circumducto loro tegeretur. Quod eo conſilio à majoribus fuit excogitatum (ut docet Plutarchus in Problem.) ut oſtenderent Magiſtratuum iram in ſumendo ſupplicio non debere eſſe præcipitem, eoſque faſces habere, ſed tamen ligatos: quique ſine juſtâ cauſâ non debeant diſſolvi. Prætereà, Si ſubitò in aliquem Magiſtratus excanduiſſet, ut eâ morâ, quâ virga, aut ſecuris expediretur, furor ille aliquâ in parte ſubſideret*, ait Calepinus k.

k Calep. in Diction. v. Faſces

Conformiter ad hoc Deus, qui ex natura ſuâ totus plenus eſt miſericordiâ, volens aliquem caſtigare, non currit, ſed lentè incedit: ſubitò poterat punire Thomam incredulitatis ipſius, *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittā manū meam in latus ejus, nō credam*. Sed ipſe qui diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* l, quaſi diſſimulat infidelitatem ejus, miſeretur illius, & ei dicit, *Infer digitum tuum huc*, &c. Menſus eſt ſic S. Thomas abyſſum miſericordiæ Dei.

l Sap. 11. 24.

Prætereà, S. Thomas *latitudinem terræ dimenſus eſt*. S. Hilarius m ait hanc terram eſſe corpus humanum. Alii verò dicunt ad propoſitum noſtrum, eſſe carnem Jeſu Chriſti, quam S. Thomas menſus eſt, cùm Salvator dixit illi, *Infer digitum tuum huc*, &c. Quia enim *terra in æternum ſtat* n, & fructuoſa eſt, caro Jeſu Chriſti erat ſtabilis, & ita fructuoſa, ut nullo poſſet infici peccato, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* o. Et ut per eam participes efficeremur fructuum vitæ æternæ. Permiſit Deus incredulitatem S. Thomæ propter majorem utilitatem Eccleſiæ ſuæ, *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides diſcipulorum credentium profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſitâ in fide ſolidatur*, ait S. Gregorius p. Devincti ſumus aliis Apoſtolis, qui retulerunt nobis reſurrectionem Jeſu Chriſti; ſed multò magis S. Thomæ, qui voluit illum priùs tangere, quàm illum ſuſcitatum nobis annunciare. Explico me hâc comparatione: Ecce infirmus à multis Medicis viſitatus: omnes decernunt ei potum recuperandæ ſanitati accommodum, ſed ipſi non experiuntur priùs eum, utrùm ſit dulcis, aut amarus, ſed illum duntaxat intuentur in calice, quando ultimus ex iſtis Medicis hanc medicinam experitur, illam deguſtat, & eam ægroto hauriendam propinat: æger eſt magis huic obſtrictus, quàm cæteris; omne genus humanum laborabat idololatriâ; Deus miſit S. Petrum, & alios Apoſtolos, qui ſinguli decreverunt medicinam fidei reſurrectionis Jeſu Chriſti; ſed ipſi eam non ſunt experti, nec deguſtaverunt, ſed eam duntaxat quaſi in calice conſpexerunt, dicentes, *Vidimus Dominum*. Poſt iſtos S. Thomas viſitavit ipſum infirmum, expertus eſt medicinam fidei reſurrectionis, eam deguſtavit, dicens, *Niſi videro*, &c. *Jeſus dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc*, &c.

m S. Hilar. in Pſ. 66. prope finem.

n Eccl. 1. 4

o 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9

p S. Greg. hom. 26. in Evang.

Altitudinem cœli tandem, æquè *& latitudinem terræ dimenſus eſt*. Id eſt, cùm fide firmâ penetravit ſublimitatem Divinitatis, & in ſignum iſtius confeſſionis, *dixit ei, Dominus meus, & Deus meus*. Quibus verbis reſpondet triplex ſtatus, primus innocentiæ, ſecundus legis ſcriptæ, tertius legis gratiæ. In primo vocatur Deus ſimul, *Dominus Deus* q. In ſecundo, *Deus exercituum nomen ejus* r. Et in tertio, *Deus meus*. Sic S. Thomas confitens Jeſum Chriſtum Dominum, ait, *Dominus*, cui reſpondet primus. *Deus*, cui convenit ſecundus. *Meus*, cui congruit tertius. Tria præ cæteris aſſignantur attributa Deo, potentia Patri, ſapientia Filio, & amor Spiritui ſancto: S. Thomas hæc tria confitetur attributa; per verbum *Dominus*, potentiam Patris: per iſtud, *Deus*, ſapientiam Filii; & per hoc, *meus*, amorem Spiritus ſancti, qui eſt nexus Patris & Filii s. Duodecim ſunt articuli fidei, qui reducuntur omnes ad duo capita. Aut ad Deum, ut Deum, *qui ſolus habet immortalitatem* t. Aut ad Deum ut hominem, prout *Verbum caro factum eſt* u. Ad Deum ut Deum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Spiritum ſanctum*. Ad Deum ut Deum & hominem, *Et in Jeſum Chriſtum*, &c. In Chriſto ſunt duæ naturæ vinculo indiſſolubili unitæ: S. Thomas per hæc verba, *Dominus Deus*, naturam divinam explicat: per iſtud, *meus*, naturam humanam exponit. Iſta tria verba continent id omne, quod Magiſter Sententiarum in quatuor libris ſuis dixit. In quorum primo tractat de unitate & eſſentiâ Dei, de Trinitate perſonarum, de potentiâ, ſapientiâ, bonitate, providentiâ, prædeſtinatione, voluntate Dei, &c. In ſecundo de creatione Angelorum, de eorum lapſu, de peccato primi hominis, de gratiâ, de libero arbitrio, quæ omnia referuntur ad Deum ut Deum: ideò *S. Thomas dixit, Dominus Deus*. In tertio de incarnatione Verbi, & virtutibus ejus, &c. Et in quarto de Sacramentis, quæ omnia ſpectant Deum ut Deum & hominem, ideò *S. Thomas dixit, Dominus meus, & Deus meus*. Tandem concludit id omne quod tractatur in doctrinâ Chriſtianâ per fidem, ſpem, charitatem, & bona opera.

q Gen. 2. 7

r Amos 5. 27

ſ Joan. 15. 26

t 1. Tim. 6 16

u Joan. 1. 14

Lapis Philoſophicus recenſetur compoſitus è foſſilibus diverſæ ſpeciei, ſed tantâ conſonantiâ & proportione unitis, ut ſolo ſuo tactu ſtannum aut plumbum convertat in argentum, æs verò in aurum: Jeſus Chriſtus eſt iſte lapis myſticus, *Petra autem erat Chriſtus* x. Lapis iſte Philoſophicus myſticus eſt compoſitus è duabus naturis tantâ ſympathiâ inter ſe conjunctis, ut converterit plumbum incredulitatis Thomæ dicentis, *Niſi videro*, &c. in argentum vivæ fidei, & in aurum ardentis charitatis. *Infer digitum tuum huc*, &c. *Dominus meus, & Deus meus*. Et quemadmodum ſtatim ac oleum, quo fovetur lucerna ipſi lucernæ deficit, ipſa lucerna extinguitur, niſi confeſtim ipſi fovendæ ſubminiſtretur oleum neceſſarium: ita oleum fidei defecerat in pectore Thomæ dicentis, *Niſi videro*, &c. Dei Filius venit in auxilium iſtius lucernæ, infundendo ei oleum gratiæ ſuæ, dicendo illi, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Et confeſtim hæc lampas reaccenſa eſt, *Dominus meus, & Deus meus*.

x 1. Cor. 10. 4

S. Thomas Aquinas y tres aſſignat ſpecies in fide.

y S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 5. in corp.

Digitized by Google

fidelitatis, dicens, *Cùm peccatum infidelitatis conſiſtat in renitendo fidei, aut renititur fidei nondum ſuſceptæ, & talis infidelitas eſt Paganorum, ſive Gentilium. Aut renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figurâ, & ſic eſt infidelitas Judæorum; vel in ipsâ manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas Hæreticorum.* Hæc autem eſt peſſima omnium, quia iſti agnitam impugnant veritatem. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad*

z Hebr. 11.1. &c.

Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit z. Cùm fides ſit vita animæ, *Juſtus autem ex fide vivit* a: Infidelitas efficit ut amittamus fidem, & vitâ noſtras privat animas. Fides eſt fundamentum virtutum omnium requiſitarum ad operandam ſalutem: infidelitas autem illas omnes profligat, gratiam ab animabus noſtris ejiciens: hoc infortunium contigit Thomæ, in quo cùm fundamentum Religionis, quod ipſe ſuſceperat à Domino ſuo, defeciſſet, & ſtella fidei, quæ debebat ipſum reducere ad Dominum ſuum, quem ipſe deſeruerat in horto cum Coapoſtolis ſuis, qui *diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt* b, ab ipſo receſſiſſet, factum eſt ut ipſe ſciret quidem quòd Jeſus Chriſtus eſſet Dominus ſuus, & ipſe ut talem eum agnoſceret, ſed non crederet illis qui dicerent ipſi, quòd eum vidiſſent ſuſcitatum, *Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Niſi videro, &c.*

a Rom. 1. 17 ex Habac. 2. 4

b Matth. 26. 56

Medici qui ſuſceperunt ſanare ægrotum, diligenter inquirunt num talis infirmus aliquem commiſerit exceſſum, & ſecundùm exceſſum perveniunt in notitiam morbi: Doctores Eccleſiæ, qui ſunt Medici animarum, ut ſuam de morbo Thomæ promant ſententiam, infirmitatis ejus cauſas exquirunt. Inter alias autem cauſas, quas ipſi recenſent, alii dicunt juxta Evangelii noſtri fidem, quòd cauſa incredulitatis ejus procedebat ex eo, quòd ipſe non fuiſſet cum Coapoſtolis ſuis, quando Dei Filius ipſis ſuſcitatus apparuit, & ideò ei non apparuerit, *Thomas autem non erat cum eis, quando venit Jeſus.* Et ſic non fuit particeps hujus honoratæ viſitationis. Ita febris incredulitatis ejus crevit ex aliis infortuniis, quæ illi acciderunt. Quorum primum, fuit oblivio: non enim meminerat, quòd Dei Filius dixiſſet perſæpè, loquendo de ſe ut *de Filio hominis, Tradetur Gentibus, & illudetur, & flagellabitur: & poſtquàm flagellaverint, occident eum, & tertiâ die reſurget* c. Et, *Sed poſt quàm reſurrexero, præcedam vos in Galilæam* d. Secundum fuit inconſideratio: non enim advertebat, quòd ille, quem Coapoſtoli ſui aſſerebant reſuſcitatum, erat ipſemet, qui diebus aliquot ante paſſionem ſuam, à mortuis Lazarum ſuſcitaverat, cùm *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras; & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus* e. Tertium, fuit pertinacia: non enim voluit credere Apoſtolis, nec Magdaliſ quæ viderant eum ſuſcitatum f, ſicut illi. Quartùm, fuit obſtinatio, quâ non ſolùm dicebat, Non credo, ſed etiam, *Niſi videro, &c. non credam.* Tolerabile aliquo modo fuiſſet, ſi cùm *dixerunt ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum,* non credidiſſet; ſed cùm determinavit ſe ad non credendum niſi præ iſtis conditionibus, *Niſi videro, &c.* omnino fuit inexcuſabilis. Sed quid actū eſſet de Thoma, ſi Deus miſertus non fuiſſet infirmitatis ipſius? Febris incredulitatis ipſius ad extremas uſque mortis ipſum reduxiſſet anguſtias: ſolus ferè ſupererat ei halitus cùm Medicus incomparabilis duo applicuit emplaſtra viſui, & tactui ejus, *Infer digitum, &c.* eumque ſanavit.

c Luc. 18. 31. &c.

d Marc. 14. 28

e Joan. 11. 43. & 44

f Matth. 18. 9.

Thomas igitur inſurrexerat in Dominum ſuū, non credebat eum reſurrexiſſe; ſed confeſtim ac vidit foramina clavorum & lanceæ in manibus, pedibus, & latere Salvatoris ſui, & hæc ſacra vulnera tetigit, agnovit Dominum ſuum, *profundum abyſſi dimenſus eſt* divinæ Miſericordiæ, *& latitudinem terræ* carnis Jeſu Chriſti reſuſcitati, & *altitudinem cœli* g Divinitatis. Et ſic *ubi abundavit delictum ſuperabundavit gratia* h. Crux, in quâ Salvator hæc ſua ſuſcepit vulnera, eſt ſchola, in quâ divinus iſte Magiſter perfectiſſimam omnium nos edocet lectionem, *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis,* ait S. Auguſtinus i. Latus illius perforatum eſt liber apertus, in quo diſcere poterimus officium noſtrum: ſed niſi in illud afferamus *manum*, nihil intelligere poterimus eorum, quæ Chriſtianam profeſſionem noſtram decent. Viſne ergo ſcire, Chriſtiane, quantū valeas? *Infer digitum tuum huc, & vide.* Viſne diſcere, quam abominabile ſit peccatum, & quanta ſit miſericordia Dei? *Infer, &c.* Et ſtatim dices cum S. Thoma, *Dominus meus, & Deus meus.*

g Eccli. 1. 2.

h Rom. 5. 20

i S. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 27

II. Pars.

Sed quare Jeſus Chriſtus hæc vulnera ſua in corpore ſuo ſervare voluerit, & ſervaturus eſt ea in æternitate, hæc eſt ſecunda quæſtio quam reſolvit S. Thomas Aquinas k, dicens inter alias rationes, *Conveniens fuit, Animam Chriſti in reſurrectione corporis cum cicatricibus reſurgere. Primò quidem propter gloriam ipſius Chriſti: dicit enim Beda, quòd non ex impotentiâ curandi, cicatrices ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferret triumphum.* Vulnera corporis Filii Dei ſunt cauſa gloriæ ejus, quia Deus ab æterno prævidens ad reparandum genus humanum neceſſariam fore ſatisfactionem hominis Dei, diſpoſuit Filium ſuum ad ſumendam carnem humanam, & ad uniendā naturam ſuam divinam naturæ noſtræ: Filius hic autem ſtatuit adimplere hoc divinum decretum, & licèt cognoſceret quòd hæc unio ſibi eſſet cauſatura tolerantias, quæ ipſi mortem forent illaturæ, illud amanter acceptat decretum, *Et audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis. Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade* l. Et, *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* m. Non obſtante intuitu timoris cauſandi à repræſentatione tormentorum, quæ eſſet paſſurus, & ratione cujus dicturus eſſet aliquando in horto Patri ſuo, *Abba, Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me* n: voluntati Patris ſui voluit ſatisfacere: & ut ſic nunquid non merebatur præmium honoris & gloriæ? cùm certum ſit mercedem virtutis eſſe honorem, & ut ſic æquum fuerit ut obedientiæ Jeſu impenderetur merces gloriæ, & honoris? ut ait S. Paulus o, *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.* Præterea, Hæc virtus ſupereminens erat, ac extraordinaria, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* p. Juſtum igitur erat ut Pater æternus retribueret illi mercedem meritis ipſius cōſonam, quod & fecit. *Propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Sicut autem cauſa iſtius gloriæ parte Jeſu Chriſto, eſt obedientia ipſius, & obedientia ipſius iſta cauſavit ipſi vulnera, & hæc vulnera præceſſerunt elevationem ipſius, nonne dicere poſſumus illum ea cuſtodire ut ſint cauſas illuſtres gloriæ ſuæ?

k S. Thomas 3. p. q. 54. a. 4. in conclu-tans Bedam c. 97. in Luc. 24. 40

l Iſai. 6. 8. & 9.

m Pſ. 39. 7. &c.

n Marc. 14. 36

o Hebr. 2. 9.

p Philipp. 2. 8. &c.

Inſu-

Inſuper, Hæc vulnera ſunt inſignia dilectionis ejus erga creaturas; & cùm hæc eadem dilectio induxerit creaturas ad illum diligendum, nonne jure merito gloriam debet ipſe eruere è vulneribus ſuis, cùm mediis his vulneribus ſuis ſibi conciliaverit creaturas, earumque dilectionem ſibi devinxerit, cùm ſanè impoſſibile ſit ut cor humanum hæc vulnera contempletur, quin ſtatim ſe ſinat abripi amore illius, qui ea ſuſcepit intuitu ipſius, ni velit eſſe ingratum. Hoc mirabili ſtratagemate illas ſibi alligavit, & obſequio ſuo divino mancipavit amantiſſimè. *Traham eos*
q Oſee 11.4. *in vinculis charitatis* q. Nõne autem gloriæ & honoris eſt inſigne alligare rebelles voluntatibus ſuis, eoſque compellere amanter ſapientiâ, quæ
r Sap. 8.1 *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* r? & dilectione conciliaſſe ſibi populos, qui debebant ipſi eſſe ſubditi per naturam? Nunquid non duplex illius eſt gloria ac præ ſe ferre jure merito titulum Victoris, & Domini ſupremi? Quænam tandem gloria Jeſu, ac eſſe authorem mundi, & Reparatorem illius? & cùm per vulnera ſua titulum acquiſiverit Redemptoris, nonne gloriam è ſuis debet eruere vulneribus?

Obſervamus ordinariè inter homines, quòd vulnera, quæ ipſi ſuſceperunt media inter certamina, fundamentum ſunt gloriæ ipſorum: & nõne judicatis magnam conciliari Duci alicui gloriam ac aliqua è præliis reportare vulnera, cùm hæc ſint inſignia magnanimitatis ipſius? Nonne verum eſt, quòd viri generoſi ſedulò cuſtodiunt in conclavibus ſuis ut reliquias, majorum ſuorũ arma, quæ notant pericula quibus illi ſeſe expoſuerunt, & ipſi magno ducunt honori oſtendere cicatrices vulnerum, quibus fuerunt confoſſi in expeditionibus militaribus? Nunquid nun Præpoſitus Generalis exercitus, gloriæ duceret ſi ſibi lateri ſui Principis adhærenti eriperetur brachium, aut aliquod aliud membrum? quippe qui quotieſcunque coram Principe ſuo appareret, hoc modo in memoriâ illius revocaret acta generoſitatis ſuæ ne vel ullum promens verbũ, imò verò efflagitaret ab eo, ſeſe ei intuendum exhibens, juſtas mercedes obſequiorum ſuorum, nedum tamẽ de illis præmiis ullo modo cogitaret. Si autem hoc verum eſt de homine, quãtò magis de homine Deo? Si ſervi & milites gloriam eruũt è vulneribus, quantò magis Dominus, & Dux? Nonne credimus, quòd Jeſus eandẽ educat gloriam è vulneribus ſuis, cùm ſe intuendũ exhibens Patri ſuo cum iſtis honoris inſignibus, reddat illum certum, nedum tamen loquarur, de actionibus eximiis obedientiæ ſuæ, quæ merentur gloriam & honorem? Jeſus Chriſtus igitur his vulneribus opertus nunquid non erit objectum adorationis Sanctorum? Sed quamnam majorem requirere poſſetis notam, ratione cujus perſuadearis vobis, eum fuiſſe amplexum cauſam noſtræ ſalutis operandæ? *Manus illius tornatiles, plena*
ſ Cant. 5. 14 *hyacinthis* ſ. Non poſſunt ea aliquid retinere, ſed omnia effundũt. Hæc ſunt trophæa, virtute quorum ipſe nos ad ſe trahit. Præterquàm quòd ſic ipſe devicit infernum, & retudit omnes conatus ejus, & de morte triumphavit, *Et mortem noſtram*
t Eccleſia ex Oſee 13.14 *moriendo deſtruxit* t. Et cùm mors ſit motivum victoriæ & triumphi ejus, hæc vulnera quæ eruerũt ſanguinem è venis illius, nunquid nõ erunt cauſa gloriæ & honoris ejus? cùm ſint cauſa martyrii & mortis ejus. Omnes victoriæ quas juſti referũt ſuper diabolum, mundum, & carnem, oõne ſunt triumphus Jeſu? cùm Jeſus intuitu vulnerũ ſuorũ illis vires addat, æquè ac animos ad triumphandum de hujuſmodi inimicis; & illi ſuas referant victorias beneficio vulnerum Jeſu; & cùm omnes iſti triumphi referri debeant ad Jeſum, nonne dicemus quòd Jeſus è vulneribus ſuis eruat motivum gloriæ & honoris? Hinc facilè videre poterimus quantùm ipſe dilexerit nos, cùm *feneſtram arcæ* u humanitatis ejus conſpiciamus apertam. u Gen. 8.6
Sed quid intuebimur in illâ? Ibi obſervabimus miſericordiam ejus erga nos; ibi guſtabimus, & videbimus *quoniam ſuavis eſt Dominus* x. Quia *Deus* x Pſ. 33.9
(qui dives eſt in miſericordiâ) propter nimiam charitatem ſuam quâ dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto y. Propterea tenemur ea jugiter adorare, & cùm aſpectus & con- y Epheſ. 2. 4. & 5
ſideratio vulnerum iſtorũ nobis addat animos, ſi vincere velimus, intueamur hæc eadem vulnera *Vide manus meas*. Hæc vulnera majores providebunt nobis vires, quàm intuitus ſanguinis animeę elephantes. Sed conſiderantes hæc vulnera, proficuè inſumire auxilium, quod illa vobis impendent, & ex tunc manum operi ſedulò applicate, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Et in hoc ſtatu expectate infallibiliter felicem ſucceſſum, & coronas immortales, imò & conſolationes in amaritudinibus, quia hæc vulnera, quæ ſunt motivum triumphi Jeſu, ſunt etiã cauſa cõſolationis noſtræ.

Hæc eſt alia ratio, quam affert S. Thomas Aquinas z, propter quam ſua vulnera ſervare vo- z S. Thomas 3. p. q. 54. a. 4. in concl.
luerit Chriſtus, *Ut ſuâ morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adjuti, propoſitis ejuſdem mortis indiciis inſinuet*. Deus, qui eſt *miſericors Dominus, & juſtus* a, a Pſ. 114.5.
ſuas manus habet fulminibus armatas adversùs impios, æquè ac coronis refertas erga Juſtos; ex iis educit modò ignem & flammas adversùs illos, modo mercedes erogandas iſtis; & ſicut manus ejus vindices perforatæ inutiliter pro reis, emittunt fulmina ad conterẽdos impios; ipſæ ſunt etiam pro Innocentibus canales è quibus fluit aqua gratiæ in corda noſtra, ut ſalutẽ germinare nos faciat æternã; eæ ſunt via lactea, è qua emanat dulcedo cœli ad conſolãdas in terrâ animas deſolatas; illæ ſunt iter, per quod deſcendit roa cœli, qui inſervit Juſtis ad temperandum ſuarum fervorem concupiſcentiarum, & ſuorum violẽtiam dolorum; ipſæ ſunt conchæ fontiũ, ut in illis extinguant ſitim ſuam; ſecluſoria aquarũ ſalutarium, in quibus ab omnibus ſuis iniquitatibus purgẽtur, ad quas quaſi inviti trabuntur perpetrandas; *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* b. *Effundam* b Gen. 8. 21
ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris c. Et, ut uno verbo dicam, c Ezech. 36.25
ipſæ ſunt origines fontium, è quibus gratia modo mirabili ſalit ſuper animas, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* d. Felicia vulnera, ſa- d Iſai. 12.3.
crata foramina, quantas cauſatis delicias & conſolationes illis, qui vos contemplantur! quantâ voluptate ſpirituali perfunditis eos qui præ ſuæ mentis oculis vos jugiter habent poſita! non habuiſtis ſævitiã exercendam niſi adversùs Jeſum, nec rigorem inſumendum niſi contra eum, etiãſi fueritis illi cauſa gloriæ & honoris: nullam habetis crudelitatem explicandam adversùs homines, cùm illis conſiderantibus vos, materiam capeſſendæ conſolationis provideatis.

Mirabile prorſus eſt artificium eloquentiæ ad conſequendum id, quod efflagitamus; ipſa ſic eſt potens ut operetur id omne quod intendit, deſtruat hoc cunctum quod ipſi non placet, & perſuadeat univerſum illud quod ipſa concupiſcit;

inſinuat ipſa ſe inſenſibiliter in mentes auditorum ſuorum, ibi ſuum ſtatuit greſſum, eaſdem illorum mentes validè commovet, voluntates immutat ſecundùm intentiones ſuas, & in hoc ſtatu conſequitur ipſa quidquid deſiderat: ipſa eſt potens Cauſidica ſemper proſequens cauſam ſuam, non tenens os clauſum, ſed apertum ad vincendum abundantiâ & gratiâ verborum ſuorum: ſed vis iſtius eloquentiæ non eſt ita valida, hæc eloquentia ſuas habet infirmitates, quæ ipſam curvam efficiunt medias inter occaſiones. Vultiſne videre aliquid eâ potentius? Intuemini vulnera Jeſu: illa ſunt ita potentia, ut impetrent id omne quod intendunt ſuper terrâ, & in cœlo; ea ſunt eloquentiora abſque ullo verbo ipsâ eloquentiâ, potentiora ſolo ſuo intuitu omnibus Cauſidicis; ſufficit *ut Patri, pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, ſemper oſtendat* Filius ejus, ait S. Thomas *e*, ut fulmina iræ ejus à nobis jugiter avertat, & Divinarum gratiarum ſuper nos abundantiam invehat: ipſa ſunt veluti ora ſemper aperta, quæ facundiâ ſuâ arma è manibus Dei eripiunt, & nobiſcum propitium efficiunt, illumque amanter inducunt ad temperandam violentiam malorum, & ad mitigandum dolorem afflictionum in morbis noſtris. Nunquid non habemus cauſam eruendæ conſolationis è vulneribus iſtis, quæ ſunt ora aperta quæ inducunt Deum, ad præbendas gratias ſuas nobis conſtitutis in afflictionibus.

e S. Thom. 3. p. q. 54. a. 4. in concl.

Corruptio naturæ noſtræ, quæ hominem ad peccatum impulerat, eum etiam effecerat criminoſum, & inimicum Dei: in hoc ſtatu habebamus unde jure meritò metueremus indignationem Dei, cùm eſſemus *ipſi rebelles lumini*, neſciremus *vias ejus, nec per ſemitas ejus f* reverteremur: ſed ſtatim ac *Verbum caro factum eſt g*, & Filius Dei factus homo, *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit h*: pax noſtra cum Deo peracta eſt, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt i*. Et in notam reconciliationis noſtræ, ſuper Corpore ſuo iſta defert inſignia impreſſa manibus ſuis, pedibus ſuis, & lateri ſuo, ut ſymbola pacis, & ſpecimina triumphi. Si autem hæc Jeſu Chriſti vulnera ſunt tanquam *arcus in nubibus, & fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum & k* nos, teſtimonium; nunquid non habemus occaſionem gaudendi & exultandi intuitu vulnerum iſtorum, cùm ipſa nos certos efficiant vel ex ſolo ipſorum intuitu, nullam ampliùs eſſe inimicitiam inter Deum & nos, & quod deinceps gloriam ſperare poſſumus? Si ergo volumus, Auditores, ut hæc vulnera ſint nobis proficua, & conſolatoria, de illis ſemper cogitare debemus, & ſi eorum ſeriæ incumbamus conſiderationi, nunquam Divinæ Majeſtatis incurremus offenſam. Si autem è contrà de illis cogitare recuſemus, pro certo tenere debemus, quòd inde magnum nobis proveniet infortunium. Exacerbatus aliàs Deus contra homines, dixit, *Pœnitet me feciſſe eos l*. Sed hodiernâ die ipſe videtur poſſe jure merito dicere, Pœnitet me factum eſſe hominem, & tanta pertuliſſe pro ſalute hominum, cùm ita exiguè ducant adventum meum. Virgo beatiſſima duos habebas filios, tuum *Filium primogenitum Jeſum m* Chriſtum, & filium natu minorem, & adoptivum, nempe omnes fideles qui tibi commendati ſunt à Filio tuo primogenito, quandiu ſtabas *juxta crucem* ejus, in perſonâ S. Joannis Evangeliſtæ, cùm dixit tibi, *Mulier, ecce filius tuus n*. Primogenitus tuus erat *Sanctus ſanctorum o, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus p*. Ut ſic immunis erat ab omni defectu, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus q*. Tamen Pater æternus illum cruci ſuffigendum decernit, perforandas ei manus, terebrandos illi pedes, & *lanceâ latus ejus r* aperiendum a militibus, & ait, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum ſ*. Sed hanc habemus conſolationem, quòd nos qui ſumus veluti filii tui adoptivi, ſalutem conſequemur intuitu vulnerum Primogeniti tui, fratris noſtri, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus t*: *Id eſt, inter prædeſtinatos fideles* (*qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam*) *primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo u*. Hæc eſt ſecunda ratio propter quam Dei Filius cuſtodire ſua voluit vulnera; id eſt; ob conſolationem Prædeſtinatorum. Tertia eſt propter confuſionem reproborum.

f Job. 24. 13.
g Joan. 1. 14.
h Iſai. 53. 4.
i Coloſſ. 1. 20.
k Gen. 9. 16.
l Gen. 6. 7.
m Matth. 1. 25.
n Joan. 19. 25. & 26.
o Dan. 9. 24.
p Hebr. 7. 26.
q 1. Petr. 2. 22. ex Iſ. 53. 9.
r Joan. 19. 18. & 34.
ſ Iſai. 53. 8.
t Rom. 8. 29.
u Dion. Carthuſ. 32 in Rô. 8. 29.

Hanc ultimam rationem ſic deducit S. Thomas Aquinas *x*, *Ut in judicio quàm juſtè damnentur, ibidem denunciet. Unde ſicut Auguſtinus y dixit, Sciebat Chriſtus quare cicatrices in ſuo corpore ſervaret: ſicut enim demonſtravit Thomæ non credenti niſi tangeret, & videret, ita etiam inimicis vulnera demonſtraturus eſt ſua, ut convincens eos Veritas z dicat, Ecce hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera quæ infixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis a, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*. Heu! quàm inutiles ſunt iſtæ tolerantiæ Filii Dei, cùm tam pauci ſalventur. Cogitemus ſeriò, Auditores, veritates iſtas, & quandiu vos alloquor, firmiter ſtatuite in meliorem emendationis vitæ vos recipere frugem intuitu mortis & vulnerum Jeſu Chriſti. Heu! Salvator adorande mortuę pro fratribus tuis, tuam tradidiſti vitam, ut ſalvam vitam faceres omnibus peccatoribus, *mortuus juſtus pro injuſtis b*. Et tamen innumeri ex illis labentur in reprobationem: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi c*. Suos claudunt oculos, te nolunt agnoſcere, & ut intuentur, ideò ut tua renovent vulnera, & illa augeant, te *rurſum crucifigentes ſibimetipſis d*. Id eſt, omnibus cogitationibus ſuis, cunctis verbis ſuis, & univerſis operibus ſuis, non agnoſcentes aliter beneficia tua quam ingratitudinibus. Heu! peccatores eritiſne ſemper obſtinati in erroribus veſtris, ſicut *induratum eſt cor Pharaonis e*? Num ſemper veſtrum *cor indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus f*? Fierine poterit ut nunquam aperiatis oculos ad intuenda vulnera Salvatoris? Claudetiſne eos ſemper veſtræ ſaluti æternæ? Attendite vobis: *Ipſi enim diligenter ſcitis quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet g*. Id eſt, *Quia ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum h*, oſtendet vobis in diſpendium veſtrum, ſe non habiturum erga vos niſi ignes & flammas in vulneribus ſuis ad moliendam ruinam veſtram. In quantam redigetur peccator deſperationem, qui diponere poterat bonitatem Dei ita ut ex eâ glorioſiſſima ſua referre poſſet commoda; & tamen malens vanitatibus, & vitiis indulgere, miſericordiam Dei horribili metamorphoſi convertit in ſeveriſſimam vindictam.

x S. Thô. 1. p. q. 54. a. 4. in concl.
y Ex S. Aug. lib. 2. de Symbol. c. 8.
z Ex Joan. 14. 6.
a Ex Zach. 12. 10.
b 1. Petr. 3. 18.
c Matth. 22. 14.
d Hebr. 6. 6.
e Exod. 7. 22.
f Job. 41. 15.
g 1. Theſſal. 5. 2.
h Act. 10. 42.

Sed quodnam remedium curandis noſtris infirmitatibus conſonum? Si ſuam nobis renuat

Digitized by Google

Pater æternus impendere miſericordiam, adeamus B Mariam Deiparam, imploremus auxilium ejus, ipſa eſt Protectrix peccatorom, ipſa ſuum non denegabit vobis, Auditores, præſidium; ſed ſi eam contemnatis, mementore magno vos expoſitos eſſe periculo. Heu! quãto dolore angemini, cùm recordabimini vos perdidiſſe Dominum ſic amabilem, eò quòd Divinis voluntatibus ejus morem gerere nolueritis, ut pœnas incurreretis æternas, voluptatibus vitæ temporaneis habenas laxando. Quânam confuſione operiemini, quando dicetur vobis, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eò i*? En vir, cui veſtras recuſaviſtis aliàs exhibere obedientias; totus ſanguis ejus è venis ipſius eductus eſt, vos autem intueri noluiſtis ipſius vulnera, nedum ea alloqueremini. Quæ deſperatio! cùm videbitis, quòd inſtrumenta, quibus uti voluit ad impertiendam ſuam vobis miſericordiam mutabuntur in inſtrumenta rigoris ad vos condemnandos. Ha! Auditores, ſi zelo aliquo ducimini veſtræ ſalutis æternæ peragendæ, nolite expectare ad hanc uſque horam ut aperiatis oculos veſtros ad agnoſcendum infortunium, quod vobis imminet; pergite ad hæc ſacra vulnera, adorate ea præ reverentiâ; ipſa ſunt nunc fontes gratiæ & miſericordiæ aperti ad ſublevandas miſerias veſtras; & ſi diu tardetis, erunt ſcintillæ ignis & flammarum ad vos comburendos; iſtæ plagæ ſunt veſtræ nunc advocatæ ante Deum, & tunc erunt accuſatrices veſtræ. Nolite ergo deſpicere *Teſtamenti novi Mediatorem Ieſum, & Sanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel k*. Et ne expectetis donec hæc vulnera ſacra convertantur in fulmina ad conterenda impia veſtra capita: pergite igitur ad ea, ipſa ſunt aſylum veſtrum, illa ſeriò conſiderate, ad juſtam perpendite trutinam beneficia, gratias, & favores, quibus ſumma Dei Majeſtas ita vos ſibi devinxit, adhærete ei reliquis diebus vitæ veſtræ, qui non ſolùm ſunt minima, verùm etiam peſſima pars ejuſdem vitæ veſtræ, ut intuentes hujuſmodi beneficia, æquè ac vulnera ejus, concilietis vobis gratiam illius, & aliquando gloriam ipſius.

i Matth. 25.31.
k Hebr. 12.24. ex Gen. 4.10.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Rectas facite ſemitas ejus. Luc. 3. 4. &c. ex Iſai. 40, 3.

S. Ambroſius *a* non tam laudibus evehit Patriarcham Joſeph ob ſapiens ejus regimen, eò quòd Regnum Ægypti ſic prudenter fuerit moderatus *b*, & miſeriis publicis tempore famis neceſſaria providerit, quandiu ipſe induſtriâ ſuâ conſtitutus fuit *ſuper univerſam terram Ægypti* à Pharaone; quin imò eò quòd dominæ ſuæ impudicas ſolicitationes repulerit *c*; quàm laudat ejus patientiam in vinculis, dum carceris anguſtias fert animo intrepido, *Calumniata eſt meretrix ubi eum tenere non potuit, quem carcer non terruit, non inferna tenuerunt: quin etiam quò veluti puniendus deſcenderat, inde alios liberavit: ubi ipſi ſtringebantur mortis vinculis, ibi laxavit ipſe vincula mortuorum.* Non minoribus idem extollit encomiis Patriarcham Iſaac, non quòd illius intuitu Deus matrem illius Saram fœcundaverit *d*; non quia omnes benedictiones cœleſtes domum Patris ſui Abrahæ attraxerit *e*; non quoniam eo cumulatus eſt honore ut unus è Meſſiæ majoribus fuerit; ſed quia diſpoſitus fuerit ad patiendam mortem inſtar victimæ innocentis, & ovis manſuetæ cui lana tondetur, nec tamen queritur: *Ligna Iſaac ſibi vexit, Chriſtus ſibi patibulum crucis portavit. Addidit Iſaac dicens, Ecce ignis & ligna, ubi eſt ovis ad holocauſtum? Et hic prophetat ſermone, non ſcientiâ. Oviens in à Domino ad ſacrificium parabatur, quòd alia eſſet hoſtia, quam Deus ſibi pararet, ut mundaret orbem terrarum f*, offerendam in cruce *g*, nempe Chriſtum ibi conſumendum igne amoris ſui, qui vult oſtendere nobis, vias ſuas eſſe ſemitas patientiæ, *Omnes ſemitæ illius pacificæ, & via ejus pulchra h* Per patientiam debemus monſtrare nos eſſe veros illius ſervos, *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ i*. Hæc virtus diſponet nos ad recipiendum eum in corda noſtra proximis iſtis Feſtis, ſicut humilitas induxit illum ut deſcenderet in uterum Virginis Sacratiſſimæ reſpondentis humiliter Angelo, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum k*, poſtquàm dixiſſet ipſi idem *Angelus, Ave Maria.*

Si Abraham eſt laude dignus ob obedientiam ſuam *l* ſic exactam; non minoris æſtimanda eſt patientia Iſaac deferentis *ligna holocauſti* humeris ſuis impoſita à patre ſuo, cum *pergebant pariter, & venerunt ad locum, quem conſtituerat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit, cùmque alligaſſet filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum*, ut obediret hic filius Patri ſuo, qui deſeruerat conditionem patris, ut indueret perſonam carnificis adversùs hunc filium, qui ætatis annum attigerat jam quintum & vigeſimum. Heu! quid agis Iſaac? Sineſne te morti tradendum, nedum morti tibi inferendæ ponas obicem? Eſne inſenſibilis? Erat, Auditores, Iſaac figura Chriſti deferentis patibulum crucis in montem Calvariam *m*, eique ſuffigendi præ patientiâ, quæ Angelis eſſet ſtuporem incuſſura. De hâc loquitur Evangelium noſtrum virtute, cùm edocet nos ut Domini *rectas ſemitas* faciamus, quas S. Paulus *n* deſcribit nobis, *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur ſed non perimus.* Patientia eſt vinculum, ſaccharum, & cœmentum omnium aliarum virtutum, cùm ſine illâ iſtæ non poſſint ſubſiſtere.

S. Auguſtinus loquens de patientiâ Job ſuper ſterquilinium redacti, ait eum ibi majoris æſtimandum eſſe, quàm Adam in paradiſo terreſtri. Job cum ſplendore ſedet *in ſterquilinio o* veluti in throno, cùm ſit innocens; Adam in paradiſo ſuum perdit ſceptrum & dominationem ſuam per peccatum ſuum, propter quod *emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis p*. Job per patientiam ſuam de Satana glorioſum reportat triumphum; Adam verò diaboli conſentit ſuggeſtionibus. Job inſanæ uxoris ſuæ conſiliis non acquieſcit; Adam verò conjugis ſuæ perſuaſionibus gerit morem. *Suggeſſit mulier blaſphemiam, Iob non obtemperat, ſed recuſat. Evam Adam in paradiſo non repulit, repulit Iob Evam in ſterquilinio. In ſtercore ſedebat Iob, cùm flueret vermibus, atque putreſceret.*

ſed

a S. Ambr. lib. de Joſeph. c. 6.
b Gen. 41. 41. &c.
c Gen. 39. 8. &c.
d Gen. 21. 1.
e Gen. 22. 16. &c.
f S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 8 ex Gen. 22 6. &c.
g Joan. 19. 18. &c.
h Prov. 3. 17.
i 2. Cor. 6. 4.
k Luc. 1. 38. & 28.
l Gen. 22. 3. &c.
m Joan. 19 17. & 18.
n 2. Cor. 4. 8.
o Job. 2. 7. &c.
p Gen. 3. 24 &c.

ſed melior Iob vulneribus plenus in ſtercore, quàm Adam integer in paradiſo. Equidem adhuc uxor ſua Eva erat. Sed jam ille Adam vicerat q. Job per patientiam ſuam victor efficitur, Adam verò vincitur. Job cuſtodit ſe in patientiâ ſuâ, Adam autem labitur. Virtus hæc eſt aliarum omnium ſaccharum, & ſic neceſſaria ut ſine eâ perirent omnes artes, ſcholaſtici nunquam Doctores evaderent, cùm hæc omnes inauret virtutes & artes, earumque omnium nexus ſit. Si fides apparet, patientia jacit illius fundamentum. Si ſpes manifeſtatur, patientia eam ſtabilit; Quia, ut dicitur, qui expectat, languet. Si charitas oſtenditur, patientia illam perficit; per patientiam acquieſcimus rebus quibuslibet pro magnâ requie, *Patientia opus perfectum habet*, ait S. Jacobus r. Cujus rationem ſubdit Dionyſius Carthuſianus ſ, *Quia hâc ratione fideles per patientiam exercentur, ut per eam fides eorum quàm ſit perfecta, probetur.* Sed quomodo? dicetis mihi, Quis majorem præ ſe tulit patientiam, quàm Anaxarchus? Nam *Anaxarchus, cum à Nicreonte Cypri Tyranno in ſaxo concavo tunderetur, infracto animo ait*, ut refert Cornelius t, *Tunde, tunde Anaxarchi vaſculum; at Anaxarchi conſtantiam non teris.* Sed ſane non erat hoc patientia, ſed duritia animi. Nolite igitur dicere, patientiam non eſſe tanti momenti virtutem; cum è contrà ipſa dominos efficiat nos potentiarum noſtrarum ſpiritualium & corporalium. Chriſtus id aſſerit, *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras* u. *Id eſt, eas ſalubriter cuſtodietis, & à variis præſervabitis vitiis, quæ per impatientiam incidit homo, eaſque rationi & Deo ſubjectas habebitis; per impatientiam verò perdit homo animam ſuam*, ait Dionyſius Carthuſianus x. Per patientiam intellectus noſter incumbit contemplationi rerum Divinarum, voluntas ſemper recta permanet, nedum unquam curvetur, memoria verò è ſuis nunquam recedit muniis. Unde occaſionem arripio oſtendendi vobis Primò, Patientiam eſſe propriam virtutem Jeſu Chriſti, quæ nos divinizat: Secundò, Impatientiam eſſe vitium dæmonis, & filiorum ejus, quod eorum ruinam machinatur.

q S. Aug. ſerm. 222. de Temp. — r Jacob. 1. 4. — ſ Dion. Carthuſ. art. 1. in Jacob. 1. 4. — t Cornel. in Exod. 27. 11. — u Luc. 21. 19. — x Dion. Carthuſ. art. 44. in Luc. 21. 19. — Diviſio.

I. Pars.

Dico igitur, patientiam eſſe virtutem Jeſu Chriſti. Patientiam præ ſe tulit aliquo modo Deus, cùm *in principio creavit cœlum & terram, duo luminaria magna, & ſtellas*, cæteraque, educendo ea omnia è nihilo. *Spiritus* ſanctus ejus ſuam quaſi exhibuit etiam patientiam, fœcunditatem impertiendo rebus omnibus, dum *ferebatur ſuper aquas y*. Sed quænam patientia Filii ejus, dum exivit ab illo, & venit *in mundum z*, in uterum Virginis Sacratiſſimæ, in quo novem menſibus permanſit incluſus, & patiens a; ibi ſumens noſtras omnes infirmitates, ſi excludas *peccatum b*, & ignorantiam? *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter c.* Infuſio autem omnium gratiarum data fuit Animæ ejus beatæ cum rationis uſu. Venire poterat in ſtatu viri perfecti. *Et Jeſus proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines d*, omnibus perfungens puerilibus actionibus. Quam patientiam! *Nobis exercendæ patientiæ auctoritatem, viva ac cœleſtis diſciplinæ Divina diſpoſitio delegat, Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum*, ait Tertullianus e. Joſepho miniſtrabat Jeſus, dum ei *erat ſubditus d quaſi annorum triginta* e ſpatio præ patientiâ. Sed quamnam exercuit patientiam tribus annis ultimis, quibus *vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit f*, eorumque ſtupiditatem paſſus eſt, æquè ac Jacobi & Joannis zelum indiſcretum in Samaritanos, qui ipſos recipere noluerant g? *Non illi ſaltem civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus eſt, cùm etiam diſcipuli tam contumelioſo oppido cæleſtes ignes repræſentari voluiſſent. Ingratos curavit, inſidiatoribus ceſſit*, dicit idem Tertullianus h. Qui miratos patientiam Chriſti intuitu audaciæ Petri, qui *extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus i*, ſubjungit, quòd *patientia Domini in Malcho vulnerata eſt.* Sed in cruce extenſus, ſi ſuum aperit os, ideò ut benedictiones è cœlo attrahat ſuper inimicos ſuos. Brachia expandit, cruci ſuffigitur, *& non aperuit os ſuum, ſicut ovis ad occiſionem k* ductus. Sed fallor: Ipſe enim loquitur, ſed verba ſuavitatis, *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt l.* Et poſt hæc dicetis, patientiam eſſe puſillanimitatem? Eam exercet Chriſtus. Deficiuntne ei animus & vires? Ha! ipſa eſt ejus virtus, & filiorum ejus, quippe quæ nos divinizat mitat Chriſti, qui *ſanguinari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*, concludit idem Tertullianus.

y Gen. 1. 1. &c. — z Joan. 16. 28. — a Luc. 1. 38. — b 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9. — c Coloſſ. 2. 9. — d Luc. 2. 52. — e Tert. lib. de Patient. c. 2. — a Luc. 2. 52. — e Luc. 3. 23. — f Luc. 6. 13. &c. — g Luc. 9. 54. & 55. — h Tert. Ibid. c. 3. — i Matth. 26. 51. — k Iſai. 53. 7. — l Luc. 23. 33.

S. Joannes cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium expectamus m? Sed quid? Auditores, exciditne S. Joannes memoriâ? Squalor, dolorve carceris ſuffunditne S. Joannem oblivione, ut ampliùs non meminerit Salvatoris? Nunquid eum non agnoverat, cùm accedente illo domum paternam, *exultavit in utero n* ipſe materno, & vidit potiùs cœlum quam terram, cùm repletus eſt Spiritu ſancto atque ac eodem *repleta eſt Spiritu ſancto* mater ſua, ſalutata à Deiparâ, Dei Filium in ventre ſuo geſtante? Cum illum tunc ſalutaverit, *in gaudio* exiliens, in maternis adhuc concluſus viſceribus, cur eum tunc non agnoſcit, cùm ad eum legationem mittit? In fluvio Jordane ſancta inter utrumque oritur contentio; urbanitas enim non eſt virtuti oppoſita, ſed ei maximè conſona, *Joannes autem prohibebat eum, dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem Jeſus, dixit ei, Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Baptizari vult à S. Joanne Chriſtus, & actu baptizatur. Statim autem Pater æternus eum manifeſtat, *Et ecce vox de cœlis dicens, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ demonſtrat eum, qui *vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe o.* S. Joannes poteratne igitur de hâc ambigere veritate? *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Annon eum digito demonſtraverat? *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi p.* Nonne ipſe dixit? *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis q: cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus r.* Quid igitur?

m Matth. 11. 2. & 3. — n Luc. 1. 41. & 44. — o Matth. 3. 14. &c. — p Joan. 1. 29. — q Joan. 1. 26. — r Luc. 3. 16.

Ecce, ratio iſtius in promptu eſt. S. Joannes prædicaverat de patientiâ, nimirum eam fuiſſe virtutem Divinam, characterem Divinitatis, & Meſſiam debuiſſe eſſe patientem, cùm ait, *Ecce Agnus Dei.* Id eſt *propter magnitudinem, propter modum ſuæ occiſionis, quoniam, Iſaia teſtante, ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit* præ inſigni patientiâ, ut explicat Dionyſius Carthuſianus t. Sicut ergo diſcipuli S. Joannis ſciebant, quòd vita Magiſtri ſui ſic eſſet ſancta & miraculoſa in deſerto, *ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre u*: quòd incommoda tantâ

ſ Ex Iſai. 53. 7. — t Dion. Carth. art. 6. in Joan. 1. 29. — u Matth. 3. 4.

ſuſtineret patientiâ; quoniam animo intrepido, licet ab Herode vinctus, miſſus eſſet *in carcerem, dicebat Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui x*, etiam in periculo imminenti vitæ ſuæ profligandæ ſorte expoſitus: Ha! dixerunt illi intra ſe, ipſe eſt Meſſias *deſideratus cunctis gentibus y* Sed S. Joannes hanc in corde eorum conceptam cogitationem legit. Ha! ait illis, Tantillum præ vobis patientiæ ferte, expectate, pergite ad Jeſum Nazarenum, & dicite ei, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (*Nam Ioannem non dubitaſſe de Chriſti perſonâ, videlicet quòd ipſe eſſet Rex Meſſias, mundi Salvator in lege promiſſus, & a Prophetis prænunciatus, omnes Sancti Catholicique Doctores concorditer proteſtantur*, ait Dionyſius Carthuſianus, & ego mox probavi:) Pergite igitur ad illū, & renunciabitis mihi quid ille vobis dixerit. *Tu es qui venturus es?* Quibus verbis, *Chriſti perſona exprimitur, ſicut & alio loco ſcriptum eſt, Illi homines cum vidiſſent quod fecerat ſignum, dixerunt, Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum z. Hoc etiam patet per id, quod in Actibus Apoſtolorum a Paulus affirmat, Ioannes baptizavit populum, dicens: In eum qui venturus eſt, ut crederent, hoc eſt, in Ieſum. Volens ergo Ioannes animas diſcipulorum ſuorum ſanare, mittit eos ad Chriſtum, ut viſis ejus miraculis credant, ac diligant. Quærit autem non quaſi dubitans, ſed informationem nuntiorum deſiderans. Vnde & Chriſtus multoties interrogavit quæ utique non ignoravit, ut cùm ait de Lazaro, Vbi poſuiſtis eum b*, dicit idem Dionyſius Carthuſianus *c. Et reſpondens Ieſus, ait illis, Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Hæc ſunt inſignia authoritatis meæ, literæ patentes Legationis meæ ſunt hæc miracula quibus tanquam ſigillis obligno commiſſionem meam. S. Joannes eorum errorem curare ſatagit, edocendo quòd ipſe ſit ſolus ejus præcurſor. Interim videre quomodo patientia Joannem veluti Deum exhibeat, & quàm Divina ſit hæc virtus.

x Marc. 6. 17. &c. ex Levit. 18.16
y Agg. 2. 8.
z Ex Joan. 6.14
a Ex Act. 19.4
b Joan. 11 34
c Dion. Carth. art. 21. in Matth. 11 3. &c.

Sic in monte Calvariâ hæc eadem virtus Jeſum publicari fecit Deum, *Verè Filius Dei erat iſte d. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſſent, patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret*, ait Tertullianus *e*. Non poterat Chriſtus in hoc mundo vivere quin pateretur. *Formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo f*, edocere voluit homines, majorem gloriam ſitam eſſe in ſuſtinendo, quàm in ſe ulciſcendo. Patientia, manſuetudo & ſuavitas ſunt character ipſius Divinitatis, cùm aſſerat idem Tertullianus *g*, *Patientiam Dei eſſe naturam effectam, & præſtantiam ingenitæ cujuſdam proprietatis*. Qui obſervat, quòd magnum miraculum miſericordiæ, quam præſepè exercuerat ipſemet Deus, parcendo peccatoribus, nunquam coæquavit merita patientiæ, quam deinde præ ſe tulit, cùm innumeras ſuſtinuiſſet injurias ſibi illatas, & poſtquàm idem Tertullianus miſerias ab eo toleratas recenſuit, ſic ait, *Parùm hoc, ſi non etiam proditorem ſuum ſecum habuerit h, nec conſtanter denotavit*; oſtendens ſe multùm ſemper manifeſtatum fuiſſe in omnibus quæ pertulit pro peccatoribus, ſed quòd excelluit, noſtras ſuſtinendo indignitates ſic admirādâ & Divinâ patientiâ.

d Matth. 27.54
e Tert. lib. de Patiēt. c. 3
f Philipp. 2.7
g Tert. lib.
h ex Matth 26.23

Satis erat ſe exhibere Deum paupertatis, ac ſe reduxiſſe ad auſteritatem præſepii *i*; Deum egeſtatis in fame in deſerto, nam *cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit k*. Deum timoris, quandiu cum parentibus ſuis *ſeceſſit in Ægyptum l*. Deum injuriarum *m* inter tolerantias ſuæ Paſſionis: Deum *virum dolorum n* in agoniâ Crucis ſuæ *o*. Sed aliter hunc amorem ſplendere fecit Divinum, qui ardebat in pectore ipſius, eò quòd quandiu ibi calefaciebat unum è diſcipulis ſuis, *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus p*, alterum pateretur ſecum menſæ aſſidentem, etiamſi ab illo ipſe eſſet prodendus inimicis ſuis. Perfidiam, infidelitatem, pertinaciam, quæ potuiſſet extinguere ignem Divini amoris, quo Jeſus erga eum ferebatur, niſi hæc Divina flamma tantæ glaciei digerendæ fuiſſet par! Sinit igitur ut apoſtata ſecum menſæ aſſideat, nedum tamen perniciosum ejus conſilium aliis manifeſtet, *Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei*.

i Luc. 2.7
k Matth. 4. 2
l Matth. 2. 14
m Matt. 26.23. &c.
n Iſa. 53.3
o Matth. 27. 33. &c.
p Joan. 13. 23. &c.

S. Auguſtinus *q* ait, fornacem, in quâ aurum noſtræ probatur patientiæ, eſſe conſtantiam, quam præ nobis ferimus, cùm animus noſter circumquaque obſeſſus & involutus flammis deſiderii ſævæ vindictæ capeſſendæ, cùm in noſtrâ poſitum ſit poteſtate illam ſumere de iis qui nobis ſunt infenſi, illius rabiem extinguit, & mavult hanc domare paſſionem effrænem, quàm ſinere ut hæc voluntas prava de noſtrâ triumphet patientiâ, *A potentiâ diſcimus patientiam*. Atqui ſi voluiſſet Chriſtus ſuos malè excipere inimicos, nemo eſt qui ambigat, eum potuiſſe id efficere. Sed nimis magnanimus erat, nedum condignas de ſceleribus eorum pœnas caperet. Et S. Ambroſius loquens in perſonâ S. Petri, poſtquàm dixiſſet Chriſtus diſcipulis ſuis ut gladios emerent, *Et qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium; At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladii hîc: At ille dixit eis, Satis eſt r*: Et cùm S. Petrus ſuum eduxiſſet in horto Olivarum, præciſurus caput cuidam miniſtro Pontificis, ideòque corriperetur à Chriſto, nam cùm *extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus, ait illi Ieſus, Converte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt ſ*: S. Ambroſius *t* ergo Chriſto loquens in perſonâ S. Petri, ait, *O Domine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Niſi fortè ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria; & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe. Multis hoc iniquum videtur, ſed non iniquus Dominus; qui cùm ſe poſſet ulciſci, maluit immolari.* Eſto quòd immunes ſitis, Auditores, à criminibus, quorum inſimulamini; nullam tamen inde debetis anſam impatientiæ capeſſere; ſatis autem eſt ut demereamini id quod ſuſtinetis, ac aures habuiſſe inquinatas injuriis vobis irrogatis.

q S. Aug. tract. 43. in Joan.
r Luc. 22. 36. & 38
ſ Matth. 26.51. & 52
t S. Ambr. lib. 10. in Luc. 22. 36. &c.

David hunc Spiritum Meſſiæ prævidens, ſic Patrem æternum deprecatur, *Deus judicium tuum Regi da; & juſtitiam tuam Filio Regis, judicare populum tuum in juſtitiâ, & pauperes tuos in judicio u*. Super quæ ait Genebrardus *x*, *Iudiciorum tuorum, juris tui notitiam & zelum Regi Meſſiæ da, ut ſecundùm leges tuas & inſtituta populum tuum regat, & moderetur. Vel potius judicii tui rectionem & adminiſtrationem, ut judicet, regat, vindicet.* Quia quatenus homo meliùs humanis compati ſciet infirmitatibus. Et S. Hieronymus *y* in hæc verba Prophetæ, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet*, ait, Salvatorem æquè eſſe virgam ac florem. *Quòd ſcilicet in virgâ regnantis potentia, in flore pulchritudo monſtretur*, Cùm regnum ejus

u Pſ. 71. 2
x Genebr. in Pſ. 71. 2
y S. Hier. lib. 4. in Iſa. 11. 1.

ejus florere deberet manſuetudine, quam præ ſe laturus erat Dei Filius incarnatus, quippe qui in dulcedine eſſet ſibi complaciturus *Non in ſpiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis* z. Et Hugo Cardinalis dans rationem propter quam *Ieſus abſcondit ſe*, dum lapidibus eum vellent obruere Judæi, ait quòd ideò delituit *ut homo humilis: quia commendanda erat patientia, non exercenda potentia* a. Latuit ergo Chriſtus non præ timore, ſed præ compaſſione, quaſi volens eis ignoſcere, & iram eorum compeſcere. Illorum fuerat expertus imprudentiam, ideò recedit ut auferat eis occaſionem perſeverandi in peccato ſuo, *Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte diſperdam te* b, dixit aliàs Deus Hebræis patribus illorum, qui nunc *tulerunt lapides*, quia *ipſi duri ut lapides* erant, ait idem Hugo, quos ideò Chriſtus emollire ſuâ patientiâ, & ſuo diſceſſu cupiiſſet, ſi voluiſſent illi. Ideò dicebat S. Gregorius c, *Glorioſius eſt injuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare.* Innocentia nihil habet magis ſibi proficuum quàm ſilentium, & ipſa diffidentia de innocentiâ efficit ut attendamus injuriis & improperiis quæ nobis inferuntur. Et propter id S. Ambroſius d ſuper hæc verba, *Et cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum, non reſpondit ad ullum verbum* e, appoſitè dicit, *Admirabilis locus, quo ſubeunda aquanimitèr injuria moralis infunditur patientia pectoribus humanis. Accuſatur Dominus, & tacet. Et benè tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo. Quid enim timeret qui non ambiret ſalutem? Salus ipſa ſe prodit, ut acquireret omniam.* Suam committebat famam ſilentio defendendam, cùm enim non eſſet conſcius criminis, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* f, non indigebat verbis tueri innocentiam ſuam. *Sed quid de Deo loquar? Suſanna tacuit* g, *& vicit; (Melior enim cauſa, quæ non defenditur, & probatur)* concludit S. Ambroſius, etiamſi inauditis impetita calumniis illatis ſibi à duobus ſenibus, quorum impudicis reſtiterat ipſa conatibus; ne vel ullum protulit ipſa verbum ad tuendam innocentiam ſuam, & ſic ſilendo, denigratam famam ſuam in priſtinum vidit ſtatum reſtitutam. Nam *cum duceretur ad mortem, ſuſcitavit Dominus Spiritum ſanctum pueri junioris, cui nomen Daniel*, qui cauſam ipſius amplexus, honorem ipſi æquè ac vitam retribuit. Oportet igitur ut lingua noſtra taceat, cùm nobis jus ſtat; æquè enim verbis utimur pro bonis ac pro malis. Eloquentia quæ cauſam tuetur injuſtam, eam contra æquitatem garrulitate ſuâ perducit ad victoriam, cùm illam meliùs neſciat defendere. Committere igitur cauſam juſtam favori linguæ, cùm defendi poteſt in gratiam juſtitiæ & innocentiæ ſuæ, eſt ejus meritum deprimere, & illius jus inquinare, *Labia ſapientum diſſeminabunt ſcientiam* h. Et S. Ambroſius i ait, *Sapiens in tempore tacet* k, *& ſecum ipſe conſiderat quo tempore loqui debeat. Quando ergo vides illudentibus protervis ſapientem tacere, dic, Ligavit iſte intellectus labia ſua* l: *Hoc eſt, prudenter tacet, ne labiorum ſuorum vinculis alligetur.* Tacet igitur homo ſapiens, non quòd ſe conſcium ſentiat criminis, cujus inſimulatur, ſed ne judicetur imprudens in verbis ſuis, & indiſcretus in reſponſis ſuis.

z 3. Reg. 19. 11. & 12
a Hug. Card. in Joan. 8. 59
b Exod. 33. 3
c S. Greg. hom. 18. in Evang.
d S. Ambr. lib. 10. in Luc. 23. 3
e Matth. 27. 12. & 13
f 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9
g Dan. 13. 42. &c.
h Prov. 15. 7
i S. Ambr. in Pſ. 38. 1
k Ex Eccli. 20. 7
l Ex Eccli. 28. 23

Patientia igitur divinizat homines, cùm leones revereantur homines patientes non ſecus ac Deos. Babylonico *in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oves: & tunc non data ſunt eis, ut devorarent Danielem* m, qui in eum projectus fuerat; eum adeunt leones, coram eo curvantur, pedes ejus lambunt, eum non audent attingere niſi præ reverentia, agnoſcentes illum ut Deum. Intereà *Habacuc apprehendit Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamavit Habacuc, dicens, Daniel ſerve Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus.* Ecce prandium inviſibiliter delatum. *Surgenſque Daniel comêdit*, quem cingebant circumquaque leones fame pereuntes; furioſi erant, & tamen ne vel unicam micam è menſâ Prophetæ cadentem abſque ejus licentiâ audebant attingere, eò quod reverentur eum quaſi Divinitatem. Quid faciebat hoc? Auditores. Patientia ejus.

m Dan. 14. 31. &c.

Sic S. Ignatius n damnatus ad beſtias, ut ab iis devoraretur, admirabilem præ ſe fert patientiam, & ſic fideles exorat ne martyrio ſuo ponant obicem, *Ego omnibus Eccleſiis ſcribo, quòd voluntarius morior, ſi modo vos non prohibueritis. Obſecro vos ne intempeſtivâ benevolentiâ me complectamini. Sinite me ferarum eſcam fieri, per quas licebit Deum adipiſci. Frumentum ſum Dei, dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar. Imò blanditiis demulcete potiùs feras ut mihi ſepulchrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquant; ne mortuus, moleſtus cuiquam inveniar. Tunc ero verus Ieſu Chriſti diſcipulus, cùm mundus nec corpus meum viderit. Fruar beſtiis mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inveniri; quas & blanditiis demulcebo ut crudeliùs me devorent, non ut quaſdam, metuentes non attigerunt: & illæ ſi ſponte noluerit, ego illas vi adigam. Ignoſcite mihi, quid mihi utile ſit, ego novi.* Sed non ſufficit ut leones revereantur ut Deos, illos qui patiuntur; quin imò ipſa elementa ſuam ſuſpendunt actionem naturalem in gratiam eorum. Videte quomodo, cùm *Sidrach, Miſach, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati, ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit* o. Poſt hæc, Auditores, dicetiſne quòd patientia ſit pura puſillanimitas? Deridetis patientes? vocatis eos leves? Feræ, & elementa illos reverentur, eoſque non audent attingere, cùm hæc virtus eos exhibeat ut Deos. Pejores eſtis ergo vos tigridibus, & inſenſibiliores elementis, cùm illos contemnatis.

n S. Ignat. Epiſt. 15. ad Rom.
o Dan. 3. 23. &c.

Hæc virtus ipſis æmulationem cauſat vel Angelis, ſic eximia eſt, ut duobus in terra privilegiis fruamur, quibus non potiuntur illi in cœlo. Primò, Merito, cùm mereri ſemper poſſimus quandiu in terrâ ſumus. Secundò, Poſſe ſuſtinere præ patientiâ, quod non poſſunt Sancti, nec Angeli in cœlo, ubi patientia quidem eſt, ſed non in tolerantiis, *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà* †. Idcircò Angeli patien-

† Apoc. 21. 4. ex Iſai. 25. 8

tientiam æmulantur eorum qui adverſa ſuſtinent. Sic *S. Petrus in carcere vinctus catenis duabus*, beatiorem ſeſe exiſtimare debebat Angelo, qui ipſum *eripuit de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum p.*

p Act. 12. 5. &c.

Sicut enim Aulicus quis Regis amicus, qui ei ſemper aſſiſtit, cum illo jugiter oblectatur, & familiariter cum eo converſatur, dicitur amicitiam Principis ſibi conciliaſſe. Sed ſi comparetur cum Duce Generali exercitus, qui propter obſequium Regis perſæpè vitam ſuam in diſcrimen adduxerit, multis vulneribus confoſſus, hic majoris æſtimabitur à Rege quam alter; ſic de Angelis & de patientibus. Eandem habuit Dei Filius intentionem, nam cùm beatus eſſet *in ſinu Patris q*, *habitu inventus ut homo r* eſt, ut diſceret praxim patientiæ, ſic eximia eſt hæc virtus ut nos Deos efficiat.

q Joan. 1. r ...

Intereà contrarium omnino peragimus, & hujus incumbere nolumus virtutis exercitio. Origenes *ſ* ait, *Habet modeſtia ſignificationem quandam Servatore dignam id quod hoc loco dicitur, Ego autem non quæro gloriam meam. Neque enim admodum dedecebat eum gloriam ſuam quærere, ob eamque cauſam eos, qui eam non tribuiſſent judicare; ſed Patrem qui Filio gloriam tribuerat, eam poſtulare decebat ab eis, qui illum eâ fraudaverant, & ob eam illos judicare.* Dei Filius ſolam intuebatur Patris ſui gloriam, ſolis illius invigilabat commodis, nos autem ſoli ſtudemus vanitati, & nihil ſuſtinere volumus. Ille *in laboribus à juventute t* ſuâ, imò ab ipſis ſuis incunabilis fuit æquè ac in perpetuâ martyrii continui contradictione, dies ſuos ſub perſecutione incipiendo, & eos ſub perſecutione abſolvendo. Natus reclinatus eſt *in præſepio u*; *ſeceſſit in Ægyptum x*, declinans ab Herodis perſecutione cum Parentibus ſuis. Et ſi percurrantur ſingulæ illius ætates, per ſingulas invenientur aut pœnæ, aut perſecutiones ab eo patienter toleratæ. Etiamſi plenè informatus ejus innocentiâ *Pilatus, Ieſum tradidit voluntati y* Judæorum nihilominùs, ſinens ut præcipui inimici ejus æquè ac Partes illius ſententiam capitis adversùs eum latam exequendam ſatagerent. Adverſarii ejus, Procuratores fuerunt in causâ illius; & illi qui injuſtum adversùs eum tulerunt teſtimonium, fuerunt carnifices qui illum manibus militum interemerunt, comminiſcentes ſupplicium omnium maximè infame, & ſæviſſimum. Sed quàm multi ſunt hodie fideles perverſam agentes vitam, qui more Judæorum perſequentium Dei filium, eum denuò perimere ſatagunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei z.* Sed quomodo? Extinguendo in ſe dona ejus Divina, perimendo gratiam, quæ eſt character adoptivorum Dei filiorum, qui deſtinati ſunt ad poſſidendam gloriam, & evellendo ex animâ ſuâ qualitates ſupernaturales, quas ipſe ſuis communicat amicis. Heu mundus jam ruit præ ſenectute, & tamen in nobis peccata & impatientiæ æquè vigent ac ſi tantùm naſceremur, & inciperemus offendere Deum? Medias ſuas amiſit orbis terræ vires, cùm jam declinet, ſed peccata noſtra magis atque magis ſeſe roborant novis viribus.

ſ Orig. tô. 2. in Joã. 8. 50
t Pſ. 87. 16
u Luc. 2. 7.
x Matth. 2. 14.
y Luc. 23. 24. &c.
z Hebr. 6. 6

S. Auguſtinus *a* ait, peccata noſtra abſque ullâ comparatione antecellere crimina Judæorum; *Minùs enim peccaverunt Iudæi crucifigentes Chriſtum in terrâ ambulantem, quàm qui contemnunt in cælo ſedentem. Hoc faciunt qui male vivendo ſcandalum inferunt Eccleſiæ.* Et multi honorantur hoc auguſto Chriſtianorum nomine, qui Chriſtiani non ſunt re, & fidem ſuam operibus ſuis non comprobant, dicit S. Gregorius *b*. *Quam multi ſunt hodie qui Iudæorum duritiam deteſtantur, & tamen quales illos arguunt fuiſſe ad fidem, tales ipſi ſunt ad operationem,* Chriſtiani in fide, & Judæi in operibus; qui credunt uno modo, & vivunt altero ei oppoſito, qui profitentur fidem Dei patientis, & nihil ſuſtinere volunt. Quæ infamia! quæ hypocriſis! Judæi non credunt in Chriſtum; ſed Chriſtiani, qui credunt in eum, quo horrore & quo timore percellentur, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ c*? Lapides ſunt Chriſtiani, ſed duriores Judæis, de quibus dicebat Deus, *Cerno quòd populus iſte duræ cervicis ſit d*; & percutiunt Lapidem *e* mollem, è quo oritur oleum miſericordiæ, quia charitate ſuâ obtundere poteſt aciem eorum, quibus Chriſtiani per peccata ſua ipſum impetunt. S. Hieronymus *f* in hæc verba, *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: Et areſacta eſt continuò ficulnea*, ait, *Potuit Salvator eâdem virtute etiam inimicos ſiccare ſuos, niſi eorum per pœnitentiam expectaſſet ſalutem.* Multa patraverat Chriſtus miracula, quibus tanquam ſigillis legationi ſuæ conciliaverat authoritatem, ut ſibi homines conciliaret; idcircò imaginabantur Judæi illum veniſſe in mundum tantùm ut ſibiipſis benefaceret, nedum ipſos poſſit offendere; Sed Chriſtus oſtendit eis, quòd liberè & præ amore patiatur ipſorum ſcelera, propoſito exemplo ficus, ſed præ patientiâ incomparabili, & patientiâ quæ omne bonum peragit, quæque nos divinizat, ſicut è contrà impatientia eſt origo omnium malorum, vitium dæmonis, & filiorum ejus, & cauſa ruinæ eorum.

a S. Aug. conc. 2. in Pſ. 68. 22
b S. Greg. hom. 18. in Evang.
c Matth. 25. 31
d Exod. 32. 9
e 1. Cor. 10. 4
f S. Hier. lib. 3. in Matth. 21 19

Impatientia eſt origo & cauſa totius mali. Illius gradationem peragit Tertullianus *g*, incipiens ab infortunio Angelorum apoſtatarum, *Natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo h*, *jam tunc cùm Dominum Deum univerſa opera quæ feciſſet, imagini ſuæ i, id eſt, homini ſubjeciſſe, impatienter tulit. Nec enim doluiſſet, ſi ſuſtinuiſſet: nec invidiſſet homini, ſi non doluiſſet. Adeò decepit eum, quia inviderat. Inviderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter utique non tulerat.* Si ſpiritus iſti à materiâ immunes, molis corporeæ expertes, præ intolerandâ ingratitudine factioſam formant rebellionem adversùs Dominum qui ipſis dederat eſſe, & inſurgunt in eum, à quo abſolutè pendebant, id agunt præ impatientiâ agnoſcendi Dei, *qui habitu ut homo k* inveniendus erat aliquando. Revelatum iis fuerat, Dei Filium humanâ carne induendum, *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei l.* Et præ impatientiâ noluerunt ſe humiliare ad exhibendas adorationes Deo, qui induturus erat naturam humanam ipſis inferiorem naturæ Divinæ, (*Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit m*) Patienter non tulerunt ſe ſubjicere legi Dei, quæ exigebat ab ipſis has agnitiones & hæc obſequia ut notas dependentiæ ipſorum.

II. Pars
g Tert. lib. de Patiẽt. c. 5
h Ex Iſai. 14. 13. & 14
i Ex Gen. 1. 27. &c.
k Philipp. 2. 6. & 7
l Hebr. 1. 6 ex Pſ. 96. 8
m Hebr. 2. 16

Adam Protoplaſtus noſter conſtitutus in paradiſo *voluptatis*, non tulit patienter adimplere voluntatem Dei ſui, cùm *præcepit ei, dicens: De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris n.* Non tenebatur morem gerere uxori ſuæ quantùm ad rem, in quâ Divinum erat violandum mandatum; & tamen mavult ille Dei ſui præceptum præterire, quàm non obedire conjugi ſuæ, ne ſuarum objectum deliciarum triſtitiâ affeciſſe videretur. Eva præ impatien-

n Gen. 2. 15. &c.

tiâ

Digitized by Google

tiâ ſuam ruinam machinatur. Diabolus humanæ ſaluti invidens, cùm ſe non poſſet ulciſci de eo, qui adversùs ipſum iræ & juſtitiæ ſuæ jacula vibraverat, inſurgit in imaginem ejus, & deſtruere vult hominem; ſpecioſum offert fructum primæ genitrici noſtræ; hæc prima parens, ne dicam peremptrix, guloſa & curioſa (ſicut id eſt huic ſexui ordinarium) non habet patientiam, idcircò ex eo manducat, & ex illo præſentat conjugi ſuo, qui cùm ipſam deberet corripere, ex illo etiam edit; *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit* o, [o Gen. 3. 1. &c.] cùm patientiam præ ſe ferre deberet, præ impatientiâ deliquit. Cain impatiens eſt, fratris ſui Abelis proſperitatem patienter ſuſtinere non poteſt, *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus: cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum, & interfecit eum* p. Impatientia fuit [p Gen. 4. 5. & 8.] cauſa hujus nefandi fratricidii. Quare tot ſcelera, & tot impietates perpetrantur in bello à viris militaribus? Ratio iſtius in promptu eſt, impatientia. Cur tot adulteria committuntur? Eveniunt ea defectu patientiæ, non patitur quis continere ſe, & fidelitatem conjugi ſuæ ſervare inviolatam. Pauper ſuam pati non poteſt egeſtatem. Ambitioſus non habet patientiam in conditione, quæ ipſi accidit, ſed ad elatiora ſemper aſpirat. Tandem impatientia comitatur omnia vitia, character eſt filiorum Satanæ, qui pater eſt impatientiæ, ſicut Chriſtus eſt patientiæ parens.

Salvator adorande, intueor te ſedentem ſuper hâc Cruce veluti in throno patientiæ tuæ: Ibi manifeſtaris cum ſplendore. Hi clavi ſunt ſceptrum tuum, hæ ſpinæ diadema tuum, iſte Sanguis qui totum tuum Corpus operit, pallium Regium tuum. Ibi regnas præ ſilentio: *Cùm malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur* q. Ha! retracto me. Loqueris, ſed [q 1. Petr. 2. 23.] quid petis? Fulmina juſtitiæ Patris tui, quæ tuos concutiant carnifices? Non, ſed os tuum non aperitur niſi ad veniam expoſcendam in gratiam eorum r, & attrahendas ſuper eos benedictiones. [r Luc. 23. 34. &c.] Ha! Auditores, efficiamur ſubditi hujus Regni per patientiam, ignoſcamus, ſuſtineamus præ patientiâ adverſitates. In iis ſita eſt gloria ſufferendis, cum earum ſufferendarum nobis reliquerit *Chriſtus exemplum* ſ. Imitemur eum in [ſ 1. Petr. 2. 21.] dulcedine ipſius, nedum vindictam de noſtris ſumamus inimicis. Tange Domine cor eorum, præbe eis cor aliud purgatum à felle, ut ſubditi effecti tui per gratiam tuam, evadant tandem ſubditi tui per gloriam.

FERIA II. POST DOMINICAM IV. ADVENTVS.

Et circuibat Ieſus omnes civitates, & caſtella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Matth. 9. 35. &c.

ETiamſi Dei Filius ordinariam ſuam perageret Capharnaum habitationem à tempore, quo cùm *erat incipiens quaſi annorum triginta* a, [a Luc. 3. 23.] *cum hominibus converſatus eſt* b Judæis; hoc tamen [b Baruch. 3. 38.] non impediebat quominùs ex iſtâ aliquando egrederetur civitate, ut ſatisfaceret ardoribus zeli ſui & Divinæ ſuæ charitatis, & iret in urbes, & ad vicos contenderet & ad caſtra, ut ibi torrentes eloquentiæ ſuæ explicaret, & propitia manus ſuæ omnipotentis impenderet ſubſidia mediis miraculis quæ operabatur in gratiam animarum æquè ac corporum, *Et quos ſanabat corpore, ſanabat & mente*, ait Remigius c. [c Remig. citat. à Cornel. in textum noſtrum.] Hæc ſupradicta ſubdit Evangeliſta verba, ut in ſummam redigat labores, & opera miraculoſa, quæ Dei Filius operabatur ſine numero, ne videretur ſe obſtrictum ad enumeranda ea in ſpecie. Sed ut ſtem promiſſis quibus me alligavi in principio iſtius Adventus, pollicitus me locuturum vobis cum Evangeliſtâ, inter alia miracula patrata à Filio Dei ad conciliandam mediis illis veluti tot ſigillis doctrinæ ſuæ Evangeliſtæ authoritatem, de muliere, *quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*, quam ipſe propter magnam fidem illius ſanavit; *At Ieſus converſus, & videns eam, dixit, Confide filia, fides tua te ſalvam fecit: Et ſalva facta eſt mulier ex illâ horâ*, cùm copia materiarum quas tractavi in hoc Adventu, & iſtius ejuſdem brevitas Adventus non ſinant mihi ut de hâc muliere miraculosè ab eo curatâ concionem ſpecialem vobis texam, de eâ obiter unum vobis verbum promo cum Evangeliſtâ, ne exiguæ videar fidei vir Fides Divina hos omnes ſanavit ægrotos. Ipſa eſt fides quæ Sanctiſſimam Virginem effecit Dei Genitricem, ut teſtatur S. Elizabeth cognata ejus, illam alloquens, *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Hæc autem inchoari cœperunt cum ipſa reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, Angelo dicenti ipſi, *Ave* d *Maria.* [d Luc. 1. 28. &c.]

Accidet vobis aliquando ut in agro commorantes olfaciatis odorem ſpecioſi alicujus floris, aut plantæ alicujus aromaticæ totam regionem unguentis ſuis ſuavibus perfundentis; tunc temporis vos qui cupitis hanc plantam ſpecialiùs videre, progredi versùs eam incipitis inquirendam; & ſicut progredientes odorem illius magis percipitis, ſic & magis conamini progredi & ad illam propiùs accedere; & non obſtante difficultate obviâ quæ à vobis eſt ſuperanda in peragendo hoc itinere intermedio ad illam attingendam, alacriter ſemper contenditis æquè ac deliciosè recreati odore hujus plantæ, perſæpè dicentes, Ha! eximius odor! Ubinam eſt iſta planta? Quam delicioſum eſt hic immoratu! & iter rude, quod aliàs primo ſuſpſius vos terruiſſet ingreſſu, & querelas ex ore veſtro decerpſiſſet, præteritis præ gaudio & oblectamento ſingulari, & veſtros ritè inſumptos exiſtimatis greſſus, cùm olfacere vos faciant iſtum ſuavem odorem, & diuturniorem illius vobis polliceantur fruitionem. Scitote, Auditores, quòd hæc planta aromatica non eſt alia niſi Filius Dei, *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa, dedi ſuavitatem odoris* e. Hæc [e Eccli. 24. 20.] planta hodie diffunditur per agros *Galilææ & aliarum terrarum vicinarum*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus ſ; odores emittit inæſtimabiles bonæ & ſolidæ doctrinæ, *docens in Synagogis eorum, videlicet Iudæorum, ad quos convenire ſolebant*, ut ait idem [ſ Dion. Carth. art. 18. in Matth. 9. 35.]

idem Carthuſianus; ſuavis & jucundæ converſationis, bonitatis incomparabilis omnes ſibi devincientis potentiæ ſuper omnia, profundæ ſcientiæ, manſuetudinis ſingularis, humilitatis ſine exemplo, & ſapientiæ ſine ſimili. Quanti odores emanant ſimul ex hâc plantâ, & per omnes iſtos diffunduntur agros! Non miror ſi Jeſus *cùm deſcendiſſet de monte, ſecuta ſunt eum turbæ multæ* †; ſi iſte populus incipiebat olfacere hos Divinos odores, qui circumquaque reſpergebantur, videns mirabilia quæ ſermo ipſius æquè ac manus ipſius omnipotens operabantur, & ſi incredibili lætitiâ perfuſus, ſic inclamabat, *Trahe me; poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum g.* Effunde jugiter, ô magne Propheta, ô ſuavis & ſpecioſe flos plantate manu Omnipotentis primò in ſacro paradiſo uteri virginalis Mariæ *h*; & nunc tranſplantate feliciter & translate in hunc agrum, in quo te videmus, effunde ſine intermiſſione ſuper nos ſuaves odores tuos, illi enim validiſſimi erunt ad inducendos nos ut te circumquaque ſequamur indeſinenter. Utens etiam his amicis verbis Sponſæ, *Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis i.* Salvator animarum noſtrarum dignare nos oſculari, quia mammæ tuæ magis ſunt odoriferæ quàm ſit vinum. Per oſculum iſtud, intelligebat populus hic dulcedinem converſationis ejus, quam ſic concupiſcebant; & per has duas mammas, doctrinam illius, & bonum ejus exemplum, quibus paſcebantur. Vel, ſi mavultis, & conformiùs ad Textum meum, Sapientiam, quâ ipſos capeſſere docebat iter cœli; & potentiam, quâ tot ſanabat ægrotos; ex his enim duobus uberibus duplicem hauriebant vitam, animæ æquè ac corporis, *prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem,* qualiſcumque foret hæc, etiam ſtultitiam, *Et circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem & infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos k.* Hi lunatici ſunt homines laborantes per intervalla quibuſdam morbis, qui ſunt ſpecies ſtultitiarum, quæ repræſentant vobis peccatores, ut ait Eccleſiaſtes *l*, *Stultorum,* id eſt, peccatorum *infinitus eſt numerus.* Secundùm iſtud, oſtendere vobis volo. Primò, In genere peccatorem eſſe ſtultum. Secundò, In ſpecie, per convenientiam quam habet peccator ſtultus cum ſeptem ſpeciebus ſtultitiarum, quæ ſunt figuræ ſeptem peccatorum lethalium.

I. Pars. Prima ratio, cui innitor ut dicam, peccatorem eſſe ſtultum, eſt, Quòd ipſe non conſiderat, ſe per peccatum ſuum in hoc labi infortunium ut omnes ſuos amittat amicos in cœlo & in terrâ, *Omnes amici ejus ſpreverunt eam,* id eſt, animam peccatricem, *& facti ſunt ei inimici m.* Quinam autem erant amici illius? Angeli, Sancti, & omnes probatæ vitæ homines. S. Ambroſius *n* loquens de prodigo, qui *peregrè profectus eſt in regionem longinquam,* ait, *Quid longinquius, quàm divortia habere Sanctorum?* Prodigus ille ſtultus vera imago peccatoris, ut voluptatibus indulgeret momentaneis, voluit divortium agere cum Sanctis, cum B. Virgine, cum Deo. Divortium propriè eſt inter conjugatos, & ſicut illi tenentur eſſe una caro, licèt duo ſint, *Et erunt duo in carne unâ o;* ſic nos plures ſumus in uno ſpiritu *p*; & ille qui peccat, ſeparat ſe, quantùm poteſt, à Deo, & ab omnibus Juſtis, & non poteſt redire in gratiam, & exire è peccato, cui eſt alligatus per ſtultitiam ſuam, ſine ſpeciali miſericordiâ Dei. Peccatum eſt inſtar oſtii, quod ita clauditur ut cùm quis ingreſſus eſt, illi deinde non pateat exitus; clavis enim illius oſtii eſt præ manibus Dei, peccator illam non habet. Per peccatum agit divortium peccator cum Deo per immodicam ſtultitiam. Infelicitatem ſanguineis lacrymis deflendam! Peccator per ſtultitiam ſuam majoris æſtimat res temporaneas quàm bona æterna, nec dubitat *pro nihilo q* amittere Deum ſuum, quem cùm poſſidet, habet *omne bonum r*, & nihil ipſi deeſt. Quia Deus ut *Dominus omnium ſ*, terrore concutit dæmones, qui nobis nocere volunt. Docet nos ut *Magiſter t.* Nobiſcum converſatur ut *Primogenitus in multis fratribus u.* Alit nos *quaſi Nutritius x.* Nos cuſtodit ut *magni conſilii Angelus y.* Monet nos obſequii noſtri ut *Pater z.* Blanditur nobis ut *Amicus a.* Diligit nos ut *Sponſus b.* Ut *Lux vera, illuminat c* nos. Ut *Verbum d,* loquitur nobis. Ut *Sapientia e*, demulcet nos. Ut *Vita f*, vivificat nos. Ha! quàm beata eſt anima, ut potiatur tot favoribus, & poſſideat Deum ut totum ſuum, quandiu ipſa eſt in ſtatu gratiæ conſtituta. Sed è contrà, quàm ſtulta ipſa eſt & infortunata, cùm ipſa perdit illum per ſtultitiam ſuam.

Secunda ratio quæ inducit me ut dicam, Peccatorem eſſe ſtultum, eſt, Quia per peccatū efficitur captivus diaboli, qui ipſum ſemper impellit ad malum, & manus ipſius ac pedes vinculis conſtringit, & cervicem ipſius laqueo cingit, ipſumque perſæpè ad extremas redigit deſperationis anguſtias, *Migravit Iudas propter afflictionem & multitudinem ſervitutis g.* Et, *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem h.* Nunquid autem magnitudo afflictionis & infortunium captivitatis in deſperationem non redegit populum Judaicum inſenſatum? Quid igitur faciendum eſt? Adhibendum eſt conſilium Iſaiæ *i*, *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Captivus vinculis onuſtus citò in terram proſternitur, & facilè in lutum impingitur: Sic diabolus captivos ſuos facilè in cœnum ac ſordes peccati labi facit: *Quis cæcus, niſi ſervus meus? quis cæcus, niſi qui venumdatus eſt k?* Peccatores, deditionem ſubitis diaboli per ſtultitiam veſtram. Operarius qui ſuas locat operas ad denarium diurnum, uni ſoli tenetur arti vacare, V.g. fodiendis vineis, aut putandis, &c. Præterea. Se locat tantùm ad diem unum, aut ad plures: Qui verò vendit ſe, id agit ad totam vitam; & emptor qui illius evaſit Dominus, inſumere poteſt eum ad agendum quidquid ipſi placuerit, *Et quis cæcus, niſi ſervus Domini l?* Quidam ſunt peccatores, qui ſe tantùm locant, qui unicâ vice offendunt, qui ſemel ſtulti ſunt duntaxat, & unicâ die labori incumbunt. Alii ſunt ſtultiores, qui ſe vendunt ut captivos pro ſemper, & de his diabolus agit quidquid vult. Hæc eſt differentia inter Prædeſtinatos & reprobatos, quòd illi non offendunt niſi ferè fortuitò, præ infirmitate, & ad exiguum tempus; cùm iſti delinquant voluntate deliberatâ pro ſemper, ſe vendant, & ſic captivi fiant diaboli, ut omni ſe dedant vitiorum generi. Scriptura loquens de peccato Davidis, vocat illud quaſi caſum fortuitum, *Accidit ut ſurgeret David m.* Et paulò pòſt Propheta Nathan nuncupat illud peregrinum, *Cùm autem peregrinus quidam veniſſet*

† Matth. 8. 1.
g Cant. 1. 4.
h Matth. 1. 18. &c.
i Cant. 1. 2.
k Matth. 4. 23. & 24.
l Eccl. 1. 15.
Diviſio.
m Thren. 1. 2.
n S. Ambr. lib. 7. in Luc. 15. 13.
o Gen. 2. 24.
p Philipp. 1. 27.
q Pſ. 105. 25.
r Exod. 33. 19.
ſ Eſth. 13. 11.
t Matth. 22. 36.
u Rom. 8. 29.
x Oſee 11. 3.
y Iſai. 9. 6. juxta LXX
z Matth. 6. 9.
a Cant. 5. 16.
b Pſ. 18. 6.
c Joan. 1. 9.
d Pſ. 44. 2.
e Sap. 7. 24.
f Joan. 14. 6.
g Thren. 1. 3.
h Jer. 16. 13.
i Iſai. 52. 2.
k Iſai. 42. 19.
l Idem ib.
m 2. Reg. 11. 2. &c.

ſet ad divitem n Super quæ obſervare debemus, quòd luxuria domicilium permaneos nou invênit in Davide, ſed in illo tranſeunter duntaxat hoſpitata eſt, idcircò vocavit illam Propheta hoſpitem & peregrinam : Sed reprobati ſe vendunt pro ſemper, *Quis cœcus, niſi qui venundatus eſt?*

n 2. Reg. 12.4

Tertia ratio, propter quam aſſero, peccatorem eſſe ſtultum, eſt, Quia ſemper expoſitus eſt periculo mortis oppetendæ in peccato lethali, quod eſt infortunium infortuniorum. Hæc veritas probatu facilis eſt. Quare cogitatis quòd ſanctus *Andreas cruci affixus eſt, in quâ biduum vivus pendens* o fuit: Chriſtus verò in Cruce permanſit vivus tres horas ſoles? *A ſextâ autem horâ tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam; & circa horam nonam Jeſus emiſit ſpiritum* p. Nunquid diſcipulus generoſior erat Magiſtro? Blaſphemia foret, hoc aſſerere. Sed ecce ratio iſtius in promptu. Ha! Dei Filius videre non poteſt impium latronem in ſtatu peccati mortalis conſtitutum, coram Sanguine ſuo & Matre ſuâ, *In manus tuas commendo ſpiritum meum* q Non eſt mihi animus videndi mori hunc impium in hoc ſtatu ſtultitiæ. Idem Dei Filius ſciens conſilium formatum à Juda de ſe tradendo inimicis ſuis, *Dicit ei, Quod facis, fac citiùs* †. Videtur Jeſus illi præbere manum armatam ad ſeſe deſtruendum : Sed cùm proditor iſte voluit ſe ſuſpendere, Maldonatus r dicit, *Sunt qui dicunt, priùs ſe Judam, ut Matthæus ait, laqueo ſuſpendiſſe, ſed inclinatam fuiſſe arborem, atque ita ſupervixiſſe : poſtea verò hydrope fuiſſe mortuum, cùm medius crepuiſſet, ut ait Petrus* ſ, *ſic Theophylactus.* Qui ſentit Deum per miſericordiam ſuam inclinaſſe ramos arboris, & illâ primâ vice non fuiſſe mortuum Judam, quem ipſe invitabat ad pœnitentiam, & inde concludite num peccator non ſit ſtultus quandiu ſe exponit periculo moriendi in peccato mortali, cùm Dei Filius ita ſatagat inde eripere Judam ſceleſtiſſimum hominum. Quotnam Chriſtiani ſimiles malo latroni & Judæ, ſic ſtulti ſunt ut ita diu permaneant in peccato coram Sanguine Chriſti, ut videantur *in peccato* t eodem velle mori. Temporis nihil habemus niſi præſens, & ex hoc inſtanti pendet æternitas pœnarum. Si verò Deus non impediret nos, ſtatim in hanc laberemur infelicitatem per ſtultitiam noſtram. Peccator, Deus illuminat te, ut periculum videas evidens, ad quod redactus es per ſtultitias tuas, quæ in ſpecie ſunt figuræ ſeptem peccatorum lethalium.

o Eccleſia in Legenda S. Andr.
p Matth. 27.45. &c.
q Luc. 23. 46. &c. ex Pſ. 30. 6
† Joan. 13.27
r Maldonat. in Matth. 27.5
ſ Ex Act. 1.18
t Joan. 8. 21

II. Pars.

Peccator igitur eſt ſtultus, Auditores. Re autem verâ ſpecies eſt ſtultitiæ inſignis ac perdere gloriam, ac non laborare propter cœlum conſequendum, ac non conari evitare *ignem & ſupplicium æternum* u, comparandum per peccatum. Hoc eſt eſſe planè inſanum, ac ſe voluntariè efficere miſerum. Sed apud me quæſivi ut ſcirem quotnam darentur ſpecies ſtultitiarum; & illarum ſeptem invêni ſpecies, per quas ipſe peccator nuncupatur ſtultus, & ſunt iſtæ; Phreneſis, Epilepſis, Dæmoniaca, Rabies, Imprudentia, Furia, Ebrietas. Et hæ ſeptem ſtultitiarum ſpecies peccato apprimè applicantur lethifero.

u Matth. 25.41. & 46

Prima Species ſtultitiæ eſt phreneſis. Medici nuncupant illam hoc nomine, & hæc eſt. cùm ardor febris in caput aſcendens, ita vehementer imaginationem interturbat, ut non loquatur ampliùs homo niſi ineptias, & ſermo illius ſatis oſtendit quidnam ipſe ſit, nimirum ſtultus phreneticus : Et ecce peccatum ſuperbiæ, quæ non eſt aliud niſi febris, quæ aſcendit in caput, quandiu homo inflatur ob bona caduca & temporanea, propter nobilitatem, intuitu ſcientiæ, vel de alio hujuſmodi, dicens, Ego ſum Dominus N. ortus è progenie N. &c. Hujuſmodi homines propriâ efferuntur vanitate, & ſcientiâ, aliâve qualitate, & hæc eſt febris phrenetica. Scitisne, Auditores, id quod nos ſumus? *Pulvis & cinis* x, nihil aliud; noſtram deſumpſimus originem à terrâ, & in hoc primum reſolvemur elementum, *Quia pulvis ſumus, & in pulverem* y revertemur, ut in illud è quo formati ſumus, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ* z. Et homo dicitur ab humo. Videte igitur quomodo ſuperbus eſt phreneticus propter fumum febris aſcendentem in caput: Sapiens enim, quantùmvis ſit magnus, quantâlibet ſit præditus ac inſignitus eximiâ qualitate, non elevat ſe, quin è contra agnoſcit ſe & ſe humiliat, *Recordatus eſt quoniam pulvis ſumus, Homo ſicut fœnum dies ejus* a. Meminit ſe compellendum eſſe ad reddendam exactam rationem, & ſe judicandum in judicio Dei in tribunali ſeveræ juſtitiæ illius, juxta opera ſua, & quòd *non eſt acceptio perſonarum apud Deum*, ſed actionum, *qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus* b.

x Gen. 18. 17
y Gen. 3. 19
z Gen. 2. 7
a Pſ. 102. 15
b Rom. 2. 11. & 6

Videte, ſi placet, duos homines damnatos ad mortem, qui ducuntur ad furcas ut in patibulo ſuſpendantur. Horum unus veniam petit, ſpectatores enixè deprecatur ut Deum pro ſe orent, in lacrymas erumpit, & gemitus ex imo educit pectore. Alter verò ad mortem pergit ridens, & veluti conſolatione perfuſus ex eo quòd ſtipatus ad ſupplicium pergat oppetendum, licèt ignominiâ & dedecore refertum. Omnes nos ſumus rei damnati ad mortem infligendam nobis ut latronibus, quippe qui volumus ſuffurari Deo honorem, gloriam, & Divinitatem ipſius, *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum* c. Cauſa prudenter & copioſè inſtructa eſt adversùm nos, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur* d. Sententia prolata eſt, *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium* e. Et illius jam ſubimus executionem, quia *omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur* f. Illi igitur qui plorant in hoc mundo, qui ſe affligunt, qui bona faciunt opera, ſapientes ſunt; ſicut è contrà ii ſunt ſtulti qui rident, qui ſe exaltant, & qui gloriam inanem & auras populares aucupantur, *Cor ſapientum ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum ubi lætitia* g. Et Philoſophi illi, de quibus loquitur ſanctus Paulus h, in illo conſtitui erant numero; *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt; aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Plorandum eſt in hoc mundo. Sic Chriſtus, quem Pater æternus propoſuit nobis ut Prototypon imitandum i, etiamſi anſam haberet lætandi, cùm frueretur felicitate gloriæ, nunquam tamen ridere eſt viſus, aut ſe exaltare; ſed ſemper ſe humiliavit. Ego

c Pſ. 13. 3
d Pſ. 138. 16
e Hebr. 9. 27
f 2. Reg. 14. 14.
g Eccl. 7. 5
h Rom. 1. 21. & 22
i Matth. 17. 5

autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis k. Idem agere debemus, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam* l.

k Pſ. 21.7
l Eccli. 3. 20

Secunda ſpecies ſtultitiæ eſt epilepſis, ſeu morbus comitialis, quia in cellulâ cerebri generatur & producitur gutta, quæ procedit ex ebullitione ſtomachi & ex calore cordis, & cùm gutta iſta eſt frigida, labitur ipſa ſoper telam cordis, & illi, qui eam patiuntur, cadunt in terram, deſtituti omni ratione & omni judicio. Ecce peccatum avaritiæ, quæ aſcendit in cerebrum, cùm avarus intra ſe proponit augere rem ſuam familiarem, & diteſcere per quamcunque viam, licitam, aut prohibitam,

Per fas, perque nefas, per mille pericula tendunt.

E cogitatione deſiderium tranſit in cor, & ſuum conſequenter voluntas præbet ei conſenſum: & ecce innumeræ extorſiones, uſuræ, injuſtitiæ, repetundæ, rapinæ. Ut diteſcant liberi, peſſumeunt parentes, in terram labuntur epilepſi avaritiæ & peccati mortiferi quod perpetrant; & è terrâ in infernum. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas* m. Hæc eſt magna ratio deordinationum, ſimoniarum, extorſionum, falſorum contractuum, & furtorum, quæ perpetrantur, ut commodiùs vivatur. Mundus hos homines exiſtimat ſapientes, qui rite peragendis ſuis idonei ſunt negotiis, ſed profectò veri ſunt ſtulti coram Deo, *Stultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi* n. Et, *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur* o.

m 1. Tim. 6. 9. & 10
n 1. Cor. 1. 20
o Pſ. 9. 24

Tertia ſpecies ſtultitiæ eſt dæmoniaca, cùm dæmon ingreditur corpus hominis: tunc enim ille homo amittit uſum rationis, ſicut & linguæ; diabolus enim loquitur & operatur mediis illius organis, ut patet ex his duobus dæmoniacis, quos ſanavit nuper Dei Filius, quorum linguarum interventu *dæmones rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum* p. Ecce peccatum luxuriæ: impudicus enim ſemper habet ſecum diabolum, nam *dæmonium, nomine Aſmodæus* q. ſic eum poſſidet, ut deſtituat eum ſanâ mente & ſolido judicio, & tunc impudicus fiat *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus* r, & redigatur in claſſem jumentorum, quæ ſuis appetitibus inhærent animalibus. Quin imò non ſolùm diabolus poſſidet fornicatores, verùm etiam conjugatos qui abutuntur ſanctitate Sacramenti Matrimonii, ſicut poſſedit ſeptem primos viros Saræ, nam *Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum, tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium, nomine Aſmodæus, occiderat eos, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam* ſ, Quæ deinde ducta eſt uxor à Tobia ſ, quam idem *hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei, Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertiâ autem tranſactâ nocte in noſtro erimus conjugio. Filii quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut Gentes quæ ignorant Deum* t. Sic Tobias removens à ſe has ſuaves & ſævas delicias, & iſta infamia lenocinia quæ ſunt primæ eſcæ, quibus perſæpè utitur amor conjugalis ut mutetur in amorem diabolicum, evaſit ab omnibus illis vinculis & laqueis parari ſolitis ab Aſmodæo iis qui Matrimonium ineunt, affecti potiùs cæco impetu paſſionis animalis, quàm amoris conjugalis ratione ducti.

p Matth. 8. 31. &c
q Tob. 3. 8
r Pſ. 31. 9
ſ Tob. 3. 7. & 8
ſ Tob. 7. 15. & 16
t Tob. 8. 4. & 5

Vir quidam peregrè proficiſcens, gemmam uxori ſuæ reliquit cuſtodiendam; mulier hæc imprudens immodico comedendæ lactucæ affecta deſiderio, hanc margaritam pretii incomparabilis tradidit pro lactucâ iſtâ ſibi comparanda: Sic Deus ſingulis nobis animam tradit ſervandam, (*Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſollicitè* u) ſeu gratiam ſuam, quæ *infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei* x. Quid agit lubricus? Vendit animam ſuam & gratiam Dei diabolo pro lactucâ, ideſt, pro exiguâ voluptate. Ha qualis ſtultitia, & quàm immodica! Sic diabolus peccatores efficit ſtultos; *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi* y. Super quæ ait ſanctus Ambroſius z; *Pecoribus enim ſimilis, ſenſum ſuum in terram deprimit.* Stultus eſt, judicio & ſanâ mente quoad cœleſtia deſtitutus eſt.

u Deut. 4. 9
x Sap. 7. 14
y 1. Cor. 2. 14
z S. Ambr. in 1. Cor. 2. 14

Quarta ſpecies ſtultitiæ eſt rabies. Sunt aliqui ſtulti qui nulli nocent, ſed ſibimetipſis ſolis officiunt. Illi verò ſtulti ſunt hoc modo, qui infecti ſunt rabie invidiæ, ſibimetipſis ſolis, & non aliis ullum inferentes nocumentum, quia invidus comburitur exteriùs & interiùs igne & flammis ardentibus invidiæ. Paradiſus aliorum facit ipſius infernum; & ipſe miſer eſt, quia aliis ſuccedunt omnia ad votum,

Invidus alterius marceſcit rebus opimis.

Alienam ſuſtinere niſi iniquo non poteſt proſperitatem animo, & felices ſucceſſus & fortunas proficuas proximi ſui nonniſi torvis intuetur oculis qui ipſum exiccent. Invidia eſt major taurus æneus intùs vacuus, eo qui inventus eſt ab illo Tyranno inhumano Phalaride, de quo refert Calepinus a, quod *præter cætera novorum ſuppliciorum inſtrumenta, taurum habuit æneum, Perilli arte fabricatum, in quem immiſſi damnati, igneque ſubjecto, bovis mugitum edebant: cujus muneris nomine quum artifex non leve munus ſperaret, juſſu Tyranni in taurum conjectus, primus artis ſuæ ſpecimen præbuit. Ipſe quoque Phalaris, quum nimia ejus atrocitas ulteriùs ferri non poſſet, facto in eo univerſorum civium impetu correptus, in ipſo tauro, quo alios excruciaverat, incluſus, vivus crematus eſt.* Peccatum iſtud hominem ita reddit ſtultum, ut quid agat non conſideret. Videte hanc veritatem manifeſtam in invidiâ Scribarum & Phariſæorum infenſorum Chriſto qui *Sanctus Dei* b erat, quippe qui rabidè invidi tradiderunt eum Pilato ad mortem damnandum, *Sciebat enim Pilatus, quòd per invidiam tradidiſſent eum* c. Et ipſos non latebat, fuiſſe Chriſtum Meſſiam promiſſum in Lege d, & à Prophetis e, *Hic eſt hæres, venite occidamus eum* f.

a Calep. in Diction. v. Phalaris.
b Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34
c Matth. 27. 18
d Gen. 49. 18
e Dan. 9. 26
f Matth. 21. 28

Quinta ſpecies ſtultitiæ eſt imprudentia, quæ hominem deſtituit ſolido judicio & ſanâ men-

te

te. Hoc accidit perſæpè puetis ob paucos ipſorum annos, & ſenibus propter nimis provectam ipſorum ætarem. Pueri promiſcuè & indiſcriminatim ſuſcipiunt id omne, quod ipſis offettut, nedum diſtinguere noverint bonum à malo; hæc enim ætas teneta ignorat omne quod videt, cùm illius notitiam habere tunc non poſſit, teſte Moyſe, qui adhuc puerulus carbonem ardentem ſumpſiſſe pethiberut, & eum in os ſuum miſiſſe g.

ᵍ Rabbini apud Cornel. in Exod. 4. 10

Hominis inſani fiunt hâc ſtultitiæ ſpecie per peccatum gulæ, quia non comedunt præ modo, ſed è contrà præ exceſſu; cibis ſe ingurgitant, & ſeſe vino replent, & ideò crapula & ebrietas illis nocent, & ſanitati animæ eorum æquè officiunt ac corporis. Ecce quomodo mente capti ſunt hâc ſpecie ſtultitiæ imprudentiæ. Illi etiam ſunt inſenſati, qui imaginantur ſe à penſo jejunii perſolvendo eximendos per eleemoſynas; Sapientes agunt, & re verâ tales non ſunt, dicentes, eleemoſynam potiorem eſſe jejunio. Verum quidem eſt quòd eleemoſyna ex ſe potior eſt jejunio, obedientia tamen præponenda eſt eleemoſynæ. Alii dicunt, Quid mali in comedendo bis per dies ſingulos? Nonoe dixit Chriſtus h, quòd *non quod intrat ie os, coinquinat hominem*? Nemo eſt qui ambigat, quòd ſumptio cibi & potus animam non inficiat, cùm eſculenta & poculenta ipſam non pervadant intimè animam, quippe quæ ſit ſpiritualis, ſed ſolum ingrediantur corpus; Sed inquinat ipſam animam inobedientia & rebellio præſtita mandatis Dei, quæ hominem criminis reum efficit. Alii ſapientiam præ ſe ferentes callidiorem, ita loquuntur: Ha quid! poſſibilene aut ſaltem credibilene eſt, ut propter cibum comeſtum perdere velit Deus animam hominis, quam *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* i? Sed nonne debent ſcire inſenſari illi, quòd quia Adam *de fructu comedit* k ligni vetiti *ſcientiæ boni & mali* l; propter hoc ad mortem damnavit Deus omnes poſteros ejus, *in quo omnes peccaverunt* m? Videte ſi placet, quàm ſtulti ſint illi in prudentiâ ſuâ. Sic ſont inſani ut evadant beſtiæ, imò verò ipſis beſtiis beſtialiores, cùm illæ nunquam plus capeſſant alimentorum, quàm quod ipſis neceſſariom eſt ad vitæ ſuſteotationem; homo verò guloſus cibis & potibus immodicis ad diruptionem uſque ſoleat ſeſe ingurgitare. In hoc exceſſu admittitur ſanè ſtultitia; & talis exceſſus, animæ jacturam molitur æquè ac corporis.

ʰ Matth. 15. 11.
ⁱ Apoc. 1. 5.
ᵏ Gen. 3. 6
ˡ Gen. 2. 17.
ᵐ Rom. 5. 12.

Sexta ſpecies ſtultitiæ eſt furia. Furioſus non conſiderat quid agat, neminem reveretur; & furore ſuo percitus, expoſitus eſt periculo violentarum manuum ſibimetipſi inferendarum; iracundus enim qui odio proſeqoitur proximum ſoum, ſemetipſum occidit, quia *omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt* n, *ſeipſum imprimis ſpiritaliter occidendo: Nam pravitas primò animum proprium lædit, perimitque ſubjectum*, explicat Dionyſius Carthuſianus o, Furore ſuo actus heminem conſiderat; maledicit, quemlibet obviom vult occidere, & blaſphemias evomit adversùs Deum. Refertur de quodam mercatore, quòd cùm fuiſſet deceptus à quodam negotiis ſuis pertractandis à ſe præpoſito in numeroſiſſimâ pecuniæ ſummâ, qui deinde fugam arripuerat, tantâ adversùs eum efferbuit inimicitiâ, ut ſi eum habuiſſet obvium, illum ſanè diſcerpſiſſet dentibus; cùmque perſæpè hoc odium fuiſſet confeſſus, & Confeſſarius ei ſemper abſolutionem renuiſſet dare, cùm ſuo ignoſcere nollet inimico; ipſeque Doctorem conſuleret, ab eoque quidnam ſentiret ſuper hoc, peteret, audivit ab hoc Doctore pro reſponſo, Non teneris ei parcere, ignoſce tibi ipſi. Cùm autem mercator Doctoris reſponſum non intelligeret, eumque obſecraret ut illud ſibi exponeret; reſpondit ei Doctor. Dic mihi, quæſo, Odium, quod foves in corde, cuinam nocet? illi, an tibi? Non illi, quia comedit, bibit, dormit, & deliciatur, quandiu tu animam perimis tuam angoribus. *Gladius eorum intret in corda ipſorum* p. Mercacor tunc reſpondit. Verè novi quòd ſtultitia ſit, alios odiſſe. Nunquid autem magna eſſet vindicta, ac bibere calicem veneno ſcatentem, ut ultio referatur de inimico, & inferatur ei interitus? Hoc inaudita ſanè foret ſtultitia. Interim iſtud eſt quod in praxim mundus redigit, ſed ideò quia *Stultorum infinitus eſt numerus* †.

ⁿ 1. Joan. 3. 15.
ᵒ Dion. Carthuſian. in 1 Joan. 3. 15.
ᵖ Pſ. 36. 15
† Eccl. 1. 15.

Septima ſpecies ſtultitiæ eſt ebrietas. Ebrius ſtultus eſt, & in hoc ſtatu dementiæ conſtitutus, nihil agere poteſt, cùm ſui ut impos, privatus eſt uſu rationis, quæ ipſum conſtituebat hominem, & totum remedium malo ipſius proficuum eſt ſomnus. Ecce peccatum pigritiæ, Deſidioſus de bonis non curat operibus, in modum crucis brachia complicat, & de nihilo minùs cogitat quam de laborando pro conciliando ſibi cœlo, & pro agendâ ſalute ſuâ, terit tempus, quod eſt pretioſiſſimum eorum omnium, quæ noſtris cõmiſit Deus manibus, ut illud in noſtrum inſumamus commodum ad metendam gloriam æternam; piget quoad bona opere, & diligens quoad prava. Videte, ſi placet, quomodo ruſticus iſte aut agricola expectat donec occurrant Feſta ut illo tempore ſua tractet negotia, inſtrumenta ſua paret, aratrum concinnet, cætera componat, fructus ſuos colligat, & paſcua in villam reducat. Stultitia inuſitata, quâ quis ſic rebus incumbat temporaneis ſatagendis, & ita negligens ſit quantùm ad ſempiternas!

Stultus eſt igitur peccator. Jam audiviſtis. Ha! nemo eſt qui præ ſe ſolidum ferre non autumet judicium, & procul dubio is graviſſimam alicui irrogaret injuriam, qui diceret ei, Inſanis. Noſter procedendi modus, Auditores, ſententiam fert adverſus nos, opera noſtra ſatis exhibent ac demonſtrant id quod nos ſumus. Opera peragimus ſtultorum & inſenſatorum: Stulti ſumus igitur & inſenſati in re graviſſimi momenti; quippe quæ intuetur æternitatem felicitatis, quam amittimus merâ præ dementiâ noſtrâ, id eſt per peccata noſtra. Ha! *Stulti aliquando ſapite* q. Hoc eſt deſiderium quod effortmu in gratiam omniũ peccatorum, & veſtri, *Utinam ſaperent* r, deſiſtendo à peccato, cùm peccatum ſtultos nos efficiat, quia *ſublatâ cauſâ tollitur effectus*. Dicite enim, obſecro, Nunquid ille ſeoæ mentis non eſſet inops qui poſitus in bivio, neſciens utram ex embabus eſſet arrepturus viam, ne aberret à recto itinere; cùm una ex iſtis viis quas videt, nimirum ea quæ eſt ad dexteram, ſit ſtricta & ſpinoſa, ſed tamen vera

ᵠ Pſ. 93. 8.
ʳ Deut. 32. 29.

& certa; altera verò quæ eſt ad ſiniſtram, eſt lata, ſpecioſa, delicioſa, arboribus hinc utrimque conſita, & circumcincta fluentis aquarum quæ miram præbent oblectamentum, cum diverſoriis ad capiendas ibi refectiones, ſed ibi eſt iter periculoſum, & locus damnoſus, in quo latrones commorantur ut viatores mercipiant: in principio iſtius bivii ſita eſt altiſſima turris, in quâ ſunt ſpeculatores, qui monent viatores, ut attendant ſibi; confeſtim autem ac iſti viatores arripiunt iſtam viam quæ vergit ad ſiniſtram, illis inclamant cuſtodes ut capeſſant viam, quæ eſt ad dexteram, & ſuſcepiam deſerant quæ tendit ad lævam; quippe quæ periculoſa ſit: Si ille, inquam, qui jam arripuit viam, quæ eſt ad ſiniſtram, iraſcens contra eos, à quibus ſic monetur, ratus quòd illi voluerint ſibi illudere & ſe decipere, cùm iter ita ſit ſpecioſum & ſic jucundum, & ideò nollet illud deſerere, ut carperet alteram viam, quæ eſt ad dexteram, quæ ipſi videbatur ſic rudis & difficilis, quidnam cerneret ſibi eventurum? Procul dubio ubi ſuſceptam progrederetur viam, apprehenderetur à latronibus, à quibus malè exciperetur, ſpoliaretur, & omnino nudaretur. Illi è contrà qui credidiſſent verbo & ſalutaribus monitis cuſtodum, quique cepiſſent viam quæ tendebat ad dexteram, pervenirent feliciter eò, quò tendebant. Peto autem nunc à vobis, Quinam ex illis eſſent ſapientes auſtſtulti? Nonne illi ſapientes eſſent, qui arripuiſſent viam tendentem ad dexteram, licèt rudem & difficilem? ſicut ille fuiſſet inſenſatus, qui nullâ adhibitâ fide monitis ſibi præbitis, credidit ſenſibus & ſpecioſæ viæ quæ ipſum decepit? Idem dico ad propoſitum noſtrum, *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus* f, ad eamque pergimus magnis greſſibus. Sive vigilemus, ſive dormiamus, terminum peregrinationis noſtræ proponimus nobis cœlum, *Finem verò vitam æternam* t. Omnes ſumus in hoc bivio: Via dextera eſt via virtutum & pœnitentiæ, quæ eſt via ſtricta, ſpinoſa, & difficilis, ſed certa, cùm verè pertingat ad felicitatem æternam, labor eſt ſe continere, difficile eſt jejunare, rude eſt ignoſcere inimicis, ſed hæc via perducit ad paradiſum, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* u. *Arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* E contrà verò læva ſpecioſa via eſt, ſuavis, & grata ſenſibus, comedere, bibere, dormire, deliciari, &c. *Et ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem* x. Cùm in eâ ſit locus periculoſus, in quo omnes viatores incidunt in *latrones, qui plagis impoſitis* y, poſtquàm abſtulerunt ab eis bona, illis etiam vitam eripiunt; locus autem iſte eſt mors, *Vt vos tanquam fur comprehendat* z. Dicetis mihi, quòd in alterâ viâ, quæ eſt ad dexteram, idem locus invenitur. Reſpondeo, Verum eſt, obvia habetur ibi mors, ſed illa ibi non furatur, quia viatores theſaurum deferunt meritorum & bonorum operum, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neq; ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur* a. Atqui ſpeculantur eximii & ſapientiſſimi Viri in altiſſimâ turri ex mandato Dei jubentis Iſaiæ, *Contemplare in ſpeculâ; Hæc enim dixit mihi Dominus, Vade, & pone ſpeculatorem: & quodcunque viderit, annunciet* b. Iſti Cuſtodes viatoribus inclamantes, ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Concionatores, & Confeſſarii, qui apprimè noverunt bonam & veram viam, cui adhærendum eſt; & monent nos ut recedamus à viâ lævâ vitiorum, & aggrediamur viam rectam virtutum, & bonorum operum. Audite inclamantem contentâ voce Salomonem c, *Vias, quæ à dextris ſunt, novit Dominus*, id eſt, ſcientiâ approbationis; *perverſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt*. Et Davidem d, *Novit Dominus viam Iuſtorum, & iter impiorum peribit*. In primo enim greſſu mortis homo ſpoliatur bonis ſuis omnibus; bonis fortunæ, divitiis, uxore, liberis, &c. bonis corporis, ſanitate, pulchritudine, viribus, &c. *ſubter illum ſternetur tinea, & operimentum illius erunt vermes* e. Bonis ſpiritualibus, cùm diabolus jam ſpoliaverit animam ejus gratiâ confeſtim ac peccavit; ſed ipſo mortis momento ejicitur *in tenebras exteriores* f inferni, in *ignem*, in *ſupplicium æternum* g. Vultis igitur vos ire per viam lævam vitiorum? Ideò quia ſtulti eſtis, ſanâ mente & ſolido judicio capti. Sed quamplurimi ſunt in mundo, qui iſtam ſequuntur viam, dicetis mihi; Ego autem reſpondeo, Idcircò quia *ſtultorum infinitus eſt numerus* h. Vos autem attendite vobis ne ſitis ex hoc numero infinito: quin è contrà ſapientes eſtote, & ideò rectam capeſſite virtutum viam, quæ perducet vos ad gratiam, & aliquando ad gloriam.

f Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10.
t Rom. 6. 22.
u Matth. 3. 2.
x Matth. 7. 14. & 13.
y Luc. 10. 30.
z 1. Theſſal. 5. 4.
a Matth. 6. 20.
b Iſai. 21. 5. & 6.
c Prov. 4. 27.
d Pſ. 1. 6.
e Iſai. 14. 11.
f Matth. 8. 12.
g Matth. 25. 41. & 46.
h Eccl. 1. 15.

FERIA III. POST DOMINICAM IV. ADVENTUS.

Et convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Hos duodecim miſit Ieſus; præcipiens eis, dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: Sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Iſraël. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. Matth. 10. 1. &c.

Tria peccata graviſſima homines efficiunt Divinæ Majeſtatis læſæ reos, & magnis ſuppliciis oppetendis obnoxios. Primum eſt idololatria, quæ vilibus exhibet creaturis ſummas, quæ ſoli Deo debentur a, adorationes. Secundum eſt illud, quo denuò Chriſtum patibulo ſuffigunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* b. Tertium verò eſt contemptus Incarnationis, Evangelii, prædicationis, & Pœnitentiæ, qui eſt cauſa reprobationis hominum.

Dei Filius paulò antequàm aggrederetur habere concionem in monte c, duodecim peregit Apoſtolorum electionem præ cæteris diſcipulis, ut obſervat Cornelius d, citans S. Lucam, eoſque miſit Legatos ſuos & Cancellarios ad prædicandam doctrinam ſuam Evangelicam per univerſum orbem, eique conciliandam authoritatem ſigillo miraculorum, plenam præbens eis potentiam ejiciendorum ex corporibus obſeſſis dæmonum, & ſanandarum quarumlibet infirmitatum. Imprimis autem præcepit illis ne prædicarent Gentibus, & Samaritanis, ſed ut verbum ſuum annunciarent Judæis, qui erant *filii Regni* e, *filii Abrahæ*, ſicut ipſi de hâc illuſtri glo-

a Exod. 20. 3. &c.
b Hebr. 6. 6.
c Matth. 5. 1. &c.
d Cornel. in Matth. 10. 1. ex Luc. 6. 13.
e Matth. 8. 12.

[f Joan. 8.] glorianturprogenie, *Pater noſter, Abraham eſt* f, &
conſequenter filii Iſaac, Jacob, & Davidis, qui-
[g Gen. 22. 18. & 49. 18. & Pſ. 131. 11] bus Meſſias promiſſus fuerat g; quod intelligen-
dum eſt, quandiu ipſe viveret: Nã poſt mortem
ſuam ac Reſurrectionem, miſit eos prædicatum
per totũ orbẽ, dicens eis, *Euntes, docete omnes Gen-*
[h Matth. 28. 19] *tes* h. Cùm ipſe veniſſet ſalvatum Gentiles æ-
[i Joan. 10. 16] què ac Judæos, & fieri deberet *unum ovile, & u-*
nus Paſtor i ipſe, uniendo hos duos populos. Im-
primis autem juſſit eis ut annunciarent *Regnum*
cœlorum per pœnitentiam, & per abnegationem
vitiorum, ut dicebam vobis in principio iſtius
Adventus, ut diſponerent eos ad recipiendam
[k Luc. 1. 28] gratiam, quâ Maria erat jam *plenâ* k, cùm dixit
illi Angelus, *Ave Maria.*

[l Galat. 4. 4] Miſericordia Dei ſic apparet immodica *ubi*
venit plenitudo temporis l, ut Judæis ſit loco ſcan-
dali, Gentilibus verò ſtultitia videatur, ut teſta-
tur Apoſtolus, dicens: *Prædicamus Chriſtum Cruci-*
fixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtul-
[m 1. Cor. 1. 23] *titiam* m. Philoſophi Gentiles, iſti Amatores Sa-
pientiæ Moralis omnes virtutes conſtituebant
in medio; ſi verò declinarent eæ, & vergerent ad
extrema, non erant illæ ampliùs virtutes: In œ-
conomiâ autem Incarnationis omnes virtutes
ſunt in extremis poſitæ. Qualis humilitas! *Deus*
[n Pſ. 28. 3] *majeſtatis* n, *in præſepio* o reclinatur, in throno
[o Luc. 2. 7] paleæ collocatur. Præ omnib⁹ *magnus Dominus* p,
[p Pſ. 47. 2] *noviſſimum virorum* q ſe facit: Æternus, *qui vivit*
[q Iſai. 53. 3] *in æternum* r, *ipſe erat incipiens quaſi annorum triginta* ſ,
[r Eccli. 18. 1.] ſe reddit temporaneum: Exiens *à Patre, in mun-*
[ſ Luc. 3. 23] *dum* t venit in uterum Virginis. Quæ humilia-
[t Joan. 16. 28] tio! Cruci tandem ſuffigitur, unde illum ſtultitiæ
Gentes inſimulant. Sed quàm ardentiſſima cha-
ritas? Nonne dicere poſſumus, nos ab illo fuiſſe
magis dilectos, quàm eſſet par, cùm blanditiæ il-
lius erga nos exercitæ non inſerviant nobis niſi
ut nos inſolentiures efficiant? *In charitate perpe-*
[u Jer. 31. 3] *tua dilexi te* u. Maxima miſericordia, è quâ Judæi
ſcandali educendi auſam arripiunt, rati fieri
non potuiſſe, quòd Meſſias præ tam vili veniſſet
[x 2. Mach. 2. 8] apparatu, cùm legiſſent id quod ſcriptum eſt x,
Tunc apparebit majeſtas Domini; confundentes hos
duos Adventus, priorem cum poſteriori, ſumen-
tes poſteriorem pro priori, quaſi verò in priori
ſuo Adventu gloriâ fuiſſet totus circumdatus, in
palatio naſci debuiſſet. Videntes eum redactum
in ſtatum infirmitatis, eum deriſerunt, & inde
ſcandali occaſionem arripuerunt, & conſequen-
ter contempſerunt oeconomiam Incarnationis
ejus, prædicationem Evangelii, & exercitium
pœnitentiæ, quod fuit cauſa reprobationis ipſo-
rum. In quo magis conſcii ſunt quàm aliqui Infi-
deles, qui aliàs egerunt pœnitentiam, audito
verbo Dei. Nos verò criminoſiores erimus illis,
ſi contemnamus Primò Incarnationis oecono-
[Diviſio.] miam: Secundò Evangelii prædicationem: Ter-
tiò Pœnitentiæ praxim.

[y Prov. 9. Sap. 7. 24] *Sapientia* y increata, *& caro* z *facta*, imagi-
nem facere voluit & expreſſionem ſuîipſius in
univerſis operibus ſuis; ut ipſam ad vivum re-
[z Joan. 1. 14] præſentarent illa, iis ſuum impreſſit charactêré.
Et ſicut hiſtoria Galliæ noſtræ refert, quòd Coſ-
mus Mediceus, Dux Thuſciæ, haberet ſpeculum
tantâ elaboratum induſtriâ & ſic miro artificiò,
ut quicunque in eo ſe intuebantur, in eodem e-
tiam viderent faciem ejuſdem Coſmi Medicei;
eodem ſe geſſit Divina *Sapientia* modo: Omnia
ipſius opera, univerſæ ipſius creaturæ, imaginem
ipſius præ ſe ferunt, id eſt, ipſum nobis repræſen-
tant, & ad notitiam ipſius nos ducunt. Philoſo-
phi Pagani intuiti ſunt in hoc ſpeculo, legerunt
in hoc libro naturæ, qui eſt magnus liber mundi,
& per iſtas res viſibiles, pervenerunt in notitiam
rerum inviſibilium, quæ non ſunt aliæ niſi Deus,
Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ
facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque
ejus virtus & Divinitas a. Et ſic Divinitatem cre- [a Rom. 1. 20]
diderunt per cœlum, per aſtra, & per cæteras
creaturas. Si enim inveniretis prædives & mag-
nificum caſtellum, confeſtim peteretis, quis fecit
illud? Aut illud factum eſt; aut ipſum ſemetipſum
fecit; Vel, An una ipſius portio alteram fecit. Ip-
ſum ſemetipſum non fecit: Ergo aliquis illud fe-
cit. Una portio non fecit alteram; Aliquis enim
feciſſet hanc priorem partem; Perveniendum eſt
ergo ad aliquem, qui cùm omnia fecerit, à nul-
lo factus fuerit, qui ſit æternus, & immutabilis,
Ego Dominus, & non mutor b. Ille autem vocetur à [b Malach. 3. 6]
vobis ut vobis placuerit, prima cauſa, primum
principium, & finis c ultimus, *ſummo bonum* d, eò [c Apoc. 1. 8]
perveniendum eſt: *Inviſibilia enim ipſius*, &c. Et ſi-
cut appoſitè ratiocinabatur quidam Philoſo- [d Exod. 33. 19]
phus, qui ex notitiâ ſolis materialis deduceba-
tur in notitiam alterius Solis e ſpirituum: Si e- [e Malach. 4. 2]
nim corpus illuminatur, oportet etiam ut detur
Sol mentium: Creaturæ igitur ſunt imagines
Dei, quæ nobis eum cognoſcendum exhibent. &
nobis eum aperiunt, ſed imperfectè; *Infirma & e-*
gena elementa vocat eas S. Paulus f. Sic hæc Pa- [f Galat. 4. 9]
ganorum cognitio fuit vacua. *Ita ut ſint inexcuſa-*
biles, quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum
glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt
in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor
eorum: Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti
ſunt g. Idcircò Dei Filius ut ſe perfectè cogno- [g Rom. 1. 21. &c.]
ſcendum exhiberet, in hunc mundum venit.

Verbum caro factum eſt h *Magiſter* i noſter, ut [h Joan. 1. 14]
nos doceret, & ſe cognoſcendum præſtaret, per [i Joan. 13. 13]
Incarnationem ſuam faciens ſe hominem ſenſi-
bilem; ita ut videntes hominem, agnoſcamus
Deum; intelligentes hominem, intelligamus
Deum, & dicere poſſimus, Deus patitur, Deus
moritur, per communicationem idiomatum.
Hic Deus homo ſe manifeſtavit Hebræis per In-
carnationem ſuam, & per ſuorum ſplendorem
miraculorum, *Quia virtus de illo exibat, & ſanabat*
omnes k. *Tetigit me aliquis: nam & ego novi virtu-* [k Luc. 6. 19]
tem de me exiiſſe l. Quomodo? Nunquid Divinitas [l Luc. 8. 46]
è ſeipſâ egrediebatur? Annon ipſa ubique eſt?
Nunquid non cœlum & terram ego impleo m? Ratio [m Jer. 23. 24]
iſtius eſt, Quia ipſa ſuam tranſire faciebat virtu-
tem per humanitatem ſuam ut inſtrumentum
ad operanda mirabilia ſua. S. Paulus n ait de [n Rom. 1. 4]
Chriſto, *Prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Id eſt,
per ſua mirabilia, infirmitates, & mortem, ſuam
cognoſcendam exhibuit virtutem. Quare mori
voluit in Cruce? Cùm elegerit ſupplicium, &
tempus, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* o: Quare illud, [o Iſai. 53. 7]
& non aliud? Crux à cruciatu dicta, erat tormen-
torum ultimum. Ut quid *crucifixi ſunt cum eo duo*
latrones p, & non SS. Petrus & Andreas? Ne di- [p Matth. 27. 38]
ctum fuiſſet quòd ipſe abſtuliſſet iſtis duobus e-
ximiis Viris ſanctitatẽ. Hoc reliquit diſpoſitioni
ſuorum inimicorum ut ſe crucifigerent ſuper
monte coram omni populo. *In virtute*; propter
miracula, *Et obſcuratus eſt Sol* q, *& terra mota eſt*, [q Luc. 23. 45]
& petræ ſciſſæ ſunt r. Ob Reſurrectionem, *Si autem* [r Matth. 27. 51]
Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio no-
ſtra, inanis eſt & fides veſtra ſ. Quoad miracula, Pro- [ſ 1. Cor. 15. 14]
phetæ t ea fecerant; ſed Reſurrectio erat nota [t 3. Reg. 18. 38]
Divinitatis ejus, inde tenebantur eum Judæi

agnoſcere, & cùm illum non agnoverint, crimi-
noſiores ſunt infi‥elibus, qui ſolum habebant li-
n Rom. 1. 20. brum creaturarum *n*. ipſi verò *Legem x*, &
x Jo. 19. 7. Chriſtum qui *docebat y* ipſos, cùm Pagani, qua-
y Jo. 7. 14. les fuerunt Ninivitæ, ſolum habuerint Jonam z:
z Jo. 3. 4. in quo reprehenſibiles ipſi ſunt; nos autem re-
prehenſibiliores illis erimus, ſi more illorum
mirabilia contemnamus Incarnationis.

II. Pars. At non in ſola ſiſtunt contemnenda œcono-
miâ & gratiâ Incarnationis, deinde repellunt
prædicationem Evangelii, licèt ad eos conveni-
ant hodiernâ die Apoſtoli, ut illud ipſis annun-
cient, *Ite potiùs ad oves quæ perierunt domus Iſrael.*
Cæci remanent, renuentes credere & cognoſce-
re, quandiu Pagani, quales erant aliàs Ninivitæ,
fidem adhibuerunt verbo Jonæ ſibi prædicantis,
*Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædica-
verunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque*
a Jo. 3. 4. &c. *ad minorem* a. Heu! *obſcuratum eſt inſipiens cor
eorum* b, ipſi derident Evangelium, quod vide-
b Rom. 1. 21. tur ipſis ſtultitia mera, *Placuit Deo per ſtultitiam*
c 1. Cor. 1. 21. *prædicationis ſalvos facere credentes* c; dementia
politicis, hominibus animalibus ac exequi iſtud
quod conſulit Chriſtus, *Si quis te percuſſerit in
dexteram maxillam tuam præbe illi & alteram: &
ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam*
d Matth. 5. 39. & 40. *tuam tollere, dimitte ei & pallium* d. *Beati, qui per-
ſecutionem patiuntur propter juſtitiam* e. *Qui ſe hu-*
e Matth. 5. 10. *miliat, exaltabitur* f. Communicat ſe Deus hu-
f Luc. 18. 14. milibus, qui vacui vanitate & ſuperbiâ, ſuſcipi-
unt ipſius lumina, & meliùs ipſum agnoſcunt
quàm omnes peritiſſimi Philoſophi, qui multùm
de ſe præſumunt, ſed viſum non habent ſatis
perſpicacem ad cognoſcendam myſteriorum
noſtrorum profunditatem, ipſis ſimplicibus mu-
lieribus Chriſtianis notam. *Abſcondiſti hæc à ſapi-*
g Matt. 11. 25. *entibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis* g.
h Iſai. 6. 3. Hæc eſt differentia inter Eccleſiam militantem
& Eccleſiam triumphantem, quòd in iſta altiſſi-
mi Seraphini, qui ſunt proximi Deo *h*, illumi-
nantur à Deo, & poſteà ipſi infimas illuſtrant
Hierarchias: ſed in illa humillimi & minimi il-
luminantur primi, & deinde illuminant: *Quoni-
am non cognovi litteraturam, introibo in potentias Do-*
i Pſ. 70. 15. *mini* i. Myſteria noſtra exigunt corda humilia,
alioquin eorum magnitudo hæc obruit.

Sed obiter quæ major humilitas eâ, quam præ
ſe fert S. Paulus: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mun-
dum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.*
k 1. Tim. 1. 15. k. S. Paulus qui *raptus eſt in Paradiſum; & audivit*
l 2. Cor. 12. 4. *arcana verba, quæ non licet homini loqui* l: cui quaſi
Deo *Sacerdos Iovis cum populis ſacrificare volebat*
m Act. 14. 12. *m*. Idem de ſe ſentiebat Seraphicus Pater S.
Franciſcus, ſe nimirum fuiſſe maximum omni-
um peccatorum: Quænam humilitas! Et ſan-
ctus Franciſcus Saleſius interrogatus quid vel-
let agendum de corpore ſuo poſt mortem: Re-
ſpondit, Projiciatur in cloacam. Stuporem
incuſſit hæc propoſitio: Affigatur alicui pati-
bulo, & ſic exponatur in via Regia ut ſpectacu-
lum ad terrendos peccatores ſolo intuitu. Vi-
debatur hoc, ſcandalum parere audientibus;
Tradatur manibus Chirurgorum diſſecandum,
ut ex eo faciant anatomen, ut cùm inutile fue-
rit in vita ſua, utile poſſit eſſe poſt mortem
ſuam. Ecce quidnam de ſemetipſis ſentirent
Sancti. Evangelii prædicationem proficuè au-
diebant, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vi-*
n Jo. 12. 25. *tam æternam cuſtodit eam* n. Quæ Sapientibus
mundi mera videtur ſtultitia in illis qui illud
prædicant, in eo quod annunciant, & in modo
quo illud evangelizant: *Nos autem prædicamus
Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gen-
tibus autem ſtultitiam: Placuit Deo per ſtultitiam*
prædicationis ſalvos facere credentes o. Præterea, *o* 1. Cor. 1. 23. & 21.
Prædicatio Evangelii videtur ſtultitia in ſuo
conſilio, quippe quæ idololatriæ adverſetur.

Hæc eſt ſecunda ratio. Nihil difficilius quàm
inductu ad mutandam Religionem. Prætextus
Religionis, hominum animos & corda accen-
dit, cùm unà cum lacte Religionem ſuxiſſent, ſed
Religionem ſic antiquam. Deinde, Erat illa
univerſalis, cùm per totum diffuſa eſſet orbem,
& unica eſſet illius regio, quæ verum Deum a-
gnoſceret, nempe Judæa, *Notus in Iudæa Deus, in
Iſrael magnum nomen ejus* p. Exceptâ Judæa, u- *p* Pſ. 75. 2.
niverſa terra idola colebat, idololatria erat po-
tentiſſima, cùm ſuum Romæ collocaſſet thro-
num; idololatria quæ præ ſe tantum ferebat fa-
ſtum, & tantum ſplendorem, cùm Imperium
Romanum tot legiones ſtipendio ſolitas jugi-
ter foveret, tot Principes & Magnates, qui de-
inde inſurrexerunt in Dei Filium, *Quare fremue-
runt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtite-
runt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*
adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus q: Et *q* Pſ. 2. 1. & 2.
idola tantam præ ſe ferrent majeſtatem, oracu-
la redderent, aut ſaltem diabolus loqueretur per
illa: Cùm Religio Chriſtianorum non agno-
ſceret niſi *Crucifixum*, quæ nihil exhiberet niſi
contemptus & depreſſiones; Religio nova de-
liciis ſenſuum infenſa, & à paucis hominibus a-
gnita. Et tamen plantanda eſt hæc Religio, im-
pugnandæ ſunt aquilæ Romanæ, hæ aquilæ im-
periales fulminantes & triumphantes. Sed quid
agendum eſt ad feliciter perficiendum hoc ma-
gnum conſilium? Ha! erigendi ſunt validiſſi-
mi exercitus, coacervandæ ſunt ingentes divi-
tiæ: Si autem iſtæ & illi deſint, habendi ſunt
Viri nobiles & magnanimi qui poſt ſe trahant,
alliciendo præ motivo lucri & mercedis, ut ſuas
amplexandas faciant cauſas; magni Oratores
ad perſuadendum. Sed fallor, hæc omnia inuti-
lia ſunt; expugnanda eſt idololatria *per ſtultitiam
prædicationis* Crucis: & ſicut lignum adoratum
fuerat, oportet ut alterum Lignum conciliet ſibi
ſummas venerationes. Non indiget Dei Filius
Viris nobilibus & peritis, aut Oratoribus elo-
quentibus: *Videte vocationem veſtram, Fratres,
quia non multi potentes, non multi nobiles: Sed quæ
infirma ſunt mundi, elegit Deus ut confundat fortia,
ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus* r. Mittit *r* 1. Cor. 1. 26. &c.
Dei Filius *duodecim Apoſtolos* ſ rudes & ignaros, *ſ* Luc. 6. 13. &c.
quorum aliqui *erant piſcatores* t, qui ſolis tractã- *t* Matt. 4. 18. &c.
dis retibus & dirigendis naviculis erant idonei,
ut mundum convertant, & hæc ſtupiditas viro-
rum iſtorum inſciorum prævalebit adverſùs or-
bis Magnates. *Non multi potentes*: non vult
Deus Reges, nec Poteſtates terræ. *Non multi no-
biles*; Bartholomæus enim non erat Nathanaël
Princeps Synagogæ, & Legis Moſaicæ peritus *u* Joan. 1. 45. &c.
u. *Quia non multi ſapientes ſecundùm carnem*;
Deus nullos vult Philoſophos, quia credi potu-
iſſet quòd Religio Chriſtiana humano plantata
fuiſſet artificio: *ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit
Deus, ut confundat ſapientes; & ignobilia mundi, &
contemptibilia elegit Deus, ut non glorietur omnis ca-
ro in conſpectu ejus.* Dicere autem poſſum, quòd
nunc quælibet muliercula Chriſtiana majorem
Dei habet notitiam, quàm habuerint omnes an-
tiqui Philoſophi, cùm tota Antiquitas non no-
verit ita benè loqui de Deo, ac de eo loquatur
hæc

Digitized by Google

hæc fœmina. Petite à qualibet muliere; Quid
credis de Deo? Confeſtim ipſa reſpondebit,
x Ex Eſth. 13.9. *Credo in Deum Patrem omnipotentem* x, *Creatorem*
y ex Gen. 1.1.&c. *cœli & terræ* y: *Et in Ieſum Chriſtum Filium ejus* z.
Nunquam Philoſophi Ethnici tàm fuerunt periti,
z et Joan. 1.18. nec tantam Dei comparare potuerunt cogni-
tionem.

Ha! Niſi proficuè utamur fide noſtrâ, myſte-
rio adorando Incarnationis, & prædicatione E-
vangelii, nonne criminoſiores ſumus infideli-
bus, imò & Judæis, ad quos mittit Dei Filius ſuos
Apoſtolos, ut eis prædicent? Non ſolùm habe-
a Rom. 1. 20. mus nos volumen Naturæ *a*, & librum Legis;
b Jo.1.17. ſed prætereà habemus Legem Evangelicam *b*,
idcircò ſi iſta omnia non inſumamus utiliter, ma-
joribus erimus obnoxii ſuppliciis quàm illi, qui
c Jon. 3. 3.&c. ſolum habuerunt aliquem Prophetam *c*, aut A-
d Act.2.4. &c. poſtolum *d*, qui ipſos edocuerit, cùm tamen
tot Concionatores in hac cathedra ſedentes &
docentes, noſtri monuerint nos obſequii. Unde
autem fit ut non convertamini? Fortaſſis re-
ſpondebitis mihi, Hoc oritur ex defectu Prædi-
catorum. Dicuntur enim aquæ tantùm aſcen-
dere quantùm deſcendunt: Sicut illæ emanant
à Chriſto, qui eſt origo gratiæ, *Quia gratia per Je-*
e Jo.1.17. *ſum Chriſtum facta eſt* e; ita revertuntur ad eum;
& ſic defectus eſt imputandus Concionatori, qui
nullam agere poteſt converſionem. Ha! Audi-
tores, graviter hallucinamini; idcircò errorem
veſtrum deponite, & ſcitote quòd hoc procedit
ex eo quòd non veniatis ad concionem ut ex eâ
utilitatem referatis, ut ibi ſalutem veſtram ope-
rari ſatagatis, & aurem præbeatis alicui ſacræ
motioni & inſpirationi internæ, quæ vos ad con-
verſionem & ad vitæ emendationem excitet;
ſed præ curioſitate, ad oblectandum ſenſum au-
ditus, & fortaſſis incitati animo cenſorio, ut ob-
ſervetis Concionatorem, utrùm aliquid ſit in eo
corrigendum, aut quoad diſcurſum, vel quan-
tùm ad elocutionem, volentes ut ipſe verbum
Divinum excipiat eodem animo, quo vos ad
Templa ſacra convenitis, nimirum periodis
quadratis, & verbis electis congruentioribus in
foro ad decipiendum Judicem, & ad alterandam
veritatem, quam in cathedra ſacra, ubi exagge-
randum eſt vitium, & extollenda virtus ſpiritu
ardoris & zeli ob ſalutem animarum. Diſponit
ſe Prædicator antequàm concionem habeat;
parare ſe debet etiam Auditor, non aſſimilan-
do ſe *viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpe-*
culo; conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus
f Jacob. 1. 23.&24. *eſt qualis fuerit* f; ſed mulieribus, ut diu intuea-
tur ſe *in ſpeculo* Legis Dei, reflectendo ſe ſuper
ſe, ut pergat ad pœnitentiam.

III.Part. Extraneum pati non poteſt natura corpus,
nec quieſcit donec illud foras emiſerit, ſuo ex-
erit ipſa conatus, corpora noſtra languent poſt
infirmitates ſuas, & animæ noſtræ ſociari non
poſſunt peccato: ſuas ideò debent inſumere vi-
res ſicut & induſtriam ſuam ad amandandum
illud procul à ſe, nec illud peragere meliùs
poſſunt quàm per pœnitentiam, quæ ſanctè à
Deo fuit inſtituta ad largiendam animabus no-
ſtris ſanitatem, ad expellendum inde pecca-
tum, & ad introducendam illuc gratiam. Idcir-
cò mittens Dei Filius Apoſtolos ſuos, *dedit illis*
poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos,
& curarent omnem languorem, & omnem infirmita-
tem, quæ ſunt figuræ peccatorum, quæ poſſident
& cruciant animas noſtras, *Præcipiens eis, Euntes,*
prædicate, dicentes, Quia appropinquavit regnum cœ-
lorum. Ecce ſumma & compendium prædica-
tionis Chriſti, & Apoſtolorum ejus, ſitæ in an-
nuncianda pœnitentia & abnegatione vitio-
rum, & illius omnis, quod removere poſſet ac
diſtrahere homines ab acquiſitione Regni cœ-
leſtis. Et propter hunc effectum eminentem
Dei Filius ait, tempus dandi illius Regni cœle-
ſtis appropinquaſſe, & citò perficiendum eſſe;
& conſequenter quâ alacritate & ſedulitate di-
ſponere debeamus nos ad ſuſcipiendam hanc
gratiam regni cœleſtis; & quantum ſupplicium
immineat infligendum illis, qui nolent eam re-
cipere, quique illam negligent, dicit Janſenius
citatus à Cornelio *g*. g Corn. in Matt.10.7

Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad
lucem, ut non arguantur opera ejus h. Sed inqui- h Jo.3.20.
rat peccator tenebras, feneſtras claudat æquè
ac oſtia, quantùm voluerit; Deus *Lux in tene-* i Joan.1.5.
bris lucet i; *Dominus autem intuetur cor* k, ut ibi k 1.Reg. 16.7.
legat ea, quæ in illo peraguntur, & nihil deſe-
rat impunitum, *Ego Dominus ſcrutans cor, & pro-*
bans renes; qui do unicuique juxta viam ſuam, &
juxta fructum adinventionum ſuarum l. Satisfaci- l Jer.17.10
endum eſt Deo pro peccatis commiſſis, erogan-
dæ ſunt eleemoſynæ, jejunandum eſt, & oran-
dum; uno verbo, peragenda eſt pœnitentia, hæc
omnia ſunt neceſſaria. Cùm inſontes ipſi pœni-
tentiæ vacaverint, JESUS Chriſtus *m*, Virgo m Matt.4. 2.
Deipara *n*, S. Joannes Baptiſta *o*, & plures alii
in vita ſua, quid non agere debent criminoſi? n Luc.1. 39.&c.
Sed obſervandum quòd Tertullianus *p*, qui in- o Matt.3.4 &c.
ter idololatras vixerat, & qui apprimè eorum
noverat conſuetudines, triplicem admittit pœ- p Tert.l.de Pœnit.c.1. & 2.
nitentiam. Duæ primæ accedunt ad infidelita-
tem Antiquorum. Poſtrema eſt purè moralis
& Chriſtiana. Prima in hoc erat ſita, quòd
tranſacto die aliquam imponebant ſibi pœniten-
tiam, ad plectendos defectus, quos perpetraſſe
poterant. Vanitas Stoica, quæ circumquaque
gloriam aucupabatur; prava pœnitentia quæ
puniebat id quod ritè factum fuerat, *Semetipſos*
execrantur, quia benefecerint. Secunda erat pu-
dor quo ſuffundebantur, videntes ſe deliquiſſe:
ſic Alexander Magnus Clitum ſibi chariſſimum
inter præcipuos familiares, tamen in convivio quodam
liberius in Perſicos mores invectum, jam temulentus
ſpiculo trajecit: Cum ſaltem eum poſtridie tanta cepit
pœnitentia, diſcuſſâ jam ebrietate, ut totum triduum
cibo abſtinuerit, decreveritque omnino inediâ ſibi ne-
cem conſciſcere, amicumque optimè de ſe meritum ad
inferos perſequi, ut refert Calepinus *q*. De quâ q Calepin. in Dictionar. v. Clitus.
pœnitentiâ ait Tertullianus, *Meminiſſe curantes,*
ne quid boni rurſus præſtent; contra pœnitentiam
malorum leviùs intuebant. Tertia eſt moralis &
Chriſtiana, cum dolore de præterito, & firmo
propoſito de non perpetrando denuò peccato;
Pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus prepoſi-
tam; uti quidquid error vetus inquinaſſet, quidquid
in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœni-
tentia verrens & radens, & foras abjiciens, mun-
dam pectoris domum ſuperventuro Spiritui ſancto
paret, quò ſe ille, cum cœleſtibus bonis libens inferat, di-
cit Tertullianus. Oportet ut amor Dei cauſet
dolorem iſtum; ſi enim attenderetur ad com-
modum, aut ad incommodum, deliciæ cœli, aut
ſupplicia inferni, omnia depravarent. Verum
quidem eſt, quòd Sacramentum præbeat valo-
rem huic actioni attritionis, quam facit contri-
tionem. Deus ſalutis noſtræ amans, omnem in-
duit perſonam ut nos ad ſe traheret: ipſe Le-
giſlatoris & Domini officium obivit in mon-

te

Digitized by Google

[a Math 5. 1. &c.] [f Matt. 8. 1 &c.] re r, prædicando doctrinam ſuam Evangelicam: & Viri popularis in deſcenſu *de monte* ſ, ſanando omnes infirmitates corporales, quæ ſunt figuræ infirmitatum ſpiritualium, quibus remedia præbet, quorum præcipuum poſt lapſum in peccatum, ſuſcepto ſemel Baptiſmate, eſt Pœnitentia. Heu! quid ageretur de nobis poſt patratum peccatum, ſine hoc remedio ita neceſſario? De noſtra cõclamatum eſſet prorſus ſalute. In vanum gratia Incarnationis Verbi, pœnæ ejus & tolerantiæ, vita illius & mors, miracula & prædicatio Evangelii ejus ſine Pœnitentia quæ nobis applicat merita Filii Dei. Hæc *ſecunda poſt naufragium tabula eſt*, ait S. Hieronymus t; quam amplexandam ita nobis conſulit Tertullianus u, ut ſine ea noſtram operari non poſſimus ſalutem, *Ita invade, ita* [...] *lexare, ut naufragus alicuius tabulæ fidem*. Si autem eam contemnamus crimino ſiores erimus Ethnicis, & Judæis, quibus Prophetæ, & Apoſtoli prædicaverunt, inter quos multi diſpoſuerunt ſe ad agendam pœnitentiam, eam rati maximè neceſſariam ad operandam ſalutem ſuam. [t S. Hier. epiſt. 47. n. 6.] [u Tert. lib. de Pœnit. c. 4.]

Si verò aliquas deſideretis audire rationes ad probandam Pœnitentiæ neceſſitatem, Oportet ut deſtruam errorem Calvini, & hominum æquo liberiorum hujus ſeculi. Dicit enim Calvinus, quòd ſicut infantes non indigent Pœnitentiâ, & morientes poſt Baptiſma ſuſceptum, confeſtim rectà tendunt in cœlum, idem dicendum eſt de adultis. Præterea, Deus non eſt alligatus Sacramentis, quæ ſunt canales gratiæ; ideò poteſt eam nobis largiri abſque illorum interventu: Pœnitentia igitur, ait ille, non eſt neceſſaria. Sed progrediamur amplius. Homo, licèt juſtè offenſus, poteſt condonare injuriam ſibi irrogatam, nedum ſibi aliquam fieri velit ſatisfactionem propter eam: Ergo, concludit ille, Pœnitentia non eſt neceſſaria. Reſpondeo ad illa, quòd in parvulis peccatum originale non eſt niſi ex dependentia Adæ, *in quo omnes peccaverunt* x. Ideò ſolùm ſufficit eis Baptiſma, & ut ipſi renaſcantur *ex aqua & Spiritu ſancto* y. Sed in adultis eſt peccatum actuale, & cùm Baptiſmus non reiteretur, ſola Pœnitentia pandere poteſt illis viam ad ſalutem, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* z. Prætendere autem aliud remedium, eſt labi in errorem. Eſt enim differentia inter Baptiſmum & Pœnitentiam; & velle impetrare veniam abſque Pœnitentia, eſt idem ac efflagitare ut montes aſcendant in cœlum, ut Stellæ ex eo deſcendant, & ut ignis refrigeret; hæc omnia ſunt impoſſibilia, ſicut impoſſibile eſt ut ſuam quis operetur ſalutem abſque Pœnitentia. Quoad id quòd dicitur Deus non eſſe alligatus Sacramentis, hoc eſt exigere contradictionem, ac petere abſolutionem à peccato ſine dolore & abſque contritione: voluptas eſt oppoſita dolori; ad expellendam voluptatem neceſſarius eſt dolor, & Pœnitentia requiritur, alioquin ſocianda eſſent duo contradictoria, quæ diſtantiam præ ſe ferunt infinitam, ut ait Theologia, *Gratia & peccatum infinitè diſtant*. Et S. Paulus a dicit, *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Gratia in aliquo eſſet ſubjecto, ex ſuppoſitione, & peccatum ab eodem ſimul & ſemel non eſſet expulſum, & Deus ageret contra juſtitiam ſuam. Ne igitur labamur in hanc deordinationem, dicendum eſt, Pœnitentiam eſſe abſolutè neceſſariam ad operandam noſtram ſalutem. [x Rom. 5. 12.] [y Jo. 3. 5.] [z Luc. 13. 3.] [a 2. Cor. 6 14.]

Quòd homines remittant offenſas ſibi illatas, nemo dubitat quòd illas non poſſint condonare, ſed Deus illarum ſibi reſervavit ultionem, dicens, *Mihi vindictam; & ego retribuam* b. Miſericordia Dei nõ officit juſtitiæ ſuæ, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi* c. [b Rom. 12. 19. & Hebr. 10. 30. ex Deut. 32. 35.] [c Pſ. 84. 11]

Delicati indulgere vobis, quantùm vobis placuerit, illac tranſeundum eſt, agenda eſt pœnitentia. Sancti omnes praxi illius incubuerunt ob leviſſimas culpas. S. Joannes Baptiſta repletus *Spiritu S. adhuc ex utero matris ſuæ* d, purus more cryſtalli, pœnitentiam exercet *in deſerto. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtre* e, & ſolam bibebat aquam. Vos autem, Auditores, quam pœnitentiam agitis? Nequidem unicam eleemoſynam ob tot diſſolutiones & delicias, quibus diffluitis. Mitto pœnitentias, quas exercuerunt innumeri Sancti ad leviſſimas expiandas culpas, brevitatis ergo. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis* f. Si illam contemnamus, erimus magis criminis conſcii, quàm fuerint Pagani, imò & quàm Judæi. [d Luc. 1. 15] [e Matt. 3. 3 & 4.] [f Luc. 13. 5]

Diceris mihi forſan, quòd inutile ſit agere pœnitentiam, cùm videantur aliqua peccata nullam mereri veniam. Videtur ſecundùm Scripturam hoc dici de Eſau, de Saul, & de Antiocho. *Eſau parvi pendens quòd primogenita vendidiſſet* g; *poſteà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invênit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam* h. Ideò quia non dolebat propter Deum, ſed ob amiſſum jus primogenituræ. Cùm Saul non interfeciſſet *peccatores Amalec, & contra eos uſq; ad internecionem eorum* non pugnaſſet, ſicut præceperat illi Deus, ut illos occideret, *ait, Peccavi*. Sed iſta pœnitentia nõ erat intuitu Dei offenſi, ſed proprii commodi; nam ſtatim ſubjungit, alloquens Samuelem: *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi, & coram Iſrael*. Et cùm *lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quòd conſtituiſſet Regem Saul ſuper Iſrael* i; *Dixit Dominus ad Samuelem, Vſquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſrael* k? Theod. l ſuper hæc, ait, *Prævidit quidem ejus futura ſcelera & iniquitates* Deus, præſertim verò quòd præ deſperatione ſemetipſum eſſet occiſurus, ſicut re verâ *arripuit Saul gladium ſuũ, & irruit ſuper eum* m. Et de Antiocho dicitur, *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Quare? Quia *eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare, & cùm nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet* n. Omnes hæ pœnitentiæ non erant bonæ & ſecundùm Deum; ſeipſos intuebantur hi, & proprium commodum, ideò non fuerunt exauditi iſti tres, & ſuorum non impetraverunt veniam peccatorum. [g Gen. 25. 33. & 34.] [h Hebr. 12 17.] [i 1. Reg. 15, 18. &c.] [k 1. Reg. 16. 1.] [l Theodoret. q. 34.] [m 1. Reg. 15. 11.] [m 1. Reg. 31. 5.] [n 2. Mach. 9. 13. &c.]

Verum quidem eſt, quòd ſint quædam peccata, quæ nullam unquam conſequentur miſericordiam, id eſt peccata dæmonum & damnatorum; *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes* o. Obſtinati & confirmati ſunt in malo, incapaces agendi boni, non ſunt ampliùs in via, pervenerunt ad terminum, ideò in æternum patientur, ſed dolor illorum ipſis erit inutilis, & abſque venia. Sed in hoc mundo nullum eſt peccatum quod dimitti non poſſit, nullus peccator qui ſpem habere nequeat impetrandæ veniæ; alioquin enim non eſſet liber ad agendum bonum, aut nõ agendum illud, ſuam amiſiſſet libertatem, quod ſuſtinere, crimen eſſet, cùm adverſa- [o Sap. 5. 3.]

[p Eccl. 15 14. &c.] verſaretur Scripturæ *p*, quia eum pœnitere poteſt, quandiu ſpirat in præcordiis ipſius anima, & converti poteſt ipſe ad Deum adjutus gratiâ ejus, quæ nemini denegatur *q*. Hoc deſtrueret [q Hebr. 12 15.] miſericordiam Dei, inſurgeret in gratiam ejus, quæ nos diſponit, quæ nos prævenit *in benedictionibus dulcedinis* r, [r Pſ. 20 4. ſ Cant. 1. 4 t Ezech. 36. 27.] per habitualem quæ nos attrahit *ſ*; & per efficacem quæ ſuum ſortitur effectum ſine violentia *t*. Quoad illud autem, *Quicumq; dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro* u; [u Matt. 12 32.] intelligendum eſt de peccato obſtinationis, aut de impoſſibilitate, id eſt, difficultate veniæ condonandæ illi, ut videre eſt ex iſto loco ſequenti, *Impoßibile eſt*, id eſt, difficile, *eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. guſtaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam* x. Cùm igitur ita difficile ſit, attendamus nobis, [x Hebr. 6. 4. &c. y Galat. 6. 10.] *Ergo dum tempus habemus operemur bonum* y. nec tardemus *converti ad Dominum, & ne de die in diem* z differamus redire in gratiam Dei; [z Eccl. 5. 8 a Pſ. 41. 8.] nam *abyſſus abyſſum invocat* a. Peccatum eſt cauſa peccati: Philoſophia enim ait, quòd actus reiteratus parit habitum, ſeu conſuetudinem quæ eſt veluti ſecunda natura. In principio pudet peccatorem patrare ſcelus, conſcientia ſtimulat, ſynderesis inclamat, ſed tandem homo ad illud fertur, quia ex frequentatis actibus generatur habitus. Peccatum cauſat aliud peccatum per accidens; ſicut ſi duobus viris dimicantibus, arriperetis enſem unius ex iſtis, quandiu alter eum ſuo perforaret gladio, eſſetis per accidens cauſa mortis illius; ſic auferentes gratiam, ingreſſum datis peccato in animam per accidens, eſtis cauſa efficiens hujus peccati per accidens. Peccatum eſt conforme naturæ noſtræ, ſenſus omnes demulcet, & ideò difficilè quis poteſt ab eo ſeſe extricare; & ſic peccatum facilè cauſat aliud peccatum, quod oſtendit periculum quod incurritur ex differenda pœnitentia, & ideò ſatagere debemus illius exercitio incumbere, quàm citiſſimè poterimus, ut è ſtatu peccati egrediamur.

Leproſus, de quo loquebar vobis in principio hujus Adventus, videns quòd Jeſus tranſiret per viam, in qua erat, clamabat, *dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manū, tetigit eum, dicens, Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus* b. [b Matt. 8. 2. &c.] Sed quare ſic clamabat? Ratio iſtius eſt, quia Jeſus jam jam erat ingreſſurus civitatem *Capharnaū*: & ſicut Lege c Judæorum jubebatur, [c Num. 5. 2] ut ejicerentur *de caſtris* leproſi, & conſequenter ne ingrederentur civitates, videns iſte quod ſibi exiguum ſupereſſet tempus, illud utiliter adhibuit. Chriſtus tranſit, *Ipſe autē tranſiens per medium illorū ibat: & deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ* d. [d Luc. 4. 30. & 31.] Nos ſumus in via, ubi ſemel ingreſſus fuerit, actum eſt de nobis, inſumamus tempus, pœnitentiam agamus; præ noſtris ponamus oculis exemplum virginum *decē. Quinq; fatuæ, acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleū ſecum: prudentes verò acceperunt oleū in vaſis ſuis cum lampadibus. Mediâ autem nocte ecce Sponſus venit. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt, Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes, dicentes, Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit Sponſus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Noviſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpōdens, ait, Amē dico vobis, neſcio vos* e. [e Matth. 25. 1. &c.] Omnes erant virgines, *quinq; autē ex iis erant fatuæ, & quinq; prudentes* Sapientes intrant, quia ſuas inſtructas oleo præ ſe ferunt lampades, & oſtium clauditur fatuis. Tempus veniet cùm homines mundani, ſtupidi, otioſi, qui bonis nō incumbunt operibus, dicent, *Aperi nobis*, ſed clauſo oſtio dicetur illis, *Neſcio vos*. Domine mi, tu negligis perficere illud, cujus monitus es, reſtituere, injuriam condonare, pœnitentiam agere; tempus aderit quo voles illud adimplere, nec poteris. Domina mea, tu manes otioſa, intuendo te diu in ſpeculo, lampas tua eſt inanis, non eſt inſtructa oleo, oleum petes aliquando miſericordiæ, nec illud impetrare valebis; non egiſti quandiu potuiſti, non vacaſti operandæ ſaluti tuæ, criminolior eris plurimis Ethnicis & Judæis, qui majori viguerunt induſtriâ ad promovendam ſalutem ſuam, licèt tot non eſſent inſtructi ſubſidiis.

Cùm *Deus ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* f. [f Gen. 1. 26 &c.] hoc fecit ad inducendum eundēm hominem ut idem faceret; ut ſicut ipſe quaſi ſuam inſumpſit operam ad conſtruendum magnum mundum, ſic homo laborem ſuū adhiberet ad ædificandum parvum mundum. Non latet nos, quòd triplex eſt mundus. Mundus archetypus, qui eſt Deus. Mundus elementaris, id eſt, univerſus Orbis. Et microcoſmus ſeu parvus mundus, ſcilicet homo. Cùm ergo *in principio creavit Deus cælum & terram*, primò quaſi inauravit & dealbavit parietes, cùm *dixit, Fiat lux; Et facta eſt lux*, id eſt, Angeli, ut exponunt Interpretes; antequàm produceret Solem, Lunam, cæteros Planetas, & aſtra, ordinaret elementa, & reliqua quæ ſunt in hoc mundo elementari. Eodem ſe gerere debet homo modo. Antequàm ſuam ædificet fortunam, & magna formet conſilia quoad terrena, debet dealbare interius conſcientiæ ſuæ æquè ac illud inaurare auro charitatis & luce gratiæ, in bono ſtatu ſe conſtituere, ſatagere ut operetur ſalutem ſuam ſicut Deus, qui non agit inſtar architectorum, qui primò conſtruunt parietes præcipuos, ordinant officinas infimas, primum faciunt domicilium, aulas, cubicula, conclavia, porticus, tectum, & poſteà omnia & ſingula dealbant: ſed Deus primò dealbat æquè ac inaurat, ut diſcat homo idem peragere in microcoſmo, laborare ad operandam ſalutem ſuam, animam ſuam dealbare virtutibus, ne, ſi homo differat, deſit ipſi calx, & gypſum, cùm ipſum eſt petiturus, *Quia tempus non erit ampliùs* g. [g Apoc. 10 6.] Agamus igitur pœnitentiam, auſcultemus Apoſtolos, qui eam nobis anounciant, ne criminoſiores ſimus Paganis, & Judæis. Salvator adorande, licèt ipſe ſis *Vnigenitus Filius in ſinu Patris* h tui, & *Sanctus Dei*, [h Joan. 1. 18. i Marc. 1. 24.] *qui nullum feciſti peccatum, nec inventus eſt dolus in ore* k tuo; [k 1. Pet. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.] tamen ſic rudem exercuiſti pœnitentiam *in laboribus à juventute* l tua: [l Pſ. 87. 16] exemplo tuo allecti, pœnitentiam volumus amplexari ſedulò, nedum eam contemnamus; tuam honorare Incarnationem, & proficuè tui prædicatione Evangelii tui, ut tuam des nobis gratiam, & tandem gloriam.

IN NATIVITATE DOMINI.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis ſignum, Invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.

Luc. 2. 10. &c.

COnvenientiſſimum eſſet ut Princeps aliquis ſupremus aggrederetur propalare laudes nativitatis Dei ; vel ut Angeli, quorum *millia millium* miniſtrant Divinitati ejus, *& decies millies centena millia ei* a aſſiſtunt, æquè ac qui *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* b, qui mox cœlum laudibus Salvatoris recenter nati replebant, *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: laudes concinerent nativitatis ejus: aut ut omnes creaturæ converterentur in linguas ad dignè publicandam magnitudinem illius: niſi fortè ex quo *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* c, permitteret ipſe ſe laudandum linguâ carnali & humanâ; & ſicut Mater ipſius *Maria pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio*, dignetur ipſe etiam noſtris diſcurſibus comprehendi. Fac igitur naſci in cordibus noſtris, Infans adorande, magnam reverentiam, ut honoremus hoc myſterium depreſſionis & magnitudinis ſimul; pone in lingua mea, *Verbum caro factum* d, nova verba ad dignè extollenda motiva Nativitatis tuæ. Tu verò Virgo Deipara, quæ fructum iſtum Divinum modò peperiſti, continua favores tuos: tu eum concepiſti humilitate tuâ, cùm tibi *Angelus dixit, Ave † Maria.*

a Dan. 7. 10.
b Hebr. 1. 14.
c Philipp. 2. 7.
d Joan. 1. 14.
† Luc. 1. 28. & 38.

S. Cyprianus e in tantam rapiebatur admirationem ex conſideratione celſitudinum myſterii quod celebramus hodiernâ die, ut illius magnitudines prorſus judicaret inacceſſibiles, dicens, *In cæteris quocunque modo aliqua ſatisfaciunt rationes; hic ſolus me complectitur ſtupor.* Quaſi diceret, quòd omnia myſteria Chriſtianiſmi aliquâ ratione poſſunt concipi; ſed quòd myſterium incarnationis & nativitatis Filii Dei eſt omnino incomprehenſibile, æquè ac ineffabile: omnem quippe cognitionẽ ſupergreditur, tantùm abeſt ut aliquâ poſſit exprimi loquelâ, nec relinquit poſt ſe niſi admirationes & ſtupores, quibus percitus Iſaias dicebat, *Generationem ejus quis enarrabit* f? *Propheta ergo contemplans ejus perſonam & dignitatem*, ait Cornelius g, *rapitur, & admirabundus exclamat: Generationem ejus quis enarrabit? Cujus ætas æ ſeries ortus & vitæ, eſt ineffabilis? Si enim eum ut Deum ſpectes, ejus ætas eſt æternitas: ab æterno enim genuit* h *& produxit eum Pater: Patri ergo eſt coæternus. Si ſpectes eum ut hominem, ætas ejus quâ propagatus fuit, quâque ex Matre in mundũ productus, fuit nova & admirabilis: natus enim & conceptus eſt in fine ſeculorum ex Virgine inoperante Spiritu S* i. *Rurſum, Natus univit Verbo hypoſtaticè humanam naturam: quæ unio eſt inſolubilis & æterna. Hic ſenſus eſt communis Patrum; ita ſublimior & Divinior eſt. Quocirca Tertullianus legit, Nativitatem ejus quis enarrabit.* Si verò Salomon, (qui Reges præceſſit *omnes ſapientiâ* k) poſtquàm ædificavit *domum nomini Domini Dei Iſrael; & po-*

e S. Cypr. ſerm. de Nativit. Chriſt. n. 10.
f Iſai. 53. 8.
g Corn. in Iſai. 53. 8.
[illegible] contra Judæos c. 13. & alibi.
h ex Pſ. 2. 7.
i ex Matth. 1. 18. &c.
k Eccl. 1. 16.

ſuit in ea Arcam, in qua eſt pactum Domini quod pepigit cum filijs Iſrael; ſtetit coram altari Domini ex adverſo univerſæ multitudinis Iſrael, & extendit manus ſuas; & deinceps flexis genibus contra univerſam multitudinem Iſrael, & palmis in cœlum levatis, ait: Ergone credibile eſt ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram? Si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt: quantò magis domus iſta quam ædificavi l: ſi inquam, iſte Princeps ita vehementer admirabatur, nec concipere poterat quomodo Deus habitaturus eſſet in terrâ inter homines, licèt in umbris & figuris, ut ipſemet *ait; Dominus pollicitus eſt ut habitaret in caligine: ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum:* &c, ut deinde dixit S. Paulus m, *hæc autem omnia in figura contingebant illis*: Ha! quid egiſſet, & quid dixiſſet? ſi vidiſſet Dei Filium, factum *Infantem, pannis involutum, & poſitum in præſepio?* Ego autem non poſſum quin exclamem præ admiratione cum Eccleſia n poſt Prophetam, *Domine, conſideravi opera tua, & expavi. In medio duorum animaliũ cognoſcẽris.* Inquirens autem finem, quem Deus ſibi propoſuit in hac depreſſione, dico eum intendiſſe Primò gloriam ſuam, ut manifeſtaretur oculis hominum præ majori ſplendore. Et quia commoda noſtra à gloria ejus ſunt inſeparabilia, dico Secundò illum propoſuiſſe ſibi utilitatem noſtram. Itaque gloria Domini, & utilitas ſervi, erunt geminæ diſcurſus iſtius partes.

l 2. Paral. 6. 10. &c.
m 1 Cor. 10. 11.
n Eccleſia in Paraſc. ex Habac. 3. 2.
Diviſio.

Gloria Filii Dei ipſum inducit ad hanc depreſſionem voluntariam, quâ *oblatus eſt, quia ipſe voluit* o. Et à qua ipſe ſe poſſet eximere, ſi minùs ſuam diligeret ipſe creaturam: ad manifeſtandam igitur præ majori ſplendore hanc gloriam ſuam ipſe ſe humiliat, & eligit vitam quam incipit, & quam finire debet in abjectione, ut damnet vanitatem contemptu quem ipſe illius facit. Ad probandam propoſitionem meam poſſem in medium adducere maximas cœleſtes & Evangelicas p, quibus fertur, *Qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* Quòd humiliatio ſit via ad exaltationem comparandam, & quòd juxta proportionem illius, ſtruamur magnitudine illius, cùm templum gloriæ eò altiùs elevetur, quò fundamenta illius ſunt profundiora in mente humilis; & Lucifer qui ambitione ſuâ voluit aſcendere, nedum priùs deſcenderet, deſcendit abſque ulla ſpe unquam aſcendendi. ut improperat illi Iſaias q, *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detrahẽris in profundum laci.* Sanctus Paulus r autem loquens de Filio Dei, ait, *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm?* Ratio autem iſtius utriuſque eſt, *Quia omnis qui ſe exaltat, humi-*

I. Pars.
o Iſai. 53. 7.
p Matt. 23. 12.
q Iſai. 14. 12. &c.
r Epheſ. 4. 9.

humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur ſ. Jeſus Chriſtus igitur inclinat ſe uſque ad depreſſionem ſtabuli, & ad humiliationem præſepis, ut ad altiſſimum gloriæ & honoris apicem ac faſtigium exaltetur, apparens in hac abjectione & paupertate, in qua naſcitur, præ majori ſplendore abſque ulla comparatione, quàm ſi natus fuiſſet cum omnibus apparatibus & magnificentiis Regiis inſeparabilibus à magnitudinibus. Sed potentia ejus nunquam meliùs apparuit, quàm in hac infirmitate, quæ reclinat *eum in præſepio.* Hic *fecit potentiam in brachio ſuo* t. In hoc ſtatu manifeſtat maximam gloriam ſuam: nunquam ditior fuit quàm inter apparentias ſuæ maximæ paupertatis: in iſto ſtatu indigentiæ, in quo nudus nobis exhibetur intuendus, ſuas oſtendit divitias, & ſuis nos ditat theſauris, neque nos ſumus divites niſi quia ipſe vult eſſe pauper. *Scitis enim gratiam Domini noſtri IESV Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſetis*, ait nobis ſanctus Paulus u. Id eſt, dicit Dionyſius Carthuſianus x ad propoſitum noſtrum, *Scitis enim per fidem gratiam, id eſt, beneficia, vel charitatem Domini noſtri IESV Chriſti ad nos. Quoniam propter nos egenus factus eſt in ſua incarnatione, & converſatione in hoc mundo. Propter quod ait, Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius hominis non habet ubi caput reclinet* y. *Natus quoque poſitus eſt in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio. Cùm dives eſſet, in natura Divina habens omnium bonorum atque pulchrorum plenitudinem infinitam, ſimpliciterque perfectam. Vt illius inopiâ, id eſt, merito paupertatis Chriſti, vos divites eſſetis, id eſt, ſpiritualem bonorum copiam conſequeremini. Nam Chriſti incarnatio, noſtra Deificatio eſt: Chriſti converſatio, noſtra eſt perfectio: Chriſti penuria, noſtra eſt opulentia.* Videte quomodo tribuat ipſe abundantes in hoc ſtatu, qui nonniſi penurias nobis exhibet intuendas: ab ipſo datur *gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Intuemini quo pacto *poſtquàm crucifixerunt eum* milites, & *dividentes veſtimenta ejus, miſerunt ſortes*, ſic nudus in cruce conſtitutus, promittit Regnum, & dat paradiſum bono Latroni, qui *dicebat ad IESVM, Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuum. Et dixit illi IESVS, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* z. Et Sanguis ipſius quem prodigit, abſque ulla comparatione plùs valet, quàm omnes theſauri terreſtres, *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis: ſed pretioſo Sanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos* a. Divitiæ igitur in paupertate, fortitudo in infirmitate, gloria & honor in abjectionibus & in contemptibus.

Natura noſtra, quæ decipitur, & graviter hallucinatur, ut ſibi blandiatur, exiſtimabat quòd *Deus gloriæ* b, cui ſceptra & diademata jure natalium debentur, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus; prædicans præceptum ejus: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ* c: & *per* quem *Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; per* quem *Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* d; venturus eſſet cum pompa quæ convenientiam haberet cum magnitudine ipſius; quòd iſte *Dominus omnium* e, ad manifeſtandam meliùs potentiam ſuam eſſet armaturus omnes Principes ſuos in obſequium ſuum; quòd *Veritas* f, quæ univerſa ſuperat, *Super omnia autem vincit Veritas* g, merebatur quidem ingredi in hunc mundum (*Exivi à Patre, & veni in mundum* h) cum omni pompa & tota authoritate, quibus conciliare ſibi poſſet corda hominum, ne contingeret illis id infortunium, quod prædixit Job i, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus; nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.* Sed conſilium Dei longè diſtat à conſiliis hominum, *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* k. Ipſius ſumma *Sapientia* l, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* m, non ſtat judiciis noſtris, quæ multum invehunt infirmitatis, à qua ipſa vult nos ſanare, *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit* †? Verum quidem eſt quod Veritas deberet de mundo triumphare, *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* n. Sed conveniens erat ut aliquod certamen triumphum illum præcederet, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum (hoc autem dicebat ſignificans quâ morte eſſet moriturus* o:) Et aliqua præiret victoria, quæ ipſi eò eſt glorioſior, quò refertur abſque recurſu ad vires & ſuppetias alienas, *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* p. Ita ut tota gloria ſucceſſus iſtius victoriæ ab ipſo relatæ de Principatibus & Poteſtatibus infernalibus, quorum captivitati eramus ſubditi, debeatur ipſi, nedum aliquis niſi præ injuſtitia eam ſibi valeat arrogare, cùm nullius potentiam inſumpſerit ad eam reportandam; imò verò renunciaverit omnibus prærogativis, quas eruere poterat è felicitate ſua, ſolam educens ad hoc prælium infirmitatem naturæ quam aſſumpſit, ad magnificandam & extollendam hoc modo gloriam victoriæ præ majori pompa ac ſplendore. Re autem verâ ſic appoſitè ſe geſſit jure merito: veniebat enim ad devincendum mundum, eumque ditioni ſuæ ſubjiciendum: debebat igitur præliari cum illo Tyranno, qui eum injuſta uſurpatione invaſerat, & legitimo Domino ſuo illum abripuerat, ut dominium ſuum à manu uſurpatoris iniqui recuperaret: ut ergo vinceret & proſterneret hunc ſuperbum gigantem Goliam infernalem, non debebat dimicare cum eo armis aureis Saulis, quæ ſunt magnitudines & vanitates ſeculi, ſicut proceſſit contra Goliath, *induit Saul David veſtimentis ſuis & impoſuit galeam æream ſuper caput ejus, & veſtivit eum loricâ* q: Sed nuditate, paupertate, & abjectione inſtar Davidis; & proſternens eum, præcidere illi caput, ſicut fecit David Goliath. Armis Saulis *accinctus ergo David, depoſuit ea, & tulit baculum ſuum quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem quam habebat ſecum, & fundam manu tulit, & proceſſit adverſùs Philiſthæum. Prævaluitque David adverſùs Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit.* Si igitur ipſe ad hunc eminentem finem inſumpſiſſet vires temporales, & Reges mundi adhibuiſſet ut miniſtros ſuos, ſic ipſe ſe ſuſpectum exhibuiſſet ſeculis futuris, quæ hanc dominationem accepiſſent pro ima-

ſ Luc. 14. 11.
t Luc. 1. 51.
u 2. Cor. 8. 9.
x Dion. Carth. a. 8 in 2. Cor. 8. 9.
y Matth. 8. 20.
z Luc. 23. 33. &c.
a 1. Petr. 1. 18. &c.
b Act. 7. 2.
c Pſal. 2. 6. &c.
d Prov. 8. 15. & 16.
e Eſth. 13. 11.
f Jo. 14. 6.
g 3. Eſdr. 3. 13.
h Joan. 16. 28.
i Job 24. 13.
k Iſai. 55. 8. & 9.
l Sap. 7. 24.
m Sap. 8. 1.
† Rom. 11. 34. ex Iſai. 40. 13.
n Jo. 12. 31.
o Joan. 12. 32. & 33.
p Coloſſ. 2. 15.
q 1. Reg. 17. 38. &c.

properio, quo operuiſſent merita ipſius; & pro violenria illata libertati hominum: gloria ejus ergo manifeſtatur præ majori ſplendore, cùm ſolus conſilium ſuum ipſe exequitur, & glorioſum illi impertitur exitum, quàm ſi ad alienas recucurriſſet ſuppetias; & victoria, quam de ſuis reportar hoſtibus, eò eſt glorioſior, quò arma, quibus utitut, ſunt infirmiora. Omne quod eſt in mundo, non eſt pretioſum, perſæpè decipimur circa ea quæ ſentimus; & fortitudo & poteſtas, quam admiramur in Magnatibus rerrenis, ſi maturè examinetur, eſt poriùs imago & probatio infirmitatis & impotentiæ, qoam valoris. Et hoc probat Scriptura.

Arphaxad Rex Medorum, ſubjugaverat multas gentes imperis ſus. Et gloriabatur quaſi potens in potentiâ exercitm ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum r.
r Judith 1. 1. & 4.
Quod ſatis oſtendit, quòd Princeps iſte non erat formidabilis niſi fortitudine alienâ, quæ erat in hominibus, & in equis, unde inſipienrer anſam arripiebat capeſſendæ vanitatis: Jeſus Chriſtus ſolus eſt ita potens, ut ad ſubjugandum mundum, & ad vincendas omnes poteſtates inferni, nullius viribus indigeat, ut confiteror ei Rex David ſ,
ſ Pſ. 15. 2.
Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eget. Ipſe ſolus ſibi ſufficit, quippe qui eſt Deus Saddai r, id eſt, ſibi ſufficiens, & ſatis habet viriom ur faciat *omnia quæcunque* voluerit *in cælo & in terra; in mari & in omnibus abyſſis* u, nedum ſuppetias emendicet extra ſe.
t Exod. 6. 3.
u Pſ. 134. 6.
Non indiget hoc univerſo apparatu bellico ad reddendum ſe potenrem: ipſe enim eſt *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio* x absque ullo auxilio:
x Pſ. 23. 8.
non indiger niſi proprio brachio ad domandas omnes acies infernales: & ot ſuam demonſtret potenriam, illas aggredirur hodierna die reclinatus *in præſepio*, in ſtatu qui præ ſe non fert niſi infirmitates, & ipſum nobis exhibet intuendum nudum, inopem, & frigore tremenrem; ſed ideò ut rremore concutiat infernum, ſuſpiria ejus ſunt veluti ictus tonitruorum, quibus percelluntur poteſtates, quæ vellent cum ipſo contendere de imperio ipſius; intuitus ejus ſunt fulgura quæ minas intentant inimicis gloriæ ipſius; & lacrymæ illius (nam *lacrymatus eſt Ieſus in ſua nativitate, ſecundùm ſanctos Doctores*, ait Dionyſius Carthuſianus y) ſi illis velit uti, majorem producent effectum, quàm produxerit illud, quod *factum eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram. Conſumptaque eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram* z.
y Dion. Carth. art. 42. in Luc. 19. 41.
z Gen. 7. 17. &c.
In hoc ſtatu infirmitatis terrore concutit Regem Herodem, & totam Jeroſolymam cum eo, *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, audiens Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo* a.
a Matt. 2. 1. & 3.
In hunc ſtatum redactus totum interturbat infernum, & tantam eſt editurus ſtragem in hac validâ factione, quæ vult ipſi diſputare gloriam ipſius, ut tremore ſit concuſſurus immodico Principes illius, cùm illuc deſcenſurus eſt aliquando ereptum ſpolia eorum, ut ait Origenes b ſuper hæc verba,
b Orig. hom. 6. in Exod. 15. 15.
Tunc conturbati ſunt Principes Edom, &c. Ipſe conculcat id omne, quod vanitas elevat, & magnitudines ſeculi ſunt objectum contemptus ipſius, omnia vitia ſuſpirant ut captiva, videntia ſe devicta: Jeſus triumphat de omnibus, & quia *parvulus* eſſe voluit, ideò vocatur *nomen ejus, Fortis* c.
c Iſai. 9. 6.
Quanta potentia! Sapientia humana, oportet ut hìc deprimas vela judicii tui, & ut adores conſilia Dei, qui deprimit ſe, ut depreſſione ſuâ triumphet de ſuperbia Magnatum; *præſepe* illius eſt theatrum gloriæ ipſius, currus eſt triumphi ipſius ſtipati comitatu & apparatibus qui convenientiam habent cum illis, quibus aliàs populi honorabant Principes die ingreſſus ſui in ſuam Metropolim poſt ſingularem aliquam victoriam de ſuis hoſtibus relatam. Conſuetudo tunc erat accendendi lampades & ignes in ſignum gaudii univerſalis, unde nox aliquo modo vertebatur in diem; inducendi Principes devictos ad exhibendum obſequium reverentiæ Victoris; faciendi aliquas liberalitates; oſtendendi completa oracula in hujusmodi victoriis, quaſi cœlum eas direxiſſet, & ſpecialem illarum protectionem ſuſcepiſſet: & ecce nato Domino nova Stella apparet in cœlo, cujus ſplendor operiebat fulgorem omnium aliarum; Reges Orientales, qui ſpecialiter ſapientiam profitebantur, ab hac ſtella directi, veniunt adoratum hunc Divinum *Infantem*. Ut oſtendant quòd ſceptra, æquè ac ſcientiæ debarent ſe ſubjicere veritatibus doctrinæ ejus, *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* d.
d Matt. 2. 1. & 2.
Deus recipit gloriam in cœlo, & homines potiuntur pace ſuper terra, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ipſum cœlum texit panegyrim triumphi iſtius, non ſolùm ſuis novis luminibus, harmoniâ Angelorum quæ efficitur ſenſibilis ut audiri poſſit ab hominibus, ſed etiam adimpletione Prophetiarum, *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael* e.
e Matt. 2. 5. & 6. ex Mich. 5. 2.
Angeli verò cœleſtes ſunt præcones qui magnitudinem illius proclamant, & Prophetiæ iſtius complementum paſtoribus annunciant, *Et dixit illis Angelus, Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis ſignum, Invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Quem autem ſtupore non percelleret intuitus tot mirabilium? Ego autem non poſſum quin admiratione percitus exclamem cum Eccleſia f, *Domine, conſideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium innoteſces.*
f Eccleſia in Paraſc. ex Habac. 3. 2.
Heu! *Deus gloriæ* g, *Deus majeſtatis* h, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio* i, redactus eſt in ſtatum ſic miſerandum, ut inter duo animalia collocatus, jacens in præſepi, nullum ſuſcipiat auxilium niſi à Matre ſua, quæ pauper & egena non poteſt ipſi ſubſidium niſi leve ſubminiſtrare.
g Act. 7. 2.
h Pſ. 28. 3.
i Pſ. 23. 8.
Ha! anima mea, veni hodiernâ die oſculatum oſtium hujus glorioſi ſtabuli, quod evaſit palatium Dei gloriæ; deſcende cum paſtoribus è montibus vanitatum tuarum, & accede ad hoc præſepe, quod eſt thronus majeſtatis ejus, *Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis.* Pergamus mente ad hoc uſque ſtabulum, ut ibi reverentias, oblationes, & adorationes noſtras exhibeamus huic Regi recenter nato; eamus, anima mea, & noli immorari in iſtis apparentiis exterioribus, quæ

deci-

decipiunt ſenſus. Infans iſte qui naſcitur hodiernâ die ex utero Matris ſuæ, ab æterno naſcitur *in ſplendoribus Sanctorum ex utero* Patris æterni *ante Luciferum* k. E Matre naſcitur ſine Patre, *Cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Ioſeph, antequàm convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Et non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Ieſum* l. Et è Patre ſine Matre. E Patre ante omnia tempora, & è Matre *ubi venit plenitudo tẽporũ* m. Quanta mirabilia! Deus & præſepe, gloria & abjectio, ille qui *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* n, *parvulus natus* o. Felicitas cum miſeria, cœlum cum terrâ, divinitas cum humanitate, *Verbum caro factum* p. Hic Infans, ut alter *Atlas, Mauritaniæ Rex, qui humeris cœlum ſuſtinuiſſe dicitur* q, ſuis mundum univerſum ſuſtinet humeris, *Portans omnia Verbo virtutis ſuæ* r. *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Fortis* ſ. Ipſe totum gubernat orbem, ſphæras gyrare facit cœleſtes, *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* t, Id eſt, univerſis motum imprimit, ut docent Theologi. Tenet & laxat habenas ventis, *Producit ventos de theſauris ſuis* u. Tandem, *Omnia in menſurâ, & numero, & pondere* x diſponit. Parvus iſte digitus *in principio creavit cœlum & terram* y, &c. Hæc exigua lingua, quæ nondum loqui poteſt, locuta eſt *cunctos ſermones* z Legis, quam dedit populo ſuo. Iſti tenues oculi, qui vix aperiuntur, ipſum intimum jam pervadunt limbum, & intuentur omnia quæ ſub duobus peraguntur polis, *Oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt* a. Quanta mirabilia ſub iſtis latent vilibus apparentiis! quorum contemplatione, in ſtuporem raptus S. Bernardus *b*. Ita Virginem Deiparam alloquitur, *Abſconde, abſconde Maria novi Solis fulgorem, pone in præſepio, involve pannis Infantem. Nam & ipſi panni divitiæ noſtræ ſũt. Pretioſiores ſiquidem ſunt panni Salvatoris omni purpurâ, & glorioſius hoc præſepe auratis Regum ſoliis. Ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſæculi.* In hoc igitur ſtabulo Dei Filius melius manifeſtat potentiam ſuam, & divina ſua attributa; nec iſtam elegit abjectionem niſi ut umbram, quâ meliùs extolleret gloriam ſuam, eamque præ majori ſplendore exhiberet intuẽdam hominibus. Illud eſt primum ipſius motivum. Secundum eſt utilitas noſtra, quam vult eſſe inſeparabilem à gloriâ ſuâ.

k Pſ. 109. 3
l Matth. 1. 18. & 25
m Galat. 4. 4
n Baruch 3. 25
o Iſai. 9. 6
p Joan. 1. 14
q Calepin. in Diction. v. Atlas
r Hebr. 1. 3
ſ Iſai. 9. 6
t Sap. 7. 24
u Pſ. 134. 7
x Sap. 11. 21
y Gen. 1. 1 &c.
z Exod. 20. 1, &c.
a Pſ. 65. 7
b S. Bern. ſerm. 4. in Vigil. Nativ. Dom.

II. Pars

Deus nimis nos diligebat, & miſeriæ noſtræ erant nimiæ, nedum illarum intuitu ab illis nos non ſublevaret; ſic non *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d, niſi ut experimentaliter diſceret *ubi venit plenitudo temporis* e, id quod felicitas ipſius invariabilis, *Ego enim Dominus, & non mutor* f, in æternitate non poterat in ipſum invehere, *Non accedet ad te malum* g. Videns nos igitur laborantes infirmitatibus, quæ remedia ſuſcipere non poterant efficacia ab aliâ manu, quàm à ſuâ, ſtatuit venire, *quærere & ſalvum facere quod perierat* h. Veniens igitur noſtram operatum *ſalutem in medio terræ* i, ingredi debebat neceſſariò in hunc mundum ſub hoc humili apparatu, in quo vidimus eum, & ſub quo fides illum nobis repræſentat; ut homo qui jacturam ſuam incurrerat per ſuperbiam ſuam dum vetito de fructu comedit, volens illum imitari in magnitudine ipſius, *Eritis ſicut dij* k, ſalutem ſuam perageret humilitate ſuâ, adhærendo veſtigiis humilitatis ejus qui *humiliavit ſemetipſum* l. Infirmitas noſtra erat præcipuè ſita in ſuperbiâ mentis, in appetitu immodico divitiarum, honorum, & voluptatum, id eſt, in amore inordinato noſtrî ipſorum, qui inducebat nos ad erigenda nobis altaria, ibique ſicut idola colere commoda noſtra, & illis exhibere ſummas adorationes, quas ſoli Deo tenemur impendere m, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* n. Propterea *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* o, oriens *à Patre, & in mundum* p veniens, illum non ingreditur cum hoc ſplendore exteriori, quo utuntur Principes terreni, ut ſibi concilient authoritatem, & meliùs ſtabiliant dignitatem ſuam, ne inde capeſſerent homines anſam augendæ ſuæ vanitatis, falsâ imitatione, ad quam corrupta ipſorum natura ipſos inducebat. Sed ut iſti malo medeatur contrario ſuo, juxta aphoriſmum Medicorum, *Contraria contrariis curantur*, ut perſuadeat exemplo ſuo contemptum mundi, abnegationem ſuîipſius q, derelictionem divitiarum, & commodorum temporalium, quæ unuſquiſque adorat ut idola (*quod eſt idolorum ſervitus* r) idem Dei Filius unit ſibi naturam humanam, & ſe faciens hominem, venit in mundum ut *parvulus Filius* ſ cum omnibus infirmitatibus infantilis ætatis; & licèt ſit *Dominus omnium* t, non habet tamen pro Matre niſi pauperem Virginem, pro palatio niſi patens ſtabulum, pro cunis niſi præſepe animalium, quæ aulicorum vices obeunt, *Cognovit bos Poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui* u. Et quàmvis ipſe ſit Sol animarum, *Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*; concinit Eccleſia x Deiparæ, *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* y; naſcitur nihilominùs in obſcuritatibus & ſilentio noctis, *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, omnipotens Sermo tuus, Domine, à regalibus ſedibus venit*, cantat eadem Eccleſia z. *Ipſe Liberator atque Salvator* a eſt hominum, & tamen videmus illum hîc ut ſervum, ut *Infantem pannis involutum*, ut à ſe frigidæ tempeſtatis arceat injurias. Heu! quàm ingentia erant hæc mala, cùm tanta exigant remedia. Judicatur de infirmitate ex applicatione remediorum: infirmitas noſtra erat immodica & extrema, cùm ad eam ſanandam neceſſariò fuerint adhibendæ abjectiones & paſſiones Filii Dei facti hominis, nec ab ullâ aliâ manu poſſet curari, quàm ab iſtâ præ apparatu ſplendidiſſimo exquiſitiſſimorum remediorum ab eo ſibi applicatorum.

d Philip. 2. 7
e Galat. 4. 4
f Malach. 3. 6
g Pſ. 90. 10
h Luc. 19. 10
i Pſ. 73. 12
k Gen. 3. 5 &c.
l Phil. 2. 8
m Exod. 20. 3. &c
n 1. Joan. 2. 16
o Joan. 1. 18
p Joan. 16. 28
q Matth. 16. 24
r Epheſ. 5. 5
ſ Iſai. 9. 6
t Eſth. 13. 11
u Iſai. 1. 3
x Ex Malach. 4. 2
y Joan. 1. 9
z Eccleſia ex Sap. 18. 14 & 15
a Dan. 6. 27

Ipſe eſt *Verbum* b Patris, & tamen ipſe eſt mutus, nec nobis loquitur niſi exemplo ſuo, quod pudore nos debet ſuffundere, ſi renuamus ipſum imitari. Ipſe ſciebat apprimè, quòd exempla majorem præ ſe ferant efficaciam, quàm conſilia; & opera, quàm verba, quæ non ſunt ampliùs, ſemel prolata; ideò ipſe, quem Pater æternus dedit *Teſtem populis, Ducem ac Præceptorem Gentibus* c, dicens, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* d, ut cœleſtis *Dominus & Magiſter* e ex ipſo ingreſſu ſuo in mundum incipit docere nos exemplo ſuo id, quod erat nos edocturus toto tempore vitæ ſuæ ad mortem uſque, *Ideò ingrediens mundum, dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata, & pro peccato, non tibi placuerunt, Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me: Vt faciam Deus voluntatem tuam* f, Incipit igitur docere in cathedrâ præſepis, ut lectiones

b Joan. 1. 1
c Iſai. 55. 4
d Matth. 17. 5
e Joan. 13. 14
f Hebr. 10. 5, &c. ex Pſ. 39. 7. &c.

ſuas abſolvat in cathedrâ crucis , ubi doctutus
eſt tot linguis, quot habitutus eſt vulnera in cor-
pore ſuo: *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa mem*
g S. Aug. tract. 119 in Joan. 19. 27. &c. *bra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis*,
ait S Auguſtinus g. Naſcitut in ſtabulo, quod eſt
cathedra ſapientiæ cœleſtis oppoſitæ vanæ Phi-
loſophiæ carnis, quæ verus eſt interitus: *Qui enim*
ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt ; nam
prudentia carnis, mors eſt ; quoniam ſapientia carnis
h Rom. 8. 5. &c. *inimica eſt Deo* h. Ut videntes in ipſo ſic profun
dam humilitatem, inopiâ ſic extraordinariam,
tantam abjectionem . & tot paſſiones, agnoſca-
mus infirmitatem noſtram, & quantùm indigea-
mus hoc ſupremo medico animarum noſtrarum,
qui noſtram hanc infirmitatem in ſe ſuſcipit , ut
ab illâ nos eximat præ exceſſu divinæ dilectio-
nis ſuæ , *Verè languores noſtros ipſe tulit , & dolores*
i Iſai. 53. 4. & 5. *noſtros ipſe portavit; & livore ejus ſanati ſumus* i. Et
cùm contrarium non curetur niſi applicatione
contrarii ſui , quodnam melius remedium ipſe
poterat applicate gravitati malorum noſtrorū,
quàm confectionem virtutis . quæ eſſet iiſdem
malis noſtris contraria? Alioquin enim quomo-
do perſuadere nobis potuiſſet, quòd id, quod ip-
ſe nobis conſulebat , eſſet optimum, ſi ipſe con-
trarium in praxim redegiſſet ? Quâ ratione in
mentes hominum inducere valuiſſet, ut renova-
rentur *ſuæ ſpiritu mentis ; & novum hominem qui ſe-*
cundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ , & ſanctitate ve-
k Epheſ. 4. 23. & 24 *ritatis* k, induerent ; ſi ipſe *veterem hominem cum*
l Coloſſ. 3. 9. *actibus ſuis* l induiſſet? Ipſe talem ſeſe debebat in-
tuendum exhibere, quales nos deſiderabat ; &
vita ejus conformis eſſe debebat doctrinæ ip-
ſius, niſi ſibimetipſi contrarius eſſe vellet. & ſuis
operibus id deſtruete, quod ſuis ædificabat ver-
bis. Proptereà in hunc mundum intrare non de-
bebat præ pompatico apparatu , cùm in eum ve-
niret ad ſanandam ſuperbiam noſtram. Appare-
re non debebat dives & opulentus , cùm ab eo
deberet expellere cupiditatem. Non debebat ſe
delicatum exhibere , cùm veniret damnatum
voluptates.

Salvator adorande, in quemnam ſtatum reda-
ctus es? Gloria cœli in quàm profundam deſcen-
diſti depreſſionem ? Abripit me humillima de-
preſſio tua , & humilitas tua profundiſſima ſtu-
pore me percellit. Ubinam eſt hæc pompa, quæ
tibi debetur tot titulis? Heu! non intueor in hoc
loco refugii, ad quem ſumendum te cogit ino-
pia Parentum tuorum, niſi miſerias & pauperta-
tem. Ubi ſunt parietes palatii tui, qui auro & ſe-
rico tori deberent eſſe ornati? Heu! non aſpicio
niſi telas aranearum. Ubinam ſunt hæ cunæ mag-
nitudinis cum purpurâ ad convenienter exci-
piendam divinam Majeſtatem tuam? Heu! non
deprehendo niſi fœnum & viles pannos. Ubi eſt
ignis, ubi focus hâc frigidâ tempeſtate? Heu! ni-
hil adverto præter glaciem , & frigus quod ſa-
m Pſ. 23. 10. crum tuum corpus affligit. *Rex gloriæ* m, ſiccine
redactus es in talem contemptum? Ipſe *quem* Pa-
ter tuus æternus *conſtituit hæredem univerſorum,*
n Hebr. 1. 2. & 3. *per quem fecit & ſecula, cùm ſplendor gloriæ , & figu-*
ra ſubſtantiæ ejus n ſis; *in quo ſunt omnes theſauri ſa-*
pientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in te inhabitat om-
o Coloſſ. 2. 3. & 9. *nis plenitudo Divinitatis corporaliter* o; ſiccine dili-
gis creaturam , ut propter amorem ejus ſpolia-
veris te omnibus magnitudinibus ? Heu ! quid
non acturus es impoſterùm , cùm tanto ardore
nunc incipias? In nativitate tuâ ſtabulum habes
pro cunis, cùm te intueamur *poſitum in præſepio*,
In vitâ tuâ nullam habes domum , cùm audia-
mus te dicentem, *Vulpes foveas habent , & volucres*
cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput
reclinet p. In morte tuâ non habes niſi patibulum p Matth. 8. 20
ubi crucifixerunt q te milites. Nec ullum ibi au- q Joan. 19. 18
xilium , cùm ita queraris Patri tuo, *Deus meus,*
Deus meus, ut quid dereliquiſti me r? Ut quid veniſti r Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2
mediâ nocte ſ, ipſe qui eras *deſideratus cunctis Gen-* ſ Ex Sap. 18. 14. & 15
tibus t? Quare non veniebas mediâ luce? Heu! t Agg. 2. 8
Auditores, nemo eſt qui Dei Filium venientem u Dion. Carth. art. 6. in Luc. 2. 7
in hunc mundum velit ſuſcipere. *Quia nō erat eis*
locus in diverſorio. Super quod Dionyſius Carthu-
ſianus u ait ad propoſitum noſtrum , interpre-
tans iſtud diverſorium, *Alii dicunt quòd fuit hoſpi-*
talaria , ad quam ab extrà venientes divertebant ad
hoſpitandum, præſertim egeni , unde quia tunc Beth-
leem hominibus plena , & ditiores hoſpitia occupave-
rant meliora, Ioſeph ut verecundus ſimplex & pauper,
cum Virgine divertit ad locum præfatum: quod utique
non caſualiter factum eſt , ſed Deo præordinante ac
moderante, propter multiplicem rationem. Videlicet
ad commendandam paupertatem ac humilitatem,
mundique contemptum edocendum , quia ad hæc in-
ſtruenda verbo ac opere, ipſemet Filius Dei advēnit , I-
tem adimplendam Scripturam , quoniam per Haba-
cuc x *de Chriſto prædictum eſt, ſecundùm translatio-* x Habac. 3. 2
nem LXX. Interpretum , In medio duorum anima-
lium cognoſcēris. Itaque *Dominus virtutum, Rex glo-* y Ex Pſ. 23. 10.
riæ y, *Deus majeſtatis* z *immenſæ* a *aſſumpturus &* z Pſ. 28. 3. a Ex Baruch 3. 25
redempturus naturam humanam in cunctis elegit, quæ
ſecundùm mundum abjectiora ſunt , & corpori gra-
viora. Pauperem etenim elegit Matrem, in alieno, an-
guſto, vilique loco natus, & reclinatus eſt tempore hye-
mali, & mediâ nocte voluit naſci, ut mundi damnaret
ſuperbiam, reprobaret laſcīviam: penuriam verò in ſe
decoraret, & pauperes conſolaretur , quatenus ejus e-
xemplo carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis
crucifigamus b, *aſpera & ardua viriliter aggredia-* b Ex Gal. 5. 24.
mur.

Hinc igitur, Auditores, concludite, quòd ſi
judicatur de violentiâ mali è magnitudine re-
medii ipſius , oportebat ut ſuperbia hominum
magna foret, malitia illorum pertinax, impietas
eorum abominabilis, ambitio ipſorum intole-
rabilis, & deliciæ illorum criminoſæ, ut indige-
rent ſanari humilitate, infirmitatibus , paſſioni-
bus, lacrymis & contemptibus Dei. Alii infan-
tes patiuntur magis, quàm agant ; lacrymas e-
mittunt præ ſenſu infirmitatum ſuarum ; ſed Je-
ſus Chriſtus plorat præ compaſſione , quâ erga
noſtras afficitur infirmitates, & hoc primum of-
fert Patri ſuo ſacrificium in ſatisfactionem va-
norum gaudiorum noſtrorum. Magnus amor i-
ſte, qui deprimit majeſtatem ipſius, quique eri-
pit ipſi notas potentiæ ipſius , debet facere nos
ſperare , quòd ipſe retinebit brachium juſtitiæ
ſuæ, & quòd ſagittæ ipſius non vulnerabunt am-
plius corda , quàm ut ibi perimant id, quod ad-
verſatur voluntati ipſius. Cùm una è lacrymis e-
jus, eò quòd eſſet pretii infiniti , quia ipſe *non ha-*
bet finem c, eſſet pluſquàm ſufficiens ad abſter- c Baruch 3. 25.
gendas omnes iniquitates noſtras, ſufficere po-
terat ad operandam ſalutem noſtram : ſed ipſa
non ſufficit amori ipſius: multum jam ipſe pati-
tur ; & hæc depreſſio, eſt abyſſus humilitatis, ſi
conſideretur magnitudo divinæ eſſentiæ ipſius:
attamen iſtud omne non eſt niſi minima pars eo-
rum quæ ipſe perpeti ſtatuit propter amorem
noſtrum. Invidia perſequetur innocentiam ejus;
favores , quibus ſibi Judæos devincire ſataget ,
non agnoſcentur ab illis niſi ingratitudinibus:
nam cùm mortuos illorum ſuſcitaverit , iſti in-
grati

gratìmachinabuntur ei mortem inferre: quod & accidit: poſtquàm enim *Ieſus voce magnâ clamarit, Lazare veni foras; & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus: collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo* d. Ab uno è diſcipulis ſuis ipſemet *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* e. Ita ut ad hoc *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* f homines, ipſe traditurus ſit *ſemetipſum pro nobis oblationem & Hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* g. Ita tamen ut inter ſuas humiliationes in cruce agnoſcendus ſit ut *Filius Dei* h: Sicut talis agnoſcitur hodiernâ die inter depreſſiones ſuas, quæ gloriam ipſius detegunt, qualemque Angeli annunciant inter nebulas, quæ hujuſmodi gloriam videntur hominibus abſcondere.

d Joan. 11.41.&c.
e Matth. 20.18.& 19
f Joan. 10.10
g Epheſ. 5.2.
h Matth. 27.54

O exceſſus amoris! heu! morior, Salvator adorande, video te pati in ætate ſic tenerâ. Ha! Auditores, quænam ſuperbia curari poterit, ſi hæc humilitas Filii Dei non medeatur illi? Nunquid non incurabilis erit hæc avaritia, quam paupertas ſtabuli & præſepis Salvatoris non ſanabit? Et nonne inſanabilis erit hæc concupiſcentia, ſeu affectio deliciarum, quam non curabit paſſio Jeſu Chriſti frigore algentis in cavernâ Bethleemiticâ? *Væ ergo vaniſſimis ſeculi dilectoribus* (imprecatur Dionyſius Carthuſianus i) *qui de ſuâ nobilitate & opulentiâ ſtultiſſimè gloriantur & jactant ſe, qui tandem ſerò & infructuoſè dicturi ſunt illud Sapientiæ* k. *Quid profuit nobis ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra. Ubi jam qui lectorum gaudent mollitie, qui ibi ſatisfaciunt deſideriis carnis? quibus dicitur per Amos Prophetam* l, *Væ qui dormitis in lectis veſtris eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris. Ecce qui ſedet ſuper Cherubim* m, *& in cœleſtibus Thronis* n *quieſcit, duri præſepis propter nos continetur anguſtiâ.* Fierine poterit ut Deus, qui *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* o, humilietur & deprimatur; & intumeſcere velit homo, qui nihil eſt? Ut fatetur David p, *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen univerſa vanitas, omnis homo vivens. Omnis ergo homo vanitas eſt, id eſt, hic vanitate vivens,* concludit Incognitus q quaſi præ admiratione. Si Filius Dei de ſe dicit præ humilitate, *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis* r: *Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis* ſ præ veritate, debet ſe talem agnoſcere, atque profiteri? Deus eſt in abjectione & in paſſione; Heu! indulgebimusne ſemper voluptatibus? Deus vult nos ſanare; torpebimuſne ſemper in infirmitatibus noſtris? nunquid non exempla ejus inducent nos ad imitationem ipſius? renuemusne ſequi ſanctas praxes ejus, quæ ſunt regulæ & maximæ infallibiles noſtræ ſalutis operandæ? Ha! liceat mihi hâc in occaſione adhibere vocem barbarorum ad obſecrandos fideles, & ad inducendas eorum voluntates ad imitationem Filii Dei. Audite quomodo loquantur infideles apud Salvianum t. *Quomodo bonus Magiſter eſt, cujus tam malos videmus eſſe diſcipulos?* Nonne videtur quòd ipſe nihil docuerit niſi ſequendas voluptates, accumulandas divitias, & aucupandas dignitates? Tantùm abeſt, quin è contra omnium iſtarum perſecutionem damnavit exemplo ſuo, quod eſt lex animata, æquè ac verbo u. Heu! annon dicere poſſum, ſed præ lacrymis, quòd non videatur Dei Filius meliora docuiſſe, quàm ſuos docuerit diſcipulos Epicurus, qui felicitatem in voluptatibus proſequendis conſtituebat? Nunquid credere non poteſt infidelis, videns vitam noſtram, & mores noſtros, quòd Magiſter noſter non faceret ipſemet id, quod docet nos in Scripturis ſuis, & hanc vomere blaſphemiam? Nos autem authores ſumus iſtius blaſphemiæ, *Nomen Dei per vos blaſphematur inter Gentes* x. Depravatæ vitæ noſtræ hanc collocant blaſphemiam in ore illorum qui eam pronunciant. Ha, Auditores, hìc agitur de honore Dei, nos cauſa ſumus improperiorum iſtorum; vivamus impoſterùm ſecundùm exempla ejus, diligamus id quod ipſe diligit, & odio proſequamur illud omne quod ipſe odit; ne inhonoremus puritatem vitæ ejus, infamiâ actionum noſtrarum; contemptum quem ipſe facit divitiarum, magnitudinum, & vanitatum, adoratione quam illarum facimus; derelictionem voluptatum, ardentibus proſecutionibus noſtris: incipiamus per pœnitentiam & ſanctitatem vitæ noſtræ, famæ ejus reparandæ ſtudere: adhæreamus veſtigiis ejus, ut conſulit nobis S. Petrus y: *Hæc eſt gratia apud Deum, In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Certos nos reddit, æquè ac Paſtores Angelus, *Invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.* Deus ſemper nobis dat plus quàm promiſerit nobis. Virgo Deipara ponitur prima ante Puerum, quod non vacat à myſterio, ut innuatur quòd ipſa, eſt via ad inveniendum Filium ipſius: per illam *adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* z, imitando Filium ipſius, ut tandem conſequamur gloriam.

i Dion. Carthuſ. 6. in Luc. 2.7
k Sap. 5.8. & 9.
l Amos 6. 1 & 4
m Ex Pſ. 98.1.
n Ex Pſ. 9.5.
o Baruch 3.25
p Pſ. 38.6
q Incognit. in Pſ. 38.6.
r Pſ. 21.7.
ſ Job. 25.6
t Salvian. lib. 4. de Provident.
u 1. Joan. 2.15. &c.
x Rom. 2. 24.
y 1. Petr. 2. 20. & 21.
z Hebr. 4.16

IN

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Stephanus plenus gratiâ & fortitudine faciebat ſigna & prodigia magna in populo. Act.6.8 &c.

SI ſubditi Principis alicujus conſueti ſunt aliqua offerre munera ſupremo Domino ſuo in ſignum reverentiæ, quâ erga illum afficiuntur, cùm in aliquam ſuæ ditionis ingreditur civitatem; quantò potiori ratione ſancta Mater Eccleſia debet offerre *Ieſu Chriſto, qui eſt Princeps regum terræ* a, *Rex regum, & Dominus dominantium* b, *per quem reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; per quem principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* c, qui *ingrediens mundum* d, *in præſepio* e reclinatur, in teſtimonium obſequii ſui, & dependentiæ ſuæ, vitam glorioſi Protomartyris S. Stephani, quæ eſt gratiſſimum, æquè ac pretioſiſſimum munerum omnium, quæ ei poſſunt offerri, cùm dicat Spiritus ſanctus, *Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus* f. Præterquam quòd munus iſtud debebatur illi non ſolùm ut Domino noſtro, ſed etiam ut Deo, *Quoniam Dominus ipſe eſt Deus* g. Qui in Lege *h* antiquâ præcipiebat ſibi offerri omnia primogenita, quippe quæ ad ipſum pertinerent, *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quàm de jumentis: mea ſunt enim omnia.* Et ut Salvatori mundi, *Qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium* i. Id eſt, qui venit ſalvatum *Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo* k. Juſtum autem erat ut ipſe frueretur primis fructibus quos hæc Eccleſia produceret: atqui primus fructus, quem arbor martyrii plantata in ſolo Eccleſiæ produxit, eſt S. *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine.* Quam hauſit ex meritis incarnationis ejuſdem Dei Filii, cujus incarnationis maximum ſecretum fuit ut humiliaret *ſemetipſum* l, ad hoc ut nos exaltaret; ut fieret *egenus, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ divites* m eſſemus. *Nam Chriſti incarnatio, noſtra deificatio eſt: Chriſti converſatio, noſtra eſt perfectio: Chriſti penuria, noſtra eſt opulentia* n. Ut deſcenderet, ad hoc ut nos faceret aſcendere; ut eligeret vilitatem ſtabuli, ad hoc ut gloriam noſtram meliùs ſtabiliret, ideò vocatur ab Iſaia o *nomen ejus, Admirabilis, Deus, Fortis.* Locus nativitatis multùm influit in magnanimitatem: S. Stephanus ſuam eruit nativitatem è latere Chriſti aperto, quando *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua* p. *Et facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* q. In hâc ipſe eſt *renatus ex aquâ & Spiritu ſancto* r. Et in eâdem hodiernâ die renaſcitur effuſione ſui ſanguinis *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine.* Quam haurit è Filio Dei, qui ſuam præbens ipſi fortitudinem, infirmus factus eſt in ſinu B. Virginis Matris ſuæ, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave Maria.* ſ.

a Apoc. 1.5
b 1.Tim. 6.15. & Apoc. 19.16
c Prov 8.15, & 16
d Hebr. 10.5
e Luc. 2.7
f Pſ. 115.6
g Pſ. 99.3
h Exod. 13.2
i 1.Tim. 4.10
k Act. 20.28
l Philip. 2.7 & 8
m 2.Cor. 8.9
n Dion. Carthuſ. 8 in 2. Cor. 8.9
o Iſai. 9.6
p Joan. 19.34
q S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103
r Joan. 3.5
ſ Luc 1. 28, & 38

Effectus vinculo admirabili ſuam inveniunt quietem in cauſâ ſuâ, & felici neceſſitate fovent commercium, quod eſt totius naturæ ſuſtentaculum: effectus revertuntur ad cauſam ſuam, ut ibi reperiant id quod ipſis deeſt; ſuam reperiunt conſervationem in principio quod ipſos produxit, & ipſis præbuit eſſe. Radius qui procedit à Sole, ab illâ naturâ luminoſâ, ibi ſe conſervat; propter eamdem rationem infans currit ad ſinum, è quo egreſſus eſt; & agnus audiens balatum matris ſuæ, ad illam properat, ut apud illam inveniat conſervationem ſuam, æquè ac infans in ſinu genitricis ſuæ: oportet igitur ad fovendum iſtud felix commercium, aut ut homo elevetur ad Deum, qui eſt Author ipſius, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* t. Aut ut Creator deſcendat ad creaturam ſuam. Conatus hominis non ſunt ſatis generoſi ad hoc ut aſcendat in cœlum, ibique uniat ſe Deo, qui eſt *Principium & Finis* u. Ideò Deus deſcendit, & unit ſe creaturæ, ſicut illi concinit Eccleſia x, *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, omnipotens Sermo tuus Domine à Regalibus ſedibus venit.* Ut provideat ei neceſſaria, cùm ſeſe obtulerit occaſio: videmus autem quòd aliis inſpiret fortitudinem, aliis prudentiam ad ipſorum directionem, aliis eloquentiam, unde fit ut alii vocentur ab Ethnicis Martes, alii Mercurii, videndo diverſos effectus: ſic cùm tranſirent S. Barnabas, & S. Paulus *Lyſtris, turbæ vocabant Barnabam Iovem, Paulum verò, Mercurium, quoniam ipſe erat Dux verbi* y. *Id eſt, in loquendo, & proponendo verbum Dei, habens primatum: & quia Mercurius ſecundùm eorum perfidiam, eruditus & eloquens fuit in tantùm ut Deus eloquentiæ diceretur; Paulum ejus nomine exprimebant*, ait Dionyſius Carthuſianus z. Sed præcipuè Deus communicavit dona ſua in ſtatu gratiæ Apoſtolis ſuis, S. Petrus habuit ab eo ſapientiam ad ritè dirigendam Eccleſiam, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* a. S. Andreas ſuſcepit ab illo fortitudinem ad ſuſtinendum ſupplicium crucis, ſicut de illo canit Eccleſia, *Cùm perveniſſet beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit, & dixit: O bona Crux diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata: ſecurus, & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus qui pependit in te.* Sed fortitudinem iſtam accepit à Deo præcipuè *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine. Quaſi diceret* S. Lucas, ait Cornelius b, *Plenus erat omni gratiâ, ſed maximè fortitudine, tum ad agendum, præſertim ad intrepidè prædicandum, diſputandum, & convincendum Iudæos: tum ad offerendum ſe minis, periculis, tormentis, lapidationi & martyrio: tum ad patrandum ſigna & prodigia, quibus ſuam fidem & doctrinam de Chriſto confirmabat.* Cui concordat Dionyſius Carthuſianus c, inquiens de eodem S Luca, *Paulò antè dixit eum plenum fide & Spiritu ſancto, nunc gratiâ & fortitudine, ut monſtretur S. Stephanus fuiſſe vir Apoſtolicæ perfectionis: & quia jam ejus martyrium deſcripturus eſt, aptè præmittit, quòd fortitudine plenus fuit, tam illâ quæ eſt virtus moralis & cardinalis, cujus eſt in periculis mortis eſſe conſtantem, quàm illâ quæ eſt donum, cujus eſt operibus perfectionis conſtanter inſiſtere.* Videamus igitur quomodo hæc fortitudo ſpecialiter data fuerit S. Stephano.

t Gen. 2.7
u Apoc. 1.8
x Eccleſia ex Sap. 18, 14. & 15
y Act. 14.7 &c.
z Dion. Carthuſ. art. 14. in Act. 14.11
a Matth. 16, 18, & 19
b Cornel. in Act. 6.8
c Dion. Carthuſ. 6. in Act. 6,8
Propoſitio

In-

Digitized by Google

Infideles, ut Religionem noſtram exhibeant ridiculam, dicunt, eam nos omni deſtituere fortitudine, & ad hoc ut ipſa nos faciat Chriſtianos, eandē nos efficere puſillanimos, quaſi verò Chriſtianiſmus nihil haberet niſi puſillanimum, effœminatum, & infirmum ſuis ſectatoribus communicandum. Rationes illorum ſunt impertinētes, æquè ac ipſi qui eas in medium adducūt: & ideò illas volo inſimulare & convincere falſi. Tria afferunt argumenta, quorum deprehendemus infirmitatem. Primò enim dicūt quòd Chriſtianiſmus aufert & reſecat ſacrificia, abolet uſum victimarū, quæ homines reddebat magnanimos & martiales, ita ut non pallerent inter occaſiones periculoſas, cū quotidie vacarēt exercitio quod ipſos ſolicitaret ad ſanguinē, videntes illū fluere inſtar fluminū è venis animaliū, & ideò quòd cùm aggrederentur hoſtes, intrepidâ fronte in eos irruerēt, pedes collocarēt inter medios ſanguinis rivos, nedum intuitu rubedinis illius terrerentur: Religio igitur Chriſtiana, inquiunt illi, reſecans uſum ſacrificiorum, reddit nos puſillanimos, cùm eripiat nobis omnes occaſiones, quę faciunt homines magnanimos & martiales. Videtis, Auditores, impertinentiam rationis hujus, & ejus injuſtitiam: illam convinco falſitatis, cùm non ſit aliquid quod nos magis inducat ad commiſerationem, quàm ſanguis effuſus, cùm enim ſimus homines, bonis ducimur affectib⁹ erga humanitatem noſtram; & ideò intuitus ſanguinis inducit nos ad cōmiſeratione, & potiùs inſervit ad reddendos nos puſillanimos. Aliàs ſimplex aſpectus ſanguinis ad emendatæ vitæ bonā frugem reduxit parricidas, invitando illos ad pœnitudinem: ſubucula Cæſaris adhuc ſanguine Imperatoris iſtius occiſi madens aſpecta ad commiſerationem cōmovit illos ipſos, qui ruinā illius proditoriè machinati fuerant: nō igitur uſus ſanguinis ad res bellicas nos exercet, nec ad eas nos format, ſed potiùs reddit nos puſillanimos, cùm illius aſpectus affectu compaſſionis nos percellat. Chriſtianiſmus ipſe, ut eis aliquid concedamus, non prohibet nobis ſanguinem, cùm cauſa Dei amplectenda, aut nomen illius defendēdum nos inducit ad illum effundendum. Videte S. Stephanum lapidum grandine impetitum, & obrutum, *Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant* d. Sanguis ejus undequaque diſſilit: Religio Chriſtiana igitur non vetat ſanguinem, ſed reſervat illum effuodere in aliquâ ſanctâ occaſione; non ſanè eo modo quo agunt iracundi, qui abſque ullâ cauſâ rationabili propter falſum honoris imaginarii apicem, deſcendunt in arenam, & certamen ineunt ſingulare cum illis, à quibus illatas ſibi imaginantur injurias, ut illas de iis ulciſcantur. Iſti ſanè non ſunt magnanimi, ſed puſillanimi, crudeles ſunt, immites & inhumani; tigrides ſunt, pardi, & pantheræ, non autem homines: quis unquam vidit, quòd animalia ejuſdem ſpeciei ſemetipſa occidant ad invicem? Hoc eſt quod peragunt homines: ergo ſunt beſtiis ſæviores.

d Act. 7. 54.

Secunda ratio non eſt minus impertinens, quàm ſit prima. Ait autem, quòd Religio Chriſtiana eripit nobis omnem animum, cùm prohibeat nos ultionem capeſſere, & dicat Deus, *Mihi vindictam* e. Si percutiamur in unâ genâ, inducat nos ad porrigēdam alteram colaphizandam; & ſi tollatur à nobis tunica noſtra, invitet ipſa nos ad dimittendum invaſori etiam pallium, *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium* f. Cùm requirat à nobis ut nulla pro nobis feramus verba ad nos juſtificandos, nullas manus ad nos defendendos, ita ut exhibeamus nos *ſicut agnos inter lupos* g. Qualis autem eſt hic animus? nunquid non iſte procedendi modus eſt ſtupiditas, ajunt illi? Hæc ratio eſt impertinēs; ipſa praxis cōvincit eam contrarii, cùm videamus exercitus ordinatos in extremis Provinciarum & Regnorum finibus; &, ſi Princeps aliquis vicinus uſurpare præſumat id quod ipſi non debetur juſtè, cogantur milites, qui ſanguinem ſanâ conſcientiâ fundant in bello juſto: S. Joannes Baptiſta non condemnat milites ipſum conſulentes circa id quod eſſent acturi, ſed tantùm præſcribit eis modum, quo ſe gerere deberent; *Interrogabant eum & milites, dicentes, Quid faciemus & nos? Et ait illis, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris* h. Imò verò Jeſus Chriſtus alapâ percuſſus à miniſtro Pontificis, juſtificat ſe coram Anna, ſe non fuiſſe malè locutum; nam ubi *Pontifex interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus; reſpondit ei Ieſus, Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagogâ, quò omnes Iudæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis, ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis* i? Signum igitur eſt hoc, quòd Chriſtianiſmus non eripit nobis omnem ſenſum, & affectum, non aufert à nobis omne genus ultionis, ſed ſolam vindictam injuſtā; tribunalia autem ſunt inſtituta ad reddēdum unicuique id, quod ſuum eſt: Falſum eſt ergo dicere, quòd Religio Chriſtiana omnino nos ſtupidos efficiat, omni ſenſu, æquè ac affectu deſtituat nos, quaſi quæ ſtipitibus ſimiles nos reddat, ut nos Chriſtianos conſtituat. Si autem quæratis à me in quo ſita ſit hæc fortitudo, Reſpondebo vobis æquè conſtanter ac verè, eam conſiſtere potiùs in ſuſtinendo, quàm in aggrediendo cum S. Thoma k dicente, *Quòd ſuſtinere eſt difficilius, quàm aggredi, triplici ratione. Primò quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente. Qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris. Difficilius autem eſt pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. Secundò, quia ille, qui ſuſtinet, jam ſentit pericula imminentia. Ille autem, qui aggreditur, habet ea ut futura. Difficilius autem eſt non moveri à præſentibus, quàm à futuris. Tertiò, quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis, ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu. Difficilius autem eſt diu manere immobilem, quàm ſubito motu moveri ad aliquod arduum, unde Philoſophus dicit, quòd quidam ſunt prævolantes ante pericula, in ipſis autem diſcedunt. Fortes autem è contrario ſe habent.* Conſiſtit igitur fortitudo potiùs in ſuſtinendo, quàm in aggrediendo, nec illam meliùs unquam manifeſtavit Dei Filius quàm in paſſione ſuâ in monte Calvariâ.

e Rom. 12. 19. & Hebr. 10. 30. Deut. 32. 35.

f Matth. 5. 39. & 40.

g Luc. 10. 3.

h Luc. 3. 14.

i Joan. 18. 19. &c.

k S. Thomas 2. 2. q. 123. a. 6. ad 1. citans Ariſtot. lib. 3. Ethic. c. 8.

Duo ſunt mōtes celebres in Scripturâ, Horeb, & Calvaria. In mōte Horeb, De⁹ edit multū ſtrepitûs & parū fructûs; multū ſplendoris, & parum effectus, *Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominū: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis: nō in igne Dominus, & poſt ignē ſibilus auræ tenuis* l.

l 3. Reg. 19. 11. &c.

Sed in monte Calvariâ parum agit ſtrepitûs, & multum effectûs, parum ſplendoris, & multum fructûs: agnoſcitur enim ut Deus in ſtatu paſſionum ſuarum, *Videns autem Centurio quod factum*
m Luc. 23. 47.
fuerat glorificavit Deum, dicens, Vere hic homo juſtus erat m. Et meliùs, *Verè Filius Dei erat iſte* n. In cruce latebat illius fortitudo, ut ait Habacuc o *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Sicut gloria latebat in corpore ipſius, quod debebat eſſe glorioſum ab inſtanti conceptionis ipſius, *Idcircò niſi ex divina diſpenſationis moderamine retracta atque dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ ejus in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti, ſed fuit diſpenſativè dilata, aliquando tamen permiſſa, ut in transfiguratione* p.
n Matth. 27. 54.
o Habac. 3. 4. & 5.
p Dion. Carthus. art. 30. in Matth. 17. 2.

Ad cognoſcendam fortitudinem Dei, duobus modis utor, quos adhibet S. Dionyſius q ad cognoſcendam naturam divinam, dicens, *Si negationes in divinis rebus vera ſunt, affirmationes verò non conveniunt, nec digna ſunt majeſtate Dei omnium occultiſſimi r certè accommodatior aptiorque eſt in rebus quæ ſub aſpectum non cadunt, ex diſſimilibus imaginibus ducta expreſſio.* Primum modum vocare poſſum viâ applicationis, nimirū congregando in unō omnes ſuavitates, ſatisfactiones, pulchritudines, glorias & magnitudines quæ sūt in creaturis, in naturâ, in gratiâ, & in gloriâ, & dicendo, Totū hoc Deus eſt. Secundum modum appellare poſſum viâ refectionis, removendo quidquid eſt infirmitatis, tolerantiæ, & miſeriæ, & omne mali genus, & dicendo, Deus eſt, cùm nihil horum inveniatur in
q S. Dion. lib. de cæleſt. Hier. c. 2.
r Ex Iſai. 45. 15.
ſ Pſ. 90. 10
Deo, *Non accedet ad te malum* ſ. Idem dico ad cognoſcendā fortitudinē Ieſu Chriſti in cruce. Per viam applicationis, coacervādo in unum omnes pœnas, ōnia tormēta & ſupplicia in Jeſum Chriſtum crucifixum, & poſteà videndo talem patiētiam in ſuſtinendo, dicendo quòd ibi ſita ſit illius fortitudo. Per viā refectionis, removendo ab eo omnes ſuavitates & commoditates, & videndo eum ſic contentū, dicendo quòd hoc ſit verè eſſe generoſum ac magnanimum. Idē dico proportionabiliter de S. Stephano. Per viā refectionis, removendo ab eo omnes propinquos, amicos, & conſolationes exteriores, & videndo eū contentum ſicut Angelum, *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciē*
t Act. 6. 15
Angeli t. In quo oſtendit firmitatem ſuam, Per viā applicationis, cōgerendo in eum inſultationes, criminū impoſitiones, & ictus lapidū, *Surrexerūt autem quidam de Synagogâ, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Ciliciâ, & Aſiâ, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapiētiæ & Spiritui qui loquebatur. Tunc ſummiſerunt viros, qui dicerēt ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & Deum. Commoverunt etiā plebem, & Seniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes qui dicerent; Homo iſte non ceſſat loqui adversùs locum ſanctum, & legem: audivimus enim eum dicentē, Quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes. Et intuētes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem*
u Act. 6. 9. &c.
Angeli u. *Et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* x Generoſus iſte bellator verè fuit fortis in ſtatu qui præ ſe non ferebat niſi infirmitates: in hoc ſtatu triūphat, & plus locratur, quàm ſi fuiſſet uſus gladio, ita verum eſt id, quod ait Salomon y, *Melior eſt patiens viro forti.* Triumphat de Saulo, qui prælibatur manibus omnium, cuſtodiens veſtes illorum, *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus, Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci ejus* z. Stephanus
x Act. 7. 57. & 58.
y Prov. 16, 32.
cadit, & Saulus reſurgit; lapſus illius, eſt ſuſcitatio iſtius, *Domine, quid me vis facere* a. Saulus precibus S. Stephani convertitur ad Deum, ideò S. Auguſtinus b ait, *Si S. Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Si hæc non haberet S. Paulum, non habuiſſet ipſa Gentilitatem, quam S. Paulus convertit, ut ipſemet confitetur, *Vobis enim dico Gentibus, quandiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis* c. Videte triumphum S. Stephani de Saulo, prælibatur, & poterat dicere, ſicut dicebat qoidam, *Vt ſicut tu mecum pugnas, ſic & ego tecum.* Id eſt, tu mihi malefaciendo, ego verò tibi bonum procurando; tu mihi mortem machinando, ego autem tibi vitam deſiderando. Judæi interitum volunt inferre S. Stephano, & hic orat ut illos vivere faciat: mortem re verâ illi ei conſciſcunt, & hic veniam deprecatur eis impertiendam. Quare hoc? Hal S Stephanus exiverat è viſceribus Jeſu Chriſti, & oportebat ut imitaretur magnanimitatem illius, qui genuerat ipſum in Sanguine ſuo adhuc ebulliente, & ut benefaceret illis qui ipſi malefaciebant: orat pro illis, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Sicut Dominus ipſius antequàm *in manus* Patris ſui commendaret *Spiritum* d ſuom, eumdem Patrem ſuum deprecatus eſt, ut veniam ſuis carnificibus & perſecutoribus indolgeret, *Ieſus autem dicebat, Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* e. Ipſe eſt veluti Cygnus, qui ſub finem vitæ ſuæ ſuaviſſimè canit, aut tanquam Philomela ſeu Luſcinia quæ concentum edit jucundiſſimum; & ſi obſervetur otriusque concentus, videntur ambo eamdem prorſus canere cantilenam, & S. Stephanus eſſe Echo Jeſu Chriſti, *Ieſus autem dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* S. Stephanus *poſitis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quando cadit fulmen ſuper faſtigium alicujus montis, ictus fulminis reſonare facit omnes cavernas, & ſi illæ ſunt proximæ, earum ſonus auditur: ictus lapidom magno impetu cadentium ſuper caput S. Stephani, hanc admirabilem reſonare faciunt Echum, *Dimitte.* Quænam major fortitudo? Non blaſphemat ſanctus Stephanus, ſed conſtans eſt, & circumſtantes in admirationem patientiæ ſuæ trahit, *Melior eſt patiens viro forti* f. Videte igitur fortitudinem S. Stephani, qui perſeverat firmus inter tormenta, qui confringit fluctus in ſe irruentes, qui ſemper idem eſt in effuſione ſanguinis ſui. In hoc eſt ſita vera fortitudo Religionis Chriſtianæ, quæ inſpiratur nobis iſtis verbis, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* g. Generoſus Athleta! In illud vult ingredi ſanctus Stephanus mediis lapidibus, qui ſunt veluti gradus, per quos aſcendit ad cœlum; & in hoc ſuam intuendam exhibet fortitudinem.
z Act. 7. 58. &c.
a Act. 9. 8.
b S. Aug. ſerm. 1. de S. Steph. c. 4.
c Rom. 11. 13. & 14.
d Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6.
e Luc. 23. 34.
f Prov. 16. 32.
g Matth. 11. 12.

Tertium argumentum æquè temerarium ac duo prædicta, ait, quòd Chriſtianiſmus nullam

pol-

polliceatur mercedem ſenſibilem & temporalē. Gloria ſic aliàs animavit antiquos, ut nihil agerent niſi intuitu gloriæ, non ſolùm præſentis, ſed etiam futuræ temporaneæ, ut memoriam ſuam commendabilem exhiberent ac æternam inter poſteros: recenſetur enim Sacerdos quidam templi Deæ Veſtæ, oculis orbatus, quippe quorum uſum amiſerat, perrexiſſe ad illius altare, ut ibi peragerer ſacrificium, quò ſibi gloriam compararet in officio ſuo conſueto: ſi ergo Religio Chriſtiana nullam impertitur mercedem præſentem, & ſenſibilem, ajunt infideles, quemnam largietur hominibus animū ut eos ad aggrediēdas actiones generoſas inducat? Plena falſitatis & impudentiæ eſt iſta ratio. Religio Chriſtiana promittit veras, ſolidas, & permanentes divitias & mercedes, paradiſum, æternitatē felicitatis, quæ tandiu durabit quandiu Deus erit Deus, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis; & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* h. Et, *Gloria & divitiæ in domo ejus* i. Et, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumē* k. Et, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* l: Et, *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis* m. Quandiu infideles non promittunt niſi coronas & glorias caducas & temporaneas quæ non ſubſiſtunt niſi in imaginatione hominum, quæque pereunt cum ſubjectis ſuis; Chriſtiani coronas ſibi comparant ſempiternas, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam* n.

h Iſa. 32. 18. i Pſ. 111. 3. k Pſ. 35. 9. & 10. l Joan. 14. 2. m 2. Cor. 5. 1. n 1. Cor. 9. 25.

Mundani dicunt in libro Sap. o, *Coronemus nos roſis.* S. Stephanus autem hodiernâ die ſibi videt à Deo poni *ſuper caput coronam de lapide pretioſo* p. In hoc eſt ſita differentia, quòd roſæ marceſcunt, ut illi confitentur, addentes, *Antequàm marceſcant*, & eodem die pereunt: lapides verò ſemper ſubſiſtunt: ſic dicendum eſt de gloriâ infidelium, & de gloriâ Chriſtianorum, *Tranſierunt illa omnia tanquam umbra*, proſequuntur impii. Sed merces Chriſtianorum apparet, cœlum eſt illorum merces, *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* q, ait S. Stephanus, qui in hoc occurſu ſpecialiter evadit filius Dei per gratiam & adoptionem. *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine.* Cùm perfectè adimpleverit hoc mandatum Domini ſui. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt* r. *Poſitis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* ſ. Fortitudo ipſius ſingularis, hanc glorioſam cōciliat ipſi prærogativam. Sed ut ritè concipiatur hæc veritas graviſſima,

o Sap. 2. 8. & 9. p Pſ. 20. 4. q Act. 7. 56. r Matth. 5. 44. & 45. ſ Act. 7. 60.

Obſervandum eſt, quòd pater in generatione temporali tria præbet filio ſuo. Primò, Tribuit illi participationem ſui eſſe. Secundò, Eſt principium omnium operationum vitæ ejus. Tertiò, Facit illum omnium bonorum ſuorum hæredem. Sic in generatione ſpirituali, hæc tria largitur Deus S. Stephano. Primò, Dat ei communicationem gratiæ ſuæ. *Stephanus plenus gratiâ.* Secundò, Eſt principium omnium operationum gratiæ, virtute cujus S. Stephanus ſuis parcit inimicis, ut ſuam commendet fortitudinem. *Et fortitudine.* Tertiò, Impertitur illi hæreditatem ſui Regni cœleſtis, *Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domine* t. Unde infero, quòd ſicut in generatione temporali pater dat participationem ſui eſſe filio ſuo, eſt principium omnium operationum vitæ illius, & tribuit illi omnia jura hæreditatis ſuæ; ſicut, inquam, filius recipit à parte ſuo participationem eſſe ipſius; ita etiam oportet ut filius habeat conformitatem & ſimilitudinem cum eſſe patris ſui: gratia autem eſt, quæ iſtam præbet S. Stephano conformitatem, quæ illum exhibet intuendum inter perſecutores ipſius non ſecus ac Angelum, qui proximè accedit ad Deum, *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli* u. Deinde, Sicut pater eſt principium omnium operationum filii; ita actiones filii debent eſſe conformes actionibus patris per integram obedientiam, & hoc eſt quod agit S. Stephanus perfectiſſimè: imitatur enim Jeſum Chriſtum, qui, ut ſupra dixi, genuit ipſum ſpiritualiter; & ſicut *Ieſus dicebat, Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* x, de ſuis loquens inimicis; ita & ſanctus Stephanus de ſuis ſermonem habens perſecutoribus, *Poſitis genibus, clamavit voce magnâ, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* y. Tandem, Pater filium ſuum omnium bonorum ſuorum facit hæredem; & in hac qualitate filius reciprocam patri debet inpendere gratitudinem: & ecce id, quod adimpletur in ſancto Stephano, qui *intendens in cœlum vidit gloriam Dei* z, per anticipationem factus hæres illius, ut docet Cornelius a ſuper hæc verba ſancti Lucæ, dicens, *Aliqui cenſent Stephanum vidiſſe Dei eſſentiam.* Et hoc aſſerit ſanctus Auguſtinus b, *Quanta fuerat ſancto Stephano gratia condonata? Videbat exercitum cœleſtis militiæ ſtantem, videbat hominis Filium ad dexteram Patris ſedentem. Ecce videt Deum, qui jam migrabat ad Deum, confeſſionumque merito aſpicit congregationem cœleſtium Poteſtatum, qui jam migraturus erat ad Provinciam mortuorum.* Et ut agnoſcat hunc favorem ſingularem, ſanguinem ſuum effundit, vitamque ſuam prodigit fortitudine incomparabili, quæ aperuit ipſi viam ad poſſidendam eandem gloriam, quam jam videbat, *Videte quid meruit beatiſſimus Stephanus poſt exitum corporalem, qui hic adhuc corpore poſitus, Trinitatem meruit ipſam videre*, ait idem ſanctus Auguſtinus c.

t Ibid. u Act. 6. 15. x Luc. 23. 34. y Act. 7. 60. z Act. 7. 55. a Cornel. in Act. 7. 55. citant S. Greg. Nic. orat. de S. Stephano & S. Hilar. Arelat. hom. de S. Steph. b S. Aug. ſerm. 99. de Diverſ. c. 3. ex Act. 7. 56. c S. Aug. ſerm. 96. de Diverſis.

Illud edocet nos, quòd ſi velimus iiſdem frui prærogativis, & filii *Dei fieri* d per gratiam & adoptionem, ſicut ſanctus Stephanus; oportet ut induamus nos eâdem fortitudine; id eſt, ut homo in regeneratione ſpirituali gratiæ ſit conformis & ſimilis ei, qui ipſi tribuit hoc eſſe ſupernaturale & divinum, ſicut illi conformis fuit ſanctus Stephanus. Secundò Ut illi ſuas exhibeat obedientias. Tertiò, Ut ipſi gratum ſe demonſtret. Cum nemo verè dicere poſſit, Filius Dei ſum, niſi ſit conformis Deo, niſi obediat Deo, & niſi ſe memorem exhibeat gratiarum, quibus à Deo donatus eſt, ſicut hæc tria perfectiſſimè executus eſt ſanctus Stephanus. Conformes poſſumus eſſe Deo, quatenus communicare valemus tribus ex illius attributis, nimirum potentiæ, ſapientiæ, & bonitati ejus. Reges & Principes aliquo modo communicant potentiæ illius, *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* e. Illi qui ſunt illuminati veritatibus ejus, communionem ineunt ſapientiæ ejus, *Si enim Dominus magnus voluerit ſpiritu intelligentiæ replebit*

d Joan. 1. 12. e Prov. 8. 15. & 16.

illum: *& ipſi tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ*, ait Eccleſiaſticus f, loquens de ſapiente. Et illi qui habent cor ſuave & mite, ſocietatē paugunt cum bonitate illius, ſicut Scriptura g aſſerit, quòd *erat Saul bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo*; antequam in Regem Iſraël ungeretur. Potentia attribuitur Patri, ſapientia Filio, & bonitas Spiritui ſancto: atqui ſicut Spiritus ſanctus, qui eſt tertia perſona SS. Trinitatis, procedens a Patre & Filio, *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* h, communicat ſe eis ad intrà neceſſario, & ad extrà voluntariè omni generi hominum, *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Iuſtos & injuſtos* i; ita ſi communicare velimus bonitati Spiritus ſancti, oportet ut benefaciamus *his qui oderunt nos; & pro perſequentibus & calumniantibus* nos, oremus; *ut filii Patris qui in cœlis eſt* k, eſſe poſſimus. Et ſicut Spiritus ſanctus eſt hæc perſona, quæ eſt inter Patrem & Filium, id eſt, quæ ſic ſtrictè unit duas iſtas perſonas, è quibus procedit, ut nodus iſte ſit indiſſolubilis, & ideò vocetur *Vinculum Trinitatis*; ita ſi velimus cōformari & aſſimilari huic divinæ perſonæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, oportet ut ſpiritus noſter ſit unitus cū ſpiritu proximi noſtri. Sed dicetis mihi, Diligo amicos meos, non autem illos qui injurias mihi intulerunt. Immodicam hominum ſtupiditatem! Nonne videtis, quod illi, quos veſtros imaginamini amicos, ſunt inimici veſtri? Quoſnam autem diligitis? Magnates? *Nolite credere amico. Et nolite confidere in Duce* l. Quos iterum? domeſticos veſtros? *Ab eâ quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra tua, quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, nurus adverſus ſocrum ſuam, & inimici hominis, domeſtici ejus* m. Et, *Non zeles mulierem ſinus tui* n. Et, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* o. Igitur *diligite inimicos veſtros* p. Interventu dilectionis iſtius intuendam debetis exhibere fortitudinem veſtram, & conformitatem veſtrā cum Deo & Patre veſtro cœleſti; cùm fortaſſe nullum in mundo habeatis amicum. Per iſtam charitatem debetis etiam commendare obedientiam veſtram, quam reddere debetis *Deo* q, qui eſt principium omnium operationū vitæ gratiæ, quam tribuit vobis. In triplici ſtatu, naturæ, legis ſcriptæ, & gratiæ, ſemper habere voluit mādatum expreſſum ut charactērem ſubmiſſionis ſibi debitæ. In lege naturæ, vetuit Adæ ne comederet de fructu arboris ſcientiæ, cujus comeſtio priùs erat res indifferens, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas* r. In lege ſcriptâ præcepit circumciſionem, *Die octavo circumcidetur infantulus* ſ. In lege verò gratiæ, expreſsè nobis imperat dilectionem proximi, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos* t. S. Stephanus autem perfectè adimplet hoc præceptum, miſericordiam efflagitans ſuis inimicis impendendam à Deo, *dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* u. Et per hāc obedientiam, quam exhibet mandato Dei ſui, edocet nos illam, quâ debemus perfungi. Ego autem poſſum aſſerere, quòd nulla eſt virtus, per quam meliùs noſtræ poſſimus Deo teſtimonium obedientiæ perhibere, quàm per iſtā dilectionem inimicorum. Omnes virtutes, exceptâ iſtâ, poſſunt eſſe ſimulatæ, palliatæ, & alteratæ. Poteſtis eſſe caſti, ſed fortè ideò ut famam veſtram cuſtodiatis præ oculis mundi potiùs, quam propter amorem Dei: Poſſumus eſſe ſobrii, ſed fortaſſis potiùs propter indiſpoſitionem

f Eccli. 39. 8 & 9
g 1. Reg. 9. 2
h Joan. 15. 26
i Matth. 5. 45
k Ibid. v. 44. & 45
l Mich. 7. 5
m Idem ibid.
n Eccli. 9. 1
o Cant. 1. 5
p Matth. 5. 44
q Act. 5. 29
r Gen. 2. 17
ſ Levit. 12. 3
t Joan. 13. 34
u Act. 7. 60

& infirmitatem corporis, quam propter Deum. Poſſumus eſſe devoti, Sacramentorum frequentationi vacantes, ſed potiùs ut captemus auras populares, & æſtimationem hominum, quam propter amorem Dei: Poſſumus eſſe charitativi, ſed tales forſan erimus ex compaſſione naturali, quâ afficiemur erga miſeriam proximi noſtri ſublevandam potiùs, quàm propter Deum. Cum omnibus iſtis virtutibus neſcimus an filii Dei ſimus. Deus mi, caſtus ſum, obedione tibi? Neſcio. Deus mi, ſobrius ſum, obtemperone tibi? Ignoro. Deus mi, mortificatus ſum, & devotus, geroне tibi morem? Iſtud latet me. Deus mi, charitativus ſum, ſumne tibi obediens? Iſtud eſt mihi incognitum. Deus mi, ignoſco ex toto corde meo illis omnibus qui me injuriis affecerunt, ſive quantùm ad famam meam, ſive quoad cætera quæ me ſpectant, præſtone tibi obedientiam? Sic eſt: per hanc enim virtutem dilectionis inimicorum, Auditores, Deo noſtras exhibere poſſumus obedientias: quia non procuramus bonum inimicis noſtris ob vanitatem, propter honorem, nec per reſpectum humanum, nec ex affectu naturali, neque ob ipſum proximum, ſed propter Deum ſolum, qui iſtam ab obedientiis noſtris exigit fidelitatem, quique etiam requirit à nobis, ut pro amore quo ipſe dilexit nos, ſimus ipſi grati, talemque amorem agnoſcamus. Ipſe dilexit nos ab æternitate, ut ait per Jeremiam x, *In charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te, miſerans.* Nos etiam eum debemus diligere quantùm poſſumus amore non interrupto, nec ullum debet eſſe momentum vitæ noſtræ, quo eum non diligamus. Dilexit nos amore, quo diligitur amicus; debemus illum diligere amore, quo diligitur amicus. Dilexit nos amore, quo diligitur inimicus, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus* y. Debemusne eum diligere amore, quo diligitur inimicus? Nequaquam: non enim poſſumus amare Deum amore, quo amatur inimicus; ſed vult ut diligamus proximum noſtrum amore quo diligitur inimicus propter amorem ipſiuſmet Dei, & hoc probatur ex eo quod ait S. Joannes z, *Ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Videtur hæc conſequentia non ritè deducta ex ſuo antecedenti, nec Logicum ſapere: videtur ſiquidem meliùs debuiſſe dicere, *Et nos debemus pro illo*, non autem, *pro fratribus animas ponere.* Hæc conſequentia S. Joannis eſt optima, Auditores: quia non poſſumus ponere vitam noſtram pro Deo, ſed vult ut illam ponamus pro fratribus noſtris; non ſecùs ac cùm quis debet vobis pecuniam, illum aditis ut ab eo ſolutionem illius ſuſcipiatis; dicit vobis ille quòd non poſſit illam vobis ſolvere, ſed epiſtolam ſcribit, eamque ſigillo ſuo obfirmatam, & nomine ſuo munitam mittit ad alium, qui vobis ſatisfaciat: eodem ſe gerit Deus modo, & S. Paulus a ait, *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Quia dilectio, quotieſcunque alteri impenditur, permanet jugiter in præcepto*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus b. Ita ut diligendi promiſcuè ſint amici & inimici, Boni & mali, ſicut charitas *ipſa eſt quæ ſemper redditur, & ſemper debetur*, ait S. Auguſtinus c, ſi velimus eſſe *filii Patris qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Iuſtos & injuſtos* d.

Elias ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & compoſuit ligna: diviſitque per

x Jer. 31. 3
y Rom. 5. 10
z 1. Joan. 3. 16
a Rom. 13. 8
b Dion. Carthuſ. in Rom. 13. 8
c S. Aug. Conc. 2. in Pſ. 33
d Matth. 5. 45

Digitized by Google

per membra bovem, & poſuit ſuper ligna, & ait, Implete quatuor hydrias aquâ, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque dixit, Etiam ſecundò hoc facite. Qui cùm feciſſent ſecundò, ait, Etiam tertiò idipſum facite. Feceruntque tertiò; & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. Cùmque jam tempus eſſet ut offerretur holocauſtum, accedens Elias Propheta, ait, Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me: ut diſcat populus iſte quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum iterùm. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoq; & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cùm vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait, Dominus ipſe eſt Deus,
e 3. Reg. 18. 30. &c. *Dominus ipſe eſt Deus* e. Ecce quomodo ignis charitatis adhærere debet omnibus, ſive bonis, ſive malis, ſive amicis, ſive inimicis, & ecce modos quo noſtrum diligere debemus promiſcuè & indiſcriminatim proximum.

Scio equidem quòd homines mundani viventes ſecundùm maximas & regulas ſeculi contrarias innocentiæ, obſiſtunt huic veritati dicentes, quòd in domo Dei triplex eſt genus filiorum, nempe filiorum mundi, filiorum carnis, & filiorum diaboli. Filii mundi dicunt, quòd diligere inimicum eſt contra magnanimitatem, & contra honorem. Filii carnis aſſerunt, hoc repugnare juſtitiæ, & rectæ rationi, imò verò naturæ adverſari. Filii tandem diaboli contendunt, quòd iſtud eſt prorſus impoſſibile. Dei Filius videns ſe à Patre ſuo derelictum in cruce, ait
f Matt. 27. 46. ex Pſ. 21. 2. illi, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me f? Dicit autem ſe Chriſtus à Deo derelictum, non quòd privatus eſſet gratiâ, vel gloriâ, ſed quia tam graviter patiebatur, ac ſi peccator, & à Deo contemptus fuiſſet, & quoniam voluntati impiorum expoſitus fuit, & quia nulla fiebat pro tunc redundantia conſolationis, & alleviationis à ſuperiori parte animæ Chriſti in partem ejus inferiorem*, ait Dionyſius Carthuſianus g. Et g Dion. Carth. art. 44. in Matth. 27. 46.
quãdo pro ſuis inimicis rogat eũ, dicit illi, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* h. Ibi h Luc. 23. 34.
vocat illum Deum, hîc verò Patrem eum nominat: Quare hoc? Ratio iſtius eſt, quia in hoc ſeſe exhibebat verum Filium Dei, cui propriè convenit injurias dimittere, ut concinit ei Eccleſia, *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.* Ipſe cruci ſuffixus dicebat ſimiliter, *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me* i. *Ieſus autem dicebat, Pater dimitte* i Pſ. 141. 5.
illis: non enim ſciunt quid faciunt. Difficillimum eſt condonare injurias: ſicut cùm trahimus ſitulam è puteo, aqua in ipſa aqua non eſt gravis, quia eſt in centro ſuo; ſed cùm aqua eſt extra centrum ſuum, tunc ipſa gravis eſt: ita diligere inimicos ſuos graviſſimum eſt, cùm conſideramus illud in natura, & extra centrum ſuum; ſed cùm conſideramus nos illis dimittere propter amorem Dei, illud eſt in centro ſuo, tunc non eſt grave, *Mandata ejus gravia non ſunt* k. k 1. Jo. 5. 3.
Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve l. Igitur Auditores ad exemplum l Matt. 11. 29. & 30.
S. Stephani pleni *gratiâ & fortitudine*, veſtram oſtendite magnanimitatem, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris* m Matt. 5. 44. & 45.
veſtri qui in cœlis eſt m.

IN FESTO
S. IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Converſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus, Joann. 21. 20. &c.

a Gen. 37. 3. SCriptura a ſacra recenſet quòd *Iſrael diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos.* Joſeph erat ſubjectum in quo ſibi complacebat pater ſuus Jacob Patriarcha: & Eccleſia concinit quòd S. Joannem Evangeliſtam Rex Patriarcharum *diligebat Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit.* Quòd *hic eſt beatiſſimus Evangeliſta & Apoſtolus Ioannes, qui privilegio amoris præcipui cæteris altiùs à Domino meruit honorari.* Quòd *hic eſt diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* Et quòd *in cruce deniq; moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commendavit.* Hoc autem factum eſt,
b Joan. 19. 25. &c. ut ait Evangelium b, *cùm ſtabant juxta crucem Ieſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit Matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce Mater tua. Et ex illa horâ accepit eam diſcipulus in ſua.* B. Virgo Maria evaſit mater S. Joannis ſuper monte Calvariâ, & facta eſt Genitrix
c Luc. 1. 28. & 38. Jeſu, cùm *ingreſſus Angelus ad eam, dixit, Ave* c *Maria,*

Multi opinantur majeſtatem & amorem ſociari ſibi non poſſe, nec ſuper eodem thronô manere, juxta hoc effatum,

> *Non benè conveniunt, nec in unâ ſede morantur*
> *Majeſtas & amor.*

Contrarium ego cenſeo, & dico quòd non poſſit eſſe aliter, & quòd neceſſariò duæ qualitates iſtæ in eodem reperiantur ſubjecto: ille enim qui agnoſcit in ſe aliquam qualitatem eximiam, aliquod meritum non vulgare, reflectens ſe ſupra ſe, ſemetipſum invenit honore dignum, cognoſcit ſe, diligit ſe, & perſæpè merita ſua tanquam idola colit; & per reditum quem facit in ſemetipſum, in ſe amat id quod cognoſcit in ſe ſemetipſum poſſidere; & ſic, ut videtis, idem cor eſt thronus duorum, propriæ excellentiæ, & amoris, per reflexionem quæ vocat & attrahit amorem ad idem ſubjectum, in quo invenitur excellentia; & tunc credit nullum eſſe dignum hoc amore præter ſubjectum in quo inveniuntur illæ excellentiæ, quas vidit in ſemetipſo:

unde videmus quòd idem thronus ſuſcipiat majeſtatem & amorem, & quòd econtrà dicere poſſimus,

Quàm benè conveniunt, & in una ſede morantur
Majeſtas & amor.

Sed hallucinor, reflexio iſta non eſt amor, non eſt excellentia, ſed philautia, amor proprius, & intuitus proprii commodi, ratione cujus nosmetipſos velut idola colimus; reditus iſte amoris, quem attracti propriis excellentiis ſupra nosmetipſos facimus, non eſt virtus, nec meretur in cathegoria dilectionis collocari, ſed in prædicamento vitii reponi, cùm decipiamur, eò quòd nimis nobis blandiamur, ita ut verè dicere poſſimus,

Non benè conveniunt, nec in una ſede morantur
Majeſtas & amor.

Unicus eſt Deus, in quo iſtud reperitur, in quo ſunt veræ magnitudines, *Magnus eſt, & non habet*
d Baruch 3.25. *finem; excelſus & immenſus* d: in quo ſolida majeſtas & verus amor inveniuntur, non quidem amor proprii commodi, amor indigens, qui dando evacuet ſe, ſicut amor creaturæ dando ex-
e Pſ. 101. 28. & Heb. 1. 12. & 12 hauriſt ſe; ſed qui dando ſemper idem permanet, nedum unquam evaneſcat, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcedens à Patre luminum, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, ait S. Jaco-
f Jacob. 1. 17. bus f. Et David g opulentiam & divitias hujus
g Pſ. 15. 2. amoris Divini confitens, ait, *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Hodierna autem die eligit amicum inter Apoſtolos ſuos: & licèt ipſe ſit *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*, ut ait Jeremias h; tamen con-
h Jer. 32. 19. ſtituit Primò S. Joannem amicum ſuum, præbens
Diviſio. illi cor ſuum. Secundò, Facit illum depoſitarium cogitationum ſuarum, quod eſt ſignum veræ amicitiæ, juxta id quod ait Eccleſiaſticus i,
i Eccl. 33. 31. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* Attendite, ſi placet, dum incipio.

I. Pars. Ad hoc ut inſtituatur vera amicitia, quæ conſiſtit in amoris reciprocatione, æqualitas inveniri debet inter amicos: & hoc eſt quod oſtendit conditionem ſummorum Principum miſeram, cùm ſolum habentes Deum ſuperiorem, omnes videant homines ante pedes ſuos proſtratos, & ut ſic habere non poſſint amicum, cui exonerare & committere poſſint cor ſuum; amicum autem ita neceſſarium ut diceret quidam, quòd ſi fortuna aliquem ad altiſſimum felicitatis apicem eveheret, & ibi amicum non inveniret, ibidem eſſet miſer, cùm illic foret ſolitarius. Reges terræ ſunt ſoli, nullos habent amicos; cœli, Angeli, & Deus ſunt eorum Superiores; terra verò, & homines ſunt illorum inferiores: nullos igitur habent amicos, miſeri ſunt; homines illis reverentiam exhibent, ſed non amicitiam quæ requirit æqualitatem quæ non invenitur inter eos: ideò videntes ſe elevatos ad ſplendores gloriarum, aliquem è ſubditis ſuis eligunt quem evehunt ad thronum ſuum, quemque conſtituunt amicum ſuum, *Amor pares invenit, aut facit.* Hujus veritatis ſymbolum præ ſe fert Trochillos, exigua avis, quam alii Regulum vocant: cùm enim avis iſta non habeat vires, quibus ſurſum elevetur, & ſublime volet, ipſam ſuis alis ſuperpoſitam evehit Aquila ad nubes uſque: ſic Principes & Monarchæ aliquem è ſubditis ſuis evehunt ad thronum ſuum, ſicut Aquila Princeps avium hanc aviculam ſurſum elevat ad transvolandas nubes. Deus ſuam deprimens magnitudinem, venit ſe factum hominem inter homines, ſed amicitia inter eos eſſe non poterat, quibus quippe deerat æqualitas, illorum *Dominus omnium* k ſupremus k Eſth. 13. 11.
erat ſemper, licèt *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* l ſit. Conſiderans igitur univerſam natu- l Philipp. 2. 7.
ram humanam, ut haberet amicum, eligit S. Joannem, & conſtituit illum amicum cordis ſui, *Diſcipulum quem diligebat Ieſus.* Illum deinceps intuetur ut dilectum ſuum præ cœteris diſcipulis ſuis.

Aliàs Iſaias m in templo vidit *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea quæ* m Iſai. 6. &c.
ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Seraphini operiebant alis ſuis faciem Dei, pedes, & totum corpus ejus, ſed non cor illius, & in hoc videtur differentia quæ datur inter creaturas & Creatorem, quòd creaturæ nihil minus abſcondunt quàm faciem ſuam, ut amorem ſibi concilient, eximias ſuas exhibent intuendas qualitates tanquam lenocinia quibus attrahant ad ſe amorem, ſed clauſum eſt cor ipſarum, nec videri poteſt, *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud* n? Pin- n Jer. 17. 9
gere poterit quidem pictor decorem perſonæ amatæ, quomodo amans teſtimonium perhibeat illi ſui affectus, ſed ſcire utrùm verè amans ſibi complaceat in amore hujusmodi perſonæ, ſicut exteriùs perhibere videtur, iſtud eſt ipſi abſconditum pictori, qui intimum illius non pervadit cor, nec manû ſatis habet induſtriam, nec penicillum ſatis tenuem ad ipſum depingendum, cùm ſit ipſi clauſum: ſed Deo poſſunt quidem Seraphini alis ſuis velare faciem, pedes, & totum corpus, nunquam tamen poterunt operire cor illius: ſuum Deus diſſimulare non poteſt amorem, oportet ut illum propalet intuendum; S. Joannes autem ſuper iſto corde requieſcit, *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* Vel dicamus, quòd per faciem Dei intelliguntur attributa ejus, & Sapientia; per pedes, fortitudo illius, & ſic de cæteris: hæc omnia latere poſſunt homines, iſta intuentur Seraphini in Deo, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* o. Sed cor, id eſt, amor o 1. Petr. 1. 12.
illius latêre non poteſt, homines ipſum vident apprimè, & ex quo homo eſt, non poteſt quin amet; & ut benè diligat, eligit S. Joannem, *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus.*

Triplex eſt ei genus amicorum, potentiæ ſuæ, ſapientiæ ſuæ, & cordis ſui. S. Paulus fuit amicus potentiæ ejus, cùm illum lucratus fuerit, *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, ac ſtupens, dixit, Domine, quid me vis facere?* Ita ut à Christo Jeſu ille factus ſit *Vas electionis* p, *qui priùs blaſphemus,* p Act. 9. &c.
& per-

Digitized by Google

& perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam Dei conſecutus q eſt, poſtquàm expertus eſt ipſius potentiam. Sanctus Petrus fuit amicus ſapientiæ ejus, cùm ipſe dederit illi directionem Eccleſiæ ſuæ. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis* r. Et ſicut ipſe permiſit ut Petrus caderet ſ; ideò ut ex caſu ſuo diſceret Petrus compati lapſui ovium ſibi commiſſarum, cùm dixit ipſi ipſemet Chriſtus, *Paſce oves meas* t. Sed S. Joannes fuit amicus cordis, ideò ſuper id requieſcit, ut illud cuſtodiat. Sicut cùm habemus aliquid pretioſum, ſuper id dormimus: ita ſanctus Joannes dormit ſuper cor Domini ſui, *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* Videtur ſanctus Joannes, reparatâ labefactione matris ſuæ (ſcitis quænam fuerit genitricis ipſius ambitio ita Dei Filium alloquentis, *Dic ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo* u) impetrare non dexteram, ſed cor, ut amicus cordis, *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* Domino ſuo aſſiſtit comes individuus; inter diſcipulos, unus eſt ex Apoſtolis, *Apoſtolorum nomina ſunt hæc, Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes* x, &c. Unus eſt ex Evangeliſtis: ſcripſit enim Evangelium ſuum: Domino ſuo aſtat in monte Thabor. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos* y. In horto. *Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cæpit contriſtari, & mæſtus eſſe* z. Imò verò ipſe fuit unus ex deſtinatis ad quærendam domum, in qua comedendus erat agnus Paſchalis, *Et miſit Petrum & Ioannem, dicens, Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus* a. Cùm *diſcipuli omnes, relicto* Domino ſuo *fugerunt*, Joannes non fugit, *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo* b. Iſte creditur fuiſſe Joannes Evangeliſta, ait Dionyſius Carthuſianus c. Qui poſt hæc verba ſequentia S. Marci, *Petrus autem à longe ſecutus eſt eum*, ſubdit, *Ioannes* d *habet quòd Petrus ſecutus eſt eum, & alius diſcipulus qui erat notus Pontifici; per quem Ioannes intelligitur, ſecundùm Expoſitores communiter.* In monte Calvariâ *cùm vidiſſet IESVS Matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua* e.

q 1. Tim. 1. 13.
r Matth. 16. 18. & 19.
ſ Joan. 18. 17.
t Jo. 21. 17
u Matt. 20. 21.
x Matt. 10. 2. & 3.
y Matt. 17. 1.
z Matt. 26. 37.
a Luc. 22. 8.
b Marc. 14. 51. & 54.
c Dion. Carth. art. 14. in Marc. 14. 51. & 54.
d ex Jo. 18. 15.
e Joan. 19. 26. & 27.

Capulo vicinus Patriarcha Jacob, *ait ad Ioſeph filium ſuum, En ego morior. Do tibi partem unam extra fratres tuos* f. Ratio iſtius eſt, *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos* g. Iſte Patriarcha figurabat nobis id quod factum eſt in vero Jacob JESU Chriſto Rege Patriarcharum, & Patre duodecim Apoſtolorum: antequàm enim moreretur, Eccleſiam ſuam præbuit ſancto Petro, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves Regni cælorum* h. Aliis corpus ſuum, cùm ait, *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum* i. Sed ſancto Joanni ut dilecto ſuo ultra portionem ordinariam, præbuit aliam eximiam, nimirum, ſanctiſſimam Matrem ſuam, *Ecce Mater tua.* Et ſic conſtituit illum filium adoptivum Matris ſuæ: proptereà his verbis impreſſit animæ hujus Evangeliſtæ amorem filialem erga Matrem ſuam. Unde inferri poteſt quàm magni fuerint dolores quos pertulit ſanctus Joannes *juxta crucem* †, compatiens Domino ſuo, & ſanctiſſimæ Matri ipſius ita dirè cruciatis: proprium enim eſt amoris communicare paſſiones amantis rei amatæ; ita ut, ſicut Jeſus Chriſtus in monte Calvariâ patiebatur crucem doloris & ſanguinis, & priùs in horto crucem myrrhæ & triſtitiæ, cùm dicebat, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* k: ut prophetia ab ipſo prædicta filiis Zebedæi, *Calicem quidem meum bibetis* l, compleretur; ipſe dederit fratri ſancti Joannis ſancto Jacobo calicem paſſionis ſuæ peractæ in monte Calvariâ, quem bibit, vitam amittens inſtar Domini ſui, *Herodes Rex occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio* m: Et S. Joanni fratri ejuſdem ſancti Jacobi, calicem paſſionis ſuæ toleratæ in horto, calicem anguſtiarum & compaſſionis intuitu dolorum, quos paſſus eſt Dominus ſuus, cùm interfuerit morti ejus in monte Calvariâ, æquè ac anguſtiis ipſius in horto. *Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Domine, hic autem quid? Dicit ei Ieſus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quaſi diceret ſancto Petro Dei Filius, Sufficit mihi quòd iſte diſcipulus me comitatus fuerit uſque domum, & *in atrium Pontificis* n. Sed quia in eadem domo tu me negaſti o, ideò morieris martyrio. Propter hanc rationem noluit Jeſus, ut ipſæ ſanctæ Dominæ, quæ ſuam *ſtabant juxta crucem Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene* p, quæ interfuerunt morti ipſius, æquè ac ſanctus Ioannes in monte Calvariâ, vitam amitterent martyrio: quem favorem non denegaſſet eis, niſi compaſſio quam ibi ſuſceperunt intuitu dolorum, quos ipſe perferebat in cruce, fuiſſet animabus illorum glorioſum martyrium.

f Gen. 48. 21. & 22.
g Gen. 37. 3.
h Matt. 16. 18. & 19.
i Matt. 26. 26.
† Joan. 19. 25.
k Matth. 26. 38.
l Matt. 20. 23.
m Act. 12. 1. & 2.
n Joan. 18. 15.
o Joan. 18. 25. &c.
p Jo. 19. 25

Amor eſt cauſa fœcunda omnium bonorum quæ inveniuntur in mundo: ideo ſanctus Paulus q ait, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Amor Dei nunquam eſt otioſus: amor enim, ſi verus eſt amor, agit mirabilia: ſed ſi non eſt activus, amor non eſt. Refertur de Alexandro Magno, quòd tanto unum ex Aulicis ſuis proſequebatur amore, ut, cùm alias magnum convocaſſet numerum celeberrimorum ſui temporis Oratorum, ut eveherent laudibus hunc amicum, quem Princeps diligebat ſicut ſeipſum, ſtatim ac omnes eximii iſti viri peroraverunt egregias qualitates hujus amici, famoſiſſimus illorum Oratorum, qui conſultò ultimus ideo fuerat reſervatus, concluſerit omnes laudes, quas alii propalaverant de hoc amico, quatuor iſtis verbis, *De dilecto nunquam ſatis.* Quaſi dixiſſet, Eloquentiſſimæ quæque linguæ adæquare non poſſunt iſtius amici laudes amori quo Alexander Magnus afficitur erga magnitudinem meritorum illius. Quantò potiori jure dicetur de ſancto Ioanne, *quem diligebat Ieſus, qui ſupra pectus Domini in cœnâ recubuit. De dilecto nunquam ſatis.* Cùm nemo poſſit exponere amplitudinem dilectionis Ieſu erga eum.

q Rom. 8. 31. & 32.

Dicitur de Benjamin, *Amantiſſimus Domini, inter humeros illius requieſcet* r. Hæc verba referri poſſunt ad *diſcipulum, quem diligebat Ieſus.* Ille erat natu minimus inter filios Iacob ſ, iſte verò natu minimus inter Apoſtolos; ille requieſcebat ſuper humeris, iſte verò ſuper pectore Domini. Sanctus Ioannes Baptiſta, de quo ipſemet Dei Filius ait, *Non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta* t, indignum ſe reputat

r Deut. 33. 12.
ſ Gen. 35. 18.
t Matt. 11. 11.

Digitized by Google

u Luc. 3. 16. tat *ſolvere corrigiam calceamentorum ejus* u. Mag-
dalena non audet apparere coram IESU
Chriſto, ſed *ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœ-*
x Luc. 7. 38. *pit rigare pedes ejus* x. Sanctus Ioannes autem ita
familiariter cum illo converſatur, ut dormiat in
ipſo ſinu illius. Repræſentabatur aliàs eximius
quidam Dux Athenienſis, nomine *Timotheus, pi-*
ctus dormiens, adſtante interim Fortunâ, quæ civita-
y Calepin. in Dictionar. v. Timotheus. *tes in retia ejus ageret* y. Hoc innuebat facilita-
tem, quâ generoſus ille vir civitates ditioni ſuæ
ſubjiciebat: ſed S. Ioannes dormiens impetra-
bat à Ieſu Chriſto favores univerſos, quos deſi-
derare poterat ab illo ut dilectus ipſius. *Iacob*
cùm veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requi-
eſcere poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus qui ja-
cebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem
loco. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper ter-
ram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quo-
que Dei aſcendentes & deſcendentes per eam: &
Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Do-
z Gen. 28. 11. &c. *minus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac* z.
Sanctus Ioannes *ſupponens capiti ſuo* lapidem qui
a 1. Cor. 10. 4. eſt IESUS, *Petra autem erat Chriſtus* a, omnia
vidit mirabilia, & omnia ſecreta Eccleſiæ tam
militantis, quàm triumphantis, quæ repræſentat
ipſe in Apocalypſi ſua, in Epiſtolis ſuis, & in E-
vangelio ſuo. *Fluenta Evangelii de ipſo ſacri Domi-*
nici pectoris fonte potavit, concinit ipſa Eccleſia.
b Lev. 8. 22. & 29. Lex Levitici *b* ſtatuebat quòd, ubi conſecraba-
tur Sacerdos, aperiebatur animal, quod erat of-
ferendum *in conſecrationem Sacerdotum*, & quòd
Sacerdos ferebat *pectuſculum, elevans illud coram*
Domino, de ariete conſecrationis in partem ſuam.
Sanctus Ioannes inſtitutus Sacerdos in Lege E-
vangelica cum cæteris Coapoſtolis ſuis, quan-
do Ieſus dixit illis, *Hoc facite in meam commemo-*
c Luc. 22. 19. *rationem* c; accepit portionem Victimæ immo-
landæ ſuper ara crucis, *Tulit pectuſculum de ariete*
conſecrationis in partem ſuam. Hic aries repræ-
d Iſai. 16. 1. ſentat Chriſtum, de quo prædixit Iſaias *d*, *E-*
mitte Agnum Domine dominatorem terræ. Quem
e Corn. in Iſai. 16. 1. explicans Cornelius *e*, ait, *Chriſtum vocat A-*
gnum, vel Arietem: utrumque enim ſignificat Hebr.
Et hoc eſt quòd ait Evangelium noſtrum de S.
Ioanne. *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit,*
id ſumens pro parte ſua.

Inter alias ceremonias quas obſervare debe-
bat ſummus Sacerdos veteris Fœderis, ingreſ-
f Exod. 28. 15. &c. ſurus Sanctuarium, Scriptura *f* ait, *Rationale ju-*
dicii facies ex auro, hyacintho, & purpurâ: poneſque
in eo quatuor ordines lapidum: portabitque Aaron
nomina filiorum Iſrael in rationali judicii ſuper pectus
ſuum, quando ingredietur Sanctuarium. Introiturus
uſque ad interiora velaminis, Præcurſor pro nobis Ie-
g ex Gen 14. 18. & ex Pſ. 109. 4. *ſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex* g *fa-*
ctus in æternum h, *& ſemetipſum pro nobis oblatio-*
nem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis i traditu-
h Hebr. 6. 20. rus ſuper ara crucis, inceſſit ad offerendum gra-
tiſſimum iſtud Patri ſuo ſacrificium ſui ipſius, &
i Epheſ. 5. 2. poſuit *ſupra pectus* ſuum rationale ſancti Ioannis
ornatum duodecim lapidibus pretioſis, ſardo-
nyce ſpei, topazio fortitudinis, ſmaragdo fidei,
carbunculo charitatis, ſapphiro miſericordiæ,
jaſpide perſeverantiæ, ligurio puritatis, achate
ſublimis contemplationis, amethyſto pruden-
tiæ, chryſolitho humilitatis, onychino juſtitiæ,
& beryllo temperantiæ. *Chriſtus autem aſſiſtens*
Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfe-
ctius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus
conſecrationis: neque per ſanguinem hircorum aut
vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit ſe-
mel in Sancta, æternâ redemptione inventâ k, hoc k Hebr. 9. 11. & 12.
pectorali inſtructus.

Scriptura ſacra comparat Electos floribus.
Germinabit ſicut lilium, ait Oſee *l*, loquens de l Oſee 14. 6.
Iuſto. Flores iſti ſuavi odore virtutum ſuarum
delectant viſum & odoratum ſanctæ Matris Ec-
cleſiæ, *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter*
ubera mea commorabitur m. Omnes prædeſtina- m Cant. 1. 12
ti ſunt totidem flores *plantati in domo Domini, in*
atriis domus Dei noſtri n. Id eſt, in horto Eccle- n Pſ. 91. 14
ſiæ, quæ eſt domus Dei, *Neſcitis quia templum Dei*
eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis o? Sed ſan- o 1. Cor. 3. 16.
ctus Ioannes eſt ſertum ex omni florum genere
compoſitum, & ut ſic ipſum ponit Ieſus *ſupra pe-*
ctus ſuum, dicens, *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus*
mihi, inter ubera mea commorabitur. Incompa-
rabili perfunditur ergo favore diſcipulus, *quem*
diligebat Ieſus, cùm ſuper terra donatur privile-
gio, quod ſoli Dei Filio convenit in cœlo, ubi
unigenitus Filius eſt in ſinu Patris p. In terra ve- p Joan. 1. 18.
rò diſcipulus *ſupra pectus Domini in cœna* recum-
bit. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater,*
Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt
q. Iſtæ tres Divinæ perſonæ aliquas præ cæteris q 1. Jo. 5. 7
diligunt creaturas amore ſpeciali. Perſona Pa-
tris æterni dilexit ſingulariter Humanitatem
Filii ſui, ratione cujus Humanitatis iſte Filius
homo factus, eſt creatura, licèt ratione Divini-
tatis ſit Creator & Deus, æquè ac Pater: hanc,
inquio, Humanitatem Filii ſui Pater æternus a-
more dilexit ſingulari, ut teſtatus eſt in monte
Thabor, ubi idem *IESUS transfiguratus eſt, & re-*
ſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus
facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce vox de nube, dicens,
Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè compla-
cui r. Æquè ac in fluvio Iordane, ubi idem fuit r Matt. 17 1. &c.
baptizatus Ieſus: Et ecce vox de cœlis dicens, Hic eſt
Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ſ. ſ Matth. 3. 16. & 17.
Perſona Spiritus Sancti præ omnibus creaturis
dilexit glorioſam Virginem Mariam, quam e-
legit in Sponſam ſuam, dicens illi, *Tota pulchra es*
amica mea, & macula non eſt in te t. Perſona Fi- t Cant. 4. 7.
lii dilexit amore ſpeciali S. Ioannem, qui ideò
ſe nominat *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus.*

Quæritur, uter magis dilexerit IESUM
Chriſtum, & uter magis dilectus fuerit à Ieſu
Chriſto; unum enim ſequitur ex altero, ſan-
ctus Petrus, aut ſanctus Ioannes. Reſpondetur
ad hoc quæſitum per id, quod dixit aliàs Ale-
xander Magnus de duobus Aulicis amicis ſuis
Cratero, & Epheſtione, *Craterus diligit Regem, &*
Epheſtion Alexandrum. Idem ego dico, Petrus di-
ligit Regem, & Ioannes Ieſum. *Craterus diligit*
Regem. Id eſt, Statum ejus, gloriam illius, & ze-
lo ducitur promovendi & extendendi Regni i-
pſius. *Et Epheſtion Alexandrum.* Scilicet, non
Statum ejus, nec ejus coronam, ſed ipſum in per-
ſona. Sic S. Petrus diligit Regem, id eſt, Sta-
tum Ieſu Chriſti, gloriam ejus, & accenditur
zelo magnificandi Regni ipſius. Et ſanctus Io-
annes diligit Ieſum, hoc eſt, non Statum ejus,
nec gloriam illius, ſed ipſummet in perſona. Et
ſicut Alexander commiſit directionem exerci-
tuum ſuorum, & gubernationem Provinciarum
ſuarum Cratero, quem procul à ſe miſit, ut cu-
ram ſuſciperet eorum quæ ipſe diligebat; & in
aula ſua retinuit Epheſtionem, quem ipſe dili-
gebat ut amicum ſuum, cùm eſſet amicus ipſius
Alexandri: ita IESUS Chriſtus mittit ſan-
ctum Petrum peregrè à ſe, committit illi Ec-
cleſiam

cleſiam ſuam gubetnandam. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum* u. [u Matt. 16. 18. & 19.] Procul igitur mittit Jeſus Chriſtus à ſe Petrum, cùm ipſum non tam diligat Petrus, quam Statum, magnitudinem, & gloriam ipſius; ſic cùm Judæi *Expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Chriſte: Quis eſt qui te percuſſit? ille negavit eum* x. [x Matt. 26. 67. &c.] Cùm tunc nullam haberet apparentiam Regis ampliùs, vel ſi permanebat Rex, excipiendus eſſet paulò pòſt ut Rex theatricus; ſicut re verâ *milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, & exuentes eum, chlamidem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus* y. [y Matth. 27. 27. &c.] Sed Jeſus retinet prope ſe Joannem qui diligit ipſum Ieſum, eumque ſuper corde ſuo facit requieſcere, *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* Nunquam deſerit Joannes Dominum ſuum, quem alii relinquunt, quia *eſt servus fidelis* z. [z Eccl. 31. 31.]

Pingebant aliàs antiqui Deum Amoris, more venatoris, præ hac inſcriptione in fronte, *Longè, & propè.* Iſtâ in peccatore. *In juventute, & in ſenectute.* Et aliâ in orâ veſtis illius ſic, *In vita, & in morte.* Ut intuendas nobis exhiberent qualitates amoris, & quòd diligendus eſſet Deus omni tempore. Sanctus Joannes diligit Jeſum omni tempore, & in omni loco. *Propè.* Id eſt, *Supra pectus Domini.* Et, *Longè.* Id eſt, Exul *in inſula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu* a. [a Apoc. 1. 9.] Et, *In juventute.* Nam ut *ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua; & vocavit eos: illi ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum* b. [b Matth. 4. 18. &c.] Et, *In ſenectute.* Cùm ſenio confectus hanc ſuis diſcipulis jugiter repeteret lectionem, *Filioli diligite alterutrum.* Et, *In vita.* In qua *eſt servus fidelis* c ſemper. [c Eccl. 33. 18.] *Et in morte.* Cùm ipſe ſolus ſequatur Dominum ſuum ad montem Calvariam uſque, *Iuxta crucem cùm vidiſſet Ieſus diſcipulum ſtantem, quem diligebat* d. [d Joan. 19. 25. & 26.] *Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur* e [e Prov. 17. 17.] Salvatoris, Ioannes: non ſicut Paulus, qui rebellis fuit uſque ad converſionem ſuam; non inſtar Petri, qui *negavit coram omnibus* f [f Matt. 26. 70.] Dominũ ſuum, ſicut *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem* g, [g Act. 9. 1. &c.] *blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus* h. [h 1. Tim. 1. 13.] Non more aliorum ſuorum Coapoſtolorum, qui *relinquentes eum, omnes fugerunt.* Ipſe *adoleſcens autem ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo* i. [i Marc. 14. 51.] Id eſt, ipſe Joannes, ut ſuprà oſtendi poſt Dionyſium Carthuſianum. Sic ipſe eſt amicus cordis: & ideò auſim dicere quòd ſanctus Ioannes tenet locum Spiritus ſancti. Sicut enim Pater & Filius mutuò ſe diligentes producunt Spiritum Sanctum, *Paraclètus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit* k; [k Joan. 15. 26.] ibi ſuam capiunt quietem; ipſe eſt vinculum amoris ipſorum: ita cor Ioannis erat locus, in quo IESUS capiebat quietem, ſicut Ioannes quietem capeſſebat in corde IESU, *Supra pectus Domini.* Tenet etiam locum Patris, *Ego in Patre, & Pater in me eſt* l, [l Joan. 14. 10.] ait Ieſus. Ioannes eſt in Ieſu, & Ieſus eſt in Ioanne per dilectionem, *Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat* †. [† Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34. citans S. Aug.] Ioannes *ſupra pectus Domini.* Sed quid agit ibi? Ibi intuetur omnia, nihil ibi ipſum latet. Hæc eſt ſecunda qualitas amicitiæ, ut ſit depoſitaria cogitationum, *Sit tibi quaſi anima tua* m. [m Eccl. 33. 31.] Et hæc eſt ſecunda pars diſcurſus iſtius.

[II. Pars.] Iſta eſt ſecunda conditio veri amici. Volens Deus pœnas infligere Sodomitis, *dixit, Num celare potero Abrahæam quæ geſturus ſum* n? [n Gen. 18. 17.] Verus amicus enim debet ſcire omnia quæ peraguntur, & peragenda ſunt: & Ieſus Chriſtus eam, quam habet cum ſuis Apoſtolis amicitiam, huic facit inniti, *Iam non dicam vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis* o. [o Joan. 15. 15.] Sanctus Ioannes cognovit omnia quæ peragerentur in corde Ieſu. In iſto corde, ſicut in templo Salomonis, tres erant manſiones, Porticus, Sancta, & Sancta Sanctorum, *Et Porticus erat ante templum. Ipſum templum pro foribus Oraculi. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini* p. [p 3. Reg. 6. 3. &c.] Sed quia hæc ultima verba aliquam præ ſe ferre videntur difficultatem, illa ſic explicat Hugo Cardinalis q, [q Hugo Card. in 3. Reg. 6. 17. & 19.] *Ipſum templum, id eſt, anterior pars templi, quæ dicitur Sancta, pro foribus, id eſt, uſque ad fores Oraculi, id eſt, Sancta Sanctorum. Oraculum autem, id eſt, Sancta Sanctorum.* Ad porticum unuſquiſque poterat ingredi, fidelis, & infidelis. Quoad Sancta, & Sancta Sanctorum, in illud domicilium ingrediebantur ſoli fideles, & Sacerdotes; in illud verò Summus Sacerdos tantùm, *His verò ita compoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem, ſemel in anno ſolus Pontifex* r. [r Hebr. 9. 6. ex Exod. 10. 10. & ex Levit. 16. 2.] Sic in pectore Ieſu erant ſecreta naturæ, unuſquiſque autem illa poterat cognuſcere, fidelis, & infidelis: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Invisibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles* ſ. [ſ Rom. 1. 19. & 20.] Erant myſteria gratiæ, & hæc ſola erant nota fidelibus, Evangeliſtis, & Apoſtolis. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei* t. [t 1. Cor. 2. 10.] Erant & profundiſſimæ cogitationes, cognitio actionum, paſſionum, vitæ, & mortis ipſius, & hæ ſoli S. Ioanni fuerunt cognitæ, *Et cœnâ factâ, cùm diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas Simonis, Iſcariotes; Ieſus turbatus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me. Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, Quis eſt de quo dicit? Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei, Domine, quis eſt? Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis, Iſcariotæ* u. [u Jo. 13. 2. &c.] Super iſto pectore Ieſu conciliavit ſibi ſanctus Ioannes notitiam omnium cogitationũ ejus.

Deum tribus cognoſcere poſſumus viis. Viâ excellentiæ, collocantes in Deo omnes perfectiones quæ inveniuntur in creaturis. Viâ cauſalitatis: neceſſariò enim debet eſſe unum Ens ſupremum, quod præbeat eſſe omnibus, nec ipſum recipiat eſſe niſi à ſeipſo. Et viâ æternitatis. Iſtam triplicem habuit ſanctus Ioannes notitiam perfectiſſimè. Cognovit Deum viâ excellentiæ, *Deus erat Verbum*. Viâ cauſalitatis, *Omnia per ipſum facta ſunt*. Et viâ æternitatis, *In principio erat Verbum* x. Sanctus Joannes ut aquila nidum collocavit in hoc corde, clavem illius habet, in illud ingreditur: unusquiſque non ingreditur in cubiculum Principis; & omnes qui ingrediuntur in cubiculum ejus, non intrant in conclave illius; & omnes qui intrant in conclave ejus, non admittuntur ad menſam ejus; & quicumque admittuntur ad menſam ejus, non ſuſcipiuntur in cubile illius: ſolus Joannes habet cor. Magdalena habet *pedes* y. Thomas habet *latus* z. Joannes Baptiſta habet caput in fluvio Jordane, in quo ab ipſo fuit *baptizatus Ieſus* a. Sed Joannes Evangeliſta habet cor, ibi omnia videt, ac legit, *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit*.

x Joan. 1, 1 & 3.
y Luc. 7, 38
z Joan. 20, 27.
a Matt. 3, 16

Commenti ſunt Poëtæ, quòd quicunque biberat ex aquis fontis Heliconis, confeſtim magnus evaderet Poëta. Eſt enim *Helicon, mons Bœotia juxta Thebas atque Phocidi vicinus, non procul à Parnaſſo eique æmulus & altitudine & circuitu: qui & ipſe Apollini ſacer eſt, & Muſis*, ait Calepinus b. Commentitium eſt iſtud, ſed veritas eſt, quòd ſanctus Joannes, qui, ut concinit Eccleſia, *Fluenta Evangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit*, inſtar Aquilæ, ita ſublime volavit, ut ſi altiùs tantiſper aſcendiſſet, nemo potuiſſet intelligere id, quod ipſe ſcriptis exaratum nobis reliquit. Propterea ſanctus Auguſtinus c ait, extollens ſanctum Joannem ſupra cæteros Evangeliſtas, *Tres iſti Evangeliſtæ in his rebus maximè diverſati ſunt, quas Chriſtus per humanam carnem temporaliter geſſit: porrò autem Ioannes ipſam maximè Divinitatem Domini, quâ Patri eſt æqualis, intendit, eamque præcipuè ſuo Evangelio, quantùm inter homines ſufficere credidit, commendare curavit. Itaque longè à tribus iſtis ſuperiùs fertur ita ut hos videas quodammodò in terra cum Chriſto homine converſari, illum autem tranſcendiſſe nebulam, quâ tegitur omnis terra, & perveniſſe ad liquidum cœlum: unde acie mentis acutiſſimâ atque firmiſſimâ videret, in principio Verbum Deum, apud Deum, per quod facta ſunt omnia, & ipſum agnoſceret carnem factum ut habitaret in nobis, & quòd acceperit carnem, non quòd mutatus fuerit in carnem. Et ſi qua alia ſunt quæ Chriſti Divinitatem, in qua æqualis eſt Patri, rectè intelligentibus intiment, penè ſolus Ioannes in Evangelio d ſuo poſuit: tanquam de pectore ipſius Domini, ſuper quod diſcumbere in ejus convivio ſolitus erat, ſecretum Divinitatis ejus uberiùs & quodammodò familiariùs biberit.* Et ubi comparavit iſtos quatuor Evangeliſtas quatuor illis animalibus myſticis, quorum meminit Scriptura e, ſubdit, *Hæc autem animalia tria, ſive Leo, ſive Homo, ſive Vitulus, in terrâ gradiuntur. At verò Ioannes ſuper nubila infirmitatis humanæ velut Aquila volat, & lucem incommutabilis Veritatis f acutiſſimis atque firmiſſimis oculis cordis intuetur.* Non ſolum autem volavit ſuper alios, ſed etiam ſuper ſeipſum, *Et facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor* g. Si ergo Aquila volabat ſuper alia quatuor animalia, cùm Aquila eſſet ex iſtis quatuor, volabat etiam ſupra ſeipſam, quod mirum non eſt: nam, ut docent Naturales, cùm Aquila ſuis ovis incubat, ut ex illis pullos excludat, pullus qui eſt proximus cordi matris, ab eâ maximè amatur: ſic dicere poſſumus, quòd quatuor Evangeliſtæ ſunt quatuor pulli ingentis Aquilæ JESU Chriſti, de quo ſcriptum eſt, *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas* h. Atqui ſanctus Joannes fuit proximus cordi ejus, *Qui ſupra pectus Domini in cœnâ recubuit*. Sic maximè à Jeſu dilectus. Alii locuti ſunt de Deo ut homine, ipſe verò diſſeruit de illo ut Deo & homine ſimul.

b Calepin. in Dictionar. v. Helicon, citans Strabonem l. 9.
c S. Aug. lib. 1, de Conſenſ. Evang. c. 4 & 6.
d Joan. 10, 30 & Jo. 14, 9. & 10. & Jo. 17, 11, & Jo. 5, 19.
e Apoc. 4, 6, &c. & Ezech. 1, 5. &c.
f ex Joan. 14, 6.
g Ezech. 1, 10.
h Deut. 32, 11.

Plato cognominatus Divinus ab Ethnicis, eò quòd jugi rerum Divinarum vacaverit contemplationi, ita virtutem moralem coluit, ut poſt obitum ejus, ſculpſerint illi ſuper ejus tumulum Solem cum Aquilâ, quæ eundem Solem fixis intuebatur oculis præ hac inſcriptione, aut cum hoc epitaphio, *Cur Solem intueris?* Aquila verò reſpondebat, *Sum anima evecta ſuper aſtra excelſa Platonis*. Quaſi dixiſſet Plato, Quia ſemper contemplatus ſum Divinitatem, quandiu manſi ſuper terrâ, nunc elevatus ſum in cœlum, ut hic fruar eodem Deo. Sed id, quod vanitas huic attribuebat Ethnico, veritas jure merito poteſt applicare ſancto Joanni, qui inſtar Aquilæ, ex quo ſe Dei obſequio mancipavit, ſemper eſt contemplatus in terrâ Divinitatem, æquè ac Humanitatem illius, qui *eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* i. Et nunc contemplatur utramque in cœlo, ſi mortuus eſt, ut communis fert opinio.

i Eccleſia ex Malach. 4, 2.

Invenitur quædam avis, quæ vocatur Avis paradiſi: Hæc avis admirabilis habet corpus exiguum, pennas flavas & auratas, collum viride, & præcipuè caput ferè ſimile Soli: verè vocatur Avis paradiſi: ſemper enim eſt incola cœli, & aëris; & dum requieſcere intendit, duabus pennis magnis quas ad hunc effectum ſuſcepit à natura, ſuſpendit ſe ad alicujus arboris ramum: hæc avis repræſentat nobis ſanctum Joannem: ipſe enim habebat caput auratum ſimile Soli per intuitum continuum Solis Divinitatis; collum viride ut ſymbolum ſpei, quam nunquam amittebat: hæc avis nullos habet pedes, ſanctus Joannes ſuos collocaverat pedes, qui ſunt affectus animæ, *Pes tuus affectio tua* k, non in terrâ, ſed in cœlo: avis iſta utitur duabus pennis in formam harpagonum, ut requieſcat ſuper ramis arborum, ſanctus Joannes verò requieſcebat ſuper Jeſu Chriſto, qui eſt *Lignum vitæ* l, fultus duabus pennis, intellectus per contemplationem, & voluntatis per amorem: vel requieſcebat ſuper crucis arbore, ſenſibiliter afflictus duplici compaſſione in intuitu dolorum Filii, & Matris ſtantis *juxta crucem Ieſu* m. Cùm dolor ipſius eſſet eò gravior, quò amor ipſius erga Jeſum & Mariam erat major. Scimus illum fuiſſe *diſcipulum quem diligebat Ieſus*. Propterea hanc dilectionem mutuâ dilectione compenſare ſatagit. Refertur de Phidia, quòd cùm ſtatuam Minervæ miro ſculpſiſſet artificio, nomen ſuum ſcalpro exaravit in eadem ſtatua, ut ſe oſtenderet operis ſic eximii authorem: S. Ioannes perfectè depictâ nobis imagine Patris æterni, quam repræſentat nobis quoad Divinitatem, & quoad huma-

k S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. Qui habit.
l Apoc. 22, 2.
m Joan. 19, 25.

humanitatem. *In principio erat Verbum*, &c. *Et Verbum caro factum eſt* n: nomen ſuum ponit in fine Evangelii ſui, vocans ſe *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus*, &c. Quod agit ne videatur ingratus.

n Ioann. 1. 1. &c.

Infra octavam iſtam Natalis Domini, celebramus feſta S. Stephani, S. Ioannis & ſanctorum Innocentium, ut diſcamus quod in nativitate noſtra ſpirituali debemus intuendam exhibere bonam voluntatem noſtram erga Deum tribus modis. Primò, volendo bonum, & illud exequendo cùm poſſumus. Secundò, Volendo illud, cùm ipſum non poſſumus. Tertiò, Non volendo, & non contemnendo, id eſt, cùm voluntas non approbat, nec reprobat, & manet neutra, nondum habens uſum liberi arbitrii, quod non eſt diſpoſitum. Tales effectus noſtræ voluntatis referuntur ad hæc tria feſta. S. Stephanus habuit voluntatem & opera o. S. Ioannes habuit voluntatem, & non opus: ſolum enim deſiderium ejus Deo ſatisfecit. Et in SS. Innocentibus invenitur opus ſine voluntate tamen, quia martyrium perpeſſi ſunt pro Chriſto p ante uſum liberi arbitrii, non quòd non habuerint voluntatem, ſed quia eorum voluntas non approbavit, nec reprobavit bonum iſtud opus. Deus vult ut ipſi perhibeamus teſtimonium bonarum voluntatum noſtrarum tribus modis iſtis, præcipuè verò ut inſtar S. Ioannis, amorem ipſius amore reciproco agnoſcamus, ſi velimus ut ipſe continuet diligere nos hic, & in æternitate.

o Act. 7. 58.

p Matt. 2. 16.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Puer autem creſcebat, Luc. 2. 40. &c.

FEſta noſtra ſunt nimis auguſta nedum non continuemus diutiùs eorum ſolemnitates; & noſtra Cantica lætitiæ, quæ ſolùm incipiuntur, non debent intra ſic exiguum tempus terminari; & gaudia B. Virginis Deiparæ nimis juſta ſunt & nimis rationabilia, nedum ea ita citò interrumpamus interventu triſtis recordationis futurorum dolorum ipſius. Parce mihi, quæſo, venerabilis ſenex Simeon; ignoſce mihi, ſi aſſeram, quòd non debes interrumpere juſtas & ſenſibiles ſatisfactiones ita bonæ Matris interventu nunciorum funeſtorum & lugubrium, quæ illi das, quòd gladio doloris perforandum ſit cor ipſius, & quòd iſte Filius, quem ipſa præbuit mundo, erit innocens occaſio ruinæ multis, æquè ac cauſa ſalutis & reſurrectionis multis aliis, *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Procul à diebus iſtis lætitiæ hæc motiva triſtitiæ, procul hinc iſta faſtidia. Admirare, B. Virgo, & deguſta præ tota ſuavitate poſſibili mirabilia quæ publicantur hodie in favorem adorabilis Filii tui: tu verò *Anna Propheteſſa, de illo omnibus qui redemptionem Iſrael* expectant, audacter loquere: ego verò taceo de omni eo quod interturbare poſſet ſolemnitatem ſpecioſorum dierum iſtorum lætitiæ, quos celebramus: abſit à me ut interrumpam gaudia hujuſmodi; minùs etiam ut lædam ullâ triſti vel funeſtâ narratione cor amoroſum hujus Matris *pulchræ dilectionis* a, quæ velut eſt extra ſe rapta intuitu dilectiſſimi iſtius Filii ſui, *D movet de ſtatu divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur* b. Omnes profundiſſimæ meæ reverentiæ & adorationes diriguntur ad iſtum Puerum, qui gratam præbere debet huic diſcurſui concinnando materiam. Maria nuper hunc *peperit Filium ſuum primogenitum* c ſine ullo dolore, ſicut illum conceperat absque voluptate ad hæc verba Angeli, *Ave Maria.*

a Eccl. 24. 24.

b S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

c Matth. 1. 2. &c. & Luc. 2. 7

Non eſt aliquid quod ſic commendet excellentiam cauſarum ac magnitudo effectuum ipſorum; & homines æmuli gloriæ, vellent, ſi ſucceſſus reſponderent ipſorum deſideriis, poſſe ſe immortales reddere in propriis operibus ſuis, ad relinquendum aliquod monimentum memoriæ ſuæ, poſteritati. Hoc eſt conſilium, ad quod tendunt maximi ipſorum conatus: ad hos fines inſumunt ipſi notas magis viſibiles potentiæ ſuæ. Ad cujus probationem, Scriptura memorat quòd Abſalom ſategit erigendum monumentum magnificum ad cuſtodiendam memoriam ſuam in tota extenſione ſeculorum, quæ ipſum ſequi debebant, & quòd vocavit iſtud opus, Manum Abſalom: *Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viveret, titulum qui eſt in Valle Regis: dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine ſuo, & appellatur, Manus Abſalom* d. Et de fratre illius dicit, *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo Leones ſtabant juxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde: non eſt factum tale opus in univerſis Regnis* e. Sic recenſetur Imperator Juſtinianus ductus eodem motivo, conſtruendum feciſſe Conſtantinopoli altare ſanctæ Sophiæ, ex argento, & auro, ac margaritis, univerſiſque mundi raritatibus exquiſitiſſimis, quæ omnia liquefieri fecit & coaleſcere in unam molem induſtriâ inauditâ & inuſitatâ; ita ut ad illud opus eximium concucurrerit contributio generalis induſtriæ, divitiarum, & potentiæ totius Imperii; & prope hoc altare collocari præcepit ſtatuam Salomonis, qui videbatur mirari, & præ pudore latêre, præ confuſione quâ velut operiebatur, eò quòd intueri videretur quòd templum ſuum, quod ipſe ædificaverat Jeroſolymis cum tantis ſumptibus & tam magnifico apparatu f, ſuperaretur à templo iſtius Imperatoris. Quod erat pura vanitas Principis mundani, qui non agebat niſi intuitu gloriæ, quam ſibi concili-

d 2. Reg. 18. 18.

e 3. Reg. 10. 18. &c.

f 3. Reg. 6. 14. &c.

conciliare volebat, ut ſe commendabilem po-
ſteritati redderet, & viveret ſeculis omnibus
per famam, ſic cupidè aucupans auras & rumo-
res populorum. Quòd ſi homines qui nihil a-
gere poſſunt immortale, & extra ſphæram acti-
vitatis ſuæ, conantur nihilominùs relinquere
poſteritati opera abbreviata in probationem
ſuæ magnitudinis, & in teſtimonium potentiæ
g Act.7.2. ſuæ: quid non agere debebat *Deus gloriæ* g, qui
habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Re-
h Apoc. 19.16. *gum, & Dominus dominantium* h? Nunquid non
decebat ipſius majeſtatem, ut, poſtquam exten-
diſſet ſuper capita noſtra hunc prædivitem pa-
pilionem cœlorum, qui non eſt aliud niſi opus
digitorum ipſius, ut ait illi Pſalmiſta, *Quoniam*
i Pſ.8.4. *videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum* i: faceret
monimentum, in quod inſumeret totam poten-
tiam brachii ſui, & in quod congregaret omnia
lineamenta delicatiſſima pulchritudinis ſuæ, &
univerſos charactêres manifeſtiſſimos potentiæ
ſuæ? Iſtud eſt quod egit ipſe *ubi venit plenitudo*
k Galat.4.4. *temporis* k, in myſterio ineffabili Incarnationis,
in quo *fecit potentiam in brachio ſuo* m, dans ter-
m Luc.1.51. ræ hominem Deum, qui eſt vera ipſius expreſ-
ſio & perfecta imago, *Qui eſt imago Dei inviſibi-*
n Coloſſ.1.15. *lis* n. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ e-*
o Hebr.1.3. *jus* o. Iſte puer, quem adoramus reclinatum in
p Luc.2,7. *præſepio* p, eſt opus ipſius eximium: *Parvulus*
enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus
eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur
nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis,
q Iſai.9.6. *Pater futuri ſeculi, Princeps pacis* q. In hoc exiguo
corpore ipſe incluſit totam [illegible]ntiam ſuam, &
omnes Divinas perfectiones ſuas, *In quo ſunt om-*
nes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in
ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporali-
r Coloſſ.2.3,&9. *ter* r. In iſtud ipſe refudit totam potentiam
ſuam, cùm nihil agere poſſit digniùs aut majus
Deo humanizato, & homine divinizato, juxta
ſ S. Thom. 1.p.q.25. art.6.ad 4. id quod ait ſanctus Thomas ſ, *Quòd Humanitas*
Chriſti ex hoc quod eſt unita Deo t, *& beatitudo crea-*
t ex Jo.1.14. *ta ex hoc quòd eſt fruitio Dei* u, *& beata Virgo ex*
hoc quòd eſt Mater Dei x. *habent quandam dignita-*
u ex Jo.17.3. *tem infinitam ex bono infinito* y *quod eſt Deus: &*
ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis; ſicut
x ex Luc.1.38. *non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Et ecce Puer iſte,
y ex Baruch 3.25. qui nobis apparet hodie, & de quo propoſui lo-
qui vobis, ideoque vos edocere Primò conſi-
Diviſio. lium propter, quod ipſe ſtatuit ſe facere Puerum:
Secundò quomodo gerere nos debeamus erga
hunc Puerum.

I. Pars. Cùm conſidero quòd Filius Dei *qui cùm in for-*
ma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem
Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi acci-
piens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu in-
z Philipp. 2,6,& 7. *ventus ut homo* z, imo verò ut *Puer*: quæro ra-
tionem propter quam voluit ſe facere Puerum.
Certum eſt quòd ſi conſidero eum ipſum, &
quantùm ad id quod ipſum intuetur, jure meri-
to dicere poſſum, quòd ſe fecit Puerum eò
quòd ipſe ſibi complaceat cum parvulis, eorum-
que diligat ſocietatem. Propterea ipſe queri-
tur iis, qui impediunt eorum acceſſus ad ſe, tan-
quam illis qui volunt obſtacula ponere ſatisfa-
ctionibus ipſius, *Oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis*
imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant
eos. Ieſus verò ait eis, Sinite parvulos, & nolite eos
prohibere ad me venire: talium eſt enim Regnum
a Matth. 19.13.&14 *Dei* a. Illos verò tanti æſtimat, ut minetur no-
bis, nunquam nos futuros conſortes hæreditatis
ſuæ, niſi convenientiam habeamus cum illis, ni-
ſi præ nobis feramus eorum ſimilitudinem, &
conemur eos imitari ſic ut evadamus non ſecus
ac parvuli ſine malitiâ, parvuli innocentiâ, cu-
jus ſunt ipſi ſymbola, parvuli puritate ad hoc ut
ingrediamur cœlum, cùm alioquin nobis illius
aditus ſit in æternum claudendus, *Niſi efficiamini*
ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum b. b Matt.18.3.
Cui congruit expoſitio Dionyſii Carthuſiani d, d Dion. Carth.art. 32. in Matt.18.3.
Niſi efficiamini ſicut parvuli, id eſt, parvulis aſſimilati
fueritis, quantùm ad bonas proprietates eorum ample-
ctendo innocentiam, puritatem, & humilitatem eo-
rum, quos conſtat de Prælatione non occupari, nec in-
vicem invidere, non intrabitis in Regnum cœlorum,
quod humilibus atque pacificis eſt paratum.

Exiſtimo quòd amor iſte quo JESUS diligit
parvulus, non eſt niſi compenſatio amoris: &
ſicut amor eſt iſtius naturæ, ut nunquam meliùs
compenſetur quàm amore, juxta proloquium
iſtud tritum, *Amor amore compenſatur*: cùm par-
vuli dilexerint Jeſum parvulū, Jeſus diligit par-
vulos. Re autem verâ, prima reverentia ipſi ex-
hibita in mundo, fuit ipſi reddita ab infante, *Ex-*
ultavit infans in utero ejus, ait Scriptura e de ſancto e Luc.1.41.
Joanne Baptiſta adhuc incluſo in ventre matris
ſuæ S. Elizabeth. Quis autem unquam meliùs
honoravit & dilexit eum in primo ingreſſu i-
pſius in mundum, & in exitu ipſius ex eo, quàm
honoraverint & dilexerint ipſum infantes?
Nunquid non parvi Innocentes in primo in-
greſſu ipſius in mundum, tradiderunt ſangui-
nem ſuum ad amplectendam illius cauſam? *He-*
rodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Beth-
leem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra f. f Matth.2.16.
Et in egreſſu ſuo ultimo è mundo, cùm inter
paucos dies bajulaturus eſſet *ſibi crucem in eum*
qui dicitur Calvariæ locum, ubi g crucifigendus e- g Joan.19,17.&c.
rat, & moriturus, nonne infantes dederunt ei
gloriam, concinentes iſtud Canticum laudis?
Hoſanna Filio David h. Iſti ultimi erant veluti E- h Matth. 21.15.
cho primorum; & hæc verba Pſalmiſtæ i, *Ex*
ore infantium & lactentium perfeciſti laudem pro- i Pſ.8.3.
pter inimicos tuos, intelliguntur de illis, qui ex-
ceperunt ipſum ipsâ die Palmarum, qui vix bal-
butire poterant, cùm præfatum Canticum con-
cinebant, ſicut Judæis invidis & inimicis ſuis
hoc in occurſu ipſemet *Ieſus dixit, Vtique nunquam*
legiſtis? Quia ex ore infantium & lactentium perfe-
ciſti laudem k. Dicit igitur Pſalmiſta, quòd k Matt.21.16.
Deus hic perfecit id quod fuerat inchoatum,
perfeciſti. Eximium verbum, & maximi mo-
menti ad extollendas prærogativas horum par-
vulorum, *perfeciſti laudem.* Quaſi verò illud o-
mne quod factum fuerat uſque ad illud tempus,
& univerſæ laudes, quæ datæ fuerant Deo, non
eſſent elogia. Perfectiſſima laudum omnium
quæ poſſunt attribui Deo, eſt confiteri nomen
ejus, & exponere vitam ſuam, & tradere ſan-
guinem ſuum pro cauſâ illius: *Majorem hâc di-*
lectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis
pro amicis ſuis l. Iſtud eſt proprium Martyribus: l Joan.15.13.
& hoc eſt, quod peregerunt Innocentes, qui
mortui ſunt non loquendo, ſicut infantes Jero-
ſolymitani locuti ſunt non moriendo. De illis
canit Eccleſia, *Deus, cujus præconium Innocentes*
Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt.
De iſtis verò dicere poſſumus, quòd confeſſi
ſunt eum non moriendo, ſed loquendo; ita ut
per illos & per iſtos conſummata fuerit perfe-
cta laus Dei; ipſi mutuas dant manus illis, cùm
concurrant omnes ad eundem finem. Quid igi-
tur

tur eſt mirum ſi Jeſus diligat infantes, cùm infantes diligant Jeſum? Et cum ſit proprium amori cautare ſimilitudinem, *Amor aut pares invenit, aut facit*; propterea, ut opinor, Jeſus ſemetipſum fecit infantem, *Puer autem* Sed illud ipſum reſpicit. Videamus alia motiva, quæ cùm nobis propria ſint, ſunt nobis utiliora, cùm noſtra ſpectent commoda.

Invenio quòd Jeſus ſe fecit infantem pro nobis propter tres rationes. Prima eſt, ob fortiorem probationem, & in ſignum quòd cùm offenderimus ipſum peccatis noſtris, & irritaverimus ipſum criminibus noſtris, quæ provocant ipſius iram, facilè poſſumus in hoc ſtatu ipſum mitigare, & redire in amicitiam ipſius, *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret* m. Sicut enim in principio mundi fuit offenſus interventu pomi n inobedientiæ in paradiſo terreſtri; ſic nunc cùm puer effectus eſt, *in terris viſus* o, facilè mitigatur veluti pomo: quid enim facilius eſt ſatisfactu infanti, imò verò inter ardentiſſimas iras ipſius? Sufficit ad hoc ut is qui ipſum offendere viſus eſt, tantiſper ipſi blandiatur, reſtetur pœnitere ſe ipſum exacerbaſſe, proteſtetur quòd velit amicus ipſius eſſe, & præ ſe faciem ferat hilarem erga ipſum, & ipſe ſtatim contentus eſt: quàm proficuus eſt nobis iſte ſtatus, nihil facilius, Auditores, in hoc ſtatu infantis, in quo eſt, quàm initu amicitiam ipſius, quàm ipſum mitigatu, imò verò cùm maximè eſt exacerbatus: *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* p. Ipſe eſt infans, qui non fovet odium in corde; infans, qui non recordatur injuriarum ſibi illatarum, ſed illarum obliviſcitur facilè: eamus igitur ad eum, cùm facilè ſit conciliatu nobis amicitiam ejus, & mitigatu iram illius quantùmvis ardentem: non expectemus donec pervenerit ad ætatem perfectam, quâ ſanguis bulliet in venis ipſius: tunc enim magis erit iratus, difficilius nobis erit acceſſu ad illum, & audaciſſimi quique nonniſi vix ad eum approximabunt, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ* q. Ne differamus reconciliari ei, cùm Puer ſit, *Puer autem*. Quando Jeſus, hic Puer adorabilis, nobis igitur oſtendit, ſe eſſe iratum contra nos propter offenſas noſtras, ſufficit ut teſtemur ei, pœnitere nos peccaviſſe, proteſtemur illi nos velle recipere nos in bonam emendatæ vitæ frugem, offeramusque ipſi obſequia noſtra & reverentias noſtras in futurum: & ſtatim nos ipſe ſibi reconciliabit, ipſe contentus erit non ſecus ac ſi nunquam fuiſſet exacerbatus à nobis, nedum recordetur unquam amplius illius quod ipſum offenderat, ſicut ipſemet ait, peccatorem alloquens, *Peccatorum tuorum non recordabor* r. Ecce prima ratio quæ induxit Jeſum ad ſe faciendum Puerum in favorem noſtrum, *Puer autem*. Si enim ſe feciſſet duntaxat hominem, ſi ſolùm nobis apparuiſſet in hoc ſtatu: Ha! quàm difficile fuiſſet ipſum mitigatu, poſtquàm criminibus noſtris irritaſſemus patientiam ejus; acceſſus ejus nos ſtupore perculiſſet; & difficultas veniæ nos induxiſſet ad deſperationem illius impetrandæ.

m Pſ. 9. 25
n Gen. 3. 6
o Baruch 3. 38
p Hebr. 4. 16
q Matth. 25. 31
r Iſai. 43. 25

Secunda ratio, propter quam Jeſus ſe fecit puerum pro nobis, eſt, ut in hoc ſtatu poſſimus ipſum veluti meliùs decipere; cùm hæc ætas nondum ſit capax aſtutiarum. Antequàm nobis apparuiſſet in hoc ſtatu, Ha! quàm avarus erat, & quanti æſtimabat gloriam ſuam: illam pretio ita ſummo comparandam propoſuerat, ut nullus, quantùmvis juſtus & ſanctus eſſet, unquam potuerit illam conſequi: quin imò ipſe ſanctus Joannes Baptiſta, licèt perfectiſſimus, quippe qui *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ* ſ repletus eſt, & *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre* t: Et amiſit tandem *in carcere* u caput, & vitam pro causâ Dei: nihilominùs cùm omnibus iſtis actionibus glorioſis non eſt ingreſſus cœlum, quippe cùm Deus avarus gloriæ ſuæ, hanc ſtatuiſſet altiſſimo pretio comparandam. *Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres* x: *lapidati ſunt* y, *ſecti ſunt, tentati ſunt* z, *in occiſione gladii mortui ſunt* a, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis* b, *egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes* c, *in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ* d. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem*, ait ſanctus Paulus e. *Id eſt, cœleſtem hæreditatem promiſſam, ante Chriſti paſſionem*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus f. Sed Jeſus *Caro* g factus in plenitudine *temporis* h, Jeſus in ſtatu pueritiæ, in quo vobis ipſum annuntio, & in quo ipſe vobis apparet, non ſtatuit paradiſum ſuum ſic alto pretio comparandum, & quaſi neſciret illius valorem, illum vili pretio tribuit. Ipſe, puer eſt: & ſicut proprium eſt puerorum non judicare de rebus ſecundùm valorem ipſarum, dare res pretioſas pro aliis vilis pretii; mutare adamantes pro vitro quod non habebit niſi ſplendorem, margaritas & theſauros pro exiguo fructu: ſic Jeſus, prout puer, dat paradiſum ſuum in iſto ſtatu pro re exiguâ, præbet illum vili pretio, & veluti pro nihilo. Aliquibus illum relinquit pro exiguo quod habebant, ſicut Apoſtolis, qui reliquerunt *omnia* i ad ſequendum ipſum. Aliis etiam dat illum pretio viliori, nec ab illis totum requirit, ſed tantùm *dimidium bonorum*, ut à Zachæo, & conſequenter dat illi Regnum ſuum: *Ait Ieſus ad eum, Quia hodie ſalus domui huic facta eſt* k. Alii paradiſum emunt ſic vili pretio, ut Jeſus eum relinquat ipſis pro eo quod ipſis eſt ſuperfluum, *Quod ſupereſt, date* l. Res admirabilis! Aliquibus duo denarii ſufficiunt, ad illum emendum, ut illi viduæ Evangelicæ m quæ *in gazophylacium miſit duo minuta, quod eſt quadrans*. Aliis calix aquæ frigidæ erogatus acquirit eum, *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam* n, ait idem Jeſus. Sed, Auditores, Deus æſtimatne ſic exigui paradiſum ſuum, ut illum ſic vili pretio ſe erat? Ha! ratio iſtius eſt, quia ipſe puer eſt, videtur ipſe non cognoſcere valorem illius; & ideò ipſi ſatisfacit exiguum, ſed ſic exiguum, ut derelinquat cœlum pro nihilo; ipſe contentus eſt bonâ voluntate, bono deſiderio cùm vires nobis deſunt, & ſtatim nobis largitur Regnum ſuum. Nolite credere mihi, ſed credite Pſalmiſtæ o dicenti Deo, *Pro nihilo ſalvos facies illos*. Id eſt, *Gra-*

ſ Luc. 1. 15.
t Matt. 3. 4
u Marc. 6. 28, &c
x Ex Ierem. 37. 15. & ex Judic. 16. 21. & ex 3. Reg. 22. 27
y Ex 2. Par. 24. 21
z Ex Tob. 2. 12
a Ex 2. Mach. 6. 30
b Ex 4. Reg. 1. 8
c Ex 1. Reg. 24. 1. &c.
d Ex 3. Reg. 18. 4
e Hebr. 11. 36. &c.
f Dion. Carth. art. 11. in Heb. 11. 39
g Joan. 1. 14
h Galat. 4. 4
i Matth. 19. 27, &c
k Luc. 19. 8. & 9
l Luc. 11. 41
m Marc. 12. 41. & 42
n Matth. 10. 42
o Pſ. 55. 8

p S. Aug. in Pſ. 5. 8. *tu datâ gratiâ tuâ*, ſubdit ſanctus Auguſtinus p. Videte, Auditores, quantùm nos ſimus ei obſtricti in hoc ſtatu pueritiæ, in quo vobis eum annuncio, & quam utile nobis ſit actu & tractatu cum eo, cùm ita vili pretio nobis relinquat rem ſic pretioſam, qualis eſt cœlum, quam illi qui præceſſerant adventum ipſius in mundum, acquirere non poterant omnibus paſſionibus ſuis mediis, ita ſublimi pretio res erat illa emenda.

Tertia ratio induxit Jeſum ad ſe faciendum puerum, & ſemper in favorem noſtrum, nimirum, ut ſecuriorem acceſſum ad ipſum nobis præberet, & ut nos meliùs obſtringeret ad ipſum diligendum, cùm nihil ſit amabilius infante in innocentiâ ſuâ. *De* Deo querebantur alias homines circa tres res quæ erant in ipſo, per quas ſe reddebat ipſis inacceſſibilem, dicentes pro motivis querelarum ſuarum quòd ipſe eſſet nimis altus, nimis terribilis, & nimis magnus. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus* q. (q Pſ. 92. 4) En altitudo ipſius. *Terribilis es; & quis reſiſtet tibi* r? (r Pſ. 75. 8) Ecce terror, quem ipſe incutit, eò uſque ut populus Iſraël putet quòd vel ſolum verbum ejus poſſit ipſis mortem inferre. *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur* ſ. (ſ Exod. 20. 19) Qualis terror. *Magnus Dominus, & magna virtus ejus* t. (t Pſ. 146. 5) Ecce magnitudo illius. Tres iſtæ res faciebant motivum querelarum hominum. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* u: (u Pſ. 10. 5) & ipſi in terra, & quomodo poſſent ad eum accedere, ut ab eo ſuſciperent auxilium neceſſitatibus ipſorum opportunum? Et ſi ita terribilis eſt, quis poſſet eum ſuſtinere? Et ſi ſic magnus eſt, quâ ratione homines qui non ſunt niſi Pigmæi, audebunt ad eum accedere? Sed ceſſate, mortales, imponite finem querelis veſtris: videte quomodo in Jeſu Puero, quem vobis annuncio, hæc altitudo depreſſa eſt, terror iſte mitigatus eſt, & hæc magnitudo quæ vos ſtupore percellebat, abbreviata eſt in diſtrictu exigui corporis infantilis: accedite ad eum, nihil eſt eo ſuavius, humilius, & beneficentius: diligite ergo eum, cùm ſit totus amabilis, & totus adorabilis: admiramini pulchritudinem ejus, quæ eſt ſplendidior Sole coronato radiis: nunquam enim fuit quis ſimilis ei in ſpecie, *Speciosus forma præ filiis hominum* x. (x Pſ. 44. 3) Quòd ſi pulchritudo ſibi conciliat amorem, ſi ipſa præ ſe fert ſuavitates, quæ ſibi devinciunt corda: poſtquàm admirati eſtis decorem hujus adorabilis Pueri, qui facit delicias Angelorum, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* y; (y 1. Petr. 1. 12) diligite eum, ſed *ex toto corde* veſtro, *& in totâ animâ* veſtrâ, *& in totâ mente* z veſtrâ. (z Matth. 22. 37) Diligite eum, ſi non tantùm quantùm amabilis eſt, ſaltem quantùm poteritis, juxta iſtud effatum, *Unuſquiſque rem amat, cujus pulchritudinem miratur.* Et ecce rationes, propter quas Jeſus ſe fecit Puerum, pro quibus debemus ei agere gratias immortales, cùm eæ nobis ſic ſint proficuæ, quemadmodum dixi vobis.

II. Pars. Supereſt nunc ut edoceam vos, quomodo nos gerere debeamus erga hunc divinum Puerum. Super quod conſidero, quòd non poſſumus meliùs & digniùs nos gerere erga eum, quàm agendo erga illum eo modo, quo erga ipſum ſe geſſit beata Virgo, chariſſima Mater ipſius. Ipſa eſt ſpecioſiſſimum ſpeculum, ubi videmus id omne quod nobis eſt peragendum, ut dignè noſtris muniis perfungamur erga divinum Puerum iſtum. Debetis enim ſcire quòd ipſa exhibuit ei omnia hæc bona officia, quæ nos commendant, ſi exerceamus ipſa ad illius imitationem. Primò, Ipſa cõcepit infanté Ieſũ *in utero ſuo*, poſtquàm *Angelus gratiâ* a *plenam* ſalutaſſet ipſam, & ipſe ſuum præbuiſſet conſenſum verbo ejus per unum *Fiat*, quod reddidit ipſam excellentiſſimam omnium creaturarum. (a Luc. 1. 28. &c.) Secundò, Ipſa parturivit hunc adorabilem infantem, qui egreſſus eſt è viſceribus ipſius abſque ullâ læſione, *Impleti ſunt dies ut pareret. Et peperit Filium ſuum primogenitum* b. (b Luc. 2. 6. & 7) Tertiò, Ipſa eum aluit lacte ſuo, dans ei ubera ſua,

Parvoque lacte paſtus eſt.

Sicut canit Eccleſia. Quartò, *Et pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio* c. (c Ibid.) Conſequenter, Ipſa calefecit eum, & poſthæc dedit illum quieti capeſſendæ; & ut meliùs excitaret eum ad dormiendum, ſicut ſapiens nutrix, & bona Mater, ipſa canebat ei; & poſtquàm expergefactus erat, ipſa deferebat eum inter brachia ſua, amorosè conſtringendo illum contra pectus ſuum, & innumera infigendo ei oſcula. Ecce id quod agere debemus erga eum.

Primò, Debemus, more beatæ Virginis, concipere puerum Jeſum in ſinu noſtro; quod facilè facere poſſumus mediis bonis deſideriis, & ſanctis & ardentibus conatibus voluntatum noſtrarum, quæ deſideria & conatus Deus excipit pro veris effectis, & facit ut illorum interventu concipiamus ipſum in cordibus noſtris: ita ut poſſim dicere bonæ animæ, quæ eſt ſanctè diſpoſita, eadem verba quæ B. Virgini *ait Angelus, Ecce concipies* d. Id eſt, concipies in corde tuo ſpiritualiter Filium Patris æterni. (d Luc. 1. 30. & 31. ex Iſa. 7. 14) Sed obſervate, quòd inveniuntur ſemper homines, qui, more mulierum ſterilium, nunquam concipiunt, peccatores obſtinati, quorum induratum eſt *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* e ſtrictum, (e Job 41. 15) jugiter indurati in criminibus ſuis ſine ullo deſiderio emendationis: & alii, qui ſemper reſident in propoſito continuandorum criminum ſuorum: Homines hujuſmodi non concipiunt Jeſum Chriſtum, ſed diabolum: ſic ſunt in periculoſo ſtatu animæ ſuæ, & omnes ſuas debent inſumere vires ad hoc ut ſe convertant ad Deum, conſenſum præbendo emendatæ vitæ impoſterùm ſectandæ.

Secundò, debemus, inſtar B. Virginis, parere Jeſum Chriſtum; quod agimus cùm executioni mandamus bona conſilia noſtra, & cùm bonæ voluntates noſtræ producunt effectus ſuos: tunc enim ſpiritualiter parturimus Jeſum Chriſtum: propterea dicere poſſum ſingulis animabus illis quæ iſto modo ſe gerunt, id quod eidem Mariæ præfatus *Angelus dixit, Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei* f. (f Luc. 1. 35) Ubi debetis obſervare quod reperiuntur aliqui, qui extinguunt conceptiones ſuas, & hi ſunt illi qui ſuffocant in ſemetipſis bonas voluntates ſuas, nedum unquam aut rariſſimè mandent eas executioni, reſiſtentes ſemper bonis motionibus & ſanctis inſpirationibus, quas ipſis cœlum ſuggerit, & quibus ideò ſic Deus improperat, *Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* g. (g Prov. 1. 24. & 25.) Alii deſerunt fœtum ſuum ſpiritualem decem & viginti annis, licèt matres non geſtent fœtus ſuos niſi novem menſibus & iſti portant

Digitized by Google

tant ſuas bonas voluntates decem, & viginti annis antequàm eas in praxim redigant. Præterea, Alii ſunt qui pariunt monſtra, conformiter ad id, quod recenſet ſanctus Auguſtinus *b* contigiſſe tempore ſuo, dicens, *Ante annos aliquot noſtrâ certè memoriâ, in Oriente duplex homo natus eſt ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem unus, & pedes duo ſicut uni homini: & tam diu vixit, ut multos ad eum videndum fama contraheret.*

b S. Aug. lib. 16. de Civit. c. 8.

Sic peccator cùm committit peccatum mortale, ſpiritualiter monſtrum generat: verum enimverò nunquid non monſtrum eſſet in naturâ id quod haberet faciem retrò loco dorſi, & dorſum antè loco faciei? Peccator eſt talis, qui defert faciem retrò, nimis adhærendo mundo; & qui habet dorſum antè, obliviſcendo Dei, qui de ſimilibus peccatoribus ſic queritur, *Verterunt ad me terga, & non facies i.* Sanè monſtrum foret illud quod deferret oculos & os in pedibus, & quod deorſum reſpiceret; & hoc eſt quod Pſalmiſta *k* ait de peccatoribus, *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Ipſi non complacent ſibi, prout terreſtres, niſi in loquendo de terrâ *Qui de terrâ eſt, de terrâ loquitur l.* Ibi enim collocaverunt totum affectum ſuum. Illud etiam eſſet monſtrum, quod haberet caput deorſum, & pedes ſurſum: & hoc innuit eos qui non intuentur niſi terram; & ſuperbos qui volunt in Deum inſurgere, *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit: & contra Omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt m.* Sed alii feliciter, æquè ac ſpiritualiter pariunt Jeſum Chriſtum. & hi ſunt illi, qui exequuntur bona deſideria ſua, adimplentes in omnibus quantùm poſſunt, voluntatem Dei: & hi ſunt veræ matres Ieſu Chriſti, prout ipſemet ait, *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt n.*

i Jer. 32. 33
k Pſ. 16. 11
l Joan. 3. 31
m Job 15. 20. &c.
n Matth. 12. 50

Tertiò, B. Virgo aluit puerum ſuum Jeſum lacte ſuo, præbens ei ubera ſua: & hoc eſt quod facere debemus ad imitationem ejus. & quod agimus effectivè cùm exercemus opera miſericordiæ erga pauperes: tunc enim alimus Jeſum Chriſtum, ſicut ipſemet aſſerit, *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere. Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis o,* æquè ac improperabit aliquando reprobis ipſorum ſævitiam adversùs eoſdem pauperes, qui ipſum repræſentant: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum. Amen dico vobis, quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Quando ergo eleemoſynam erogamus in pauperes, cùm providemus illis neceſſaria, & fovendæ vitæ ipſorum accommoda propter amorem Dei, tunc nutrimus Jeſum Chriſtum. Qualis ſatisfactio provenit inde miſericordibus, ut pro modicâ eleemoſynâ pauperibus impenſâ propter amorem Dei, eundem Deum habeant debitorem, quippe quem ſibi devinxerint cibando & potando Jeſum in perſonis pauperum ipſius.

o Matth. 25. 35. &c.

Præterea, Beata Virgo fecit Filio ſuo balneum, quo ipſum lavit, ſaltem ut ſentiunt aliqui, è quorum ſententiâ videtur eſſe Maldonatus *p*, cùm ait, *Et paſſus eſt in ſe fieri Chriſtus, quod in aliis hominibus fieri conſuevit, ut verum ſe hominem, cæteris ſimilem declararet.* Si ita ſe res habuit, debemus nos ei pariter balneum concinnare. Nolite autem dicere mihi, Unde ſumemus aquam? Reſpondebo enim vobis quòd in figuram balnei iſtius, *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita q.* Sic aqua quam adhibere debemus ad faciendum ex ipſâ balneum Jeſu infanti, hauriri debet è quatuor originibus. Prima, eſt memoria peccatorum noſtrorum cum dolore & pœnitudine nos ea perpetraſſe. Sic Magdalena ex hâc origine hauſit aquam lacrymarum ſuarum, *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, lacrymis cœpit rigare pedes ejus r.* Similiter poſt trinam negationem ſuam, *Petrus egreſſus foras flevit amarè ſ.* Et ante eos David *t* pœnitens dicebat Deo, *Domine, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Secunda, eſt compaſſio quâ debemus affici erga peccata proximi noſtri. Sic Jeſus Chriſtus Jeruſalem *videns civitatem, flevit ſuper illam, dicens, Quia ſi cognoviſſes & tu u.* Tertia, eſt ardens deſiderium, quo duci debemus, videndi Dei noſtri in cœlo. Hoc deſiderium educebat lacrymas ex eodem Davide *x*, & ipſum inducebat ad dicendum, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?* Et hoc idem deſiderium ferebat ſanctum Paulum *y* ad hoc ut diceret; quòd eſſet *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Quarta, eſt recordatio amara doloroſæ paſſionis Salvatoris: quæ memoria eſt maximæ utilitatis, & immodici meriti.

p Maldonat. in Luc. 2. 7.
q Gen. 2. 10
r Luc. 7. 37
ſ Matth. 26. 75
t Pſ. 6. 1. & 7
u Luc. 19. 41. & 42
x Pſ. 41. 4
y Philipp. 1. 23

Inſuper, B. Virgo infantem Jeſum *pannis involvit, & reclinavit eum in præſepio z.* Quod nobis innuit ex unâ parte puritatem, & ex alterâ humilitatem; & edocet nos, quomodo ſuſcipere debeamus Jeſum in Euchariſtiâ, cum magnâ puritate conſcientiæ, & profundâ humilitate cordis: & hæ diſpoſitiones, erunt panni, quibus involvemus infantem Jeſum ad exemplum Mariæ. Et deinde, ad imitationem illius, conabimur eum calefacere; *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet* tempeſtate frigidâ; Jeſus hic Patris *omnipotens ſermo de cœlo à Regalibus ſedibus proſilivit a.* Et ut ſic indiget calore, quo calefiat: quod dignè peragemus, tam producendo actus amoris erga hoc objectum adorabile, quàm exercendo charitatem erga proximum in neceſſitate conſtitutum. Actus iſti reiterati, erunt folles qui accendent ignem, qui calefaciet infantem Jeſum.

z Luc. 2. 7
a Sap. 18. 14. & 15

Poſthæc, Beata Virgo tradidit parvulum Filium ſuum quieti capeſſendæ: idem facere debemus nos, laborantes quantùm in nobis erit, ut conciliemus ei quietem; quod faciemus interventu pacis, quam habebimus in nobis, & quam procurabimus aliis, *Et factus eſt in pace locus ejus b.* Super quod obſervare debetis, quòd aliqui ſunt, qui nullam præbent quietem huic Infanti Divino, qui dionoctuque laborant ad coacervandas divitias per quaſcumque vias, imò damnabiles, & illicitas,

b Pſ. 75. 3.

Per fas, perque nefas, per mille pericula tendunt.

Deinde, Voluptuoſi, qui non quærunt niſi modos adimplendis concupiſcentiis ſuis accommodos. Et etiam, Ambitioſi, qui non affectant niſi ſemper magnificare ſe, & ſurſum aſcendere, licèt probroſior ſit inde futurus ipſorum caſus,

Tol-

Tolluntur in altum,

Vt lapſu graviore ruant.

Omnes iſti privant infantem Jeſum quiete ; & ipſimet ſunt inquieti , *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt* e. e Iſai. 57. 10 Inveniuntur etiam aliqui , qui interturbant infantem Jeſum in lecto, quem alii ipſi paraverant ; & hi ſunt iracundi, impatientes, & alii hujuſmodi , qui inducunt & provocant proximum ſuum ad peccatum : & illi inquietant Jeſum malis , & inde illum ejiciunt, quantùm poſſunt , cùm gratia & peccatum ſociari non poſſint, & præſentia unius ſemper ſupponat abſentiam alterius. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate ? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras ? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial* d? d 2. Cor. 6. 14. & 15 Sunt etiam & aliqui , qui præparant cubile Jeſu , ut ibi quieſcat , & verè ipſum ſuſcipiunt, ſed non ad longum tempus : interrumpunt enim quietem ejus : & hi ſunt illi qui relabuntur in priſtinos defectus ſuos: *Contigit enim eis illud veri Proverbii ; Canis reverſus ad ſuum vomitum* e: e Ex Prov. 26. 11 *Sus lota in volutabro luti*, ait ſanctus Petrus f. f 2. Petr. 2. 22 Id eſt , cùm ſanctè ſe præparaverint, & dignè ſuſceperint diebus feſtis nuper elapſis ſacram Euchariſtiam, poſt hæc tales ſunt quales erant , æquè criminoſi ac ſi nunquam fuiſſent innocentes, committentes eadem crimina poſt has auguſtas ſolemnitates, quæ anteà ipſi patrabant ; & ſic infeliciter ejiciunt à ſe bonum Jeſum, quem ſic ſanctè ſuſceperant , quod majus eſt crimen quam ſi tenuiſſent ei ingreſſum ad cor ſuum. Alii, ſed felices, præparant cum magnis curis lectum infanti Jeſu, ſuſcipiunt eum, & tribuunt ei ſuavem & continuam requiem, & hi ſunt illi qui pœnitentiam agunt , & perſeverant in praxi virtutum uſque ad finem , qui largitur coronas, *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi : Hic habitabo, quoniam elegi eam* g. g Pſ. 131. 14

Beata Virgo, poſtquàm Filium ſuum tradidiſſet quieti ; ut ſuavem cauſaret ei ſomnum, ut bona nutrix canebat ei , ſicut videmus conſuetudinis eſſe matrum in occaſionibus : cùm igitur requieſcere fecerimus Jeſum in pectoribus noſtris , ſuſceperimus eum per ſacram Communionem , conceperimus illum per bona deſideria noſtra , & pepererimus ipſum per executionem bonarum noſtrarum voluntatum, debemus ei canere , ad procurandum ei majorem quietem , & ſuaviorem ſomnum ; quod faciemus, aut orando eum devotè , aut legendo aliquem bonum librum. Canamus igitur ei amorosè, *Cantabo Domino in vitâ meâ : pſallam Deo meo quandiu ſum* h. h Pſ. 103. 33 Faciamus in iſto mundo id quod exercebimus & continuabimus in æternum in altero ſeculo; & ſic cauſabimus in nobis ſuavem quietem infanti Jeſu.

Tandem, Beata Virgo deferebat adorabilem Filium ſuum inter brachia ſua , ipſa ſtringebat illum amorosè contra pectus ſuum ; ipſa eum amplectebatur , & innumera imprimebat illi oſcula. Videte quomodo ipſa ſuos ſuper eum intentos habeat oculos , quâ ratione illum conſideret; ipſa extra ſe rapitur, eum videndo, & cor ipſius accenſum flammis ſacræ dilectionis , non ardet niſi igne amoris ejus: geramus nos, Auditores , eodem modo , imitemur hanc bonam matrem , deferamus amorosè inter brachia noſtra infantem Jeſum , qui eſt ſpiritualis productio noſtra : non enim dormit ſemper: & cùm experrectus fuerit, debemus eum deferre inter brachia , ſicut matres & bonæ nutrices filios & alumnos ſuos : Hoc autem faciemus præ voluptate infantis Ieſu & ad utilitatem noſtram , ſi ſuſtineamus æquanimiter adverſitates , quas cœlum mittet ad nos , ſi caſtigemus corpora noſtra ſanctis pœnitentiis & mortificationibus: eodem enim membro quo ſervimus Deo , aut patienter ſuſtinemus aliquod incommodum propter Deum, aut pœnitentiis voluntariis nos affligimus , deferimus Ieſum Chriſtum , juxta ſanctum Paulum i nos edocentem veritatem iſtam , *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* i 1. Cor. 6. 20 Caveamus autem ne faciamus ſicut illi, qui Ieſum Chriſtum deferunt duntaxat manu dexterâ, id eſt, qui laudant eum, eique gratias agunt in proſperitatibus & felicibus ſucceſſibus, *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei* k: k Pſ. 48. 19 & in adverſitatibus obliviſcuntur illius, & murmurant adversùs cœlum, *Poſuerunt in cœlum os ſuum* l. l Pſ. 72. 9 Deferamus Ieſum, & manu dexterâ, & manu lævâ, & in proſperitatibus, & in adverſitatibus, ut dicere poſſimus cum Pſalmiſtâ m, m Pſ. 33. 2 *Benedicam Dominum in omni tempore : ſemper laus ejus in ore meo.* Stringamus amorosè hunc divinum infantem contra pectora noſtra, imprimamus ei innumera oſcula pacis & amoris , dicamus ei præ omni affectu poſſibili cordis noſtri, *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum , nec dimittam* n. n Cant. 3. 4 Mi Ieſu ego ſum tibi totus addictus ; Puer adorabilis, ego non diligo niſi te; ſuavia lenocinia tua mihi cor abripiunt, & adoranda pulchritudo tua ſibi devincit illud , nedum poſſibile ſit ei quin velit te diligere, *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede & regna* o. o Pſ. 44. 5 Ipſe te feciſti infantem propter amorem noſtrum: Ha! amabiliſſime hominum , quomodo ergo non diligeremus te? Corda noſtra ſaxis eſſent duriora , niſi agnoſcerent amorem tuum: & ſi cauſæ diligunt productiones ſuas , & ita ſolicitæ ſunt de illis cuſtodiendis ut ſæpè ſeipſas deſtruant ad eas conſervandas ; cùm te conceperimus & pepererimus ſpiritualiter in cordibus noſtris , quomodo non diligeremus te, & non eſſemus ſoliciti de te cuſtodiendo , & de conſervandis omnibus quæ te ſpectant ? Etiam, Puer adorabilis: parati ſumus ad tradendam vitam noſtram , cùm tuenda cauſa tua illam exiget à fidelitate noſtrâ : robora bona deſideria noſtra, redde efficaces bonas voluntates noſtras, ut poſtquàm te dilexerimus in hoc mundo, glorificare te poſſimus in altero ſeculo.

IN

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer , vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Luc 2.21.ex Levit.12.3.

VIrtus moralis tribuit præcepta fortitudinis,
quæ vitam exponit pro bono publico. Hiſto-
ria profana ſcatet exemplis multorum virorum
qui vitam ſuam tribuerunt pro ſalute Reipubli-
cæ, rati quòd cùm hæc vita quotidie cum Fortu-
nâ prælietur, non poterat meliùs inſumi quàm
pro Virtute , & quòd id quod auſertur termini,
quem natura videtur ei promittere, remunera-
tur amplè merito & gloriâ iſtius actionis genero-
ſæ: Infans Jeſus generoſior abſque ullâ compara-
tione , ſciens quòd ſanguis ſuus daturus eſſet *vi-*
a Joan. 10.10. *tam* a per æternitatem hominibus omniũ ſecu-
lorum, effundit illum generosè gladio circunci-
ſionis, & facit ſacrificiũ corporis, quo ipſe ſe non
b Philipp. 2.7. induerat b niſi propter commoda noſtra. Leges
Civiles vetant ne homines eminentes authorita-
te, amplectantur jus illorũ qui litigant, quia au-
thoritas infert aliquam vim Juri, eosque liberat
ab oneribus quæ cadunt ſuper illos, qui ſunt mi-
noris conditionis: atqui cùm oporteret ut Infans
Jeſus amplecteretur cauſam omnium hominum,
c Iſai. 53. 12. eorũque *peccata* c ſeu debita ferret, hoc ipſe per-
fungitur opere charitatis ſine ullâ diſpenſatio-
ne Juris communis, & non inſumit excellentias
ſuæ naturæ divinæ, niſi ut pro illis ſatisfaciat ex-
actiùs juſtitiæ Patris ſui: propterea ipſe ſuũ cor-
pus ſubjicit doloribus circunciſionis. Sanè hæc
plaga rubicunda, eſt apertura quæ nobis ingreſ-
ſum dat ad cælum. Noſtra felicitas eſſe debet ex-
trema, ſi menſuretur ad ſupplicia, à quibus Deus
nos liberavit, ut iis oneraret hanc victimam in-
d 1.Cor. 6.20 nocentẽ. Sanguis ejus eſt pretium d vitæ noſtræ,
e Gal.4.31 & libertatis noſtræ e: ipſe nos reſtituit in amici-
tiam cum Deo, nedum expectet totalem illius
effuſionem, & nobis tribuit exemplum circun-
ciſionis ſpiritualis, quæ nos debet in eâ cuſtodi-
re. Sed ut conformemus nos ad dolores Filii, re-
curramus ad Matrem, & dicamus ei, *Ave Maria*.

f Ezech. 18.4. & 20. Noſtra natura mortua per peccatum f, manſiſ-
ſet in æternâ privatione beatitudinis ſuæ , niſi
g Joa.1.14 *Verbum* g æternum uniens eam ſibi, retribuiſſet
illi vitam Satisfactiones, quas Jeſus Chriſtus im-
pendit juſtitiæ Patris ſui, ſolverunt debitum no-
ſtrum, & nos reſtituerunt in jura cœli : ſic ut id
quod Platonici dicebãt de formâ univerſali in-
tuitu naturæ, poſſit applicari Jeſu Chriſto quoad
h Jacob.1. 17. id quod eſt gratiæ, quia eſt principium h, unde
veniunt ad nos lumina, vires, & motus ad omnes
actiones ſpectantes ſalutem noſtram. Ipſe eſt *Sol*
i Malach. 4.2. *juſtitiæ* i, qui conſtitutus in medio ſeculorum k,
k Gal.4.4. communicat eis influentias ſuas : cùm Deo ſit
proximus, debemus ipſius interventu inde ſuſci-
pere vitam & beneficia , ſicut aëris adminiculo
participamus qualitates corporum ſuperiorum.
l Eccli. 43.2. Ipſe eſt *Vas admirabile opus Excelſi* l, *plenũ gratia* m,
m Joan. 1. 14. ut effundat eam ſuper eos qui illâ dignos ſe red-
dunt. Ipſe eſt primus in ideis æternis, *Primogenitus*
n Rom.8. 29. *in multis fratribus* n. Propterea ipſe ſe reddit au-
thorem ſalutis hominum, ubi continetur hæc in
ſynopſi , ut tota referatur ad principium ſuum
modo congruentiſſimo. Natura format primò
cor, quò congregat ipſâ id totum quod habet ip-
ſa virtutum , ut has poſteà diſpenſet aliis parti-
bus juxta neceſſitates ipſarum: ſic cùm Infans Je-
ſus ſit perfectiſſimus operũ Dei, & primus in ideis
ipſius, eſt ille per quẽ ſumma Bonitas nobis com-
municat omnes gratias ſuas: quemadmodũ per-
ſona ſua eſt medium communicationum æterna-
rum in Trinitate o ; exiſtentia ſua quæ conſiſtit o Pſ.2.7.
in unione hypoſtaticâ Verbi cum naturâ huma-
nâ, fuit medium , quo Deus uti voluit ad nos re-
conciliandos ipſi p, & ad nos reſtituẽdos in gra- p Coloſſ. 1.20
tiam in tempore propter æternitatem: & quia
homines ſunt immemores horum favorum, æ-
què ac prodigi, *ſalvare in perpetuum poteſt accedẽ-*
tes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad inter-
pellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis eſſet
Pontifex, ſanctus , innocens , impollutus, ſegregatus à
peccatoribus, & excelſior cælis factus, qui non habet ne-
ceßitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) priùs
pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi q: *hoc* q Ex Levit 9.7. & 16.6
enim fecit ſemel, ſe offerendo r. Judæi, qui legis erant
periti, ſentiebant hoc omnes de Meſſia , quòd e- r Hebr. 7. 25.&c.
jus interventu populi ſeculorum omnium eſſent
ſuſcepturi benedictiones ſ cœli. Ego verò exi- ſ Eccli.44. 25.
ſtimo quòd Platonici , qui aliquam habuerunt
notitiam doctrinæ iſtius , alteraverunt eam, &
applicuerunt rebus materialibus id quod eſt in-
telligendũ de ſpiritualibus, cùm dixerunt, quòd
Deus producit creaturam perfectiſſimam om-
nium, quæ formavit omnes alias, quæque dirigit
eas ad fruitionem finium ſuorum: hoc eſt verum
de Jeſu Chriſto in ordine gratiæ; ipſe eſt anima
iſtius mundi ſupernaturalis; ipſe dat jugiter no-
bis lumina, auxilia, vires, motus , quibus dirigi-
mur ad cœlum , ſi velimus eis adhærere per me-
dia quæ ipſe inſtituit ad hunc eminentem effe-
ctum. Quòd ſi nunc videtis Dei Filium ſub infir-
mitatibus Infantis, inſignitum circunciſione in-
ſtitutâ pro peccatoribus t, effundentem ſanguinẽ t Levit. 12.3.
ſuum pro redemptione hominum , nolite inde
ſcandalizari: Ipſe eſt Sol, qui opertus nube rubeâ
ſui ſanguinis in ortu ſuo , & in primo curſu æta-
tis ſuæ, nobis promittit diluvium gratiarum ſub
finem dierum ſuorum u: Ipſe eſt vas ſacrum ita u Joan.19. 1.&c.
plenum balſamo divinarum perfectionum, ut o-
dor ipſius ſit effundendus per omnes totius terræ
habitabilis angulos: Ipſe eſt *Dominus Legifer no-*
ſter x, qui venit in mundum ad dandam nobis le- x Iſai.33. 22.
gem ſuam, & ad nos perducendos in viam perfe-
ctionis: Ipſe eſt Sacrificator, qui offert parvũ cor-
pus ſuum; ut victimam innocentem gladio, ut ef-
fuſione ſãguinis ſui lavet omnia peccata noſtra.
Non e[illegible]dubium quin amor præbuerit initiũ to-
ti huic operi: nam ſicut Pythagorici ſentiebant,
quòd ignis erat principium mundi: ſic principii
noſtræ redemptionis eſt ignis amoris ardentis in
pectore iſtius Infantis velut in fornace accenſâ.
Et licèt magna ſit inæqualitas inter amorem ip-
ſius & amorem noſtrum, ipſe tamen ſe putat be-
nè compenſatum , ſi agamus ipſi gratias pro hoc
ſanguine quem ipſe effundit gladio circunciſio-
nis, quæ Primò eſt ipſi ignominioſa : Secundò Diviſio.
doloroſa: Tertiò tamen amoroſa, ſicut videbi-
mus in tripl ici parte diſcurſus iſtius.

Iſte ſanguis pretioſus eſt artha ſolutionis tota- I. Pars.

lis, quã Salvator impendet aliquando Patri ſuo, ſicut mercator qui aliquid emit, dat aliquam pecuniam pro arrhâ & ad incipiendam ſolutionem totalem, cui ſe alligavit: Dei Filius autem præſtiterat cauſam noſtram quoad ſolvendum debitum quod contraxeramus cum Patre æterno per noſtram culpam; & ecce Filius hic hodie effundit ſanguinem ſuum, ad probandum quòd aliquando ſit ipſe erogaturus ſolutionem totalem ſuper cruce ubi effuſurus eſt illum abundantiùs. Quotieſcunque cometa ſanguine rubẽs apparet in cœlo, ſtatim omnes Aſtrologi conantur prædicere eventus rei ſic extraordinariæ: videmus hodie micare non in cœlo, ſed in terrâ Infãtem Jeſum ut cometam ſanguine ſuo rubentem: æquũ eſt igitur ut inquiramus rationes rei ſic novæ & inuſitatæ. Aſtrologiæ periti conſentiunt unanimiter, quòd mors alicujus hominis inſignis dignitate, eſt exarata in cometa ſanguinoleoto: cùm Infans Jeſus hodie effundat ſanguinẽ ſuum ætate ſic tenerâ, hoc innuit, quòd profuſio ſanguinis ipſius erit abundantior ſub finem dierum ipſius. Videtur ipſemet Salvator hanc obſervationem approbare, cùm ait, *Facto veſpere dicitis: Serenum erit; rubicundum eſt enim cœlum. Et mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum* y. Si cœlũ manè, id eſt, Jeſus Chriſtus in infantiâ ſuâ rubet ſanguine, quid inde conjicere poterimus, niſi abundantiſſimum imbrẽ ſanguinis, qui fluet è nube corporis ipſius, veſpere vitæ ſuæ pro redemptione generis humani? Iſtius myſterii figura habetur in Scriptura z, ubi dicitur, *Ecce nubecula parva facta eſt pluvia grandis*. Sic iſtæ parvæ guttæ ſanguinis quas Jeſus Chriſtus effundit hodie in circuncitione ſuâ, nobis præſagiunt magnam pluviam quam ipſe effundet in cruce, ſicut prædixit Pſalmiſta a, *Copioſa apud eum redemptio*.

y Matth. 16. 2. & 3.
z 3. Reg. 18. 44. & 45.
a Pſ. 129. 7

Refertur hoc ad id quod obſervant Mathematici, quòd quando Sol in ortu ſuo eſt involutus nube notatâ maculis rubeis, ſignum eſt certum futuræ pluviæ, ſicut dixit etiam Poëta Latinus,

Ille ubi naſcentem maculis variaverit orbem
Conditus in nubem, medioque refulſerit orbe,
Suſpecti tibi ſunt imbres.

Sic cùm *ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* b in mundum, involutus nube humanitatis noſtræ, & ſtatim vidit ſe ſanguine ſuo veluti maculatũ, ſignum eſt, quòd deinceps fluet imber ſic ingens, ut diluvio ſuo ſit immerſurus omnia peccata mundi. Fatendum tamen eſt, quòd parvus hic nimbus quem videmus hodie fluere è cœlo corporis ipſius, eſt ignominioſior huic parvo Deo, quàm futuri ſint torrentes qui inde decident cùm omnes cataractæ erunt apertæ die amaræ paſſionis ipſius. Flagella, ſpinæ, clavi, & lancea c, quæ fecerunt has magnas aperturas, nobis ſolùm oſtẽdebant quòd ipſe erat paſſibilis: ſed iſte gladiꝰ crudelis qui præcidit hodie carnem ipſius innocentem & tenerrimam, nobis perſuadere poſſet, niſi fides contrarium nos edoceret, quòd Jeſus Chriſtus eſt peccator, quod æſtimatur multò ignominioſius, quàm ut ſolùm ſit paſſibilis, ſed tamen abſque peccato, *Qui peccatum non fecit, nec inventum eſt dolus in ore ejus* d. Atqui circuncitio eſt nota peccati, ſicut ait S. Bernardus e, *Quid eſt enim circunciſio, niſi ſuperfluitatis & peccati indicium*? Deus enim illam inſtituerat ad delendum peccatum: illi igitur qui ſuſcipiebant eam, teſtabantur manifeſtè quod eâ indigebant, & erant peccatores: propterea S. Paulus f nos edocet, quòd Deus dedit nobis ſuum Filium circundatum carne apparenter peccatrice, *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*. Sed cùm ſit *innocens* h, licebit mihi hodie queri poſt præfatũ S. Bernardum i de ignominiâ, quæ ipſi irrogatur; *Quid facitis circuncidentes eum? Putatis quia ſuper eum poſſit cadere illa ſententia, Maſculus, cujus præputii caro circunciſa non fuerit, peribit anima ipſius de populo ſuo* k? *Poteſt oblivisci Pater Filii uteri ſui? Aut non cognoſceret eum, niſi ſignum circunciſionis haberet? Imò verò ſi quo modo poſſet non agnoſcere Filium, in quo ei benè complacuit* l, *ex hoc maximè ſigno poterat ignorare eum, inventâ in eo circunciſione, quam peccatoribus ipſe providerat, ob purgationẽ utique delictorum.* Quòd natus ſit ut pauper m, redemptus veluti ſervus n poſt quadraginta dies, flagellatus o veluti latro, & crucifixus p veluti reus, hæc omnia non vidẽtur repugnare naturæ Dei: ſed quòd circuncidatur, quaſi peccator, nota eſt infamiæ, quæ nõ poteſt exprimi, & res quæ videtur ipſum privare Divinitate. Nam ſi Alexander Magnus videns ſe vulneratum ſagittâ, & ſanguinẽ ſuum fluere ex vulnere quod ipſe ſuſceperat, intulit ex hoc eventu quòd hallucinaretur credere quòd eſſet ipſe Deus, & quòd Aulici ſui, qui hoc ipſi perſuadere contenderant, non erant niſi adulatores; judicans impoſſibile, ut Deus effunderet ſanguinem, aut vulnerari poſſet; nunquid non verũ eſt, quòd, ſi ſequamur id quod ratio naturalis nobis dictat, credere non poterimus quòd Infans Jeſus ſit Deus, cùm hodie non ſolùm effundat ſanguinem ſuum, ſed effundat illum modo qui non cõveniebat niſi illis qui erant infecti peccato, quod eſt ignominioſius Divinitati quàm poſſent eſſe vulnera. Et inde eſt, meâ quidem ſententiâ, quòd S. Lucas non auſus eſt dicere, *Circunciſus eſt Puer*: ſed uſus eſt circumlocutione ad explicandũ nobis iſtud myſterium, *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circunciderctur Puer*. Angeli videbantur non agnoſcere eum, cùm aſcendit in cœlum, dicentes præ admiratione, ſicut prædixit Iſaias q, *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* Et licèt reſponderet eis, *Ego qui loquor juſtitiam*: Quaſi diceret, quòd uno verbo ipſe eſſet Deus; hoc non impedivit tamen quin velut attoniti, ab illo petiverint, *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum*? Quaſi uſque ad illud tempus credidiſſe eos fuiſſe impoſſibile, ut Deus effunderet ſanguinẽ ſuum. Quòd ſi ſanguis quem ipſe effudit in paſſione ſuâ, monſtrans ſolùm quòd ipſe erat homo paſſibilis, præbuit illis occaſionem proferendorum prædictorum verborum; quid cogitare poterant videntes fluere ſanguinem illius in circunciſione, quæ non fuerat inſtituta niſi pro peccatoribus? Hoc induxiſſet eos ad ambigendum de illius Divinitate, niſi habuiſſent cognitiones nobiliores iis quæ ſunt ipſis naturales: ideòque diaboli, qui cognitiones habent æquè perfectas ac illi, de Divinitate ejꝰ ſemper dubitaverũt r. Sed Angeli beati, non latet vos, quòd ipſe erat Deus: vos ipſi annunciaviſtis ejus advẽtum in mundũ, ceciniſtis laudes illius, & miſiſtis paſtores ad eũ adorandum; imò vos ipſi adoraviſtis illum *in præſepio* ſ. Cur igitur permiſiſtis ut inferretur ei hæc injuria? Ubinam erat ille inter vos, qui aliàs retinuit gladium Abraham, & impedivit quin iſtum infligeret innocenti Iſaac t? Utquid non impediebat ſimiliter, ne gladiꝰ infamis qui præcidit carnem virgineã Creatoris veſtri, tantũ inferret ei dedecus? Neſcio, Auditores, nũ Angeli ha-

b Eccleſia ex Malach. 4. 2.
c Joan. 19. 1. &c.
d 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
e S. Bern. ſerm. 3. in Circunciſ. Dom.
f Rom. 8. 3.
g Hebr. 7. 26.
i S. Bern. ſerm. 3. de Circunciſ. Dom.
k Ex Gen. 17. 14.
l Ex Matt. 17. 5.
m Luc. 2. 7.
n Exod. 13. 13.
o Joan. 19. 1.
p Joan. 19. 18.
q Iſai. 63. 1. & 2.
r Matth. 4. 3. &c.
ſ Luc. 2. 7. &c.
t Gen. 22. 11. & 12.

buiſſent ſatis virium, datu quòd Deus ipſis hoc permiſiſſet, cùm ipſe ſic libenter hoc vulnus ſuſciperet propter amorem noſtrum, eò uſque ut non renueret haberi velut peccator, cùm præ ſe ferret apparentiam peccatoris, propter quam Pater æternus videtur ipſum penitus in hâc occaſione dereliquiſſe; ſicut ipſe æquè verè dicere potuiſſet ei, ac dixit illi ſuper infami patibulo crucis, niſi infantia ſua ipſum impediviſſet, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* u? Ego ſum Stella, poterat ipſe dicere ei, ſecundùm hanc celebrem Propheriam, *Orietur Stella ex Iacob* x. Tu verò es meus *Sol* y. Non poſſum micare ſine te, à te habeo Divinitatem meam z, ſicut & gloriâ humanitatis meę a: manebo igitur in tenebris & ſine lumine, niſi ſemper ſis prope me. Sed iſte Sol & hæc Stella ſe cõjunxerunt & ſe oppoſuerunt ſibi ferè eodẽ modo, quo ſol materialis accedit ad ſtellas firmamenti, & ab eis recedit. Dicunt Aſtrologi quòd triplex eſt ortus & occaſus ſtellarum, coſmicus ſeu mundanus, heliacus ſeu ſolaris, & chronicus ſeu temporalis. Ortus ſtellarum eſt coſmicus aut mundanus, cùm ipſæ oriuntur manè eodem tempore quo Sol, & talis eſt nunc ortus capricorni: cùm enim Sol ſit nunc in iſto ſigno, ſimul aſcendunt ambo ſuper horizontem. Illarum ortus eſt heliacus vel ſolaris, cùm Sol incipit paulatim recedere à ſigno, & nobis aperire illud, quod ſua lux abſcondebat per unum menſem: ſic ſe res habet de ſagittario: cùm enim Sol ipſum dereliqoerit, ingreditur ſignum capricorni. Tandem, Earum ortus eſt chronicus ſeu temporalis, cùm ipſæ oriuntur ſuper horizontem in Oriente quando Sol eſt in Occidente: & tunc immediatè ſibi opponuntur adinvicem: & ſic nunc oritur ſignum cancri; quia cùm immediatè & directè opponatur ſigno in quo nunc eſt Sol, oritur in Oriente, quando Sol apparet in Occidente. Dico igitur quòd Stella Jacob diverſis vicibus orta eſt tribus modis iſtis. Ortus ipſius fuit coſmicus, cùm manè, ſeu primo inſtanti æternitatis (ſi poſſet aſſignari) orta eſt cum Patre æterno, hoc vero Sole, qui ipſam produxit actu ſui divini intellectus, & ipſam genuit è propriâ ſubſtantiâ b: & in hoc ſtatu Verbum divinum eſt totum glorioſum, & lucidum, coæquale & conſubſtantiale Patri ſuo, ſicut ipſummet ait, *Ego & Pater unum ſumus* c. Et millies plùs recedit ab omni imperfectione, quàm diſtet cœlum à terrâ. Duntaxat ab octo diebus ortum eſt hoc Aſtrum præclarum ortu Heliaco, cùm Sol Divinitatis, velut recedendo, nobis aperuit ipſum *in ſinu* d ſuo priùs abſconditum, & ipſum fecit apparere indutum carne noſtrâ *in præſepis* e. Sed ſicut ſtellæ, quippe quæ vicinæ Soli, recipiunt ab eo lumen aliquod in ortu ſuo: ſic Divinitas Salvatoris ſe manifeſtavit in nativitate ſuâ demonſtrata & interventu muſici concentus Angelorum f, & adorationis Magorum g, æquè ac paſtorum h: illâ enim die lux & tenebræ iniverunt ſocietatem i. Sed hodie Stella Jacob oritur ortu ſuo chronico: nam Divinitate latente penitus ſub Horizonte noſtræ cognitionis, ſola Humanitas notata inſignibus peccati, intuendam ſe exhibuit oculis noſtris. Nunquid non eſſet prodigium amoris inuſitati, ſi hoc nobis eſſet neceſſarium, nimirum, ut uniret unione perſonali ſuam naturam divinam naturæ rei inanimatæ vel irrationalis? Hic tamen amor non adæquaret amorem, quem nobis teſtatur hodie: nam, ſicut docent nos Theologi, unio Divinitatis cum ſubſtantiis inſenſibilibus in eâdem perſonâ non eſt impoſſibilis, ſicut reverâ Divinitas remanſit unita corpori Jeſu Chriſti deſtituto animâ ſuâ, & ſepulto in monumento: ſed ipſa non poteſt uniri naturæ inquinatæ peccato: omnes vires amoris ipſius nihil aliud poſſunt, quàm ſumere illius inſignia, ſicut & hæc ſumpſit hodiernâ die pro nobis.

u Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.
x Num. 24. 17
y Malach. 4. 2.
z Pſ. 2. 7
a Luc. 2, 35.
b Pſ. 109. 3
c Joan. 10. 30.
d Joan. 1. 18.
e Luc. 2. 7. &c.
f Luc. 2. 13 & 14
g Matth. 2. 11
h Luc. 2. 15. &c.
i Iſa. 60. 1. &c.

Videte igitur, Auditores, quomodo parvus hic infans Jeſus patienter ſuſcipit inſigne peccatoris ſic ignominioſum, & ita contrarium perſonæ ſuæ divinæ: & tamen vos ſuſtinere non poteſtis, non dico vulnus, ſed ne velullum verbum, quod tangat honorem veſtrum, quod officiat famæ veſtræ, & quod tantiſper minuat authoritatem dignitatis veſtræ, vel functionem vitæ veſtræ: minima vel injuria vobis irrogata, facit vos prætergredi univerſa debita animæ Chriſtianæ: commovetis cœlum & terram, ut ita dicam, ad hoc ut de illâ vindictam referatis; & recurritis ad omnia tribunalia ad hoc ut ſuper illam vobis reddatur jus in diſpendium facultatum veſtrarum, & perſæpè cum jacturâ animarum veſtrarum. Non vitupero quòd ægrè ſuſtineatis injuriam, quam exiſtimatis eſſe vobis irrogatam, non ſecus ac Jeſus Chriſtus dolorem pertulit in circuncisione ſuâ; ſed ſolum damno remedium quod ad dolorem veſtrum compeſcendum requiritis. Fateor, quòd licèt dicatur, quòd virtus eſt mediocritas, quæ recedit æqualiter ab omnibus extremis vitioſis, non eſt tamen conſideranda ſicut iſtud punctum quod æqualiter diſtat à circunferentiâ rerum; hoc nullam habet extenſionem; illa verò habet maximam: volo igitur ut affecti ſitis moleſtiâ in hoc eventu, nedum novam videar irrogare vobis injuriam: volo ut teſtemini vos nonniſi ægrè talem injuriam vobis illatam ſuſtinere: volo etiam ut defendatis vos, ad hoc ut ſatisfaciatis infirmitati naturæ veſtræ: deſidero inſuper ut negetis id, cujus accuſamini, cùm hujuſmodi accuſatio non ſit vera, & ut, ſi injuria eſt publica, defenſio ipſius ſit etiam talis: nolo ut in hoc occurſu taceatis, cùm hoc intueatur officium veſtrum plusquàm perſonam veſtram: vellem duntaxat ut ageretis ſicut fecit ſanctus Paulus, cùm moleſtè ferens indignitatem ſupplicii flagelli quo excipiendus erat, non autem dolorem, dicebat: *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare* k? Quaſi diceret, quòd inferretur ſibi injuria, & quòd cives Romani non ſolerent flagellari. Sed ſicut ſanctus Paulus non tranſibat à querelis ad vindictam, & non reddebat injurias pro injuriis; & ſanctus Stephanus non mittebat maledictiones ad eos qui ipſum *lapidabant* l; & parvus Infans Jeſus non caſtigabat eos, qui præcidebant ipſius carnem innocentem gladio circunciſionis: nolo ſimiliter ut, ſi vituperemini alicujus generis criminum, accuſeris inimicos veſtros multorum; & ut pro ſex verbis, quæ uſurpare potuiſtis in malum ſenſum, diſponatis vos auferre eis honorem & vitam: ſed ut è contrà ſuſtineatis omnia patienter ad exemplum Salvatoris, qui ſuſtinet alacriter notam peccatoris, quæ imprimitur ipſius carni, exercens virtutem juxta totam extenſionem ſuam.

k Act. 22. 25.
l Act. 7. 59. & 60

I. Part.

Hæc nota circuncisionis non eſt ſolùm ignominioſà, ſed eſt etiam doloroſa : eſt enim certum, quòd gladius qui præcîdit carnem Salvatoris, cauſat ei dolores immodicos, non ſolùm eò quòd fuerit caro tenerrima & delicatiſſima omnium infantium qui unquam carnem receperunt; ſed præcipuè quia ipſe ſciebat appi imè id quod erat mox ſibi faciendum, cùm ex tunc æquè perfectam cognitionem haberet ac nunc; vulnera autem quæ infliguntur incogitanter ſine ullâ compatatione ſunt minùs doloroſa quàm illa quæ inferuntur cum notitiâ. Non ſolùm tempore paſſionis ſuæ, ſanguis & aqua ſimul exiverunt à corpore ipſius; ſed hæc verba quæ S. Joannes *m* protulit de ipſo, cùm in cruce *unus militum lanceâ latus ejus aperuit; Exivit ſanguis & aqua*, applicari poſſunt ipſius circuncisioni. Id eſt, ſanguis ex vulnere, & aqua ex oculis: lacrymæ fluunt ex oculis ipſius: & ſanguis ipſius recipitur à beata Virgine Genitrice ſuâ. Ipſemet dixit, *Ego ſum vitis vera* n. Vitis veluti plorat cùm putatur, & Salvator noſter cùm circunciditur. Et hoc eſt quod invenio dignum admiratione, quòd parvus Deus effundat ſangoinem ſuum : nam ſi Jeſus Chriſtus eſſet purus homo ſicut cæteri, miraculum haberet minus miraculi : ſed quòd Deus & homo patiatur dolorem, & effundat ſanguinem ſuum, iſtud eſt quod ſtupore ciet homines & Angelos. Mirum non eſt, quòd illi qui ſunt *naturâ filii iræ* o, vulnerentur gladio circuncisionis : nam pœna ſequitur & comitatur ordinariè culpam : ſed quòd Filius Dei, qui eſt *Sanctus ſanctorum* p, Author totius juſtitiæ & innocentiæ, ſentiat pœnam, & patiatur dolorem, eſt procedendi modus, quem concipere non poſſum, cùm ipſius innocentia mereatur potiùs mercedem quàm punitionem, & voluptates iſtius vitæ quàm pœnam quæ non debetur niſi peccato. Iſtud eſt verum ſi conſideremus ſolum leges mundi : ſed ſicut eſt ingens differentia inter res divinas & res humanas : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus: Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* q : Pater æternus vult ut Filius ſuus ſentiat dolores circuncisionis, ut illi qui prætendunt ad *adoptionem filiorum* r Dei, faciant divortium cum mundi deliciis, & mortificent carnem ſuam ſine ullâ miſericordiâ. Mundani induunt ſe pompaticè, vivunt delicatè, corpora ſua fovent cum multâ curâ & diligentiâ; ſed Dei Filius ſe diſpenſans ab iſtis legibus quæ ſpectant corpus & ſenſus, excipit corpus ſuum ſummo rigore, ſubjicit illud injuriis aëris, & inclementiæ tempeſtatis, operit illud vilibus pannis, alit illud lacte virgineo, & ut citò aſſuefaciat illud pœnis, effundit illius ſanguinem poſt dies octo, ut hoc exemplo medeatur deliciis noſtris, & voluptatibus noſtris. In hoc completur deſiderium mundi cùm ait: *Deſideravimus eum virum dolorum* ſ. Nam in mundo, præcipuè verò ſeculo iſto nonniſi vix inveniuntur homines doloris; ſed multi qui ſequuntur ſenſus ſuos, & appetitus carnis, qui requirunt voluptates corporis, & qui adimplent inordinata deſideria concupiſcêtiæ. Quòd ſi vultis aliquo modo comprehendere quàm acerbus ſuit dolor iſtius Divini Infantis, mementote quòd Scriptura *t* dicit quòd Sichimitæ magnos dolores pertulerunt, cùm circunciſi ſunt, *Quando graviſſimus dolor eſt*. Si viri fortes & robuſti qui erant in ſtatu perfecto ætatis ſuæ, tantum ſunt experti dolorem in circuncisione ſuâ, quantum dolorem non patietur Infans octo dierum, tenerrimus & delicatiſſimus omnium infantum qui unquam fuerint in mundo. Sed quàm differt vita Jeſu à vitâ hominum! Ille non poteſt vivere ſine dolore; & iſti non poſſunt vivere cum dolore: ille à tenerâ ætate ſuâ ſe monſtrat inimicum ſenſuum; iſti verò nonniſi ſenſibus ſuis blandiri noverunt : iſte tandem bellum indicit exiguo corpori ſuo innocenti; iſti verò fovent corpora ſua confecta deliciis & voluptatibus mundi. Quàm elongata eſt vita ſenſuum à vitâ Jeſu Chriſti! Illa nihil animat, illa occidit omnia, ubi vita illa adeſt, gratia perdit vitam ſuam. Periculoſum eſt homini vivere ſecundùm hominem, & Angelo vivere ſecundùm Angelum, quia ſola vita Jeſu Chriſti debet eſſe regula omnium vitarum. Si *Lucifer* u incidit jacturam ſuam, ideò quia invênit in ſeipſo præcepta vitæ quam ducere volebat : nam natura Angelica, licèt ſpiritualis, aberrat ab itinere, quod ipſa debet ſequi, ſi ipſa ſibi complaceat in propriis perfectionibus, ideòque oportet ut ipſa exeat è ſeipsâ, id eſt, ſpoliat ſe amore quo ipſa ducitur erga proprias perfectiones, ut ſe cuſtodiat in innocentiâ : *Quia nec Angelo ſecundùm Angelum, ſed ſecundùm Deum vivendum fuit, ut ſtaret in veritate*, dicit S. Auguſtinus x. Sic ſancti Angeli huic amori proprio renunciaverunt *in cœlo* y, & exercuerunt hanc abnegationem interiorem, hoc odium ſuiipſorum, quod Evangelium z nos edocet, cui nonniſi vix ſubjicere nos poſſumus propter difficultates, quas ibi reperimus. Ipſi viderunt quidem quòd creatura nõ debet præſumere diligere ſeipſam, quòd ipſa non poſſit eſſe exemplar ſuum, & quòd ipſa ſe reddit criminoſam, niſi ipſa ſumat Jeſum Chriſtum in ſuũ Prototypõ. In quam miſeriam nõ immergat nos vita terreſtris & animalis? & quid inde ſequi poteſt niſi mors æterna? cùm vita Angelica perdiderit Angelos, & Satanas & ſequaces ipſius nõ evaſerint diaboli, niſi quia nimis exactè ſecuti ſunt eã. Sequamur igitur exemplum Jeſu Chriſti circunciſi in carne ſuâ ad nos edocendos circuncisionem in omnibus ſenſibus noſtris. *Hujus obi: tionis doctrinam ſacrificia continebant antiqua* a: *& incenſiones & mortes hujus conſummationis gratiam præſignabant. Propter hoc cùm jam fidei tempora propinquarent, imperata eſt circuncisio* b; *& pars illa corporis, in qua eſt voluptatum ſeminariũ & libidinis officina, juſſa etiam in parvulis amputari, ut proprii primitias ſanguinis, ei qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent, & communia ſingulorum ſacrificia ſingulare præcederent holocauſtum. Vbi verò Chriſtus Dominus venit, de quo in capite libri ſcriptum erat, ut in morte ſuâ Patris voluntatem impleret* c, *ceſſarunt ſacrificia : nec jam truncationem præputii Evangelium imperavit, ſed circuncisionem cordis, & omnem tam membrorum quàm affectionum petulantiam gladio ſpiritus* d *reſecari immutabili decreto mandavit*, ait S. Cyprianus e. Lex Chriſtiana conſtituit iſtius vitæ beatitudinẽ in paupertate *ſpiritus* f, in lacrymis, in tolerantiis, in ſupplicitis, in infamiis, & in aliis calamitatibus, quæ ſpoliant hominem ſeipſo. *Natus Ieſus* g in ſtabulo, reclinatus *in præſepio* h, patitur rigores hyemis, & poſt dies octo effundit ſanguinem ſuum apertutâ doloroſâ, ut declaret nobis palã, quòd imitari debemus ipſum in pœnis, ſi volimus ipſum ſequi in gloriam.

ſi

m Joan. 19.34
n Joan. 15.1.
o Epheſ. 2.3
p Dan. 9. 24
q Iſai. 55. 8. & 9
r Galat. 4.5
ſ Iſai. 53. 2. & 3
t Gen. 34. 25
u Iſai. 14. 12. &c.
x S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei, c. 4
y Apoc. 12.7
z Matth. 16.24
a Ex Levit. 1. 2. & c.
b Ex Levit. 12. 3
c Ex Pſ. 39.9
d Ex Eph. 6.17
e S. Cypr. lib. de Ratione Circunciſ. n. 4
f Matth. 5. 3. &c
g Matth. 2.1
h Luc. 2.7

i Rom. 8. 17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemini i.* S. Paulus loquitur de hac circunciſione ſpirituali in multis locis Epiſtolarum ſuarum, & ait de ſe, quòd circuncidebat ſeipſum, mortificans jugiter corpus ſuum, ad impediendum quin lex ſenſuum abrogaret legé Dei, & ne inordinationes vitæ ſuæ impugnarent veritatem doctrinæ ſuæ, *Ego caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar* k.

k 1. Cor. 9. 26. & 27. Nunquid non igitur illi ſunt hoſtes Jeſu Chriſti, qui ſunt inimici pœnarum ipſius, qui eventilant devotiones delicatas, & qui volunt habere totam famam pietatis, nedum quid velint amittere voluptatum corporis? Neſcio quidnam reſpondere poſſint huic decreto quod Deus pronunciavit adversùs homines quando erant adhuc ſub lege naturæ, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* l. Quomodo dicere ſe poſſunt profeſſores pietatis Chriſtianæ, ſi vita ipſorum non eſt conformis vitæ Jeſu Chriſti? Salvator ait, *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam* m. Noſtri verò falſi ſpirituales ſibi figurant quòd magni dantur aditus ad cœlum, & quòd iter illius eſt latum, & ſtratum deliciis. Corpus eſt tyrannus, ex indulgentiâ noſtrâ erga ipſum ſumens occaſionem augendarum exactionum ſuarum, faſtidit res ſpirituales, & ſicut vix ſupportare poteſt vitam ſpiritus, ita vix ſatisfacere poteſt Deo pro peccatis ſuis per opera pœnitentiæ.

l Gen. 6. 3.

m Matth. 7. 14.

n S. Ambr. lib. 2. de Iſaac & Anima. c. 11. S. Ambroſius n ait, *Epicurei traxerunt ſummum bonum voluptatem eſſe, ſed eam corporis magis inquinamento, quàm ſobrietate mentis æſtimaverunt.* Falſi noſtri ſpirituales ſimiliter perſuadere volunt doctrinâ ſuâ, & exemplo ſuo, quòd voluptates corporis, deliciæ ſenſuum, & pompæ conviviorum, veſtimentorum, & ædificiorum, & ſolicitudines ad eas conſervandas, juſtæ ſunt & rationabiles, & quòd ſociari poſſint pietati. Hæc libertas quam tribuunt ſenſibus, iſtud improperium quo offendunt totam antiquitatem, hæc injuria quam irrogant juribus, doctrinæ, & vitæ Jeſu Chriſti, æquè ac illius Evangello, hæc omnia crimina & ſacrilegia ſunt ita periculoſæ conſequentiæ ut re verâ patiatur plus Eccleſia ex artificiis iſtorum inimicorum opertorum, quàm ſub perſecutionibus Tyrannorum. Conſulo vobis igitur, ſi progredi velitis ad pietatem, ut circuncidatis corpora veſtra, ut reſecetis ab eis omnes voluptates illicitas, ut ablactetis illa ab omnibus deliciis, ut carpatis viam mortificationis, quæ eſt circunciſio ſpiritualis, ad ſequendum Filium Dei, & Sanctos qui animati fuerunt Spiritu ejus, potiùs quàm hos puſillanimos qui nihil tenent ampliùs auſteritatis Apoſtolorum o, generoſitatiſque Martyrum p, quique non differunt à mundanis niſi per aliquos ſermones politos & ementitos. Ecce ſalutaris inſtructio quam poſſumus & debemus educere è circunciſione doloroſa.

o Act. 5. 41.

p Hebr. 11. 33. &c.

III. Pars. Sed amor qui circunciſionem comitatur, eſt circumſtantia ſilentio non prætereunda. Perſæpè contingit tam in rebus naturalibus, quàm moralibus, & artificialibus, ut modus qui adhibetur ad ipſarum implementum, majoris æſtimetur quàm res ipſa quæ fit. Creatio mundi eſt opus eximium, quod vehementer extollit Authorem ſuum, non tam ob pulchritudinem & excellentiam ſuam, quàm propter modum quo ipſe fuit uſus ad creandum illum è nihilo: quia hæc circumſtantia monſtrat evidenter omnipotentiam Dei, & virtutem ipſius infinitam; *quæ vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt* q. Videmus idem in rebus moralibus: nam docet nos Evangelium r, quòd Deus non tam attendit ad actiones noſtras, quàm ad affectum quo cum eas facimus: ſic operarii qui laboraverant in vineâ patrisfamilias, *à noviſſimis uſque ad primos, acceperunt ſingulos denarios.* Licèt aliqui diutiùs in ea laboraſſent quàm alii: Deus enim non tam intuetur longitudinem temporis quod inſumimus ad ipſius obſequium, quàm affectum qui nos ad illud fert. Experientia nos iſtud etiam docet in rebus artificialibus: In lapide pretioſo benè ſculpto, in vaſe aureo ritè elaborato modus perſæpè ſuperat materiam, & pretium ſuum ſuſcipit non tam è ſubjecto, quàm ex induſtria quæ adhibita eſt ad ipſum ornandum: ſi conſideremus myſterium noſtræ redemptionis, inveniemus illud eſſe majoris æſtimandum, quò modus quo uſus eſt Salvator, eſt ineffabilior: quis enim Chriſtianus ambigit quin ſalvari poteramus unicâ lacrymâ Salvatoris? Sola Incarnatio ſufficiebat ad hunc magnum effectum; tamen ſubjacere voluit ipſe doloribus innumeris, ut hæc ſola circumſtantia, ſeu unicus hic modus noſtræ redemptionis, majoris æſtimaretur quàm ipſamet redemptio. Sed ut applicemus iſtud hodierno myſterio, poterat nos Salvator à gladio circunciſionis liberare, nedum quid ipſemet in ſe pateretur, tamen effundere voluit Sanguinem ſuum, ut per circunciſionem ſuam circuncideremur in ipſo ut in Capite noſtro, *Eſt Caput omnis principatus & poteſtatis: in quo & circunciſi eſtis circunciſione non manufactâ in expoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti* ſ. Perſæpè videntur manus, pedes, & alia membra corporis exponere ſe periculo ad conſervandum caput: ſed quòd caput exponat ſe vulneribus ad conſervanda alia membra illæſa, iſtud eſt inauditum: amor naturalis eò non pervenit: ſed id, quod natura non poteſt facere, amor JESU Chriſti fecit, qui cùm ſit Caput omnium hominum, voluit omnes ictus Divinæ Juſtitiæ ſuſcipere, libenter effundens ſanguinem ſuum pro membris ſuis. Medici videntes infantulum nimis debilem ad ſuſtinendam venæ inciſionem, & nimis delicatum ad deguſtandam amaritudinem medicinæ, purgant nutricem, & ſatagunt ut virtute medicinæ communicante ſe lacti ejus, ſanitatem recipiat infans: eramus nos omnes ut Infantes infirmi per intemperantiam Protoplaſti noſtri t, incapaces eramus remediorum, & conſequenter curationis: ſed ecce noſter parvus IESUS fungens velut officio nutricis, ſumit medicinam, patitur inciſionem; & ſic nos ſuſcipimus curationem, & reſtituimur in ſanitatem, *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis* u.

q Rom. 4. 17.

r Matth. 20. 8. &c.

ſ Coloſſ. 2. 10. & 11.

t Gen. 3. 6.

u Oſee 11. 3.

Qualis felicitas, Auditores, vobis hodie contingit, ut ab intolerando liberemini legis Moſaicæ jugo? Pro hoc beneficio gratias agite Immortales amori Infantis IESU, & pretioſo ſanguini ejus, per quem circuncidimini circunciſione quæ vobis eſt facilis, ſed ipſi doloroſa: mutat enim balneum ſanguinis ſui in aquam x ſalutarem Baptiſmi, per quem vos lavat *à peccatis* y veſtris. In vobis renovatur privilegium quod exploratores Jerico dederunt Rahab hoſpitæ ſuæ, quòd domus ipſius foret immunis à deprædatione, ſi *linea foret ipſis ingredientibus terram, ſignum funiculus coccineus* z. In vobis adimple-

x Joan. 3. 5.

y Apoc. 1. 5.

z Joſue 2. 17. &c.

impletur promiſſio, quam Deus fecit Iſraelitis, cùm volens perdere primogenitos Ægypti, præcepit eis ut tingerent ſuperliminaria domorum ſuarum ſanguine agni Paſchalis, ſi ſuos præſervare vellent liberos à cæde, *Sument de ſanguine ejus, ac ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cùmque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere* a. Si corda veſtra alligetis funiculo myſtico coccineo JESU Chriſto, qui habet tres funiculos, id eſt, tres ſubſtantias, corpus, animam, & Divinitatem, quos funiculos tinxit & rubros fecit ſanguine ſuæ circuncisionis, toto anno eritis immunes à vaſtitatibus quas dæmones exercent ſuper puſillanimos: ſi tingatis iſto ſanguine omnes poſtes, id eſt, omnes potentias animæ veſtræ, cunctas intentiones veſtras, univerſas actiones veſtras, non timebitis furorem iſtius Angeli exterminatoris Ægyptiorum deditorum voluptatibus carnis, ſed ut populus ſub cuſtodia Dei conſtitutus, non percipietis iram gladii Divinæ vindictæ, *Videbo ſanguinem, & tranſibo vos* b. Quaſi diceret Deus, Videns ſanguinem dilecti Filii mei, ſtatim compeſcam iram meam, & remittam gladium mei furoris in vaginam ſuam, cumulans vos beneficiis, nedum vos obruam miſeriis.

a Exod. 12. 7. & 13.
b Exod. 12. 13.

Quas pretioſiores Strenas, Salvator mi, poteras nobis dare, quam ſanguinem tuum? & quid expectare potes à creaturis tuis, niſi cor mille criminibus inquinatum? Cum fiducia tamen hoc tibi præſentabimus, cùm à nobis ipſum requiras, dicens nobis ſingulis, *Præbe, fili mi, cor tuũ mihi* c. Hoc tibi conſecramus, ſed ipſum priùs lava guttâ ſanguinis tui, ut per reſiduum iſtius anni qui incipitur, tibi ſit fidelius quam fuerit anteà. Ha! quis nobis tribuet, ut ita deteſtari poſſimus vetera peccata noſtra, ſicque purgare corda noſtra ab omnibus imperfectionibus ut appareant coram Deo munda & circunciſa? Iſtud eſt quod efflagitamus à te, parve Domine, cum innumeris actionibus gratiarum pro eo quòd uſque nunc noſtra diſſimulaveris *peccata propter pœnitentiam* d. Mille flammæ dilectionis erumpent è cordibus noſtris: nunquid enim non eſt rectæ rationi conſonum, ut corda hæc noſtra tuo conſecremus obſequio? & quodnam objectum meretur meliùs affectus noſtros quàm tu, qui potes eos tantâ mercede cumulare? Si te exactè conſideremus, nunquid non es *imago Dei inviſibilis* e, *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus* f, *unigenitus Filius, qui in ſinu Patris* g es? Tamen propter amorem noſtrum voluiſti naſci in ſtabulo, reclinari *in præſepio* h, & pro incremento humilitatis, defers notam ignominioſam circuncisionis, effundis ſanguinem tuum, non ſecus ac ſi eſſes parvus ſervus Satanæ. Quanta depreſſio! Propterea vocaris *Deus abſconditus* i. Nam ſi alias fuiſti Deus abſconditus in ſinu Patris tui, nonne magis es Deus abſconditus *in utero* k Genitricis tuæ, abſcondens æternitatem *l* tuam ſub ſpatio octo dierum, immenſitatem *m* tuam ſub ambitu corporis exigui, Divinitatem *n* tuam ſub habitu Infantis, *immortalitatem* o tuam ſub rubedine ſanguinis tui, & impeccabilitatem *p* tuam ſub vulnere circuncisionis inſtitutæ pro peccatoribus: tamen in iſtis ignominiis, in his doloribus, quò te projecit amor tuus, confitemur quòd ipſe es noſter JESUS, id eſt, noſter Salvator, quod dirumpis *vincula* q noſtra, quibus nimirum peccata noſtra nos uſque nunc alligaverant, & quòd ipſe trades *temetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* r. Ut eum nobis favorabilem reddas, & aperias nobis paradiſum. Adorande Salvator, Divinitas tua eſt abſcondita, ſed amor tuus non eſt abſconditus, continua eum in nobis per omnes dies vitæ noſtræ, donec videamus te non ampliùs notatum circunciſione ignominioſâ, ſed indutum gloriâ in cœlo.

c Prov. 23. 26.
d Sap. 11. 24.
e Coloſſ. 1. 15.
f Hebr. 1. 3.
g Jo. 1. 18.
h Luc. 2. 7.
i Iſai. 45. 15.
k Matth. c. 18.
l Dan. 13. 42.
m Baruch 3. 25.
n Exod. 3. 14.
o 1. Tim. 6. 16.
p Pſ. 9. 5.
q Pſ. 115. 8.
r Epheſ. 5. 2.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. &c.

QUatuor invenio rationes, propter quas homines ſequebantur aliàs Dei Filium incarnatum, cùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* a *ubi venit plenitudo temporis* b. Prima erat per charitatem, cùm deſiderarent audire dulcedinem verborum ejus, quippe qui *verba vitæ æternæ* c haberet. Nec mirum, cùm dicat Scriptura, quòd Moyſes in monte Sinai *fuit cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comêdit, & aquam non bibit: ex conſortio ſermonis Domini* f, quem non videbat magnâ ſatisfactione cumulatus: quantò majori perfundebantur illi oblectamento, audientes ſermones Filii Dei incarnati, quem ipſi videbant: *Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum* g. Secunda ratio erat per neceſſitatem, cùm Dei Filius ſanaret omne genus infirmitatum, *Ieſus ſeceſſit in locum deſertum ſeorſum: & cùm audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam: & miſertus eſt eis, & curavit languidos eorum* h. Et cùm prætereà indigentibus neceſſaria provideret. Tertia ratio erat per curioſitatem ad videnda miracula ejus, *Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur* i. Et hoc motivum erat vanum, ut erat illud quo ducebatur *Herodes viſo Ieſu: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo: & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri* k. Quarta erat per ſpiritum malitiæ, & hoc ſpiritu nequam ducebantur Scribæ & Phariſæi, ut invenirent occaſionem vel falſam, vel ſuppoſitam accuſandi illius qui eſt *Sanctus Sanctorum* l, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* m. *Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, ut caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes, Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam*

a Baruch 3. 38.
b Gal. 4. 4.
c Joan. 6. 68.
f Exod. 24. 28. & 29.
g Luc. 19. 48.
h Matt. 14. 13. & 14.
i Joan. 6. 1. & 2.
k Luc. 23. 8.
l Dan. 9. 24.
m 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.

Dei

Digitized by Google

Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum: Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non. Cognitâ autem Ieſus nequitiâ eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? &c. Similiter aliàs *acceſſerunt ad eum Phariſæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut ſignum de cœlo oſtenderet eis. At ille reſpondens, ait illis, Generatio mala & adultera ſignum quærit* o: &c. *Ecce qualiter invidia mentem excæcat*, ait Dionyſius Carthuſianus p, *quomodo ambitio parit invidiam, qualiter paſſiones rationem ſubvertant, & quanta eſt cordis humani malitia. Nam quantò Salvator præclariora egit miracula, quò glorioſiùs prædicavit, quò plures habuit audientes, quò magis honorabatur à populo, tantò infeliciſſimi Principes, Scribæ, Phariſæi, Senioreſque Iudæorum vehementiùs torquebantur invidiâ, & accendebantur, non aliud cogitantes, niſi qualiter eum poſſent opprimere, qui eos ſapientiâ, eloquentiâ, famâ, ſanctitate, miraculis ſuperavit: Erant namque valdè ambitioſi, avari, & vani, idcircò ſuum magiſterium parvipendi cernentes, & Chriſtum magnificari ab omnibus, graviter affligebantur. Unde dixerunt, Videtis quia nihil proficimus? ecce totus mundus abiit poſt eum* q. Quatuor autem rationes iſtas breviter complectitur idem Carthuſianus ſ, dicens, *Diverſi diverſis de cauſis Chriſtum corporaliter ſequebantur. Quidam ut aliquid reprehenſionis in verbis aut actibus ejus invenirent, quemadmodum Phariſæi & Scribæ invidioſi. Quidam ut inſtruerentur, & vitam ſuam corrigerent, ut ſtudioſi ac pœnitentes. Quidam ut ſigna viderent, & nova audirent, ut curioſi. Quidam ut curarentur. Quidam ut ſuis ſanitatem acquirerent, ſicut de Regulo dictum eſt* t. *Quidam ut corporaliter alerentur. Et quoniam Dominus Ieſus etiam ſecundùm corpus ſpecioſus valdè* u, *& eloquentiſſimus fuit* x, *& optimæ habitudinis, veriſimile eſt, quòd multi ſequebantur eum delectati ſpecie, & eloquentiâ ejus.* Ego autem invenio alium modum ſequendi JESU Chriſti, ut perveniamus ad paradiſum gloriæ, juxta Evangelium noſtrum, quod proponit nobis eum ut Lucem ad nos illuminandos, & ut Regem qui vult nos reddere gloriæ ſuæ participes. Eamus in ſtabulum Bethleem: ibi reperiemus eum inter brachia MARIÆ; & poſtquàm adoraverimus Filium, dicemus Matri, *Ave Maria.*

[o Matth. 22.16. — o Matt. 16 1. &c. — p Dion. Carth. art. 42. in Luc. 19.48. — q ex Joan. 12.19. — ſ Dion. Carth. art. 16. in Jo. 6.2. — t ex Joan. 4.46. &c. — u ex Pſ. 44 3. — x ex Joan. 7.46.]

Lux præ ſe tanta fert lenocinia, ut Deus ipſemet eâ utatur veluti veſtimento, ut majeſtatem ſuam ſplendere faciat, *Amictus lumine ſicut veſtimento*, dicit Pſalmiſta y, illum alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus z, *Hoc eſt, ſit in templo clarus ac fulgidus es, ac ſi lux eſſet tibi veſtimentum te omnino operiens, ita quòd nihil tenebroſitatis in te invenitur, juxta illud, Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ* a. Hæc præclara qualitas eſt ſplendor totius naturæ: per eam omnes creaturæ exponunt oculis noſtris intuendum id quod ipſæ habent pulcherrimum; & ſine ea omnia entia luctu ſuffunduntur, & languent in hac privatione quæ eſt ipſis fatalis. Detraho luci, nec illi tribuo ſatis elogiorum, dicens, quòd ipſa ſplendor eſt totius naturæ, vita & gaudium omnium entium; quòd Deus ipſemet eâ utitur velut ornamento, ut majeſtatem ſuam micare faciat: dixi jam poſt ſanctum Ioannem, & Dionyſium Carthuſianum, quòd Deus ipſemet eſt totus lux; nunc autem ſubdo, quòd *Verbum caro factum eſt* b, id eſt, *unigenitus Filius qui eſt in Sinu Patris* c, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d eſt, non propter alium finem, quàm ut lucis officio perfungeretur. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, dicit idem ſanctus Joannes e. Et poſt eum præfatus Carthuſianus f. *Quamvis verò iſtud de qualibet Divina perſona ſit verum, nunc tamen de Filio dicitur, cui lux appropriatur, quoniam lux ſpiritualis præcipuè ſpectat ad intellectum ac ſapientiam. Cùm ergo Verbum ſeu Filius ſit emanatio intellectus, ſic ei appropriatur lux, ſicut ſapientia, veritas, ars, ſplendor, & ſpecies. Quæ illuminat lumine naturalis ingenij, omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, qui per nativitatem ingreditur orbem terrarum, vallemque lacrymarum. Vel, Illuminat lumine gratiæ omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, omnem qui illuminatur gratiâ ſpirituali, quam nullus ſortitur niſi à Filio. Iuxta hunc ſenſum habetur in Pſalmo* g, *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Non quòd omnes corruentes, & eliſi allevantur ac eriguntur, ſed quòd nemo talium allevetur aut erigatur, niſi à Deo. Vel, Illuminat omnem hominem, quantùm in ſe eſt, ſicut vult omnes ſalvari* h, *ita quòd nemo excuſatur, ſi non fuerit illuſtratus.* Iſta lux illuminat hoc felici tempore Judæos in perſona paſtorum, ad hoc ut veniant ad cognitionem Meſſiæ ſui: *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce, Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis ſignum, Invenietis Infantem pannis involutum: & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum eſt ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de Puero hoc* i. Hæc lux illuſtrat hodie Gentiles in perſona trium Regum, ut iſti duo populi, Hebræus & Gentilis, qui comprehendunt omnes nationes terræ, agnoſcant Salvatorem & ſupremum Dominum ſuum: *Cùm ergo natus eſſet IESVS in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudeorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Lux quæ in cœlo illuminat immediatè per ſeipſam, *Lucerna ejus eſt Agnus* k. Et in terra per gratiam, quæ ſe communicat illis qui ſe diſponunt ad ipſam ſuſcipiendam, *Et lux in tenebris lucet* l. Sed quia non cognoſcimus unquam meliùs cauſas quàm per effectus ſuos, volo Primò vobis oſtendere, quòd JESUS Chriſtus eſt Lux propter tres effectus, ſeu tres qualitates congruentes

[y Pſ. 103.2 — z Dionyſ. Carth. in Pſ. 103. 2. — a 1. Joan. 1 5. — b Joan. 1. 14. — c Jo. 1. 18. — d Philipp. 2.7. — e Joan. 1.9 — f Dionyſ. Carth. art. 4. in Jo. 1.9 — g Pſ. 144. 14. — h ex 1. Tim. 2. 4. — i Luc. 2. 8. &c. — k Apoc. 21.23. — l Joan. 1. 5. — Diviſio.]

tes luci. Et quoniam nobis proponitur etiam ut Rex, videbitis Secundò, quòd ipſe eſt Rex qui vult nos gloriæ ſuæ reddere participes.

[I Pars.] JESUS Chriſtus conſiderari poteſt, vel ut Deus, vel ut Filius Dei. Lux habet convenientias cum eo conſiderato prout Deo, & prout Filio Dei. Ipſa quatuor habet convenientias cum JESU Chriſto, prout Deo. Primò, Ipſa eſt immenſa, ipſa extenditur per omnia ſpatia, nedum aliquid ipſi faciat obſtaculum, & contrahat ipſa aliquod inquinamentum per commercium cum rebus [m S. Aug. lib. 1, Conf. c. 3. per totum.] impuris: ſanctus Auguſtinus m dicit idem de Deo: & Propheta Baruch n aſſerit, quòd [n Baruch 3 25.] *eſt immenſus.* Secundò, Lux eſt immutabilis: & tamen ipſa producit effectus contrarios; emollit ipſa ceram, & indurat lutum: *Dicit Dominus exercituum, Ego Dominus, & non mu-* [o Malach. 3. 5, & 6.] *tor* o. Habet etiam Deus operationes diſtinctas in productione Verbi, & in ſpiratione Spiritus ſancti. Nam generatio Verbi fit per intellectum Patris, ſicut ipſemet ait Filio ſuo [p Pſ. 109. 3] per Pſalmiſtam ſuum p, *Ex utero ante Luciferum genui te.* Et per Dionyſium Carthuſia- [q Dionyſ. Carth. in hunc locum.] num q, *Ex utero, id eſt, ex proprio corde, ante Luciferum, id eſt, ante productionem omnis lucis creatæ, & ante productionem aſtrorum, quæ nomine Luciferi deſignantur, genui te generatione æternâ, intellectuali, purâ, & actualiſſimâ. Filius namque ex ſubſtantia Patris natus eſt, ita quòd immediatè procedit à ſubſtantia Patris per intellectum emanatione naturali, ſicut procedit ſplendor à lumine. Ipſa quoque generatio Filij à Patre aliud non eſt, niſi proceſſus lucis à luce, actus ab actu, & Dei à Deo. In Patre equidem idem ſunt eſſentia, potentia & operatio. Et ita Pater intelligendo ſeipſum, intra ſe profert Verbum ſibi ſimillimum, in hoc ſolo ab eo diſtinctum, quia procedit ab eo. Et ſicut Pater ſeipſum uno intuitu, & omnia alia creando & creata & creabilia plenè cognoſcit: ſic æternaliter unâ conceptione internâ unicum Verbum intra ſe gignit, in quo tota ſua natura atque perfectio omnino pleniſſimè continetur ac ſplendet, & in quo omnia alia comprehenduntur ac lucent. Idcircò hoc Verbum eſt imago Patris, & omnis creaturæ exemplar, proceditque immediatè ab intellectu Patris ſecundùm Thomam in diverſis locis.* Productio verò Spiritus Sancti fit per voluntatem Patris & Filii, prout unicum principium ſpirativum, ſicut ipſemet Filius incarnatus dixit, Apoſtolos ſuos alloquens, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à* [r Joan. 15. 26.] *Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* r. *Hoc addit Salvator*, ait Dionyſius Carthuſianus ſ, *ne putaremus quòd à Filio dunta-* [ſ Dion. Carth. art. 38. in Jo. 15. 26.] *xat procederet Spiritus Sanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio, non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantum ſunt unum in natura & voluntate. Eſt namque Spiritus ſanctus amor. Amor verò eſt germen atque proceſſio voluntatis. Quemadmodùm ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis, non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita, ſed ut ſunt unus Deus in eſſentia, atque potentiâ indiſtincta, ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator: ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, per id in quo ſunt idem, ſcilicet, per voluntatem, propter quod ſunt unus ſpirator, unus ſunt, unumque principium Spiritus Sancti.* Tertiò, In luce eſt unitas: Stellæ, aſtra, & planetæ habent lucem, ſed hæc lux eſt una eademdemque ac lux Solis: ſic eſſentia trium perſonarum eſt una: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* t. Quartò, In luce eſt vi- [t 1. Joan. 5. 7.] ſibilitas, & inviſibilitas. Viſibilitas in productione creaturarum. Inviſibilitas in natura lucis. Sic Deus eſt viſibilis, & inviſibilis. [u Baruch 3. 38.] Viſibilis, *In terris viſus eſt* u. Inviſibilis, *Regi* [x 1. Tim. 1 17.] *ſeculorum inviſibili, ſoli Deo honor & gloria* x. Si autem conſideremus JESUM Chriſtum prout Filium Dei, ſciendum eſt, quòd qualitas Filii Primò videtur eſſe deficiens in Divinitate: propterea IESUS Chriſtus ut oſtendat contrarium, ſumit qualitatem lucis, quæ fuit eodem inſtanti quo Sol, ideòque vocat ipſum Symbolum Nicænum, *Lumen de Lumine.* Secundò, Qualitas filii ſupponit dependentiam, & inferioritatem: propterea IESUS Chriſtus accepit qualitatem lucis, quæ non dependet à Sole, nec eſt inferior illo. Tertiò, Filius conſervare poteſt eſſe ſuum ſine Patre: propterea Ieſus Chriſtus ſumit qualitatem lucis, quæ poteſt eſſe ſine Sole. Quartò, Pater gignit Filium propter ipſum ſolum, & etiam generat eum propter ipſum & propter homines: propterea Ieſus Chriſtus ſumit qualitatem lucis, quæ eſt propter Solem ſolum, & propter aſtra & ſtellas per participationem.

IESUS Chriſtus eſt igitur lux. Et hoc probo per primum effectum lucis, cujus prima qualitas eſt aperire, manifeſtare, & facere cognoſci. *Lumen eſt actus perſpicui eâ ratione, quâ perſpicuum eſt*, ait Philoſophia. Unde fit ut luce extinctâ ſpecioſiſſima quæque corpora non appareant, & ſint non ſecus ac ſi omnino non eſſent: ad hoc enim ut objecta appareant, requiritur lux, non ſolùm ad hoc ut medium illuminetur, ſed ut idem objectum reddatur viſibile: ſolus enim color in ſeipſo, non eſt objectum totale viſus, ſed prout illuſtratus luce quæ concurrit ſimul cum ipſo ut cauſa partialis ad mittendas ſpecies: unde procedit ut, ad hoc ut objectum ſit ſenſibile, & percipiatur oculis noſtris, lux non minùs requiratur quàm color. Sed relinquamus hanc lucem naturalem, quæ non ſervit niſi ad manifeſtanda corpora, loquamur de luce ſpirituali, quæ illuminans mentes, inducit eas ultra id omne quod percutit ſenſus, & efficit ut videntes rem unam, credant penitus contrarium illius quod ipſa apparet, & aliter quàm iſti falſi conſiliarii intenderent ipſis ſuggerere. Videte, ſi placet, in praxi veritatem iſtam in Evangelio noſtro, in perſona trium Regum, qui quærunt Regem Iſrael recenter natum: *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum.* Ipſi quærunt Lumen altero lumine,

Lumen requirunt lumine,

canit Eccleſia, Splendor novæ ſtellæ deducit ipſos ad notitiam Luminis Divini: *Vidimus enim*

ſtellam

Digitized by Google

ſtellam ejus in Oriente , & venimus adorare eum. Mihi videor intueri Magos , ſeu ſapientes noſtros Reges in ſtabulo Bethleem , in quo repe-riunt Infantulum flentem , gementem , exceptum in hoc primo ingreſſu, quem facit in mundum, ut abortivum naturæ, derelictum ab omnibus, ex poſitum rigoribus univerſis, ut victimam paſſionis , æquè citò miſerum ac natum, faſciis infantilibus ligatum. Et ubinam ſunt inſignia Regiæ dignitatis ipſius ? ubi eſt thronus ipſius ? ubi ſceptrum ipſius ? ubi diadema ipſius ? ubi purpura ipſius? ubi aula Regia pretioſis tapetibus ornata ? ubi ſunt pueri honoratii, & aulici Principis iſtius ? Heu ! non vident ipſi hîc niſi bonum ſenem, pauperem Virginem, pannos infantiles, telas araneatum, animalia, præſepium, & vile ſtabulum : Hoccine palatium ipſius eſt? Iſtud eſt, quod dicere poſſunt Magi Evangelii noſtri , judicantes ſecundùm apparentias, quæ ſenſus ipſorum percutiunt : ſed nimis ſunt ſapientes, nedum non forment ſolidius judicium; & lux cœleſtis quæ ipſos illuminat , inducit ipſos ad ferendam longiùs cognitionem ſuam: & non videntes niſi Infantem ad extrà , ipſum credunt id quod ipſe eſt, colentes eum reverentiis ſuis, honorantes eum muneribus ſuis , & adorantes illum cultu religionis omnium maximo, qui eſt cultus latriæ : *Vidimus ſtellam ejus in Oriente , & venimus adorare eum.* Quidnam eſt quod facit hoc? quidnam cognoſci facit hunc

x Iſai. 45. 15
Deum abſconditum *x*? quidnam manifeſtat & aperit hunc Deum *gloriæ y* transfiguratum , qui

y Act. 7. 2
z Philipp. 2. 7.
in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo z, abſcondit gloriam & majeſtatem ſuam ex tranſverſo fœni & paleæ iſtius ſtabuli?

a Sap. 5. 6
Sanè iſte *Sol intelligentiæ a*, qui tot emittit radios; profectò Lux iſta Divina , quæ diſſipans tenebras idololatriæ & infidelitatis , quibus uſque nunc iſti Magi fuerant involuti , illuminat eos ad cognoſcendum hoc Divinum objectum ſub apparentiis Infantuli recenter nati : *Dedit aſpicientibus intellectum , qui præſtitit ſignum ,* dicit S.

b S. Leo ſerm. 1. de Epiph. c. 1
Leo *b*. Primus igitur effectus lucis eſt aperire, manifeſtare , & facere cognoſci id quod erat incognitum. Hæc eſt etiam loquela Lucis iſtius Divinæ, quæ per ſtellam ſe exhibet intuendam Magis, eoſque ſingulos ſic alloquitur per Pſal-

c Pſ. 44. 11 & 12
miſtam *c* ſuum , *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum , & domum patris tui Et concupiſcet Rex decôrem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Et juxta Dionyſium Carthuſianum *d*, *Audi verbum Dei,*

d Dion. Carth. in hunc locũ.
e Ex Luc. 11. 28
Beati enimqui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud e: ô filia in Chriſto. Et vide, id eſt, per fidem conſidera omnia quæ Chriſto Sponſo tuo ſunt placita. Et inclina aurem tuam ut ei obedias. Et obliviſcere populum tuum , id eſt, inordinatum affectum hominum tibi notorum depone. Et domum patris tui, id eſt , ſocietatem pravorum fuge, & propinquos carnaliter diligere ceſſa, quatenus Deo tota adhæreas. Quòd ſi feceris , tunc & concupiſcet Rex decôrem tuum , id eſt , Chriſtus pulchritudinem mentis tuæ amabit. Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, cui ſoli debes velle placere , nec alium ſponſum ei præferre. Et adorabunt eum omnes in

f Ex Dan. 7. 14
ipſum credentes , quemadmodum in Daniele f ſcriptum eſt, Omnes populi, tribus , & linguæ ſervient ei. Ecce hic rurſus teſtatur Pſalmographus , Regem de quo nunc loquitur, ſcilicet Chriſtum eſſe Deum. imò & verum Deum in eo quod ait : & adorabunt eum. Adoratio namque propriè ſumpta convenit ſoli vero Deo, Propter hanc autem amoroſam concupiſcentiam, quâ Chriſtus amat decôrem Sponſæ ſuæ, in Canticis ipſe ait, Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum g. Et, Aperi mihi ſoror mea . amica mea , columba mea h. Et , Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachia tua: quia fortis eſt ut mors dilectio i. Ecce ipſi generosè exequuntur iſtud conſilium.

g Cant. 4. 9
h Cant. 5. 2
i Ex Cant. 8. 6

Secundus effectus, vel ſecunda qualitas lucis eſt lætificare, dilatare, & facere producere. Re autem verâ noſtri Principes immodicâ conſolatione repleti fuerunt , ad intuitum iſtius ſtellæ, quam cœlum ipſis providit ut Ducem in longâ viâ, quam fuerant aggreſſi. *Videntes autem ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valdè.* Cùm proprium ſit gaudio dilatare cor . excitare ſpiritus , & ferre ad motum. Sic videte Reges noſtros , qui iſto gaudio perfuſi , toti ſunt in actione , derelinquunt Regna ſua, magnitudines ſuas , & quietem ſuam, ut veniant, prout vaſſalli , ſe proſtratum ad pedes iſtius Infantis , qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum : Rex regum , & Dominus dominantium k.* Ipſi generosè conculcant omnes difficultates , quæ ſe poſſent opponere magnitudini conſiliorum ſuorum, *dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum ? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Nolla ſunt obſtacula , quæ ipſi non ſuperent ; nec omnes mundi conſiderationes ullam facere poſſunt impreſſionem ſuper ipſorum mentem ex quo gaudium cauſatum ab ipſâ luce , quæ ipſos illuminavit , poſſedit corpora ipſorum : *Quàm certa atque ſecura interrogatio ! Iam Romani legem dederunt, ut ſub periculo mortis nemo aliquem Regem vocaret ſine eorum conſenſu. Fuit quoque præceptum, & Magis non ignotum , quòd qui Rege vivente alium Regem pronunciat , aut adorat, punitur in ſanguine. Quomodo ergo Magi audebant , vivente & regnante Herode , in ejus præſentiâ ſine Romanorum licentiâ Regem alium profiteri? Proculdubio iſtam eis audaciam Puer natus influxit. Dicit enim Chryſoſtomus quòd non curabant de ſanguine. Quòd ſi curaſſent de morte, ita locuti non eſſent. Nondum viderant Chriſtum , & jam parati erant mori pro Chriſto* , dicit Dionyſius

k Apoc. 19 16

l Dion. Carth. art. 4. in Matth 2. 2
Carthuſianus *l*. Animus ipſorum nihil invenit difficile, ſicut amor ipſorum nihil nimis depreſſum : ipſi ſunt jam diſcipuli Jeſu Chriſti, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem , confuſione contemptâ m.* Claritas iſtius lucis, quæ ipſos lætificat, dat eis motum, & producere facit illos bonas actiones, quibus infœcundi fuerant in tenebris infidelitatis ſuæ. Moyſes *n* loquens de creatione mundi , dicit quòd *in principio terra erat inanis & vacua.* Et quare? Statim ipſe ſubdit illius rationem, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Cùm tenebræ & ſterilitas ſint velut inſeparabiles, & ſemper inveniantur ſimul. Sed ſtatim ac lux illuminat , ecce fœcunditas ſequitur : vix iſta verba , quæ ſunt exilium tenebrarum, *Dixit Deus , Fiat Lux : & facta eſt lux* : cùm illico *protulit terra herbam virentem , & facientem ſemen juxta genus ſuum , lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam* &c. Et nihil ſterile fuit ampliùs in mundo. Eandem rem dico ego de microcoſmo animæ noſtræ : cùm ipſa eſt *in tenebris o* peccati per abſentiam gratiæ & receſſum Dei ſui , ſeu , ut ait Dionyſius Carthuſianus *p* poſt Pſalmiſtam , *in tenebris cordis & operum , id eſt , in cogitationibus rudibus, atque injuſtis operibus* : Heu ! ipſa ſterilis eſt, ipſa nihil producit vivens : ſed vix ipſam gratiæ lux illuminat, cùm ipſa ſtatim producit bonos

m Hebr. 12. 2
n Gen. 1. 1. &c.
o Pſ. 81. 5.
p Dion. Carth. in Pſ. 81. 5.

fructus, & fœcunda virtutibus efficitur perfe-
ctionem Chriſtianam coodecentibus. Videamus
ſenſibiliter hanc veritatem in Magis noſtris:
Antequàm illuminati fuiſſent luce iſtius ſtellæ,
quæ ipſis apparet. Scriptura ſacra nullam facit
ipſorum mentionem: ipſi erant ut arbores ſteri-
les, nihil producentes vivens, & prorſus inferti-
les quaotum ad omne genus boni, *Terra erat ina-
nis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.*
Sed inter iis illuminati radiis iſtius Solis Divini,
quem veniunt agnitum, tunc conſolatione
cumulati, & gaudio perfuſi, producunt opera
viventia, & digna omni genere laudum. Cauſa
verò omnium iſtorum mirabilium, eſt lux quæ
ipſos illuminavit: *Vidimus enim ſtellam ejus in
Oriente, & venimus adorare eum.* Interventu ſplen-
doris illius Principes iſti congregantur, ut ſimul
eant ſe proſtratum ad pedes iſtius Regis recen-
ter nati, & prout ſubditi, agnitum illum ut ſupre-
mum Domioum ſuum. *Ortus eſt Sol, & congregati
ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad
opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam*
q Pſ. 103. 22. & 23. *q.* Poſtquàm diu jacuerunt in errore & in tene-
bris Gentilitatis, adorantes idola, reddentes
creaturis cultum, qui noo pertinet niſi ad ſum-
r Exod. 20 3 mam Dei majeſtatem *r*, illuminati radiis iſtius
Divini Solis, incumbunt propriis negotiis, quæ
ſunt negotia ſalutis ſuæ, obſequio Dei ſe conſe-
crant, & derelinquunt generaliter id omne
quod tempore præterito potuit ei diſplicere in
ſtatu tenebrarum, in quo vixerunt. Et is eſt ſe-
cundus effectus luminis, lætificare, dilatare, &
facere producere. *Spiritualiter*, ait Dionyſius
ſ Dion. Carth. in Pſ. 103. 22. & 13. Carthuſianus *ſ* ſuper prædicta verba Pſalmiſtæ,
*Dum oritur nobis Sol intelligentiæ t Chriſtus nos ad-
juvans, congregantur & fugiunt dæmones. Et ita exit*
t Ex Sap. 5. 6. *homo à Chriſto adjutus ad opus ſuum intrinſecum, &
ad operationem ſuam extrinſecam peragendam &
continuandam, uſque ad veſperam, id eſt, perſeveran-
ter, quandiu lux gratiæ ſibi refulget uſque ad mortem,*
u Apoc. 2. 10. *advertens quòd in Apocalypſi u ait Salvator, Eſto fidelis
uſque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.*

Tertius effectus lucis eſt deducere & dirigere
feliciter ad id quod quæritur: quod ſtella Evan-
gelii noſtri facit fideliſſimè in favorem Regum
noſtrorum dicentium, *Vidimus ſtellam ejus in Orien-
te, & venimus adorare eum.* Ipſi viderunt ſtellam in
Oriente, ſecuti ſunt eam ut fidelem ducem, &
pervenerunt feliciter ad ſpeluncam Bethleem,
ubi erat Rex Iſraël, qoem quærebant, *Et intrantes
domum, invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus.*
Admirabile viſu quomodo *ecce ſtella, quam vide-
rant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens
ſtaret ſuprà, ubi erat Puer.* Ipſi reſpiciebant eam ut
pharum ſuam, ſequebantur illam, nedum irent
ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ſtantes cùm ipſa
ſtabat, & incedentes cùm ipſa progrediebatur.
Ha! quàm ritè videtur hic adimpleta prophe-
x Pſ. 31. 8. tia Davidis *x*, *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te
in viâ hac quâ gradiêris, firmabo ſuper te oculos meos.*
Quaſi diceret Deus, ſingulos Reges iſtos allo-
quens, Purificabo mentem tuam ab erroribus
ſuis, & tibi dabo ſatis lucis ad ritè cognoſcen-
dos laqueos inimici tui, & ad cavendum ne in
illos labaris: dabo tibi inſtructionem neceſſa-
riam ad incedendum in viâ mandatorum meo-
rum: imò verò ſi vis credere conſiliis meis, ut
faciam te pervenire ad perfectionem, cuſtodiam
y Dion. Carth. in hunc locum. te à lapſu, *Firmabo ſuper te oculos meos. Id eſt* (juxta
Dionyſium Carthuſianum *y*) *per ſapientiam meam
providebo tibi de neceſſariis ad ſalutem, & per miſe-
ricordiam meam erigam te labentem, ac ſemper cu-
ſtodiam, ita ut dicere poſſis, Dominus ſolicitus eſt mei*
z. Tandem, Sapientes iſti habent fruitionem il- z Pſ. 39. 18
lius, quod ipſi quærebant cum tanto ardore, &
ita ſanctâ ſollicitudine, ſub directione iſtius ſtel-
læ, quam cœlum ipſis providit.

Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd ſola lux
gratiæ non ſufficit ad hoc ut perveniamus ad
Deum, ſed præterea requiritur concurſus no-
ſtræ libertatis: ad opus noſtræ ſalutis neceſſaria
ſunt lenocinia gratiæ, & cooperatio noſtræ vo-
luntatis, *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, dicebat
S. Paulus *a*. Et Sponſa Canticorum *b*, *Trahe* a 1. Cor. 15. 10
me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuo- b Cant. 1. 4
rum. Stella nunquam deduxiſſet Reges ad præ-
ſepium, ſi iidem Reges non fuiſſent cooperati,
& omnia dereliquiſſent, ut irent eò, quò ſtella
ipſos vocabat. Quòd ſi deſideretis ſcire, quare
Deus petat cooperationem hominis in negotio
ſalutis ſuæ: reſpondeo quòd ideò, quia primò
quamcumque rem dirigit ad finē ſuū ſecundùm
naturam quā dedit ei; creaturam liberā liberè,
neceſſariam neceſſariò, ordine Divinæ Sapien-
tiæ ſic illud ita requirente. Secundò, Ad nobi-
litandam libertatem hominis, inducens eum ad
vacandum ſic nobili officio quale eſt negotium
ſuæ ſalutis, & juſtificatio animæ ſuæ. Tertiò, Ut
gloria & honor hominis major foret, cùm obti-
nuiſſet ſalutem animæ ſuæ laborando, & coo-
perando gratiæ Dei. In quo ſpecialiter eſt ob-
ſtrictus Divinæ Bonitati, quæ in omnibus ita
quærit ipſius commoda. Et hi ſunt tres effectus
lucis proprii Jeſu Chriſto, qui eſt *Sol intelligentiæ c.* c Sap. 5. 6

Ipſe nobis igitur datus eſt ut lux ad nos illu-
minandos ad credendum id quod eſt fidei no-
ſtræ: naturaliter enim mens noſtra cognoſcere
non poteſt veritates iſtas: & ideò Jeſus Chriſtus
poſitus eſt in mundo ut cereus accenſus in cubi-
culo obſcuro. In hoc cereo tria ſunt, cera, el-
lychnium, & lux. Cera eſt caro, quam Jeſus
Chriſtus ſumpſit *in utero d* B. Virginis. Ellych- d Matth. 1. 18
nium, quod eſt candidum, eſt anima ipſius bea-
ta. Et lux eſt Divinitas ſua. Et hæc tria ſunt pu-
riſſima, & non faciunt niſi unum cereum: *Nam
ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus
& homo unus eſt Chriſtus e*, ait S. Athanaſius. Iſta e S. Athā. in Symbol. Fid.
Lux illuminavit totum mundum, *Erat Lux vera
quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc* f Joan. 1. 9
mundum f. Nam ante Incarnationem non erant
niſi tenebræ inter homines incedentes in erro-
ribus: *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris
ambulant g.* Philoſophi neſciverunt ſcientiâ ſuâ, g Pſ. 81. 5.
& Judæi non intellexerunt mente ſuâ: nam
licet Philoſophi cognoverint Deum ut cauſam
per effectus ſuos: *Quia quod notum eſt Dei, mani-
feſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit: Inviſi-
bilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta
ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque
ejus virtus & Divinitas g*: tamen hæc ſcientia mixta g Rom. 1. 19. & 20.
fuit multis erroribus, ſicut videmus in Præde-
ſtinatione, & Divinâ Providentiâ, æquè ac in
creatione mundi, quem aliqui putaverunt eſſe
ab æterno. Judæi etiam non cognoverunt veri-
tatem Chriſtianam, quæ incluſa erat in ſymbo-
lis figurarum *h*, & in parabolis legis Moſaicæ *i*. h Exod. 12. 13. &c
Sic magnus iſte Legiſlator, ut oſtenderet eis, i Num. 24 15. & 17
quòd loqueretur ipſis per ænigmata, deſcendens
de *monte Sinai, poſuit velamen ſuper faciem ſuam k.* k Exod. 34 32. & 33
Atqui velamen iſtud fuit effractum in morte
Salvatoris: ſed Judæi habent adhuc velamen
iſtud in corde: *Obtuſi ſunt ſenſus eorum: uſque in
hodier-*

Digitized by Google

hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum (quoniam in Chriſto evacuatur) ſed uſque in hodiernum diem, cùm
l 2 Cor.3. 14.& 15. *legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum l.* Philoſophi etiam non cognoverunt myſterium SS. Trinitatis, nec alios articulos fidei noſtræ: non enim habebant veram lucem, quæ eſt Jeſus Chriſtus, ſed duntaxat exiguam ſcintillam, quæ
m Pſ.4.7. eſt ſcintilla mentis, & rationis naturalis *m*. Ideòque idem Jeſus Chriſtus dicebat, *Ambulate, dum*
n Joan.12 35. *lucem habetis n.* Ipſe loquitur de ſe, *Ego ſum lux*
o Joan.8. 12. *mundi o.* Et Evangelium noſtrum nobis repræſentat eum per convenientiam quam habet cum qualitatibus lucis. Et quia poſt aſcenſio-
p Marc.16 19. nem ſuam *in cœlum p*, non habemus eum ampliùs præſentem, ipſe nobis reliquit lumen fidei, *Si confiteaaris in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis,*
q Rom. 10.9. *ſalvus eris q.*

Stella, licèt viſa à multis, & creata à Deo ad hoc ut aſpiceretur ab omnibus, non tamen aſpecta fuit oculis gratis, nec corda tetigit, niſi trium Regum iſtorum ad exequendum id propter quod Deus ipſam creaverat. Alii vel non viderunt eam, vel non magni æſtimaverunt illam, vel aggredi noluerunt iter, ad quod ipſos hæc invitabat. Stupendum viſu quòd lumina terræ, & intuitus rerum temporalium ſic faſcinant mentes hominum ut vix cognoſci poſſint: homines impendunt operas ſuas ad ea habenda, & ad exequendum id ad quod ipſa inducunt; quin imò vitam ſuam in diſcrimen adducunt, ut ea conſervent, & defendant; quandiu lumina cœli & cogitationes Divinæ contemnuntur à maximâ parte hominum. Tres duntaxat eis adhærent, id eſt, exiguus numerus illa æſtimat, & ea ſequitur: quod extollit meritum Magorum noſtrorum: quia licèt homines ipſis tempore ſuppares parvipenderent hanc ſtellam, nec ſe diſponerent ad veniendum adoratum eum, quam hæc ipſis manifeſtabat; ipſi tamen promptè obedìverunt motui & inſpirationi interiori Dei, nedum retardarentur à magnificentiâ palatiorum ſuorum, quæ ipſi derelinquebant, nec ab incommodis quibus ſe exponebant in itineratione tàm longâ & ita laborioſâ in terram alienam. Et illud eſt, Auditores, in quo debemus eos imitari; non conformantes nos ad communem modum agendi aliorum, cùm ſe res habet de Deo, & de negotiis ſalutis noſtræ; ſed ſolùm conſulentes rationem, lumen fidei, & voluntatem Dei: nam dato quòd deberemus eſſe ſoli in benè vivendo, nunquam deberemus relinquere viam quæ ducit ad ſalutem, ſed facere ſicut agebat Tobias, qui, *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſraël, ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Ieruſalem ad templum*
r Tob.1.5. & 6. *Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël r.* Intueamur igitur id quod Deus vult à nobis, & non id quod agunt alii, ut nos conformemus illis. Revereamur eum ut Lucem, ſed etiam ut Regem.

II. Punct. Jeſus Chriſtus eſt Rex, prout Deus: non eſt quid evidentius, cùm ipſe ſit Verbum Patris, quo Pater producit univerſa, *Portans omnia verbo*
ſ Hebr.1.3 *virtutis ſuæ ſ.* Atqui ſi inter homines iſtud eſt ſtatutum, ut agnoſcatur ille ut Rex, qui leges inſtituit, qui populos ſuos protegit ab oppreſſione hoſtium ſuorum, qui juſtitiam reddit, & diſtribui facit unicuique id quod ad ipſum pertinet: quantò potiori ratione dicere debemus, quod ille eſt Rex, cui omnes iſti tituli, & alii infiniti, conveniunt cum eminentiâ? Regia dignitas eſt ipſi naturalis: cùm enim ſit Filius naturalis Patris æterni, & Pater æternus ſit Rex, & producendo eum, communicet illi totam eſſentiam ſuam, communicare debet ei Regiam dignitatem ſuam, *Filius meus es tu: ego hodie genui te t.* t Pſ.2.7.
Nemo cogitavit unquam denegare Regiam dignitatem Jeſu Chriſto, quantùm ad id quod ſpectat ſpirituale in directione animarum: in hâc enim qualitate non eſt dubium quin ipſe ſit Rex, cum ſit Author gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt u.* Cùm hæc animet ani- u Joan.1. 17.
mam noſtram, ſicut anima noſtra animat corpus noſtrum, ut ait S. Auguſtinus *x*, *Sicut vita corporis anima: ſic vita animæ Deus.* Cùm ipſe per x S. Aug. conc.2. in Pſ.70.
merita ſua generalem det nobis abolitionem criminum noſtrorum: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus y.* Id eſt, y Pſ.2.6.
ſuper Eccleſiam ipſius. Ipſe eſt igitur Rex quoad humanitatem ſuam etiam: nam licèt ipſe dicat, *Regnum meum non eſt de hoc mundo z:* inde dun- z Joan.18. 36.
taxat innuit, quòd non venit in hunc mundum, ut ſe faceret magnum, & ut uſurparet Regnum aliis, ſed ut nos elevaret ad Regnum gloriæ paradiſi. Ut ſic debemus illum ſequi: nam ſi Rex iens ad certamen, ſingulis militibus certum præmium promitteret, quonam animo non exponerent ſe periculis? Jeſus Chriſtus pollicetur eis qui ipſum ſequuntur, vitam æternam, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ b.* Ipſe vadit primus ut nos invitet ad ſe ſe- b Joan.8. 12.
quendum: nam in principio mundi Deus dedit Doctores hominibus, ſcilicet, Adam & Evam, & poſuit eos in viâ paradiſi, quia *creavit eos c* in c Gen.1. 27.
gratiâ, quaſi dicens eis, *Hac eſt via, ambulate in eâ: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram d.* Sed iſti Doctores erraverunt ſtatim: d Iſai.30. 21.
Eva ivit ad latus dextrum, & Adam ad latus ſiniſtrum. Latus dextrum eſt amor, Eva perdidit viam cœli propter amorem ſcientiæ, cùm audiviſſet, *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum e.* e Gen.3.5. & 6.
Adã verò non tã deſiderio ſcientiæ, quàm timore, veritus ne ſuam contriſtaret uxorem, quæ ipſi *dedit de fructu, qui comêdit f.* Si ergo Doctores iſti f Gen.3.6
erraverunt, *Cæcus ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt g:* Et David *h* deplorans hoc in- g Matth. 15.14. h Pſ.13.3.
fortunium, dicebat, *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Proprerea Pater æternus dedit nobis Filium ſuum ut Regem, qui leges inſtituit, quibus conformare nos debemus; & ut Doctorem, qui errare non poteſt. *Ecce Teſtem populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem Gentibus i.* In i Iſai.55.4
viâ paradiſi, in ſequelâ legum quas iſte Rex cordium noſtrorum inſtituit, multæ ſunt ambages, in quibus errare poſſunt homines: ambages iſtæ ſunt vitia, ſunt viæ inferni, in quibus falluntur ii qui ipſas ſequuntur. Sed felix ille qui dicere poterit, *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus k.* Veſtigia k Job.23. 11.
Jeſu Chriſti ſunt virtutes, quæ ſunt itinera quæ dirigunt ad gloriam.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te, Luc. 2. 48. &c.

NOn poſſum vobis meliùs manifeſtare dolorem, quo affecta eſt B. Virgo Maria Deipara in amiſſione dilectiſſimi Filii ſui, & curas quas aſſumpſit ipſa ad inveniendum eum, quàm proponendo vobis prudentem mulierem Evangelii, quæ non priùs advertit jacturam quam ipſa incurrerat drachmæ, vel margaritæ ditiſſimæ theſauri ſui, cùm ſtatim immodico dolore ſauciata, lampadem accenſam præ manu geſtans, cucurrit velociter per univerſos domûs angulos, circumquaque quærens, & adhibens omnes diligentias poſſibiles ad reperiendam eam, nullam ſuſcipere volens conſolationem propter hujuſmodi jacturam: *Quæ mulier habens drachmas decem: ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter do-*
a Luc. 15. 8. *nec inveniat* a? Sed dolor hujus mulieris, nihil eſt, comparatione doloris quem experta eſt B. Virgo Deipara in abſentiâ Filii ſui, quem ipſa putabat perditum, cùm iſte Filius plus valeat quàm omnes drachmæ & margaritæ totius orbis, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis pleni-*
b Coloſſ. 2. 3. & 9. *tudo Divinitatis corporaliter* b. Hâc præventa cogitatione, quæ faciebat motivum omnium tædiorum ipſius, dicere poterat ipſa majori ratione quàm mater Tobiæ junioris, *Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à no-*
c Tob. 10. 5. *bis* c. Quærit ipſa circumquaque, more Sponſæ Canticorum d circumeuntis *civitatem, per*
d Cant. 3. 2. *vicos & plateas quem diligit anima* ſua, quærentis; inſumit ipſa diligentiam omnem poſſibilem ad inveſtigandum chariſſimum Filium ſuum, cujus ſuſtinere non poteſt abſentiam; nullam nanciſcitur ipſa quietem in hâc privatione, nullâ perfundi poteſt ipſa conſolatione, nec aliquid poteſt ipſi ſatisfacere, niſi fruitio boni quod ipſa amiſit. Ipſa vadit, venit, gyrat, quærit *eum inter cognatos & notos.* Sed non invenit eum niſi in templo, quò gloria ſui Patris ipſum attraxerat, nec niſi poſt triduanam inquiſitionem. Ut proficiamus ex hoc ſubjecto, videamus con-
Diviſio. ſequenter in ſequelâ diſcurſus iſtius, Primò, quomodo Maria & Joſeph quærunt Jeſum amiſſum, *Dolentes quærebamus te.* Secundò, Locum, in quo repererunt illum, *Invenerunt eum in templo.* Tandem, Tempus, quo ceperunt quærere eum, nimirum, eo inſtanti quo adverterunt ſe eum amiſiſſe, *Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum.* Ut edoceamur tempus quo, & locum in quo quærere debeamus Redemptorem noſtrum, cùm ſemel eum amiſerimus. *Quærebat igitur Virgo*
e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. *conſpicere*, dicit S. Epiphanius e, *quem deſiderabat, inquiens. Ubi eſt Sponſus* f, *cujus pulchritudinem exopto? ubi eſt pulchritudo Sole ſplendidior?*
f Ex Pſ. 18. 6. *ubi totius forma gloriæ ineffabilis? ubi lumen quod extingui nequit* g, *quod ego ſummo cum deſiderio re-*
g Ex Sap. 7. 10. *quiro? ubi Sol qui radium exquirit? ubi ipſorum Cherubim cithara? ubi oculus Seraphim nunquam dormiens Chriſtus? ubi Angelorum adoratio quam Gabriel indicavit ubi ſolus ac ſolius Patris unigenitus*
h Ex Luc. 1. 28. *Filius, quem Virgo exoptans redamat, perquirens ſalutat? ut Gabriel ait; Ave gratia plena* h.

I. Pars. Ad inveniendum Jeſum debemus uti praxi B. Virginis, nimirum, debemus illum quærere cum ſuſpiriis & gemitibus, *Dolentes quærebamus te.* Antequam vobis loquar de hâc B. Virgine, quæ nullâ perfundi poteſt conſolatione propter jacturam Filii ſui, obſervate, ſi placet, Auditores, quòd amitti poteſt Jeſus ab aliquo duobus modis, aut cum crimine, vel ſine culpâ. Amittit quis Jeſum ſine culpâ, more B. Virginis, cùm perdit ipſe devotionem ſenſibilem; ſed, ut verum fatear, hæc perditio, non eſt jactura, ſed lucrum; & licèt videatur Jeſus fugere, appropinquat tamen magis, etiamſi veniat velatus, ut cuſtodiatur chariùs. Propterea Sponſa agnoſcens lucrum quod ipſi proveniebat ex jacturâ Sponſi ſui hoc modo, hortabatur ipſemet eum ad fugiendum, *Fuge, Dilecte mi.* Sed præ hâc conditione, ut fugeret ſicut caprea & hinnulus cervorum, qui quandiu fugiunt è cavernis ſuis, idem peragunt iter oculo & imaginatione; & licèt pes ipſorum coactus, progrediatur, oculus tamen ipſorum retrorſum convertitur, *Et aſſimilare capreæ, hinnulique cervorum ſuper montes aromatum* i. Sic
i Cant. 8. 14. cùm Sponſus cœleſtis retrorſum convertitur, id eſt, fugit ab animâ, progreditur pede, ſed non ſe ſeparat oculo; videtur recedere, abeſſe, & velut amitti, & tunc magis accedit: hoc modo videbatur alias receſſiſſe à S. Antonio Abbate, tradens eum in prædam crudeliſſimis inimicis ipſius: ſed admiratus hoc ſpectaculum, quod attrahebat ipſum è cœlo ad contemplandum generoſum athletam ſolum in medio exercituum dæmonum infernelium ſic magnanimiter prælianteṁ, ſemetipſum exhibuit ei cum Divinâ claritate intuendum: & cùm ſanctus hic Abbas querebatur ſuaviter ipſi, *Ubi eras, Domine Jeſu?* Ipſe reſpondebat illi, *Hic eram.* Quaſi diceret, Manebam incognitus, ſed præſens, ut eſſem ſpectator præclarorum facinorum tuorum, & darem tibi coronam victoriæ. Re autem verâ, iſtud eſt magnum effectum Divinæ Providentiæ, ut recedat à nobis aliquando Deus, ad meliùs manifeſtandum amorem quo ipſum diligimus, more matris, quæ aliquando deliteſcit ad obſervandam diligentiam quâcum filius ſuus parvulus requirit ipſam, & ad audiendas voces & lacrymas illius: eodem modo ſe gerit Deus ad videndam diligentiam quam inſumimus ad ipſum requirendum. David k videbatur k Pſ. 76. 2. & 3.
derelictus, cùm dicebat, *Voce meâ ad Dominum clamavi: voce meâ ad Deum, & intendit mihi.* Deus ipſum exaudit, *Et intendit mihi in die tribulationis.* Heu quænam hæc eſt ſpecialis adverſitas, quâ ſe urgeri intuetur! Si axioma eſt verum, quo dicitur, *Contraria contrariis curantur*, conjicere poſſumus quiſnam ſit morbus quo laborat, ex remedio quod ipſe poſcit. Quis autem neſciat, quòd ſi homo petit libertatem, inde monſtret quòd ſit ſervus? ſi medelam requirit, illinc innuit quòd eſt ægrotus? & ſi panem deſiderat, aut lucem, quòd oſtendit ſe fame oppreſſum, aut tenebris obvolutum? ſimiliter dicere poſſumus, quòd ſi David nihil

aliud

aliud quærit in afflictione ſuâ, niſi Deum, declarat apertè quòd hæc ipſi ſupervenerat eò quòd amiſiſſet eundem Deum, *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis.* Non ſolùm voce, & lacrymis, ſed etiam manibus, ſicut parvulus filius amoroſus amovet velum, & aperit papilionem ad inveniendam matrem ſuam, *Deum exquiſivi manibus meis.* Cùm delituiſſet ad examinandum ipſius affectum.

Iſtud tormentum non durat diu, cùm ita ſit crudele ut ſancti Patres vocent illud altum infernum vitæ ſpiritualis: & hic infernus multò gravior eſt illis, qui ſunt adhuc infantes in viâ ſpiritus; quia difficilè vivere poſſunt ſine lacte, & curâ maternâ. Sed licèt infans ſit privatus lacte, dantur tamen alia remedia ipſi conſolando accommoda, audiendo ſuavia verba matris ſuæ, cum aliis cibis, & diverſis applauſibus. Ideòque à Deo David *l* efflagitat, *Deus*

l Pſ. 27. 1.

meus, ne ſileas à me: nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Et iſtud apprimè vocatur altus infernus, quia eſt pœna ſimilis tormento quod ſuſtinetur in inferno; quia videre Deum, & non audire illum; eſſe in gratiâ illius, & non cognoſcere eum, ſed videri ab eo derelinqui, iſtud vocari poteſt tormentum infernale quod tamen multum differt à ſupplicio damnatorum ratione ſubjecti, & brevitatis temporis, nam cùm ſciamus iſtud

m Matth. 25. 46.

ſupplicium æternum m eſſe, tormentum vitæ ſpiritualis non durat niſi per exiguum tempus; & ſi illud eſt decretum ad plectendas culpas, iſtud eſt inſtitutum propter ingentius meritum, & ob majorem coronam: *Non peccavi; & in amaritudinibus moratur oculus meus*, inquiebat Job *n*.

n Job 17. 2.

Secundus modus, quo Deum amittimus, eſt cum crimine & propriâ culpâ noſtrâ, allecti à dulcedine doloſâ peccati. Heu quàm intolerabilis cæcitas! Si quis perdit in ludo, vel imprudentiâ ſuâ, aut inadvertentiâ centum nummos, irâ percitus cubitum vadit incœnatus, & ſomnus ipſius ſingulis interrumpitur momentis; & ſi amicus ipſius moritur, quippe qui videbatur dimidium animæ ipſius, cùm dicat Dionyſius Carthuſianus *o*, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat:* Et Scriptura *p*, *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam:* videtur ipſe nullâ perfundendus conſolatione: quomodo fieri poteſt, ut amittendo Jeſum Chriſtum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ q* Dei, quique tribuit nobis teſtimonium ſic manifeſtum & ita convincens perfectæ amicitiæ, moriens ut nobis vitam daret, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis r:* omne cor non affligatur, & in lacrymas erumpat, eò quòd illum perdiderit? Illud quod dicitur de Oreſte, nimirum quòd, ut ait Calepinus *ſ*, *Amicum habuit Pyladem, perpetuum omnium ſuarum profectionum comitem, periculorumque omnium ſocium, cum quo tam ſanctè amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recuſaret*; & de cæteris amicis hujuſmodi, nihil eſt, comparatione amoris quo Jeſus nos amavit, exponens ſe morti ad dandam nobis vitam eo tempore quo eramus maximi inimici ipſius, & quo merebamur ut ipſe nos exciperet ſicut crimínoſos, *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc*

o Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34.
p 1. Reg. 18. 1.
q Coloſſ. 2. 3.
r Epheſ. 5. 2.
ſ Calepin. in Diction. V. Oreſtes. citans Cic. de Amic.

peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt t. Nunquam amicus, fuit talis meliori titulo, quam fuerit Salvator, in quo cum excellentiâ reperitur id omne quod de perfecto amico ſic annunciat Eccleſiaſticus *u*, *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis.* Cùm igitur aliquis incucurrit jacturam illius per puſillanimitatem ſuam mortalem, fieri ne poteſt quin immodico dolore corripiatur, emittendo rivos lacrymarum, & conando omni modo poſſibili reperire eum interventu doloris, cùm perdiderit illum per voluptates ſuas? B. Virgo non amiſit eum ſic, jactura quam incucurrit hæc Mater incomparabilis, non fuit niſi receſſus Filii ipſius, qui abfuit ab ipſâ ut iret eò, quò vocabat ipſum gloria Patris ſui: & tamen ipſa patitur per hanc privationem, & per hanc jacturam quæ non erat criminoſa, dolores inexplicabiles. Inter omnes dolores, qui caſu contingunt cordi humano, puto quòd nullus ſit moleſtior receſſu dilecti. Nemo autem objiciat mihi iſtud quod communiter dicitur, *Terribilium terribiliſſimum mors.* Et David *x*, ut exprimat pœnas ſuas, comparat eas morti, *Circundederunt me dolores mortis.* S. Hieronymus vertit apud Lorinum *y*, *Funes mortis.* Et idem Lorinus addit, *Quare poteſt ſenſus eſſe, circundatum David doloribus tanquam funibus ſtringentibus.* Ad innuendum, quòd ſi ſupplicium funis eſt maximum, idem dicendum eſt de morte, cùm Deus decreverit ut omnes homines confiteantur hoc inſtanti voluntariè, vel invitè interventu rigoris tormentorum, peccata ſua. S. Baſilius *z* verò ait, quòd Pſalmiſta comparat dolores ſuos, non doloribus funis, ſed doloribus partus, qui ſunt maximi omnium, qui ſuſtineri poſſunt in terrâ, *Propriè quidem dolorum vox hoc loco, de doloribus in partu uſurpatur, cùm venter in molem elevatus, fœtum foras expellit. Deinde dum genitales partes vexantur, convulſionibuſque ac contractionibus fibrarum circum fœtum diſtenduntur, acerbiſſimos acutiſſimoſque dolores parientibus inducunt.* Ad quod conformiter paraphraſis Chaldaica dicit apud præfatum Lorinum, *Circundedit me anguſtia tanquam mulierem quæ ſedet in ſellâ parturientis, & virtus non eſt illi ad pariendum a.* His non obſtantibus aſſero, quòd non eſt quid magis affligens, quàm receſſus perſonæ amatæ, qui non eſt aliud niſi viva mors; ſic hæc, vocatur diſceſſus, quia anima diſcedit, & corpus manet. Ideòque de hoc diſceſſu querebatur Rex Amalec, *Et dixit Agag, Sicine ſeparat amara mors b?* Separatio amicorum, vocatur etiam diſceſſus: ſed forſan dolor qui inde naſcitur, crudelior eſt diviſione animæ & corporis; quia in iſtâ ſeparatione caro moritur ſolùm, & anima non dividitur; ſed in alterâ ſeparatione anima dividi videtur ab animâ, ita ut quis experiatur eodem tempore dolorem mortis & vitæ, & mors det ipſi pœnam ſine morte, & vita tribuat ipſi amaritudinem ſine oblectamento. Iſtud eſt tormentum quod David formidabat, & cui remedium opportunum petebat à Deo, quem ipſe diligebat, *Ne avertas faciem tuàm à me c. Et aſſimilabor deſcedentibus in*

t Rom. 5. 8.
u Eccli. 6. 14. &c.
x Pſ. 17. 5.
y Lorin. in Pſ. 17. 5.
z S. Baſil. con. 16. in Pſ. 114.
a Ex Iſai. 37. 3.
b 1. Reg. 15. 32.
c Pſ. 26. 9.

Digitized by Google

d Pſ.27.1. *lacum d.* Examinate, ſi placet, hæc illius verba. Non ait, Aſſimilabor mortuis, ſciens quòd iſti liberati ſunt ab omni dolore; ſed ſe comparat iis, qui extremum agunt vitæ agonem, & aliquandiu manent inter certamina & impetus mortis, quæ poſt innumeras horribiles aggreſſiones ingreditur victrix, ſuperans cuſtodes portarum, eripiens viſum oculis, auditum auribus, guſtum linguæ, & explicans ſuper turribus & ſuper mœnibus, id eſt, in facie, & in extremis partibus corporis, doloroſa & pallida vexilla: & quando anima cum ſpiritibus ſe recipit ad arcem præcipuam cordis, ibi ipſa renovat certamen interventu tormentorum crudeliorum: ideòque pectus non poteſt reſpirare, dentes ſtrident, lingua nigreſcit, labia inflantur, os repletur horrore, & totum corpus impetitur tormentis ſic crudelibus: propterea dicere poteſt jure merito, *Melior eſt mors quàm vita* e Eccli.30.17. *amara e.* Cùm patiatur iſto inſtanti malum mortis. In tali ſtatu reperitur amans, cùm f Joan.14.6. deſeritur à Deo qui eſt *Vita f.* Ideòque dicit ei, *Ne avertas faciem tuam à me g: Et aſſimi-* g Pſ.26.9. *labor deſcendentibus in lacum* h. h Pſ.27.1. Quòd ſi David experiebatur tantum dolorem, cùm Deus ipſius avertebat ab ipſo vel per exiguum tempus vultum ſuum: qualem dolorem partus, & quantam mortis anguſtiam ſuſtinuit anima B. Virginis per *triduum*, quo ipſa privata fuit intuitu vultus illius, *in quem deſiderant* i 1.Petr.1.12. *Angeli proſpicere* i? Sic ut dicere nunc poſſimus id quod S. Bernardus de eâ ediſſerit k Eccleſia ex Joan.19.25. dum *ſtabat juxta crucem k* Filii ſui, quem mori videbat, *Cogitare nunc libet quantus dolor tunc inſuit Matri. Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit quanto dolore afficiebantur pia viſcera Matris. Nunc ſolvis Virgo cum uſurâ, quod in partu non habuiſti à naturâ. Dolorem pariendo Filium non ſenſiſti, quem millies replica-* l S.Bern. ſerm de Lament. Virg. *tum Filio paſſa fuiſti l* deperdito. Quale tormentum patiebatur cor amantiſſimæ omnium Matrum, æquè ac dilectiſſimæ, cùm triſtis cogitatio ſic offerebatur ipſi, dicens, *Vbi eſt* m Pſ.41.4 *Deus tuus m?* Heu! nunquid non poterat ipſa reſpondere præ veritate, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quo-* n Ibid. *tidie, Vbi eſt Deus tuus n?* Videtur David in his verbis id explicuiſſe, quod eloquitur Scriptura o de matre Tobiæ junioris, *Flebat ma-* o Tob.10.4. *ter ejus irremediabilibus lacrymis.* Lacrymæ Mariæ erant extra omne remedium: propterea non alebatur ipſa, niſi lacrymis, quæ ſemper magis exacerbant, & faciunt jugiter plus pati. Qualem pœnam pertulit hæc *Mater pulchræ Di-* p Eccli.24.24. *lectionis p* per tres dies jacturæ iſtius? Lingua ipſius explicare non poteſt id quod cor ipſius ſentiebat doloris; ideòque querens Filio ſuo, cujus abſentia erat tota cauſa martyrii ipſius, *O grave martyrium: ô frequens ſuſpirium: ô lan-* q S.Bern. ſerm de Lament. Virg. *guens pectus Virgineum q:* nihil ei dixit aliud niſi brevia verba hæc exarata in Evangelio hodierno, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Timanthes pictor celeberrimus depingere volens faciem Agamemnonis, & monſtrare dolorem, quem ſentiebat è morte Iphigeniæ filiæ ſuæ, non inveniens colorem idoneum, velo faciem patris illius obduxit, ut ait Calepinus r, *Inter ejus ingenii mo-* r Calep. in Diction. V. Timanthes. *numenta, Iphigenia oratorum laudibus celebratur, quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes mœſtos pinxiſſet, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit, velo obduxit.* Videtur autem iſte pictor quid plus umbris declaraſſe, quàm manifeſtaſſet luminibus: ſic B. Virgo volens depingere tormenta, quæ ipſa ſenſerat ex jacturâ Filii ſui, non invênit verba quibus ipſa poſſet uti, nec coloribus quibus illa depingere valeret, ideòque ea velo operuit, dicens eidem Filio ſuo, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Quale tormentum poteſt afferre Matri jactura Filii, qui eſt & Filius ipſius, & Deus ipſius? Non poteſt illud depingi, niſi ſilentio. Taceo, chariſſime Fili, ait ipſa, quia non poſſum exprimere dolorem quem ſenſi: ſed ſi lingua mea ſilet, pallor interitus qui depictus eſt ſuper facie meâ, & lacrymæ quæ cadunt ex oculis meis, loquuntur, & explicare poterunt pœnas quas ſuſtuli in te requirendo, *Dolentes quærebamus te.* Ipſa dicebat circunquaque, *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore* s Cant.5.8. *langueo s.* Super quod ait de Ponte t, *Emphaſim* t De Pont. lib. 8. in Cant. 5. 8. Exhort.17 *majorem habet LXX. verſio, dicens, Quoniam vulnerata charitatis ego ſum.* Non poſſum ſanari ſine illo, cujus fruitio eſt totum remedium ſanandis malis meis accommodum, ideòque orate eum ut miſereatur meî; &, ſi Medicus eſt cordium, ut medeatur morbo cordis mei; &, ſi eſt verum, eum eſſe *fontem vivum u*, ut ſanet hanc cervam u Pſ.41.3. & 2. vulneratam; & ſi eſt *flos campi x*, ut auxilietur x Cant.2.1. mihi languenti dilectione ipſius, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo y.* Dein- y Cant.2.5. de, Verba ſua dirigens ad *magni conſilii z* An- z Iſai 9.6. juxta LXX gelum, proſequitur ipſa, dicens, *Indica mihi quem diligit anima mea a.* Ha! ſi ſemel illum in- a Cant.1.6. veniam, eum tenebo ſic chatè ut nunquam ſim ipſum dimiſſura, *Tenui eum, nec dimittam* b. b Cant.3.4.

Peccator, amiſiſti Deum tuum, non præ innocentiâ, ſicut B. Virgo, ſed propriâ culpâ tuâ & criminibus tuis, quidnam non agere debes ad inveniendum eum? Nonne debes effundere torrentes lacrymarum? & nunquid non more glaciei ſanguinem conſtringere debet in venis tuis iſtud verbum, cùm tibi dicitur, *Vbi eſt Deus tuus?* Heu! amiſiſti illum per peccata tua, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis*, ait Iſaias c, alloquens peccatores. Imitare B. Virgi- c Iſai.59.2 nem in requiſitione theſauri, quem amiſiſti, *Dolentes quærebamus te.* Adhære modo procedendi Davidis, & ſatage ut fletus ſint cibi tui ordinarii in hâc privatione, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus d.* d Pſ.41.4. Cùm antiqui Idololatræ caſu incurrebant inimicitiam alicujus è Diis ſuis, recurrebant ad alium ut is eſſet ipſis propitius: ſed nos qui ſcimus, quòd nulli ſint falſi Dii, & quòd unicus eſt ſolus Deus, prout ipſemet ait, *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me e:* & quemad- e Deut.32.39. modum unuſquiſque fidelis ipſum confitetur, dicens, *Credo in unum Deum;* ſi caſu excidamus è gratiâ ejus, cujuſnam poterimus auxilium implorare? *Noli lætari Iſraël, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus es à Deo tuo*, ait Oſee f, populum f Oſee 9.1. Iſraëliticum alloquens. Quaſi diceret: O Iſraël qui ſumpſiſti nomen tuum à lumine ſuſcepto è cœlo, cujus interventu non te ſubmittis multis idolis mendacibus, ſicut alii populi decepti, & obvoluti tenebris Paganiſmi, ſed qui adoras ſolum & verum Deum, quomodo fieri poteſt

ut offendendo eum qui te regit, & te tuetur, præ cujus manibus conſiſtit ſpiritus tuus, & vita tua, *Et vita in voluntate ejus g* (g Pſ.29.6.), non ſecus ac ipſe habet *claves mortis & inferni b* (b Apoc.1.18.), id eſt, qui introducere te poteſt *in vitam æternam i*, aut te præcipitare in *ſupplicium æternum k* (i Matth. 25.46. k Ibid.); poſſis oſtendere hilaritatem in facie tuâ, & ullum affectum gaudii in corde tuo? *Noli lætari Iſraël*, &c. Mirum non eſt ſi aliqui Ethnici negantes Divinam Providentiam, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter l* (l Sap. 8. 1.); judicium, pœnas, & mercedes, quippe in quo judicio Deus *reddet unicuique ſecundùm opera ejus m* (m Rom.2. 6.); & immortalitatem animæ, rati quòd corpore pereunte, anima pateretur confeſtim naufragium, & quòd hæc æquè ac illud uno & eodem moreretur ictu; adorarent Deos mendaces, vanos, & inimicos ad invicem, ita ut cùm ipſi incurrerent inimicitiam unius, recurrerent ad Regnum alterius, in quo imaginarentur quòd reperire poſſent defenſionem & protectionem: ſed quòd Chriſtianus, qui fruitur prærogativis fidei, quippe quem Deus *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum n* (n 1.Petr. 2.9.); qui non dubitat de Divinâ Providentiâ, de mercede Bonis retribuendâ, & de ſupplicio malis infligendo, de immortalitate animæ, de exiſtentiâ ſolius Dei, audeat illum offendere, & poſtquàm irritavit eum enormitate criminum ſuorum, non timeat ampliùs, ſed lætetur inſtar eorum, *qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas; qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis; quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum o* (o Prov.2, 13.&c.): quis imaginari poſſet ſpectaculum crudelius hôc, æquè ac repletum majori miſeriâ? *Noli lætari Iſraël, noli exultare ſicut populi*, &c. Infelix, quomodo poteſt illabi lætitia in animam tuam, cùm amiſeris originem omnium verarum lætitiarum? quâ ratione poteſt oſtendi gaudium ſuper facie tuâ, cùm perdideris hunc cœleſtem Iſaac, qui ſignificat *riſum p* (p Gen. 21. 6.)? Poteſne manifeſtare foris ullum ſignum veri oblectamenti, ſi includis in corde tuo laborioſum infernum tormentorum? Re autem verâ, dato quòd non admitteretur in inferno, niſi *vermis q* (q Iſai.66. 24.), ſeu remorſus conſcientiæ pro amiſſo ſic charo amico, qui nos ſic amanter ſibi devinxerat in omnibus occaſionibus, & amiſſo pro nihilo, iſtud ſufficeret ad affligendum cor per totam æternitatem, ita ut deficeret ſingulis momentis, ſi fieri poſſet, propter ingentem dolorem. Perdere Deum, eſt totum perdere, nec habet quis aliquid amplius ſperandum, ſuſtinens ejus privationem. Peccatores miſeri, auſcultate Prophetam Joel *r* (r Joel.1.5.), qui ſic vos alloquitur, *Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Suſcitamini, infortunati, qui inſeliciter eſtis inebriati voluptatibus criminoſis, & deliciis fallacibus vini mundi; aperite oculos veſtros, & videte malum ingens quod peregiſtis: ſenſus enim qui conſiderabunt hæc objecta, non poſſunt effici, niſi fontes lacrymarum, ſuſpiriorum, & gemituum. Heu! Domine quis te ſic indignè excepit? quiſnam ſic te deſpexit? quis eſt qui te ſic crudeliter peremit? Sane peccata mea tibi mortem intulerunt, cùm ipſe *peccata multorum ſ tuleris* (ſ Iſai.53. 12.). Eruntne igitur oculi æquè crudeles ac manus ſæva fuit? Videbuntne ſicci hæc vulnera quæ tibi manus inflixit? Abſit hoc ab illis. Si uſque nunc inebriati fuiſtis, nunc *expergiſcimini, & flete* jacturam quam incurriſtis.

(II. Pars.) Ecce Puer deperditus, ſed ecce requiſitio illius eodem tempore abſque ullâ morâ, *Et non invenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum.* Sed quid mirum ſi deperditus eſt? cùm ibat quæſitum populum perditum, ſicut *ipſe ait*, *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël t* (t Matth. 15 24.): *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat u* (u Luc.19, 10): & quemadmodum videtur ipſemet Paſtor deperditus, cùm hoc ipſi contigerit eò quòd adhæſiſſet veſtigiis ovis deperditæ, dicens, *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis x* (x Joan.10. 11). Et alibi meliùs, *Grex perditus factus eſt populus meus: de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui y* (y Jer.50.6). Quaſi diceret: Heu! populus meus ſe reddidit tunilem gregi perdito: tranſivit è monte ſuperbiæ ad collem voluptatum, oblivìſcens mei, qui ſum verum bonum quietis ipſius. Hæc miſera ovis errans, efflagitat auxilium Paſtoris ſui, qui ut quærat ipſam ſic errantem, deperdit ſemetipſum, obliviſcens quietis, quam ſumebat in ſocietate bonæ Matris ſuæ. In quo adimplet ipſe id quod exaratum eſt in Geneſi *z* (z Gen.2. 24), *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Ipſe jam reliquerat Patrem ſuum in cœlo, ſicut ipſemet ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum a* (a Joan. 16 28.). Id eſt, *Per humanæ naturæ aſſumptionem, atque cum hominibus piam converſationem b* (b Ex Baruch 3.38), ſubdit Carthuſianus *c* (c Dion. Carth.art. 40.in Joã. 16.28). Et nunc deſerit Virginem ſanctiſſimam Matrem ſuam in terrâ, *Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. Non abſque multiplici cauſâ, rationalibuſque motivis, videlicet ut ſuam ſapientiam tunc monſtrare ad gloriam Patris inciperet: ut pueris, imò & cunctis exemplum perſiſtendi in templo, & in cultu ac opere Dei præberet: ut zelum ſuum circa Divina ac Patris honorem à pueritiâ declararet, ut amore ſpiritualis profectus in ſapientiâ, ſcientiis, atque virtutibus carnales parentes oſtenderet relinquendos*, ait idem Carthuſianus *d* (d Dion. Carth.art. 7.in Luc. 2.43.). Ita vehementer & præ tantâ curâ quærit animam deperditam ad uniendum ſe ei, ut videatur ſemetipſum perdidiſſe: quòd ſi ipſe perdit ſemetipſum ad nos reperiendos; perdamus ipſi noſmetipſos, etiam ad hoc ut reperiamus eum. Avare, perde divitias iſtas, quas injuſtè poſſides: Impudice, perde hanc lupam, quæ tuarum motivum facis impuritatum, & criminoſarum flammarum tuarum: Adoleſcens æquo liberior, otioſe, & nequam, perde ſocietatem iſtam diſſolutam & effrænem, quæ laxis habenis te deducit ad mortem; & curre ad reperiendum Authorem vitæ, qui eſt veluti perditus ad te requirendum. O felix jactura, cùm ipſa ſit origo & fons omnium bonorum! Jeſus deperditus eſt, quandiu Parentes ſui reverrebantur Jeroſolymis, *Cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem.* Ut edoceamur, quòd præcipua cauſa, quæ nos privat Deo, eſt quia recedimus à viſione pacis, cùm in eâ beatum ſuum Deus faciat domicilium, ſicut ſcriptum eſt de eo, *Et factus eſt in pace locus ejus e* (e Pſ.75.3.). Et locus, in quo præcipuè debemus illum quærere, eſt civitas Jeruſalem, & templum illius, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlis ſedes ejus f* (f Pſ. 10. 5.). Sicut enim anima ſancta egrediens è templo, *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt?* ait S. Paulus, ſcribens Corinthiis *g* (g 1.Cor.6, 19): ingreditur cœlum, & Deum reperit in templo ſupremo: ſic anima peccatrix, quæ jam amiſit ſummum *Bonum h* (h Exod. 32. 19.) per peccatum, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur i* (i Ezech. 18.4.& 20.); Deum reperit, ingrediendo templum plena dolore, repleta contritione & pœnitudine

cum

cum lacrymis amaris in oculis, & ſuſpiriis & gemitibus in ore, *Nunquid voluntatis mea eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat* k? Licèt ipſæ reperiant eum diverſimodè. Illa videt Deum *facie ad faciem* l, *ſicuti eſt* m. Hæc autem intuetur eum opertum ſacris & mirabilibus accidentibus, *per ſpeculum in ænigmate* n. Si ibi ſe Deus oſtendit liberalem in remunerando: hîc apparet etiam admirabilis in miſerendo & parcendo: ſi ibi ut Judex juſtus & æquus dat coronam gloriæ æternæ, cùm proprium ſit juſtitiæ reddere unicuique id quod ſuum eſt, ſicut dicebat Apoſtolus o, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Judex*: Hic largitur ut Pater coronam gratiæ & miſericordiæ. Præterea David p dicit jure merito de duobus templis, *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*. Et, ſicut traducit S. Hieronymus apud Lorinum q, *Mirabilis Deus de ſanctuario ſuo*. Quia Deus ſe oſtendit æquè admirabilem parcendo pœnitentibus in ſacro templo, ac remunerando juſtos, & tribuendo eis gloriam ſuam in paradiſo.

k Ezech. 18.23
l 1. Cor. 13 12
m 1. Joan. 3.2
n 1. Cor. 13.12
o 2. Tim. 4.7. & 8.
p Pſ. 67. 36
q Lorin in Pſ. 67. 36.

III. Part.

Tandem, Tempus eſt obſervandum, ſic ut advertens quis ſe amiſiſſe Deum, conetur ſtatim reperire eum, nedum differat ullo modo pœnitentiam. Quidam dies conceduntur reis, qui vocantur dies utiles à Jure, & dies legitimi à Budeo, *Dies utiles, qui faſti olim dicebantur, hoc eſt quibus experiundi juris ſui poteſtas eſt* r. Et, *Dies legitimi, id eſt, dilationes ordinariæ* ſ. Nimirum, per quos licet reis tueri propriam cauſam ſuam, & proponere rationes, quæ ſunt ipſis favorabiles. Sed Judex æternus indulget peccatoribus per miſericordiam ſuam æternam aliquos dies utiles & opportunos defendendæ cauſæ ſuæ, & obtinendæ gratiæ, dolendo de peccatis ſuis, quàmvis poſſet eodem inſtanti prononciare decretum mortis irrevocabile adversùs eos, & eis illico interitum inferre, ille autem verè eſt inops judicii, qui ſluere ſinit opportunitatem ſic favorabilem.

r L. 1. D. de diverſ. tempor. præſcri. L. Miles par. quadam. D. de adult. L. Jure C. eodem.
ſ Bud. in Prioribus.

S. Paulus t accenſus zelo erga ſalutem noſtram promovendam, nos potenter hortatur ut hoc utamur pretioſo tempore, *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum u, *Adjuvantes autem verbo, operatione, oratione veſtram imbecillitatem: vel, adjuvantes, id eſt, Chriſto cooperantes in veſtrâ converſione, exhortamur, ne in vacuum, id eſt, ſine fructu & perſeverantiâ gratiam Dei habitualem & gratum facientem recipiatis in Baptiſmo, vel Pœnitentiæ Sacramento. Gratiæ enim finis eſt adeptio gloriæ. Idcircò gratiam Dei in vacuum recipit, qui per eam benè vivendo æternam beatitudinem non acquirit. Melius eſt enim viam juſtitiæ ignoraſſe, quàm poſt agnitionem reverti retrorſum* x. *Simili modo, melius quodammodo eſt gratiam non recepiſſe, quàm receptam perdidiſſe. Quòd autem Deus paratus ſit gratiam dare, probatur. Ait enim Dominus per Iſaiam* y. *Tempore accepto, id eſt, tempore opportuno & congruo, maximè novæ legis & gratiæ, exaudivi te inſtanter orantem pro quocumque negotio tibi ſalubri. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur* z: *Et in die ſalutis, id eſt, tempore liberationis humanæ, facta per Chriſtum, adjuvi te, dando tibi ſupernaturale auxilium gratiæ, atque virtutum: ſicut ait Pſalm. Auxilium meum à Domino* a. *Et, Niſi quia Dominus adjuvit me, paulominùs habitaſſet in inferno anima mea* b. *Deinque, Prææallegatam Iſaiæ authoritatem quaſi exponit, applicans eam ad tempus Chriſti. Ecce nunc tempus acceptabile, id eſt, gratum & aptum ad gratiam promerendam, quia nunc maximè operatur meritum paſſionis Dominicæ; ecce nunc dies ſalutis, id eſt, tempus ſalvationis à Chriſto exhibitæ. Vide legitur in Actis* c, *Omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps annunciaverunt dies iſtos.* Fidelis conſilium, eſt ſubſidium certiſſimum, ſed nullum reperiri poteſt quod æquiparari poſſit illi quod nobis providet Apoſtolus, tam propter magnum affectum quo ipſe nobis conſulit, quam propter materiam perutilem de quâ loquitur. Examinate adhuc, ſi placet, illius verba, quæ non reſpirant niſi flammas, & deſiderium ſalutis noſtræ. *Ecce*. Ipſe nobis oſtendit velut præſens beneficium, ut videntes quòd pervolet, curramus ad ſiſtendum illud, nec ſinamus illud elabi. *Nunc*. Id eſt, iſtud *momentum, unde pendet æternitas*, ut dicitur. *Tempus acceptabile*. Nam per clementiam & gratiam Dei, tempus iſtud utile ad vacandum ſaluti noſtræ, nobis indulgetur. *Ecce nunc dies ſalutis*. Certum eſt, dies noſtræ ſalutis, eſſe dies vitæ noſtræ, quos utiliter inſumere debemus ad operandam eandem ſalutem noſtram. Judices terræ ſoliti ſunt præſcribere dies utiles: ſed Deus promiſit tantùm, quòd, ſi agamus pœnitentiam, ſi mitigemus ipſius juſtitiam quandiu vivimus, ipſe nobis ſuam largietur gratiam, impendendo nobis indulgentiam peccatorum noſtrorum, dicens, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam; vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitiâ ſuâ, quam operatus eſt, vivet* d. Sed non promiſit nobis certum & determinatum tempus ad peragendam pœnitentiam, *Propter iniquitates tuas converſo tibi indulgentiam Deus promiſit, ſed craſtinum diem tibi nemo promiſit*, ait S. Auguſtinus e. Et ipſe poteſt ſingulis momentis nobis inferre mortem. In quo apparet juſtitia & miſericordia Judicis hujus ſupremi. Miſericordia, cùm polliceatur veniam peccatori. Juſtitia, cùm nullum aſſignet ei momentum temporis certum, tenens illum ſemper in timore: *Neſcitis diem, neque horam* f. Propter hunc effectum Deo David g dicebat, *Pro hâc orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Quaſi diceret, Quandiu dies utiles nondum elapſi ſunt, nec ſententia Judicis data, nec ſupplicium pœnæ æternæ publicatum contra reum, tempus eſt opportunum reperiendæ gratiæ & miſericordiæ Divinæ: illo enim tempore Deus expectat nos ad pœnitentiam. Unde dicit Lorinus h ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *In tempore opportuno. Hieronymus, Tempus inveniens. Alii, Tempore inveniendi. Chaldaicè, In tempore voluntatis, aut acceptabili, aut beneplaciti. Quod tempus hoc ipſo nomine vocatur in Pſalmo ſexageſimo octavo* i, *cùm mentio eſt de oratione: Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. Symmachus, reconciliationis. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me in veritate ſalutis tuæ. Apud Iſaiam* k, *& Paulum* l *ſimilis ſententia, loquentes de tempore accepto, ſive acceptabili, & de die ſalutis: & apud priorem* m *præcipientem quærere Dominum dum inveniri poteſt. Hoc tempus eſt quidem præſertim, quod ſpectat ad uberiorem gratiæ copiam,*

t 2. Cor. 6. 1. & 2
u Dion. Carth. art. 6. in 2. Cor. 6. 1. & 2
x Ex 2. Petr. 2. 21
y Ex Iſai. 49. 8
z Luc. 11. 10
a Pſ. 120. 2.
b Pſ. 93. 17
c Act. 3. 24
d Ezech. 18. 21. & 22
e S. Aug. ſerm. 59. de Verb. Dom. c. 9
f Matth. 25. 13
g Pſ. 31. 6
h Lorin. in Pſ. 31. 6
i Pſ. 68. 14
k Ex Iſai. 49. 8
l Ex 2. Cor. 6. 2
m Ex Iſai. 55. 6

legis

Digitized by Google

legis Evangelicæ, ut Auguſtinus, Gregorius, aliique, atque citatim innuit Paulus: at eſt etiam omne ſpatium vitæ noſtræ, tum verò quoties inſpirationibus Divinis incitamur ad pœnitentiam, & loci, temporis, perſonarum, aliarumve ſo circumſtantiarum offert opportunitas; quo pacto & idem Apoſtolus n, Herbam opportunam nominat, quam terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem generat. Pœnitentia tempus quaſi idoneum, ac commodum, inquit Euthymius, opportunum tempus appellavit. Imitandus David in benè captandâ opportunitate, & in ſeviando ab externis curis pro re adeò ſeriâ. Tu Domine exercituum Deus Iſraël revelaſti aurem ſervi tui, dicens: Domum ædificavi tibi: proptereà invênit ſervus tuus (nota novum & mirabilia dicendi modum) cor ſuum, ut oraret te oratione hâc o. Inſumamus ergo proficuè tempus, quod nobis tribuit Deus ad ipſum requirendum, *Cùm certum ſit totum vitæ hujus tempus nonniſi ad pœnitentiam inſtitutum*, ait S. Bernardus p. Et ſtatim ſubdit poſt Iſaiam q, *Quærite Dominum dum inveniri poteſt: invocate eum dum prope eſt. Neque enim tunc erit invocandi tempus, quando nemini proximus erit Deus; ſed aliis quidem præſens, aliis verò nimis valdè remotus. Interim ſanè ex eo quòd proximus dicitur, manifeſtum eſt quòd nondum habetur; ſed tamen haberi & inveniri facilè poteſt. Quis tibi videtur proximus fuiſſe illi qui incidit inter latrones? Utique qui fecit cum eo miſericordiam* †. *Ergo quia toto hoc tempore miſericordiæ proximus eſt, quærite Dominum, Chariſſimi, dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt.* Et ſi deſideratis eum reperire Judicem benignum, ſatagite occurrere ei obviàm in ſocietate Matris ſuæ: non enim erit poſſibile ut quid denegetur tali Advocatæ: & quicumque confugit ſub præſidium hujus Matris *pulchræ Dilectionis* r, liber erit ab omni pœnâ. Quamvis enim peccator mereatur omnem punitionem, ſi tamen currit cum pœnitudine verâ, & devoto affectu procubitum ad pedes B. Virginis, poteſt eſſe certus ſe conſecuturum quæcunque deſideraverit ab ejus Filio, qui ſicut alter Salomon, dicere poterit ipſi id, quod *Abiathar Sacerdoti dixit Rex* iſte pacificus, *Et quidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini Dei coram David patre meo* ſ. Quæramus Jeſum, Auditores: quæramus eum eodem inſtanti quo jacturam illius incurrimus, ſed præ lacrymis & ſuſpiriis, more B. Virginis Deiparæ, quæ illum ſine crimine perdiderat, *Dolentes quærebamus te.* Quæramus eum in templo, ubi reperiuntur gratiæ, & Sacramenta quæ ſunt illarum origines, & canales, per quos hujuſmodi gratiæ fluunt ſuper nos: templum enim eſt locus manſionis ipſius: quæramus illum tempore opportuno; & quandiu nobis datur modus opportunus inveniendo ipſi, ſatagamus illum reperire, ut, poſtquàm invenerimus illum, dicere poſſimus cum Sponſâ, *Teneo eum, nec dimittam* t. Id eſt, ut fortiter maneamus ei uniti in hoc mundo per gratiam, ut in æternum poſſideamus illum in altero per gloriam.

n Ex Hebr. 6.7.
o Ex 2. Reg. 7. 27.
p S. Bern. ſerm. 3. in Quadrag.
q Iſai. 55. 6.
† Ex Luc. 10. 36. & 37.
r Eccli. 24. 24.
ſ 3. Reg. 2. 26.
t Cant. 3. 4.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ: & erat Mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. Joan. 2. 1. &c.

INter Eccleſiæ ſtatus obſervantur tres, ad quos tota refertur orbis œconomiæ, nimirum ſtatus virginum, ſtatus continentium, & ſtatus conjugatorum: & Jeſus Chriſtus oſtendit tres iſtos ſtatus ſibi fuiſſe gratos. Virginitas illi placuit, eligendo Virginem in Matrem: *Cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Ioſeph, antequàm convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* a. Continentia in Annâ Propheteſſâ, cui ſe revelavit in templo, *Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſuâ. Et hæc vidua erat uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Et hæc ipſâ horâ ſuperveniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël* b. Et Matrimonium, cùm *vocatus ad nuptias*, illis interfuit. Loquebatur autem Salomon c appoſitè cùm dicebat, *Viæ ejus, viæ pulchræ.* Quaſi dixiſſet, Deus non unicam duntaxat habet viam, per quam pergatur ad cœlum, ſed multas, & has omnes pulchras, bonas, & ſanctas. Et S. Paulus denunciavit nobis idem, licèt ſub aliis terminis, *Quòd ſi radix ſancta, & rami.* Ex eâdem radice multi rami prodeunt, id eſt, via eſt, ſeu ramus tendens ad cœlum, ſtatus Virginitatis; alia via eſt, ſeu alius ramus continentia; & alia via eſt, ſeu alius ramus Matrimonium ſive nuptiæ, & omnes iſti ſtatus ſunt ſpecioſi rami prodeuntes ex eâdem radice, quæ Deus eſt, imò verò Matrimonium, dummodò non violetur adulteriis, ſed conjuges inviolatè ſe cuſtodiant in gratiâ, quam ſuſceperunt cum hoc Sacramento, ſicut Maria inpitee cuſtodivit gratiam, ſicut teſtantur hæc Angeli verba, *Ave Maria.*

a Matth. 1. 18.
b Luc. 2. 36. &c.
c Prov. 3. 17.
d Rom. 11. 16.

Quicumque de mirabilibus orbis aggreſſi ſunt diſcurrere, obſervaverunt, quòd tota illius gloria, imò verò tota illius conſervatio abſolutè penderet ab ordine, quem Creator in illo conſtituerat, ei tribuens eſſe. Præter experientiam quotidianam, quâ veritatem iſtam comprobamus in rebus naturalibus, in quibus univerſa ſic ritè ſunt ordinata, Author ipſe naturæ, eandem manifeſtavit veritatem, cùm *omnia in menſurâ, & numero, & pondere* e diſpoſuit. Quod confirmatur à S. Paulo f, qui eo utitur ut maximâ ſtatus & Religionis, *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Sic Deo dicebat Pſalmiſta g, *Ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi.* Non ſolum voluit Deus ordinare res corporales, ſed etiam providere media neceſſaria conſervationi hominis tam ſpirituali, quàm corporali. Proptereà inſtituit Sacramenta, quæ ſunt totidem fontes & rivi, per quos perducat nos ad originem quæ eſt ipſemet: *Quomodo omnia nobis Divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propriâ gloriâ & virtute, per quam maxima & pretioſa nobis*

e Sap. 11. 21.
f Rom. 13. 1.
g Pſ. 118. 91.

promiſſa donavit : ut per hæc efficiamini Divinæ con-
ſortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo eſt, concu-
h 1.Petr.1. *piſcentiæ corruptionem*, ait nobis S.Petrus *h*. Sunt
3. & 4. igitur in Eccleſiâ ſeptem Sacramenta inſtituta à
Jeſu Chriſto in terrâ propter utilitatem noſtram
i Exod. ſpiritualem, figurata per *lucernas ſeptem i* Ta-
21.37. bernaculi Moſaici, & per eas, quas *Sapientia ſibi*
k Prov.9.1 *excidit columnas ſeptem k*. Quod non vacat à my-
ſterio, quia ſicut poſt peccatum Protoplaſti no-
l Gen.3.6. ſtri, *quo vetitu de fructu comêdit l*, & *in quo omnes*
m Rom.5. *peccaverunt m* ipſius poſteri, natura humana fuit
12. afflicta ſeptem morbis; tribus, qui ſecuti ſunt
culpam, nimirum, peccato originali, peccato
mortali, & peccato veniali; & quatuor, qui ſo-
ciati ſunt pœnæ, putà, ignorantiâ, malitiâ, con-
cupiſcentiâ, & infirmitate: ſic Dominus noſter
Jeſus Chriſtus inſtituit & decrevit ſeptem me-
dicinas curandis iſtis ſeptem ægritudinibus ac-
commodas : *Venit enim Filius hominis quærere &*
n Luc. 19. *& ſalvum facere quod perierat n*. Peccatum ori-
10. ginale habet Baptiſmum *o* pro remedio : Pec-
o Joan.3.5 catum mortale *Pœnitentiam p*. Peccatum venia-
p Luc.13. le Extremam Unctionem *q*: ignorantia Ordi-
3. nem *r*: malitia Euchariſtiam *ſ*: concupiſcentia
q Jacob.5. Matrimonium *t*: & infirmitas Confirmatio-
14. nem *u*. Iſtius numeri ſeptemplicis fides diſce-
r Joan.20. ptatur nobis à noſtris hæreticis, qui maximam
22. & 23. illorum partem rejicientes partinaciter, æquè
ſ 1.Cor.11. ac malitiosè, permanent in errore ſuo, oculos
24. & 25. aperire nolentes ut videant, quòd inſtitutio
t Matth. Sacramentorum eſt de Jure Divino, facta à Je-
19.5. ſu Chriſto ob ſalutem noſtram.
u Act.8.17

x S.Thom. S.Thomas *x* tractans iſtam quæſtionem, di-
3.p. q. 64. cit abſolutè : *Cum virtus Sacramenti ſit à ſolo Deo,*
a. 2. in *conſequens eſt quòd ſolus Deus ſit Sacramentorum in-*
corp. *ſtitutor*. Et ratio iſtius eſt, Quia ille ſolus poteſt
inſtituere, & decernere, qui habet poteſtatem
inſtituendi, ſicut videmus quòd penes ſolum
Principem ſit condendarum legum poteſtas:
atqui poteſtas hæc debetur Deo ſoli, ita ut nec
Apoſtoli, nec illorum ſucceſſores qui ſunt
Prælati, nec Concilia, nec tota Eccleſia po-
tuerint unquam inſtituere aliquod Sacramen-
tum, cùm poteſtas hæc adhæreat agenti princi-
pali, quod eſt Deus, ad quem ſolum pertinet in-
ſtituere Sacramenta. Quod confirmatur à Con-
y Conc. cilio Tridentino *y*, *Si quis dixerit, Sacramenta no-*
Trid.ſeſſ. *væ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro*
7.can.1. *inſtituta, anathema ſit*. Iſti favet & S. Ambroſius
z S.Ambr. *z* veritati, cùm ait: *Author Sacramentorum quis eſt,*
lib.4 de *niſi Dominus Ieſus?* Apoſtoli, & eorum ſucceſſo-
Sacram.c. res Prælati & Sacerdotes ſunt illorum duntaxat
4. adminiſtratores, *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros*
Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, ajebat S.
a 1.Cor.4. Paulus *a*. Quem Dionyſius Carthuſianus *b* ſic
1. elucidat ad propoſitum noſtrum, *Sic nos Apoſto-*
b Dion. *los, ac Chriſti Vicarios exiſtimet homo quicumque*
Carth.art. *fidelis ut miniſtros Chriſti non ut principales, aut*
2. in 1. *gratiæ collatores, & (ut) diſpenſatores, hoc eſt,*
Cor.4.1. *exhibitores ſeu diſtributores myſteriorum Dei, id eſt,*
Divinorum Sacramentorum. Prælati & Sacerdotes
ea ſolùm poſſunt adminiſtrare & diſpenſare;
Jeſus Chriſtus ſolus ea poteſt inſtituere. Sed in-
ter hæc omnia Sacramenta Evangelium hodier-
num quod tractat de nuptiis, inducit me ad lo-
quendum vobis de Sacramento Matrimonii:
oſtendam vobis igitur in progreſſu diſcurſus
iſtius excellentiam Sacramenti Matrimonii.

Propoſi- Ut concipiatur qualis ſit excellentia Sacra-
tio. menti Matrimonii, ſupponendum eſt priùs
quadruplex Matrimonii genus. Primum Ma-
trimonium, eſt Matrimonium ſecundùm car-
nem, quale fuit Matrimonium Adæ & Evæ,
inſtitutum à Deo in paradiſo terreſtri, *Erunt duo*
in carne una c. Honoratum præſentiâ ejus, & c Gen. 2.
primo miraculorum illius, cùm *nuptiæ factæ* 24.
ſunt in Canâ Galilææ; vocatus eſt autem Ieſus ad nu-
ptias, & fecit initium ſignorum Ieſus in Canâ Gali-
lææ. Sacramentum quod confert gratiam, &
quod innumeras præ ſe fert eximias ſignificatio-
nes. Secundum, eſt perſonale inter Verbum
Divinum & naturam noſtram humanam per
unionem naturæ ſuæ Divinæ cum noſtrâ naturâ
humanâ, *Verbum caro factum eſt d*. Tertium, eſt d Joan.1.
myſticum Jeſu Chriſti cum Eccleſiâ : *Chriſtus* 14.
Caput eſt Eccleſiæ: ipſe Salvator corporis ejus e. Quar- e Epheſ.5.
tum, eſt ſpirituale animæ noſtræ cum Deo per 23.
gratiam : *Sponſabo te mihi in ſempiternum : & ſpon-*
ſabo te mihi in juſtitiâ & judicio, & in miſericordiâ
& in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide f. At- f Oſee 2.
qui Sacramentum Matrimonii Chriſtianorum 19. & 20.
continet in ſe glorioſas omnes iſtas prærogati-
vas, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in*
Chriſto & in Eccleſiâ, ait S Paulus *g*. Et Dionyſius g Epheſ.5.
Carthuſianus *h* ſubdit ad rem noſtram, *Id eſt, in* 32.
ſpirituali diſpenſatione inter Chriſtum & Eccleſiam h Dion.
factâ, quando videlicet Verbum caro factum eſt, & no- Carth.art.
ſtram naturam aſſumens, oſtendit quantùm dilexit 5. in Epheſ.
nos, cum quibus idem fieri voluit. Matrimonium ergo 5.32.&c.
ſeu conjugium, magnum eſt Sacramentum propter
ſignificationem conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ in quâ
etiam Chriſtus quodammodo Patrem reliquiſſe vide-
tur, non ſimpliciter, cùm æternaliter ſit in ſinu i, imò i ex Joan.
in corde k Patris, ſed ſecundùm apparentiam quan- 1.18.
dam ratione incarnationis. Sic enim de novo apparuit k ex Pſ.44
mundo ad conjungendum ſibi Eccleſiam tanquam 2. & ex
Sponſam. Propter quod ait, Exivi à Patre, & veni in Joan.10.
mundum l. Et Pſalmiſta m, Ipſe (inquit) tanquam 38.
Sponſus procedens de thalamo ſuo. A ſummo cœlo egreſ- l Joan.16.
ſio ejus. Matrem quoque ſuam, id eſt, Synagogam Chri- 28.
ſtus reliquit, & adheſit uxori ſuæ, id eſt, Gentilitati m Pſ.18.6.
converſæ, quam ipſe ſpiritualiter viſitat, & fœcundat. & 7.
Et quia eſt Sacramentum, ſecum invehit vincu-
lum inſolubile, quod infringi non poteſt niſi ad-
veniente morte alicujus è conjugibus, *Mulier*
alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit : quòd
ſi dormierit vir ejus, liberata eſt à lege : cui vult nubat,
tantùm in Domino n. Diximus, quòd omnia Sa- n 1.Cor.7.
cramenta inſtituta fuerunt à Deo: atqui iſtud fuit 39. & ex
inſtitutum in ſtatu innocentiæ propter conſerva- Rom.7.2.
tionem ſpeciei, cùm Adam accepit Evam in ſo- & 3.
ciam, *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex oſſibus meis,*
& caro de carne meâ o. In ſtatu naturæ in reme- o Gen.2.
dium concupiſcentiæ, *Propter fornicationem unuſ-* 23.
quiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum vi-
rum habeat p. In lege *q* Moyſis fuit etiam Sacra- p 1.Cor.7.
mentum, quantùm ad determinationem perſo- 2.
narum. Sed in lege gratiæ eſt Sacramentum Ec- q Deut.
cleſiæ inſtitutum à Jeſu Chriſto, cùm Phariſæis 22.13.
tentantibus *eum, reſpondens, ait, Non legiſtis, quia*
qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fe-
cit eos r, & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem, r ex Gen.
& matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in 1.27.
carne unâ ſ. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro t. ſ ex Gen.
Propterea Matrimonium vocatur à S.Paulo *u* 2.24.
Honorabile connubium in omnibus, & thorus imma- t Matth.
culatus. Cùm ſit antiquiſſimum omnium Sacra- 19.3.&c.
mentorum, celebratum in paradiſo terreſtri; u Hebr.
Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplica- 13.4.
mini, & replete terram x. Ubi Deus fuit veluti x Gen.1.
primus 28.

primus Sacerdos qui Matrimonio conjunxit Adamum & Evam, cùm *mulierem adduxit ad Adam y.* Atqui hoc quod Pater æternus fecit in creatione, Filius ipſius fecit in recreatione: & non ſolùm honoravit Matrimonium præſentiâ ſuâ, cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ*: ſed etiam primum miraculorum ſuorum, *aquam vinum faciendo*, id eſt, mutando aquam tribulationum, *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi z*, in vinum conſolationis & gratiarum. Diverſæ ceremoniæ adhibitæ in ſolemnitatibus nuptiarum, confirmantur nobis ex prædictis verbis Apoſtoli: aliàs enim recentes conjuges coronabantur herbis odoriferis, *Tribulationem tamen carnis, hoc eſt corporalem afflictionem in proviſione temporalium rerum, & in variis curis ſecularibus habebunt hujuſmodi, id eſt, vir & mulier*, ait Dionyſius Carthuſianus a poſt eundem Apoſtolum. Alias exprimebatur ſanguis ex aure dextrâ ſponſæ, & è manu dextrâ ſponſi, in notam ſervitutis cui ſponſa ſe ſubjiciebat, in quo fiebat alluſio ad id quod ſcriptum eſt, *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis. Quòd ſi dixerit ſervus, Diligo Dominum meum, non egrediar liber, Dominus perforabit aurem ejus ſubulâ, & erit ei ſervus in ſeculum b.* Talis eſt ſervitus uxoris ſimilis martyrio, repræſentata per ſanguinem erutum ex aure; ſervitus prædicta verbis iſtis, *Sub viri poteſtate eris c.* Et licèt hæc verba dicta fuerint primæ mulieri poſt peccatum in pœnam criminis ejus; tamen in ſtatu innocentiæ erat ipſa ſubdita viro ſuo, ſed ſubjectione ſuavi & gratioſâ: at poſt peccatum ſubjectio iſta rudis eſt. Sanguis educebatur è manu dextrâ ſponſi, manu idoneâ operationi, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo d.* Qui ſudor miſcetur interdum cum ſanguine, in eo quòd ſanguis eruebatur è manu dextrâ. Alias coronabantur recentes conjuges myrthâ, quæ eſt planta amariſſima: ſed hæc amaritudo mitigatur honeſtate Matrimonii, *Honorabile connubium in omnibus e.* Cùm enim Matrimonium non ſit in principio niſi contractus civilis, mutatur in Sacramentum per inſtitutionem Jeſu Chriſti, & ſic vocatur à S. Paulo f, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſiâ.* Et ſub hâc qualitate eſt imago amoris Jeſu Chriſti & Eccleſiæ ejus, *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Sed quare creditis, quòd Apoſtolus vocat Matrimonium Sacramentum? Ideò, quia, ut ajunt Theologi, Matrimonium gratiam confert ex opere operato; ita ut ſtatim ac conjuges ſuum præbent conſenſum, pronunciantes verba exprimentia conſenſum ſuum, ſuſcipiant gratiam, modò ſint ad illam diſpoſiti, nec ei ſuſcipiendæ ullum ponant obicem per peccatum mortale: ſi enim haberent peccatum mortale, ſacrilegium patrarent, nedum gratiam ſuſciperent. Hæc gratia conjugibus eſt remedium contra concupiſcentiam, propterea dicebat S. Paulus g, loquens de muliere conjugatâ, *Salvabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate.* Non quòd dicere velit Apoſtolus, quòd productio filiorum in Matrimonio ſit cauſa ſalutis, ſed quòd mulier conjugata tuam poſſit operari ſalutem in conjugio, modo firma maneat in fide inviolatâ, in dilectione, in ſanctitate, & in ſobrietate: opponit autem hæc quatuor bona quatuor malis quæ ſunt inevitabilia in Matrimonio ſine gratiâ ſpeciali Dei. Primum eſt violatio fidei promiſſæ. Secundum inimicitiæ, diſſidia, zelotypiæ. Tertium immunditia. Quartum intemperantia quæ cauſatur ab inordinatione conjugum. Deus igitur dat gratias unicuique, *Ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore h.* Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus i, *Ut ſciat ſcientiâ efficaci & virtuosâ unuſquiſque vas ſuum, id eſt, proprium corpus poſſidere, ipſum per rationem regendo: poſſidere, inquam, in ſanctificatione, id eſt virtutum & caſtitatis munditiâ, & honore, id eſt, in ſtatu honeſto, carnalium vitiorum turpitudinem fugiendo.*

y Gen. 2. 22.
z 1. Cor. 7. 28.
a Dion. Carth. art. 7. in 1. Cor. 7. 28.
b Exod. 21. 2. &c.
c Gen. 3. 16.
d Gen. 3. 19.
e Hebr. 13. 4.
f Epheſ. 5. 32. & 25.
g 1. Timoth. 2. 15
h 1. Theſſ. 4. 4.
i Dion. Carth. art. 4. in 1. Theſſ. 4. 4

Hæc eſt gratia ſanctificans, quam ſuſcipiunt conjuges in Sacramento Matrimonii. Non ſolùm autem iſta gratia ſanctificans eis datur in hoc Sacramento, ſed prætereà gratia ſpecialis Sacramentalis, ſicut in aliis Sacramentis: & hæc gratia Sacramentalis in Matrimonio conſiſtit primò in hoc quòd conjuges alacriter ſupportant jugum illius & onera, propter quæ Juriſperiti conſtituerunt dotem. Qualem igitur gratiam non dabit Deus? Secundò, Hæc gratia Sacramentalis tribuitur illis ad producendum amorem mutuum & reciprocum inter conjuges. S. Paulus k ait, quòd vir ſuam diligere debet conjugem ſicut ſemetipſum, quatenus eſt veluti pars corporis ipſius, eò quòd ſunt duo in unâ carne; amor autem ex ſe eſt unitivus: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ. Ita viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit: ſeipſum diligit. Et erunt duo in carne unâ.* Proptereà dilectio ipſorum debet eſſe inviolata, æquè ac ipſorum fides. Sic multæ uxores aliàs ſuos ſic dilexerunt viros, ut illis mortuis ipſæ vivere noluerint ampliùs. Sic inter Ethnicos *Arthemiſia Mauſoli Cariæ Regis uxor, quæ inſignis pudicitia fuiſſe perhibetur, virum ultra humanæ affectionis finem amaſſe creditur. Nam & mortui cineres vino commiſtos ebibit: & memoriæ ejus tam ſplendidum erexit ſepulchrum, ut magnifica omnia monumenta, Mauſolea deinceps ab illius nomine fuerint appellata*, ait Calepinus l. Datur igitur hæc gratia Sacramentalis conjugibus ad fovendam hanc dilectionem mutuam, & hanc fidem reciprocam; ideò genuflexi ad ima altaris, ubi ſuſcipiunt benedictionem à Sacerdote, ſibi mutuò præbent manum dexteram, quæ eſt ſymbolum fidelitatis; & in quantùm hæc fidelitas terminatur ad Deum, Matrimonium [illegible] in facie Eccleſiæ, coram Sacerdote, quod fiebat etiam in primitivâ Eccleſiâ. Et conformiter ad hoc Tertullianus quatuor ponit conditiones obſervatas aliàs à primis Chriſtianis, dicens, quòd Eccleſia primò conciliaret, ſecundò, quòd oblatio confirmaret, id eſt, quòd celebraretur Miſſa (imò etiam Ethnici in ſuis Matrimoniis, in ſolemnitate nuptiarum ſuarum ſacrificia præſentabant) tertiò, quòd obſignarent Angeli, id eſt, Sacerdotes, qui vocantur Angeli à Malachia m: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Tertiò, quòd Pater ratificaret: unde reprobantur Matrimonia clandeſtina, quæ non quærunt Miſſam, nec Parochum, nec teſtes: *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet n?* Prætereà, Hæc fidelitas, quam recentes conjuges jurant & promittunt Deo, repræſentatur per

k Epheſ. 5. 25. &c. ex Gen. 2. 24.
l Calepin. in Diction. V. Arthemiſia.
m Malach. 2. 7.
n Tert. lib. 2. ad Uxor. c. 9.

per ſtolam, quæ figurat eundem Deum, ſuperpoſitam à Sacerdote manui utriuſque conjugis. Tandem, Sibi tribuunt annulum, quem ſemper deferre deberent in ſignum fidelitatis iſtius, quæ utrimque debet eſſe æqualis, juxta conſilium quod illis præbet S. Auguſtinus s, *Commendo vos cuſtodiendas etiam uxoribus veſtris. Chriſtianæ mulieres prorſus zelent viros ſuos: non propter carnem ſuam, ſed propter animas illorum.*

s S. Aug. lib. 50. Homil. hom. 49. c. 4.

Propterea cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, erat Mater Ieſu ibi, vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli ejus ad nuptias*, eaſque voluit honorare præſentiâ ſuâ, Matris ſuæ, & Apoſtolorum ſuorum, eas benedicere, & approbare, & authoritatem præbere Matrimonio, & ſic oſtendere omnibus, quòd nuptiæ ſunt ſanctæ, & impedire eos, qui loqui voluiſſent contra veritatem, prævidens quòd futuris temporibus impudentiâ intolerabili præſumpturi forent aliqui docere, quòd nuptiæ eſſent malæ: voluit igitur illas honorare præſentiâ ſuâ, cùm Matrimonium ipſe deberet inſtituere Sacramentum, in quo daturus erat gratiam conjugibus, ut S. Thomas p deinceps docuit, dicens, quòd cùm Matrimonium afferat remedium contra peccatum hominis per ſigna ſenſibilia ſanctitatis & gratiæ, eſt Sacramentum, *Quia de ratione Sacramenti eſt, quòd ſit ſignum & remedium, ideò quantùm ad medias inſtitutiones competit ei ratio Sacramenti.*

p S. Thom. Suppl. q. 42. a. 1. in corp.

Sacramentum Matrimonii non ſolùm ſuam trahit excellentiam ex magnitudine inſtitutionis Divinæ, è gratiâ quam producit, è præſentiâ Jeſu Chriſti, ſanctæ Virginis Deiparæ, & beatorum Apoſtolorum, ſed inſuper è miraculo quod egit Dei Filius ad ipſum honorandum, *Fecit initium ſignorum Ieſus in Canâ Galilææ.* Non eſt aliquid quod magis nos accedere faciat ad cognitionem Dei quam miracula; hæc ſunt rivi qui noſtras dirigunt mentes in abyſſos Divinitatis; ipſa ſunt ſcintillæ & fulgura, quæ noſtris manifeſtant oculis eum, qui eſt emicans *Sol juſtitiæ* q in æternitate: *Candor eſt enim lucis æternæ* r. Ipſa ſunt effectus ſuperantes vires & ſtatum ordinarium naturæ, qui exeunt ex Ente, quod *non habet finem* ſ. Hoc apprimè callebat David t, qui dicebat, *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Ut excluderet creaturas, quibus non competit agere miracula, quæ pertinent ad Deum ſolum, ſolique congruunt Omnipotentiæ Divinæ: *Quia ſcilicet ipſe ſolus facit, quæ nullus alius facere poteſt. Mirabile namque eſt quòd aquam vertit in vinum*, ſubdit Incognitus u.

q Malach. 4. 2.
r Sap. 7. 26
ſ Baruch. 3. 25.
t Pſ. 135. 4.
u Incognit. in Pſ. 135. 4.

Sunt nonnulli qui quærunt, an iſtud miraculum converſionis aquæ in vinum peractum à Dei Filio ad honorandas nuptias Canæ, fuerit primum omnium, quæ ipſe patraverit: quia cùm miracula procedant ex virtute Divinâ, poterant ab eo fieri confeſtim ab inſtanti incarnationis ipſius æquè ac pòſt, cùm virtus Divina eſſet in Jeſu Chriſto ab eodem inſtanti, *Pater in me manens, ipſe facit opera* x. Fundamentum igitur illorum eſt, quòd miracula procedant è virtute Divina, quia Deus ſolus immutare poteſt ordinem naturæ. Ut reſolvatur hæc difficultas, ſciendum eſt, quòd duplex eſt in Jeſu Chriſto natura. Natura Divina, & natura humana. Natura Divina eſt illa, quæ agnoſcitur ex miraculis. Natura vero humana eſt ea, quæ noſtris eſt obnoxia miſeriis & infirmitatibus. Et tamen agens natura Divina utitur naturâ humanâ ſicut inſtrumento: atqui Jeſus Chriſtus volens agere miracula propter ſalutem & converſionem hominum, operatus eſt mirabilia ab inſtanti ſuæ conceptionis, æquè ac pòſt: & conſequenter miraculum quod ipſe peregit in nuptiis Canæ, quibus interfuit ipſe cum B. Genitrice ſuâ, & Apoſtolis ſuis, ad honorandum Matrimonium, quod ipſe erat elevaturus ad excellentiam Sacramenti, non eſſet, ajunt aliqui, primum. Omnes rationes iſtæ ſunt probabiles: ſed adhærens traditioni Eccleſiæ y, quæ concinit, *Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus: Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium: Hodie vinum ex aquâ factum eſt ad nuptias: Hodie in Iordane à Ioanne Chriſtus baptizari voluit, ut ſalvaret nos:* dico quòd iſtud miraculum accidit eodem die, licèt diverſis annis, quo *cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Et procidentes adoraverunt eum* z. Et quo fuit à S. Joanne Baptiſtâ idem *baptizatus Ieſus* a. Et ideò, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Canâ Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam.* Seu, ut ait Dionyſius Carthuſianus b ad propoſitum noſtrum, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, id eſt, prædicta mutatio aquæ in vinum, fuit primum miraculum Chriſti, quod fecit in carne: factumque eſt in Canâ, quæ eſt villa Galilææ. Et manifeſtavit, id eſt, altificavit gloriam ſuam, id eſt, excellentiam, vel omnipotentiam, ſeu Divinitatem ſuam in carne latentem.*

x Joan. 14. 10.
y Eccleſ. in Epiphā.
z Matth. 2. 1. &c.
a Matth. 3. 16.
b Dion. Carthuſ. in Joan. 2. 11.

Videtis igitur excellentiam Sacramenti Matrimonii per inſtitutionem Divinam, per collationem gratiæ, per præſentiam Jeſu Chriſti, & per primum miraculum ab illo peractum ad conciliandum ei authoritatem. Omnes iſtæ conſiderationes horrorem deberent incutere omnibus iis, qui illud profanant adulteriis; aut qui inquinant animas ſuas deſponſatas Jeſu Chriſto in Sacramento Baptiſmi, *Sponſabo te mihi in fide* c. Si vir & uxor obſtringuntur ad inviolabilem reciprocæ fidelitatis obſervantiam, Ha! conſideremus quòd Sponſus noſter cœleſtis nunquam nobis infregit fidem; *Deus fidelis, & abſque ullâ iniquitate, juſtus, & rectus* d. Seu, ut ait Hugo Cardinalis e, *Deus fidelis in promiſſis fideliter adimpletus.* Et Cornelius f, *Nota, pro Dei, Hebr. eſt petra vel rupes: talis enim eſt Deus ob ſtabilitatem, immutabilitatem, & fidem in promiſſis præſtandis.* Et tamen quoties infregimus fidem, quam tenebamur illi inviolatam cuſtodire, ut adhæreremus carni, mundo, diabolo, vitiis, & concupiſcentiis? Si autem crimen ſic eſt horribile viſu mulierem adulteram, quale erit ſacrilegium, ſi Sponſo ita fideli frangamus fidem, ut infamibus & ſceleratis adhæreamus? Cùm de iſtâ fide violandâ agetur, & ſolicitabimur ad patranda adulteria in diſpendium fidelitatis iſtius, repræſentemus nobis id, quod caſtus Joſeph reſpondit impudicæ dominæ ſuæ, quæ ipſum ſollicitabat ad violandum thorum conjugalem domini ipſius, *Injecit Domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait, Dormi mecum. Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſuâ: nec quidquam eſt quod non in meâ ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te quæ uxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum* g? Idem poſſumus dicere nos: Dominus noſter tribuit nobis id omne, quod eſt in cœlo, & in terrâ, & nihil eſt quod nobis non ſubmiſerit,

c Oſee 2. 20.
d Deut. 32. 4.
e Hug. Card. in Deut. 32. 4.
f Cornel. in Deut. 32. 4.
g Gen. 39. 7. &c.

h Pſ. 8. 2. &c. ex Gen. 1. 28. tit, ut ait illi David h, loquens de homine, *Domine Dominus noſter, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas; inſuper & pecora campi: volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Non exigit à nobis ipſe niſi animam noſtram, quæ eſt Sponſa ipſius: quomodo igitur audebimus illam proſtituere infamibus, & violare fidem quam devovimus ei? Dicamus ergo ſinguli tunc: *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

i Jer. 23. 10. Jeremias i ait, *Adulteriis repleta eſt terra.* Adulterium virium ſic eſt exuberans, ut totus eo mundus ſcateat. Sed unde procedit, quòd univerſus orbis ſit illo repletus? Ratio iſtius eſt, quia non vocatur Jeſus, cùm ineuntur nuptiæ, ſicut cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, vocatus eſt Jeſus ad nuptias.* Sed primus vocatus eſt diabolus: nec intuentur conjuges finem Matrimonii, ſed ſolam ſatisfactionem ſenſibilem. Non eo ſanè ſe gerebat Tobias modo cum Sarâ ſponsâ ſuâ: *Sara filia Raguelis quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam k.* [k Tob. 3. 7. & 8.] *Hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei, Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertiâ autem tranſactâ nocte in noſtro erimus conjugio. Filii quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut Gentes quæ ignorant Deum l.* [l Tob. 7. 4. & 5.] Deſiderio ſanè ducebatur ſuſcipiendorum liberorum, qui benedicerent Deum.

Re autem verâ iſtud eſt vocare Jeſum Chriſtum *ad nuptias*, & Matrimonium eſt ſanctum, quando ſola virtus attenditur in viro, & in muliere, nedum bona fortunæ conſiderentur, aut forma corporea. Sed iſto ferreo, quo vivimus, ſeculo non intuentur aliud parentes niſi divitias, cùm in Matrimonio ſuos collocare ſtatuerunt liberos, nullo modo ſoliciti ſunt, utrùm viri quos ſuis intendunt tradere filiabus, ſint nequam & ſceleſti, dummodò ſint divites, & copioſâ rerum omnium vitæ peragendæ accommodarum ſuppellectile ſint inſtructi. Sed infelices hujuſmodi parentes ſolis terrenis appliciti, nedum Matrimonium concinnent, aut Sacramentum pacis & unionis, ruinam machinantur liberorum ſuorum, & faciunt diſſidium: ſi enim Sacramentum Matrimonii eſt vinculum ſuave, & paradiſus exiguus, cùm conjuges uniuntur pace concordi; è contrà cùm in illud irrepſit diviſio, evadit infortunium, & infernus, ubi reperiuntur obviæ infelicitates innumeræ: inde enim ſuam trahunt originem violata fides utrinque, adulteria, proditiones infidelitate mutuâ & reciprocâ fabrefactæ, injuriæ Regnis & legibus civilibus irrogatæ, quia productiones injiciuntur adulterinæ in ſtatum Politicum, & in ſucceſſiones jure merito filiis legitimis debitas, cùm introducatur confuſio filiorum in familias, in quas invehunt inordinationem, quæ nullo modo eſt comprehenſibilis.

Sed parum eſſet ſi ſola offenderetur natura, ſi ſolis hominibus inferretur injuria, niſi etiam peccaretur in Deum proſtitutionibus iſtis infamibus. Quale dedecus, viri, veſtris infertis familiis, qui iſtis eſtis vitiis dediti? Quale veſtris exemplum ſubminiſtratis uxoribus? Perfidi eſtis, & proditores, neſcio autem num auſim dicere, quòd ſanæ mentis non ſitis compotes, ſicut profligatam præ vobis fertis conſcientiam, Nunquid enim ampliùs meminiſtis ubi peractum eſt Matrimonium veſtrum? ubinam pactus fuit contractus veſter? quinam fuerunt illius teſtes in Eccleſia coram Deo, in præſentiâ Angelorum, Parochi veſtri, & cæterorum qui templo ſacro tunc intererant? Re autem verâ mirum non eſt ſi interdum iiſdem virgis percutimini, quibus alios percutitis, & ſi ordinariè diſſolutis veſtris agendi modis & infamibus praxibus veſtris inducitis uxores veſtras ad infringendam vobis fidem, cùm nihil æquè inducat ad violandam fidem promiſſam, ac ſi quis primus incipiat illam frangere. Vos verò, mulieres, ſapientes eſtote, & modeſtæ, curam ſuſcipite tuendæ famæ veſtræ, declinate ab amicitiis, fugite Virorum colloquia ſuperflua, quæ ſunt ipsâ peſte periculoſiora: imitamini caſtam Suſannam, & firmiter ſtatuite mortem potius oppetere, adhærentes exemplo illius, ſi fortè impudentes aliqui in honorem veſtrum præſumpſerint inſurgere, quàm conſcientiæ veſtræ obeſſe, dicentes cum illo ſpeculo pudicitiæ: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini m.* [m Dan. 13. 23.] Præ veſtræ mentis oculis ponite pudorem, quo ſuffundemini, & *ſupplicium æternum n*, [n Matth. 25. 46.] cui vos exponeretis ſuſtinendo, ſi tale facinus committeretis. Sed ſi, quod avertat à vobis Deus, in hanc eſtis lapſæ deordinationem, nolite propterea animum deſpondere, nondum vobis eſt occluſum cœlum, ſupereſt vobis adhuc tempus intra quod operari poſſitis ſalutem veſtram, nolite deſperare, *pœnitentiam agite o* [o Matth. 4. 17.] vitæ veſtræ diſſolutæ, ſegregate vos à conſortiis & circulis noxiis: ecce Filius Dei dicit vobis, *Legem non veni ſolvere, ſed adimplere p.* [p Matth. 5. 18.] Ipſe venit ad exercendam miſericordiam ſuam: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat q.* [q Luc. 19. 10.] Aliàs præceperat in Lege r antiquâ perimendos adulteros, *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque moriatur.* [r Deut. 22. 22.] Sed nunc utitur miſericordiâ, ut ait illi Salomon ſ. [ſ Sap. 11. 24. &c.] *Sed miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur? Parcis autem omnibus: quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas.* Super quod eloquitur eximiè S. Bonaventura t, [t S. Bon. in Sap. 11. 24. &c.] *Et miſereris omnium &c. hic ponitur probatio Divinæ Miſericordiæ. Et primò probat eam per effectum diſſimulationis. Secundò per effectum dilectionis, diligis enim. Tertiò per effectum conſervationis, Quomodo autem poſſet, &c. Quartò per effectum remiſſionis, Parcis autem. Et miſereris omnium, id eſt, in omnibus exerces miſericordiæ effectum, ſecundum illud, Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus u.* [u Pſ. 144. 9.] *Quoniam omnia potes. Unde omnia ſunt factura tua, & ſp. ra tua, ſecundùm illud, Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt x.* [x Pſ. 145. 6.] *Et diſſimulas ad tempus, ſcilicet non puniendo, peccata hominum, non dicit Angelorum, quia peccatum Angelorum ſtatim fuit punitum; unde, Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris y?* [y Iſai 14. 12] *Propter pœnitentiam, unde, Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit z?* [z Rom. 2. 4] *Si egerit impius pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c. vitâ vivet, & non morietur a.* [a Ezech. 18. 21.] *Diligis enim omnia, quæ ſunt, ſcilicet bona eorum approbando, & conſervando, unde, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona b.* [b Gen. 1. 31.] *Et nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nullum ſcilicet reprobando.* Contra

c Pſ. 118. 113. *quod dicitur , Iniquos odio habui* c. *Sed dicendum, quòd non odit facturam ſuam , ſed facturæ vitium, ſicut artifex ſtatuam, quam fecit, diligit: & tamen aliquem nodum in eâ ex parte materiæ exiſtentem , odit. Non enim odiens , id eſt, invitus , aliquid conſtituiſti , ſcilicet de nihilo ipſum creando, aut feciſti de materiâ præ-jacenti formando : unde, Univerſa propter ſemetipſum*
d Prov. 16. 4. *operatus eſt Dominus* d. *Quomodo autem poſſet aliquid, id eſt, ulla creatura permanere, ſcilicet in ſuo eſſe, niſi tu voluiſſes , id eſt , niſi tuâ bonitate voluntariè conſervares ? Quaſi dicat , nullo modo. Aut quod à te vocatum non eſſet, id eſt, niſi tuâ ſapientiâ inveniendo approbares : Qui vocat ea, quæ non ſunt* e, *&c.*
e Rom. 4. 17 *Conſervaretur ? Quaſi dicat , Nihil. Parcis autem omnibus, ſcilicet , hominibus, qui dicuntur omnis creatura , ſecundùm illud : Prædicate Evangelium omni*
f Marc. 16 15 *creaturæ* f. *Parcis, inquam , quia tibi eſt proprium, juxta illud : Deus , cui proprium eſt miſereri ſemper,*
g Eccleſia. *& parcere* g. *Quoniam tua ſunt. Unde , Omnes*
h Ezech. 18. 4 *animæ meæ ſunt* h. *Qui amas animas. Quod patet, quia animam tuam poſuiſti pro eis. Et, Majorem hâc dilectionem nemo habet* i, *&c. Unde Bernardus* k:
i Joan. 15. 13 *Majorem habuiſti, eam ponens pro inimicis tuis.*
k S. Bern. ſerm. 4. Hebdom. Pœnoſ. ex Rom. 5. 10

Dictum eſt Davidi , poſtquàm ſuum fecit numerandum *populum , Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his , ut faciam tibi. Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terrâ tuâ : aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos , & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terrâ tuâ. Dixit autem David, Coarctor nimis: ſed melius eſt ut incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ*
l 2. Reg. 24. 14. &c. *ejus ſunt) , quam in manus hominum* l. Communiter dicitur, *Homo homini lupus.* Imò verò minùs videtur fidendum hominibus, quàm feris, ut videtur exiſtimaſſe Nabuchodonoſor , qui ubi mittendum *præcepit Danielem in lacum leonū, allatuſque eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci,* illum *obſignavit annulo ſuo, ne quid fieret contra Danielem* m. Quaſi
m Dan. 6. 16. & 17 veritus ne agerent homines contra Prophetam id , quod leones adversùs illum attentare non ſunt auſi. Deus in irâ ſuâ non obliviſcitur miſericordiæ ſuæ, ut dicit illi Habacuc n, *Cùm iratus*
n Habac. 3. 2 *fueris, miſericordiæ recordaberis.* Sic omnibus arboribus eradicatis tempore diluvii univerſalis, ſola oliva ſymbolum miſericordiæ remanſit, ut teſtatur columba, quæ in arcam venit , *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo* o. Quod exhibet
o Gen. 8. 11 intuendam in juſtitiâ miſericordiam. Erecta eſt aliàs Athenis ara dicata Miſericordiæ, quæ magis frequentabatur quàm aliæ , eò quòd eſſet refugium miſerorum. Hoc altare eſt Jeſus Chriſtus, qui eſt verum templum, ut ipſemet ait, *Solvite templum hoc* p. Erexit in medio ſui, altare mi-
p Joan. 2. 19 ſericordiæ ut aſylum omnium infelicium. Accedunt *ad* hoc altare, modò *Centurio, rogans , & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, &*
q Matth. 8. 5. &c. *malè torquetur* q. Modò *diſcipuli* , cùm *ecce motus magnus factus eſt in mari , ita ut navicula operiretur*
r Matth. 8. 23. &c. *fluctibus, dicentes, Domine, ſalva nos, perimus* r. Modò *mulier Chananæa, dicens ei, Miſerere mei Domine Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur* ſ. Mo- ſ Matth. 15. 22. &c.
dò *leproſus, dicens, Domine ſi vis potes me mundare* t. t Matth. 8. 2. &c.
Modò *mulier deprehenſa in adulterio* u, ubi deſcen- u Joan. 8. 4. &c.
deret è monte Olivarum. Et iſtam, æquè ac alios conſolatur miſericordiâ ſuâ. Sed notate circumſtantiam à S. Joanne obſervatam , quòd ubi *Ieſus perrexit in montem Oliveti, & diluculò venit in templum, adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio: & dixerunt ei , Magiſter , hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio.* Ut innuatur nobis, quòd Dei Filius erat diſpoſitus ad indulgendam huic mulieri miſericordiam, cujus oliva eſt ſymbolum. Proptereà omnia idola, quæ fiebant aliàs apud Ethnicos, erant ordinariè ex olivâ , cùm miſericordia eſſet magis propria Diis , juxta ſententiam ipſorummet idololatrarum, quàm quælibet alia perfectio: & licèt ſtatua Jovis eſſet aurea , coronam tamen ex olivâ compactam capiti ſuo ſuperpoſitam deferebat: & Mileti videntes quòd altaria Deorum ſuorum facta ex olivâ combuſta fuerant, imaginati ſunt quòd Dii ſui eſſent irati, & ideò clauſerunt januam Miſericordiæ. Prohi-
bebat Deus in Lege x veteri, ne in oblatione x Num. 5. 12. &c.
præſentandâ ſibi pro expiatione adulterii infunderetur oleum , *Non fundet ſuper eam oleum,* Id eſt, Sacerdos. Vel, quia oleum eſt ſymbolum integritatis, quippe quod non miſcetur cùm aliis liquoribus; cùm adultera amiſerit integritatem conjugalem. Seu, quoniam oleum eſt figura veri gaudii , *Proptereà unxit te Deus , Deus tuus oleo læti-*
tiæ y. Et quia adultera quæſiverat lætas vias illicitie, ideò non erat inſumendum oleum ad ſacrificium offerendum Deo pro crimine illius. y Pſ. 44. 8.
Sed præcipuè, quia oleum eſt ſymbolum miſericordiæ : atqui ſicut Deus deteſtatur hoc peccatum præ omnibus aliis , nec illud dimittebat aliàs, niſi ratò, appoſitè cùm *Ieſus perrexit in montem Oliveti, & diluculò venit in templum, adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio : & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio, Ieſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terrâ.* Id eſt, Salvator repletus miſericordiâ quippe qui deſcenderet è monte Olivarū , ſcripſit humi, juſtitiam ſuam repræſentando: ſed ne adulteri deſperarent, pepercit illi mulieri adulteræ : ſed etiam ne iidem adulteri ſuâ abuterentur miſericordiâ, illi mulieri *dixit, Vade & jam ampliùs noli peccare.* Invitat vos, viri, & mulieres, quicumque ſitis, ut recurratis ad miſericordiam ſuam. Inclinavit ſe, *Ieſus autem inclinans ſe , digito ſcribebat in terrâ* ſententiam , ut vobis incutiat timorem ne labamini in hanc deordinationem, miſcet juſtitiam miſericordiâ, ut oſtendat ſe paratum, ſi paratos vos inveniat , tribuere vobis *gratiam , &*
gloriam z ſuam. z Pſ. 83. 12.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Multi ab Oriente, & occidente venient , & recumbent cum Abraham , & Iſaac , & Iacob in Regno cœlorum. Matth. 8. 11. &c.

S. Auguſtinus ſcribere volens ſuper gloriam Beatorum, hanc recenſetur audiviſſe vocem cœleſtem : Auguſtine, quid petis ? quid quæris ? qualem poteſt habere finem id quod eſt infinitū? quomodo menſurari poteſt id quod nullis eſt li-
a Baruch. 3. 25 mitibus circumſcriptum a? In ſtrictâ potiùs totus cōtineretur Oceanus hydriâ & univerſa terra in manu tuâ, quàm concipiat mens tua vel minimā ſtatus iſtius beatifici partem : oportet ut experientia te edoceat ſtatus iſtius excellentiam , & ut deſeras corpus hoc mortale, ut perfectam tibi poſſis illius comparare notitiam. Huc vos intueor,

tueor, Auditores, conveniſſe, ut diſcaris quid ego ſentiam de hâc materiâ: deſiderium quo ducimini fruendi aliquando gloriâ Beatorum, obſtringit me ad iſtud officium; & finis Evangelii hodierni mihi providet motivum diſcurrendi vobis de eâ, cum dicit, juxta Dionyſium Carthuſianum *b*, *Multi ab Oriente & Occidente ac cæteris partibus terræ, qua per duas principales partes mundi ſignificantur, puta Gentiles ex omnibus finibus mundi, venient ad fidem & gratiam per prædicationem Apoſtolorum: de quibus prædictum eſt, In omnem terram exivit ſonus eorum* c. *Quibus & dixit, Eritis mihi teſtes uſque ad ultimum terræ* d. *Hoc eſt quod Iſaias inquit, Cantate Domino canticum novum: laus ejus ab extremis terræ. Ecce iſti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari* e, *& iſti de terrâ Auſtrali. Et recumbent, id eſt, feliciter requieſcent, & ſpiritualiter edent & bibent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, cæteriſque electis Iudæis, in Regno cœlorum. Nominat autem Chriſtus ſpecialiter hos tres, quia inter Patriarchas præcipui, primi, ac famoſiſſimi fuiſſe videntur; ſaltem in multis, & quoniam principaliter facta eſt eis promiſſio terræ repromiſſionis* f, *per quam cœleſtis figuratur hæreditas, ſeu Regnum cœlorum.*

b Dion. Carth. art. 16. in Matth. 8. 11

c Pſ. 18. 5.

d Act. 1. 8.

e Ex Iſai. 42. 10.

f Ex Gen. 17. 8

Sicut & principium ejuſdem Evangelii noſtri præ noſtræ mentis oculis ponit media eidem gloriæ æternæ conſequendæ peraccommoda interventu laborioſorum & bonorum operum, *Secuta ſunt eum turba multa*: Dicere poſſem jure merito vobis id, quod vox cœleſtis reſpondit S. Auguſtino, Quid petitis? quid quæritis? quòd *homo putredo, & filius hominis vermis g*, loquatur vobis de gloriâ, cujus objectum eſt Deus, qui *magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus h*? Diſcamus de illâ loqui, à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines i*. Et imploremus pariter auxilium B. Virginis, quod ipſa nobis impendet, cùm ipſi dixerimus, *Ave Maria.*

g Job 25. 6

h Baruch. 3. 25

i 2. Petr. 1. 21

Non poſſum quin ſtupore ciear intuitu ſapientiæ antiquorum omnium noſtrorum, ſeu, ut meliùs dicam, ſtultitiæ Philoſophorum noſtrorum, cùm inquirentes ultimam hominis felicitatem, quæ dicit *omne Bonum k* ſummum, illam penitus ſtabiliverunt in terrâ, & de eâ conſequenter dixerunt id omne, quod inſanæ imaginationes ipſorum commentæ fuerant abſque ullo fundamento, quod ad rectam tantiſper accederet rationem. Ingredimini mecum, ſi placet, in varias iſtorum Philoſophorum ſcholas, & nihil audietis in omnibus iſtis academiis, niſi quòd beatitudo ſita ſit in bonis fortunæ, corporis, & mentis; aut in proſecutione virtutis; aut in virtute junctâ honeſtati, aut in vivendo juxta curſum naturæ, aut in ſcientiâ literarum; aut in honeſtate junctâ voluptati; aut in privatione omnium dolorum; aut in deliciis; aut in voluptatibus corporis. Quidquid ſit de illorum doctrinâ, nullus ex iſtis Philoſophis docuit nos veram felicitatem hominis, cùm in opinionibus ſuis fuerint adverſati præcipuæ rationi ejuſdem beatitudinis, repentes inſtar animalium ſuper terram, nec oculos ſurſum extulerint, ut veram illius peragerent electionem. *Similes illis*, Auditores, *cæci ſunt, & duces cæcorum l*. Quomodo enim fieri poteſt ut homo ſit beatus in terrâ? cùm dicat S. Thomas *m*: *Perfecta & vera beatitudo non poteſt haberi in hâc vitâ. Nam beatitudo cùm ſit perfectum & ſufficiens bonum, omne malum excludit, & omne deſiderium implet: in hâc autem vitâ non poteſt omne malum excludi: multis enim malis præſens vita ſubjacet, quæ vitari non poſſunt, & ignorantiæ ex parte intellectus, & inordinatæ affectioni ex parte appetitus, & multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis, ut Auguſtinus r diligenter proſequitur. Similiter etiam boni deſiderium in hâc vitâ ſatiari non poteſt: naturaliter enim homo deſiderat permanentiam ejus boni, quod habet: bona autem præſentis vitæ tranſitoria ſunt, cùm & ipſa vita tranſeat, quam naturaliter deſideramus, & eam perpetuò permanere vellemus, quia naturaliter homo refugit mortem. Vnde impoſſibile eſt quòd in hâc vitâ vera beatitudo habeatur.* Cùm ſit igitur pro comperto, beatitudinem non inveniri ſuper terrâ, dicatque Boëtius *ſ*. *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*; ut animem vos ad currendum poſt iſtam felicitatem, deſidero vobis oſtendere Primò, quòd homo videre Deum poteſt in gloriâ, *in Regno cœlorum.* Secundò, Quòd cùm Deus ſe tribuat homini ut præmium *in Regno cœlorum*, homo debet ipſum mereri bonis operibus ſuis, *Secuta ſunt eum turba multa.* Tertiò, Videbimus in quo conſiſtat hæc felicitas *in Regno cœlorum.*

k Exod. 33. 19

l Matth. 15. 14

m S. Thō. 1. 2. q. 5. a. 3. in corp.

r S. Aug. lib. 19. Civit. c. 6, 7. & 8.

ſ Boet. lib. 3. de Cōſ. Phil. proſ. 2

Diviſio.

Ingenuè fatendum eſt, quòd eſt difficile conceptu, quomodo homo, quem Dei *manus fecerūt, & plaſmaverunt totum in circuitu t*, deſtinatus ſit ad ſibi comparandam cognitionem & dilectionem ejus, ſeu fruitionem illius, & ad videndum in æternum in cœlis eum, qui eſt noſtrum primū *Principium, & Finis u* noſter ultimus, qui ipſi tribuit principium, cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem x.* Quòd Deus, cujus eſt immenſa majeſtas, *in Regno cœlorum* videri poſſit ab homine. Deſiniſe mirari, ſi placet, Auditores; iſtud eſt æternum Dei decretum, quod cùm nunquam potuerit ingredi in mentem quorundam errantium, tribuit eis occaſionem innocentem credendi erroris in materiâ fidei: rati enim impoſſibile, ut ille cadere poſſet in capacitatem mentis humanæ, *qui lucem inhabitat inacceſſibilem y*, temerariè aſſeruerunt, illum nunquam videndum ab ullo intellectu creato, & omnes Electos in cœlis pro totâ gloriâ nihil aliud habituros præter communicationem claritatis, quæ ſine fine procederet ab Eſſentiâ Divinâ, quâ communicatione claritatis fruituri eſſent eodem modo, quo potimur luce Solis, licèt eum videre non poſſumus in eſſentiâ ipſius. Non eſt tamen diffitendum, quòd, ſecundùm loca Scripturæ, quibus innitebantur errantes iſti, *Non videbit me homo, & vivet z: Deum nemo vidit unquam a: Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt b*: non poſſumus videre Deum viſione comprehenſivâ, id eſt, æquè perfectâ ac eſt ea, quâ Deus ſemetipſum cognoſcit, ut ajunt Theologi, quia Deus eſt *incomprehenſibilis cogitatu*, dicit Jeremias *c*. Sed abſolutè loquendo, quòd Deus *qui ſolus habet immortalitatem d*, quique nobis non dedit eſſe niſi propter ſe poſſidendum, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus e*, nunquam videri poſſit a nobis, *Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua f. Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis g.* Quòd ego nunquam perfundar hoc oblectamento, ut te contempler *in Regno cœlorum*: Ha! quis credere poſſet hoc, quin ſtatim inſignem irrogaret injuriam bonitati tuæ, quæ ſibi complacet in ſe tantùm communicandâ, quantùm percipiendi ipſius capaces eſſe poſſunt creaturæ? Hoc eſt in nimium errorem impingi, & negare verbum ſanctum, quod annunciavit nobis per Evangeliſtam

I. Pars.

t Iob 10. 8

u Apoc. 1. 8

x Gen. 2. 7

y 1. Timoth 6. 16

z Exod. 33. 20

a Ioan. 1. 18. & 1. Ioan. 4. 12.

b 1. Timoth. 6. 16

c Ier. 32. 19

d 1. Tim. 6. 16

e Prov. 16. 4

f Dan. 9. 4

g Ier. 17. 17.

ſtā Filius tuus, temetipſum alloquens, & poſt illum per Dionyſium Carthuſianum i, *Hæc eſt vita æterna, id eſt, vera atque cœleſtis felicitas conſiſtit in hoc, Ut cognoſcant clare per ſpeciem, quod Apoſtolus dicit k, facie ad faciem te Patrem ſolū Deum verum, qui es Deus verus, præter quē non eſt alius Deus l: ita quòd dictio illa excluſiva, ſolum, determinat Deum, excludens omnem aliam Deitatem: quoniam non eſt Deitas præter eam, quæ eſt in Patre, & Pater, quæ eadem numero eſt in tribus perſonis, quæ ſunt unus ſolus verus Deus: eſtque hoc modo unaquæque earum ſolus Deus verus, ex quo eluceſcit perfidia Arii, atque Eunomii, arguentium ex hoc loco, quòd Filius & Spiritus ſanctus ſint puræ creaturæ, quaſi ſolus, determinaret perſonam, & perſona excluderet conſortium. Sic ergo cognoſcant te, & etiam quem miſiſti Ieſum Chriſtum, id eſt, in claro & fruitivo aſpectu Patris, & Filii, ſecundùm ejus Divinitatem, haud dubium quin & Spiritus ſancti, beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita ſit. Trinitas namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum objectum omnium. Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſius humanitatem beatitudo conſiſtit, quantùm ad præmium accidentale & ex conſequenti, vel ſecundariò. Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac primæ veritatis clara & immediata eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa felicitas: tamen inquantum contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine delectatione atque fruitione perfecta eſt. Hinc dicit Auguſtinus m, quòd viſio eſt tota merces. In quâ utique Ioannes n noſtram Deiformem, & ſummam perfectionem, & per conſequens veram felicitatem conſtituit, dicens, Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eū ſicuti eſt.*

i Dion. Carth. art. 41. in Joan. 17. 3
k 1. Cor. 13. 12.
l Ex Deut. 32. 29.
m Ex S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8.
n Ex 1. Joan. 3. 2.

Si autem vultis ut ratiocinemur ſuper iſtis, conſulamus Philoſophiam. Edocet nos iſta ſciētia, quòd potentia, quæ intuetur aliquod objectū in generali, ſuos applicare poteſt actus cuilibet particulari objecto ex iis quæ continentur ſub generali: ſic voluntas quæ habet bonum pro objecto, poteſt affici erga omne genus boni, modò erga iſtud, modò erga aliud, ſicut ipſi ſatius videtur, & ſicut hoc quotidianâ comprobamus experientiâ: atqui ſciendum eſt, quòd intellectus noſter habet pro objecto completo & totali ens in generali, id eſt, intelligere poſt omne genus entis, &c, quia Ens increatum, æquè ac ens creatum, continetur ſub hoc objecto entis in generali, certum eſt, quòd mens noſtra applicari poteſt in particulari, cognitioni unius, æquè ac notitiæ alterius: ſciendum tamen eſt, quòd cùm Deus ſit quidem intra ſphæram cognitionis mentis humanæ, quatenus Deus eſt Ens cognoſcibile, vires tamen illius intellectus noſtri ſunt ex ſe nimis infirmæ ad hoc ut ad Divinam iſtam perveniant notitiam: & de hâc cognitione differendum eſt eodem prorſus modo, quo de viſione Solis, qui licet comprehenſus ſub objecto potentiæ viſivæ, & conſequenter viſibilis inſtar aliorum objectorum exiguorum viſibilium, tamen ob nimiam claritatem ſuam infirmitati noſtræ non congruentem, penitus à nobis non poteſt aſpici: ſicut autem fieri poteſt ut eò uſque Deus viſum noſtrum roboret, ut hoc, quod *fecit Deus, luminare majus, ut præeſſet diei o*, perfectè conſpici poſſit à nobis, ut patet in aquilâ, *Quia ſola avium, Solis fulgorem oculis inconniventibus poteſt aſpicere*, ut ait Calepinus p; ita nihil repugnat, nec invenitur ulla contradictio, quòd Deus ſupernaturaliter noſtram elevet potentiam ad perveniendum uſque ad Divinam ipſius cognitionem. Et ſicut impediri non poteſt lapis quin deorſum tēdat ad centrum ſuum, ignis quin ſurſum velociter aſcendat ad ſphæram ſuā, ſtylus magnete perfricatus quin jugiter intueatur polum ſuum; minùs impediri poſſunt animæ noſtræ quin perveniant ad cognitionem Creatoris ſui, licet verum ſit, quòd ipſe eſt, *qui lucem inhabitat inacceſſibilem q*; & hanc notitiam conſequantur interventu luminis ſupernaturalis, quod roborans & adjuvans infirmitatem mentis noſtræ, exhibebit ei clare intuendū illum cujus ipſa erat capax ex naturâ ſuâ, ſed quem ipſa non poterat intueri viribus ſuis ordinariis, niſi ipſi tribuiſſet Deus videndi ipſum facultatem beneficio luminis gloriæ, ut concinit ei Pſalmiſta r. *Et in lumine tuo videbimus Lumen.* Quem elucidat Incognitus s *Ponitur hic viſio luminoſa, tantum enim claritas Divinæ Eſſentiæ excedit intellectus humani vigorem, quòd per ſeipſum illam non valet aſpicere, ſed oportet quòd per lumen gloriæ creatum quaſi per quoddam medium elevetur, & confortetur: quo lumine mediante, illam apertè conſpicere poteſt. Et iſtud lumen gloriæ derivatur ab ipſo Chriſto, qui eſt fons & origo omnis luminis, qui eſt lux vera. Volunt ergo oſtendere qualiter ſit poſſibile, intellectum creatum Divinam Eſſentiam clare videre, quæ plùs ipſum excedit quàm corpus Solis oculum corporeum, in quod tamen oculus clare non poteſt aſpicere, dicit quòd hoc erit virtute luminis gloriæ, quod ab ipſo Chriſto procedit. Unde dicit, Quoniam apud te, ô Chriſte, eſt fons vitæ, ſcilicet initium omnis boni, & luminis & ideò in lumine tuo, quod eſt lumen gloriæ, videbimus Lumen, ſcilicet Eſſentiam Divinam, quæ eſt eſſentialiter lumen. Deus lux eſt t, ſcilicet per eſſentiam. Et hoc eſt quod alibi idem Beatus Pſalm. u dicebat, Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt, &c.* Et iſtud eſt etiam quod ait S. Joannes x, *Et ſervi ejus ſervient illi, & videbunt faciem ejus.* Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus y, *Et ſervient ei ſervitute latriæ, Deum reverenter adorando, indeſeſſe laudando, ejuſque beneplacito in omnibus obtemperando. Eſtque ſervitus iſta ſine labore, non ad meritum, ſed ad præmium ſpectans. Nam & præſentis ſervitutis eſt merces, taliter quæ Deo ſervire, eſt ſumma nobilitas, ac perfectè regnare. Et videbunt faciem ejus, id eſt, Divinam Eſſentiam clare & immediatè per ſpeciem contemplabuntur, ita quòd plenè cognoſcent quod in vitâ hâc crediderunt. Et hæc viſio tota eſt merces a, quam amatoribus ſuis Chriſtus ad Ioannem promittens, Manifeſtabo, inquit, ei meipſum z. Et alibi, Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum a. Videbunt quoque corporalibus oculis corpoream faciem Chriſti: quod beatis hominibus ineffabile gaudium erit, & charitatis mirabiliter inflammativum, cernentibus ſuā naturam ſic Deo hypoſtaticâ unione conjunctam, & per eam tot bona ſibi eſſe collata. Quanta autem delicioſitatis atq; dulcedinis, quamq; incomprehenſibilis felicitatis, dignitatis, ac nobilitatis ſit Dei faciem intueri, meditandum eſt magis quàm exponendum. Nonne objectum illud eſt in ſeipſo infinitæ pulchritudinis, ſuavitatis, ac voluptatis, omni menti creatæ prorſus convenientiſſimum, deſiderabiliſſimum, ſummèq; amplectendum? Cur ergo amore non aſpernamur iſta caduca & vana? Cur unquam in ejus obſequio animo fatigamur? Quare non conſideramus quanta nobis beatitudo promittitur?* Iſtud ſcitis, Animæ ſanctæ, quæ nunc iſtas deguſtatis dulcedines, quæ proveniunt è clarâ viſione Eſſentiæ Dei: ſcitis hoc, inquam, vos omnes, qui vivitis horis iſtis, præ deliciis in *Regno cœlorum*. Vivite, vivite feliciter inter hæc objecta delicioſa, quandiu nos ſuſpiramus, ad eorum fruitionem. Sed quid tardamus ad illa aſcēdere?

o Gen. 1. 16
p Calepin. Diction. V. Aquila.
q 1. Tim. 6. 16.
r Pſ. 35. 10
s Incognit. in Pſ. 35. 10.
t 1. Joan. 1. 5.
u Pſ. 88. 17
x Apoc. 22. 3. & 4.
y Dion. Carth. art. 23. in Apoc. 22. 3. & 4.
a Ex S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8.
z Joan. 14. 21.
a Ioan. 17. 3.

Cœlom iſtud concupiſcit, hoc Angeli deſiderát, imò verò Deus ipſe nos illuc invitat, poſtquam pertranſierimus iſtam ſuſpiriorum vallem: *Aſcendet enim pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit*
b Mich. 2. 13.
Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum b. Sublevemus interim ſpes noſtras, & meminerimus quòd hæc anima miſera quæ gemit in hoc ergaſtulo corporis noſtri, quæ eſt alienigena in hoc mundo inferiori, *Scientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim*
† 2. Cor. 5. 6. & 7.
ambulamus, & non per ſpeciem †) ſoluta ab iſto carcere, elevabitur ad viſionem beatificam Dei ſui, modò eam mercedem ſuis bonis merita fuerit operibus, *Fideles ac Sancti omnes in morte & reſurrectione Chriſto Duce perrumpentes corporis & mortalitatis hujus carcerem, in die judicii cum Chriſto & poſt Chriſtum in cœlum aſcendent. Ipſe enim quaſi Rex tranſibit & præibit ante eos, & Dominus Deus erit in capite eorum, id eſt, erit omnium Primus, Dux, & Princeps, omnesq; adjuvabit, roborabit, & elevabit, ut ſecum ad aſtra in cœlum Empyreum conſcendāt,*
c Corn. in Mich. 2. 13.
ait Cornelius c. Ideò dicit Evangelium noſtrum, *Secuta ſunt eum turba multa.*

II. Pars.
Philoſophi & Theologi nobis aſſerunt, quòd unaquæque res operatur ſecundùm vires naturæ ſuæ, & quòd nulla eſt quæ poſſit agere ultra capacitatem ſui eſſe: ſic videmus quòd creaturæ inanimatæ, quæque ſubſiſtunt in ſtatu entis ſimpliciter, ſunt incapaces vitæ vegetativæ, id eſt, quæ creſcant viis vitæ vegetativæ: plantæ nullam producent unquam actionem ſenſibilem, ſicut nec beſtiæ diſcurſum, aut ratiocinationem, quia deſtitutæ iſtæ, ac illæ principio quod eſt neceſſarium ad operandum utroque modo præfato, oportet ut ipſæ contentæ maneant eo, quod ipſæ poſſunt agere juxta captum naturæ ſuæ. Hoc principium, quod eſt infallibile, inducit me ad concludendum de homine, ſicut de reliquis creaturis ipſo inferioribus, quòd, licèt habeat animam, quæ eſt opus eximium, *Ad imaginē*
d Gen. 9. 6.
quippe Dei factus eſt homo d, quæque vix cedere vult Angelis quantùm ad decôrem & perfectionem, *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera*
e Pſ. 8. 6.
manuum tuarum e; oportet tamen, ſicut & reliquæ creaturæ, ut maneat intra terminos naturæ ſuæ, nedum poſſit illos præterire, ad faciendam aliquam actionem ſupernaturalem: & in hoc requiritur ut expectet formam, quæ ipſi morum imprimat, ut ait illi Dei Filius, & omnibus fide-
f Joan. 15. 5.
libus, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* f. Cùm non habeat in ſe principiū quod cauſare poſſit hanc operationem ſupernaturalem: *Quidquid movetur,*
g Ariſt. l. 7. Phyſic. c. 1. text. 1.
ab aliquo neceſſe eſt moveatur g. Hæc veritas eſt manifeſta in omnibus actionibus, præcipuè verò in iis quæ noſtram naturam ſuperant: *Omni-*
h Sap. 7. 24.
bus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia h. Atqui quàmvis cum hac infirmitate, quam afferimus omnes ex utero matrum noſtrarum, bono peragendo ſimus omnes inidonei; & opera noſtra quantamlibet præ ſe ferre videantur ſanctitatis apparentiam, conſiderata in ipſis, procedentia duntaxat è radice liberi arbitrii noſtri, nullo modo ſint æternæ vitæ meritoria, verumque ſit
i Iſa. 64. 6.
iſtud effatum Prophetæ i, *Facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ, univerſa juſtitia noſtra;* tamen ſi conſiderentur hæc eadem opera ut elevata meritis Sanguinis Filii Dei, ipſa ſunt valoris & pretii inæſtimabilis, & ſic evecta ut pedes juncti corpori viventi, tantam fortitudinem non educant ex iſto principio vitæ, quantam ipſa deſumunt virtutem & efficaciam ex hac fœcunda & inexhaurienda omnigenorum meritorum origine. Sceptra & diademata tantam non præbent Regibus orbis poteſtatem & authoritatem, quantam Sanguis Filii Dei cōmunicat operibus noſtris virtutem & efficaciam ut adipiſci gloriam cœleſtem poſſim.

Hanc maximi momenti quaſi digito demonſtrat nobis S. Paulus k veritatem comparatione k Rom. 11. 17.
familiari oleaſtri ſylveſtris, qui inſertus ramo boni fructus, amittit guſtum ſuum ferinum & agreſtem priſtinum, ut capeſſat illum inſiti ſui, *Cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis.* Hoc eſt, Auditores, pro comperto; nos omnes eramus oleaſtri ſylveſtres plantati in deſerto mundi hujus, infertiles, & inidonei producendis bonis operibus æternæ vitæ meritoriis; ſed ſtatim ac magnus iſte Hortulanus Filius Dei exivit *à Patre, & in mundum* l venit, *Expectatio Iſrael, Salvator ejus in* l Joan. 16. 28.
tempore tribulationis, quaſi colonus futurus in terra,
m, afferens nobis ſpecioſum hunc ramum hu- m Jer. 14. 8.
manitatis ſuæ, quæ eſt infinitè meritoria ratione unionis hypoſtaticæ cum Divinitate, cùm *Verbum caro factum eſt* n; eamque myſticè inſeruit n Jo. 1. 14.
trunco crucis figuræ animarum noſtrarum, quarum peccata crudeliùs perforabant latus ipſius, quàm cuſpis illius lanceæ, de qua loquitur Eccleſia jure merito ut de *mucrone diro lanceæ,* cùm *unus militum lanceā latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua,* o, nobis effluxit omnis vita
ex hac origine fœcunda bonitatis, quæ è ſiccis o Joan. 19. 34. &c.
& infertilibus quales eramus, irrigavit nos, *&*
lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo p. Nemo p Apoc. 1. 5.
dicat igitur deinceps, quòd hæc arbor ſit ſterilis adhuc & infertilis, & quòd nullū producat fructum dulcem guſtui Dei, quòd opera noſtra nullum habeant meritum quo gloriam conſequantur, quia meritum mortis Filii Dei præ ſumma perfectione reddidit ea meritoria. Propterea dicebat idem Apoſtolus q, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo* q 2. Tim. 4. 7. & 8.
repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Index. Quia iſtud *Vas electionis* r, miles iſte magnanimus generosè præliatus fuerat ſub vexillis Ducis ſui, ſua omnia r Act. 9. 15.
fecerat opera ſub efficacia & valore Sanguinis Filii Dei, ideò præ manibus jam tenebat coronam & mercedem, quæ ex juſtitia non poterat ipſi denegari. Unde S. Auguſtinus ſ ait, *Iſta utiq; jam merita ſua bona commemorat, ut poſt bona merita* ſ S. Aug. l. de Grat. & lib. Arb. c. 6. & 7.
conſequatur coronam, qui poſt merita mala conſecutus eſt gratiam. Deniq; attendite quid ſequatur: Supereſt, inquit, mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Iudex. Cui redderet coronā juſtus Iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Et quomodo eſſet iſta corona juſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia quæ juſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi priùs illa gratuita donaretur. Dona ſua coronat Deus, non merita tua: ſi ergo Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquā merita tua, ſed tanquā dona ſua. Proinde conſideremus ipſa merita Apoſtoli Pauli, quibus dixit coronā redditurū Iudicē juſtū, & videamus utrùm merita ipſius tāquam ipſius, id eſt, ex ipſo ei comparata, an dona ſint Dei. Quæro quâ virtute certaverit, utrùm qua illi ex ſemetipſo fuerit, an qua deſuper data ſit? Sed abſit ut tantus Doctor ignoraverit legem Dei, cujus vox eſt in
Deuteronomio t: *Ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea* t ex Deut. 8. 17. & 18.
& potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, ſed memoraberis Domini Dei tui, quia ipſe tibi

dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodeſt
bonum certamen niſi ſequatur victoria? Et quis dat
victoriam, niſi ille de quo dicit ipſe? Gratias Deo qui
u ex 1.Corinth.15.57. *dat nobis victoriam, per Dominum noſtrum Ieſum*
Chriſtum u.

x 2.Cor.13.11. Iſte *Deus pacis & dilectionis* x eſſentialis, quam
præ ſuprema poſſidet eminentiâ, nunquid nos
nõ animat ad exercitium operum laborioſorũ,
ut nos prope ſuam collocet majeſtatem? Pro-
pterea paradiſum promittit indigentiæ & pau-
pertati, fruitionem felicitatis æternæ iis qui ju-
ges effundunt lacrymas, quique ſuſtinent inju-
rias & opprobria, & continuis ſunt expoſiti
y Matt.5.3.&c. perſecutionibus ſuſtinendis, *Quoniam ipſorum eſt*
Regnum cælorũ y. Heu qualia ſunt hæc opera! O-
portetne huic exercitiu vacare, & nunquid om-
nes iſtæ ſunt hauriendæ difficultates, ut compa-
retur felicitas ſempiterna? Sic eſt, Auditores;
Regnum cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt il-
z Matt.11.12. *lud* z. Omnes Sancti per iſtam tranſierunt viam,
Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam,
adepti ſunt repromiſſiones, fortes facti ſunt in bello.
Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vin-
cula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt,
in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis,
in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus
dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in
a Hebr.11.33.&c. *montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ* a. Et A-
poſtolus qui ſic confidenter modò loquebatur
de corona *juſtitiæ*, nullũ aliũ cognoverat *curſum*.
b Dan.9.24. Imò verò Jeſus Chriſtus qui eſt *Sanctus Sanctorũ* b,
qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore e-
c 1.Petr.2.22.ex Iſai.53.9. *jus* c, per eandem tranſivit viam, ut *ipſe dixit: Nõ-*
ne hæc oportuit pati Chriſtũ, & ita intrare in gloriam
d Luc.24.26. *ſuam* d? Propterea S. Vincentius Ferr. e recen-
e S.Vinc. Ferr. ſerm. 1. Dom.2. poſt oct. Epiph. ſet ex *S. Scriptura quatuor modos quomodo debemus*
ſequi Chriſtum. Primò ſicut lumen reſplendens. Secun-
dò ſicut ductorem præcedentem. Tertiò ſicut Patrem re-
verendũ. Quartò tanquam Principalem excellentem.
Primò ſicut lumen reſplendens. Ideò dicit Zacharias,
Viſitavit nos, Oriens, ex alto. Illuminare his qui in te-
nebris contra errores intellectus, & in umbra mortis
ſedent, ſcilicet contra peccata, & malam vitã, ad diri-
gendũ pedes noſtros, ſcilicet in intellectu, & affectu in
f ex Luc.1.78. & 79. & ex Zach.3.9. & 6.12. *viam pacis* f. *De hac ſequela luminis ipſemet Chriſtus,*
Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in
tenebris, ſed habebit lumen vitæ g. *Ergo ſecuta ſunt*
g Joan.8.12. *omnia, &c. Secundò ſicut Ductorem præcedentem. Pro-*
pter hoc Deus Pater miſit nobis Filium ſuũ benedictum,
qui ſequendus eſt non ſolùm tanquam lumen, ſed etiã
tanquam Ductor, qui nunquã erravit viã. Sequamini
veſtigia ejus qui peccatũ non fecit h. *Qui ergo vult ire*
h 1.Petr.2.21. & 22. ex Iſai.53.9. *ad paradiſum, ſequatur Ductorẽ Chriſtum, attenden-*
do per quã viã ivit ipſe. Hinc Iacob ait fratri ſuo Eſau,
Præcedat Dominus meus ante ſervum ſuum, & ego
i ex Gen.33.14. *paulatim ſequar veſtigia ejus* i. *Benedictus qui poteſt*
dicere cum S. Iob k, *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus,*
k Job 23.11. *viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea. Tertiò tan-*
quam Patrem reverendũ. Pater omnium Chriſtianorũ
eſt unus, ſcilicet Chriſtus. Omnes vos fratres eſtis, dicit
Chriſtus Chriſtianis. Et Patrẽ nolite vocare ſuper ter-
l Matth.23.8. & 9. *rã: unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt* l. *Nota,*
Patrem nolite vocare ſuper terram: ſed in hac gene-
ratione ſpirituali Eccleſia eſt Mater, Chriſtus autem eſt
Pater, qui in cruce pro nobis mortuus eſt, cujus mors &
paſſio debet nobis eſſe recens, & quolibet die præſens in
memoria, ipſum ſequendo per pœnitentiã, ut boni filij.
Ideò dicit ipſe, Si quis vult me ſequi, abneget ſemet-
m ex Marc.8.34. *ipſum, & tollat crucem ſuã, & ſequatur me* m. *Quartò*
tanquã Principalem excellentem, qui ſuis militibus i-
pſum ſequentibus dat magna præmia & ſalaria, ſcili-
cet gloriam cæli. Ideò gloria magna eſt ſequi Dominũ:
longitudo enim dierum aſſumetur ab eo n. *Si homines* n Eccl.23.38.
armorum modò cum ſalario ſequuntur ad bellum Principẽ
cum tot periculis, & laboribus, quantò magis nos Chri-
ſtiani debemus ſequi Principem noſtrum Ieſum Chri-
ſtum, qui dat nobis magnum ſalarium, ſcilicet Regnum
cælorum ſine tantis periculis? Et ſic non debemus
ad hanc mercedem prætendere niſi priùs bibe- o Matt.20.22.
rimus *calicem quem* o ipſe bibit.

S. Joannes p medias inter revelationes ſuas, p Apoc.7.13.&c.
ait, *Unus de ſenioribus dixit mihi, Hi qui amicti ſunt*
ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt? Et dixi illi, Do-
mine mi tu ſcis. Et dixit mihi, Hi ſunt qui venerunt de
tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & deal-
baverunt eas in Sanguine Agni. Ideò ſunt ante thro-
num Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus: &
qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos. Quod innuit,
quòd illi ſoli admittuntur ad felicitatem æter-
nam, qui tranſierunt inter medios gladios, qui
tormenta ſuſtinuerunt, quique conſecraverunt
vitas ſuas mortificationibus propter amorem
Creatoris ſui. Sed quid agetur de mundanis illis,
qui laxatis habenis currunt poſt concupiſcen-
tias iſtius ſeculi, qui domum ſuam omni ſupelle-
ctile pretioſâ ornatam, menſam ſuam ſic delica-
tis & exquiſitis ferculis opertam, & thalamos
ſuos ſic molles habent, qui de nullo alio ſunt ſo-
liciti niſi de aucupandis honoribus & admirati-
onibus populi, de aggerandis divitiis ſuper di-
vitias, & de voluptatibus ſectandis, qui dies &
noctes integras tranſigunt medias inter diſſolu-
tiones, qui nullam effundunt unquam lacrymam
contritionis intuitu peccatorum ſuorum, quæ
ſingulis momentis perpetrant? Ha! nullus illo-
rum reperitur in cælo. Et ratio iſtius, ea eſt,
quam allegat Job q. *Ducunt in bonis dies ſuos, &* q Job 21.13.
in puncto ad inferna deſcendunt. Deus elevans ſolas
animas oppreſſas laboribus, injuriis, & perſecu-
tionibus, faciet illas recumbere *in Regno cælo-*
rum, ut ibi contemplentur in æternum faciem i-
pſius, cujus intuitus debet eſſe illarũ beatitudo.

Vidimus hactenus, quòd homo capax eſt vi- III. Pars.
dendi Dei ſui in gloria beneficio luminis glo-
riæ, & interventu bonorum operum ſuorum,
quæ reddita ſint meritoria ejuſdem felicitatis
acquirendæ medio Sanguine Jeſu Chriſti, &
gratiâ ejus opitulante, in qua peracta fuerint;
ſupereſt nunc ut examinemus qualis eſſe debeat
hæc beatitudo quâ cumulari debemus, qualis eſ-
ſe debeat iſte Deus, qui ſit nos beatos redditurus
in æternum, & ultra r. Sed ſilentium videretur r Exod.15.18.
hic opportunius ipſo diſcurſu: ſi enim *columnæ*
cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus ſ: &, ſ Job 26.11.
ut exponit Hugo Cardinalis t, *Columnæ cæli, id*
eſt, Angeli, contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus, id t Hugo Card. in Job 26.11.
eſt, in contemplatione ejus: & accipitur hic tremor
& pavor, non pro pœnali timore, ſed pro admiratione:
vel ſub hypotheſi ſic: Contremiſcunt & pavent, id eſt,
contremiſcerent, & paverent, ſi fieri poſſet: quomo-
do potero vobis hanc felicitatem deſcribere?
Tamen ut loquamur de ea ſecundùm noſtrum
concipiendi modum, obſervandum eſt, quòd
cùm Deus ſit, ſicut eſt, cauſa prima, quæ produ-
xit omnia, ut *Mardochæus deprecatus Dominum me-*
mor omnium operum ejus, dixit, Domine Rex omnipo-
tens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita; tu feciſti
cælum & terram, & quidquid cæli ambitu contine-
tur, Dominus omnium es u, *&c.* debetur ſic, qua- u Eſth.13.8.&c.
tenus cauſa prima, continere in ſe univerſos ef-
fectus excellentiſſimos & perfectiſſimos, quos
unquam creaverit; ita ut omnia bona creata ad-

miſ-

mirabilia in natura ſua, cunctæ illæ pulchritudines, perfectiones, & qualitates eximiæ, quæ mentes noſtras æquè ac oculos noſtros in admirationem rapiunt, neceſſariò debeant inveniri in Divinitate ipſius; alioquin ipſe non poſſet ea communicare creaturis ſuis, ſi ipſe non complecteretur illa in eſſentia ſua Divina. *Ieſu Divinitas, quæ rerum omnium cauſa eſt, eaſque complet, quæ partes univerſitati conſentaneas accommodat atque conſervat, & neque pars eſt, neque totum, & totum eſt, atque pars, ut quæ & partem omnem, omneq; totum in ſe comprehenderit, & excellat & præſtet*, ait S. Dionyſius †.

† S. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 2.

Re autem verâ ſi admiramini claritatem Solis, pulchritudinem Lunæ, ſplendorem Stellarum, raritatem colorum, ſaporem ciborum exquiſitiſſimorum, & odorem unguentorum pretioſiſſimorum, ſurſum veſtros oculos attollite, & veſtros intuitus ſiſte in transverſum horum magnorum corporum cœleſtium, quid non videbitis? quid non detegetis? quid non admirabimini? Videbitis, detegetis, admirabimini omne genus claritatis, omne genus ſplendoris, omne genus luminis, in una ſola claritate, in uno ſolo ſplendore, in uno ſolo lumine: intuebimini Deum, qui continens in ſe omnem odorem ſuavem, *Quoniam ſuavis eſt Dominus* x, omnem ſaporem delectabilem, omnem ſuavitatem jucundam, abripiet animas veſtras, attrahet illas ad ſe, & eas penitus elevabit è depreſſione terræ, & dicet eis, *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus* y. Hanc fuerat expertus Seraphicus S. Franciſcus ſuavitatem, qui cùm reliquiſſet *omnia* z, & ſecutus eſſet Dominum ſuum, noctes tranſigebat integras medias inter admirationes jugiter exclamando, *Deus meus & omnia.*

x Pſ. 99. 5.
y Pſ. 33. 9.
z Matth. 19. 27. &c.

Sed progrediamur ulteriùs: Obſervant Philoſophi, quòd ſpecies & naturæ rerum magnam cum numeris habent convenientiam: ſicut autem numerus quaternarius continet numerum ternarium, & aliquid amplius; & numerus ternarius includit numerum binarium, & quid plus: ita natura ſuperior comprehendit perfectiones naturæ inferioris, & aliquid amplius: ſic videmus quòd plantæ præterquam quòd habent eſſe inanimatarum, conſtituunt ſpeciem vegetantem; beſtiæ habent vegetativum plantarum, & eſſe earum rerum quæ nullius animæ ſunt participes, & ſic eædem beſtiæ conſtituunt ſpeciem ſenſibilem; homo continet vitam plantarum, ſenſum beſtiarum, eſſe rerum inanimatarum, & conſtituit ſpeciem rationabilem: & ſic ſpecies ſuperiores, præterquam quòd continent perfectiones inferiorum, ſunt in perfectione ſublimiori: propterea Angelus, ſpiritus iſte corporeæ concretionis expers, cùm ſit naturâ ſublimior homine, habet perfectiones hominis, & aliquid amplius; Archangelus qui eſt in ordine ſuperiori ordine Angeli, continet perfectiones Angeli, & hominis, & aliquid plus, & ſic de cæteris beatis ſpiritibus uſque ad Seraphinos in ſupremo ordine conſtitutos, ita ut altiſſima beatarum intelligentiarum iſtarum ultra perfectiones ſuas naturales poſſideat omnes illas earum omnium quæ ſunt ipſâ inferiores: ſi autem verum eſt, quòd minimus beatorum ſpirituum majorem præ ſe ferat pulchritudinem & perfectionem quàm univerſæ creaturæ ſimul, qualis erit, obſecro, pulchritudo altiſſimi Seraphini, qui pulchritudines illas in eſſentia ſua continet univerſas? O magnitudo, ô altitudo, ô ſublimitas! Quis illam poterit comprehendere? Mentem nimis habemus abbreviatam, nedum poſſimus illam concipere, & imaginationes noſtræ ſolâ illius conſideratione in conturbationem incidunt maximam, quia nequeunt ad illam accedere. Sed quid eſt illa pulchritudo, ſi conſideremus *decorem* a Dei, qui eſt *incomprehenſibilis cogitatu* b? & fons eſt univerſarum pulchritudinum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* c. Non eſt illa intuitu decoris Dei niſi ut candela comparata Soli, ut gutta aquæ reſpectu Oceani, ut atomus accedens ad Empyreum, ut obſcura nox aſpectu ſpecioſæ lucis, ut nihilum reſpectu totius, & ſicut id quod non habet eſſe ex ſe, comparatum ei qui eſt origo entium, Deus ipſe, *Qui eſt* d. Nihil igitur eſt intuitu illius coram quo jugiter concinunt Angeli, *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum* e.

a Pſ. 92. 1.
b Jer. 32. 19.
c Jac. 1. 17.
d Exod. 3. 14.
e Iſai. 6. 3.

Sed nunquid iſtâ potiemur, Auditores, felicitate, ut aliquando videamus hoc objectum ſic amabile? Sed quid? Homo formatus *de limo terræ* f, *homo putredo, & filius hominis vermis* g, *iræ* h filius, elevabiturne ad hunc honorem, ut amplectatur Deum ſuum, ut tantam poſſideat perfectionem, tantam dulcedinem, & tantam felicitatem? Sic eſt: verbum Dei eſt infallibile, *Amen dico vobis, Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt* i. *Veritas* k eſt ipſe per eſſentiam, & hanc veritatem præſtiterat jam cautam ore Jobi l, antequàm de ea nobis fuiſſet locutus Filius ſuus in Evangelio hodierno, *Ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum: & in præruptis ſilicibus commoratur. Inde contemplatur eſcam.* Homo qui contemnens terrena, volaverit inſtar aquilæ, collocans amorem ſuum in cœlis, ad mandatum illius qui ipſum creavit, extolletur ſuper Empyreum, ſedem capeſſens inter ſilices præruptos Hierarchiarum cœleſtium, implens ruinas Angelorum prævaricatorum, qui *ad infernum in profundum laci* m detracti ſunt, & in hoc cœlo Empyreo quietus conſtitutus intuebitur hanc faciem Dei, quæ eſt vita hominis, æquè ac Angelorum, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* n. Ibi contemplabitur perſonam Patris, perſonam Filii, & perſonam Spiritus ſancti, demerget ſe in unitatem eſſentiæ harum trium Divinarum perſonarum, quomodo *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt* o. Admirabimur ibi potentiam p Patris, ſapientiam q Filii, & bonitatem r Spiritus ſancti: ibidem cognoſcet has æternas relationes Patris ad Filium ſ, Patris & Filii ad *Spiritum* t ſanctum: aſpiciet ideas infinitas, in quibus intuebitur pulchritudinem perfectiſſimarum quarumcumque creaturarum: lætabitur in hoc amore increato, in his conſiliis æternis, quæ per vias incognitas ipſum perduxerint ad iſtum fortunatum finem; & ibi videns animam ſuam dilectione ſacrâ accenſam, projiciet ſe in brachia & in ſinum Dei, ut ibi requieſcat *in æternum, & ultra* u.

f Gen. 2. 7.
g Job 25. 6.
h Ephes. 2. 3.
i Matt. 24. 34. & 35.
k Joan. 14. 6.
l Job 39. 27. &c.
m Iſai. 14. 15.
n 1. Petr. 1. 12.
o 1. Joan. 5. 7.
p Pſ. 64. 7.
q Pſ. 103. 24.
r Sap. 12. 8.
ſ Pſ. 2. 7.
t Joan. 15. 26.
u Exod. 15. 18.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Et acceſſerunt ad eum, dicentes, Domine, ſalva nos, perimus.
Matth. 8. 24. &c.

a S. Bon. ſerm. 3. Dom. 3. poſt octav. Epiph. b ex Prov. 31. 14. c Pſ. 103. 25. d Pſ. 41. 8. e Incognit. in Pſ. 41. 8.

SAnctus Bonaventura a loquens de iſta nave procellis agitatâ, dicit; *Navicula eſt Eccleſia: Facta eſt quaſi navicula,* b *&c. Mare eſt ſeculum: Hoc mare magnum* c, *&c. Motus & fluctus ſunt tribulationes & perſecutiones: Fluctus tui ſuper me tranſierunt* d. Super quæ ultima verba ait Incognitus e: *Hic oſtendit habendam patientiam ratione brevitatis pœnarum, quia omnia mundi adverſa ſunt brevia, & citò tranſeunt. Et hoc eſt, quod dicit, Omnia excelſa tua, ubi, ſecundùm Gloſſam, per excelſa intellige omnes adverſitates majores, & pœnas, ſed per fluctus, minores. Vel per excelſa intellige adverſitates ab Excelſo, ſcilicet Deo immiſſas, per fluctus autem adverſa a mundo, vel diabolo procurata. Et tamen omnia tranſeunt: &, ſi patienter tolerentur, ad perpetuum refrigerium ducunt: Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium* f.

f Pſ. 65. 12. g Gen. 9. 6. h Jo. 3. 5. i Jo. 1. 12.

Sicut maxima gloria hominis in hoc eſt ſita, quòd *ad imaginem Dei factus eſt* g: ſic maxima gloria hominis Chriſtiani conſiſtit in hoc, ut ſit ſimilis ei, ex quo fuit *renatus ex aqua & Spiritu ſancto* h. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* i. Ex quo Sermo Divinus, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo; humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* k: tota gloria hominis in hoc orbe eſt aſſimilari ei, qui ſe incarnavit propter ſalutem ipſius, conformari Redemptori ſuo, & applicare ſe ſaluti ſuæ peragendæ, iiſdem adhærendo viis, quas & Chriſtus ſecutus eſt, qui ideò ait de ſe, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* l. Non me latet, quòd *projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem; & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* m. Quia ſuperbiâ intolerabili præſumpſerunt aſſimilari Deo, æquè ac ipſorum Princeps *Lucifer, qui* dicebat *in corde* ſuo, *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum in profundum laci* n detractus eſt cum ſui criminis conſciis: cùm iſta gloria ſit reſervata ſoli Sermoni Divino, *qui eſt imago Dei inviſibilis* o. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* p. Sed poſſumus abſque timore aſpirare ad ſimilitudinem Verbi incarnati: imò verò audeo aſſerere, quòd nunquam debet homo ſperare ſe repleturum ſedes vacuas Angelorum rebellium, niſi priùs conformis fuerit Filio Dei, non quidem quantùm ad magnitudines ejus, ſed quantùm ad paſſiones illius: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* q. Propterea ipſe ait Patri ſuo, *Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam* r. Super quod ait Incognitus ſ, *Iſta litera dupliciter exponitur, ſcilicet de Capite Chriſto* t: *& de membris ejus* u. *Si de Chriſto, ſciendum, quòd in Scriptura per aquas intelligitur populus: quia ſicut omnes partes aquæ ſic conjunguntur adinvicem, quòd faciunt unum corpus aquæ, ſic & omnes, qui ſunt de uno populo uniti, unum corpus debent facere. Propter quod dicitur, Aquæ populi ſunt* x. *Inter omnes autem Gentes mundi, antè ſolùm Judæi faciebant populum: cæteri autem Gentes vocabantur. Sic ergo aqua ſignificat populum: & populus Judæos: de quibus hic ad Patrem orans Chriſtus, dicit, Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, id eſt, Judæi uſque ad animam meam tollendam: quia ſcilicet deliberaverunt non ſolùm me tenere, me ligare, flagellare: ſed etiam me occidere, & auferre animam meam. Si autem iſta verba ſunt corporis, ſcilicet Chriſti membrorum ſuorum fidelium, tunc per aquas intellige adverſitates, pœnas, & miſerias vitæ præſentis. Iuſti ergo adverſitatibus afflicti, ne deſperent, clament ad Deum, dicentes, Salvum me fac, &c.* Et cum Apoſtolis, *Domine, ſalva nos, perimus.* Sed ne obliviſcantur recurrere ad beatam Virginem, & dicere ei, *Ave Maria,*

k Philipp. 2. 6. &c. l Luc. 24. 26. m Apoc. 12. 9. n Iſai. 14. 12. &c. o Coloſſ. 1. 15. p Sap. 7. 26. q Rom. 8. 29.

r Pſ. 68. 2. ſ Incognit. in Pſ. 68. 2. t ex Epheſ. 1. 22. u ex Epheſ. 5. 30. x Apoc. 17. 15.

Cùm dixerit *Ieſus diſcipulis ſuis, Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* y: poſſibilene eſt, Auditores, ut ſuavitas inveniatur in obſequio Dei, & verum ſit illud, quod alibi ipſemet *Ieſus dixit? Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve* z. Sanè cùm ſeriò examino verba Apoſtoli a dicentis, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*: imò verò cùm conſidero ſermonem, quo ſuos Chriſtus alloquitur, nihil eis prædicens, niſi opprobria, & tormenta; *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini; in mundo preſſuram habebitis* b: vix poteſt mens mea concipere, quomodo non ſolùm levitas, ſed etiam ſuavitas inveniatur in jugo Dei, cum tot ſtipatum ſit rigoribus, & à paſſionibus inſeparabile videatur. Re autem verâ poteſtne ſuavitas in amaritudine, gaudium in triſtitia, voluptas in dolore, & quies in perſecutione reperiri? Quidnam eſt quod natura formidet æquè ac crucem, & quod ſit magis oppoſitum carni & ſanguini, quàm pœnitentia? atqui ſi eſt abſolutè neceſſarium multa pati, ad tradendam *adhuc autem & animam ſuam* c uſque; quænam reperitur apparentia ut noſtram bajulemus *crucem poſt* d eundem Chriſtum; & dicamus quòd inveniatur voluptas & ſatisfactio in obſequio illius? Ipſe tamen aſſerit, quòd jugum quod hominibus ipſe imponit, non eſt grave, nec oneroſum, ſed leve atque facile: *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* e.

y Matt. 16. 24. z Matt. 11. 25. & 30. a Gal. 5. 24. b Joan. 16. 20. & 33. c Luc. 14. 26. d Luc. 14. 27. e Matth. 11. 30.

Teſtimonium iſtud Filii Dei, deberet vobis, ut opinor, ſufficere ad iſtius veritatis probationem, nedum inducat ad explicandum vobis

hunc

hunc locum, & dicendum, quòd jugum Domini ſuave eſt, & onus ejus leve, ſi comparetur cum illo, quod ſubeunt peccatores propter crimina ſua, quæ ipſis eripiunt omne genus conſolationis, ipſoſque demergunt in omne genus rigorum, ut ait S. Chryſoſtomus f, *Vitam ipſius Cain* g *degunt, perpetuo tremori & metui implicitꝰ.* Teſtes invoco conſcientias veſtras, Auditores, & à vobis efflagito, num verum non ſit, quòd inveniatis jugum Domini noſtri ſuave, & onus illius leve. Verum quidem eſt, quòd aliquando maceretis corpora veſtra, mortificetis paſſiones veſtras, & agatis *pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ* h *operati eſtis,* fundentes lacrymas doloris pro eo quòd offendiſtis Deum: ſed in iſtis lacrymis pœnitentibus invenitis gaudium, in his mortificationibus experimini voluptatem, & in abnegationibus hujuſmodi veſtri ipſorum, propriæque voluntatis, reperitis oblectamentum. Non igitur annuncio vobis paradoxum, cùm dico, quòd Juſti vivunt in hoc mũdo continuas inter delicias. Etiamſi *Ieſus* Chriſtus offerat eis *calicem quem* i ipſe bibit, potandum, eodem tempore propinat illis alterum bibendum, qui præcedentis ferè totam abripit amaritudinem: illos ſic inebriat iſto potu cœleſti, & tantas impertitur eis conſolationes internas, ut effluant illæ uſque ad eorum ſenſus, & ſint eis loco remedii præſentis adverſus ipſorum dolorem ſenſibilem, ita ut ei dicant ſinguli: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam* k. Si autem homines, qui vivunt ſecundum mundi maximas innocentiæ contrarias, vellent ſe dignos reddere conſolationibus ſpiritualibus, quibus ſuos Deus eſt ſolitus amicos cumulare; procul dubio faterentur, quòd non ſit tanta difficultas in obſequio Dei, quantam imaginantur: & ſi ſecundùm apparentiam non obſervantur in eo, niſi mortificationes, & abnegationes ſuîipſorum, nec niſi ſpinæ, cruces, & paſſiones; ibidem tamen ſunt conſolationes abſcõditæ & internæ, quæ illarum totam auferunt amaritudinem; & ſi Dominus noſter ablactat aliquando animam, quæ ipſi inſervit, à dulcedinibus, & conſolationibus ſpiritualibus, id agit duntaxat ad tempus, & ob rationes ſuæ Providentiæ nobis incognitas, reſervans illi interim præmium gloriæ cœleſtis. Sic S. Bonaventura l dicit poſt S. Matthæum m; *Aſcendens Ieſus in naviculam tranſfretavit, & venit in civitatem ſuam. Civitas iſta eſt cœleſtis, in quam tranſfretare debemus, ut de peregrinatione exeamus. Non habemus hic manentem civitatem* n, *&c.* Conformiter ad hoc volo vobis proponere duo motiva quæ vos animabunt ad obſequium Deo exhibendum, & efficient ut complaceatis vobis in pœnis & adverſitatibus tolerandis. Primum motivum, erit memoria paſſionis Jeſu Chriſti. Secundum verò, erit intuitus mercedis, quam ſuis ſervis Deus pollicetur.

f S. Chryſoſt. hom. 39. ex c. 9. Matth. v. 30. 3
g Ex Gen. 4. 14.
h Ezech. 18. 11.
i Matth. 20. 22
k Pſ. 93 19
l S. Bern. ſerm. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiph.
m Matth. 9. 1.
n Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10
Diviſio.

I. Pars

Primum motivum quod debet nos animare ad ſequendum Salvatorem, & ad reddendas nobis paſſiones ſuaves & gratas, eſt recordatio paſſionis ejuſdem. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſùm ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes,* ait nobis S. Paulus o. Et poſt illum clariùs Dionyſius Carthuſianus p, *Vt non fatigemini propter tribulationes, & labores vitæ præſentis, animis, id eſt, cordibus ſive ſpiritibus veſtris deficientes, id eſt, à bono ceſſantes, & adverſitatibus ſeu tentationibus ſuccumbentes. Chriſtus enim omnibus nobis in exemplum proponitur, ſemperque à nobis aſpiciendus eſt, quatenus ejus veſtigia* q *imitemur. Idcircò exemplo Chriſti cuncta adverſa læto animo ſuſtinere debemus, quoniam non eſt ſervus major Domino ſuo* r. Homo Chriſtianus, qui in ſuam memoriam revocat, quomodo Jeſus Chriſtus innumeris ſaturatus eſt *opprobriis* ſ, ignominiis, ac doloribus t; deficere non poteſt animo in tolerantiis, nec in praxi virtutis, & dicere debet Deo cum Pſalmiſtâ u, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* De quo ſic loquitur S. Bernardus x ſuper hæc ipſius alia verba, *Quoniam tu laborem & dolorem conſideras* y. *Labor in actionibus, dolor in paſſionibus eſt. Proinde qui ſe noverat hominem, ad utrumque paratus ſupplici confeſſione dicebat: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Et geminam hanc præparationem evidentiùs exprimens: de actione quidem, Paratus ſum (ait) & non ſum turbatus: ut cuſtodiam mandata tua* z. *De paſſione verò, Ego, inquit, in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper* a. Sic Chriſtianos intuetur ſe potenter animatum ad exhibendum obſequium Deo; imò verò paratum ad effundendum ſanguinem ſuum, & ad prodigendam vitam ſuam, ut ſuæ perhibeat fidelitatis notas. Et iſta eſt lectio, quam ſuos edocebat Jeſus Chriſtus diſcipulos: *Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit* b.

o Hebr. 12. 3
p Dion. Carth. art. 12. in Hebr. 12. 3
q Ex 1. Petr. 2. 21
r Ex Joan. 13. 16. & 15. 20
ſ Thren. 3. 30
t Joan. c. 18. & 19
u Pſ. 56. 8
x S. Bern. ſerm. de Obedientiâ, Patient. & Sapient.
y Pſ. 9. 35
z Pſ. 118. 60
a Pſ. 37. 18

Nolite, Auditores, inſtructionis iſtius oblivisci, ne ſervus prætendat genio & voluptati vacare, quandiu ipſius Dominus efficitur *opprobrium hominum, & abjectio plebis* c: *non eſt ſpecies ei, neque decor: verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* d. Sanè foret inconcinnum viſu ſervum in meliori apparatu, quàm eſſet dominus ipſius; eumque deliciis indulgere, quandiu dominus ipſius in mediis eſſet tormentis. Quis pudor alicui militi deſerere Ducem ſuum in aggreſſione aliquâ cum hoſtibus initâ? Si Jeſus Chriſtus eſt verus Dux noſter, *Ecce dedi eum Ducem Gentibus* e: Et, *Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* f: & ſi primus totam mundi expertus eſt ſævitiam, anima Chriſtiana, quæ ad ipſum pertinet, timere non debet tolerantias, nec mori medias inter torturas, *Pudeat ſub ſpinato Capite membrum fieri delicatum*, exclamat S. Bernardus g. Magna ſanè confuſio eſſet Chriſtianis, ipſos à crucibus & à paſſionibus, laboribuſque declinare, cùm ipſorum Dux fuerit *pauper, & in laboribus à juventute ſuâ: exaltatus autem, humiliatus, & conturbatus* fuerit, ait Pſalmiſta h. Qui, ut ait Incognitus i, *Hic oſtendit, quomodo Iuſti Chriſtum imitantur. Chriſtus enim pauper fuit in nativitate: quia in diverſorio* k *natus. Fuit in laboribus in vitâ: Ieſus autem fatigatus ſedebat* l. *Sic etiam conturbatus fuit in paſſione: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* m. *Exaltatus fuit in cruce: Ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum* n. *Similiter & quilibet Iuſtus Chriſtum imitatur, ut primò ſit pauper: quia facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in Regnum Dei* o. *Quod quidem non intelligitur de illis, qui divitias habent, ſed de illis, qui habentur à divitiis, & confidunt in eis. Habere enim divitias non eſt criminis, ſed illis ſubjici. Similiter ipſum imitantur in laboribus. Qui labor maximè eſſe debet in gemendo peccata: Laboravi in gemitu meo* p, *&c. Similiter ipſum imitantur in humilitate* (loquendo de Electo) *aliter juſtus non eſſet: quia Chriſto non obediret, dicenti: Diſcite*

b Joan. 15. 18
c Pſ. 21. 7. &c.
d Iſai. 53. 2. &c.
e Iſai. 55. 4
f Epheſ. 1. 17. &c.
g S. Bern. ſerm. 5. in feſto omn. SS.
h Pſ. 87. 16
i Incognit. in Pſ. 87. 16
k Ex Luc. 2. 7
l Ex Joan. 4. 6
m Matth. 26. 38
n Joan. 12. 32
o Ex Marc. 10. 25
p Pſ. 6. 7

q Matth. 11.29 *à me, quia mitis ſum, & humilis corde* q. *Et per conſequens ipſum non imitantur in exaltatione: Quia omnis*
r Luc. 18. 14 *qui ſe humiliat, exaltabitur* r. *Similiter in conturbatione, quam pro commiſſis peccatis debet habere. Unde*
ſ Ex Ezech. 12.18 *cuilibet juſto dicitur, Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede, & aquam tuam cum mærore bibe* ſ. *Panem ſuum in conturbatione comedit, qui victum vitæ præſentis cum conturbatione pœnitentiæ pro peccatis ſumit. Aquam cum mærore bibit, quem die ac nocte pro conſideratione peccatorum lacrymæ potant.*

Miſit David ad Ioab, dicens, Mitte ad me Uriam Hethæum. Miſitque Ioab Uriam ad David. Et venit Urias ad David. Quæſivitque David quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo adminiſtraretur bellum. Et dixit David ad Uriam, Vade in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egreſſus eſt Urias de domo Regis, ſecutusque eſt eum cibus regius. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis ſervis Domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam. Nuntiatumque eſt David à dicentibus, Non ivit Urias in domum ſuam. Et ait David ad Uriam, Nunquid non de via veniſti? quare non deſcendiſti in domum tuam? Et ait Urias ad David, Arca Dei & Iſrael & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore meâ: per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc t.
t 2. Reg 11,6,&c Talis eſſe debet affectus hominis Chriſtiani, qui conſiderans quòd Jeſus Chriſtus Deus ſuus, & Salvator ſuus non habet aliud cubile, niſi crucem, nec alium cibum, niſi fel, nec alium potum, niſi acetum, ut ipſe queritur cruci ſuffixus, *Et dederunt in eſcam meam fel, & in*
u Pſ. 68 22 *ſiti meâ potaverunt me aceto* u: generosè renuntiat omnibus voluptatibus terræ, ut ſimilis efficiatur Domino ſuo. Quid? inquiet verus Chriſtianus, diceturne quòd Filius Dei ſit inter tolerantias, & quòd ego, qui hoc donatus ſum honore, ut inter ejus diſcipulos enumerer, voluptatibus indulgeam? Abſit a me ut ita ſe res habeat: è contrà corpus meum macerabo vigiliis, & pœnitentiis exterioribus, & ſi obvias habeo occaſiones perpetiendi pro Domino meo, illas animo læto ſuſcipiam, & ſuſtinebo quæcunque mihi contingere poterunt, alacriter. Quomodo enim fieri poteſt ut homo Chriſtianus meminerit omnium, quæ Dei Filius paſſus eſt pro ſalute ipſius, quin ipſum diligat? Cùm cogitat immodicam illius paupertatem, de quâ ipſemet Jeſus Chriſtus ait, de ſe loquens, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet* x:
x Matth. 8,20 cùm meditatur quomodo *abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad principes Sacerdotum: & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos: & accedens ad Ieſum, dixit: Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum*: quomodo *tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt*: quomodo *Principes Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent*: quomodo poſtquam *dixerunt, Reus eſt mortis, tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Chriſte: quis eſt qui te percuſſit* y?
y Matth. 26,14.&c quomodo *manè facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & ſeniores populi adversùs Ieſum, ut eum morti traderent: & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi: Ieſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur*: quomodo *tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem; & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dexterâ ejus & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Iudæorum: & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus: & poſtquàm illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent: & dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*: & quomodo *tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, unus à dextris, &*
unus à ſiniſtris z: quando hæc omnia, inquam, perz Matth. 27.1. &c.
pendit Chriſtianus, impoſſibile eſt ut non ducatur amore illius; & ſtatim ac amore ejus captus eſt, concupiſcit aſſimilari ei in tolerantiis ipſius, ut præbeat illi ſpecimina amoris ſui reciproca, complacet ſibi in patiendo pro Jeſu, quia amor nobis reddit omnia facilia: atqui ſi impoſſibile eſt meminiſſe paſſionis Filii Dei, quin eum diligamus; & ſi ille qui diligit Jeſum, gaudet quæcunque pro illo ſuſtinere, concludendum eſt, quòd quicunque meminit paſſionis Jeſu Chriſti, ſibi complacet in patiendo pro illo; & ideò Chriſtianus indignus eſſet profeſſione ſuâ, ſi fugeret pœnitentiam, nec illam amaret ut virtutem conditioni ſuæ abſolutè neceſſariam.

Utinam mentis noſtræ vellemus oculos projicere ſuper dolores Jeſu Chriſti: pro certo enim teneo, quòd inter maximas infirmitates, humiliationes, & perſecutiones inveniremus ſuavitatem; & nedum de illis quereremur, benediceremus Dominum pro hujuſmodi tolerantiis noſtris; ut exhiberemus ei probationes noſtræ dilectionis erga ipſum. Sed heu! quàm plurimi ſunt homines, qui non noverunt quidnam ſit meditari paſſionem Jeſu Chriſti: proptereà non miror, ſi tantus eſt labor adhibendus ad præbendam conſolationem alicui, cùm nonnullâ impetitur afflictione, ſi quotidie tot audiantur querelæ, & ſi non inveniantur veræ reconciliationes: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui recogitet corde* a. Nemo eſt qui meditandis vacet
doloribus Jeſu Chriſti: populi terrenis rebus ada Jer. 12. 11
hærentes expunxerunt è memoriâ ſuâ teſtimonia ſanguinolenta charitatis Salvatoris, etiamſi nobis illius memoriale reliquerit incruentum in Euchariſtiâ b. Poſt hæc efflagitatis à me, unb Matth. 28,20
de procedant tot inordinationes, & unde oriatur ut univerſi ferè homines ſuos effrænes ſequantur affectus. Ratio hujus in promptu eſt: Ideò quia amiſerunt memoriam paſſionum Chriſti: oblivio voluntaria mortis Salvatoris, eſt cauſa tot deordinationum: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui* c.
c Deut. 32.18 Cùm ſeceſſiſſet aliàs Seraphicus S. Franciſcus in ſylvam, ut perfectiùs & familiariùs cum Deo converſaretur in ſolitudine, meditans ex unâ parte paſſionem, dolores, & tormenta, quæ Dei Filius paſſus eſt ad redimendos nos, ex alterâ verò parte reflectens ſe ſuprà ingratitudinem hominum qui præ licentiâ effræni, vivebant in voluptatibus capeſſendis, in divitiis ſectandis, & in vanitatibus aucupandis, & obliviſcebantur beneficii ineffabilis redemptionis noſtræ, uberes effundebat lacrymas, & in ſuſpiria ſic erumpebat ingentia, ut auditus à quodam illac prætereunte, ipſumque interrogante ut quid tam amarè fleret, & ſic immodicè ſuſpiraret, eidem ſciſcitanti reſponderit: Heu! noli quærere à me, quidnam ſit quod me affligat: Heu! nonne vides ingratitudinem hominum adversùs Jeſum Chriſtum? nemo eſt qui immoretur in meditandâ

mor-

Digitized by Google

mòrte ſanguinolentâ, quam ipſe pro noſtrâ ſalute paſſus eſt; & ratione hujus oblivionis pernicioſæ unusquiſque vitiis & criminibus habenas laxat. Conſideremus igitur quoad id quod ſpectat nos, quidnam ſint hæc vulnera inflicta corpori Salvatoris; & efflagitemus ab illo cum Zacharia d, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Et S. Auguſtinus e reſpondebit pro illo, ea eſſe aſylum animabus ſanctis in quod confugiant, retrahendo ſe à tentationibus, & à peccato mortali: *Cùm me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. Cùm me reprimit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo. Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini noſtri Filii Dei extinguitur. In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium quàm vulnera Chriſti: in illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus.* Præterea, Iſtod aſylum non ſolùm expugnandis tentationibus eſt opportunum, ſed etiam vincendo peccato eſt accommodum: macti ergo animo, peccatores: ſuppoſito enim quòd diſſolutiores fuiſſetis Magdalenâ, *quæ erat in civitate peccatrix* †, magisque fuiſſetis Eccleſiam perſecuti, quàm *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* f: ſi recurratis ad vulnera Chriſti, in illis invenietis remedium veſtrum, *Et erit fons patens domui Iacob, & habitantibus Ieruſalem* g. In hoc fonte omnia crimina veſtra abluentur à *Ieſu Chriſto, qui eſt Teſtis fidelis, Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* h. Et quid efficacius his vulneribus? horretisne pœnitentiam? invenitisne difficultatem in obſequio Dei, & in praxi virtutis? Illorum conſideratio maximam præ ſe fert facilitatem ad hoc ut divino vos obſeqoio mancipetis, & pœnitentiæ ac virtutis exercitio vacetis. Sed quàm merito jure lacrymas deberemus effundere, cùm videamus tot homines præ foribus inferni, & ita paucos ante oſtium paradiſi. Et unde oritur hoc? Heo! ex eo qòòd vulnera Salvatoris nos edocent, quòd ſit validè pugnandum: *Nam & qui certat in agone: non coronatur, niſi legitimè certaverit* i. Et hoc eſt quod agere recuſamus: imaginamur difficultatum montes in his occurſibus, ita ut dicere nobis poſſit ſingulis jure merito Propheta k. *Fingis laborem in præcepto.* Rejicimus laborem ſuper eum qui nobis præcipit, quaſi neſciamus quòd ipſe *pauper in laboribus à juventute* l ſuâ fuerit, nec deſtiterit à laborando, donec *dixit, Conſummatum eſt* m. Et, *Quia membra ſumus corporis ejus* n. *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* o tenemur illum imitari, ut monet nos S. Petrus p: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Abſcondat Chriſtus ſua vulnera, illa mundus abhorret, ne dum illorum intuitu inducatur ad ſequendum eum; offerendæ mundo erant voluptates, divitiæ, & dignitates, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* q. Paſſiones autem abhorret. Nihil eſt horribilius morte Salvatoris: verum eſt: ſed nihil eſt ſuavius & jocundius frequenti meditatione illius, æquè ac utilius, eò vel maximè quòd hæc recordatio prævaleat omnibus auſteritatibus quas exercere poſſimus in hâc vitâ: nihilominùs homines contrarium penitus agunt, ſibique complacent in inferenda illi denuò morte, *Rurſum crucifigentes ſemetipſis Filium Dei* r. S. auferantur alicui centum nummi, in auro, aut in margaritis; ipſe ait ereptos ſibi centum nummos, quia tanti æſtimabat margaritas à ſe ablatas: ille qui peccat mortaliter, non crucifigit corpus Chriſti: eſt enim glorioſum, ſed rem, quam Jeſus Chriſtus tantum diligit, quantùm vitam ſuam, id eſt, animam, quam tradit peccator manibus dæmonis; & ſic peccator tantum torquet Salvatorem, ac ſi illum in propriâ perſonâ cruci ſuffigeret. Ideò Theophylactus ſ ait, *Baptiſmus quidem pro cruce habetur: qui igitur fueris ſecundò baptiſmo ablutus, quantùm in eo eſt, iteratò Chriſtum cruci affigit, quod planè abſurdum & impium eſt. Cum Chriſto namque & vetus homo patibulo affixus eſt* t. Vos autem, Animæ devotæ, quæ profitemini ſequi Sponſum veſtrum, abſcondite vos *in foraminibus petræ* u, præ jugi recordatione vulnerum illius, *Petra autem erat Chriſtus* x. Et ex iſtâ memoriâ incredibiles haurietis vires ad effundendum uſque ſanguinem veſtrum, ſi opus ut, propter amorem ejus, ut ait S. Bernardus y, loquens de Sponsâ: *Idcircò denique audit: Columba mea in foraminibus petræ: quòd in Chriſti vulneribus totâ devotione verſetur, & jugi meditatione demoretur in illis. Inde Martyri tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum altiſſimum. Quid vereatur, cui etiam à Domino dicitur: Oſtende mihi faciem tuam? Vult ergo videri, vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimverò non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petrâ, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis viſceribus eſſet ſcrutans ea; ferrum profectò ſentiret, & dolorem non ferret; ſuccumberet & negaret. Nunc autem in petrâ habitans: quid mirum ſi in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum ſi exul à corpore dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor, Submittitur enim ſenſus, non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur ſi contemnitur. Ergo ex petrâ, Martyris fortitudo.*

Si igitur, Auditores, difficultatem reperitis ad ſequendum Jeſum Chriſtum, miſeriis, infirmitatibus, & bonorum, aut charorum veſtrorum jacturis oppreſſi; & ſi Deus ad tempus aliquantum ablactat vos conſolationibus internis, quibus ſuos perfundere ſolitus eſt Electus, mementote vulnerum Jeſu Chriſti, egredimini à vobiſmetipſis, & reflectite vos ſuper afflictiones & opprobria illius, & in illis immodicas haurietis infallibiliter conſolationes, & obſervabitis quàm verè *Ieſus dixit, Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve* z. Præ veſtræ mentis oculis ergo jugiter ponite, cùm vobis contigerit aliquod infortunium, paſſionem Salvatoris; quippe quæ remedium eſt ſanandis omnibus malis peropportunum. Filii Iſraël *venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ. Et murmuravit populus contra Moyſen, dicens, Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum: qui oſtendit ei lignum: quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt* a. Illud lignum erat figura Crucis: *Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum;* imitando hunc populum Dei, & omnes amaritudines veſtræ mutabuntur in ſuavitatem mentis, æquè ac corporis; & ſi hæc porio videtur vobis adhuc hauſtu nimis difficilis, intuemini ſaltem mercedem, quam pollicetur vobis Deus, & paſſiones veſtræ vobis erunt jucundæ.

Se-

d Zach. 13.6
e S. Augustin. Manual. c. 22
† Luc. 7. 37
f Act. 9. 1 &c.
g Zach. 13.1
h Apoc. 1.5
i 2. Tim. 2.5
k Pſ. 93.20
l Pſ. 87.16
m Joan. 19.30
n Epheſ. 5. 30
o Coloſſ. 1.18
p 1. Petr. 2.21
q 1. Joan. 2.16
r Hebr. 6.6
ſ Theophylact. in Hebr. 6.6
t Ex Rom. 6.6
u Cant. 2. 14
x 1. Cor. 10.4
y S. Bern. ſerm. 61. in Cant. 2.14
z Matth. 11.25. & 30.
a Exod. 15.23. &c.

Digitized by Google

II. Pars.

Secundum motivum, quod animabit nos ad obſequium Deo præſtandum, quodque jucundas reddet nobis cruces, quæ ſunt perferendæ in ſequelâ Jeſu Chriſti, eſt intuitus mercedis, quam Deus promittit ſervis ſuis. Sic *factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem, dicens, Noli timere Abram, ego ſum merces tua magna nimis* b. Sic quotidiana nobis licet experientiâ comprobare, quòd ſpes mercedis efficit ut mediis nos exponamus periculis, & mitigat pœnam laborum, qui alloquin nobis eſſent intolerabiles. Quid non agunt homines ut ſibi Magnatum favorem & benevolentiam concilient, ut honores ſibi comparent, & efficiantur ut ſic magni ipſimet ſuper terrâ? Videte quantas exerceant aulici abrenunciationes propriæ voluntatis, quàm immodicas humiliationes ſuſtineant, quot exhibeant reverentias & genuflexiones, & quot hauriant labores, ut placeant Principi terreno, è quo autumant quòd fortuna ſua proſpera, ſeu exaltatio pendeat. Sed quid non agunt homines ut divitias divitiis accumulent? Quot perpetiuntur anguſtias, curas, frigora, & calores? quot exponunt ſe periculis? quot dies integros tranſigunt ſine cibo & potu? & quot noctes ducunt inſomnes?

b Gen. 15.1

S. Auguſtinus c loquens de inexplebili hominum avaritiâ, dicit: *Quæ eſt iſta aviditas concupiſcentia, cùm ipſæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando eſuriunt: parcent verò prædæ, cùm ſenſerint ſatietatem. Inexplebilis eſt ſola avaritia divitum. Semper rapit, & nunquam ſatiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur* d. *non patri parcit, non matrem agnoſcit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſervat: viduam opprimit, pupilli rem invadit: liberos in ſervitium revocat, teſtamentum falſum profert: Res mortui occupantur: quaſi non & ipſi qui hoc faciunt, moriantur. Quæ eſt ergo iſta animarum inſania amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum?* Hâc inſatiabili ducti cupiditate avari, nihil eſt quod non perpetiantur, famem, ſitim, pericula, perſecutionem populi, cujus ſuxerunt ſanguinem, & devoraverunt ſubſtantiam, ita ut ſingulis illis avaris poſſet exprobrari, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* e. Tandem nec ipſum formidant interitum, dummodo ſperent ſe poſſe rem augere familiarem: atqui ſi hæc peragunt homines univerſa, & ſi tot labores ac pœnas ſuſtinent pro comparandis ſibi bonis temporaneis & corruptibilibus; utquid noſtros labores non inſumemus ad comparandum nobis cœlum? quare renuemus aliquid perpeti ad lucrandam gloriam paradiſi? Eſtnè cœlum minoris conditionis quàm ſit terra? mercedes æternæ ſuntne minoris æſtimandæ quàm præmium terrenum? Si autem homines longas, laborioſas, & periculoſas aggrediuntur itinerationes intuitu & ſpe mercedis temporaneæ; cur non complacebimus nobis in deferendâ cruce pœnitentiæ & mortificationum, & in ſequendo Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, ut, *cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, merces* f ab eo nobis erogetur?

c S. Aug. ſerm. 25. de Verb Dom. c. 1
d Ex Luc. 18.4
e Jer. 2.34
f Pſ. 126.3

Proptereà S. Auguſtinus g ſuper hunc verſum Pſalmiſtæ eundem, *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filii: merces fructus ventris*, ait, *Cùm dederit*, inquit, *ſomnum dilectis ejus. Dat hoc ergo Deus, cùm dormierint dilecti ejus, id eſt Chriſti, Cùm dederit ſomnum dilectis ejus. Quaſi quæreres iterùm, quibus dilectis? Ecce hæreditas Domini, filii: merces fructus ventris. Quomodo dicit, fructus ventris? Parturiit iſtos filii iſti, Eſt quadam mulier, in quâ ſpiritaliter oſtenditur quod dictum eſt Evæ: In gemitu parturies* h. *Parit enim Eccleſia filios conjunx Chriſti: & ſi parit, parturit. In cujus figurâ etiam Eva mater vivorum* i *appellata eſt. In membris parturientis erat ille qui dicebat: Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* k. *Sed non fruſtrà parturivit, nec fruſtrà peperit. Erit ſemen ſanctum in reſurrectione mortuorum. Abundabunt juſti, qui diffuſi ſunt modò toto orbe terrarum, Genuit illos Eccleſia, parturit illos Eccleſia. In illâ autem reſurrectione mortuorum apparebit partus Eccleſiæ, tranſibit dolor & gemitus.* Nullus eſt labor quantùmvis longus & difficilis, qui non debeat nobis eſſe gratus intuitu gloriæ, quam nobis meretur. Quænam comparatio, ſi placet, aliquot annorum cum æternitate? Pœnæ & mortificationes noſtræ finitæ ſunt quantùm ad naturam ſuam, & quoad durationem ſuam, ſed hæreditas cœleſtis eſt pretii inæſtimabilis, & æterna: nam Deus *magnus eſt, & non habet finem: excelſus, & immenſus* l, qui eſt hæc hæreditas.

g S. Aug. in Pſ. 126.3
h Ex Gen. 3.16
i Ex Gen. 3.20
k Galat. 4.19
l Baruch 3.25

Seraphicus S. Franciſcus ſuis dicere ſolitus erat Fratribus, ut animaret illos ad perſeverantiam, & ad exercitium virtutis, *O dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti filii, audite me, audite vocem Patris veſtri. Magna promiſimus* m: *majora promiſſa ſunt nobis. Servemus hæc: Suſpiremus ad illa. Voluptas brevis, pœna perpetua* n. *Modica paſſio: gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio* o, *omnium retributio* p, Eadem verba dico vobis, Auditores. Cùm eſtis renati *ex aquâ & Spiritu ſancto* q in Baptiſmo, obſtrinxiſtis vos ad res magnas: abrenunciaviſtis diabolo, mundo, & carni: pepigiſtis fœdus ad ferendam crucem Jeſu Chriſti toto tempore vitæ veſtræ: expoſuiſtis vos ad expugnandos potentes inimicos: refrænandæ ſunt paſſiones veſtræ, peragenda eſt pœnitentia, ſequendus eſt Jeſus Chriſtus medias inter tolerantias; ſed iſtis perfungentes debiti veſtri officii exercitiis, obſervantiæ divinorum mandatorum & Eccleſiæ ſolicitè vacantes, perpetientes æquo animo omnes miſerias & perſecutiones quæ vobis contingent, & parcentes ex toto corde veſtro illis qui vobis irrogaverunt injurias, gloriam vobis comparabitis ut mercedem fidelitati veſtræ promiſſam. Tota vita veſtra non eſt niſi unicum momentum, æternitati comparata, & omnes iſtius mundi paſſiones leviſſimæ ſunt, ſi conferantur cum gloriâ & coronis, quas pollicetur vobis Deus: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtra, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt* r. Quòd ſi naturam voluptatibus ſuis aſſuetam tædet aliquando perpeti; ſi tributa, quæ ſolvitis, in aliquas protumpere vos faciunt impatientias; ſi viri militares inducunt vos ad murmurandum contra Deum; & ſi jacturæ bonorum temporalium, amicorum, & propinquorum veſtrorum non ſinunt ut exhibeatis reverentiam debitam Deo, qui ſummâ ſuâ ſapientiâ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* ſ, permittit ut iſtæ infelicitates vobis accidant; ingredimini in voſmetipſos, videte num peccata veſtra non ſint illarum cauſa; & ſi innocentes eſtis, quòd vix ego crediderim, rurſum veſtros oculos attollite ad intuendas mercedes, quas ſuis pollicetur Deus ſervis, & proculdubio

m Ex Matt. 19.27
n Ex Matt. 25.46
o Ex Matt. 20.16
p Ex Rom. 2.6
q Joan. 3.5
r 2. Cor. 4.17. & 18
ſ Sap. 8.1.

dubio

dubio ſublevabimini, vobiſque complacebitis in ferendâ cruce Jeſu Chriſti.

Unde procedit, ſi placet, quòd Eccleſia concinit in feſto ſancti Stephani Protomartyris, *Lapides illi dulces fuerunt*? Fierine poteſt ut illa grando lapidum, quibus *ejicientes eum extra civitatem, lapidabant* Judæi, eſſet illi ſuavis? Errorem deponamus, Auditores; ictus lapidum ſenſibiliter expertus eſt ſanctus Stephanus, quippe qui illorum violentiâ impetitus *obdormivit in Domino*. Sed ſicut *cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei; & Ieſum ſtantem à dextris Dei* t: ſic parvi pendit ictus lapidum, quibus obruebatur, ratus ictus hujuſmodi fuiſſe rem exiguam comparatione gloriæ, quam ſperabat ſe conſecuturum illorum interventu: atqui ſi ſanctus Stephanus voluptatem invênit in martyrio ſuo, & ſi ictus lapidum fuerunt illi jucundi, quia intuebatur mercedem æternam, quæ ſequi debebat finem certaminis: oculos veſtros attollite ſurſum, Auditores, in cœlum, ut ibi contemplemini mercedem, quam pollicetur vobis Deus, & jucundæ vobis erunt veſtræ cruces, comparatæ gloriæ, quam per eas lucrabimini.

t Act. 7. 55. &c.

Huic limites impono diſcurſui per verba, quæ mater ſeptem Machabæorum Martyrum filiorum ſuorum, quos & ipſa in martyrium ſubſecuta eſt, dicebat filio ſuo natu minimo ut animaret illum ad ſuſtinendam generoſè pro Deo mortem inſtar fratrum ipſius, *Peto à te nate, ut aſpicias ad cœlum: ita fiet ut non timeas carnificem iſtum: ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem* u. Idem dico vobis, Auditores; Intuemini gloriam cœleſtem, mementote paradiſi, aſpicite mercedes æternas, quas pollicetur vobis Deus; præ veſtræ mentis oculis ponite coronam iſtam, quæ nullum habet pretium; felicitatem iſtam quæ excedit id omne quod concipi poteſt; & ſi difficultatem inveniatis in obſequio Dei, ſi obvios habeatis cruces ferendas in ſequendo Jeſu Chriſto, intuitu paradiſi erit vobis ejus *jugum ſuave, & onus leve* x. Et tandem gratias agetis Deo pro eo quòd vos ſubtraxerit ex affectibus mundi, ut collocaret vos in viâ per quam pergitur ad paradiſum.

u 2. Mach. 7. 28. &c.

x Matth. 11. 30.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. V. MARIÆ.

Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis.
Apoc. 14. 14.

ISTud eſt mirabile, quod aciem terminans aſpectuum noſtrorum, debet eſſe terminus cogitationum noſtrarum, *Et vidi, & ecce nubem candidam*; nimirum beatiſſima Virgo Maria, quæ eſt nubes per conditionem naturæ ſuæ, quæ eſt candida candore ſuæ puritatis virgineæ: *& ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis*; putà, Jeſus Chriſtus ſuaviter requieſcens in ſinu illius tanquam in thalamo Regio: *Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit* a *Chriſtus*, ait S. Epiphanius b. Et paulò pòſt ſic illam alloquitur, *O beata Virgo, columba* c *pura, & Sponſa cœleſtis Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis, quæ coruſcantem in cœlo & terrâ Solem habes Chriſtum: nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum. O Virgo ſancta Lucis æternæ Mater, Lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum: Lucis, quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum: Lucis, quæ illuminat Solem ſplendidis facibus: Lucis, quæ ſinet terræ illuminat ad credendum Trinitati: Lucis, quæ dixit, Ego ſum lux mundi* d: *Lucis quæ dixit, Ego lux in mundum veni* e. *O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti. Stupendum miraculum in cœlis, Mulier* f *geſtans lucem in ulnis.* Hoc eſt myſterium Purificationis beatæ Virginis Mariæ, quod veneramur hodie inter tot lumina, quæ nobis Eccleſia repræſentat. Nonne videtis ſplendorem nubis iſtius lucidæ, quæ minora obſcurat luminaria? *Aurora* g ſplendens, quæ defert lumen in templum ad diſſipandas umbras antiquarum figurarum. Sequamur greſſus ejus mediis piis conſiderationibus, & motu ſanctorum affectuum; ſed priùs emendicemus auxilium cœli, ut illuminemur radiis hujus ejuſdem auroræ, & ideo dicamus ei, *Ave Maria.*

a Ex Pſ. 18. 6.
b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
c Ex Cant. 6. 8.
d Joan. 8. 12.
e Joan. 12. 46.
f Ex Apoc. 12. 1.
g Cant. 6. 9.

Inter creaturas ſenſibiles lux propiùs accedit ad Eſſe Divinum per expreſſionem repræſentationem perfectionum ejus: Ipſa eſt perfectum ſpeculum, è cujus tranſverſo mentes animæ noſtræ concipiunt excellentiam hujus lucis increatæ, quantùm creata mens poteſt illam concipere. Non eſt aliquid ſenſibilius lumine, nihil magis incognitum quam ſint ſecretæ virtutes influentiarum ejus cœleſtium: & Eſſe Divinum, quod eſt primum intelligibile, ut primum in eſſe, *Ego ſum qui ſum* h, cùm ſit eſſe totius, eſt maximè incognitum, cùm ſit abſconditum in ſemetipſo, & infinitè remotum ab aſpectibus noſtris, *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*, ait Deo Jeremias i. Et Iſaias k, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* Et S. Paulus l aſſerit quòd *Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Nihil eſt communicabilius divinâ Bonitate, *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ait ſanctus Dionyſius m. Quid autem magis eſt diffuſum quàm ſit lux? Ipſa ſe communicat ſine diminutione, & producit effectus æquè perfectos ac ipſa eſt perfecta, nedum amittat ullum excellentiæ ſuæ gradum. Si Deus *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* n; ſi omnia occupat ſine diviſione, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* o? & invenitur ubique ſine multiplicatione; ſic eſt anima noſtra in noſtro corpore, & lux non minus perfectè in toto mundo. Sic quidam antiqui Philoſophi conſtituentes è mundo animal, formabant animam illius è luce: ipſa habet immenſitatem ſuam, & aliæ creaturæ præfixos habent ſibi limites intuitu lucis. Deus creavit univerſa cum proportione, ſed lucem condidit abſque numero, pondere, & menſurâ, dicit ſanctus Ambroſius p, *Lucis natura hujuſmodi eſt, ut non in numero, non in menſurâ, non in pondere, ut alia* q, *ſed omnis ejus in aſpectu gratia ſit.* Licèt enim ipſa ſit eſſentia limitata, tamen quia eſt univerſaliter circumquaque diffuſa, nō videtur terminata niſi per

h Exod. 3. 14.
i Jer. 32. 19.
k Iſai. 45. 15.
l 1. Tim. 6. 16. ex Joan. 1. 18. & ex 1. Joan. 4. 18
m S. Dion. lib. de div. nom. c. 4.
n Baruch 3. 25
o Jer. 23. 24.
p S. Ambr. lib. 1. hexam. c. 9. ex Gen. 1. 3.
q Ex Sap. 11. 21.

per accidens à corporibus opacis, quæ conſtituunt & limitant ſphæram extenſionis ipſius: & quamvis ſit ipſa diviſibilis, cùm ſit accidens corporeum, ipſa nihilominùs eſt virtualiter indiviſibilis (ſicut ſpecies ſenſibiles, quarum minima pars perfectè totũ repræſentat objectum) & habet relationem cum Eſſe Divino, cùm hoc modo lux ſit virtualiter in quâlibet parte ſphæræ ſuæ, ſicut Deus eſt eſſentialiter in quâlibet parte mundi. Deſideratiſne, Auditores, agnoſcere ſimplicitatem infinitè perfectam, & unitatem continentem omne genus perfectionis? Intuemini hoc ſpeculũ, & invenietis, quòd cùm lux ſit ſimpliciſſima qualitas, continet eminenter omnes qualitates elementares, producit effectus illarũ præ majori perfectione quàm ipſæmet qualitates eos poſſint producere, & ſuperat illarum perfectiones modo non communi, cùm ſit qualitas ſimpliciſſima. Quòd ſi hæc Eſſentia divina, eò quòd comprehendat eminenter perfectionem totius eſſe, illud etiam perfectè repræſentat; ita ut ſimplex eſſentia ſit in Deo imago hominis, leonis, &c. quatenus ipſa communicabilis eſt in tali, aut tali gradu perfectionis: Lux etiam quæ reunit in eminenti virtute ſuâ, non ſolùm qualitates elementares, ſed etiam colores, producit illas, & repræſentat iſtos; ita ut eadem lux ſecũdùm diverſam diſpoſitionem nubium quæ ipſam ſuſcipiunt, formet nobis modò flavum, mox rubeum, interdum viridem colorẽ in uno ſolo meteoro, ſicut iris congregat omnes iſtos colores apparentes, & conſervat de facto ſimplicitatem entis lucidi: omnes enim colores quos videmus apparẽtes in aëre repræſentate nobis nubes variegatas, non ſunt niſi lux ſimplex: &, ut ait Calepinus r, *Unjus arcus cauſa eſt radius Solis, cava nubi immiſſus, qui repulsâ acie in Solem refringitur. Nubes enim formã arcus diſcolorus efficiunt, quia aliâ parte earum tumidiores ſunt, aliâ ſubmiſſiores, & quædã craſſiores quàm ut Solem transmittant, aliæ imbecilliores quàm ut excludant. Hæc inæqualitas alternis lucem umbramque commiſcet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem.* Progredior ulteriùs, & dico, quòd non ſolùm multiplicatio idearũ in ſimplicitate Eſſentiæ divinæ, ſed etiã multiplicatio perſonarum in unitate ejuſdem Eſſentiæ, nobis perfectè repræſentatur per lucem. Secũdùm proprietatem terminorũ, quos Philoſophia nos edocet, hæc ſimplex qualitas in principio ſuo vocatur ſplendor diffuſus per medium; *Lux, ſplendor, fulgor, claritas, & propriè ea quæ à Sole diffuſa orbem illuſtrat*, ait idem Calepinus ſ. Et una & eadem Eſſentia conſiderata in Deo ut principio ſine principio eſt perſona Patris diffuſa per communicationem intellectualem t, eſt Filius, vocatus ab Eccleſiâ *Lumẽ de Lumine*. Et cùm reflexio fiat per dilectionem iſtarum duarum perſonarũ divinarum u, eſt & ſplendor Spiritus divini. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* x. Cũ bonitas attribuatur Spiritui ſancto, ut ait Salomon y, Deũ alloquens, *O quàm bonus & ſuavis eſt Domine Domine Spiritus tuus in omnibus!* Præterea, huic qualitati ſecundùm differentiam trium iſtarum conſiderationum attribuuntur effectus diverſi, fulgor attrahit, lux illuminat, & ſplendor calefacit: ſic etiam potentiæ Patris convenit omnia attrahere è nihilo, *Vocat ea quæ non ſunt tãquam ea quæ ſunt* z. Intelligentia Filii illuminat tenebras ignorantiæ noſtræ. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* a. Et bonitas Spiritus ſacri corda noſtra debet amore calefacere. *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis* b. Quid rarius lumine? Si, ut inquit Propheta c, *Cœli enarrant gloriam Dei*, ideſt, manifeſtant nobis divinas perfectiones, eas nobis exhibent intuendas interventu lucis, quæ eſt ornamentum omnium arcuum iſtorum cœleſtium, inſtrumentum operationum ipſorum, & principium influentiarum ipſorum. Et ſi aliæ creaturæ præ ſe ferunt aliquem charactêrem divinitatis, aut aliquod illius veſtigium, iſtud ſit virtute lucis, quæ ſplendorem affert cæteris, quæ conſervantur & ſubſiſtunt ſecretâ virtute influentiarum ipſius. Sed avertamus oculos noſtros ab hâc luce ſenſibili, ut alligemus noſtræ mentis oculos alii luci intelligibili. Mirabile creſcit ad occurſum claritatis iſtius, quæ ſplendoribus æquè ac fulgoribus ſuæ perfectionis excellentis obſcurat raritates omnium objectorum, quæ ſenſus noſtri percipiunt, imò quæ noſtræ mentes apprehendunt. Conceptiones deficiunt intellectibus quantùmlibet ſubtilibus, & verba linguis vel diſertiſſimis ad declarandam perfectionem, quam non poſſunt concipere: debemus illam intueri, ut eam admiremur, non ut ipſam comprehendamus. *Ecce* (per admirationẽ S Joannes illam contemplatur) *nubem candidam.* Agnoſcemus ergo Primò B Virginem ſub titulo lucis ſuſceptæ in nubem humiliationum ſuarum voluntariarum in die ſuæ Purificationis. Secundò, Probabimus quòd hæc divina claritas repræſentat expreſſiùs divinas perfectiones, quàm lux ſenſibilis; *Et ſuper nubem ſedentem ſimilem Filii hominis.* Et in duabus iſtis partibus deducemus totum ſolemnitatis hodiernæ myſterium.

r Calepin. in Diction. v. Iris.
ſ Idem ib. v. Lux.
t Pſ. 2. 7
u Joan. 15. 26
x Sap. 7. 26.
y Sap. 12. 1
z Rom. 4. 17.
a Joan. 1. 9.
b Rom. 5. 5.
c Pſ. 18. 2.
Diviſio.

I. Part. Non ſine myſterio lux inter creaturas corporeas egreſſa eſt prima è manibus Dei, cùm *dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux* d. Ordo primarum partium iſtarum ipſi tributarum juſtè fuit decretos motu ſecreto divinæ Providentiæ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* e. Quia huic primæ productioni ſuæ Deus videbatur imprimere exquiſitiſſimos ſuæ perfectionis charactêres, & perſcrutatus eſſe theſauros ſuos, ut hoc opus eximium tot excellentiis ornaret. Hanc veritatem deſumo è Scripturâ ſacrâ f, ubi dicitur Deo, *Tunc dixiſti de theſauris tuis proferri lumen luminoſum, quo appareret opus tuum.* Id eſt, ut eſſet gloria & ornamentum aliarum creaturarum. Sic iſta prima creatura, fuit lux prodigioſa, effectus miraculoſus, non ſolùm jure creationis, virtute cujus exivit è nihilo, more aliorum operum mundi, ſed privilegio ſubſiſtentiæ ſupernaturalis; ipſa erat accidens terminatum ſemetipſo, nedum dependeret niſi ab omnipotentiâ Creatoris. Alias alligat natura qualitates materiæ informi quæ ipſarum eſt fulcrum: hæc autem præ exemptionis privilegio nullum habuit aliud fulcimentum niſi divinum concurſum, nullum aliud ſuſtentaculum quàm ſpeciem ſubſiſtentiæ quæ terminaret ipſius eſſe, ut docent ſanctus Baſilius g, & Theodoretus h ſuper creationem iſtius primæ lucis; quorum doctrina mihi providet egregios conceptus ut concinnem affinitates & convenientias inter hanc lucem ſenſibilem & lucem intelligibilem, loquor de B. Virgine quæ eſt lux ſacra, & ut ſic eſt objectum aſpectuũ noſtrorum, & terminus cogitationum noſtrarũ. Eſt igitur glorioſa Domina noſtra, lux, nomen ejus

d Gen. 1. 3
e Sap. 8. 1
f 4. Eſdr. 6. 40
g S. Baſil. homil. 2. Hexaem.
h Theodoret. q. 7. in Gen. in med.

non

non ſignificat niſi ſplendorem, ait ſanctus Epiphanius i, *Præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit.* Lux aſpectuum noſtrorum infirmitati non conveniens, elevata propter raram perfectionem ſuam ultra notitiam noſtram, cùm ſimiliter hoc nomen Mariæ ſit idem ac Exaltata, & ut ſic evecta ſuper Angelos, & majori ſplendore micans radiis ſingularium privilegiorum ſuorum, quàm cœleſtes iſtæ intelligentiæ, quæ non ſunt aliud niſi Lux, *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior extitiſti: naturâ formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico: cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum,* ait illi paulo pòſt idem ſanctus Epiphanius. Ipſa eſt prima creatura Omnipotentiæ, & hoc probo ex iſto verſu Davidis k applicito à SS. Patribus Beatæ Virgini, *Adjuvabit eam Deus manè diluculo.* Quem litera Hebraica ſic legit, *Adjuvabit eam Deus reſpiciendo manè.* Imaginamini igitur, ut meum conſilium concipiatis, Deum ut Solem talem qualis repræſentabatur Hieroglyphis Ægyptiis. Primus radius exiens ex hoc Ente infinitè communicabili, eſt radius, qui nobis format hanc jucundam lucem, hanc auroram virgineam quæ præbet initium diei noſtræ felicitatis, & recreationi animarum noſtrarum, *Adjuvabit eam Deus reſpiciendo manè,* Quod Beata Virgo terminat primum radium divinæ fœcunditatis ad extrà, verificatur illud ex hoc effato Salomonis l, quod ipſamet pronunciat organo Eccleſiæ, quæ ipſi illud attribuit, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequàm quidquam faceret à principio.* Job m loquens de Lucifero ſub titulo Behemoth, vocat illum initium viarum Dei, *Ecce Behemoth, ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum.* Ratio iſtius eſt, quia juſtitia adversùs illum exercuit primum curſum ſuum, è ſupremo gradu deſcendere faciens ſuperbum illum in abyſſum inferorum: confeſtim enim ac ſuo dixit ſuperbus ille *Lucifer in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meū, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo, ad infernum in profundum laci* n detractus eſt: Sed ſi metiamur greſſus Divinæ Miſericordiæ, Maria primos eſt illius acceſſus experta, quippe quæ prima deſtinata fuit ad ſubveniendum miſeris, ipſa eſt via Dei, ſeu ipſa *eſt principium viarum Dei, qui fecit* illam, quantùm ad ordinem prædeſtinationis æternæ: ipſa eſt Primogenita omnium creaturarum in ordine quē ipſa poſſidet inter divinas illius ideas, ut ipſamet ait, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi Primogenita ante omnem creaturam* o. Et ſanè gradus excellentiæ ejus, & dignitas virgineæ Maternitatis ipſius requirebat hunc ordinem præeminentiæ, ut eſſet ipſa poſt Deum prima ut perfectiſſima ſimplicium creaturarum. Propterea LXX. ſic vertunt præfata verba Proverbiorum, *Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Quæ ſic interpretatur Salazar p; *Id eſt, Dominus in decretis ſuis ac prædefinitionibus, quibus Sanctos ad gratiam, & gloriam deſtinat, mihi primatum addixit, ac per me cœpit inſtaurare ac reficere opera ſua.* Et ut reſumamus conceptum noſtrum, beatiſſima Virgo Maria eſt *Mater pulchræ dilectionis* q, quæ terminavit primum radium, qui amoroſè ſalivit ex origine claritatis iſtius infinitæ, *Adjuvabit eam Deus reſpiciendo manè.* Favor incomparabilis! privilegium ineffabile! principium tot magnitudinum, quas conſequenter admirabimur in iſtâ ſplendente noſtrâ luce.

i S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
k Pſ. 45. 6
l Prov. 8. 22
m Job 40. 10. & 14
n Iſai. 14 12. &c.
o Eccli. 24. 5
p Salaz. in Prov. 8. 22. n. 259
q Eccli. 24. 24

Ipſa eſt etiam lux miraculoſa, Puella miraculi eſt beata Virgo, ſicut ait ſanctus Epiphanius r, *De radice Ieſſe ortus eſt Rex David* ſ, *& de tribu Regis Davidis ſancta Virgo: ſancta, inquam, & ſanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vitâ ſuâ Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinarunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul & Matrem Dei. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo. Anna ſimiliter gratia interpretatur, propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti.* Ipſa eſt miraculum prodigioſum, ſicut illam vocat ſanctus Ignatius t, *Hæc talia cogunt valdè deſiderare aſpectum hujus (ſi fas ſit fari) cœleſtis prodigii, & ſacratiſſimi ſpectaculi.* Ipſa eſt unicum mundi mirabile, ſicut eruitur è verbis ipſius Jeremiæ u, qui prævidens excellentiam lucis iſtius miracoloſæ dixit, *Creavit Dominus novum ſuper terram.* Quid ampliùs? Ipſa eſt lux ſine ſubjecto, ipſa eſt ens ſubſiſtens ſine alio fulcro quàm omnipotentiâ Dei, & micans per communicationem favorum innumerorum non pendet niſi à ſupremo illius dominio. Iſtam manifeſtè vident Angeli veritatem, cùm admirati excellentiam lucis iſtius, exclamant præ ſtupore, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum* x? Admiratione cientur Angeli, neque ſuſtinere poſſunt ſplendorem lucis iſtius; inſufficientes ſunt qui agnoſcant merita perfectionum ejus; infirmi autem aſpectus noſtri poterunt ne ad illius excellentias evehi contemplandas uſque? Noſtræ mentes abbreviatæ concipient ne raritates iſtas? Nimiæ temeritatis ſimularemur jure merito, ſi præſumeremus intimam illarum pervadere notitiam, cùm dicat S. Epiphanius y, *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla* z *digna & Mater.* Deprimamus igitur palpebras noſtras, humiliemus cogitationes noſtras, & inclinemus diſcurſum noſtrum, conſiderantes iſtam lucē modificatā nube humiliationū ipſius voluntariarū.

r S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Iſai. 11. 1
ſ Ex Matt. 1. 6. &c.
t S. Ignat. epiſt. ad S. Joannem.
u Jer. 31. 22.
x Cant. 8. 5
y S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
z Ex Luc. 1. 38

Antiqui Perſæ cùm non poſſent intueri directè Solem, quem adorabant ut Deum, perhibentur erexiſſe altare argenteum ad oppoſitum puncti orientalis, ut viderent in hâc arâ argenteâ ſplendorem iſtius planetæ micantis, cujus ſuſtinere non valebant fulgorem. Hęc obſervantia erat cultus profanus: ſed religioſa pietas nos ad ſimiles obſtringit ceremonias: ſuſtinere non poſſumus ſplendorem lucis iſtius virgineæ; admiremur fulgorem ejus in nube lucidâ, quam ipſa nobis format in Purificatione ſuâ, & ſuper hoc altari argenteo immolabimus *Deo ſacrificium laudis, & Altiſſimo vota* a noſtra reddemus in honorem ſanctiſſimæ & puriſſimæ Matris ipſius; *Et vidi, & ecce nubem candidam.* Ubi *aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum; & transfiguratus eſt ante eos & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix:* moderaturus claritatem ſui corporis glorioſi, & ſplendorem illius accommodaturus ad captum infirmorum aſpectuum præfatorum

a Pſ. 49. 14

Apoſtolorum ſuorum, involvit ipſum nube, quæ ſubitò lucida facta eſt ex redundantiâ gloriæ ipſius, *Ecce nubes lucida obumbravit eos* b. Noſtra Lux Virginea involvit hodiernâ die ſimilibus umbris micantem ſplendorem ſuum, ut ſe accommodet ad captum notitiæ noſtræ, ipſa recurrit ad humiliationes, & ſe regit umbris contemptus voluntarii. Lex Levitici c præcipiebat, *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Ipſa pergit ad templum, more cæterarum mulierum immundarum. Videtur hæc cæremonia legalis obſcurare ſplendorem perfectionum ejus; tamen decôrem excellentiarum illius multùm micare facit, non ſecus ac umbræ in aliquâ tabellâ ſplendere faciunt vivacitatem colorum ejus. Intueri mihi videor eam feſtinantem, & animatam fervore æquali ipſius humilitati, ut offerat Filium ſuum in templo, & ſemetipſam purificet, licèt ſit ipſamet puritas. Siſte, ſpecioſa *aurora* d, progreſſum humiliationum tuarum, *Tota pulchra es, & macula non eſt in te* e. Lex non obſtringit niſi mulieres immundas, quæ cùm conceperint fœtus ſuos viâ ordinariâ, inde pariendo impuritates contrahunt: ipſamet dixiſti apud S. Epiphanium f, *Non experta nec cognoſcens virum* g, *peperi Deum, qui eſt ante ſecula, ipſum Chriſtum* h. *Nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm antea: ſine labore puerperii, non ut omnes mulieres: diſſimiles enim fuerunt res meæ ac illarum inter pariendum. Non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo qui in me habitavit.* Igitur non concepiſti niſi *de Spiritu ſancto* i. Id eſt, radiis Divinitatis, ſeu operatione interiori & ſecreta divini Spiritus formata eſt in viſceribus tuis *lux mundi* k. Fortaſſis lux te poterit inquinare, & cùm ipſamet ſis lux, aliquam poteris impuritatem contrahere? Nequaquam. Lux eſt ſemper luminoſa, & tu es jugiter *perfecta* l. Prætereà, Offerendi non ſunt in templo niſi infantes, qui nativitate ſuâ clauſtrum infringunt maternum, *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſraël* m. Filius tuus pertranſivit corpus tuum Virgineum ſicut radius lucis divinæ, qui ſine fractione corpus aliquod diaphanum pervadit: *Sigillum uteri muniebat, eò quod is qui carnem aſſumebat, eſſet Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis ingrediendi causâ, aut egrediendi* n. Cur igitur pergis in templum? utquid opus purificatione? quare emendicas puritatem ceremoniarum legalium, cùm ſis ipſamet origo puritatis, *geſtans lucem in ulnis* o, quæ continet *omne Bonum* p?

Hic oculos ego deprimo, tam propter raritatem ſubjecti, quam propter ſuperbiam noſtram. Sinite, Auditores, ut in hoc occurſu comparem vanitatem hominis, humilitati quam B. Virgo exercet; & paucos inveniemus in iſto circulo, quos non debeat pudor ſuffundere. Quodnam eſt exercitium magis ordinarium hominum mundanorum? Sane iſtud, ut gloriam quærant, & ſuos defectus operiant. Abuſus intolerabilis qui illabitur inter eos, qui vel piiſſimi videntur, cùm ſibi complacent reputari virtuoſi: Virgo verò virginum, *columba pura* q, ſe collocat inter mulieres immundas, & per ceremoniam legalem confitetur apparenter ſe eſſe unam è mulieribus inquinatis. Baldad Suhites exaggerat vanitatem præſumptionum noſtrarum, ni fallor,

b Matth. 17. 1. &c.
c Levit. 12. 2. &c.
d Cant. 6. 9.
e Cant. 4. 7.
f S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
g Ex Luc. 1. 34.
h Ex Luc. 2. 7.
i Matth. 1. 18.
k Joan. 8. 12.
l Cant. 6. 8
m Exod. 13. 2.
n Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip. ex Ezech. 44. 2. & 46. 2.
o S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
p Exod. 33. 19
q Idem S. Epiph. ibid. ex Cant. 6. 8.

eamque confundit exemplo Sanctæ Virginis iſtius, *Ecce Luna etiam non ſplendet: & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis* r? Conſiderate, quòd B. Virgo vera Luna mundi iſtius myſtici, qui eſt Eccleſia, tegit ſplendorem gloriæ ſuæ, contemptibus voluntariis purificationis ſuæ. *Ecce Luna etiam non ſplendet.* Et quòd Sancti, qui, ut ait Daniel ſ, ſunt more ſtellarum firmamento alligatarum, *Et qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates:* ſe confitentur inquinatos, & in numero peccatorum, *Et ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus.* Nunquid igitur non eſt intolerabile prorſus viſu hominem ſcatentem defectibus, præ ſuperbiâ inauditâ velle è contrà abſcondere imperfectiones ſuas coram hominibus? *Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Quàm potiori ratione homo qui non eſt niſi corruptio & miſeria, fateri ſe debet criminis conſcium? Job t dixit, *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam.* Obſervat S. Gregorius u ſuper hæc verba, quòd Job non eſt ſecutus morem procedendi filiorum Adæ, qui ad imitationem Protoplaſti ſui, abſcondunt culpas ſuas, & eas excuſant; ſed quòd fuit plus quàm homo confitendo peccatum ſuum: proptereà magis miratur ipſe confeſſionem culpæ ejus, & humilitatem illius, quàm cæteras ipſius virtutes: *Hæc ſunt namque vera humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. At contrà uſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapſu primi hominis* x *hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipſam radicem traximus culpæ. Beatus itaque Iob quantæ fuerit humilitatis oſtendit, qui ſe & inter adverſarios noverat vivere, & tamen non verebatur culpas voce confeſſionis aperire. Videatur vir iſte cuilibet magnus in virtutibus ſuis, mihi certè ſublimis apparet, etiam in peccatis ſuis. Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiam; mirentur integritatem juſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minùs admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quàm tot ſublimium genera virtutū.* A minori ad majus quid dicemus de humilitate Dominæ noſtræ, quæ cùm creaturarum omnium puriſſima ſit, operit ſe nube humiliationum ſuarum voluntariarum; & quæ hoc modo nobis expreſſius repræſentat divinas perfectiones, quàm noſtræ mentis oculis illas lux ſenſibilis exhibeat intuendas?

Aviculæ quædam, ſicut obſervatur à Naturalibus, præſumentes habere oculos aquilinos ad intuendam fixè totam Solis, cæcitate percuti referuntur in juſtam ſuæ temeritatis pœnam: nonne ſimile meruemus infortunium, continuantes aſpicere ſplendorem myſticæ noſtræ lucis magis inadæquatæ mentibus noſtris infirmis quàm ſit lux Solis delicatis oculis illarum avicularum? Quòd ſi in iſtâ poſteriori parte, lux reduplicatur, eò quod conſideranda ſit à nobis in origine ſuâ, quam ſcimus eſſe *Lucē inacceſſibilē* y, ſeu increatam, ut agnoſcamus convenientias B. Virginis cum Divinitate, lucis hujus cum Sole ſuo, quomodo hæc altitudo nimis elevata non deprimet nobis animum, & non ſiſtet curſum temeritatis conſiliorum noſtrorum? Nunc experior quòd amor ſit cæcus, & quòd ſi uteretur moderatione diſcretâ prudentiæ, profectò non eſſet amor. Non diffiteor, Virgo beatiſſima, ſubjectum nimis eſt elevatum; ſed amor extollit a-

cient

r Job 25. 5. & 6.
ſ Dan. 12. 3.
t Job 31. 33.
u S. Greg. lib. 22. Mor. c. 13. & 14. in Job 31. 33.
x Ex Gen. 3. 6. &c.
II. Pars
y 1. Tim. 6. 16.

Digitized by Google

aciem mentis meæ ad conceptus ſic ſublimes: ſanè non præſumptio temeraria, ſed amoroſa fiducia me invitat ad conſiderandam perfectionum tuarum raritatem: velo tege ſplendentem faciem iſtam, ut te reddas acceſſibilem, ſicut *cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini; videntes autem Aaron & filij Iſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere: poſuit velamen ſuper faciem ſuam* z: [z Exod. 34. 29. &c.] quamdiu ſuper tabellam nubis lucidæ, quam contemplati ſumus, delineabo perfectiones tuas veluti tot vivas imagines Divinitatis in ſimilitudinem Filii hominis, *Et ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis.* Super hac ſpecioſa nube video imaginem Dei, Auditores: in ea repræſentatas admiramur perſonarum Divinarum perfectiones univerſas, ait Salazar a. [a Salaz. in Prov. 8. 23 n. 301.] *Nulla enim ex puris creatura eſt, in qua omnia Trinitatis attributa, & perfectiones magis emicuerint: nulla, in qua ſuam virtutem & efficaciam magis prodiderint. Atque adeò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ* b. [b ex Sap. 7. 26.] *Speculum ſine macula Dei operationis. Græcè, energia, ſeu, efficacitatis. Quia nimirum in ea tanquam in ſpeculo, Divinorum attributorum efficacia & energia maximè ſpectatur.* Et ipſa ſola poſt Deum præbere nobis poteſt acceſſum ad contemplandam & admirandam hanc prodigioſam novitatem; & auxiliari infirmis potentiis noſtris, ut ſuper altari nubis iſtius argenteæ immolemus *Deo ſacrificium laudis, & Altiſſimo vota* c [c Pſ. 49, 14] noſtra reddamus in honorem ipſius? Sed ſi tale conſilium continuemus, quomodo delineabimus raras excellentias iſtius ſacræ Virginis? Quiſnam color non erit omnis obſcurus ad magnificandam perfectionem iſtius operis? quænam imago, qualis ſpecies vivè repræſentabit objectum tot perfectionum? *Cui aſſimilabo te Virgo filia Sion* d? [d Thren. 2. 13.] Adducamne in medium magnanimitatem Davidis e, [e 1. Reg. 15. 45. &c.] fervorem Eliæ f, [f 3. Reg. 18. 40.] innocentiam S. Joannis Baptiſtæ g, & perfectiones omnium aliarum creaturarum? [g Luc. 1. 41] Omnes iſtæ qualitates non ſunt niſi ſcintillæ; ipſa es incendium: Hæ non ſunt niſi exiguæ lucernæ, ego autem te conſidero ut *Luminare majus* h. [h Gen. 1. 16.] Ipſa es Sol, quin etiam ipſa es *fons Solis* i. [i Joſue 15, 7.] Dignitas Sacerdotum eſt immodica, æquiparatur illorum poteſtas ipſorum dignitati, quâ præſunt authoritativè corpori naturali Filii tui, qui ſe voluntariè ſubmiſit ipſorum diſpoſitioni, dicens illis, *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum* k. [k Matt. 26. 26.] Incomparabilis eſt illorum authoritas ſuper corpus Eccleſiæ myſticum, quod dirigunt juriſdictione ſibi datâ ab eodem Filio tuo in perſona S. Petri, dicendo ei, *Et tibi dabo claves Regni cœlorum* l. [l Matt. 16, 19.] Quod vivificant influentiâ Sacramentorum; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* m. [m Joan. 20. 23.] Et mediâ vitâ quam communicant membris illius, Deo generant filios adoptivos, ita ut dicere poſſint illis ſinguli Sacerdotes, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* n. [n Gal. 4. 19.] Poteſtas tua major eſt, ſumma Domina, & excellentia tua rarior; ipſa majus habes jus ſuper corpus ejuſdem Salvatoris per dignitatem Maternam, quàm Presbyter per Sacerdotalem; ipſa generas ipſum propriâ ſubſtantiâ, quamdiu ille non producit ipſum niſi ſimplici voce; ipſa es cauſa principalis in hac generatione, quamdiu ille non eſt niſi cauſa inſtrumentalis poteſtatis Dei in conſecratione; ipſa generas Filium Dei naturalem, Sacerdos non gignit niſi adoptivum; ipſa majus habes jus ſuper corpus myſticum, cùm ſis illius collum, per quod Deus influit in nos gratiis ſuis. *Cui aſſimilabo te Virgo filia Sion?* Beati cedunt excellentiæ tuæ, ſpiritus Angelici ſe proſternunt coram te præ humili reverentia, & omne quod non eſt Deus, eſt inferius magnitudine tuâ.

Hic mihi verba deficiunt, Auditores, & mea mens opprimitur onere nimio tot raritatum, quæ oſtendunt convenientiam quæ admittitur inter B. Virginem & Divinitatem, inter iſtam lucem myſticam & Solem æternum, quantùm pura creatura poteſt eſſe conformis Creatori ſuo. Id omne quod lux ſenſibilis delineavit nobis Divinarum perfectionum, ut ſimplex veſtigium, hoc idem repræſentavit B. Virgo ut perfecta imago: unitatem Dei o in eſſentia animæ ſuæ; [o Deut. 6. 4] Trinitatem perſonarum Divinarum p [p 1. Joan. 5. 7.] in tribus facultatibus ejuſdem animæ ſuæ; proceſſiones Divinas q [q Pſ. 2. 7. & Joan. 15. 26.] in actionibus illius; immenſitatem r [r Baruch 3. 25.] in informatione illius; concurſum ſ [ſ Act. 17. 28.] in multitudine motuum ejus; ſupereminentiam t [t Exod. 3. 14.] in gradu rationalis; ideas u [u Jo. 1. 3] in imaginibus formatis ab intellectu ejus, & reſervatis in ſecluſorio memoriæ. Hæc ſunt privilegia naturæ communis omnibus entibus rationalibus: non eſt commendanda B. Virgo niſi per jura privilegiorum ſingularium. Et ideò reduplicatur hic mirabile, *Et ecce nubem candidam.* Deus exquiſitiſſimos reſervaverat characteres imprimendos tabulæ raſæ & puræ iſtius nubis argenteæ. Cùm contemplor hanc immenſam magnitudinem, cùm dicat S. Epiphanius x, [x S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.] *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*; video mediis radiis fidei quòd *unigenitus Filius eſt in ſinu Patris* y. [y Jo. 1. 18.] Et nonne videtis eundem Filium requieſcentem ſuaviter in ſinu Matris ſuæ? *Et ſuper nubem, ſedentem ſimilem Filio hominis?* Pater æternus generat illum fœcunditate mentis ſuæ z [z Pſ. 2. 7.] ab æterno; Virgo beata verò gignit illum fœcundata operatione internâ Spiritus ſancti a, [a Matth. 1. 18. &c.] *ubi venit plenitudo temporis* b. [b Gal. 4. 4.] Et, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti* c, [c ex Luc. 1. 38, &c.] ait S. Auguſtinus d. [d S. Aug. lib. de S. Virginit. c. 3.] Pater generat eum, ſicut *Sol* e [e Malachi 4. 2.] gignit lucem; Maria gignit eum, ſicut lux & *aurora* f [f Cant. 6. 9] Solem: Pater avertere non poteſt mentem ſuam ab hoc Filio genito, cùm ſit ipſius Idea, unicus terminus conceptuum ipſius; B. Virgo nequit ab eodem Filio avertere oculos ſuos, cùm ſit unicus terminus aſpectuum ipſius: Pater cognoſcens Filium ſuum, generat illum; & Filius cognoſcens quòd Pater generat ipſum; hâc mutuâ recognitione ambo ſe animant ad amorem, & ſe diligunt infinitè, & hâc amoroſâ ſpiratione producunt *Spiritum* g [g Joan. 15. 26.] amoris: B. Virgo & Filius ſuus reciprocè ſe reſpiciunt, & aſpectibus iſtis amoroſis perficiunt amorem reciprocum, qui eſt repræſentatio iſtius Amoris Divini: Pater eſt eadem eſſentia cum Filio, ſicut ait ipſemet Filius, *Ego & Pater unum ſumus* h. [h Joan. 10. 30.] Cùm Filius ſit in Patre, & Pater in Filio, ſicut canit Eccleſia, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater:* Mater eſt unita affectu Filio ſuo, imò audeo dicere, quòd ipſa ſit aliquo modo una cum Filio ſuo unitate ſubſtantiæ, cùm eandem habeant ambo carnem, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas,* ait Arnoldus Carnotenſis i. [i Arnold. Carnot. tract. de Laud. B. Mariæ.] Et expreſſius Petrus Damianus k. [k Damian. ſerm. 1. de Nat. B. M.] *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis: primo modo eſſentialiter: ſecundo modo operatione: ineſt & illumina-*

 biunt

l ex Jer. 23. 24. tione l: *quartò modo ineſt & uni creaturæ, videlicet*
Mariæ, identitate, quia idem eſt quod illa m. Pater
m ex Jo. 1. 14. obtulit Filium ſuum, *qui ſolus habet immortalita-*
n 1. Tim. 6. 16. *tem* n, hominibus mortalibus: *Sic enim Deus*
dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret
o Joan. 3. 16. o. B. Virgo ut correſpondeat huic oblationi,
offert eum hodie mortalem Patri *immortali* p.
p 1. Tim. 1. 17. *Tulerunt illum in Ieruſalem ut ſiſterent eum Domi-*
q Luc. 2. 22. *no* q. Filius comitatur oblationem Matris, of-
ferens ſe voluntariè, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* r.
r Iſa. 53. 7. Mater vices rependit reciprocas oblationi Filii
per conformitatem quam exhibet doloribus,
ſ Luc. 2. 34 & 35. quos prædicit ipſi *Simeon* ſ. Oblatio Patris æ-
terni fuit miſericors, *Quid miſericordius intelligi*
valet, quàm quòd peccatori æternâ pœnâ deputato, &
unde ſe redimat non habenti, Deus Pater dicit, Accipe
Unigenitum meum, & da pro te; ipſe Filius, Tolle me,
t S. Anſel. l. 2. Cur Deus homo c. 10. *& redime te?* dicit S. Anſelmus t. Oblatio Ma-
tris eſt etiam oblatio amoroſa, quia ipſa eſt *Ma-*
ter pulchræ dilectionis u. Et offert ipſum ut A-
u Eccl. 24. 24. morem. Caligine me ſuffundit lux iſta nimia:
Angeli vel ipſi deficerent ad declarandas ex-
cellentias Mariæ, & convenientias perfectio-
num ejus cum eſſe Dei. Objectum non impri-
mit ſic perfectè imaginem ſuam puro ſpeculo ac
Divinitas imprimit imaginem perfectionum
ſuarum ſpeculo nubis iſtius Virgineæ; ſic ipſa
eſt hæc nubes lucida, quæ defert non ſolùm ima-
ginem, imò verò ſubſtantiam Solis, *Et ſuper nu-*
bem ſedentem ſimilem Filio hominis. Et, *Candor eſt*
enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maje-
x Sap. 7. 26. *ſtatis, & imago bonitatis illius* x. Ipſa eſt exemplar
perfectionis, cui adhærere debemus; ipſa eſt lux
quæ nos illuminat, ut imitantes exempla ejus,
perveniamus ad diem perfectam beatitudinis,
In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra
autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper
faciem abyſſi. Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta eſt
y Gen. 1. 1 &c. *lux* y. Ut perficeret ſic mundum, & cumularet
illum bonis: Mundus rationalis ſimiliter *in te-*
z Luc. 1. 79. *nebris* ignorantiæ, *& in umbra mortis* z peccati
ſedebat: & hâc die auguſtâ Deus apparere facit
Matrem ſuam ut *nubem candidam* & ſplenden-
tem ad diſſipandas ſplendoribus ſuis tenebras
cæcitatum noſtrarum; & in hac ſolemnitate

Eccleſia nos deferre facit cereos accenſos præ
manibus, ut unusquisque ſciat, quòd mediis au-
xiliis favorabilibus B. Virginis, quam honora-
mus in hoc feſto, dereliquimus tenebras ut illu-
ſtraremur luminibus gratiæ. Et iſtud eſt, cujus
nos monet Apoſtolus a, dicens, *Eratis aliquan-* a Epheſ. 5. 8.
do tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis
ambulate. Quaſi diceret, Fuiſtis aliàs filii tene-
brarum, captivi Satanæ, qui eſt *Poteſtas tenebra-* b Luc. 22. 53.
rum b. *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt*
peccati c. Et, *Magnus dæmon peccatum eſt* d. Ut c Joan. 8. 34.
ſic eratis deſtinati propter culpas veſtras *in ſup-* d S. Chryſoſt. hom. 3. ex 9. 9. Matth.
plicium æternum e. Sed modò illuminati eſtis
gratiâ ut lucernæ accenſæ & ſplendentes ſuper
candelabro Eccleſiæ. *Ut filii lucis ambulate.* So- e Matt. 25. 46.
licitè cavete ne unquam lumen iſtud extingua-
tis, ſed incedite exactè more filiorum luminis
quales eſtis. Filii tenebrarum ſequuntur in o-
mnibus & ubique motus Satanæ, qui eſt ipſorum
Dux, ſequuntur modum procedendi mundi, ma-
ximi æſtimant vanitates, ineptias, concupiſcen-
tias & ſenſualitates contrarias innocentiæ: ſed
filii lucis imitantur exemplum Dominæ noſtræ,
ut ſequantur lucem quæ nos omnes illuminat, &
imitentur humilitatem & omnes alias virtutes
illius. Hæc eſt devotio principalis, quam de-
bemus omnes impendere meritis iſtius ſanctæ
Dominæ, ut charissimi filii ejus, nempe imita-
tio virtutum illius; hæc eſt via quam ipſa ape-
ruit filiis lucis, ut illos perducat ad lucem gratiæ,
& ad lumen gloriæ. Igitur *ut filii lucis ambulate.*
Tu verò B. Virgo lux myſtica, illumina tem-
plum myſticum animarum noſtrarum, ſicut ho-
diernâ die illuſtraſti templum Salomonis; diſſi-
pa & expelle ab hoc templo ſpirituali tenebras
vitii, ſicut ab illo dimiſiſti umbras figurarum;
emitte radios cœleſtium influentiarum tuarum
ſuper nos; potenter accende corda noſtra amo-
roſis flammis tuis: hâc freti fiduciâ recurre-
mus ad protectiones tuas, ſperantes quòd no-
ſtra *ſemita, quaſi lux ſplendens, uſque ad perfectam* f Prov. 4. 18.
diem f procedet & creſcet, id eſt, uſque ad con-
ſummatam diem gloriæ, in qua cœleſti *in lumine* g Pſ. 35. 10
videbimus Lumen g beatificum.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Domine vis imus, & colligimus ea? Matth. 13. 28. &c.

MEns hominis, quæ propter exilitatem aciei
ſuæ non poteſt intima cœli ſecreta perva-
dere, ſæpè judicat temerariè de ſanctitate con-
ſiliorum ejus, quæ ſemper jure merito revereri
deberet humili ſilentio: Juſti perſæpè labuntur
in hanc abyſſum, & naufragium perpetiuntur
in hoc immenſo magnitudinum Divinorum
myſteriorum Oceano, cùm Deus ſit *magnus con-*
a Jer. 32. 19. *ſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* a. David,
b 1. Reg. 13. 14. quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* b,
& dedit illi ſcientiam Sanctorum c, quippe qui
c Sap. 10. 10. dicebat, *Quoniam non cognovi literaturam, introibo*
in potentias Domini; Domine memorabor juſtitiæ
tuæ ſolius: Deus docuiſti me à juventute mea; & uſ-
que nunc pronunciabo mirabilia tua: & uſque in ſe-
d Pſ. 70. 15 *nectam & ſenium* d: ſic eſt ignarus iſtius puncti,
ut volens ipſum intimè & profunde, æquè ac
curioſè pervadere, inveniat ſe in principio Phi-

loſophum; ſed tandem confiteatur ad confuſio-
nem ſuam, quòd hæc conſideratio ipſum abripi-
ens, quaſi ipſum à rectæ mentis ſede dimoveat,
& ab obſequio Divino ipſum veluti retrahat,
videndo quòd Deus ſuſtineat malos inter Bo-
nos, dicens, *Mei autem penè moti ſunt pedes: penè*
effuſi ſunt greſſus mei: quia zelavi ſuper iniquos, pa-
cem peccatorum videns e. Et Job qui per excel- e Pſ. 72. 2. & 3.
lentiam & antonomaſiam ſibi vendicat augu-
ſtum juſtitiæ titulum, *Vir erat in terra Hus, nomi-*
ne Iob; & erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens
Deum, & recedens à malo f: non ſiſtit ibi, ſed ul- f Job 1. 1.
teriùs progreditur zelo ductus immodico, qui
ipſum reddit criminoſum, cùm eò uſque exceſ-
ſus abeat ut ſic Deo queratur, *Quare ergo impii*
vivunt †? Inſignes viros iſtos eximere volo ab † Job 21. 7.
anxietatibus quibus commoventur, & lucem
afferens myſteriis iſtis, æquè ac mentibus illo-
rum,

rum, egregia præbere vobis, Auditores, documenta, ſi Spiritus Sanctus infundere mihi dignetur lumina ſua, quibus ſuſceptis dicere vobis potero cum Apoſtolo & Evangeliſta g,
g 1. Jo. 1. 5 *Et hæc eſt annunciatio quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux eſt; & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* Et ſi B. Virgo Maria (cujus *beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*) *nubes* h *cœle-*
h ex Iſai. 19. 1. *ſtis, quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſeipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in univerſam terram ad producendum fidei fructum cum*
i S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. *impetu demiſit*, ait S. Epiphanius i, mihi tribuat intelligentiam eorundem myſteriorum, ſicut ipſa eſt *liber incomprehenſus, quæ Verbum & Filium Patris mundo legendum* k exhibuit incarnatum in utero l ſuo poſt hæc verba Angeli, *Ave Maria.*
k Idem ib. l Matth. 1. 18. & 23. & Luc. 1. 31 &c. ex Iſai. 7. 14.

Quàm profunda ſunt Dei judicia! quàm ſublimes ſunt illius cogitationes! & quàm inſcrutabilia & impenetrabilia ſunt ipſius conſilia! *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus* m! Præſertim ignaris, & inſipientibus,
m Rom. 11. 33. n Pſ. 91. 7 *Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc* n. Non eſt aliquid magis abſconditum, & difficilius cognitioni quàm ſint hæc arcana Divina. Expectemus, Auditores, diem quæ velum removebit, quæque nobis apertè Divina revelabit hæc ſecreta: *A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque*
o Iſai. 64. 4 *te, quæ præparaſti expectantibus te*, ait Iſaias o, Deum alloquens. Quare autem non expectabimus in hoc domicilio vitæ noſtræ mortalis, in quo videmus impios florere honore, elevare ſe in magnitudines, ſe promovere in dignitates, habere omnia ſecundùm deſideria ſua, ita ut videatur Fortuna (ſicut dicitur) ipſos induere ſecundùm beneplacitum ipſorum, ſemper in deliciis, nedum experiantur moleſtias quæ reliquis communes ſunt hominibus, *In labore hominum*
p Pſ. 72. 5. *non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur* p: quaſi non eſſent filii Adæ ad communicandum miſeriis ejus, quæ ſunt illius hæreditas: cùm omnia proſperè eis ſuccedant, quaſi felicitatem ſtipendiariam haberent, eò quòd bonum & honor jugiter adhæreant lateribus illorum, gaudia non videantur facta niſi propter ipſos; omnia quæ ipſi ſibi proponunt, feliciter ipſis ſuccedant ad votum; mare & terra illis obediant; venti & tempeſtates ſequantur illorum vexilla, nedum deſit eis aliquid præter mala, quorum beatam ſuſtinent privationem? Audebimuſne propterea dicere, quòd hominis improbi proſperitas, ſit peccatum cœli; & aſſerere cum impiis, quòd Deus nullam curam ſuſcipit eorum quæ peraguntur in terra, nec neceſſaria providet creaturis ſuis, quas mediis exponit afflictionibus quandiu aliis omnia proſperè & feliciter ſuccedunt ad deſiderium? *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambu-*
q Job 22. 13. & 14. *lat* q. *Sed quis de Deo iſta vel deſipiens ſuſpicetur?*
r S. Greg. lib. Mor. c. 5. in Job 22. 13. & 14. ſubdit S. Gregorius r. *Qui nimirum dum ſit ſemper omnipotens, ſic intendit omnibus, ut adſit ſingulis; ſic adeſt ſingulis, ut omnibus nunquam deſit. Nam etſi quoſdam peccantes deſerit: eiſdem tamen ipſis adeſt per judicium, quibus deeſſe cernitur per adjumentum. Sic itaque exteriora circundat, ut interiora impleat; ſic interiora implet, ut exteriora circundet; ſic ſummè regit, ut ima non deſerat; ſic imis præſens eſt, ut à ſuperioribus non recedat; ſic latet in ſua ſpecie, ut tamen cognoſcatur in operatione; ſic cognoſcitur in ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat à cognoſcentis æſtimatione; ſic adeſt, ut videri nequeat; ſic videri non valet, ut tamen ejus præſentiam ipſa ſua judicia teſtentur; ſic ſe nobis intelligendum præbet, ut tamen ipſum nobis radium ſui intellectus obnubilet; & rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti noſtræ radiis ſuæ claritatis intermicet: quatenus & ſublevata quippiam videat, & reverberata contremiſcat: & quia eum ſicuti eſt videre non poteſt, aliquatenus videndo cognoſcat.* Condemnabimuſne conſilia ejus? vituperabimuſne modum procedendi ejus ſanctum, ſi hodie Juſti in Evangelio noſtro ſuſpirant & gemunt oppreſſi gravi jugo & crudeli tyrannide impietatis improborum, quos Deus impunè ſuſtinet, ſicut Dominus agri permittere non vult, ut ſervi ſui eradicent zizania quæ reperiuntur inter bonum granum, *Accedentes autem ſervi patrisfamilias dixerunt ei, Vis imus, & colligimus ea? Et ait, Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.* Expectemus tantiſper, Auditores, patienter agamus, & videbimus quòd Deus qui eſt Dominus magni iſtius agri mundi, ſuſtinet hanc miſtionem zizaniorum cum bono grano, id eſt, malorum cum Bonis, Cainorum cum Abelibus †, † Gen. 4. 8. &c.
Eſau cum Jacobis *, Hædorum cum ovibus †, * Gen. 27. 41.
vini meri * cum fœce, Electorum cum reprobis, † Matt. 25. 32.
corvorum cum columbis, propter bonas rationes, quæ licèt ſint nobis incognitæ, non minus * Pſ. 74. 9.
exigunt reverentias noſtras, *Dominus ſeminavit ſemen bonum, ſcilicet machinæ mundialis, quando hominem fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* ſ: ſ ex Gen. 1. 27.
ſed inimicus homo, id eſt, diabolus cùm dormirent homines, ſcilicet Adam & Eva negligenter agerent in cuſtodia mandatorum Dei t; *ſuperſeminavit zizaniam, id eſt, vitia & peccata, ex quibus naſcuntur filii* t ex Gen. 3. 6.
iræ †. *Et iſta expoſitio eſt ex verbis Domini. Unde ibidem ſequitur, Ad eum acceſſerunt diſcipuli ejus, dicentes, Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens, ait: Qui ſeminavit bonum ſemen, filius hominis eſt. Ager ille eſt mundus, bonum verò ſemen ſunt filii Regni. Zizania ſunt filii nequam, & qui ſeminat, eſt diabolus,* recenſet S. Bonaventura u. Et alibi x dicit, *In præſenti Evangelio declaratur nobis Divinum beneficium, non ſolùm in ſeminando ſemen bonum, ſcilicet filios Regni; ſed in tollendo ſemen malum, id eſt. filios nequam, inter Bonos. Unde noluit Deus evelli zizaniam propter maximam bonitatem ſuam. Malos enim Dominus in hoc mundo tolerat propter quatuor cauſas. Videlicet, Propter eorum correctionem, Domine, dimitte illam & hoc anno* y, *&c. Et hic zizania non tolluntur, quia, ut ait Gloſſa, forſan triticum futurum ſunt. O quot mali jam hic ſunt, qui, ſi modò tollerentur, damnarentur, qui forſitan cito boni erunt, & ſalvabuntur. Item, Propter Bonorum exercitationem: Non delebo gentes quas dimiſit Joſue, ut in ipſis experiar Iſrael* z. *Gregorius, Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Auguſtinus* a, *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur: aut ut per eum Bonus exerceatur. Item, Propter Bonorum aſſociationem. Unde Sodomitis pepercisset Dominus propter paucos Bonos eis aſſociatos. Non delebo propter decem* b. *Item, Propter malorum punitionem, ut mali per malos affligantur: Si volueritis harum gentium erroribus adhærere, jam tunc ſcitote quòd Dominus Deus non eas deleat ante faciem veſtram, ſed vobis erunt in foveam, ac laqueum, & offendiculum* c. Ego autem ex omnibus illis cauſis & rationibus eli-

u S. Bon. ſerm. 1. Dom. 5. post Epip. x S. Bon. ſerm. 2. Dom. 4. post Epip. y Luc. 13. 8, &c. z Judic. 2. 21. & 22. a ex S. Auguſt. in Pſ. 54. post init. b Gen. 18. 33. c ex Joſue 23. 12. & 13.

go

go complexam illam ſeu geminam S. Auguſtini pro materia diſcurſus iſtius: cùm enim dicat S. iſte Doctor d, *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur: aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur*: ſic & ego volo vobis oſtendere Primò (omittens cæteras rationes allatas à S. Bonaventura) quòd Deus ſuſtinet impios in conſortio Juſtorum, ut corrigantur exemplo ſanctitatis Bonorum: Secundò, ut virtus & patientia Juſtorum meliùs exerceatur ab illorum malitia.

d August. ... 34.

Diviſio.

I. Pars.

Hoc eſt agere prorſus contra conſilia Dei ac uti vitâ quam nobis tribuit, & quam nobis conſervat, quamque nobis prolongat cum tanto amore, ut offendamus eum; hoc eſt profanare gratias ejus illud eſt contemnere favores illius, & irritare patientiam ipſius, quæ ipſum inducit ad differenda ſupplicia demeritis noſtris debita, ut ſuaviter nos invitet & amorosè nos attrahat ad peragendam eorum pœnitentiam, ut ait illi Salomon e, *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* In memoriam veſtram revocate, ſi placet, Evangelicam f hanc ſimilitudinem: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua: & venit quærens fructum in illa, & non invênit. Dixit autem ad cultorem vineæ, Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac: & non invenio. Succide ergo illam: utquid etiam terram occupat? At ille reſpondens dicit illi, Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam.* Eodem ſe gerit prorſus Deus modo erga peccatorem, videns eum inutilem in mundo, & infœcundum bonis operibus quibuslibet, quæ ſunt fructus quos expectat ipſe ſe collecturum è laboribus ſuis: *Dominus patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* g. Propterea *expectat Dominus, ut miſereatur* h ejus, ſollicitat eum bonitate ſuâ ad hoc ut in emendatæ vitæ frugem bonam ſe recipiat, & faciat *fructus dignos pœnitentiæ* k. *Vox Dilecti pulſantis. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium* l. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* m. Propter hanc rationem Dominus agri non permittit ut eradicentur zizania, quia fieri poteſt beneficio gratiæ, ut ille qui eſt hodie malus, cras efficiatur bonus; & ille qui eſt diabolus malitiâ, evadat Angelus bonitate. Et ideò Gloſſa Ordinaria ſuper hæc verba præfati Patrisfamilias reſpondentis ſervis ſuis: *Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum*, ait, *Ecce patientia. Non enim auditis doloris exarſit in iram, nec mox ulciſci voluit.* Et ſuper hæc verba immediatè pòſt ſequentia, *Sinite utraque creſcere*, dicit, *Longanimitas eſt, quæ uſque ad finem neceſſaria eſt.* Et S. Chryſologus n, *Si zizaniis non Dei potentia ſubveniret: nec Matthæum de publicano Evangeliſtam* o, *nec Paulum de perſecutore Apoſtolum* p *Eccleſia poſſideret.* Hoc idem dicit S. Vincentius Ferrerius r, *Hic patet benignitas Chriſti dulciſſima in hoc, quòd non concedit ſervis ſuis eradicationem zizaniorum, ne triticum etiam eradicetur, & perdatur. Quoniam fortè illi qui modò ſunt zizania per peccatum & malitiam, aliquando erunt triticum per pœnitentiam. Sicut patet de Paulo, qui aliquando fuit zizania per ſuperbiam, infidelitatem, & crudelitatem contra Eccleſiam Chriſti, qui poſtmodum fuit optimum triticum. Idem de Matthæo per avaritiam. Idem de Magdalena per luxuriam* ſ, *& de multis aliis poſſet dici. Ecce benignitas Dei dulciſſima. Ideò dicit ipſe: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat* t? Si illa *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, apprehenſa fuiſſet à Juſtitia Divina in flagrantibus delictis ſuis, & in exceſſibus diſſolutionum ſuarum; nunquid non erat ipſa ſubjectum dignum, quod iret *in ignem æternum* u? Nonne erat ipſa victima, quæ inſignita charactêre impuritatis, effecta fuiſſet præda corvis inferni? Sed Deus expectans illam patientiâ ſuâ, cui devincti ſumus ob ſalutem noſtram, quam debemus ei acceptam referre, nunquid non ex illa fecit vivum exemplar pœnitentiæ, æquè ac perfectum prototypon univerſarum aliarum virtutum? Provenza, tu non ignoras quàm rudes hæc famoſa Pœnitens exercuerit auſteritates in ſolitudine, cujus acceſſus ſolo vel intuitu appropinquantes ad ſe terrore concutit. Præterquam quòd ait Poëta ad propoſitum,

e Sap. 11. 24.
f Luc. 13. 6, &c.
g 2. Petr. 3. 9.
h Iſai. 30. 18.
k Luc. 3. 8.
l Cant. 5. 2.
m Apoc. 3. 20.
n S. Chryſol. ſerm. 97.
o ex Matt. 9. 9.
p ex Act. 9. 1, &c.
r S. Vinc. Ferr. ſerm. Dom. 4. poſt Epiphan.
ſ ex Luc. 7. 37. &c.
t Ezech. 18. 23.
u Matt. 25. 41.

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Sic Propheta Regius priùs conſcius criminum x, deinde contritus de iiſdem offenſis ſuis y, & peccatorum eorundem pœnitentiam agens, dicens Deo, *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo* z: dicebat alibi, eundem Deum alloquens, *Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt* a. Super quod ait Incognitus b, quòd *ratione multitudinis probat Pſalmiſta ſuam orationem exaudiendam: ut, ſcilicet, Deus peccata noſtra non reſervet ad vindictam, ſed illa ſuâ pietate dimittat: quia nullus eſt ſine peccato. Et hoc eſt quod ait: Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Quaſi dicat: Nullus. Unde hic ait Auguſtinus, Si iniquitates obſervaveris, &c. Circumſpexit iſte ſeipſum, circumſpexit vitam ſuam, vidit illam undique facinoribus coopertam, quàcumque aſpexit, nihil in ſe bonum invênit. Et cùm tanta ac multa peccata undique videret, tanquam expaveſcens exclamavit, Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Non dixit, Ego non ſuſtinebo: ſed, quis ſuſtinebit? Vidit propè totam humanam naturam lacerari peccatis ſuis: accuſari omnes conſcientias cogitationibus ſuis, non inveniri cor caſtum, quod præſumere poſſit de juſtitia ſua. Quomodo enim ſine peccato reperiri poteſt homo habitans in carne, ex qua peccati tentatio procedit? Quia apud te propitiatio eſt: Hic ponit ſecundam rationem, quæ ſumitur ex parte Divinæ Pietatis. Ubi ſciendum, quòd propitius dicitur à propè, & inde propitiatio, quaſi propinquitas. Per peccatum autem elongamur à Deo* c, *non quidem loco, ſed ſimilitudine. Sed quando Deus peccatum remittit, tunc dicitur propitiari nobis, id eſt, nobis appropinquare, & nos illi, per ſimilitudinem imitationis, unde propitiari idem eſt quod miſereri, & peccata relaxare. quò Deo appropinquare valeamus. Cùm igitur Deus naturâ ſit miſericors, qui non quærit mortem peccatorum, ſed ut magis convertantur, & vivant* e, *& paratus ſit omnibus parcere: ideò apud ipſum dicitur eſſe propitiatio, id eſt, miſeratio: ut ſit ſenſus Pſalmiſtæ: Ideò tu Deus ſupplicationes pœnitentium debes audire, quia apud te eſt propitiatio.* Ha! quot impii & flagitioſi homines in mundo, quot peccatores & peccatrices, qui ſi hâc ipsâ horâ quâ vos alloquor, morerentur, exirent è mundo ut

x 2. Reg. 11. 2. &c.
y 2. Reg. 12. 13.
z Pſ. 6. 7.
a Pſ. 129. 3. & 4.
b Incognit. in Pſ. 129. 3. & 4.
c ex Iſai. 59. 2.
e ex Ezech. 18. 23.

Judæ

Digitized by Google

f Matt. 27. 5. g Rom. 9. 13. & Hebr. 12. 17. h Matth. 26. 75. i Luc. 23. 41. &c. k Luc. 7. 47. &c. † Matt. 25. 46.

Judæ *f*, ut Eſau reprobati *g*; & qui viventes, forſan morientur ut ſancti Petri *h*, ut boni Latrones *i*, ut Magdalenæ ſanctè pœnitentes *k*? Quot peccatores in iſto templo, quot viri & mulieres, juvenes & ſenes, utriuſque ſexus homines, qui, ſi modò è medio tollerentur, irent hoc ipſo momento inceptum infernum ſuum, & expertum *ſupplicium æternum* †? Et tamen Deus illos expectat ad pœnitentiam, ad illam eos invitat cum certitudine ſe ſuſcepturum ipſos eodem modo quo pater filii prodigi ſuſcepit iſtum filium nequam revertentem domum ſuam; poſtquàm enim iſte *adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè: in ſe autem reverſus dixit, Surgam, & ibo ad patrem meum: & ſurgens venit ad patrem: cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum. Dixit autem ad ſervos ſuos, Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt* l. Deus

l Luc. 15. 13. &c.

ſuſcipit præ blanditiis peccatores ad ſe revertentes, illos attrahit ad ſe ſuavitate gratiarum ſuarum, nec ideò prolongat eis vitam niſi præ hac conditione quòd revertantur ad ſuum ad bonum Patrem ſuum, unde infortunium peccati ipſos elongaverat, *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur.*

Ha! peccatores, uſquequò claudetis oculos veſtros, ne videatis infortunium veſtrum? Voluptates ſenſuum, deliciæ criminoſæ ſiccine faſcinant vos, ut ſtatuere non poſſitis illas relinquere, niſi cùm illis ampliùs frui non poteritis? Auderisne remittere pœnitentiam & converſionem veſtram intuitu horroris peccati veſtri, uſque ad extremam vitæ veſtræ periodum, quaſi velletis non vivere, ſed mori probatæ vitæ homines? Iſtud eſt abuſus, Auditores; errorem deponite: hoc autem nihil eſt, niſi malitiæ malitiam aggerare. Ha! ſi Deus nullum aliud agnoſcit principium vitæ in animabus, niſi charitatem, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus*

m Rom. 5. 5.

eſt nobis m: ſi judicat potiùs ex intentionibus, quàm ex operibus, nonne tremore concutimini? nunquid non merito formidatis decreta juſtitiæ ejus, cùm acceſſus mortis projiciunt vos in pœnitentiam? Crimen eſt ac abuti patientiâ ejus ad illum æquo libeeiùs offendendum; impietas eſt ſacrilega ac non ſperare favores & gratias ejus, niſi poſt irrogatas ei injurias; non determinare ſe ad ſectandam malitiam, niſi quia ipſe

n Matt. 19. 17.

eſt bonus n: & non inſumere vitam & vires, quam ad inſurgendum in eum.

Ha! Deus expectat nos ad pœnitentiam, ad illam nos invitat amoroſè, dicens ſingulis ex

o Cant. 6. 12. p De Pont. lib. in Cantic. 6. 12. Exhort. 8. §. 1. q ex Iſai. 52. 3. r ex 1. Cor. 6. 20. ſ Iac. 2. 13. t Amos 1. 3.

nobis, *Revertere, revertere, Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te* o. *Unde mira ſplendet bonitas & miſericordia Dei*, ait de Ponte p, *qua maximo affectu peccatorem ad pœnitentiam vocat, etſi eum gratis* q *reliquerit, volens eum redimere tam eximio pretio* r. *Hunc autem affectum vehementem inſinuat per hoc quod quater dicit: Revertere. Nam vere miſericordia Dei exaltatur ſuper judicium* ſ. *Et qui iratus contumacibus peccatoribus inquit: Super tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non convertam* t: *id eſt, quando fuerint ultra modum plurima: nunc terque quaterque ait, Revertere, & convertere ad me, & ego ſuſcipiam te* u. *quoniam nec multitudo, nec magnitudo ſcelerum impediet veniam, ſi verè egeris pœnitentiam. Hoc clamat Pater, qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* x. *Hoc clamat ipſe Filius, qui pro te homo factus eſt* y. *Hoc clamat Spiritus Sanctus, qui cupit effundi in omnem carnem* z, *ut eam transferat in ſpiritum. Ac clamat hoc Sanguis Chriſti pro te effuſus, indulgentiam poſtulans, non vindictam* a. *Omnes unanimi conſenſu quater dicunt; Convertere, ut intueamur te. Cur fugis à nobis fugiens à vita? cur à tergo nos relinquis, qui poſt tergum* b *ad te clamamus, ut faciem tuam ad nos convertas? Oſtende (inquit) mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis* c. *Sed quid eſt quod ait, ut intueamur te? Nunquid non reſpicit Deus animam prius quàm illa revertatur ad ipſam? Imò quia reſpexit Deus Petrum, Petrus converſus eſt, & flevit amarè* d. *Quoniam ſi Deus priùs peccatores miſericorditer non reſpiceret, & reſpiciendo vocaret, nullus ad eum ſe converteret. Reſpicit tamen illos quaſi à tergo, quia adhuc averſi ſunt ab illo: at poſt converſionem peculiari modo reſpicit, & intuetur quaſi pater filium, quaſi amicus amicum, quaſi ſponſus ſponſam, exultans & gaudens dum intuetur illam, ſicut de patre filii prodigi jam ad ſe reverſi, & ad patrem revertentis dicitur: Vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum* e. *Ad hoc igitur petit quòd revertatur, ut intueatur illam, & inventam amplexetur, oſculetur, & annulo, calceis, & veſtibus pretioſis ornet.* Nunquid non formidamus ne hoc ultimum, *peccari*, quod pollicemur nobis, ſit actus deſperationis? Differre deflere peccatum, exire à crimine, agere pœnitentiam, iſtud eſt fateri debitum, ſed illius ſolutionem ſuper vadem æris alieni decoctorem aſſignare, ac illud remittere ſuper ſenectutem impotentem ad agendum bonum: Heu! quàm jure merito timendum eſt. Iſtud repeto: Hæc pœnitentia ſuſpecta eſt, & incurritur periculum perpetiendi naufragii: tot languores, tot infirmitates, tot privationes ſunt totidem veritatis iſtius probationes: tunc nulla eſt cogitatio de Deo. *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui*, ait David *f*, Deum alloquens. Talis eſt ordinariè finis qualis eſt introitus, & progreſſus; & talis mors qualis vita: & Dei Filius tunc dicet nobis, ſicut virginibus imprudentibus charitatis oleo deſtitutis, *Neſcio vos* g.

u ex Jer. 3. 1. x Rom. 8. 32. y ex Philip. 2. 7. z ex Joel 2. 28. & ex Iſai. 44. 3. & ex Act. 2. 17. a ex Hebr. 12. 24. b ex Iſai. 30. 21. c Cant. 2. 14. d ex Luc. 22. 61. & 62. e Luc. 15. 17. &c. f Pſ. 6. 6. g Matt. 25. 12.

Ha! Auditores, eritne Dei bonitas ratio propter quam æquo liberiùs ipſum offendetis? Patientia ejus, quâ differt punire veſtra crimina, aperietne vobis viam ad ruinam veſtram? *An nequam eritis, quia ipſe bonus* h *eſt?* Et vita quam vobis conſervat, & vobis prolongat ad operandam proficuè ſalutem veſtram, ſervietne vobis ad aperiendam vobis viam ad damnationem veſtram? Ha! ingredimini vosmetipſos, & cogitate quòd ipſe toties deprimere vos poterat *in ſupplicium æternum* †, & tamen vos ita diu expectavit ad pœnitentiam: *Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus* i. Quid autem eſſet de vobis, ſi vos apprehendiſſet in flagranti delicto? nunquid non cruciaret nunc vos ignis inferni, qui *non extinguetur* k? Appello vos ad vosmetipſos, cito vos ad tribunal conſcientiarum veſtrarum: eſtote judices in propria cauſa veſtra. Nunquid non

h Matt. 20. 15. † Matt. 25. 46. i Iſai. 30. 18. k Iſai 66. 24.

l Job 24. 13.

fuiſtis *ipſi rebelles lumini* l magis quàm Angeli apoſtatæ, qui unicâ duntaxat vice peccaverunt, cùm *factum eſt prælium magnum in cælo? Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* m. Nonne ergo merebamini eadem ſupplicia, nolo dicere majora, cùm ſæpiùs offenderitis? Heu! ſi Deus miſiſſet tunc Angelos ſuos exterminatores, ſicut cùm ipſo præcipiente *venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinq; millia* n, ſi vibraſſet *gladium ſuum, arcum ſuum* tetendiſſet, & paraſſet *illum; & in eo paraſſet vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus* o effeciſſet eodem tempore quo criminibus eratis immerſi, nunquid non ultimum momentum vitæ veſtræ, vobis primum fuiſſet inſtans veſtræ mortis, & mortis æternæ? Cogitate & recogitate intra voſmetipſos veritates iſtas, & dicite, Quid autem eſſet de nobis, ſi Deus diſpoſuiſſet de nobis tali tempore, in tali occaſione, tali ætate, & in tali occurſu? Sanè periviſſemus *in peccato* p. Ergo damnari eſſemus. Credite igitur certò quòd ſi uſque nunc vos reſervavit, ideò quia expectabat converſionem veſtram, *Omnis malus, aut ideò vivit ut corriga*[illegible] In hoc eſt ſitum conſilium ejus, iſte eſt finis [illegible]m ipſe ſibi proponit, & quem expectat à vo[illegible]: voletiſne tandem in contemptum miſeri[illegible]ordiæ ejus ſeneſcere in criminibus veſtris, ut [illegible]dem *in peccato veſtro* moriamini? *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* ait ſingulis ex vobis S. Paulus q. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus r, *An divitias bonitatis ejus, id eſt, plenitudinem ſeu abundantiam pietatis Divinæ, & patientiæ quâ non ſtatim ulciſcitur illatam ſibi injuriam, & longanimitatis, quâ diu iniquorum converſionem expectat ut indulgentiam conſequatur, juxta illud Prophetæ, Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri* ſ. *Non ergo vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat* t. *Patientia autem cùm ſit virtus moralis, paſſionem triſtitiæ ordinans, non propriè competit Deo, niſi per ſimilitudinem operis. An ergo iſta contemnis? Quaſi dicat, Mirum eſt, ſi tantam pietatem & gratiam Dei non penſas, neque honoras. Hanc contemnit, qui ex pia dilatione ultionis Divinæ pejoratur, peccando ſecuriùs, & conceſſa pœnitentiæ tempora expendendo in actibus pravis. Quemadmodum ſcriptum eſt de ingrato ac impio, Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam* u. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Id eſt, hoc meritò ignorare non debes, quòd miſericordia Dei te patienter ac longanimiter ſuſtinendo* x, *quantum in ſe eſt, inſtigat & ducit te ad pœnitentiam peragendam. Per inſpirationem enim Angelicam ac Divinum inſtinctum admonentur iniqui converti ad Dominum* y. *Unde Sapiens* z, *Miſericors (inquit) omnium, Domine, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Diligentes igitur eſtote, Auditores, ad operandam veſtram ſalutem, cùm ideò vobis vita conſervetur, *Omnis malus, aut ideò vivit ut corrigatur: aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

m Apoc. 12. 7, &c.
n 4. Reg. 19. 35.
o Pſ. 7. 13. & 14.
p Joan. 8. 21.
q Rom. 2. 4.
r Dion. Carth. art. 5. in Rom. 2, 4.
ſ Iſai. 30. 18.
t ex Ezechiele 33. 11.
u ex Job 24. 23.
x ex 2. Petri 3. 9.
y ex Pſ. 89. 3.
z ex Sap. 11, 24.

Impius vitâ fruitur, ut ipſius impietate virtus ſeu patientia Juſti meliùs examinetur, cùm Deus, qui *omnia in menſura, & numero, & pondere* a diſpoſuit, utatur peccatoribus & malis ut inſtrumentis iræ ſuæ, ad caſtigandos in tempore eos, quos punire non vult in æternitate: & ideò examinare velit Electos ſuos malitiâ flagitioſorum, qui ſunt eis ſicut ignis qui totam conſumit ipſorum rubiginem, ſicut ignis qui aurum purgat à fæcibus: *Sicut igne probatur argentum, & aurum in camino: ita corda probat Dominus* b. Deus eſt æqualiter *bonus* c & amabilis, & *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum* d. Amabilis eruendo bonum è malo: *Neque enim Deus omnipotens* e, *quod etiam infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, ut benefaceret etiam de malo*, ait ſanctus Auguſtinus f. Ideò inſumit manus inimicas ad elaborandum profectum Electorum ſuorum, cùm tota rabies hujuſmodi adverſariorum non ſerviat iſtis niſi ad concinnandas ipſis glorioſiores coronas. Et, *Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.* Eò quòd impii multam habent anſam timendi, cùm infernus expectet ipſos, & quia *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda* g, poſtquam caſtigaverint filios Dei, qui ſuſpirant, & proficiunt ſub ipſorum crudelitate.

II. Pars.
a Sap. 11. 21.
b Prov. 17. 3.
c Pſ. 118. 68.
d Pſ. 65. 5.
e ex Eſth. 13. 9.
f S. Aug. in Enchirid. c. 11.
g Apoc. 21. 8.

Deus iſtam tribuit inclinationem qualitatibus contrariis seduplicandorum ardorum ſuorum ad acceſſus earum quæ ſunt ipſis oppoſitæ, ut meliùs ſe conſervent, reſiſtendo aggreſſionibus inimicarum ſuarum, quæ conantur ipſas deſtruere: atqui imitemur naturam, correſpondeamus conſiliis cœli, reduplicemus ardores noſtros ad acceſſus inimicorum noſtrorum, vires eruamus ex infirmitatibus noſtris, ut meliùs manifeſtemus in occaſione zelum noſtrum: hoc eſt conſilium Dei, *Omnis malus, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Fugiamus inire commercium cum impietate: & cùm naturali antipathiâ horreamus ſerpentes, eò quòd ſint armati veneno, quod nobis mortem infert, abominemur peccatum quod noſtras perimit animas, *Quaſi à facie colubri fuge peccata* h. Et, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* i. Quòd ſi neceſſitas, aut urbanitas non diſpenſat nos à converſando cum peccatoribus, manifeſtemus ſanctitatem noſtram, & ſatagamus ut contrarietas non ſerviat niſi ad extollendum ſplendorem noſtrum. Hoc eſt conſilium Dei, qui ſuſtinet improbos, ut noſtram meliùs virtutem per eos exerceat. Ipſe vult ut ſanctitas Bonorum non differat à ſanctitate JESU Chriſti, quem ipſe dedit *nis Præceptorem* k, cui ſe conformare debent, quippe qui fuit *in laboribus à juventute* l ſua, & in perſecutionibus, quæ ſerviunt loco materiæ virtuti ipſorum, cùm mediis illis conciliare ſibi merita ſatagant, & ire *de virtute in virtutem* m eò ferventiùs, quò majores ſuſtinent contradictiones, ſicut natura quæ non producit uniones & margaritas niſi in regione tempeſtatum; nec aurum niſi in fundis terrarum, quas ſterilitates atque inclementia aëris reddunt inhabitabiles.

h Eccl. 21. 2.
i Ezech. 18. 4. & 20.
k Iſai. 55. 4.
l Pſ. 87. 16.
m Pſ. 83. 8.

Videtis

Videtis, Auditores, quomodo malitia improborum ſplendorem affert virtuti Bonorum, cùm Deus utatur impiis tanquam Divinæ ſuæ providentiæ inſtrumentis ad exercendos Juſtos in academia & palæſtra virtutis. *Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt* n. Deus adhibuit Aſſur hoſtem populi ſui Iſraelitici, loco virgæ & baculi ad excutiendum, purgandum & mundandum hunc populum ſuum a ſordibus & impuritatibus ſuis, ut mundus remaneret & ſanctus interventu perſecutionis illius adverſarii. Febris perſæpè corpori ſervit, pravos humores conſumendo: ſic Deus permittit ut Boni ſuſtineant perſecutiones, & ut id quod ipſos angit, tribuat ipſis bonam conſtitutionem animæ ſuæ, & ut ſancti fiant infirmitatis interventu, ſicut dicebat Apoſtolus o, *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Et Jeſus Chriſtus ut ſummus Medicus p facit ingredi viperas in compoſitionem theriacæ ſuæ. *Omnis malus, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur,* ait S. Auguſtinus q. Et alibi r, *Medicina autem ideò inventa eſt, ut pellatur vitium, & ſanetur natura. Venit ergo Salvator ad genus humanum, nullum ſanum invênit, ideò magnus Medicus venit.* Et ſicut videmus, quòd incolæ civitatum, quæ ſunt limina, ora, & extremitates Regnorum, meliùs ſe cuſtodiunt, & ſpeculatores habent ſuper mœnibus earum, & portas illarum ſemper tenent clauſas, ne circumveniantur per inſidias ab hoſtibus; quod non agunt cives aliarum urbium, quæ ſitæ ſunt in medio Regni, eò quòd nihil habeant formidandum: ſic Juſti viventes inter impios, debent ſemper invigilare ſibi, ne aliquid agant, unde poſſit ipſis exprobrari puſillanimitas ipſorum, cùm venenum impiorum convertatur in theriacam in favorem ipſorum. Sic dicere poſſum præ veritate, quod Conſtantinus Magnus nunquam tantùm profuit Eccleſiæ, donando eam honore & divitiis, quantùm Nerones, Diocletiani, Domitiani, & alii Imperatores & Tyranni, qui malitiâ ſuâ ſunt eam perſecuti ferro & igne: non enim ſine rabie Tyrannorum haberemus tot Martyres, *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum,* ait Lorinus ſ. En incrementa quæ ſuſcipit Eccleſia ab impiis, quorum malitia magnis ditat ipſam prærogativis & profectibus. Et hæc eſt ratio propter quam Deus impios hujuſmodi ſuſtinet in mundo. Laminæ aureæ & argenteæ elaborantur & perficiuntur igne & malleo: ſic Juſti, ut ſplendeant inſtar auri, examinari debent igne & malleo impiorum, *Tranſivimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium* t. Et, *Omnis malus, aut ideò vivit, ut corrigatur: aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Sed quid accidet? Paterfamilias dicet in *tempore meſſis meſſoribus, Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Et nunquid non iſtud eſt quod faciet ipſe magno die judicii, die meſſis univerſalis? *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi: mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis:* ait idem Evangeliſta noſter aliquantò poſt Textum in Evangelio hodierno exaratum. Zizania ſeparata à tritico, id eſt, reprobi ab Electis, projicientur in flammas æternas, ut ibi ardeant in æternum: *Diſcedite*, ecce ſeparatio: *in ignem æternum* u, en ignis. Boni, ſeu Electi, qui veluti triticum conculcati fuerint, & flagellis percuſſi, collocabuntur ab Angelis in granario gloriæ, ut ibi ſint in æternum beati, *Triticum autem congregate in horreum meum.* Unde dicit ſanctus Bonaventura x, *Angelicum officium oſtenditur in tribus, in colligendo, in alligando, in congregando. Colliguntur ergo perverſi per ſeparationem a bonis. Alligantur per conjunctionem in pœnam. Congregantur autem Boni per unionem in gaudiis. O quàm lætanter totam meſſem congregabunt, qui tam lætanter unum granum, unam animam colligunt! Unde de Lazaro Ioannes Chryſoſtomus: Suffecerat ad portandum pauperem unus Angelus, ſed propterea plures venerunt* y, *ut chorum lætitia facerent.* Ha quale gaudium! Electis tunc *dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi* z. Veni e perſecutionibus impetiti in ergaſtulis terræ, nunc liberati *à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* a. Venite Jonæ è tempeſtate b, Danieles *è lacu* c leonum, Eliæ è perſecutione d. Venite maledicti ab hominibus, ſed amici Dei: venite è procellis mundi ad aſylum paradiſi, è tempeſtate ad portum gloriæ æternæ, cùm Regnum Dei vobis debeatur propter paſſiones veſtras: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* e. Tunc elevabuntur ad ſublimiſſima faſtigia honoris: innocentes Joſephi, apparebunt ornati apparatu Regio f; Davides triumphabunt de Saulibus g, Abeles de Cainis h; & omnes Martyres de Neronibus, & aliis hujuſmodi inferni titionibus. Iſte eſt finis & exitus iſtius tragœdiæ quæ peragitur in iſto mundo inter peccatores & juſtos, inter reprobos & Electos, inter Bonos & malos qui ipſos perſequuntur, quod Deus permittit ut habeat unde meliùs coronare poſſit ipſorum merita, remunerando paſſiones ipſorum. Cùm ergo Deus intendat, Auditores, è veneno impiorum educere remedium curandis noſtris malis accommodum, ſatagamus ut creſcente malitiâ impiorum adverſùm nos, creſcat & patientia noſtra, ut digni efficiamur qui aliquando collocemur in granario gloriæ.

* * *

n Iſai. 10. 5. — o 2. Cor. 12. 10. — p Luc. 19. 10. — q S. Aug. in Pſ. 54. — r idem Ser. n. 6. de Verb. Apoſt. c. 10. — ſ Lorin. in Pſ. 8. 3. — t Pſ. 65. 12. — u Matth. 25. 41. — x S. Bon. ſerm. 2. Dom. 4. poſt Epiph. — y ex Luc. 16. 22. &c. — z Matth. 25. 34. — a Rom. 8. 21. — b Jon. 1. 4. &c. — c Dan. 6. 23. — d 3. Reg. 19. 2. — e Matth. 5. 10. — f Gen. 41. 40. &c. — g 1. Reg. 26. 9. — h Gen. 4. 2. &c.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo. Matth.13.31.&c.

SAlvator animarum noſtrarum, qui exivit à *Patre, & in mundum* a venit, ut ſerviret hominibus loco Pædagogi, & doceret eos viam, quam ignorabant, & à quâ peccatum ipſorum, quod ipſos percutiebat cæcitate, faciebat declinare, juxta iſtud Job b, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus; nec reverſi ſunt per ſemitas ejus*: & quem ideò idem Pater æternus dedit *Præceptorem Gentibus* c pro hâc obligatione quòd eum audirent, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* d: & de quo propterea dicit etiam Clemens Alexandrinus e, *Eſt autem Pædagogus noſter Verbum, qui præternaturales animæ affectiones curat per admonitiones*: accommodabat ſe ad captum eorum, & ne ſplendor nimius eos offunderet caligine, & ne ſcientia incognita, eò quòd nimis eſſet alta, mentes illorum quæ ſuſtinendis ipſius luminibus erant inidoneæ, confuſione operiret, conformabat ſe illis quos inſtruebat, ſic ut ipſum poſſent intelligere: & ſicut eos agnoſcebat rudes, ſic utebatur etiam rebus ſenſibilibus & naturalibus, ut ſe meliùs eis præberet intelligendum; ideòque proponebat illis parabolas, quæ abſcondebant veritates, quas edocere volebat eos, *Et ſine parabolis*, concludit Evangelium hodiernum, *non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum erat per Prophetam* f *dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* Et ipſemet aliquantò ante g dicit, *Ideò in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, ut adimpleatur in eis prophetia Iſaiæ* h *dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum i, *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes oculo corporali, non vident ſincerè oculo intellectuali, quoniam excæcavit eos malitia eorum*†. *Vel, Videntes facta & converſationem atque miracula Chriſti, non vident, id eſt, non conſiderant ea eſſe à Deo, ſed Principi dæmonum deputant ea. Vel, Videntes, id eſt, Scripturas veteris Teſtamenti literaliter & ſuperficialiter intelligentes, non vident ſpiritualem & verum intellectum earum propter quod occiduntur à literâ: & audientes prædicationem meam, vel verba Legis ac Prophetarum auribus corporis, non audiunt ea auribus cordis, debitè auſcultando, neque intelligunt ea ſalubriter, ut adimpleatur in eis Prophetia Iſaiæ, dicentis, Auditu corporali audietis ô infideles Iudæi, eloquia Chriſti, parabolicosq; ſermones, & non intelligetis ea veraciter, ſcilicet parabolarum myſteria. Et videntes videbitis opera, humanitatemque Chriſti, & non videbitis oculo interiori operum qualitatem, & ejus Divinitatem. Incraſſatum eſt, obtuſum & carnale factum eſt cor populi hujus, terrenis ac ſenſibilibus inhærendo, prout in Deuteronomio* k *ſcribitur, Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit. Et auribus graviter audierunt, id eſt, ad audiendum verbum Dei aure mentali tardi fuerunt. Et oculos ſuos interiores, videlicet, intellectum clauſerunt, id eſt, influentiæ ſeu irradiationi lucis divinæ, inſtructionique Chriſti incapacem fecerunt, ponendo obicem gratiæ Dei, videlicet, contemptum & infidelitatem. Peccata enim ſeparant mentem à Deo, ut ſint velut murus ſeu janua intermedia inter mentem ac Deũ. Propter quod Ieremias* l *fatetur, Peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis. De talibus ſcriptum eſt, Dicunt Deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus* m. *Nequando oculis cordis videant veritatem, & auribus interioribus audiant ſalutarem doctrinam, & corde intelligant, id eſt, intùs legant, atque ſubtiliter penetrent ſpiritualem ſenſum divinorum verborum, & convertantur ab errore ad veritatem, & à caducis rebus ad ſummum ac incommutabile bonum: & ſanem eos, liberando intellectum à falſitate, voluntatem à pravitate, animum ab omni læſione peccati.* Unde videtis utilitatem & neceſſitatem parabolarum, quæ nos elevant ad cognitionem rerum ſpiritualium & divinarum. Ut autem nobis comparemus illarum intelligentiam, efflagitemus lumina cœli, quæ impetrabimus interventu beatiſſimæ Virginis Deiparæ confeſtim ac ei dixerimus, *Ave Maria.*

a Joan. 16.28. b Job 24. 13. c Iſai. 55.4. d Matth. 17.5. e Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 2. f Ex Pſ. 77.2. g Matth. 13.13.&c. h Ex Iſai. 6.9.& 10. i Dion. Carth. art. 25 in Matth. 13.13.&c. † Ex Sap. 2.21. k Deut. 32.15. l Jer. 5.25. m Ex Job 21.14.

Habemus in Evangelio hodierno duas parabolas, quibus eſt uſus aliàs Dei Filius, turbas alloquens. Prima, eſt grani ſinapis cui comparavit Regnum cœlorum, *dicens, Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* Secunda, eſt ejuſdem Regni cœlorum comparati fermento: *Aliam parabolam locutus eſt eis, dicens, Simile eſt Regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Iſtud Regnum cœlorum, cujus mentio fit in Evangelio noſtro, nihil eſt aliud niſi Eccleſia militans, vocata Regnum cœlorum plurali & linguâ Scripturæ, quæ vocat homines nomine rei quam amant; ſic homines qui nimio affectu terræ adhærent, vocantur terra à Jeremiâ n dicente, *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.* E contrà homines qui alligant omnes affectus ſuos cœlo, & ſoli poſſidere poſſunt illud, vocantur cœli à Pſalmiſtâ o Deum verbis iſtis ſic alloquente, *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine; etenim veritatem tuam in Eccleſiâ Sanctorum.* Super quod Lorinus p ait ad propoſitum noſtrum, *Intelligit etiam ſimul homines ſanctos ex opificio pulcherrimo, & firmiſſimo cœlorum intellectu ac Dei attributa illa, ut ſit mirabilis in operibus ſuis: & fidelis ac ſanctus.* Nomine cœlorum igitur intelliguntur Juſti, qui ſuos in cœlo collocant affectus: & ſicut videmus quòd ſuburbia deferunt nomen civitatum; ſi enim v.g. orti è ſuburbio N. pergeretis Pariſios, aut Lugdunum, & peteretur à vobis, Cujates eſtis? reſponderetis vos ortos eſſe è civitate N. ſic Eccleſia militans, in quâ ſumus, vocatur Regnum cœlorum, quia eſt ſuburbium hujus Eccleſiæ triumphantis, quæ eſt cœlum; ſic non gubernatur ipſa niſi legibus ipſius cœleſtibus. Ipſa vocatur Regnum cœlorum, quia Hebræi

n Jer. 22. 29. o Pſ. 88.6. p Lorin. in Pſ. 88.6.

q Dan. 9. 23

bræi ponunt genitivum loco adjectivi, *Regnum cœlorum*, id eſt, Regnum cœleſte *Vir deſiderioru q.* de Daniele, id eſt, Vir deſiderabilis. Hæc igitur Eccleſia comparatur grano ſinapis & fermento, unde dicit Dionyſius Carthuſianus r poſt Evangelium noſtrum,

r Dion. Carth. art. 25. in Matth. 13. 13. &c.

Simile eſt Regnum cœlorum, id eſt, Eccleſia militans, maximè primitiva quæ fuit parva quantitate ſeu numero, ſed magna virtute ; ideò ſubditur, grano ſinapis, de quo ſinapium exprimitur, quod granum ſinapis accipiens homo agricola ſeminavit illud in agro ſuo, quod granum minimum quidem eſt ex omnibus ſeminibus, id eſt, inter omnia ſemina valdè permodicum, ut patet ad oculum. Cùm autem creverit granum iſtud in agro, majus eſt omnibus oleribus, id eſt, in altius germen creſcendo exurgit, quàm alia ſemina herbarum ſeu olerum, & fit arbor, id eſt, per modum arboris creſcit in altum, ita ut volucres cœli, præſertim parvæ vel mediocres aves, veniant & habitent in ramis ejus quieſcendo ſub illis. Quemadmodum ergo hoc granum quantitate permodicum creſcit in altum : ſic Eccleſia in principio ſui contempta, & numero parva, crevit in populum infinitum, ſeu Eccleſiam toto orbe diffuſam, quando in omnem terram exivit prædicatio Apoſtolorum ſ,

ſ Ex Pſ. 18. 5

ita ut ſub ramis ejus, id eſt, ſub documentis atque auxiliis Eccleſiæ, habitent volucres cœli, id eſt, animæ contemplantes cœleſtia, vel Principes & Magnates hujus ſeculi ad fidem converſi. Sic ergo per hominem ſeminantem intelligitur Chriſtus, vel Prædicator ipſius: per granum, Eccleſia primitiva : per agrum, orbis terrarum, per quem longè ac latè diffunduntur ac ſeminantur fideles, ita ut per Malachiam t *Dominus dicat : Ab ortu Solis magnum eſt nomen meum in Gentibus. Unde in Iſaia* u *ſcriptum eſt, Florebit & germinabit Iſraël, & implebunt faciē orbis ſemine. Aliam parabolam locutus eſt eis, Simile eſt Regnum cœlorum, id eſt, Eccleſia militans, fermento, quod acceptum mulier faciens maſſam pro panibus conficiendis, abſcondit, id eſt, locavit ac miſcuit in farinæ ſatis tribus, id eſt, tribus menſuris farinæ aquâ conſperſæ, ſeu maſſa vel azymi. Satum autem, ſecundùm Hieronymum, eſt menſura Palæſtina, unum modium cum dimidio capiens. Donec fermentatum eſt totum, id eſt, tam diu dimiſit mulier fermentum in maſſâ, quouſque tota fermento permixta eſt, atque conveniens facta, ut de eâ fieret panis.* Hoc ad litteram planum eſt. *Spiritualiter verò per fermentum intelligitur Evangelicæ Legis doctrina, per quam corda hominum bonum ſortiuntur ſaporem, ut guſtent quàm dulcis eſt Dominus* x,

t Malach. 1. 11
u Iſa. 27. 6

x Ex Pſ. 33. 9

& rectè de omnibus judicent, quemadmodum maſſa ex commixtione fermenti redditur apta, ut de eâ ſaporoſi panes effici poſſint. Mulier verò, eſt Sapientia Dei incarnata, vel ipſa Eccleſia ac Prædicatorum diligentia. Tria ſata ſignificant diverſa loca, in quibus fideles converſi ſint, vel carnem, ſenſualitatem, & rationalem animæ partem; vel partem intellectualem, vim concupiſcibilem, & iraſcibilem. His tribus ſatis, hæc mulier infudit Evangelii documenta, donec totum fermentaretur, id eſt, tria hæc convenirent ac conſentirent in idem; Deo unanimiter ſerviendo, ita ut caro & ſenſualitas rationi, & ratio Deo obediant, ſicque ſimul ſint unum in Chriſto, & unus panis, ſicut Apoſtolus y *dicit, Unus panis, unum corpus multi ſumus.*

y 1. Cor. 10. 17

Quamvis autem doctrina Evangelica non ſit ſubjectivè niſi in rationali parte animæ: redundat tamen, effectumque habet in ſenſitivâ parte & carne, & ſic in eis abſcondi dicitur vel infundi. Sed omiſſis iſtis omnibus convenientiis ſpecioſis, ſiſto duntaxat ſuper conſilium quod formavi de parabolis loquendi, quærens rationes propter quas Dei Filius illis utebatur, cùm loquebatur turbis. Videbimus igitur, Primò, quòd ipſe inſumebat iſtum loquendi modum parabolicum in gratiam auditorum ſuorum. Secundò, quòd ſi hi non proficiebant hujuſmodi parabolis conformiter ad ipſius intentiones, id erat aſcribendum propriæ ipſorum culpæ, cùm non afferrent diſpoſitiones neceſſarias ad ſuſcipiendum & faciendum fructificare in cordibus ſuis ſemen iſtud cœleſte & divinum.

Diviſio.

Dico igitur primò quòd *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* z beatus ab æternitate, volens *ubi venit plenitudo temporis* †, præ amore ſe reddere mortalem & miſerum propter ſalutem hominum, quos veniebat edoctum eadem peragere, & ſciens quòd in hoc ſtatu ſplendenti gloriæ ſuæ æternæ erat illis velut incognitus, ſicut ipſi dicebat Iſaias a, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator :* & quòd cùm eſſet Verbum Patris ſui, ab ipſo productum ex ipſo puncto indiviſibili beatæ æternitatis, fœcunditate divinæ mentis ipſius, non erat ſatis intelligibile mentibus humanis, voluit *caro* b fieri, ut Verbum hujuſmodi divinum redderetur ſenſibile per Verbum creatum, & homines meliùs proficerent documentis ipſius, quæ non ſuperarent ipſorum captum. Ideòque ferè nunquam Jeſus Chriſtus loquebatur Judæis populo rudi & ſtupido abſque parabolis, ſeu comparationibus eductis è rebus naturalibus, ut meliùs intelligendum præberet eis illud quod eos edocere volebat, *Et ſine parabolis non loquebatur eis.* Appoſitè autem Dei Filius utitur metaphoris, abſcondens nobis res ſpirituales ſub ſymbolo rerum corporalium in Scripturis: providet enim unicuique ea quæ ipſam condecent juxta naturam ſuam : atqui naturale eſt homini ut veniat in notitiam rerum ſpiritualium per res ſenſibiles, cùm tota noſtra cognitio principium ſuum trahat è ſenſibus, juxta axioma Philoſophicum, *Nihil eſt in intellectu, quòd priùs non fuerit in ſenſu.* Unde apprimè, ſicut videtis, res ſpirituales nobis exhibentur cognoſcendæ ſub metaphorâ rerum corporalium: *Neque enim aliter divinus radius, niſi & ſacroſanctorum integumentorum varietate aptè ad erigendas in cœlum mentes obtectus, & paternâ in nos curâ ac providentiâ aptè accommodatéque diſtinctus atque comparatus nos illuſtrare ullo modo poteſt*, ait S. Dionyſius c. Præterea, Iſtud eſt proprium Scripturæ ſacræ, quia ipſa eſt omnibus indifferenter expoſita, juxta iſtud verbum S. Pauli d dicentis, *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Ad hoc ut rudes aliquam ſibi poſſint ipſius cōciliare notitiam, qui aliter nihil ipſius poſſent intelligere: unde videtis, ut ſuprà dixi, utilitatem & neceſſitatem parabolarum, quæ nos elevant ad notitiam rerum ſpiritualium & divinarum. Ubi, ſi placet, obiter obſervabitis, quòd nomen iſtud, parabola, eſt terminus Græcus, quo nihil aliud innuitur Latinè, niſi, comparatio, ſeu ſimilitudo; quia denotat exteriùs rem, & interiùs alteram tegit, qualis eſt Evangelica noſtra parabola, quæ exteriùs non loquitur niſi de grano ſinapis, & tamen interiùs abſcondit magna & myſterioſa ſecreta. Sic aliàs mos invaluerat in Syriâ, & in Paleſtinâ, miſcendi parabolis univerſos ferè ſermones ut id quod ab auditoribus retineri non poterat cum ſimplicibus conceptibus & ſermonibus qui pronunciari poſſent, remanere poſſet impreſſum memoriæ interventu ſimilitudinum & exemplorum, quæ reddunt doctrinam & clariorem, & faciliorem comprehenſu. Re autem verâ methodus iſta docendi eſt valdè idonea & accommoda iis præcipuè

z Joan. 1. 18
† Gal. 4. 4
a Iſa. 45. 15
b Joan. 1. 14
c S. Dion. lib. de Cœl. hier. c. 1
d Rom. 1. 14

cipuè qui ſunt illiterati: quia, cùm Author naturæ & gratiæ ſit idem, multæ phraſes gratiæ conveniunt cum phraſibus naturæ; & facilè pervenimus ad intelligentiam illarum per notitiam iſtarum; & per res ſenſibiles naturæ diſcimus myſteria abſcondita gratiæ; cùm terra nobis ſerviat ad hoc ut nos elevet in cœlum: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* ait S. Paulus e. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus f. *Inviſibilia enim ipſius, id eſt, divina natura incorporea ſimplex & inviſibilis, & perfectiones ejus, quæ naturaliter ſciri poſſunt, videlicet, juſtitia potentia, providentia, &c. quæ dicuntur inviſibilia Dei, quoniam licèt ſint unum in Deo, & ipſa divina Eſſentia, tamen ſecundùm rationem diſtinguuntur, diverſimodè ſignificantur, & per diverſa cognoſcuntur: hæc ergo inviſibilia Dei, à creaturâ mundi, id eſt, ab homine qui inter creaturas hujus ſenſibilis mundi primatum ſortitur: de quo Dominus dicebat, Prædicate Evangelium omni creaturæ* g. *id eſt, omni homini: per ea quæ facta ſunt, id eſt, per res creatas intellecta, id eſt, intellectualiter contemplata (oportet enim inviſibilia Dei intellectuali puroque oculo intueri) conſpiciuntur, id eſt, agnoſcuntur. Vel per ea quæ facta ſunt, intellecta, id eſt, per creata rite conſiderata; ſempiterna quoque virtus ejus, id eſt, æterna poteſtas Dei, & Divinitas ab homine conſpiciuntur, per ea quæ facta ſunt, non utique per ſpeciem, vel quid ſint, ſed quia ſunt, & quid non ſunt. Cùm enim omnis creatura ſit quædam radius ſui Creatoris, & omnis effectus ſit quædam participata ſimilitudo ſuæ cauſæ (quoniam unumquodque producit ſibi ſimile) certum eſt quòd ex natura creata aliquo modo cognoſcatur increata natura. Videntes quippe Philoſophi ordinem eſſe in rebus, & quòd unum procedit, cauſatur & gubernatur ab aliis, pervenerunt ad notitiam unius primi, ſummique Entis, quod oportuit eſſe æternum, perfectum, & independens. Ex uniformi quoque motu cœleſtium corporum, & ſtabili conſiſtentiâ mundi atque gubernatione inferiorum à ſuperioribus perpenderunt eſſe in univerſis unum quendam ſummum Proviſorem, Dominatorem ac Principem. Quàm multa autem vera, profunda, ac mira agnoverint Plato cum ſuis, & Ariſtoteles cum Peripateticis de inviſibilibus Dei, de ſempiternâ virtute ac Divinitate ipſius, patet in libris eorum. Sed & Proclus Platonicus in Elementatione ſuâ Theologicâ de Deo atque Divinis ſubtiliſſimè loquitur, quàmvis in multis aberret. Prædictis autem verbis Apoſtoli conſonat illud quoque Sapientiæ, A magnitudine ſpeciei creaturæ poterit Creator horum cognoſcibiliter videri* h. *Omnia enim (ut Salomon ait) propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* i. *Scilicet ut in creaturis divina majeſtas atque perfectio relucerent: ſicque ex conſideratione creaturarum incitaretur homo ad contemplationem, amorem, ac reverentiam Creatoris. Hinc ſcriptum eſt, Fecit Deus opera ſua, ut timeatur* k. *Et iterùm, Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc* l. Proptereà Salvator animarum noſtrarum, divinus iſte Magiſter utitur eleganter & appoſitè multis ſpecioſis parabolis & doctis comparationibus rerum materialium, ad danda eis documenta moralia & Theologica, quæ ſunt abſcondita ſub his corticibus & ſymbolis parabolarum: & cùm ſe feciſſet hominem, ut ſe ſenſibiliorem redderet cognitionibus noſtris, & gloriæ ſuæ ſplendorem temperaſſet velo naturæ noſtræ quâ ſe operuerat, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* m, loquitur etiam nobis familiariter, & ſub terminis intelligibilibus, cùm non ſint ultra captum mentium noſtrarum,

e Rom. 1. 20
f Dion. Carth. art. 4. in Rom. 1. 20
g Marc. 16. 15
h Ex Sap. 13. 5
i Ex Prov. 16. 4
k Ex Eccl. 3. 14
l Iſai. 40. 26
m Philipp. 2. 7

Amor igitur quo diligit nos, efficit ut induatur ad ſublevandam naturam noſtram, & ad ſe faciendum talem quales nos ſumus, ut nos reddat tales qualis ipſe eſt.

Hæc eſt una è rationibus, quæ juſtificat modum procedendi ipſius, quæ nobis eſt perutilis, ſi illâ nos reddamus dignos. Sed ecce ſecunda ratio: Jeſus Chriſtus uſus eſt parabolis, ut ſuſciperemus ipſius doctrinam præ majori reverentiâ: res enim non ſunt tantùm pretioſæ, niſi quantùm ſunt raræ; & illud quod eſt commune & cognitum omnibus, non ampliùs tanti æſtimatur; & facillimè negligitur, quia tritum eſt: proptereà non ita propalantur & publicantur res ſpecioſæ; & pretioſiſſimæ quælibet manent magis abſconditæ, & vela quæ ipſas operiunt, nobis reddunt eas deſiderabiliores, cùm ſint minùs cognitæ; & tam in ordine naturæ quàm in ſtatu gratiæ, quidquid eſt pretioſum, latet. V. g. gratia in Baptiſmo non videtur, ſed aqua n duntaxat aſpicitur, & verba ſenſibilia audiuntur: aurum in foſſilibus, deliteſcit in viſceribus terræ: conchæ unionum matres manent reconditæ in abyſſis maris: quin imò & ars ipſa tenet abſconditum id quod habet ipſa ditiſſimum. Deus vult ut revereamur ipſius doctrinam, proptereà nobis illam tegit involucris, & includit eam ſub parabolis; ſicut videmus quòd reliquiæ Sanctorum, ad hoc ut majori dignæ habeantur veneratione, collocantur in arcis argenteis & aureis, cum margaritis, quæ pretium ipſarum magnificant: atqui nunquam fuerunt, nec unquam erunt reliquiæ adorabiliores, aut digniores adorabili corpore Jeſu Chriſti, quod nobis eſt abſconditum ſub ſymbolis panis o, & oraculis ſacris, quæ exierunt ex ore ejus, quæ abſcondit ipſe ſub parabolis & ſimilitudinibus, ut ſuſciperentur à nobis præ majori reverentiâ, & præ ingentiori deſiderio habendæ cognitionis eorum: omnis enim homo ſemper ſcire deſiderat, & ſi Scriptura eſſet omnibus aperta, nemo eſſet ſolicitus de conciliandâ ſibi ejus intelligentiâ, ſed minoris eam æſtimaret, cùm foret ut ſic ipſa communis: & Deus qui vult ut ipſa ſit nobis pretioſa, & ut ſtudeamus habendæ cognitioni illius, nobis eam abſcondit, nec illam nobis exhibet intuendam niſi ex tranſverſis velis, ſub ſymbolis, parabolis, & ſimilitudinibus.

Si videretis Principem, qui præ manu ſuâ deferret enſem evaginatum, procul dubio judicaretis, quòd in hoc ſtatu iste ipſe ſtatuit patrare homicidia, & reddere aliquem victimam paſſionum ſuarum; ideòque ut neminem timore percellat, nec ullum inducat ad ſtandum longè ab ipſo, defert eum in vaginâ ſuâ, quod eſt nota pacis, & quòd contra neminem attentat aliquid damnoſi, ſed quòd unicuique liberum dat acceſſum ad thronum ſuum: gladius Jeſu Chriſti, *qui eſt Princeps regum terræ* p, *& habens in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* q, enſis ejus, inquam, qui operatur effectus admirabiles, qui *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit* r, cùm ipſi placet, non eſt aliud quàm divinus ipſius ſermo, ſicut hoc S. Paulus ſ inſignit illum nomine, dicens, *Aſſumite gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei*. Volens igitur ut homines ſuæ mititatis opinionem conciperent, cùm ipſe dixerit, *Diſcite à me, quia mitis ſum* t, & ne repellerentur ab acceſſu ipſius præ nimiâ ſeveritate, incluſit illum gladium, id eſt, ſermonem ſuum ſub parabolis, poſuit enſem

n Joan. 3. 5
o Joan. 6. 52
p Apoc. 1. 5
q Apoc. 19. 16
r 1. Reg. 2. 6
ſ Epheſ. 6. 17
t Matth. 11. 29

ſuum in veginâ ſimilitudinum, quibus utitur ut
nos trahat ad ſe præ majori manſuetudine. Hæc
eſt elia ratio quæ nos edocet finem quem Deus
habuit loquendo nobis terminis iſtis, qui ſunt
utiliſſimi nobis, cùm ſerviaot ad dandam nobis
intelligentiam clariotem bonitatis Domini no-
ſtri. Videte quomodo in omnibus ipſe procuret
commoda noſtra, quæ ipſe vult eſſe inſeparabi-
lia à gloriâ ſuâ: modus procedendi, finis, & in-
tentiones ipſius non vergunt niſi ed bonum no-
ſtrum, & oſtendunt quòd ipſe non agit niſi pro-
pter utilitatem noſtram, & ut ſic nos inducit ad
exhibendam majorem doctrinæ ipſius reveren-
tiam.

II. Pars. Quidqoid ſit, obſervate ſi placet, Auditores,
pro ſecundâ conſideratione diſcurſus iſtius,
quòd *accedentes diſcipuli dixerunt ei, Quare in pa-
rabolis loqueris eis? Qui reſpondens, ait illis, Quia vobis
datem eſt noſſe myſteria Regni cælorum: illis autem
non eſt datum* u. Quaſi diceret eis, Iſtud eſt gratie
u Matth. 13.10.& 11. particularis quæ vobis conceditur, & favor vo-
bis ſingularis: non pertinet niſi ad Electos & *a-
micos* x, fieri participes ſecretorum Principis
x Joan. 15.15 ſui; reprobi & inimici hujuſmodi ſecretis intel-
ligendis ſunt protſos indigni. Videtis, Audito-
res, ex hoc reſponſo, quòd Jeſus Chriſtus uſus eſt
parabolis io favorem Electorum propter ratio-
nes quas attuli: iis tamen utebatur ob pœnam &
demeritum reproborum, qui propter crimina
ſua ſe reddebant indignos intelligentiâ doctri-
næ ipſius, dereliquens eos in eâdem cæcitate, &
in iiſdem tenebris, in quibus illos reperetat,
ſciens quòd cognitio non ſerviret niſi ad eos
reddendos criminoſiores propter contemptum
quem facturi eſſent ipſius. Hæc eſt Theologia S,
y 2.Cor.4. 3.& 4 Paoli y dicentis, *Quòd ſi etiam opertum eſt Evange-
lium noſtrum: in iis qui pereunt, eſt opertum, in quibus
Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non
fulgeat eis illuminatio Evangelii gloria Chriſti, qui eſt
imago Dei.* Apoſtolus Evangelium vocat Evange-
lium gloriæ Jeſu Chriſti: quia Deus illud fecit ed
utilitatem animarum: & Deus æſtimat glorio-
ſam rem ſibi ac habere unde nobis benefaciat.
Per infideles intelliguntur etiem peccatores in-
durati: ideòqoe loquebatur impiis cum parabo-
lis, ne fortè mejora patrereot crimine, ſi ſemel
edocti doctrinam ipſios, tenuerent in praxim re-
digere ſancta ipſius documenta, cùm dicat S. Ja-
z Jacob. 4.17 cobus z, *Scienti bonum facere, & non facienti, pec-
catum eſt illi.*

Ex hâc Apoſtoli Theologiâ poſſumus inferre
qoantum malum ſit iis, qui audientes verbum
Dei, non conantur illud in praxim redigere,
còm in illos ingrediatur ſermo Dei, ſicut dicitur
per onam eurem, & egrediatur ex eis per alte-
ram. Nihil eſt ac audire, niſi redigatur in praxim
id quod auditum eſt. *Beati qui audiunt verbum Dei,
a Luc. 11. 28 & cuſtodiunt illud* a. Reqoiritur manus cum au-
re, hæc ſine illâ non ſervit niſi loco condemna-
tionis, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum
b Rom. 10.17 Chriſti* b. *Et fides ſine operibus mortua eſt* c. Neceſſa-
c Jacob. 2. 18 ria eſt fides cum operibus; oportet audire ver-
bum Dei, & illud exequi quod ipſum præcipit.
Heu! quàm ingens eſt numeros eorom qui re-
vertuntur è concione eodem modo quo in eam
venerunt, æquè frigidi & indevoti ac anteà;
non ſunt ſoliciti de ingrediendâ notitiâ myſte-
riorum quæ ipſis annunciantur: affectant igno-
rare veritates, ut peccent præ majori libertate,
ſed non præ minori crimine: ſi pergunt ad con-
cionem, ad eam vadunt quaſi præ oblectatione,
eunt auditum verbum Dei ſicut rem indifferen-
tem, velot diſcurſum ritè concionatum, vel ut
actionem theatricam. Deus queritur de impie-
tate hojuſmodi hominum per Prophetam ſuum
Ezechielem d, quem ipſe ſic alloquitur, *Fili ho-* d Ezech. 33.30, &c.
*minis, filii populi tui, audiunt ſermones tuos, & non
faciunt eos: Quia in canticum oris ſui vertunt illos. Et
es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulcique ſono
cantatur. Quaſi diceret*, ſubdit Cornelius e, *Audiunt* e Cornel. in Ezech. 33.32
*te voluptatis & recreationis ergo, non doctrinæ, ut vi-
tam corrigant, quaſi audirent te ſcitè pulſantem in-
ſtrumentum muſicum, ſolo concentu delectati.* Cur i-
gitur mirabimur, Auditores, ſi ſic exiguum vi-
deamus progreſſum, & quòd Dei verbum ſic pa-
rùm proficiat? Ratio iſtius eſt, quia homines non
interſunt ei cum diſpoſitione cordis quæ eſſet
neceſſaria: ſemen illud divinum cadit *in petroſa* f f Matth. 13.5.&c.
corda, quæ non habent humorem gratiæ, & ideò
nullum fructum producit. Et de ſingulis iſtis præ-
dixit Job g. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis* Hoc g Job 41. 15
ignitum Eloquium vehementer h, extinguitur ab
h Pſ. 118. 140 eorum interiori, quod non eſt niſi glacies; om-
nia lumina ejus offunduntur caligine propter
tenebras, quibus illa corda ſunt obvoluta: homi-
nes hujuſmodi indurati invalidum reddunt ſer-
monem Dei, auferunt ab eo effectum ſuum per
indiſpoſitionem ſuam. Iſte defectus accuſat indi-
ſpoſitionem auditoris. Ecce defectus alius qui
criminis inſimulat vel ipſum Prædicatorem.

Ille qui audit verbum Dei, ductus ſpiritu cu-
rioſitatis, ut ſatisfaciat ſenſibus ſuis, conſcius eſt
profanationis, cùm inſumat rem ſanctam in u-
ſum qui non eſt ſacer: & Prædicator qui favet
conſiliis, quæ voco criminoſa, reprehenſibilis
eſt, & meretur punitionem eorum, qui *adulte-
rantes verbum Dei* i, eripiunt ei virtutem & ener- i 2.Cor.2. 17
giam, quam dat ipſi naturalis ſua ſimplicitas. I-
ſaias k loquens de ubertate pacis, quam erat al- k Iſai. 2.4
laturus hominibus adventus Meſſiæ in mundû,
dicit, *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas
ſuas in falces.* Quaſi diceret, quòd pax ſic futura
eſſet univerſalis, ut gladii deinceps forent inuti-
les, nec ampliùs eſſent ſervituri ad primum u-
ſum ſuum, ſed deſtinandi eſſent ed concionen de
ex ipſis inſtrumenta, quibus terra coleretur. Spi-
ritus ſanctus utitur hoc eodem loquendi modo,
ut diſcamus quomodo colere debeamus corda
noſtra, eaque bonis operibus reddere fœcunda.
Per gladios intelliguntur diſcurſus politi, pe-
riodi quadratæ, verba concinna, quæ nihil con-
tribuunt ed bona opera, quæ reddunt corpus
molle, & ſpiritum puſillanimum, quandiu vo-
meres, quibus innuuntur verba ſimplicia & nu-
da, ſont efficaces, & bonos ac uberes fructus pro-
ducunt. Ideòque ſi Prædicatores progreſſum fa-
cere velint in vineâ Dei, oportet ut conflent è
gladiis ſuis vomeres, id eſt, mutent ſpecioſa ver-
ba, quæ nihil aliud egunt qoàm blandiri auri, in
verba fortia, quæ ſanent ſemper eos quos percu-
tiunt, ita ut eos non proſternant *in terram* l more l Act. 9.4. &c.
Sauli, quàm ut illos glorioſiùs deinde ſublevent.
Hæc erat praxis S. Paoli, qui ita ſe præclarè geſ-
ſit io militiâ ſpirituali: *Nam arma militiæ noſtræ
non carnalia ſunt: ſed potentia Deo ad deſtructionem
munitionum* m. Quique ſic perſæpè dedit vitam m 2.Cor. 10.4
mediis armis iſtis, quæ nonquam ſunt meliora,
quàm cùm majorem cædem patrant. Audite
quomodo inde glorietur ipſe, dicens, *Sermo meus,
& prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſa-
pientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: ut
fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in vir-*

tute

Digitized by Google

n 1.Cor. 2.4.& 5

tate Dei n. Ipſe non habebat niſi verba ignis conſumentia, quæ commovebant conſcientias vel induratiſſimas, *Vox Domini concutientis deſertum* o.

Pſ. 28.8

Hæc enim omnia ſpecioſa verba non poſſunt accendere hunc ignem, de quo Dei Filius ait, *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi ut accendatur* p? Id eſt, in cordibus hominum. Requiruntur vomeres ad colendas terras, non autem enſes: alioquin hujuſmodi terræ nihil producent: neceſſaria ſunt verba nuda ad faciendum fructificare corda, non autem ſpecioſa verba, quæ ſunt inutilia quantùm ad converſiones peragendas. Salvator animarũ noſtrarum, qui debet eſſe Prototypon Prædicatorum, nunquã uſus eſt niſi verbis ſimplicibus, ſed vivis, & animatis zelo. Et ſi Apoſtoli, qui *in omnem terram* q tulerunt fidem, voluerunt eam ſtabilire; ſi prædicaverunt *Chriſtũ crucifixum* r, & doctrinam ejus; ſi plantaverunt Evangelium in regionibus, ubi regnabat idololatria cum tanto imperio: iſtud peregerunt cũ ſimplicitate verborum: & quantumlibet humana curioſitas, diſcurſus eorũ reprehenderet impolitos, nec ad modum Aulicorum concinnatos, illi qui contemnebant eos in principio, tandem cõmovebantur ex hâc auſteritate verborum; Principes amplectebantur fidem; & ipſi vel Oratores qui videbantur magis debere faſtidire ſermones hujuſmodi, ſuſcipiebant Evangeliũ è linguis iſtis ſimplicibus, convicti ab eorum eloquentiâ, quæ non erat humana. Utquid igitur Prædicatores non imitabuntur magnos iſtos viros? Pudebitne eos agere ad eorum imitationem? Volentne reprehendere illorum procedendi modum quaſi parùm rectæ rationi conſonum? Edocebũtne eos lectionem praxis contrariæ? Nequaquam, ſed ſequi debent illorum ſtylum, ut cuſtodiant populos in pietate religionis, cujus primas flammas effuderunt illi ſuper homines. Si ab hoc recedant procedendi modo, enervant verbum Dei, famem conſtituunt in Eccleſiâ, quia ſermones ipſorum non paſcunt; ſcandalizant animas quæ quærunt ſalutem ſuam, offendunt veritatẽ (quæ nunquam ſic eſt ſpecioſa quàm cùm eſt nuda) ornando eam more mendacii, quod non ſuſcipitur niſi interventu ornamentorum ſuorum; ipſi ſeipſos inhonorant profanando vanis curioſitatibus ſanctitatem miniſterii ſui. Oportet, ut eadem bona cuſtodiantur eâdem induſtriâ, quæ priùs ſervivit ad ipſa acquirenda: Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli ipſius non inſumpſerunt niſi verba ſimplicia ad converſionem populorum: oportet igitur ut Prædicatores adhibeant eadem media ad eorum conſervationem.

p Luc. 12 49.

q Pſ. 18.5

r 1.Cor. 1. 23

Heu! quàm deplorabile eſt viſu animam quæ Deum deguſtat, Prædicatorem ſedentem in cathedrâ, ibique garrientem more pſittaci, & picæ, & nihil præ ſe ferentem niſi vocem, ita ut ipſi poſſit adaptari inſcriptio philomelæ, *Vox, & prætereà nihil.* Prædicatorem, inquam, niveum, qui derelinquit animas more glaciei conſtrictas, quique non videtur aſcendere cathedram niſi ad conciliandum ſibi applauſum & ventum mediis verbis aliquibus ponderatis, limatis, concinnatis, & pronunciatis in hunc finem. Quàm deplorabilis es Prædicator, quàm ſiniſtra eſt intentio tua, ſi ipſa nihil habet aliud quàm laudes pro fine. Heu! ſi ita ſe res habet, recepiſti *mercedem* ſ tuam pro omnibus laboribus & vigiliis tuis, cùm eam ſuſcipias ab hominibus. Prædicatio inſtituta eſt ad illuminandum intellectum, & ad inflammandam voluntatem: qui alios habet fines, infelix eſt, & nihil debet expectare ex omnibus ſtudiis ſuis, niſi confuſiones. Utinam Domini Prælati præ ſe ferrent ſatis zeli ad medendum abuſui, qui ſic damnoſus eſt Reipublicæ. Quòd ſi homines taceant, Deus loquetur, & verba ipſius, erunt verba maledictionis. Auſcultate, ſi placet, quomodo loquatur per Jeremiam t, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Opus Dei per excellentiam, eſt ſalus animarum; iſtud eſt opus ad quod operandum ipſe exivit *à Patre, & in mundum* u venit. *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* x. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* y. Væ igitur ei, qui circa opus iſtud ſe gerit cum fraude. Et quiſnam eſt ille, ſi placet, niſi Prædicator, qui nihil aliud quærit quàm blandiri auribus, & auras populares ſibi conciliare? Ecce vir diſertus, inquiunt omnes; quàm facundè loquitur, periodi ejus ſunt benè compoſitæ, & verba illius ritè ordinata, nullum eſt verbum ſuperfluum in diſcurſu ipſius, & quidquid ipſe fatur, exactum eſt ad ſtateram. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* Et quare? *Quia prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Heu! utitur ipſe reſervatione, non corripit vitium, non invehitur adversùs peccatum, nec ſtylum infigit ad carnem vivam uſque. Quantùmlibet inclamet æger voce contentâ, ſævitia eſt in hoc uti miſericordiâ: eruendæ ſunt ex oculis hominum peccatis laborantium lacrymæ, quæ ſunt ſanguis cordis, inducendi ſunt ad flendum præ contritione ſe offendiſſe Deum, ſe miſerabiliter ſuis animabus mortem intuliſſe, *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* z. Se reddidiſſe ſemetipſos captivos Satanæ ut ſic, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* a. Et, *Servus namque peccati, ſervus eſt tot dominorum, quot vitiorum* b. Et, *Magnus dæmon peccatum eſt* c. Et ſe effeciſſe ſeipſos ſtipendiarios inferni interventu culparum ſuarum, & conſequenter dignos qui eant in *ſupplicium æternum* d. Iſtud eſt infigere gladium ſanguini, & evitare maledictionem, quam Deus vibrat ſuper Prædicatorem, qui iſtis muniis non perfungitur, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, & prohibet gladium ſuum à ſanguine.*

ſ Matth. 6. 2. &c

t Jer. 48. 10

u Ioan. 16.28

x Luc. 19 10

y Apoc. 1.5

z Ezech. 18.4. & 20

a Ioan. 8. 34

b Cellen. lib. de Panib. c. 15

c S. Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matth.

d Matth. 25.46

Deus alloquitur Concionatores in perſonâ Iſaiæ e, & ait illis ſingulis, *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Alloquitur eos præcipuè, & illis jubet, ut annuncient fidelibus Chriſtianis ipſorum puſillanimitatem & ingratitudinem, & oſtendant eis quantam ſuis irrogent animabus injuriam, prodendo felicitatem ſuam interventu criminum, quæ ipſos condemnant. Hoc eſt mandatum, Auditores, quod Deus mihi præcipit ut dicam vobis, quòd ſi continuetis ipſum offendere, ex hoc ergaſtulo pergetis in carcerem auſteriorem, & ubi pœnæ ſunt incomparabiliter ingentiores, nimirum, *in ignem æternum* f. Heu! ſi pallet unuſquiſque ad acceſſum carnificis, ſi nemo eſt qui tremore non concutiatur ad aſpectum rerum horribilium; quiſnam pallore non ſuffundetur, & ſtrem tu non percelletur, cùm ibit *in ſupplicium æternum* g, & obvios habebit dæmones horribiles, quibuſcum ſempiternam cogetur invitus inire ſocietatem? Impie peccator, hæc pœna æterna tibi reſervatur, niſi depravatis tuis remedium afferas moribus, niſi in bonam emendatæ vitæ te recipias frugem, niſi tuorum pœnitentiam per-

e Iſai. 58.1

f Matth. 25.41

g Matth. 25.46

peragas peccatorum: iſtud eſt, quod teneor tibi dicere. Etiam, Auditores: iſtud eſt officium meum, hoc eſt quod Deus mihi præcipit, & ipſum eſt etiam quod adimplere deſidero. Utquid enim blandirer morbis, qui ſunt extremi? Quare parcerem voci meæ, cùm alloquar ſurdos, qui obturant aures ſuas, lethargicos, qui ſunt inſenſibiles, niſi adhibeatur violentia ad ipſos excitandos; phreneticos qui renuunt ſanitatem quæ ipſis offertur, qui iraſcuntur adversùs Medicum quique præ omnibus concupiſcunt id quod ipſis eſt maximè noxium: Ha! clamandum eſt, veniendum eſt ad ignea remedia æquè, ac ad inciſiones, cùm in hoc ſuavitas, ſit crudelitas.

Etiam, Salvator mi: hoc tibi promitto; volo ut verba mea ſint verba ignea, verba fortia ad concutiendas conſciẽtias ſecuras in criminibus tuis et animato verba mea gratiâ tuâ; alloquar has rupes *h* animatas, hæc corda indurata, has animas obſtinatas in peccatis ſuis; immergam linguam meam ſanguini hujuſmodi peccatorum rebellium, ne incurram maledictionem tuam; ad exẽplum tuum accommodabo me ad captum eorũ, ut me reddam meliùs intelligibilem; fiam *omnibus omnia, ut omnes ſalvos* i faciam. Tange illos inſpirationibus tuis, ut cooperantes gratiæ tuæ, ſic ritè proficiant verbo tuo, ut virtute ejus mereantur aliquando gloriam tuam.

h Num. 20.8
i 1. Cor. 9.22

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Voca operarios, & redde illis mercedem, Matth. 20. 8. &c.

SIcut Deus ab æterno cogitationes habuit nobis proficuas, *In charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te miſerans* a: ita nullum tranſigitur momentum, quo ipſe ſuis non devinciat nos beneficiis. In æternitate ipſe nos elegit, & in tempore vocat nos, ut interventu laboris noſtri cooperantes gratiis ipſius, juſtificemur, & conſequenter glorificemur: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit* b. Suum vult ipſe nobis dare paradiſum non ſolùm ſub qualitate hæreditatis, ſed etiam ſub titolo mercedis: propterea requirit à nobis ut collaboremus ad illum merendum, & ad nos reddendos eo dignos: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* e. Ut autem nos meliùs obſtringat ad id quod ipſe exigit à nobis, prior ipſe facit id quod vult nos edocere. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d *ubi venit plenitudo temporis* e, totam vitam ſuam tranſigit *in laboribus à juventute* f ſuâ, quos non terminat niſi in monte Calvariâ, dicens, *Conſummatum eſt* g. Poſtquàm illos incepit *in utero* B Virginis confeſtim ac *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria.*

Deus apprimè ſcit, quòd otium eſt origo omnium vitiorum, inimicum animæ, & fortiſſimum ſalutis ejus obſtaculum: propterea volens inſtituere regnum virtutum in Chriſtianiſmo, ibi publicat laborem, nec mercedes pollicetur niſi bonis operariis, *Voca operarios, & redde illis mercedem.* In cælo, quod eſt domicilium ſanctitatis, (quippe in quo clamant *Seraphim alter ad alterum, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum* i) & quod ſervire debet velut prototypon rebus omnibus inferioribus, totum vacat actioni, nihil eſt ibi otioſum, & operatio Dei non eſt minùs antiqua quàm ipſius æternitas. Ab æterno Deus Pater ſemetipſum cognoſcens fœcunditate mentis ſuæ divinæ producit Filium ſuum qui ideò ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* k, Filius iſte diligit principium, quod communicavit ipſi abſque ullâ reſervatione univerſas perfectiones ſuas: & ambo concurſu ſuæ voluntatis ſpirant *Spiritum veritatis* l, qui eſt terminus amoris ipſorum: ita ut ab æterno Deus operetur intra ſe, & mente ſuâ, quæ ſunt, ſecundùm noſtrum modum concipiendi, duo principia operationum ipſius ad intrà. *Propterea dum perſequebantur Iudæi Ieſum, quia faciebat in Sabbatho* miracula, idem *Ieſus reſpondit eis, Pater meus uſque modo operatur, & ego operor* m. Quaſi diceret, Pater meus nunquam fuit otioſus in æternitate, ſicut nec ego ſum otioſus in tempore: ipſe ſemper eſt operatus in cœlo, non ſecus ac ego operor in terrâ. Et Spiritus ſanctus qui eſt principium ſanctificationis, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis,* ait nobis S. Paulus n: & deinde, *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* o: ſemper agit, & jugiter inducit ad motum ſubjectum quod ipſe honorat: & in nativitate ſeculorum, *ferebatur ſuper aquas* p, ut eas ardoribus ſuis fœcundas efficeret. Id eſt, ait Cornelius q, *Voluntate ac potentiâ ſuâ, cum aurâ calidâ quam à ſe ſpargebat, aquis quaſi incubabat Spiritus ſanctus, eiſque vim prolificam indebat, ut reptilia, volatilia, piſces & germina; imò cæli omnes ex aquis producerentur. Allegoricè hic ſignificatur Spiritus ſanctus aquis Baptiſmi quaſi incubans, iiſque nos parturiens & regenerans,* inquit S. Hieronymus r. Nec priùs Angeli creati ſunt, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux: In quâ naturâ intelliguntur omnes Angeli ſancti atque Virtutes,* ait S. Auguſtinus ſ: cùm ſe viderunt alligatos actioni, *Et factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone* t, ad ſtabiliendam felicitatem, quâ nunc fruuntur, & ex tunc inſumpſerunt omnem potentiam ſuam ad contemplandum & diligendum Authorem ſuæ beatitudinis, qui eſt ipſemet Deus, ſicut Patri ſuo *Ieſus, ſublevatis oculis in cælum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* u. Præterquàm quòd ipſis commiſſa eſt rerum inferiorum cura, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* x? Cœli ſunt in continuis motibus: & terra, licèt im̃obilis ex naturâ ſuâ, *Terra autẽ in æternũ ſtat* y, non deſinit propterea agere, cũ producat flores, & nobis provideat fructus fovendæ vitæ noſtræ accommodos: quin imò & ipſa entia muta & inſen-

a Jer. 31. 3
b Rom. 8. 29. & 30
c Rom. 8. 16. & 17
d Philipp. 2. 7
e Galat. 4. 4
f Pſ. 87. 16
g Joan. 19. 30
h Luc. 1. 28. &c.
i Iſai. 6. 2. & 3
k Pſ. 2. 7
l Joan. 15. 26
m Joan. 5. 16. & 17.
n Rom. 5. 5
o 1. Cor. 6. 11
p Gen. 1. 2
q Cornel. in Gen. 1. 2
r Ex S. Hier. epiſt. 83. ad Oceanum. 28
ſ S. Aug. lib. 2. de Gen. 1. 3. ad lit. c. 7. & 8
t Apoc. 12. 7
u Joan. 17. 1. &c.
x Hebr. 1. 14
y Eccl. 1. 4

Digitized by Google

inſenſibilia motum patiuntur, ut attingant centrū ſuum, in quo felicitas ipſorum ſita eſt. Ita verum eſt, quòd nihil eſt otioſum, in naturâ, in gratiâ, in cœlo, & in terrâ, cùm omnia ideò ſint ut agant, & ipſorum operatio ſit ſequela eſſe ipſorum, *Operari ſequitur eſſe*, dicit axioma Philoſophicum. Homo igitur qui eſt tota perfectio mundi iſtius, & nobiliſſimus omnium incolarum ejus quomodo non ageret? *Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis*, ait S. Gregorius z. Nunquid non ipſius otium prodeſſet ipſius felicitatem, cùm detraheret ipſius excellentiæ, & privaret ipſum felicitate, quæ non datur niſi iis qui meruerunt eam labore ſuo? Ideoque Deus deſtinans nos ad paradiſum ſuum, ſtatim nos vocat ad laborem qui debet illum mereri: nam ſic ipſe nos alloquitur in perſonis Apoſtolorum ſuorum, *Ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis; & fructus veſter maneat* a. Ipſe vult ut ſimus operarii, ſi prætendamus ad mercedes, *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Labor, & merces, conſtituent duas diſcurſus iſtius partes.

z S. Greg. hom. 29. in Evang. Marc. 16. 55

a Joan. 15. 16

Diviſio.

I. Part.

Cùm merces ſupponat meritum, & meritum non acquiratur niſi labore qui ipſum producit, Deo promittente nobis ſe daturum nobis cœlū, prout mercedem, quis non videt quòd laborare debeamus ad hoc ut illud mereamur? Nunquam pervenitur ad templum gloriæ quin tranſitum fuerit per templū laboris: motus præcedit quietem, nec eſt unquam Sabbathum niſi poſt ſex dies operationis, *Deus requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* b. Cœlum non eſt ampliùs donum gratuitum purè ex quo Deus cœpit nobis illud dare ſub titulo mercedis propter obſequia noſtra & bona opera noſtra: gloria, eſt actio juſtitiæ, quæ debetur fidelitati noſtræ, *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Iudex*, ajebat Apoſtolus c. Hæc corona juſtitiæ, quæ non eſt aliud niſi beatitudo paradiſi, acquiritur labore, qui præcipuè ſitus eſt in complemento divinorum Præceptorum. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* d. Obſervantia mandatorum Dei nobis obtinet cœlum, quod eſt merces laboris noſtri: & quæ non ita parum facilis eſt, ut multi delicati non judicent eam prorſus impoſſibilem. Sed apage monſtrum blaſphemiæ, quæ favere volens infirmitati hominum, ſtatim accuſat modum procedendi Dei, eumque damnat injuſtitiæ in eo quòd ipſe præcipit id quod nullo modo poteſt obſervari, ſecundùm ſententiam ipſorum erroneam, quæ induxit *diſcipulum quem diligebat Ieſus* e, ad dicendum: *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt* f. Et Dionyſium Carthuſianum g ad *reſpondendum, quod divina præcepta non ſunt gravia quadruplici ratione. Primò, Quia virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ſunt ex ſuâ naturâ ſuaves & convenientes, habentque delectationes ſinceras actibus ſuis annexas. Secundò Ex adjutorio Dei, qui per dona gratiæ, præſertim per charitatem, hominem ſic confortat, inflammat, & conſolatur, ut ei dulceſcat via ſalutis & obſervantia præceptorum: imò cum ingenti alacritate & gaudio illa adimpleat, Propter quod ait Propheta, In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis* h. Et, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum* i. Iterumque hortatur, *Servite Domino in lætitiâ* k. *Tertiò, Ex ineſtimabili magnitudine præmii deſuper repromiſſi: cujus reſpectu omnis labor & omnis difficultas & pœna vitæ præſentis eſt tanquam momentum. Propter quod dicitur, Conſideratio præmii minuit vim flagelli. Paulus* l *quoque, Id (inquit) quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hinc ait Salvator, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* m. *Quartò, Mandata Evangelicæ legis levia ſunt ob ſuam paucitatem, comparatione præceptorum Moſaicæ legis, quæ multitudine ſuâ erant onus tam grave, ut Princeps dicat Apoſtolorum, Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices Apoſtolorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus* n. *Nempe, ut Rabbi Moſes ſcribit, tot erant in lege præcepta quot ſunt dies in anno, & quot ſunt oſſa in homine, ita quòd horum par extitit multitudo. Porrò, Difficultas implendi præcepta conſurgit ex noſtrâ imperfectione, & hoſtium impugnatione, ac objectorum validâ motione, aliiſque cauſis diverſis.* Verum quidem eſt, quòd praxis ſanctitatis, virtutum, & bonorum operum non eſt ita facilis, quin multo labore ſit opus ad hoc ut iſti vacemus exercitio ſacto; cùm oporteat ut natura, quæ jam ſocietatem inivit cum vitio, ſibi magnos inferat conatus, & ingentes violentias ad hoc ut ſequatur vias contrarias viis vitii quibus adhæſerat inter errores rebellionum ſuarum, & funeſtum clivum damnabiliū inclinationum ſuarum, quæ præ ſe dulcedinem non ferunt, niſi ut meliùs decipiant deducendo ad damnationem per vias gratas, & floribus ſtratas, quæ noſtris arrident inordinatis affectibus, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, ait Dei Filius per S. Matthæum o. Et per Carthuſianum p, *Et violenti, id eſt, ſuperantes ſeipſos, qui contra ſeipſos, & concupiſcentias, cunctaque vitia efficaciter pugnant; rapiunt, id eſt, cum labore & bonâ violentiâ capiunt illud pro præmio ſui certaminis. Violenti ſunt ergo qui deſiderio patriæ, ſeipſos quotidie mortificant, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigentes* q: *qui dicere poſſunt cum Prophetâ* r, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Et cum Apoſtolo* ſ, *Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Foris pugnæ, intùs, timores. Dicitur itaque Regnum cœlorum vim pati, quoniam propter ipſum adipiſcendum, infert homo ſibi ipſi vim bonam, & patitur affligendo ſeipſum, & ita eſt prædicatio cauſalis, cùm dicitur, Regnum cœlorum vim patitur. Vnde Lucas* t *ſic habet, Omnis in illud vim facit. Vel dicitur vim pati, quia per modum patientis ſe habet, dum homo cum grandi labore illud apprehendit, ſecundùm quem ſenſum Dominus ait. Laboravi ſuſtinens* u. *Et alio in loco* x, *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me, & invaluerunt ſuper me verba veſtra.* Eſt igitur enixè laborandum, cùm agatur de confringendis fluctibus, de eundo contra impetum paſſionum noſtrarum, & de nihilo minùs agendo quàm eo quod *vetus homo noſter* y, qui habitat in nobis, & de quo ſic queritur Apoſtolus z, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*; exigit ab infirmitatibus noſtris. Oportet igitur ut omnes potentiæ noſtræ praxi bonorum operum vacent, & ut nullum ſit momentum quo nō ſtudeamus conciliare nobis cœlū, quod facit totā mercedem laborum noſtrorum: propterea laborare debemus manibus, currere pedibus, nec ullam relinquere in nobis partem, quæ non ſe-
ratur

b Gen. 2. 2

c 2. Tim. 4. 8

d Matth. 19. 17

e Joan. 21. 20

f 1. Joan. 5. 3

g Dion. Carthuſ. art. 7. in 1. Joan. 5. 3

h Pſ. 118. 14.

i Pſ. 118. 32

k Pſ. 99. 2

l 2. Cor. 4. 17

m Matth. 11. 28. & 30

n Act. 15. 10

o Matth. 11. 12

p Dion. Carth. art. 22. in Mat. 11. 12

q Ex Gal. 5. 24

r Pſ. 16. 4

ſ 2. Cor. 7. 5

t Luc. 16. 16

u Iſai. 1. 14

x Malach. 3. 8. & 13

y Rom. 6. 6

z Rom. 7. 23

ratur fideliter ad illud omne, quod concurrere poteſt ad hanc executionem, ut dicere poſſimus verè cum Apoſtolo a. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Index.* Hinc patet, ſubdit Cornelius b, *nos bonis operibus mereri beatitudinem & gloriam æternam ex condigno. Hoc enim ſignificat corona juſtitiæ, quam non dat, ſed reddit pro merito, non donator, ſed juſtus Index Chriſtus. Sua ergo cuique virtuti erit corona, eaque pro meritis varia. Nam, ut ait S. Auguſtinus, Floribus ejus (Eccleſiæ cœleſtis) nec roſæ, nec lilia deſunt. Certent nunc, Chariſſimi, ſinguli ad utroſque honores, ampliſſimas accepturi dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas, vel de doctrinâ laureas* c. Illudque Danielis d *ſpectent & expectent: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Idem ſanctus Auguſtinus e. *Omnia (inquit) dici poſſunt de illâ ineffabili fruitione veritatis, & tantò magis omnia dici poſſunt, quantò minùs aliquid digne dici poteſt. Nam & lux eſt illuminatorum, requies exercitatorum, & patria redeuntium, & eſca indigentium, & corona vincentium; & quæcunque bona temporalia tranſeuntia per ceterarum partes error appetit infidelium, vera & in æternû manentia in Creatore omnium ſimul inventura eſt pietas filiorum.*

a 2. Tim. 4.7. & 8

b Cornel. in 2. Tim. 4.8

c S. Aug. ſerm. 37. de Sanctis.

d Dan. 12. 3

e S. Aug. lib. 2. Quæſt. Evangelic. quæſt. 39

Sed heu quàm multi ſunt hodie otioſi in mundo, qui brachia complicant in modum crucis ad nihil agendum! Tot ſunt in mundo otioſi quot ſunt in eo peccatores: otio vacare eſt nihil agere: peccatum nihil eſt, & quicunque illud committit, nihil agit: eſt igitur otioſus, *Quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*, ait S. Auguſtinus f. Heu quàm ingens eſt numerus hujuſmodi otioſorum in mundo! *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum* g. Imò verò ſunt aliqui qui putarent, quòd detraherent interventu laboris ſui, & bonorum operum ſuorum, meritis Filii Dei, quæ, cùm ſint infinita, ſicut ipſe *non habet finem* h; & efficacia ad operandam ſalutem noſtram (inquiunt ipſi) nullo modo exigunt concurſum noſtrum. Sed procul à mentibus noſtris error hic, Auditores, qui ligans manus puſillanimis ne exequātur ulla bona opera, aperit eis ſtatim januam ad quaſcunque libertates effrænes & criminoſas quæ ducunt ad perditionem. Sanguis JeſuChriſti ſufficiens eſt ad redimendos mundos innumeros, merita ejus ſunt infinita; ſed ad hoc ut ſint efficacia neceſſarius eſt concurſus noſter, bona opera noſtra requiruntur ad hoc ut eorum fiat applicatio, & nedum hæc bona opera noſtra detrahant meritis JeſuChriſti, & valori ſanguinis ejus, è contra hæc bona opera magnificant hunc ſanguinem, eumq; micare faciunt cum ſplēdore, cùm non habeant vim niſi prout educunt illā ex hoc principio quod ipſis eam præbet; nec meritoria ſint, niſi quia redduntur talia per gratiam, quæ eſt hujuſmodi mirabilium operatrix: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionū Chriſti, in carne meâ* i. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* k, dicebat Apoſtolus. Quare ergo maneremus otioſi, cùm medio labore pervenire debeamus ad finem noſtrum ultimum, & terminus iſte tendens in requiem noſtram non debeat acquiri niſi per motum quem agere debemus in hâc vitâ? *Quid hic ſtatis totâ die otioſi?* improperat nobis Dei Filius. Quare brachia noſtra in modum crucis complicamus præ puſillanimitate criminoſâ quæ nos condemnat? Eſtne cœlum res ſic exigua, ut ad illud acquirendum non debeamus aſſumere tantillum laborem? *Feſtinemus ingredi in illam requiem*, ait S. Paulus l. Et S. Thomas m, *Feſtinandum eſt intrare, quia longinqua eſt via, vita brevis, vocatio Dei tranſit, & periculum eſt in mora.*

f S. Aug. Tract. 1. in Joan. 1.3

g Pſ. 13. 3

h Baruch 3.25

i Coloſſ. 1.24

k 1. Cor. 15.10

l Hebr. 4. 11

m S. Thomas lect. 2. in Hebr. 4.11

Intueor in mundo duo genera hominum qui multùm laborant. Aliqui non proponunt ſibi pro fine laboris ſui, niſi cœlum & acquiſitionem ejus, quò referunt omnes actiones ſuas; & hi ſunt Juſti, qui agunt præ virtute, & quorū manus ſunt ſemper bonis operibus plenæ. Alii præ oculis ſuis nihil habent niſi terram, quā poſſidere non poſſunt; ipſorum commodum facit totum objectum laboris ipſorum, illudque totum referunt ad ſeipſos, & ad proprias ſatisfactiones ſuas: & hi ſunt homines mundani, compoſiti è luto, cùm nō habeant cogitationes niſi tendentes ad limum. Heu quantum laborem aſſumunt ad ſatiandas paſſiones ſuas, ad exequenda conſilia ſua ſemper criminoſa, cùm nunquam ſint ſine ambitione! Miſeri ſunt in proſecutione ſuâ, & labor ipſorū qui ipſos angit, nedum ipſis ſatisfaciat, ipſos inducit invitos ad emittendas querelas iſtas, videntes omnes pœnas ſuas inutiles, quæ nihil amplius contribuerunt quàm ut ipſos redderūt infelices, *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa* n. Nihil habent amplius impii quàm ut doleant pro eo quòd videant ſe vacuos bonis operibus, quandiu Juſti lætantur pro eo quòd intueantur laborem ſuum remuneratum mercede, quæ tandiu durabit, quandiu Deus; *Opera enim illorum ſequuntur illos* o. Quanto gaudio perfunduntur, cùm videant quòd motus ſuus terminatur ad requiem immunem ab omnibus tempeſtatibus, *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium* p. Eia ergo, peccatores, incumbite ſerio labori, cùm ſequatur iſtū merces; ad hunc vocat nos Deus, *Ego elegi vos, & poſui vos; ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat* q. Item, *Ite vos in vineam meam.* Pollicetur vobis præmium, *Et quod juſtum fuerit, dabo vobis.* Quod præmium non eſt minus quàm beatitudo, *Itaq; relinquitur Sabbatiſmus populo Dei* r. Cùm in hoc mundo non habeamus niſi laborem, in altero non habebimus niſi requiem & mercedem, quam Deus nobis dare vult ut bonis operariis, *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

n Sap. 5.7. &c.

o Apoc. 14.13

p Pſ. 65.12

q Joan. 15.16

r Hebr. 4.9

David ſ loquens in perſonâ ſuâ de homine juſto, dicit, quod animam ſuam jugiter habet præ manibus ſuis, *Anima mea in manibus meis ſemper.* Sed quare, magne Propheta, animam tuam conſtituis in manibus tuis? Cur non collocas eam in capite, ubi ipſa reſidet, ſicut dicunt Philoſophi? vel in corde, ubi tenet ipſa ſedem ſuam, quēadmodum ſentiūt Medici, quippe quod eſt principiū vitæ, *primum vivens, & ultimum moriens*? vel ut opinantur Theologi, in toto corpore, & in qualibet partium ejus, non autē in ſolis manibus? *Anima mea in manibus meis ſemper.* Ratio propter quā ſic loquitur David, Auditores, eſt, quia ipſe ſciebat apprimè, quòd anima deberet tota trāſire per manus, & eſſe tota agēs ad operandā ſuam ſalutē medio labore qui ſemper præcedit mercedē. Conformiter ad hoc vidit alias Ezechiel t manū, quæ ipſum elevabat in aērē: *Emiſſa ſimilitudo manûs appreh̄edit me in cincinno capitis mei; & elevavit me Spiritus inter terram & cœlum.* Unde ſignificatur, quòd manus, quæ eſt ſymbolum bonorū operum,

ſ II Part. Pſ. 118. 109

t Ezech. 8.3

u Apoc. 7. 9. &c.

rum, eſt id quod nos elevat in cœlum. Huic propoſito congruit etiam viſio exhibita S. Joanni u dicenti, *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et reſpondit unus de ſenioribus: & dixit mihi, Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt? Et dixi illi, Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi, Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.* In iſtâ viſione quæruntur duo, quinam ſint illi, & unde veniant. Reſpondetur autem ad primum, quòd non ſit inquirendum quinam ſint, *Quia non eſt*

x Act. 10. 34.

perſonarum acceptor Deus x. Et communicat indifferenter gratias ſuas pauperi æquè ac diviti, ignobili æquè ac nobili, & parvo æquè ac magno,

y Rom. 10. 12.

Dives in omnes qui invocant illum y. Nec intuetur niſi bona opera, quorum meliora, ſemper meliùs ab ipſo remunerantur. Ad ſecundum verò, nimirum quantùm ad locum, è quo veniebant, quòd is, erat locus certaminis, è quo exibant victores, & onuſti palmis, *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ*: Id eſt, qui laboraverunt, qui bonis operibus vacaverunt, qui virtutis exercitiis incubuerunt: propterea nunc bonorum ſuorum mercedem ſuſcipiunt, & Deus qui vocaverat ipſos ad laborem, debitum pro eo tribuit ipſis præmium, conformiter ad id quod dicitur in Evangelio noſtro, *Voca operarios, & redde illis mercedem. Cùm veniſſent ergo, acceperunt ſingulos denarios, &c.*

Quòd autem beatitudo, quam Deus nobis dat pro mercede laborum noſtrorum, nobis repræſentetur ſub nomine & ſymbolo denarii, nō vacat hoc à myſterio; rogo verò vos ut obſervetis illius arcanum. Denarius tres habet res quæ verè & ſincerè exprimunt totam naturam & perfectionem beatitudinis, quam Deus nobis dare vult pro mercede bonorum operum noſtrorum. Prima res, eſt ſcriptura; ſecunda, eſt imago Principis; tertia verò, eſt figura ſphærica, ſcilicet rotūditas. Per ſcripturam debemus intelligere cognitionem Beatorum, cùm nullus Beatus ſit in cœlo, qui nō ſit doctiſſimus, quiq; non ſciat principia cū majori certitudine, quam ſciverint unquam maximi Philoſophi totius antiquitatis: in hoc enim ſtatu beatitudinis clariſſimè & diſtinctiſſimè vident res omnes, cùm nihil ſit quòd nō intueantur in Verbo divino, quod contemplantur, quod velut ſpecioſum & fidele ſpeculum repræſentat ipſis omnes creaturas, quas complectitur & includit in ſe, cùm ſit principium beatū, è quo omnes ipſæ emanant, *Omnia per ipſum facta*

z Joan. 1. 3

ſunt, ait S. Joannes z. *Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* dicit S. Gregorius a.

a S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 33

Cognitiones, quas habemus in iſto mūdo, totæ ſunt tenebris & obſcuritatibus obvolutæ: non intuemur hìc niſi ex tranſverſis innumeris nebulis, ſed in altero ſeculo velum removebitur, & claro intuitu conſpiciemus, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*,

b 1. Cor. 13. 12.

inquit Apoſtolus b. Quid autem ignorari poſſet in cœlo, cùm *Sol intelligentiæ* c procul univerſas

c Sap. 5. 6

amandet inde tenebras, quæ nobis obſcurā reddere poſſent cognitionem? Non eſt cur ambigamus de hâc veritate, cùm dicat S. Joannes d quòd

d 1. Joan. 3. 2.

in hoc ſtatu luminis beatifici, quo perfundemur in paradiſo gloriæ, *videbimus eum ſicuti eſt*. Et videndo illum, intuebimur omnia in eo, nedum poſſit aliquid effugere cognitiones noſtras. Ita ut in hoc ſtatu fortunato beatitudinis, appetitus hominis ſit omnino contētus; hic pruritus naturalis quem habet ſciendi omnia, ſiſtatur; & hæc inclinatio, quæ cùm eſſet criminoſa in paradiſo terreſtri, fuit cauſa ruinæ & jacturæ ipſius; in paradiſo cœleſti cōſtituat ipſius felicitatem; & hæc magna aviditas inſeparabilis ab ipſius naturâ, quâ ſemper cupit inſeparabiliter *adhærere Deo* e

e Pſ. 72. 28.

ſummo bono ſuo, æquè ac ipſum cognoſcere ut ultimum ſuum finem, faciat ipſius beatitudinem quæ reddit ipſum omniſcientem. Hæc autem ſcientia & cognitio Beatorum, ſignificatur nobis per ſcripturam, quam defert denarius, quem Deus ipſis dat pro præmio & mercede laboris ipſorum.

Secunda res, quam defert denarius, eſt imago Principis, qui ipſum cudi fecit; imago quæ nobis exprimit ſtatum paradiſi, qui nos transformat, & facit nos deos per participationem, *Ego dixi, Dii eſtis* f. *Hoc enim ſolis Iuſtis dicitur, qui prædeſtinati ſunt ad vitam*, ſubdit Incognitus g.

f Pſ. 81. 6
g Incognit. in Pſ. 81. 6.

Similes ei per gloriam, cujus fruitio nobis acquirit cumulum omnium felicitatum, cùm in eâ ſint incluſæ omnes beatitudines, nedum ſuperſit quid amplius deſiderandum in ipſius poſſeſſione. Atqui habemus hanc imaginem ſimilitudinis interventu laboris noſtri, qui nobis eam acquirit, cùm nobis Deus illam det in mercedem laboris iſtius; ipſa eſt effectus bonorum noſtrorum operum, quæ iſto cumulat ipſe favore. Imaginem triplicem reperio quam habemus à Deo. Prima eſt naturæ, quam habemus per creationem, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* h.

h Gen. 1. 26.

Secunda eſt per gratiam, quam ſuſcipimus in Baptiſmo, ubi renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* i, & in aliis Sacramentis: & peccatum

i Joan. 3. 5

eſt iſtius excidium & ruina. Tertia verò, eſt per gloriam, quam non ſuſcipimus niſi in cœlo per exercitium bonorum operum, & praxim virtutum: & hæc, eſt inalterabilis, ſemper permanens, & hæc nos reddit ſimiles Deo, juxta illud, *Chariſſimi, ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt* k.

k 1. Joan. 3. 2.

Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum l,

l Dion. Carthuſ. art. 4. in 1. Joan. 3. 2.

Scimus quoniam cùm apparuerit, quod erimus, id eſt, cùm Deus manifeſtè per effectum monſtraverit illam beatitudinem, eam nobis ſanctis omnibus conferendo, noſque glorificatos monſtrando: vel, cùm apparuerit, id eſt, Chriſtus in ſecundo adventu ſe manifeſtaverit, ſimiles ei erimus, id eſt, Deo perfectè conformabimur per dona gloriæ, cui nunc aliqualiter aſſimilamur per munera gratiæ. Tunc enim per plenum ardentiſſimumque amorem erimus in Deum ineffabiliter transformati, & quantùm fieri poteſt in ipſum abſorpti. Tamen & per beatificam viſionem aſſimilatio illa peragitur formaliter & directè: propter quod ſubditur, Quia videbimus eum ſicuti eſt, id eſt, clarè per ſpeciem, ita quòd ipſam ſuperadorandam Deitatis ſuperſubſtantialem eſſentiam in ſeipsâ per ſeipſam, clarè, & immediatè conſpiciemus. Cognitio autem, ſecundùm Philoſophos, fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, inquantùm ſimilitudo ſeu ſpecies cogniti ineſt cognoſcenti. Cùmque omnis forma creata à clarâ & immediatâ repræſentatione Divinæ Eſſentiæ deficiat infinitè, conſtat quòd Divina Eſſentia à mente creatâ clarè & immediatè videri non valeat per formam ſpeciemve creatam. Ideo ipſamet Divina eſſentia unitur menti-

bus

bus Beatorum loco ſpeciei & intelligibilis formæ, ita quòd ipſa eſt quod, & quo, id eſt, quod videtur, & id quo fit viſio, ſeu objectum & ſpecies: ſicut & ipſe Deus videt ſe per ſe, ſic quòd in ejus æterna & increata ſuiipſius intuitione idem ſunt objectum & ſpecies. Per hanc ergo beatificam viſionem, claram, & penitus ſupernaturalem Beati Deo perfectiſſimè aſſimilantur: cùm ipſa Divina Eſſentia eis tam ineffabiliter, ac intimè uniatur. Hinc ſcriptum eſt, Ex parte cognoſcimus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum m. *Hæc eſt admiranda, ſuperpiiſſima, liberaliſſima communicatio beatitudinis, quâ ſuperbonus Deus beatitudinem ſuam immenſam Electis ſuis communicat, & vitam eorum ſuavitate conformat, eoſque plenam ſocietatem ſecum facit habere. Quoniam ſicut Deus clarè & inceſſabiliter, ſummè, & ardentiſſimè contemplatur* n, *& amat ſeipſum* o: *ita & ipſi indeſinenter, clarè, ferventiſſimè contemplantur, & diligunt eum. Hinc ad Coloſſenſes loquitur Paulus* p, *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Nec his obſtat illud in Pſalmo* q. *Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Domino in filiis Dei? Hoc & quædam ſimilia verba Scripturæ de ſimilitudine æqualitatis intelliguntur, prout unigenitus naturaliſque Filius Deo Patri ſimilis perhibetur* r. Propter hanc etiam ſimilitudinem Beati in cœlo vocantur Dii, *Ego dixi, Dii eſtis* ſ. Iſte denarius igitur qui nobis datur, quique defert in ſe imaginem Principis, nobis innuit quòd beatitudo, quam Deus nobis dat pro mercede laborum noſtrorum, nos reddit ei ſimiles in gloria, & felicitatis ejus conſortes. Tandem, Hæc beatitudo, quæ nobis tribuitur, vocatur denarius, quia non datur niſi in mercedem obſervantiæ decem mandatorum legis. Denarius etiam qui vocatur diurnus, *Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno.* Quia cœlum nullam patitur noctem, & gloria ſemper habet ſociam lucem continuam, quæ ipſam jugiter illuminat, *Et civitas non eget Sole neque Lunâ, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus* t.

m 1. Cor. 13. 9. &c.
n ex Pſ 2. 7
o ex Joan. 15. 26.
p ex Coloſſ. 3. 3. & 4.
q Pſ. 88. 8
r ex Joan. 1. 18.
ſ Pſ. 81. 6.
t Apoc. 21 23.

Tertia & ultima res, quam obſervamus in denario, eſt ipſius rotunditas, ſeu figura ſphærica, quæ eſt perfectiſſima omnium aliarum figurarum. Hæc figura circularis nos edocet æternitatem permanentem felicitatis iſtius inalterabilis, de qua vobis loquor. Sicut enim in figura ſphærica & orbiculari nullum videmus principium, nec ullum finem: ſic beatitudo quantùm ad objectum ſuum eſt æterna, nec habet principium, nec progreſſum, nec finem ſicut ipſemet Deus qui ipſam inſtituit: & ſi Beati incipiunt habere illius fruitionem in temporum fine, ideò ut jugiter continuent eandem fruitionem in puncto indiviſibili felicis æternitatis. *Gaudebitis & exultabitis uſque in ſempiternum*, ait Deus illis per Iſaiam u. Et jure merito: cùm enim Deus ſit tota merces Beatorum, ſicut ait in perſona Abrahæ, *Ego ſum merces tua magna nimis* †. merces erit æterna, cùm Deus nullum ſit habiturus unquam finem, *Tu autem Domine in æternum permanes*, ait illi Pſalmiſta x.

u Iſa. 65, 18.
† Gen. 15. 1.
x Pſ. 101. 13.

Nunquid non admiramini, Auditores, in hoc denario, quem Deus dat Beatis ſuis pro præmio & mercede bonorum operum, quibus incubuerunt in exercitio charitatis, naturam & perfectiones eminentes beatitudinis? Duratio ejus æquè illimitata, ac æterna eſt ea quæ facit gloriam Dei ipſius, quæque eſt ſempiterna ſicut ipſius objectum eſt infinitum, nobis manifeſtatur per ipſius rotunditatem, ſeu figuram ſphæricam & circularem: literæ quas defert, perfectè & mirabiliter nos inſtituunt cognitione conſummatâ quam dat beatus iſte Status iis, qui ipſius habent fruitionem: imago, quam habet Principis, certos nos reddit, quòd interventu gloriæ quam poſſidebimus per hanc beatitudinem, erimus parvi Dii, Divinitates per communicationem, & veræ imagines Dei, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus* y. Quid excellentiùs? Deus autem totum nobis tribuit iſtud pro mercede laborum noſtrorum, nec ullus eſt in cœlo Beatus, qui iſtis non fruatur prærogativis, *Acceperunt & ipſi ſingulos denarios.* Præ hac tamen differentia, quòd licèt omnes Sancti paradiſi habeant eandem beatitudinem quantùm ad objectum, quod eſt Deus, cùm omnes non videant niſi eundem Deum, nihilominus non poſſident omnes eandem beatitudinem formalem, id eſt, non vident omnes æqualiter Deum, ſed alii plùs, alii verò minùs: juſtitia enim requirit ut merces menſuretur ad laborem: atqui ſicut omnes non æqualiter laboraverunt in terra; ſic non debent omnes æqualiter remunerari in cœlo, ſed unuſquiſque ſecundùm ſuum meritum, & proportionabiliter ad id quòd rectè fuerit operatus, *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*, ait Apoſtolus z. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a, *Unuſquiſque autem propriam, hoc eſt, ſibi congruam mercedem in patria accipiet à Deo ſecundùm ſuum laborem exteriorem, vel interiorem, ad Dei gloriam ordinatum, hoc eſt, ſecundùm exigentiam meriti ſui laboris. Quomodo autem hoc intelligi debeat, multa poſſent induci. Sed breviter tangendo, ſciendum, quòd merces ſeu præmium eſſentialiter, debetur & reſpondet fervori charitatis Divinæ. Quantò autem quis Deum plùs diligit, & à vitiis purior, atque in bonis magis habituatus eſt, tantò delectabiliùs facit opus Dei, atque ferventiùs, & per conſequens minùs laborioſè, præſertim loquendo de corporali labore, & prout labor pœnam ac fatigationem includit. Quantò autem delectabiliùs & ferventiùs operatur, tantò ampliùs promeretur. Poteſt ergo contingere (imò contingit quotidie) ut homo perfectus qui minùs laborioſè facit opus Dei, plùs mereatur, quàm homo imperfectus, tamen gratiam habens, qui cum gravi labore eadem facit, quæ perfectus. Dicendum ergo quòd exteriori ac corporali labori reſpondet præmium accidentale, charitatis autem fervori præmium eſſentiale. Quilibet ergo recipiet præmium accidentale ſecundùm ſuum laborem corporalem: ſed quantò hic labor ex ampliori charitate procedit: tantò plus recipiet de præmio eſſentiali, quod eſt viſio Dei, quæ eſt tota merces* b, *& vita æterna.* Quod dico contra quoſdam hæreticos, qui id negant, innixi huic loco Evangelii hodierni, *Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.* Qui locus eſt intelligendus ſecundùm quòd ipſum explicui: & poteſt etiam dilucidari per comparationem Solis, qui cùm ſit idem, operatur tamen ſecundùm diverſam diſpoſitionem ſubjectorum quæ ſuſcipiunt calorem æquè ac ſplendorem ipſius: v. g. vas argenteum, vel aureum percuſſum radiis illius, majorem ſplendorem emittit, quàm vas ligneũ aut luteum, licèt æqualiter illuminatum eâdem

y 1. Jo. 3. 2
z 1. Cor. 3 8.
a Dion. Carth. art. 3. in 1. Cor. 3. 8.
b ex S. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 8

luce; ſed tota differentia non venit niſi ex diſpoſitione quæ eſt in uno è vaſis iſtis, aureo vel argenteo, potiùs quàm in altero, quod non eſt niſi ligneum, vel luteum: idem dico de Beatis in cœlo, qui ſuſcipiunt ibi gloriam proportionabiliter ad id quod habuerunt metiri æquè ac gratiæ in terra. Nolite tamen hinc inferre, quòd inæqualitas gloriæ Beatorum, cauſet ipſis tædium & æmulationem in cælo: ſed ſcitote quòd maximè ſint contenti, & quòd nullus eſt, cui juxta proportionem æqualiter non ſatisfiat, cum beatitudo ſupponat ſtatum, qui non relinquit ampliùs vacuum, *Qui replet in bonis deſiderium* c, æquè ac cæteras potentias eorum, ait David. Et Boëtius d, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum. Atqui non eſt aliquid, quod æquè perficere beatitudinem poſſit, quàm copioſus bonorum omnium ſtatus; nec alieni egent, ſed ſibi ipſi ſufficiens.* Nec ullus eſſet beatus, ſi poſſet quid amplius deſiderare: nullus eſt in cœlo qui non ſit contentus eo quod ipſe poſſidet, nec aliquid amplius illo concupiſcit, cùm ſciat ſe nihil amplius mereri, & ideò ſe accommodet ad id quod Deus vult, & non ad id quod ipſe deſiderare poſſet, niſi cœlum ſiſteret has paſſiones, quæ agitant homines terræ, videntes ſe non habere crudeliores carnifices ambitione ſuâ, quæ ipſos jugiter exagitat: ſed paradiſus non ſuſtinet has tempeſtates; Sancti potiuntur ibi quiete continuâ, nec ullam aliam habent menſuram deſideriorum ſuorum, quàm ſolam voluntatem Dei, quæ ſervit ipſis loco regulæ; abſolutè beati, nedum formident acceſſum minimæ vel moleſtiæ e, quæ poſſit interrumpere gaudia ipſorum, quæ ſunt æterna: *Et nunc qui redempti ſunt a Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus* f.

c Pſ.102.5
d Boet.l.3 de Conſol. Philoſ. proſ. 2.
e Pſ.90.10
f Iſai. 51. 11.

Poſt veritates iſtas, Auditores, putabimusne quòd paradiſus non mereatur curas noſtras? Nunquid non ſuavitates ejus devincient ſibi corda noſtra? Complicabimusne brachia noſtra in modum crucis præ otio, quaſi verò beatitudo non valeret labores noſtros? Erimusne ſtupidi ad exceſſum uſque? Si non eſt aliquid quod magis animet ad opus, quàm merces, quare manebimus otioſi, cùm Deus nobis polliceatur eam pro præmio laborum noſtrorum? Prodemusne felicitatem noſtram, ut blandiamur nobis in deſidiis noſtris? Gloria non acquiritur niſi labore, diligemusne otium? *Feſtinemus ingredi in illam requiem* g. Inſumamus omnes potentias ad exercitium bonorum operum, ut perveniamus ad hanc manſionem felicitatis, *Nolite negligere, nolite ceſſare, eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor* h, aiebant filii Iſrael viſis fructibus allatis è terra promiſſa. Laboremus manibus, curramus pedibus, & nihil ſit in nobis, quod non applicetur labori, quippe quem ſequi debet talis merces, quæ nos in æternum reddere debet beatos in cœlo.

g Hebr. 4. 11.
h Judic. 18. 9.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8. 5. &c.

SI meſſis deberet eſſe ſic abundans, ſicut perſæpè videmus quòd ſemen nobis pollicetur, immodica voluptas eſſet illud jacere circumquaque; quia illi omnes qui ipſum committunt terræ, non agunt hoc niſi ſub ſpe colligendorum inde fructuum: ſed ſi poſtquàm ſedulò coluiſtis terram, reperitis præ infortunio, quòd ſemen veſtrum non reſpondit expectationibus veſtris; & quòd pro bono grano non colligitis inde niſi ſpinas, aut prorſus nihilum, tunc pœnitet vos laboris quem inſumpſiſtis ad colendam hujuſmodi terram: Eccleſia ſancta nobis loquitur die hodiernâ de ſeminatore qui jecit ſemen ſuum in terram eâ intentione ut videret illud creſcere, & multiplicari, *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas; & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum.* Explicatio, æquè ac applicatio parabolæ illius citò fiet, ſi Deus qui illius Author eſt, nobis præbeat ejus intelligentiam per merita B. Virginis, poſtquàm noſtras exhibuerimus ei reverentias cum hac oratione Angeli, *Ave Maria.*

Naturale eſt rei cuilibet, quæ poſſidet aliquod bonum, deſiderare & procurare conſervationem illius per omnes vias poſſibiles; quia poſſeſſio ejus dat oblectamentum, & ſi omnis voluptas eſt amica naturæ, quantùm res aliqua diligit ſeipſam, tantùm volet ipſa conſervare voluptatem ſuam; & ſi hæc voluptas foveri non poteſt niſi per continuam poſſeſſionem boni, quod eſt ipſius origo, oportet ut quantùm res aliqua diligit ſeipſam, tantùm procuret ipſa conſervationem boni, quod ipſa poſſidet. Propoſitio mea reperitur vera in creaturis, æquè ac in Creatore; ſed præ hac differentia, quòd deſiderium creaturarum non eſt ſemper efficax, ſive aut quia non eſt rectæ rationi conſonum, & ideò Deus ipſi non favet; aut quia ipſarum vires non ſufficiunt ipſis ad hoc ut effectum deſiderii ſui ſortiri poſſent? ſed econtrà Deus qui voluntatem ſuam abſolutam exigit ad omnipotentiam ſuam, nihil unquam deſiderat deſiderio finali & abſoluto, quod ſtatim non faciat: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis* a. Miſſa faciamus deſideria inordinata quæ reperiuntur in hominibus erga poſſeſſionem & conſervationem tot rerum, quas putant eſſe bona, cùm tamen verè bona non ſint; loquamur duntaxat de amore, quo amant ſeipſos, qui tribuit ipſis appetitum immortalitatis, quod ipſis eſt commune cum omnibus beſtiis, & efficit ut, cùm non poſſint eſſe immortales in individuis ſuis, velint nihilominùs ſe conſervare in propagatione ſpeciei: unde fit ut illi qui non tantùm diligunt ſeipſos hoc amore proprio, ſe retrahant ab his deſideriis, & ſint contenti ſe perpetuare in ſolidiori vita, *Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum* b, ait Dei Filius. *Id eſt, amore felicitatis cæleſtis, ut eam copioſiùs adipiſcantur per hoc quòd nunc continenter vivunt, ut ſpirituali dilectione fortiùs accendantur, Divinorumque contemplationi liberiùs,*

a Pſ. 134. 6.
b Matt. 19. 12.

berius, purius, atque ſtabilius vacent, imò *Angelicam vitam ducant in carne*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c. Deus noſter, qui ſolus eſt bonus, *Unus eſt bonus, Deus* d; & ſolus amabilis, ſolus deſiderare debet conſervationem ſui eſſe, & vitæ ſuæ. Sed inconcinnè loquor, Auditores, ſi dicam quòd deſiderare debet eam; quia ita de hac vita ſua ſecurus eſt per æternitatem ſuam e, quæ eſt ipſi naturalis, ut deſiderium ipſius ſit ſuperfluũ, & non faciat niſi continuam complacentiam hujus Boni ſupremi, quod ipſe poſſidet, nedum poſſit unquam eo deſtitui, *Dicit Dominus exercituum, Ego Dominus, & non mutor* f. Si igitur ſtudet ipſe propagationi naturæ ſuæ, aut productioni ſimilis ſibi, nòn ideò quòd metuat declinationem aut jacturam individui ſui, ſed ſolùm ad cognoſcendas perfectiones ſuas dignas quæ verè deſiderentur, cùm ſint propriè communicabiles: hujuſmodi autem probationes exhibet in productione æterna Filii ita ſimilis ſibi ipſi, ut, niſi diſtinctio realis perſonarum reperiretur inter ipſos, eos ſemper ſumeretis unum pro alio: proptereà Filius ait, *Ego & Pater unum ſumus* g. Seu, *Ego (ſecundùm naturam Verbi) & Pater, unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo unum, notatur eſſentiæ unitas individualis, non generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus h. Præterea, Videns quòd animæ naturaliter præ ſe ferebant ſimilitudinem Divinitatis ipſius aliquã: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* i; voluit illis imprimere ultimos & meliores colores iſtius repræſentationis, ut meliùs homines redderet *ſuos* k ſpirituales & adoptivos, & hæredes divitiarum & perfectionum ipſius per gratiam, *Si autem filii & hæredes* l. Proptereà ipſe exivit velut à ſe, *Exivi à Patre, & veni in mundum* m. Et projecit ſuper homines ſemen ſpirituale, quod eſt doctrina ſua, verum & legitimum principium noſtræ felicitatis. Sed in eis diverſas invênit diſpoſitiones. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas: & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum.* S. Matthæus n autem dicit, *Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum.* Expediet, Auditores; ut comitemur in progreſſu diſcurſus iſtius, ſemen iſtud factum inter hæc quatuor loca, ut videamus, quòd ſi non fructificavit æqualiter, hoc non contigit defectu æqualis virtutis, ſed ſolũ ex malis diſpoſitionibus terræ.

c Dion. Carth. art. 3. in Matthæum 19

d Matt. 19. 17.

e Dan. 13. 42.

f Malach. 3. 5. & 6.

g Joan. 10. 30.

h Dion. Carth. art. 27. in Joan. 10. 30.

i Gen. 9. 6.

k Jo. 1. 12.

l Rom. 8. 17.

m Joan. 16. 28.

n Matt. 13. 8.

Propoſitio

Incipio igitur, & dico quòd Deus qui voluit ſerere verbum ſuum, exivit velut domo ſuâ, *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.* Sed ſi ſeminat antequàm exeat, quare exit igitur ad ſeminandum? Si habet in domo ſua ubi ſerere poſſit ſemen ſuum, ut quid aliò pergit ad exponendum ſemen ſuum periculo incurrendæ jacturæ? Ipſe ſeminat, antequàm exeat, duobus modis. Primò, quia in tota æternitate producit continuè Filium ſuum, nec unquam ceſſat eum producere, & communicare ei omnia bona, quæ ipſe poſſidet in fœcunditate Divinæ mentis ſuæ: *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* o. Et ſicut ipſe facit hoc velut intra limites naturæ ſuæ (ſi nobis licet dare terminos Deo qui *non habet finem* p) dicimus quòd non indiget ut exeat extra ſe ad ſeminandum ſemen ſuum, ſed quia homines, quos vult reddere ſimiles ſibi, ſunt extra Divinitatem ut perſonæ prorſus differentes à Deo, dicimus quòd ſi grano ſancti verbi ſui vult ſerere terram animarum noſtrarum ipſe debet velut exire à ſeipſo, continuando ſemper hanc ſanctam operationem, quâ producit Filium ſuum. Secundò, Quoniam à prima conſtitutione hominis, communicavit ei ſanctam voluntatem ſuam, cujus lumine ipſum illuminavit, ſicut eidem Deo dicit Pſalmiſta, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* q: Deinde, In Lege ſcripta eam manifeſtavit illi expreſſiùs per Moyſen, *Deditque Dominus Moyſi in monte Sinai, duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei* r: dicere poſſumus quòd non ceſſavit ab initio colere animas noſtras hoc ſemine ſpirituali: & ſi videtur exire denuò ad ipſum jaciendum, hoc innuit quòd apertiùs quàm anteà produxit nobis ſemetipſum, cùm venerit in perſona propria per Incarnationem ſuam communicatum nobis eandem voluntatem ſuam per publicationem Evangelii ſui, *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* ſ. Et, *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.* Enigitur, Auditores, Filius Dei, qui venit, deferens verbum ſuum in ore ſuo, ut reſonare faciat ipſum per quatuor regiones orbis, ipſum fructificare faciat in cordibus hominum: nam licèt inveniat aliquando corda petroſa & indurata, alias corda vaga & inſtabilia, & interdum corda ſpinoſa & difficilia; hoc non impedit quin multum prætendat ipſe progreſſum in omnibus illis: non enim dicit, Aliud ſeminavit ſecus viam, & aliud ſuper petram, & aliud inter ſpinas; quia hoc ſignificaret, quòd conſultò ſuum granum jaceret inter loca ſterilia & infructuoſa, ne aliquid produceret: ſed ait, *Cum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & aliud ſupra petram, & aliud inter ſpinas.* Quaſi innuens, quòd ferens brachium ſuum ſicut expedit ad ritè diſtribuendum ſemen ſuum, contigit ut iſtud caderet in hæc loca ſterilia. Verificemus iſtud omne, ſi placet, Auditores, in primo grano quod nobis datum eſt, quod eſt *Verbum caro factum* t. Et deinde tranſibimus ad alia.

o Pſ. 109. 3.

p Baruch 3. 25.

q Pſ. 4. 7.

r Exod. 31. 18.

ſ Hebr. 1. 1. & 2.

t Joan. 1. 14.

Qualis poteſt eſſe hæc via, in quam cecidit, niſi vilis hæc ſpelunca, in quam B. Virgo ſentiens appropinquare horam partus ſui, ſe recepit? *Quia non erat ei locus in diverſorio* u. Et expoſuit ſe periculis alicujus injuriæ quam ſuſcipere poterat ab hominibus & beſtiis tunc temporis degentibus in agro. Erat igitur *ſecus viam*, & ſubjacens periculo ne conculcaretur, & contemneretur ab unoquoque, juxta S. Joannis x effatum, *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, Id eſt, Filium Dei. Iſtud granum Divinum *cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Liceat mihi, ſi placet vobis, Auditores, per iſtas aves cœli intelligere ſpiritus Angelicos, qui ſunt veluti volucres cœli: nam cùm advertiſſent quòd iſtud granum Divinum, id eſt, Filius Dei, cecidiſſet *ſecus viam* iſtam publicam, turmatim deſcenderunt ad ipſum velut percutiendum, deguſtandum, & comedendum humillimâ adoratione præ cantu ſuaviſſimo, *Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* y. Prætereà, Sic fuit infelix in hoc caſu ut obvios habuerit

u Luc. 2. 7 &c.

x Joan. 1. 11

y Luc. 2. 13. & 14

lapides

lapides, qui ſiccaverunt ipſi bonum humorem ipſius, puta, ceciderit ſi per cultrum lapideum circuncisionis, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer* z: ſed ita acutum, ut traxerit ab ipſo partem humoris, aut ſanguinis quem habebat in corpore ſuo, & parùm abfuerit quin totum ipſum ſiccaverit, *Cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.* Inſuper, Videtur quod homines undequaque conſpiraſſent in ruinam ipſius, quia non ſolùm *cecidit ſecus viam*, & offendit in hunc lapidem importunum circuncisionis, *cecidit ſupra petram*; ſed cùm videret ſe magis elevatum, habens jam ſpicam meritorum ſuorum, & redemptionis noſtræ formatum, vidit etiam ſe coronatum *ſpinis* a ita pungentibus ut habuerint vim ipſius ſuffocandi, & eripiendæ ipſi vitæ, *Cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.* Tandem, *Cecidit in terram bonam.* Id eſt, cùm *Ieſu accepto corpore, Ioſeph involvit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento* b. Cùm enim à nulla parte impediretur illud granum, & inſuper eſſet ſufficienter mortificatum, vim habuit inde exeundi: *Surrexit enim* c *propriâ poteſtate* d, ait Dionyſius Carthuſianus poſt Evangeliſtam: & fructificandi centuplicatò, *Et ortum, fecit fructum centuplum.* Id eſt, obtinens à Patre ſuo gloriam corporis ſui, quam meruerat per effuſionem Sanguinis ſui, *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt* e, *videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum* f.

Extollamus tantiſper hunc diſcurſum, & dicamus allegoricè, quod per hæc quatuor puncta repræſentantur nobis quatuor præcipuæ circumſtantiæ, quæ inventa ſunt in perſona Filii Dei, una quæ intuetur ſolam perſonam ejus; & aliæ tres quæ reſpiciunt & perſonam illius & doctrinam ipſius ſimul. Quantùm ad perſonam ſuam, certum eſt, quod ipſe fuit in hoc mundo, prout viator aut peregrinus, ut dicunt Theologi, id eſt, quòd non ſolùm fuit comprehenſor & beatus, fruens jugiter viſione faciei Dei quantùm ad animam ſuam, ſicut Beati qui ſunt in cœlo; ſed etiam fuit viator quantùm ad corpus ſuum, non ſecus ac illi qui ſunt adhuc in hoc mundo, & peregrinantur ad acquirendum cœlum: *Non enim habemus hic manentem civitatem: ſed futuram inquirimus* g: valens facere actus meritorios, & virtutes exercere; & ut hic obnoxius miſeriis, doloribus, & aliis difficultatibus obviis in exercitio virtutis ſectandæ: *Cecidit ſecus viam.* Ipſe viator fuit ſicut nos, ſed è cœlo *cecidit ſecus viam*, non tamen in viam, quin etiam partim eſſet extra viam, quia ſimul erat paſſibilis & beatus; expoſitus omnibus injuriis prætereuntium ſuſtinendis; ſed præterea ſecurus & inconcuſſus in tranquillitate animæ ſuæ. Aliæ tres circumſtantiæ concernunt & perſonam ejus & doctrinam illius ſimul: *Et cecidit ſupra petram, & cecidit inter ſpinas.* Petræ & ſpinæ ſunt moleſtæ & importunæ; illæ propter reſiſtentiam quam afferunt incremento plantæ; illæ verò propter impedimenta actualia quæ illi opponunt. Quis autem neſciat quomodo Dei Filius ceciderit inter lapides, qui ſunt corda petroſa & indurata Judæorum, qui reſiſtebant jugiter ipſius doctrinæ accenſæ igne Spiritus Sancti, ſicut S. Stephanus improperabat eis, qui ipſum jam jam lapidibus erant obruturi, *Durâ cervice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* h: nolentes eum honorare, aut agnoſcere ut ſupremum Dominum ſuum, aut corda ſua flectere ad doctrinam illius? Quis autem non videt, quomodo ipſe invênit vias iſtas, aut agros iſtos ita ſpinis ſcatentes, ut vix liceret ipſi per otium capeſſere alimentum ſibi neceſſarium, occaſione tot perſecutionum, quibus impetitus fuit, ab ipſis vel incunabulis ſuis, teſte cæde Innocentium i, teſtibus calumniis, invidiis, & detractionibus quibus quotidie afficiebatur k; teſte tandem conjuratione manifeſtâ & univerſali peractâ adverſus ipſum, contra honorem & vitam ipſius l. Univerſæ probationes illæ, erant veluti totidem ſpinæ, quæ ipſum jugiter pungebant ad hoc ut ipſi irrogarent interitum, niſi inter tot homines inventi fuiſſent aliqui urbani, qui agnoverunt meritum & qualitatem ipſius, ut S. Joannes Baptiſta, qui ſuſcepit ipſum prout Agnum *Dei, qui peccatum mundi* m ſublaturus erat, & conſequenter illius redemptionem meriturus: Zachæus publicanus, qui excepit ipſum in domũ ſuam, & al. qui alii ſimiles, qui non erant petroſi, ut reſiſterent ipſius incremento; nec ſpinoſi, ut offenderent honorem, aut vitam ipſius; ſed omnino diſpoſiti ad ipſum ſuſcipiendum, prout venientem è manu hujus magni Patrisfamilias qui eſt in cœlo: qui eò quòd perfuncti fuerint officio bonæ terræ, omnes honorem ſuſceperunt centuplum, cùm ſingulis præconiis evecti fuerint a Filio Dei. S. Joannes, *Non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta* n. Zachæus, *Hodie ſalus huic domui facta eſt* o. Centurio, *Non invêni tantam fidem in Iſrael* p. Magdalena, *Fides tua te ſalvam fecit* q. Chananæa, *O mulier, magna eſt fides tua* r. Dimas, ſeu bonus Latro, *Hodie mecum eris in paradiſo* ſ. Et ſic de omnibus aliis, pro quibus dicit Evangelium noſtrum, quòd *ſemen*, quod eſt Jeſus Chriſtus, *cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum.* Id eſt, quòd centuplicatò fructificaverunt.

Tranſeamus ad aliud ſemen, quod hic idem Deus jugiter projicit ſuper corda noſtra, quod eſt ſanctum & Divinum verbum ipſius. Verum quidem eſt, Auditores, quòd Deus ſufficienter diſtribuit omnibus lumen Evangelii ſui, & myſteria fidei noſtræ: ſed heu! pars illius cecidit ſuper perſonas quæ ſunt veluti via publica, *Aliud cecidit ſecus viam.* Hæ perſonæ ſunt duo genera hominum, qui habent intellectum perverſum, & voluntatem depravatam. Qui habent mentem perverſam, ſunt ii qui non diriguntur niſi lumine naturali, & legibus prudentiæ humanæ, & inde judicant res fidei noſtræ, non æſtimantes eſſe aliquid poſſibile niſi id quod concipi poteſt ſenſibus, & experientiâ humanâ comprobari: illi, inquam, reperiuntur in via, quia non cognoſcunt niſi res naturales, & proprias huic vitæ tranſitoriæ, nec unquam ſuſcipere poſſunt, ſicut expedit, cognitionem fidei: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere* t. Sicut cùm Judæis dixit *Ieſus, Amen, amen dico vobis, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: multi audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* u? Qui autem habent voluntatem depravatam, ſunt illi qui non poſſunt ullum guſtum capere in rebus ſpiritualibus, ſi hæ non ſunt omnino conformes affectibus ipſorum animalibus, inimici crucis JESU Chriſti, amatores propriorum corporum ſuorum, idololatræ ventris ſui, & voluptatum ſuarum,

z Luc. 2. 21. ex Lev. 12. 3.
a Joan. 19. 2. &c.
b Matt. 27. 59. &c.
c Matt. 28. 6.
d Dion. Carth. art. 45. in Matth. 28. 6.
e ex Pſ. 8. 6.
f Hebr. 2. 9.
g Hebr. 13. 14. ex Baruch. 2. 10.
h Act. 7. 51.
i Matth. 2. 16.
k Joan. 7. 12.
l Joan. 11. 45.
m Jo. 1. 29.
n Matt. 11. 11.
o Luc. 19. 9. &c.
p Matth. 8. 10.
q Luc. 7. 50.
r Matt. 15. 28.
ſ Luc. 23. 43.
t 1. Cor. 2. 14.
u Joan. 6. 53. & 60.

sum,

rum, & qui non reſpirant niſi terram, de quibus ſic loquitur Apoſtolus, ſcribens Philippenſibus
x Philipp. 3.18.& 19 x. *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Et hi ſunt illi qui nolunt audire ſermonem de pœnitentia, de jejunio, de mortificatione, de emendatione vitæ, & de reformatione morum: iſtud enim omne directè repugnat legibus carnis & ſanguinis, quæ majorem ſuper ipſos habent vim quàm omnes leges Dei: & mirandum non eſt, ſi Divinum verbum iſtud conculcatur ab hominibus hujuſmodi, cùm non ſint in hoc mundo, ſicut videtur, niſi ut impinguentur bonis, quæ oculi exhibent ipſis intuenda.

Sed illi non videntur mihi ita improbi, qui habent corda petroſa: ſilices enim qui ſunt in aliqua terra, ſicut ſcitis, non impediunt quin granum ingrediatur terram, & radicem ſumat, ſed ſi ſemel radicem cepit, hujuſmodi ſilices terram tenent ita ſiccam & vacuam humore ut augeri non ſinant germen, nec magnificari caulem; & ſic arere faciunt totam plantam: hi ſunt illi, qui eò quòd habeant aliquam flexibilitatem cordis, promptè feruntur ad credendum id omne quod ipſos edocetur, ſed non nutriunt iſtam fidem humore charitatis, quæ hoc habet bonum & proprium ut ejiciat omnia impedimenta & obſtacula noſtræ fidei; ſed ſi ipſa deficit, ſtatim ad minimam concuſſionem commovemur, tenuiſſima tentatio nos deſpondere facit animum, & inſultatio debiliſſima nos labi facit: atqui fides ad hoc ut ſit firma & ſolida, & talis qualis eſſe debet ut ſit fructuoſa, debet nos diſponere ad æſtimandum tanti verbum Dei, ut parati ſimus ad amittendam vitam potiùs quàm ad infringendum vel unicum ipſius articulum; non quòd neceſſarium ſit ut effectivè deſeramus res omnes, quæ nobis placent, quæ ſunt differentes à rebus ſpiritus; ſed quia ſic amantes eſſe debemus illius omnis quod placet voluntati Dei, ut ſi opus ſit ad ei complacendum, ut deſeramus patrem, matrem, bonum, honorem, ſanguinem & vitam ad implendam hanc ſanctam illius voluntatem, aut ad præbenda teſtimonia veritati Evangelii ejus, nullam ſentiamus circa iſtud difficultatem, cùm ipſemet Deus dicat, *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam: non poteſt meus eſſe diſci-*
y Luc. 14. 26. *pulus* y. Nolite igitur mirari ſi multi ſuſcipiunt fidem, incipiunt credere, ſe dicunt filios Eccleſiæ; & ad primum occurſum puſillanimi fiunt in fide ſua, frigeſcunt à primo fervore ſuo, & fiunt alii effectivè quàm ſe publicaverant in primis proteſtationibus ſuis: ſunt enim corda petroſa, quæ ſuſcipiunt quidem granum, ſed illud non fovent operibus congruis huic primo fini: *Nam qui ſupra petram: qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Quam multi ſunt in mundo qui facilè credunt res concernentes ſalutem ſuam, qui libenter aurem dant iis, qui annuntiant ipſis voluntates Dei, qui citò ingrediuntur timorem judiciorum ejus, cùm illorum dantur ipſis certitudines per vivam repræſentationem culparum ipſorum, & qui ſtatuunt perſeverare in talibus timoribus, & putant quòd poterunt facilè ſuperare difficultates omnes poſſibiles; ſed *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Si enim occurrat ipſis occaſio ſimilis præcedenti, ſi naſcatur ipſis aliqua ſuggeſtio inopinata diaboli, ſi viſitentur à perſonis quæ aliàs induxerunt ipſos ad peccatum, ſtatim manifeſtabunt quomodo propoſitum ipſorum non erat ſatis firmum, confeſtim enim obliviſcentur omnis illius quod inceperunt boni, & omnis illius quod ſtatuerant ſe facturos, eò quòd illud non jugiter foverint actibus amoris Dei.

Quàm ritè ſentiebat iſtud Apoſtolus z, cùm z Rom. 8. 35.
bellum videbatur univerſis indicere creaturis, dicens, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Et alibi a aſ- a Philipp. 4.13.
ſerebat, quòd univerſa poſſet fultus amore Dei ſui, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Ha! quàm Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices, ubi ſemel ſe mancipaverunt obſequio Dei, poſtquàm præbuerunt aurem inſpirationi ſancti Spiritus ejus, illique ſe voverunt vinculo ſacro Re-
ligionis b, experiuntur apprimè vim amoris b Matth. 19. 27. &c.
Dei, cùm authoritas patris, blanditiæ matris, amicitia propinquorum, ſocietas amicorum, converſatio mundi, voluptates carnis, deliciæ vitæ quæ ordinatiè contrariæ ſunt innocentiæ, ambitio magnitudinum, & poſſeſſio propriæ voluntatis, quæ tantam habent poteſtatem ſuper omne genus hominum, nullam inferant ipſis vim ad hoc ut mutent conſilium quod ſemel formaverunt projiciendi ſe inter brachia Dei, & ſe vovendi obſequio ejus: nam idem Deus qui præbuit ipſis ſemel degustandum mel dulcedinis ſuæ, & bonum granum doctrinæ ſuæ, dicendo ipſis, *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt*
Dominus c, providet ipſis jugiter guſtum bo- c Pſ. 33. 9.
num, & tantam voluptatem quam percipiunt ex iſta prærogativa, ut obſerventur in ipſis quotidie nova ac reperita gratiæ & perfectionis in-
crementa eundo *de virtute in virtutem* d uſque d Pſ. 83. 8.
ad conſummationem gloriâ dignam. Quare hoc? Quia non ſe dedunt Deo ad tempus, nec eâ intentione ut à propoſito ſuo recedant ex quo ſtadium ſuum percurrere cœperint, neque ſunt è numero eorum qui *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt:* ſed ad totam vitam ſuam; imò verò ad capiendam ibi novam vitam, & ad faciendos fructus dignos velut appetitu & guſtu Dei.

Verùm quidem eſt, quòd omnes qui incipiunt novum vivendi modum, & emendationem vitæ, multas obvias habent ſpinas & difficultates quæ naſcuntur eodem tempore, *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patien-*
tur e. Ita ut omnia eadem inſtrumenta, quibus e 2. Tim. 3. 12.
utebantur ad malè agendum, videantur torpida, aut mortua, ſi agatur de applicandis iiſdem bono: Nam mens quæ acuta erat ad comminiſcendas innumeras adinventiones ad exequenda mala conſilia, videtur hebes cùm cogitandum habet de redeundo ad Deum; Voluntas quæ erat diſpoſita ad diligendum mundum, & ad determinandam ſe ad aggrediendum quidlibet pravum, fit ſtupida, ſi agatur de renunciando generosè omni illi quod induxit ipſam ad offendendum Deum: Memoria quæ jugiter recordabatur minimarum injuriarum ſuſceptarum, ut de illis expeteret ultionem; amittit vivacitatem ſuam cùm agitur ut præ ſe ponat eas, quas irrogavit Deo: Brachia, quæ ſic erant induſtria ad omne genus nequitiæ patrandum,

efficiontur gravia, ſi movenda ſint ad exercitium virturis: Qui priùs *veloces pedes ad effundendum ſanguinem* [f] erant, æquè ac ad currendum ad omne genus pravæ ſocietatis, fiunt impotentes, cùm dirigendi ſunt ad loca deſtinata ad pietatem: Tandem, Omnia membra corporis videntur mutaſſe naturam & complexionem cùm mutandus eſt vivendi modus: hujusmodi ſunt totidem ſpinæ quæ naſcuntur cum virtute, imò verò magis progrediuntur, cùm jam appareant magnæ ex quo incipit aliqua nota virtutis apparere in hujusmodi perſonis. Has ſpinas non omnino condemno: ſcio equidem quòd opera virtuoſa, non eſſent meritoria coram Deo, ſi ſocias non haberent aliquas difficulrates: & ſicut victoriæ glorioſiſſimæ ſunt illæ quæ de potentiſſimis referuntur inimicis inter crudeliſſima certamina; ſic actus virturis qui magis fuerunt examinati primis difficultatibus, ſunt ii qui plus habent honoris & meriti cùm ſuperaverunt eas: ſed ſpinæ maximè pungentes, & pernicioſiſſimæ, ſunt eæ quæ naſcuntur voluntariè, quales ſunt colloquia æquo liberiora quoad illa quæ virtuti non ſunt ſociabilia: Si ſentiam venire tempus quo oporteat ut vacem bono operi; & ſtatim voluntariè quæram quid circa quod me occupem, & hæc occupatio non ſit ſociabilis tali operi; ſi videam me nactùm occaſionem peragendi actus charitatis, & proprio marte quæro quid aliud ad quod me convertam, & ab eo charitatis actu me avertam: ſi inſpiratus ſim ad libenter audiendos eos qui me monent charitativè officii mei propter utilitatem meam; & antequam os aperiant, quæram aliquem honeſtum prætextum, cujus ementito colore fultus, induſtriè à ſocietate illorum recedam: omnes iſti agendi modi, ſunt ſpinæ quæ naſcuntur eodem tempore quo prima grana ſeminis Dei nobis accidunt, ſed ſpinæ pernicioſiſſimæ, cùm naſcantur ſecundùm voluptatem & intentionem illius, qui teneretur eas comburere, vel penitus evellere: & ideò mirandum non eſt ſi *ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.*

Sed cur, Auditores, Verbum Dei, quod eſt ſanctum ſemen ipſius, non operatur omnem fructum, quem idem Deus prætendit? Nunquid nō ipſe eſt qui illud communicat? Et illud communicans nonne intendit quòd ſit efficax? Annon ipſum eſt bonum? Quare ergo non videmus bonum ſucceſſum illius per diſtributionem quam Deus ejus facit? Ha! non eſt quòd hinc oporteat ut ambigamus de bonitate verbi Dei, ſed ſufficere nobis debet, quòd *aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum,* ad hoc ut fateamur, quòd iſtud ſemen ſanctum habet in ſe bonum principium vitæ; & quòd ſi in tribus his generibus terrarum, aut perſonarum, quarum meminimus, ipſum non fructificavit, hoc contigit ex mala diſpoſitione quæ reperiebatur in ipſis, prout dicit finis Evangelii noſtri: *Eſt autem hæc parabola: Semen, eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam: hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. Nam qui ſupra petram: qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam; hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Verum quidem eſt, quòd inter grana & ſemina hujus mundi, aliqua reperiri poſſunt ſic corrupta & depravata, ut, licèt projiciantur in bonam terram, nō poſſint tamen multiplicari: non latet vos iſtud, Auditores; ſi contingat vobis aliquando ut malū granum projiciatis in terram bonam: ſed intuitu Dei, res alio modo ſe habet: ſemen enim ipſius eſt optimū, puriſſimō, & ſanctiſſimum: quòd ſi ipſum nō correſpōdeat primæ puritati ſuæ poſtquàm projectū eſt, defectum iſtum attribuite terræ, quæ eſt. aut nimis pervia, vel petroſa, ſeu ſpinoſa, & ideò inidonea ferendæ bonæ meſſi: dico, nimis pervia, aut petroſa, vel ſpinoſa; non quòd ex ſe, aut ſecundùm primō ſuum temperamentum habeat malas iſtas diſpoſitiones: nā, cùm omnes homines habuerint eadem principia naturæ, univerſi habebant eandem diſpoſitionem naturalem & radicalem ad ferendū bonū fructum, alioquin hæc quarta terra, quæ fructum fecit, nō tuliſſet eum; aut dicendum eſſet, quòd Deus feciſſet duas naturas hominib⁹, unam bonam, & alteram malam, cum Manichæis *à quodā Perſa, qui vocabatur Manes, duas animas, vel duas mentes, unā bonā, alterā malam in uno homine* aſſerentibus. juxta S. Auguſt. [g]. Sed ſi eſt differentia & inæqualitas in fœcunditate quatuor iſtarum terrarum, & aliqui proficiunt in perfectione, & alii manent ſemper magis indevori & obſtinati, dicite audacter quòd iſtud provenit ex eo, quòd detrahentes primæ inclinationi & aptitudini naturali, quâ ferebantur ad obſequium Dei, *Dilexerunt magis tenebras quàm lucē* [h], oppoſuerunt ei obſtacula manifeſta. Si ergo iſti nihil agunt boni, iſtud eſt refundendum in pravam ipſorum voluntatem: & ſi alii ritè ſuſcipiunt bonos motus quibus afficiuntur erga virtutem, eosq; apprimè inſumunt, gloria iſtius boni operis referenda eſt ad gratiam Dei: hæc autem gratia eſt tamen ex ſe ſic prodiga, ut ipſa parata ſit ad ſe cōmunicandam omnib⁹ illis qui deſiderant facere fructificare ſemen iſtud verbi Dei in manibus ſuis. In quo meliùs agnoſcere poſſumus bonitatem Dei, qui perſæpè dat hominibus gratias ſpeciales, quæ ſufficerent ipſis ad hoc ut evaderent magni Sancti, licèt ſciat quòd infallibiliter illis abutentur, easque deſpicient: ego autem pro certo teneo, quòd, ſi cùm porrigitis aſſem pauperi ad ſublevandam illius miſeriam, is deberet illum in terram projicere, eumque conculcare, vos eum nō daretis illi; & quòd, ſi cùm vobis aliquem devincitis hominem aliquo beneficio, certi eſſetis quòd poſt ſuſceptum à vobis hujusmodi beneficium, is eſſet vos deriſurus, & vos perſecuturus quantùm poſſet, ne vel minimam demonſtraretis ei amicitiæ notā: vos enim qui æſtimatis eleemoſynam veſtram, & beneficia veſtra, deſideratis etiam ut illi qui ex his ſuas deſumpturi ſunt utilitates, ea tanti æſtiment, quanti vos ipſa ducitis: Deus noſter magis eſt urbanus quàm ſitis vos: licèt enim pro certo ſciat, quòd ferè omnes nos ita ſimus affecti, ut è bono quod ipſe nobis eſt erogaturus, nos erutori ſimus malum; non ceſſat tamen ſingulis momentis nos ſibi devincire novis beneficiis: & ſi cùm vultis ſerere frumenta veſtra, certi eſſetis, quòd, nedum ex iis aliquid magis colligeretis, & copioſâ meſſe granaria veſtra repleturi eſſetis, nun deberetis inde colligere niſi ſpinas; ſanè ſic incōſiderate nō exponeretis periculo

id quod

[f] Pſ. 13. 3.

[g] S. Aug. lib. de Hæreſ. ad Quodvult Deum, nu. 46.

[h] Joan. 3. 19.

quod præ veſtris habetis manibus: Deus autem noſter, certus de pravo affectu noſtro, & de jactura quam peragemus gratiarum ipſius, continuat tamen nobis illarum tantum dare, quantùm indigemus ipſis ad operandam ſalutem noſtram, ſi tantisper iisdem gratiis ipſius cooperari velimus: nos verò ingrati, pedibus proterimus id, quod ferre præ fronte deberemus; derdemus eum qui nihil magis vult quàm profectum noſtrum; ſubminiſtramus petris, & ſpinis durities & aculeos ad meliùs impediendum progreſſum emendationis noſtræ: agnoſcimus unde veniant impedimenta noſtræ ſalutis; jacturam noſtram incurrimus, & hoc cognoſcimus, & hanc jacturam moliri affectamus; rejicimus inſpirationes, quas Deus ad nos mittit, ut ſocietatem ioitâ cum rebus mundanis cuſtodiamus, quæ tamen ritè agnitæ, non ſunt niſi infirma ſubjecta, & apparentiæ boni, quæ ullo ſatisfacere non poſſunt appetitui noſtro, cùm econtra inſpirationes iſtæ, ſint prænunciæ noſtræ ſalutis æternæ.

Sed Deus mi, nunquid non vergit in magnum damnum, quòd tanti theſauri non æſtimentur, & quòd gratiæ, quas nobis tribuis, quæ ſunt tot grana ſancti ſeminis, quod nobis daret, ſi vellemus, eandem vitam, quæ te reddit beatum, & immortalem, ſuſcipiantur à nobis ut res nihili? Ipſe ferè induceres mihi in animum, quòd ipſemet eas parvi ducas, cùm certus de ingratitudine noſtra, majorem noſtri curam habeas, & plures nobis easdem præbeas. Sed video quænam ſit ratio iſtius tui procedendi modi: tantùm bonus es, quantùm es dives: *Infinitus enim theſaurus* i Sap. 7. 14 *eſt hominibus* i à te conſtitutus, æquè ac bonitas tua *non habet finem* k. k Baruch 3 25. Et quia non metuis ne granaria tua evacuentur, eò quòd ex illis eduxeris tot genera granorum, hujusmodi liberaliſſimus es: & quoniam ſcis quòd beneficia, quæ non ſumunt occaſionem à meritis eorum qui ipſa ſuſcipiunt, teſtantur ſemper meliùs bonitatem illius qui ipſa facit; ipſe qui vis nobis oſtendere, quòd bonitas quam præ te fers, eſt ad profectum noſtrum deſtinata, continua ſemper, ſi placet, majora & inſigniora beneficia largiri. Etiam, Domine; iſtud eſt quod volumus, quia ſic eſt placitum tuæ Divinæ voluntati, & contenti ſumus, quòd brachium tuum ſemper vacet actioni ad benefaciendum nobis, & ad jaciendum in animas noſtras ſemen gratiæ tuæ, & doctrinæ tuæ. Sicut enim corda hominum toties mutant temperamentum quoties Luna facies, forſan ſi hodie cor noſtrum eſt petroſum, & humore bono deficit ad nutriendam gratiam iſtam; intra dies aliquot incipiemus effundere aliquas lacrymas ad deploranda peccata noſtra antiqua, quando Quadrageſima nos ad iſtud invitabit; & iſtæ lacrymæ ſervire poterunt ad emolliendam duritiem noſtram. Et ſi hodie vagi ſumus per vias, noctu æquè ac diu vicos & plateas percurrentes, exceſſibus & diſſolutionibus indulgentes, & hujusmodi curſibus teſtantes inſtabilitatem mentium noſtrarum, & inconſtantiam cordium noſtrorum, unde fit ut gratiæ tuæ *ſemen ſecus viam* publicam cadat; fortaſſis diebus proximè imminentibus meliùs vacabim⁹ devotis muniis quæ exercebũtur in agro Eccleſiæ: Et ſi usque nunc non ſuſcepimus hoc granum ſanctarum inſpirationum tuarum propter ſpinas & difficultates ordinarias eis qui volunt amplecti aliquod ſanctum conſilium, fortaſſis impoſterùm reperiemus *jugum* l tuæ le- l Matt. 11. 30. gis & obſequii tui ſuavius, & ex iisdem difficultatibus iſtis induſtriè educemus fructum & occaſionem meriti: effice igitur ſemper, Domine, id quod agis, & continua nobis dare beneficia tua, & citò aut tardè terra animarum noſtrarum fœcundior efficietur & reddet tibi fructus, quos expectare potes à ſic amoroſa & favorabili cultura.

Sed attendite, Auditores, ne quandiu pro vobis deprecor hunc magnum Patremfamilias, qui eſt Deus noſter, ſi vos uniatis preces veſtras meis, & ipſe me exaudiat exorantem, oratio mea vertatur in infortunium veſtrum, & in magnam confuſionem veſtram: nam magnus iſte Paterfamilias metit plus quàm ſeminavit, & tempore magnæ meſſis, nempe die extremi judicii m, m Matth. 25. 31. &c. quo examinandus eſt totius vitæ noſtræ curſus, exactiſſimus erit in inquiſitione fructuum & operum noſtrorum; & ſi reperiatur quòd requiſiverimus ipſum ut jaceret in animas noſtras ſemen tot gratiarum, & quòd deinceps præ nobis feramus manus vacuas, quomodo tantam ſuſtinere poterit infidelitatem? Multò ſatius fuiſſet ut dereliquiſſet nos incultos quandiu eramus in mundo, quam ut culti fuerimus, & non fideliter correſponderimus magnæ curæ, quam ipſe habuit noſtri. *Obſecro, Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua* n, n Dan. 9. 4 non obſtantibus his perſiſtimus in petitionibus noſtris, & coli volumus manu tuâ: effici quippe volumus bonæ terræ, & reddere tibi abundanter & centuplicatò fructos talis ſeminis, ut in æternum tecum nutriamur in gloria.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur; & poſtquàm flagellaverint, occident eum.
Luc. 18. 31. &c.

SI res rariſſimæ ſunt admirabiliſſimæ, & ſi illæ quæ minùs perſæpè contingunt, noſtram magis attrahunt curioſitatem, cùm propter iſtum finem turmatim concurramus ad theatra, & libenter ibi maneamus, cùm obſervamus illic aliquid exquiſitum & extraordinarium, & ibi tædeat nos, cùm non advertimus ibi niſi res communes; unde fit etiam ut homo, licèt aliunde ſtupidus, & quantùmvis in terram defixos habeat oculos, ſuum ſurſum versùs cœlum ele-

vet intuitum, cùm appatet ibi phœnomenon aliquod extraordinatium, Solem intuetur cùm lapſus eſt in eclypſim, ut dicitur, *Sol niſi cùm deficit, non habet ſpectatorem*; & aſpicit Lunam, cùm defectum luminis ſuſtinet: admiramini mecum mirabilia inaudita, quæ præ noſtræ mentis oculis ponit Eccleſia die hodiernâ, & animos veſtros deferte in montem Calvariam, ut eos exhibeatis ſpectatores crudeliſſimæ tragœdiæ, quæ ibidem peragitur: videte quomodo *obſcu-*
a Luc. 23. 45. *ratus eſt Sol* a, ut lucere ſinat Crucem Salvatoris mei; quâ ratione ſuam Luna claritatem abſcondat, ut locum cedat aſtro novo, quod defert Deum luminis, *Erat lux vera quæ illuminat o-*
b Joan. 1. 9 *mnem hominem venientem in hunc mundum* b. Et conſiderate omnes creaturas, quæ videntur de-
c Matt. 27. 45. &c. ſinere eſſe c, ut oſtendant nobis potentiam d
d Pſ. 64. 7. in infirmitate ſua, gloriam e in infamia ſua, &
e Pſ. 63. 12 altitudinem f in profundiſſima humiliatione
f Habac. 3 10. Creatoris ſui. Ipſum eſt lignum Crucis, cui Dei Filius ſuffixus eſt, quod Eccleſia nobis offert ut teſtimonium fœderis, quod Deus pepigit nobiſcum, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive*
g Coloſſ. 1. 20. *quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* g. Maria eſt etiam crux, ſed ſuavior iſtâ, *Dico illam eſſe crucem: extendens enim ſanctas ulnas ſuas, Dominum porta-*
h S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip. *vit*, ait ſanctus Epiphanius h. Ipſa eſt inſtrumentum noſtræ reconciliationis, cùm Filius ejus pluries ſe obtulerit ſuo Patri æterno inter
i Luc. 2. 7. &c. brachia ipſius i, imò verò in viſceribus illius, in quibus carnem noſtram induit, poſtquàm *ingreſ-*
k Luc. 1. 28. & 38. *ſus Angelus, ad eam dixit, Ave* k *Maria.*

Sicut tres adoramus in Divinitate perſonas, quæ non ſunt niſi una & eadem ſubſtantia, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater,*
l 1. Jo. 5. 7 *Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt* l: & quæ conſtituunt perfectionem hujus Entis Divini, conſummantes altiſſimum myſteriorum noſtrorum, & quod eſt fundamentum aliorum omnium: ita tres habemus virtutes, quæ intuentur Deum, & ideò vocantur Theologicæ,
m 1. Cor. 13. 13. ſunt *autem fides, ſpes, charitas* m, quæ conſtituunt perfectionem Chriſtianam, & ſunt fundamentum & baſis omnium aliarum virtutum: ipſæ ſunt quæ Deo nos fortiter alligant ut partes præcipuæ religionis; cùm fide concipiamus & ſentiamus altiſſima de magnitudine Dei ſuprema, ſpe recurramus ad potentiam ejus, contemnentes poteſtatem creaturarum, & charitate corda noſtra retrahamus è terra, ut alligemus illa cælo; *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus*
n 1. Cor. 6 17. *eſt* n. Iſtæ tres virtutes, propriè loquendo nos uniunt Deo. Fide concipimus illum in mentibus noſtris, ſicut Pater æternus concipit & generat Verbum ſuum operatione cognitionis ſuæ: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego ho-*
o Pſ. 2. 7. *die genui te* o. Spe recurrimus ad Filium, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine*
p Apoc. 1. 5. *ſuo* p. Et charitate adhæremus Spiritui ſancto, Deo amoris, qui producitur à voluntate, *Paracletum, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veri-*
q Jo. 15. 26 *tatis, qui à Patre procedit* q. Tres iſtæ virtutes, quæ peragunt & conſummant fœdera noſtra cum hoc Ente ſupremo, non erant ampliùs in mundo: & ſicut *omnis caro corruperat viam ſu-*
r Gen. 6. 12 *am* r priuſquàm eſſet *factum diluvium* ſ: ita &
ſ Gen. 7. 17 omnes populi aberrabant ab obſequio Dei veri ante adventum & mortem Jeſu Chriſti, & tan-
t Pſ. 75. 2. tùm *notus in Judæa Deus* t erat, ubi vigebat et-
u Matt. 3. 7 & Jo. 4. 20 ex Deut. 12. 6. iam ſchiſma & hæreſis u: ſpes fulciebatur quaſi tota Legis operibus informibus, *ſeu elementis*
mundi x. Et charitas non erat ampliùs inter po- x Gal. 4. 3.
pulos fideles, qui gloſſas attulerunt ſuper mandatum amoris y. Hæc omnia reparavit Dei Fi- y Matt. 5. 43. &c.
lius per Crucem ſuam, quæ eſt *ſignum fœderis quod inter ſe & nos ipſe dedit in generationes ſempi-* Deut. 1. 5. &c.
ternas z. Et quæ Primò ſtabilivit fidem in mun- z Gen. 9. 12.
do: Secundò potenter extulit ſpem: Tertiò reaccendit charitatem, ut videbimus in triplici Diviſio.
parte diſcurſus iſtius.

Deus, cujus notitia facit ipſius felicitatem, I Part.
noluit eſſe ſolus qui cognoſceret perfectiones ſuas, ſed ejuſdem Divinæ ſuæ cognitionis hominem voluit etiam eſſe conſortem, & inde procedit quòd nunquam deſtitit providere ei media idonea quorum beneficio perveniret ad notitiam ipſius, ipſique debitum honorem exhiberet: propterea univerſæ creaturæ magnificentias ejus propalant, & quantùmvis ſurdi videantur homines, non eſt aliquid in toto orbe, quod præ oculis illorum non ponat excellentias illius, qui fecit *cælum & terram, & quidquid cæli ambitu con-*
tinetur a. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera ma-* a Eſth. 13. 10.
nuum ejus annunciat firmamentum b. Tamen ho- b Pſ. 18. 1.
mo ſic eſt ſtupidus, ut, licèt hæc omnia mirabilia plusquàm ſufficiant quæ ipſum trahant ad Deû, ad eum tamen non feratur niſi vix, nec reſpondere velit vocibus mutis, quibus eotia vel inanimata ipſum ſolicitant ut eat ad Deum ſuum. Inde Dominus iſte ſemper amantior iſtius immemoris & ingratæ creaturæ, videns quòd vox muta creaturarum non poterat hominis mentem convincere, voluit illi alterum tribuere medium, quod nimirum fuit humilitas & infirmitas crucis, quæ apparuit inſtar ſcandali Hebræis, & more ſtultitiæ Gentilibus; *Quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod in-*
firmum eſt Dei, fortius eſt hominibus, ait S. Paulus c. c 1. Cor. 1. 21. &c.
Quaſi diceret, Quoniam noluerunt homines ſuum cognoſcere Creatorem ex notis, quas Sapientia æterna impreſſerat ſuî creaturis ſuis: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit: inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divini-*
tas; ita ut ſint inexcuſabiles †: dignatus eſt illis † Rom. 1. 19. & 20.
ſe cognoſcendum exhibere mediâ ſtultitiâ crucis, ut per fidem crucis & mortis ipſius ſibi compararent veram notitiam Divinitatis. Ego autê cùm audio Apoſtolum, qui erat Princeps cæterorum, quippe cui dixerat Dei Filius, *Ego dico tibi quia tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meã, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves Regni cælorum: & quodcunque ſolveris ſuper terrã, erit ſolutum & in cælis*, qui æquo animo non poteſt audire, quod Dominus ſuus, quem ipſe Deum confeſſus eſt, dicens, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, paſſurus eſſet injurias & ignominias crucis; & quòd, *ubi cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eũ ire Jeroſolymã, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotũ, & occidi: aſſumens eũ Petrus, cœpit increpare illũ,*
dicens, Abſit à te Domine: nõ erit tibi hoc d: nõ miror d Matt. 16. 16. &c.
ampliùs, quòd ſic loquatur Apoſtol⁹, ſi Judæi adhuc toti carnei, & Gentiles alligari ſuperſtitioni credi-

Digitized by Google

crediderunt, quòd crux eſſet ſcandalum, & ſtultitia; ſed cùm audio quòd conſequenter Dominus meus corripit acriter diſcipulum ſuum repugnantem futuræ cruci ipſius mediis maximis carnis, quæ non intuebantur niſi ſapientiam humanam & animalem, *Qui converſus, dixit Petro, Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum:* dico, & verum annuntio, latère myſteria ſub hàc infamiâ apparente ad extrà, & quòd id, quod videtur ſtultitia errantibus, eſt ſapientia perfectorum, quæ ducit illos ad notitiam Dei: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non hujus ſeculi, neque Principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo Princi-*
e 1.Cor.2. 6.&c. *pum hujus ſeculi cognovit*, ait ſanctus Paulus e. Quomodo verò auderem ego talem conceptum formare, niſi is innitererer verbo Dei, quod eſt
f Joan. 14.5 infallibile, quia eſt ipſa *Veritas* f? & confirma-
g Iſai.11. 10. retur ab Iſaia g, qui delineans nobis aliquid gloriæ iſtius crucis Meſſiæ, dixit, *Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.*
* Cornel. in Iſai. 11.10 Unde Cornelius * ſuper hæc verba ejuſdem Iſaiæ, *In die illa, radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur,* ait, *Signum Hebr. eſt vexillum, quo ſignificatur, Emmanuelem fore Imperatorem, qui elevabit vexillum, ad quod omnes gentes confluent. Senſus ergo eſt, quaſi diceret, Cùm prædicabitur Evangelium, tunc ſurculus iſte è radice Ieſſæ germinans, putà Chriſtus, exaltatus in crucem, ibique erectus in vexillum, omnes, tam Iudæos, quàm Gentes, trahet ad ſe & ſua caſtra, ut illum requirant, in eum ſperent, ejuſque opem invocent, quâ hoſtes ſuos, diabolum, peccatum, carnem, & mundum devincant. Hoc eſt quod ait Chriſtus, Ego ſi exaltatus*
h Joan. 12.32 *fuero à terrâ omnia traham ad meipſum* h. *Ita ſan-*
i Rom. 15. 12 *ctus Hieronymus, imò ſanctus Paulus* i. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum. Quia de ſigno crucis, quod infame erat, egit Propheta, hinc hanc infamiam abſtergit dicens, quòd crucifixi Chriſti Ducis noſtri ſepulchrum erit glorioſum. Hebr. eſt, Et erit requies ejus gloria. Quaſi diceret, Requies Chriſti à labore & morte, & id quod opprobrio crucis & mortis ſucceſſit, ut ſepulchrum, nominis exaltatio, reſurrectio, triumphus glorioſa fuerunt. Quocirca S. Chryſoſtomus disertè docet, quòd Chriſti paſſio, crux, ſepulchrum, omneſque ignominia poſt requiem, id eſt, mortem, in gloriam, & triumphum*
k S.Aug. lib.1.de Conſenſ. Evange- liſt.c.31 *ſunt verſa. Quod S. Auguſtinus* k *oſtendit fuiſſe inſolubile ſignum Divinitatis.*

Hæc eſt ratio propter quam Filius Dei voluit potiùs ſuſtinere crucem, quàm quodlibet aliud ſupplicium, ut nimirum deſtrueret Divinitates mendaces, quas Gentiles adorabant ſub figurâ ligni: ſic horribiliſſima & maximè ſacrilega ſacrificia fiebant in ligno, & ex ligno fiebant idola; quaſi verè fuiſſent confeſſi inter ſua mendacia hujuſmodi Ethnici, quòd cùm lignum eripuiſſet ipſis notitiam veri Dei, culpâ Protoplaſtorum ſuorum, lignum foveret ipſos in cæcitate ipſorum. Et ſic ſolum lignum debebat triumphare de multis, ut concinit Eccleſia, loquens de diabolo, *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Solum lignum debebat dare notitiam ſolius Dei, ſicut multa ligna invexerunt multitudinem deorum in illorum phantaſias: ut verificaretur id, quod Patres elocuti ſunt poſt
l Pſ.95.10. juxta S. Augus. Pſ. 95.10.S. Pſalmiſtam l, *Dominus regnavit à ligno.* Inde procedit, quòd crux non ſolùm ſervivit Jeſu Chriſto ad merendam exaltationem humanitatis ipſius, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus* Cypr. de Montib. Sinà & Sion.n.49 & Tert. l. 3.contr. Marcion. c.19 m Philipp. 2.8.& 9 *exaltavit illum* m: ſed etiam ad exhibendam mundo notitiam Divinitatis abſconditæ in iſto corpore quod patiebatur, & incognitæ Gentibus, qui vivebant abſque cognitione veri Dei, *Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos eratis Gentes, qui eratis illo in tempore ſine Chriſto, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo* n. n Ephel.2. 11.&c. Et ſic nullo modo communicabant promiſſionibus Dei, nec fœderi quod ipſe habebat cum amicis ſuis, & adorabant dæmones: ſed ex quo crucem pertulit, illi qui ab eo erant remoti, acceſſerunt ad eum. & Sanguis qui fluxit ex hoc inſtrumento ſalutis, univit illos Deo: *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis propè in Sanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis evacuans: ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Iſte autem Sanguis unionem fecit hanc admirabilem, de quâ loquitur ſanctus Bernardus o præter alias duas, quas ipſe recenſet, & o S.Bern. ſerm. 3.in Vigil. Nat.Dom. quas omitto, *miſturas. Conjuncta quippe ſunt adinvicem fides & cor humanum.* Hoc autem nobis repræſentatum fuit in hoc, quòd, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit Sanguis & aqua* p, iſte Sanguis exiliens in p Joan. 19.34 oculos Longini, reſtituit ei viſum corporalem, & ſpiritualem ſimul, in ſignum quòd Sanguis crucis præbiturus eſſet hominibus notitiam veræ Divinitatis. Et hæc eſt fortaſſis ratio propter quam crux aſpicitur ubique ſuper templis, quæ fuerunt aliàs idolis conſecrata, ut trophæum deſtructionis ipſorum: ipſa exhibetur recolenda in faſtigio ſeu acumine pyramidum, quas elevaverant olim Ægyptii Soli, quia ipſa fert per totum mundum lumen magis neceſſarium animarum noſtrarum ſaluti, quàm ſit illud, quod noſtris ſubminiſtrat oculis hoc idem, quod *fecit Deus luminare majus, ut præeſſet diei* q. q Gen.1. 16 Sic *& obſcuratus eſt Sol* r iſte, & r Luc.23. 45 qui pulchritudine ſuâ non potuerat homines attrahere ad cognitionem Dei, latuit in morte ejus, ut locum cederet cruci, unde inductus eſt Centurio ad confitendum Filium Dei illum, qui in ea patiebatur eclypſim, ibi vitam amittens, *Centurio autem & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte* †. † Matth. 27.54 Luna operuit ſe luctu & velo triſtitiæ, quaſi ipſam ſuæ puderet infirmitatis & impotentiæ, ut ipſum quod *fecit Deus luminare minus, ut præeſſet nocti* ſ, ſ Gen.1. 16 eò quòd non habuiſſet ſatis luminis ad trahendos homines ad obſequium veræ Divinitatis. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt* t. Tandem, Omnes t Matth. 27.51.& 52 creaturæ deordinatæ ſunt, & confuſione opertæ, quaſi ſe agnoſcentes impotentes ad convincendas mentes hominum, univerſæ locum ceſſerunt cruci, ut ſola prædicaret, ſicut etiam omnes cedent ei locum ipſo extremi judicii die: eclypſis Solis, defectus Lunæ, lapſus ſtellarum, everſio omnium creaturarum erunt effectus triumphi crucis quæ apparebit in cœlo, & cognoſcendum exhibebit Deum, cujus tunc gloriam manifeſtabit ad ſuffundendos

pudore infideles, qui voci ejus aurem præbere noluerint, & ad conſolandos juſtos, qui ipſius inſtructiones lætis animis ſuſceperint, d. executi fuerint: *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: & tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ & majeſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tubâ, & voce magnâ: & congregabũt Electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum* u.

u Matth. 24.29. &c.
x Habac. 3.11

Hanc agnoverat Habacuc Propheta x veritatem, cùm dixit, *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*. Vel, ut alii vertunt, *Elevatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*. Quaſi vellet hic Propheta comparare totum curſum vitæ Salvatoris mei curſui Solis, qui in ortu ſuo intuendum exhibet parum luminis, quod creſcit juxta quod iſtud aſtrum progreditur in curſum ſuum, & in elevationem ſuam, donec pervenerit ad diem mediam ſuam, quâ circumquaque illuminat: ita Salvator aliquem ſuæ Divinitatis intuendum exhibuit radium in nativitate ſuâ, cùm ipſum Mater ſua *peperit: & paſtores uſque Bethleem venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio: videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc* y; *& ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam; & ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat Puer: & intrantes domum, invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum* z. Divinitatis autem ejuſdem ſuæ cognoſcendæ radios auxit per reſiduum ætatis ſuæ, donec perveniret ad perfectam mediam diem ſuam, ad quam ſuſpirabat Sponſa, dicens, *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie* a Seu, ut ait de Ponte b, *Reſpicient ad locum crucis, ad quam Chriſtus aſcendit horâ ſextâ, ſcilicet in meridie, & cubuit in eâ uſque ad horam nonam: & quamvis tunc Sol fuerit obtenebratus, quaſi lugens mortem Creatoris, & tenebras perſecutorum indicans; tamen Chriſto Domino hora illa fuit ſpiritualis meridies, tum quia ejus tribulationum æſtus pervenit ad ſummum; tum quia ardor charitatis non habuit altius quò aſcenderet; & ex utroque meridie eum cognoſcimus immenſum Redemptorem, ſapientiſſimum, & amantiſſimum Salvatorem, ac Protectorem omnipotentiſſimum, de quo ſcriptum eſt ex Habacuc Propheta* c, *Domine, conſideravi opera tua, & expavi; in medio duorum animalium cognoſceris. Quod interpretatur, in medio duorum latronum* d: *ibi enim cognitus eſt tanquam juſtus & Filius Dei à Centurione, ab uno latronum, & à multis aliis: juxta illud, Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum* e. *Loqui autem Habacuc de Chriſti Paſſione, ſequentia verba oſtendunt, cùm ait, Splendor ejus, ut lux erit, cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus. Quod ſanctus Cyprianus* f, *Hieronymus* g, *Auguſtinus* h, *& alii Patres explicant de Chriſti cruce, cui manus ejus affixa ſunt, ubi poteſtatem, regnum, & victoriam contra inimicos obtinuit, illoſque debellavit, ac ſibi ſubjecit.*

y Luc. 2.7. &c.
z Matth. 2.1. &c.
a Cant. 1.7
b De Pont. lib. 3. in Cant. 1.7, exhort. 8. parag. 4
c Habac. 3.2. juxta LXX.
d Ex Hug. Card. in Habac. 3.2
e Joan. 8, 28
f S. Cypr. ſerm. de Paſſ. Dom. n. 4
g S. Hier. lib. 2. in Habac. 3.4
h S. Aug. lib. 18. de Civit. c. 32
i Iſai. 30, 26

Iſtam ſpiritu Prophetico prædixerat Iſaias i veritatem, *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, in die, quâ alligaverit Dominus vulnus populi ſui*. Quod completum eſt in cruce. (omiſſis aliis interpretationibus quæ non faciunt ad rem noſtram) Licèt enim *Sol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter* k, radios ſuos miſerit in mundum per totum curſum vitæ ſuæ, nunquam tamen miſit illos præ tanto effectu, quanto effudit illos in cruce in quâ tantum ſplendorem manifeſtavit, quantum ſeptem diebus miraculoſiſſimis vitæ ſuæ. Primò, In nativitate ſuâ gloriam ſuam aperuit Judæis, cùm *paſtores uſque Bethleem venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio: videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc* l. Et Gentilibus, cùm *ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam, & ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat Puer: & intrantes domum, invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum* m. Secundò, In circumciſione ſuâ, ubi ſuſcepit nomen Jeſu; *Et poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus* n. Tertiò, In Baptiſmo ſuo, ubi humiliando ſe ſancto Joanni Baptiſtæ, ſuſcipiendo ab eo Baptiſmum, agnoſcitur à Patre æterno ut Filius ſuus, *Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aquâ; & ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* o. Quartò, Die transfigurationis ſuæ detexit in facie ſuâ, & in veſtimentis ſuis gloriam in animâ ſuâ latentem, *Jeſus transfiguratus eſt: & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* p. Quintò, Miracula ejus præcedentia invitabant homines ad agnoſcendum ipſum Filium Dei, *Aquam vinum factam, hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Canâ Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus* q. Sextò, Prædicatio ejus diſerta, trahebat ſuper ipſum admirationes omnium, *Aſcendit Jeſus in templum, & docebat, & mirabantur Judæi. Et dixerunt, Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo* r. Septimò, Ingrediens Jeroſolymam ſuſcipitur ut Meſſias, *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in viâ: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in viâ: turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis* ſ. Sed nullus è diebus iſtis tantam præ ſe tulit efficaciam & virtutem, quantam dies crucis, quâ vulnera noſtra & infirmitates noſtras ſanans auxit gloriam & lucem ſuam ad ſe manifeſtandum omnibus. Hanc crucem fecit Dei Filius ut *candelabrum de auro mundiſſimo* t, cui ſuperpoſuit ipſe lampadem Divinitatis ſuæ, ut illam univerſis manifeſtaret hominibus, eamque in illorum animas effunderet, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* u.

k Eccleſia ex Malach. 4.2
l Luc. 2, 8. &c.
m Matth. 2, 1. &c.
n Luc. 2. 21. ex Levit. 12.3
o Matth. 3.16. & 17
p Matth. 17.1. & 2
q Joan. 2. 9. & 11
r Joan. 7. 14, &c.
ſ Matth. 21.8. &c.
t Exod. 25.31
u Rom. 5.5

Hæc eſt prima gloria crucis, quòd ſtabiliverit fidem & cognitionem veri Dei per univerſum orbem, licèt homines qui iſto donati ſunt beneficio, ipſum perſæpè ſuis non agnoſcerent actionibus: hodiernâ verò die jure merito poſſumus illis exprobrare, quòd, cùm Dei Filius veniat ad ipſorum corda cum fide, ipſi tamen nolunt eum ſuſcipere, quànvis iſta fides, ſeu crux elevet ipſos ad poteſtatem evadendi filios Dei, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* x. Talium favorum nihilominùs immemores, illum repellunt à ſe, & more Judæorum contentâ voce inclamant, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* y. Quod Deus improperat ipſemet eis alibi z, *Erit vita tua quaſi pendens ante te,*

x Joan. 1. 12
y Luc. 19. 14
z Deut. 28.66

a Cornel. in Deut. 28.66. citans S. Auguſt. l. 16 cont. Fauſt. c. 22. & Tert. lib. cont. Judæos c. 11

te, & non credes vitæ tuæ. Quaſi dicat, ſubdit Cornelius *a* poſt ſanctum Auguſtinum & alios quos citat, *Chriſtus eſt vita tua, à Iudæe, qui à te viſus eſt pendens in cruce, & tamen tu illi non credidiſti. Ita & Tertullianus legit: Erit vita tua pendens in ligno, ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* Chriſtianiſmus non conſiſtit in hoc ſolo, ſcilicet in credendo, ſed requiritur ad eum aliquid amplius, *Tu credis quoniam unus eſt Deus. Benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt* b Id eſt, ad intuitum inſtrumenti iſtius formidabilis, quod ipſos expulit ex iſto mundo, *Nunc judicium eſt mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* c. Hoc autem peractum eſt, cùm Jeſus Chriſtus *delens quòd adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* d. Hoc vexillum Regis *gloriæ* e, fuit trophæum deſtructionis illorum, & tamen hoc non impedit quin ſemper ſint dæmones & damnati, quia non honorant iſtam crucem. Vos autem Chriſtiani, adorate crucem iſtam, imprimite eam fronti veſtræ, & cordi veſtro, & tenete eam domi veſtræ præ reverentiâ: ſed cavete, ne, ſi non adhæreatis maximis & inſtructionibus ejus, ipſa fiat inſtrumentum æternæ veſtræ perditionis. At tranſeamus ad ſecundam partem.

b Jacob. 2.19
c Ioan. 12. 31
d Coloſſ. 2. 14. & 15
e Pſ. 23. 10

II. Pars

Sicut Religio eſt nobiliſſima dignitatum omnium, quibus Deus honoravit hominem, ut eum ſuæ ſociaret magnitudini: ſic maximum & excellentiſſimum virtutis hujus teſtimonium eſt ſacrificium, quod offertur Creatori, ſicut eſt illius actio maximè meritoria, & in quâ fortiſſimè poteſt mens, vel cor adhærere Deo. Omnes alii actus qui ſequuntur Religionem, quique ſunt illius notæ, referri poſſunt ad homines. Oratur Deus, quod eſt actus religionis; rogantur homines ab aliis hominibus, qui illis indigent: exhibetur honor exterior Deo elevatione oculorum, & manuum, & humiliatione corporis; idem præſtatur Principibus & Regibus terrenis: ſed quoad ſacrificium hoc, ſoli exhibetur Deo, aut alicui poteſtati, quæ habeatur ut Deus: & ſi *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream* f, quæ repræſentabat perſonam ipſius, & ita ſuperbus fuit ut adorari voluerit ut Deus, eò tamen non prorupit audaciæ, ut offerẽda ſibi præciperet ſacrificia ſob figurâ illius ſtatuæ aureæ. Sic ſacrificium inter omnes actus religionis ab homine debet offerri Deo, in quo omnes ſuas debet ſpes collocare, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meã*, ajebat David g. *Ab Ortu enim Solis uſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum* h. Quòd ſi per religionem differant homines ab animalibus, & ab aliis creaturis corporalibus; per ſacrificia diſtinguuntur ab aliis hominibus, & invanum dicet quis ſe profiteri religionem, ſi priver illam ſacrificio, quod eſt illius actio præcipua, in quo error hæreſeom differt à veritate, & per ſacrificia veræ Divinitati præſentata Chriſtianiſmus à ſuperſtitionibus idololatriæ diſtingoitur: tamen bve conſideremus Ethnicam vanitaté, ſive ſanctitatem Chriſtianam ſpeculemur, inveniemus ubique, quòd ſacrificium in magnâ fuerit habitum veneratione, cùm ad illud exercendum & offerendum ſemper quæſiti fuerint homines magni momenti, quos Deus voluit olim conſecrari ceremoniis, quas ipſemet inſtituit ore ſuo i; ſicut etiam electa loca, in quibus talia præſentabantur ſacrificia, nimirum templa: nam Deus ipſe ſategit ædificandum ſibi templum Jeroſolymis à Salomone k, poſtquàm præcepiſſet Moyſi ut ſibi faceret *tabernaculum* l in deſerto, in quo ipſi præſentarentur ſacrificia *pro peccato* m. Quia, ut deinceps doruit S Paulus n, remitti non poſſunt peccata; nec gratia, neque gloria tribui quin ſanguis effundatur. *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Deſtinando etiam locum ſanctificatum modo altiori, quam eſſent alia loca, nimirum *altare* o ad præſentanda ſacrificia, & alterum quoque *altare ad adolendum thymiama* p. Si enim noſtras ſiſtamus cogitationes ſuper Sacrificatoribus profanis, & ſacris; ſuper Sacrificatoribus legis naturæ qui ſacrificabant in agro q; ſuper Sacerdotibus legis ſcriptæ, qui ſuas præſentabant oblationes in tabernaculo r, & poſteà in templo ſ; ſicut & ſuper Presbyteris novæ legis, qui ſacrificare poſſunt ubique, ut patet ex iis quæ modò recenſui ex Malachiâ: in omnibus iſtis ſtatibus neceſſarium fuit altare; & ubique in lege Evangelicâ præſentari poſſunt ſacrificia, dummodò erigatur altare, quod erit eò honorabilius, & ampliora promittet bona, quò ſacrificium, quod offeretur ſuper eo, nobilius & perfectius erit: ſi enim voluit Deus ut templum ſuum honoraretur antiquitùs, & recurreretur ad illud ut ad aſylum ſacrum, Hoc egit propter *arcam Domini, & tabernaculum fœderis* t, ubi erat ara, ut innueret; quòd ad altare deberent omnes homines recurrere. Hæc omnia altaria, quæ ſacrificatores veteres erigebant in agro in lege naturæ, ut Abel u, Noe x, Abraham y, & alii ad obtinendas gratias & benedictiones Dei, ſicut alia quæ deinceps erecta fuerunt in tabernaculo, & in templo, non erant niſi figura eorum, quæ debebamus erigere in Chriſtianiſmo: gloria illorum non erat niſi umbra excellentiæ iſtorum, ſicut omnia præcedentia ſacrificia non erant niſi imago veri & unici ſacrificii, quod in aris noſtris debemus offerre z Deo; & ſicut hæc hoſtia, quam offerimus Deo, non eſt niſi memoria & continuatio illius, quam ſui Chriſtus obtulit; ſic altaria, ſuper quibus eam præſentamus, repræſentant altare ſuper quo ſe Dei Filius obtulit, nempe crucem, quam vocare debemus altare Dei viventis, & digniſſimum & glorioſiſſimum omnium, cùm maximum & digniſſimum omnium ſacrificiorum ſuper eo obtulerit *Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* a. propter orbis reconciliationem, & ideò in quo ſolo collocere debem⁹ ſpes noſtras. Unde dixit S. Leo b, *Chriſtus non in templo, nec intra ſepta civitatis, ſed foris & extra caſtra* c *crucifixus eſt, ut crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.* Quis verò auderet ambigere, quin Chriſtus moriens obtulerit Patri ſuo ſacrificium ſuiipſius ſuper arâ crucis? cùm ibi obtulerit non *ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed proprium Sanguinem* d: non thus etutum è terrâ, non fructus terræ, ſicut *Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi* e) ſed ſemetipſum, qui eſt *lignum vitæ* f, *panis vivus* g, *frumentum electorum, & vinum germinãs virgines* h: qui *oblatus eſt, quia ipſe voluit* i. Et licèt inimici ejus ſcelus enormiſſimum commiſerint occidendo eum, tamen ipſe ſe ſacrificando, glorioſiſſimæ vacavit actioni, *Pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ*

f Dan. 3. 1. &c.
g Pſ. 72. 28
h Malach. 1. 11
i Exod. 29. 1. &c.
k 3. Reg. 5. 5. &c.
l Exod. 26. 1. &c.
m Exod. 29. 14
n Hebr. 9. 27
o Exod. 26. 1. &c
p Exod. 30. 1. &c
q Gen. 4. 3. & 4
r Exod. 29. 14. &c
ſ 3. Reg. 8. 62. & 63
t 3. Reg. 8. 3. &c
u Gen. 4. 4
x Gen. 7. 20
y Gen. 22. 9
z 1. Cor. 11. 24. &c.
a Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18 & ex Pſ. 109. 4.
b S. Leo ſerm. 8 de Paſſ. c. 5.
c Ex Hebr. 13. 12
d Hebr. 9. 12
e Gen. 14. 18
f Apoc. 22. 2
g Io. 6. 51
h Zach. 9. 17.
i Iſa. 53. 7

in

k Coloſſ. 1.20 *l Ephes. 5.2*

in cœlis ſunt k. Et, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*, ait S. Paulus *l*. Quaſi diceret, quòd Dei Filius oblatione quam fecit ſuiipſius ſuo Patri æterno, præſentavit ei plus quàm illi obtulerint omnes antiqui ſacrificatores, ut farinæ *m*, &c. ſed victimam viventem; non animalium *n*, ſicut illi: ſed victimam Divinam pacificatoriam pro peccatis in holocauſtum, quod ſuper altari crucis conſumebatur igne charitatis, ſicut cùm *ædificavit Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare; odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis, & ait ad eum: Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines* o. Hinc eruo veritatē propoſitionis meæ nimirum, quòd debemus omnes ſpes noſtras in cruce collocare, cùm inveniamus in eâ omnę ſubſidiū, quod veteres inveniebant in aris ſuis, & in ſuis ſacrificiis, imò verò plus; antiqua enim ſacrificia erant vacua & deſtituta gratiâ, ideò vocat illa S. Paulus *p*. *Infirma & egena elementa.* Non dabant illa niſi aliquam ſanctitatem & juſtitiam legalem, tota virtus eorum eruebatur è Cruce venturi Meſſiæ; *Nihil enim ad perfectum adduxit lex* q. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis Sanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi* r? *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* ſ. Ad illum recurrere debemus, ut ſalvemur: videntur autem nobis reſpondere omnia opera, vota, & ſacrificia noſtra id, quod *cùm Rex Iſrael tranſiret per murum, & mulier quædam exclamavit ad eum, dicens, Salva me Domine mi Rex*, ait illi, *Non: te ſalvet Dominus: unde te poſſum ſalvare? de areâ, vel de torculari* t? Quia omnia antiqua ſacrificia oblata ſicut in torculari, fuerunt inutilia ſine cruce Salvatoris, qui *torcular ſolus* u calcavit, ſicut omnes mortificationes, preces, & oblationes noſtræ ſunt infructuoſæ, niſi roborentur à cruce; ipſa eſt ſignum datum Conſtantino Magno, in quo vincere ſuos debebat hoſtes, & inimicos Crucifixi; & ipſum eſt ſignū ad quod recurrere debemus, collocando in eo ſpem noſtram, cum etiam reaccendere debeat amorem noſtrū.

m Num. 5. 15. &c. *n Levit. c. 1. & ſeqq.* *o Gen. 8. 20 & 21* *p Galat. 4.9* *q Hebr. 7. 19* *r Hebr. 9. 13. & 14* *ſ Hebr. 4. 16* *t 4. Reg. 6. 26. & 27* *u Iſai. 63.3*

III. Pars.

Hæc eſt tertia mea conſideratio, quam paucis expedio, ut iſti limites imponam diſcurſui. Jeſus Chriſtus ſeſe ſacrificat ſuper altari crucis præ amore, & voluntariè, quia ſuas eligit paſſiones, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* x. Illas eligit, quia illas vult; illas vult, quoniam nos amat. *In charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te miſerans* y. Ab æterno nos diligens, eligit præ amore tolerantias ſuſtinere, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem* z. Amor igitur ipſum pati facit, amor affligit ipſum, amor tortor ipſius eſt, amor ipſum ſuffigit ignominioſæ æquè ac doloroſæ cruci, *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulâſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* a. Nemo dicat ampliùs, quòd peccatum ſit cauſa mortis Chriſti, cùm amor ipſum induxerit ad effundendum Sanguinem ſuum. Non eſt diffitendum, quòd peccatum fuerit illius occaſio, ſed amor fuit cauſa ejus, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* b. Semetipſum ſacrificat ſuper altari crucis, non ab initio mundi duntaxat, ſed ab æternitate; *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* c, intuetur decretum mortis ſuæ: vidēs enim Deus ab æterno peccatum Adæ *d*, ſic & ſtatuit illi remedium opportunum, id eſt, crucem & mortem Filii ſui.

x Iſai. 53. 7 *y Jer. 31. 3* *z Hebr. 12.2* *a Pſ. 39.7. &c.* *b Cant. 8 6* *c Joan. 1. 18* *d Gen. 3.6*

Amor ejus apparet in hoc, quòd homo pro ſuis non poſſet ſatisfacere peccatis juſtitiæ Dei ſine confuſionibus, cruce, & morte Jeſu, qui reaccendere debebat charitatem primi hominis iſtius extinctam peccato. Ratio autem deſumpta è Theologiâ, eſt primò, quia culpa Adæ erat infinita, quia erat contra *Bonum* e infinitū, quod eſt Deus, qui *non habet finem* f. Secundò, quoniā privavit nos bonis infinitis. Tertiò, quandoquidem damnabat nos *in ſupplicium æternum* g Menſuratur enim offenſa juxta qualitatem perſonæ offenſæ. Atqui ratiocinemur, ſi placet: Offenſa infinita pœnam meretur infinitam: ſed pura creatura erat incapax tantæ pœnæ ſuſtinendæ. (loquor de pœnâ ſatisfactoriâ:) ergo nulla creatura ſatisfacere poterat pro culpâ commiſsâ: oportuit igitur ut pro illâ ſatisfaceret Jeſus Chriſtus interventu crucis & mortis ſuæ, cùm ipſius ſatisfactio eſſet infinita, eò quòd perſona ipſius eſſet divina; & ut ardor dilectionis ipſius reaccenderet charitatem noſtram, quæ erat extincta.

e Exod. 33.19 *f Baruch 3.25* *g Matth. 25.46*

Ha! Deus à totâ æternitate cogitat de cruce ſuſtinendâ, & in eâ ſe ſacrificat in tempore, ut cōmendabilem exhibeat amorem ſuum, & ut crux ipſius reaccendat extinctam dilectionem noſtrā, nos autem de illâ ne vel unico momento cogitabimus amplectendâ. Inſumit ipſe omnem virtutem potentiæ ſuæ ad operandam ſalutem noſtram, *Fecit potentiam in brachio ſuo* h. Suæ ſapiētiæ cunctas adhibet *adinventiones* i arcanas propter eundem finem; ſi verò nos habemus aliquod lumen, præclarum aliquod talentum, aliquam eximiam qualitatem, aliqua inſignia naturæ dona, hæc omnia inſumimus ad illum offendendū. Quis autem vult tollere *crucem ſuam, &* k ſequi eum, ut teſtetur ei, quòd crux ipſius reaccenderit charitatem ſuam in corde ſuo? *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multò igitur magis nunc juſtificati in Sanguine ipſius, ſalvi erimus ab irâ per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortē Filii ejus: multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vitâ ipſius* l. Inieramus inimicitiam Dei, eò quòd voluiſſemus eſſe nimis amici noſtri ipſorum; & quod magis eſt, non poteramus habere ſcintillam dilectionis erga eum, niſi illam ipſe nobis inſpiraſſet, & niſi crux ipſius noſtram dilectionem reaccendiſſet: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* m. Ipſe ſuam extendit ad nos *manum* n, & greſſibus charitatis ſuæ nos inſequitur fugientes, & ſedentes *in tenebris, & in umbra mortis* o. Ne ſimus igitur, Auditores, ampliùs è numero illorum, de quibus ipſe ait, *Verterunt ad me tergum, & non faciem* p. Convertamus nos ad eum, ut poſtquàm ſtabiliverit fidem noſtram, ſpem noſtram extulerit, & noſtram reaccenderit in hoc mundo charitatem, illam inflammare continuet in altero.

h Luc. 1. 51 *i Iſai. 12.4* *k Matth. 16.24* *l Rom. 5. 8. &c* *m Sap. 1. 13* *n Prov. 1. 24* *o Luc. 1. 79* *p Jer. 2. 27*

FERIA

FERIA IV. CINERVM.

Memento homo quia pulvis es , & in pulverem reverteris. Eccleſia ex Gen. 3. 19.

a Ezech. 37. 1. &c. ID quod nobis deſcribit Propheta Ezechiel *a*, non eſt minùs funeſtum primo intuitu , quàm in ſuo eſt ſucceſſu favorabile nobis & proficuum. Translatus eſt iſte Vir eximius à Spiritu Dei, ſeu realitate motus localis, aut motu imaginatio phantaſmatum ipſius in magnum cœmeterium cadaveribus opertum, & præceptum eſt ei ut annunciaret illis ſermonem Domini, & reſurrectionem , *Vaticinare de oſſibus iſtis : & dices ei , Oſſa arida audite Verbum Domini. Et prophetavi , ſicut præceperat mihi : & ingreſſus eſt in ea ſpiritus , & vixerunt : ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valdè.* Magnum ſanè fuit miraculum , quòd unico vel inſtanti verbum Dei articulatum à Prophetâ plures eduxerit milites è reliquiis horum cinerum, quàm ſperari videbatur ex hujuſmodi oſſibus aridis. Exiſtimabam me miſſum ad prædicandum verbum Domini hominibus viventibus, & ecce conſtitutum me invenio in cœmeterio Ezechielis , in quo nihil aliud deprehendo præter cadavera , ita ut exordiri compellar à diſcurſu Prophetæ iſtius præambulati , *Oſſa arida audite verbum Domini.* Invanùm igitur dolores ſum perpreſſus quaſi parturientis Advento nuperrime elapſo cum S. Paulo *b*, *Filioli mei, quos iterùm parturio , donec formetur Chriſtus in vobis.* Id eſt , cum eodem Apoſtolo , & Commentatore ejus Dionyſio Carthuſiano *c Filioli mei , qui parvi eſtis in perfectione virtutum , quos iterùm parturio , id eſt , cum dolore & planctu ſpiritualiter regenero , transferendo vos de non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale , per hujus epiſtola , ſeu* concionis , & ſequentium *documenta , donec formetur , id eſt , recipiatur ac deſcribatur Chriſtus in vobis , id eſt , in cordibus veſtris per fidem puram , jugem memoriam , & dilectionem firmatam.* Si peccatum ſuperveniens ſuffocavit fœtum meum , & morte ſpirituali redegit vos in ſtatum pejorem eo , in quo collocantur abortivi , non eſtis ampliùs niſi cadavera ſicca, cùm humor gratiæ deficiat vobis , innumeris diviſi ſitis factionibus , & tot impetiti infortuniis , quæ veſtrarum devoraverunt ſubſtantiam virtutum , & ferè vobis ſpem eripuerunt unquam ex hoc infelici ſtatu reſurgendi. Eccleſia deplorandi iſtius ſtatus veſtri præbuit mihi notitiam, exiguo vos hodiernâ die pulveri comparans. Sed macti animo , Auditores, ſpero quòd Deus ſit iſtud totum reparaturus excidium ; auſcultate duntaxat inſpirationes ejus, verbum ejus humiliter , æquè ac attentè audite, cooperantes gratiæ illius , quæ eſt principium & cauſa hujus reſurrectionis ſpiritualis, *Oſſa arida audite verbum Domini.*

b Galat. 4. 19.

c Dion. Carthuſ. 4. in Galat. 4. 19.

Infortunium iſtud à Prophetâ prævifum , & à nobis agnitum , eſt veſtrorum pœna peccatorum , & converſio humilis & vera pœnitentia erit illius reparatio. Vox omnipotens Dei noſtri quæ reſonare debet ſuorum per organa Miniſtrorum , ſeu Prædicatorum , iſtud profecto novum operabitur in gratiam veſtri miraculum , & reſtituens vos in ſtatum vitæ priſtinum interventu gratiæ ſupervenientis in vos, Divinâ vos dignos efficiet gloriâ. Eximium iſtud ego ſum opus elaboraturus , & eâdem innixus fiduciæ, quâ fultus erat Propheta , hunc à Deo ſupplex efflagitabo favorem , cùm me ut ſuarum delegaverit nuntium intentionum, verbi ſui miniſtrum , & bonitatis ſuæ omnipotentis inſtrumentum, dicens ei cum eodem Ezechiele , *Veni Spiritus : & inſuffla ſuper interfectos iſtos , & reviviſcant.* Divine Spiritus halitum tuum ſacrum immitte iterùm ſuper faciem Auditorum iſtorum, ut reſumentes vitam gratiæ , ſuum denuò dent nomen tuarum vexillis virtutum , ut vitium expugnent : & ſi debeam ego eſſe organum veritatis tuæ operatricis miraculi iſtius, & ſi vox mea voluntatis tuæ articulare debet oracula ; meos anima pulmones , accende ardorem zeli mei, forma verbum in ore meo , & vivificis tuis tribue ei efficaciam influentiis , cùm nullum bonum poſſit ferre fructum , virtutum tuarum ſemine deſtitutum. Hunc expecto favorem, ſicut illum præ humili fiduciâ efflagito. Virgo ſacratiſſima meis eſto propitia votis , & tua dignare unire ſuffragia deſideriis meis , & huic orationi, *Ave Maria.*

Perſecutionibus impiæ Reginæ Jezabelis impetitus *Elias , perrexit in deſertum. Cùmque veniſſet , & ſederet ſubter unam juniperum , petivit animæ ſuæ ut moreretur , & ait , Sufficit mihi Domine , tolle animam meam : neque enim melior ſum quàm Patres mei. Projecitque ſe , & obdormivit in umbrâ juniperi : & ecce Angelus Domini tetigit eum , & dixit illi , Surge , & comede. Reſpexit , & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ* d. Iſte *ſubcinericius panis* repræſentat nobis Verbum Divinum , quod vitam omnibus impertitur rebus , *Omnia per ipſum facta ſunt* e. Hic *panis* ſuſtentat omnia quæ produxit , *Portans omnia verbo virtutis ſuæ f.* Hujuſmodi *panis* eſt cibus Angelorum , *Panem Angelorum manducavit homo g.* Sicut etiam & Sanctorum , *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei h.* Verè *ſubcinericius panis* in Incarnatione, in quâ in *ſimilitudinem hominum factus , & habitu inventus ut homo i*, Dei Filius figuram ſuſcepit humanam, quam Eccleſia vocat cinerem , *Memento homo quia pulvis es , & in pulverem reverteris.* In hunc miſerandum redactus ſtatum Propheta , lacrymis perfuſus , languens , & ſemimortuus , eſt figura Chriſtianorum languentium propter peccata , quæ perpetrarunt hoc nuper elapſo Bacchanaliorum tempore diſſoluto , inſidentes aquis fluvii Babylonis , id eſt , diffluentes deliciis mundi contrariis innocentiæ , & ſtrati ſub arbore ſpinoſâ juni-

d 3. Reg. 19. 2 &c.

e Joan. 1. 3.

f Hebr. 1. 3

g Pſ. 77. 25.

h Luc. 14. 15.

i Philipp. 2. 7.

junipero voluptatum ſeculi, quæ conſcientiam continuis agitant ſtimulis. *Angelus* iſte ad Prophetam miſſus, innuit nobis Concionatores, qui mittuntur à Deo, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron* k. Prædicatores ſunt Angeli ob ſcientiam, propter intelligentiam, & ratione converſationis ſuæ exemplaris. Iſtud *vas aquæ*, eſt id quod Eccleſia l omnibus proponit fidelibus, & peccatoribus per Prophetam Joëlem, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu.* Iſte *ſubcinericius panis*, eſt verbum Dei, de quo dicitur, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei* m. Quod appoſitè comparetur pani Angelorum ab Origene n; & eſt ut manna, quod præ ſe omne ferebat genus deliciarum, æquè ac ſaporis, *Angelorum eſcâ nutriſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem* o. Verbum enim Dei eſt omnia omnibus, & noſtris omnibus medetur neceſſitatibus. Si afflictione quis angitur, conſolatione illico perfunditur, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies* p. Si gaudio eſtis perfuſi, lætitiæ veſtræ conſummationem indulget vobis iſte Sermo Divinus, *Lætamini in Domino & exultate Juſti* q. Si irâ eſtis perciti, iracundiam veſtram mitigat Eloquium hoc ſacrum, *Iraſcimini, & nolite peccare* r. Si dolore eſtis obruti, ab eo vos eripit iſtud Verbum Dei, *Dominus ſanat contritos corde* ſ. Si pauperes eſtis, veſtram ſublevat indigentiam, *Suſcitans à terrâ inopem, & de ſtercore erigens pauperem* t. Sicut fecit in Saule u. & in Davide x. Ut autem panis iſte Verbi Dei, eandem præ ſe ferat virtutem, quam *ſubcinericius panis* ad Eliam miſſus; id eſt, ut ducere nos poſſit ad Patrem cœleſtem, qui eſt verus mons Horeb, ſicut *Elias cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb*: Eccleſia coquit illum ſub cinere, cùm ipſa eum noſtris imponit & applicat capitibus, ut noſtræ vilitatis, & conſequenter noſtræ mortis memoriam nobis inſpiret. Quod inducit me Primò ad inquirendam rationem, propter quam cùm homo ex ſe ſit immortalis, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem* y, obnoxius ſit morti figuratæ his cineribus. Secundò ad videndum, quales ſint effectus horum cinerum.

k Hebr. 5. 4. ex Exod. 28. 1. & ex 2. Par. 26. 18.
l Eccleſia ex Joel. 2. 12.
m Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3.
n Orig. comment. 10. in Joſ.
o Sap. 16. 20.
p Pſ. 50. 9.
q Pſ. 31. 11.
r Pſ. 4. 5.
ſ Pſ. 146. 2. & 3.
t Pſ. 112. 7
u 1. Reg. 9. 3. & 10. 1.
x 1. Reg. 16. 11. & 13.
Diviſio.
y Sap. 2. 23 ex Gen. 1. 27.

I. Pars.

Contemplati Magiſtri noſtri conſtitutionem naturalem Adæ, condemnant eum ad mortem, cùm è contrariis compactus ſit elementis, & è qualitatibus alterantibus, quæ inclinant ad corruptionem, & veritatem conciliantes literis patentibus innocentiæ ejus priſtinæ, inter jura illius legunt chartas exemptionis ipſius è morte, ratione quarum proclamant eum mortalem jure natalium, & immortalem privilegio gratiæ: mortem poteſt homo oppetere debito naturæ; & mori nequit privilegio ſupremi Domini ſui.

Mors & vita poſitæ ſunt præ manibus libertatis hominis, *Sic eſt immortalis conditus, ut tamen ſi peccaret, & mori poſſet: & ſic mortalis eſt conditus, ut ſi non peccaret, etiam non mori poſſet*, ait S. Gregorius z. Inſervit Deus immortalitatem naturæ ejus mortali, ita ut cùm tempore ſuæ innocentiæ eſſet immortalis, mortem poſſet oppetere peccando; & naſcens mortalis ex naturâ ſuâ, poſſet nunquam mori, conſervando ſuam innocentiam. Author erat ſibimetipſi vitæ & mortis, utraque ex ipſius abſoluto pendebat dominio, dicit S. Auguſtinus a, *Deus hominem fecit qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret: ut ipſe ſibi author eſſet ad vitam, aut ad mortem.* S. Thomas b enumerans omnia dona conceſſa Protoplaſtis noſtris tempore juſtitiæ originalis, & tractans de immortalitate, ait eam non fuiſſe vigorem integrum in ſubſtantiâ, aut principiis naturæ humanæ proprium, ſed externum, & è causâ pendentem efficienti, quæ auxilio ſuo mortalis repuliſſet accidentia, & operatione ſuâ adversùs omnes corruptionis impetus prævaluiſſet, ita ut defenſionis iſtius beneficio natura humana à morte immunis evaſiſſet, *Homo in ſtatu innocentiæ, non naturâ, ſed gratiâ effectivè immortalis erat, quia vis illi divinitus data erat, per quam poterat, non peccando ſcilicet, conſervare corpus ſupra ceteram corporalem materiam.* Suum dilucidat S. Doctor iſte conceptum eximiâ actuum immortalium diſtinctione, quorum triplicem proponit claſſem, quæ oritur è materia, è formâ, & ex accidentibus, dicens, *Quòd aliquid poteſt dici incorruptibile tripliciter. Uno modo ex parte materiæ, eò ſcilicet quòd vel non habet materiam, ſicut Angelus; vel habet materiam, quæ non eſt in potentiâ niſi ad unam formam, ſicut corpus cœleſte. Et hoc dicitur ſecundùm naturam incorruptibile.* Materia eſt principium corruptionis propter appetitum inſatiabilem, qui eam ad novas ſemper inclinat formas: ideò entia immortalia, qualia ſunt Angeli, & animæ, aut materiæ determinatæ ad plenum capacitatis ſuæ, qualis eſt materia cœlorum, ſunt incorruptibilia ex naturâ ſuâ. Formæ uniuntur materiæ beneficio diſpoſitionum, ea quæ aliquam invenire poſſunt ita idoneam ut ſubſiſtere poſſit, nedum pereat, & præſervari penitus à corruptione: talis erit ſors Beatorum, cùm anima glorificata immortale corpus efficiet per redundantiam gloriæ ſuæ. *Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formæ, quia ſcilicet rei corruptibili per naturam inhæret aliqua diſpoſitio, per quam totaliter à corruptione prohibetur. Et hoc dicitur incorruptibile ſecundùm gloriam. Quia, ut dicit Auguſtinus* c, *Tam potenti naturâ Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſimâ beatitudine redundet in inferiorem naturam, quæ eſt corpus, plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* Tunc anima ſuper carnem ſuam ſtillabit ſuarum partem deliciarum, & ſic *cor & caro in Deum vivum* d exultabunt, cùm habitabunt *in tabernaculo* e ejus. Et hæc redundantia erit veluti myrrhæ præſervativa vigoris immortalitatis. Nondum habet Adam ordinem inter immortales naturâ, & gloriâ, supereſt ei ut immortalis efficiatur auxilio alieno, quod conſervet vitam ipſius, præveniens mortis pericula, quibus fragilitas naturalis ipſum jugiter exponit. Et hoc eſt, quod ait S. Thomas, *Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte cauſæ efficientis. Et hoc modo homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet incorruptibilis, & immortalis. Non enim corpus ejus erat indiſſolubile per*

aliquam

z S. Greg. lib. 4. mor. c. 26.
a S. Aug. lib. Quæſt. Novi & Vet. Teſt. q. 19.
b S. Thom. 1. p. q. 97. a. 1. in corp.
c S. Aug. Epiſt. 16. ad Dioſcorum.
d Pſ. 83. 3.
e Pſ. 14. 1.

aliquem immortalitatu vigorem in eo exiſtentem , ſed inerat animæ vu quædam ſupernaturaliter divinitus data , per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare , quandiu ipſa Deo ſubjecta manſiſſet. Hæc immortalitas pendebat , non à materiâ, nec à formâ, ſed à cauſâ efficiente prædominante accidentibus mortalibus. Ille qui Adamo præſtitit immortalitatem ſtatim ac eſſe, apprimè callebat modum conſervandi iſtius privilegii , ſi ſuam ſategiſſet Protoplaſtus iſte innocentiam cuſtodire.

Hæc eſt doctrina S. Thomæ. Sed ut benè intelligatur , obſervanda eſt mors per tres ad nos aditus accedere. Primò , Calor naturalis humorem conſumit primigenium & radicalem, & ſic vita perit defectu illius , non ſecus ac candela , quæ liqueſit illuminando , & reſolvitur calore , qui lumen ipſius format. Præterea , Contrarietas qualitatum & humorum diſpathicorum irritata ab aliquâ inordinatione , morbos generat , temperamento noſtro ruinam molitur , & interitum nobis infert. Tandem , Hoſtes externi majori agunt violentiâ quàm domeſtici, & innumeris morimur hoſtilitatibus, ut inclementiâ elementorum , rebellione animalium , injuriis cœli , & furore hominum. Univerſa periculis ſcatent , & ubique ſuos mors retendit laqueos quibus nos intercipiat , nedum ſe diſpenſare quis poſſit ab experiendo falcis implacabilis illius acumine. In creatione Deus contra hæc omnia armaverat hominem pericula, & hos obturaverat aditus, ut ab eo mortem excluderet , *Deus creavit hominem inexterminabilem f*. Deſtinaverat *Dominus Deus lignum vitæ in medio paradiſi g* ad reparandum humorem radicabilem, & ad reſtituendum hominem in vigorem florentis juventutis. Unicus vel eſus iſtius fructus corroboraſſet corpus ad tranſigenda multa ſecula abſque diſpendio morborum, aut alicujus infirmitatis , ad ſiſtendas alterationes , quæ mortem præveniunt, & poteſtati ejus nos ſubjiciunt. Homo ſuſcepit in ſuo corpore temperamentum juſtitiæ , quod librabatur ad æqualitatem ſanitatis perfectæ, & anima ejus prædita fuit vigore ſupernaturali ad reddendam immortalem hanc juſtam conſtitutionem. Non erat hæc virtus ut animæ beatæ, quæ influentiis vitalibus gloriæ ſuæ communicatæ immortale efficiet corpus , ſed prudentia diſcreta , & perfecta temperantia ad eligenda media rectæ rationi conſona , & ad utendum iis, quæ ſanitati forent opportuna ; & ſcientia incomparabilis ad cognoſcenda noxia , & utilia, & uſu ritè ordinato ſemper conſervaſſet benè congruentem qualitatum contrariarum harmoniam.

f Sap. 2. 23. ex Gen. 1. 27.
g Gen. 2. 9

Contra extranearum læſionum inſultationem plenum habebat in orbe homo dominium. Cœli creati propter obſequium ejus, non diſtillaſſent niſi propitiis influentiis ; non germinaſſet terra niſi roſas ; obediiſſent ei animalia ad minimum intentionum illius ſignum ; Angeli cuſtodiæ ejus invigilantes, repuliſſent ab eo omnia damnoſa ; tandem erat invulnerabilis , ſi in ſtatu priſtinæ ſuæ perſeveraſſet innocentiæ , privilegio immortalitatis, quæ fuit incomparabilis inter dotes ejus, cujus exitium deplorat Sapiens *h*, *Deus creavit hominem inexterminabilem. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ita perfectum ſuſceperat à Deo homo temperamentum , ut nec pati poſſet, nec mori : Deus qui reſidebat in corde ejus, contra omnia muniverat illum pericula ; ipſe erat velut arx inexpugnabilis , quæ nihil habet ampliùs pertimeſcendum niſi proditionem ; & ecce proditor qui vendidit eum inimicis ſuis , eumque morti tradidit , *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Invidia dæmonis conſtituta in hâc felicitate ut in objecto ſuo, introitum pandit morti, illique aperuit oſtium conſenſus, quem Adam præbuit ſuggeſtioni illius , dum tentationi ejus, æquè ac uxoris ſuæ votis annuens , veritus ne eam contriſtaret, veſcito *de fructu comedit i*. Et Hoſtis iſte crudelis internecione delevit Adamum immortalem , arma diſponens , quibus fauces præcideret omnibus illius poſteris. Hoc artificio mors triumphavit in dominio immortalitatis ; & ille qui natus erat ad vivendum nunquam moriturus , morti ſubjacet puſillanimo conſenſu ſuo ; & mors quæ fuit voluntaria quoad ipſum, eſt neceſſaria quantùm ad univerſos ejus poſteros, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* k.

h Sap. 2. 23 & 24. et Gen. 1. 27. & 3. 1. &c.
i Gen. 3. 6.
k Hebr. 9. 27.

Hanc generalem deplorans Salomon *l* vaſtitatem, definit Deum non eſſe authorem mortis : non enim creat niſi entia , *Deus mortem non fecit. Creavit enim ut eſſent omnia.* Sic univerſa entia hujus magni Artificis , participant bonitatem ejus , quia *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ut ait S. Dionyſius *m*: & neceſſarium eſt ut infortunia & infelicitates aliam ſibi vendicent originem. Mala non ſunt naturæ reales , ſed iſtarum privationes ; non computantur inter effectus veros , ſed inter defectus ; nec ullam aſſignat illi Philoſophia cauſam efficientem , ſed defectus virtutum adulterinarum , hujuſmodi perpetitur privationes potius quàm illas producat , quod eſt in meo manifeſtum propoſito , in quo mors interventu peccati in orbem ingreditur , *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors n.* Nullum habet illa aliud principium , niſi iſtam culpam, & invidia dæmonis inſpiravit hoc peccatum ad colligendam mortem è maligno ſatanicarum ſuggeſtionum ſuarum ſemine.

l Sap. 1. 13. & 14.
m S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
n Rom. 5. 12.

Coloſſus imaginarius Nabuchodonoſor tot metallis prædives, & exiguâ fultus teſtâ, eſt idea realis humanæ magnitudinis, *Et ecce quaſi ſtatua una grandis. Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento , porrò venter & femora ex ære : tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea , quædam autem fictilis o.* Omnia metalla , ſeu univerſa acta exiſtentiæ inſerta ſunt huic operi , quod eſt compendium orbis univerſi , & cunctæ ejus prærogativæ innituntur exili teſtæ, ſeu exiguo pulveri , qui eſt materiam noſtræ originis : *Abſciſſus lapis de monte ſine manibus ; & qui percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos* , eſt ſymbolum mortis. Obſervate autem quòd iſte *abſciſſus eſt lapis ſine manibus*. Id eſt, ſine impulſione alicujus artificis manus , abſque concurſu reali alicujus, non tamen abſque providentiâ : infelicitatem nim , quæ ſuper caput ſuum attrahit impius , nedum tamen de illis cogitet , ſuper ipſum puniendum immittuntur à Deo ; & omnia mala , quæ nullam merentur cauſam , ottu ſibi vendicant ab aliquo crimine , & ordinantur à juſtitiâ Dei , qui pœnas expetit à criminoſis , *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit p?* Et id quod videtur nobis

o Dan. 2. 31. &c.
p Amos 3. 6.

nobis accidens, eſt providentia reſpectu Dei. Talis eſt nativitas, & ordo mortis. Nativitas, quam educit è peccato, & ordo Divinæ Providentiæ.

Adam peccat, pomo morſum infigens; & hoc fruſtum veneno infectum *invidiâ diaboli*, mortem ei infert. Ipſe veoenum haurit, quod inficiet totum ſemen ipſius, & univerſos ipſius poſteros internecione delebit. Hoc pomum in-
q Gen. 2. 17. terdicti *q* incomparabiliter multò plures ſeminavit infelicitates, quàm pomum diſcordiæ oblatum Paridi. Ipſum eſt pyxis Pandoræ, in quâ omnia infortunia erant incluſa: Hâc enim pyxide apertâ uoiverſum infelicitates devaſtare cœperunt confeſtim orbem, *In omnes homines mors pertranſiit* *r*. Invidia Satanæ attentavit nos
r Rom. 5. 12. omnes interficere in perſonâ Protoplaſti noſtri, omnes nos eramus in Adamo unus & ſolus homo, ille erat unicus in naturâ, qui in ſuo deferebat actu omnium multitudinem individuorum, operans in nomine omnium, ſic præcipiente ei Creatore: eo vulnerato per peccatum, & moriente interventu iſtius ictus, læſi remanemus vulnere ejus, & interempti morte ejus, hæreditantes culpam ejus, & pœnam ſtatim ac eſſe naturæ illius. Sic diabolus omnes occidit homines unico actu hoſtilitatis, *Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ecce quomodo homo ex ſeipſo immortalis, obnoxius eſt morti figuratæ per cineres. Sed videamus iſtorum effectus cinerum.

II. Pars. Noſtrarum cinis eſt imago miſeriarum, & verum ſymbolum vitæ noſtræ ſemper morientis; ſicut etiam ſenſibilis affectuum noſtrorum delineatio. Docet nos Philoſophia, quòd intellectus ſuis penitus conformetur objectis, *Anima intelligendo fit omnia*. Et profectò amor efficacius ſimiles operatur transformationes in voluntate noſtrâ, ot mutet illam in objectum affectuum ſuorum. Has ordinarias animæ in amores ſuos tranſmigrationes infallibiles dixit S.
ſ S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9. Auguſtinus *ſ*, dicens, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror*. Examinemus igitur objectum affectuum noſtrorum, & videamus utrùm habeamus unde extollere poſſimus naturæ noſtræ cinerem. Confirmandum nobis erit hoc verbum, *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Cùm affectus noſtri nihil reſpicent præter cinerem. Omnes nos ſimiles ſumus illi *viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam; & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam & ceci-*
t Matth. 7. 27. *dit, & fuit ruina illius magna* *t*. Innumeris ſcatent mentes noſtræ conſiliis inſanis, ingrediamur nosmetipſos ſeriò, & conſideremus quonam noſtras ſpes fulciamus fundamento. Noſtras impendimus operas, ut pingamus in aëre, ut ædificemus in aquâ ſine paxillis, & deſudamus immodicè, ut aliquando noſtras tandem [illegible] ſtultitias. Ille quærit divitias, iſte honores aucupatur, alius verò ſiſtit in voluptatibus proſequendis. Iſtud omne nihil eſt niſi exiguus pulvis. Si verò [illegible] ita & ſanitas eſt fundamentum neceſſariò ſup[illegible]endum ut iſtis potiri poſſimus ineptiis, numquid inſani non ſumus ſi credimus futurum ut ſiſtere poſſimus hæc bona caduca, cùm vita quæ debebat ea retinere, ſit veluti torrens, qui iſtas abripit vanitates; nedum videamus in cinere iſtorum remedium infortuniorum?

Querens Deo David *u* de miſerâ conditione, quam declaravimus per cineres, & quam u Pſ. 43. 25. &c. quotidianâ innumerarum, comprobamus experientiâ miſeriarum, eum ſic alloquebatur, *Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terrâ venter noſter.* Quàm immodica eſt hæc inordinatio! Vita noſtra ſic eſt depreſſa ut non ſit ampliùs niſi exiguus cinis, & nihil ampliùs generoſum reſpirent affectus noſtri: paſſiones enim appetitus inferioris, quæ reſident in ventre, noſtras fæci mundi conglutinaverunt animas. Oportetne igitur ut in iſto miſerando ſemper permaneamus ſtatu? *Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum* ab iſtâ fæce. Evertamus cineres, & inter tot pœnas, quibus illi mixti ſunt, aliquam inveniemus felicitatis ſcintillam.

Reperio igitur in memoriâ cinerum primum ſpei noſtræ fundamentum, ſicut hæc recordatio eſt præcipuum infortuniorum noſtrorum remedium. Deſumit Medicina perſæpè pharmaca purgativa in causâ morbi; ſanguis & pilus canis rabidi medentur morſui infixo ab eo; lingua viperæ conficit antidotum veneni ipſius; in Indiis, in quibus morbi ſunt ordinarii, remedia recenſentur eſſe facilia; in locis enim contagioſis naſci facit Deus lignum, quod contagionem purget; & uſus eſt frequentiſſimus in naturâ uniendi remedii ægritudini. Peccatum nos ſedigit in cineres: cineres autem debent abolere peccatum, ut nos in ſanitatem redintegrent perfectionis. Iſtud edoceor recipere è ſtratagemate Moyſis. Poſtquàm Iſraëliticus *ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus, quem eduxiſti de terrâ Ægypti: recesſerunt citò de viâ, quam oſtendiſti eis; feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes hoſtias, dixerunt, Iſti ſunt Dii tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti: rurſumque ait Dominus ad Moyſen, Cerno quod populus iſte, duræ cervicis ſit; dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos: Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens: Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terrâ Ægypti, in fortitudine magnâ, & in manu robuſtâ? arripiens vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël* *x*. Rabbini philoſophantes ſuper x Exod. 32. 6. &c. effectum hujus potus, comminiſcuntur, hanc aquam ſimilem potui *Zelotypiæ* *y*, generaſſe y Num. 5. 18. &c. morbos fœtidos, & manifeſtos in corpore eorum qui iſtius erant conſcii idololatriæ, & ſic recenſentur notata viginti tria millia hominum peremptorum à Levitis præcipiente Moyſe, quaſi potus iſte fuiſſet illis venenum, eoſque notaſſet ſenſibiliter ut victimæ juſtitiæ efficerentur, ut ait Gloſſa Ordinaria, *Tradunt Hebræi, quòd filii Iſraël bibentes aquam vituli pulvere infectam, qui commiſerant idololatriam, in barba pulverem auri præferebant, quo etiam ſigno, rei, vel immunes ſceleris apparebant, & rei interficiebantur.*

Noſtrarum audacter confringamus idolum vanitatum, videamus illarum conſilium, quod ad nihil aliud reſolvitur niſi ad exiguos cineres: ſi iſtos haurimus cineres, quos torrens vitæ noſtræ, qui indeſinenter præterlabitur, continuè abripit (ſicut *Moſes pulverem vituli aurei ſparſit in torrentem qui deſcendebat de Sina, & tranſibat per caſtra Hebræorum, eo tempore quo veniebant Hebræi,*

ut

ut inde haurirent aquam, adeòque in ipſo aqua hauſtu (ait Cornelius z) inveniemus in hoc potu ſalutari, non ulcera, & morbos peſtiferos Iſraëlitarum idololatrarum, ſed ſanitatem perfectam innocentium. Ubi ſunt idola tua, Anima Chriſtiana? Exponamus ea palam, & omnium oculis ſubjiciamus illa. Sed audebone loqui de idolis, converſando cum Chriſtianis? Etiam: de illis loquar eodem affectu, quo Apoſtolus, *Multi ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorum Deus venter eſt* a. Carnales adorant ventrem, avari pecuniam, *Avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus* b. Iſtud omne non eſt niſi ſtercus, pulvis & cinis. Superbe tuarum comprime rotam vanitatum, intuere pedes tuos luteos inſtar pavonis, magnitudines tuæ exiguo fultæ ſunt pulvere, & ſuperbiâ inflatus, fimo corruptionis tuæ adhæreos, *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes* c: Bibe in hoc calice, iſtas digere cogitationes, Hæ tibi futuræ ſunt proficuæ, & infirmitati tuæ ſublevandæ accommodæ.

z Cornel. in Exod. 32.20.
a Philipp. 3.18. & 19.
b Coloſſ. 3.5.
c Iſai. 14.11.

Unus ex amicis Job nullum aliud efficacius expetit remedium ad ſublevandum amicum ſuum à cineribus, & à ſtercore ad priſtinam bonam ipſius fortunam, niſi memoriam eorundem cinerum, tumuli, & mortis, *Reſpondens autem Sophar Naamathites dixit, Cùm te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer. Et habebis fiduciam propoſitâ tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies* d. In Bibliis Hebraicis legitur, *Infiduciâ jacebis.* Si conſideras mortem non ut accidens futurum, ſed ut præſens, invenies in tumulo viventi vitam gratiæ; ſi tuorum ſepelias idolum peccatorum in cineribus monumenti, ſpes tuæ reflorebunt; ſi te ſepelias, ex iſto egredieris feretro ſpecioſior quam ſit ſtella matutina, quæ prævenit ortum Solis. Hæc eſt validiſſima diſpoſitio ad præparandas ad juſtitiam animas noſtras, & ad mutandas peccatorum noſtrorum tenebras in firmamenti ſtellas, quæ ſanctarum ſymbola ſunt animarum.

d Job 11. 1. &c.

Cineres juniperi ſuffocare perhibentur ſerpentes: pulvis vitri contriti corvos è nido exire compellit, ut dicitur: cineres autem ſepulchri, & pulvis qui remanet poſtquam vitæ noſtræ vitro fragiliores contritæ ſunt impetu mortis, omne vitiorum genus poſſunt extinguere. Sit aliquis peccator quantùmvis volueritis in ſceleribus ſuis obſtinatus, ſi iſtas intra ſe volvat & revolvat ſeriò conſiderationes, ex iis non egredietur niſi contritus, *Quis arguet coram eo viam ejus? Et quæ fecit, quis reddet illi* e? Quis audebit corripere peccatorem, qui trophæum educit è ſuis diſſolutionibus? *Omnes hæc verba de impio intelligunt, qui impunè vivit: eò quòd nemo ſcelera ejus arguere audeat*, ait Bolducius f. Si Concionator aggrediatur eum corrigere, confeſtim deridebitur ab eo: Si aliquis amicus, hoc charitatis aſſumere intendat officium erga eum, is illicò tergum vertet ei ſuum, & amorem ſuum in odium convertet. Nullum alium cenſorem volo ad corrigendum eum præter mortem, ut docet idem conſequenter Job, *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Si progrediatur ad tumulum uſque, ibique conſiderat tot Sardanapalos deliciis & voluptatibus aliàs diffluentes, tot Herodes crudeles, tot Cæſares imperio & poteſtate inſignes, & iſtos omnes in pulverem redactos, ſibique periculum imminere ut citò hujuſmodi commiſceatur defunctis, profectò eſt evigilaturus, in ſe reverſurus, & in emendatæ vitæ bonam frugem ſeſe recepturus. Hoc eximio uſus eſt aliàs ſtratagemate quidam ſpiritualis vitæ Director peritiſſimus, qui poſt adhibitam totam facundiam ſuam ad convertendum inſignem quendam peccatorem, dimiſit illum cum ſupradictis Iſaiæ verbis, *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Tale eſt conſilium Eccleſiæ, quæ ideò capita noſtra cineribus operit, ut hanc eamdem cogitationem mentibus noſtris inſpiret, *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

e Job 21. 31. & 32.
f Bolduc. Capuc. in Job 21. 31.

Animæ æquo liberiores, oportet ut ſedula mortis recordatio à conſuetis veſtris vos retrahet diſſolutionibus. Longam vobis pollicebamini æquè ac florentem vitam, & ecce interitus in ſinu veſtro eſt, qui quaſi latro vobis, cùm de eo minimè cogitabitis, omnes voluptates veſtras eripiet, *Sicut fur in nocte ita veniet* g. *Id eſt, latenter, improviſè & ſubitò accidet, ſicut fur tempore noctis domum ingreditur. Vel. Sicut fur, id eſt, impreviſè in nocte, ita veniet, id eſt, latenter adveniet, ad ſimilitudinem furis*, ait Dionyſius Carthuſianus h. Non opus eſt ut expectetis donec mors in infernum vos demergat, tempus eſt ut de ſalute veſtrâ cogitetis ſatagendâ, *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli* i. Nolite committere theſaurum cordis veſtri, & ſpem ſalutis veſtræ diebus futuris; hi ſunt alieni, infideles qui decipiunt vos, reſervatis vos in craſtinum ad colendam virtutem: honorem veſtrum, vitâ veſtram, paradiſum veſtrum concreditis extraneo qui mendax eſt, & foro ceſſit in diſpendium creditorum ſuorum; fiditis tempori, non conſiderantes ipſum tam infidele eſſe quam crudele. Peccator, quiſnam indulſit tibi literas exemptionis, ut tibi aliquam pollicearis ſecuritatem inter hanc multitudinem? *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid superventura pariat dies* k. Scito pro comperto, quòd fortaſſis die craſtinâ efferêris, & propinqui & amici tui funus tuum cum luctu comitabuntur, *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Utinam hæc recordatio cordi tuo imprimatur: efficaciſſima enim erit ad deprimendam arrogantiam tuam, & ad emendandam vitam tuam, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

g 1. Theſſ. 5. 2.
h Dion. Carth. art. 5. in 1. Theſſ. 5. 2.
i Prov. 5. 9.
k Prov. 27. 1.

Ecce unus ex effectibus cinerum, ſed non eſt obmittendus aliis. Iidem cineres ſunt etiam ſymbolum pœnitentiæ. Deſiderans Abraham opponere ſe vindictæ, quam infligere volebat Deus Sodomitis, operit ſe cineribus, & ait, *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis* l. Mitigaturus David iram Dei exacerbati propter voluptates ipſius illicitas, eò quòd rapuiſſet Bethſabee uxorem Uriæ m, panem ſuum cineribus immiſcet, *Cinerem tanquam panem manducabam* n. Job victoriam de ſuo retulit inimico, quia ſecundùm quorundam obſervationem Rabbinorum Job in cineribus jacebat, *Ago pœnitentiam in favillâ, & cinere* o. Super quod Bolducius p ait, *Habet in hoc loco Pineda: Si non ob prioris vitæ delicta, at ſaltem propter loquendi imperitiam his plagis meritò afficior, ſi non ob ea quæ mihi adverſarii aſſingunt, at propter humanæ conditionis imbecillitatem ſedere in pulvere & cinere non recuſo.* Eſther Regina triumphavit de Aman *in ſacco & cinere* q Mardochæi, & cæterorum Judæorum. Judith fortitudine viguit præcidendi capitis Holofernis, *Et percuſſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus* r.

l Gen. 18. 27. &c.
m 2. Reg. 11. 3. &c.
n Pſ. 101. 10.
o Job 42. 6.
p Bolduc. Capuc. in Job 42. 6.
q Eſth. 4. 3. & ſeq.

r Judith 22.10. *ejus* r, Quia *poſuit cinerem ſuper caput ſuum* ſ. Da-
niel deriſit artificium Sacerdotum Belis, dum
ſ Ibid.9.1. *præcepit pueris ſuis, & attulerunt cinerem, & cribra-*
t Dan.14. 13. *vit per totum templum* t. Generoſi Machabæi
magis confidebant in cineribus, quàm in armis
ſuis, nullus ſermo frequentiùs miſcebatur in
conſiliis ipſorum bellicis, quàm de cineribus,
inde ſuas exordiebantur expeditiones milita-
u 1.Mach. 3.47. res, *Cinerem impoſuerunt capiti ſuo* u.

Eccleſia ut nos animet ad expugnandum
mundum, diabolum, carnem, & omnia vitia, ci-
neribus nos armat; & ego dicam vobis ſicut di-
x Jer.25. 34. cebat Jeremias x Magiſtratibus populi Iſraël,
Aſpergite cinere capita veſtra Optimates. Domini
mei Sacerdotes, veſtrâ intereſt reſiſtere iræ Dei,
oſtendere populo exempla pœnitentiæ, *Aſpergi-
te cinere*, &c. Magiſtratus, rationem petet a vo-
bis Deus de ſceleribus totius populi, gemite pro
tot diſſolutionibus quæ in veſtrâ patrantur ci-
vitate, *Aſpergite*, &c. Nobiles, agnoſcete debe-
tis in cineribus vanitatem ſtatus veſtri, & ve-
ſtrorum inſaniam conſiliorum, *Aſpergite*, &c.
Mulieres, quæ veſtro blandimini corpori, quod
citò vermes ſunt corroſuri, *Aſpergite*, &c. Et
diſcetis contemnere id, quod tanto affectu pro-
ſequimini. Populé, oportet ut hoc pulvere no-
ſtros omnes computemus redditus, *Aſpergite*, &c.
Cùm non ſimus aliud niſi cinis; & ſicut cineres
ſunt ſymbola pœnitentiæ & converſionis; ita
expedit ut ad Deum omnino convertamur.

y Pſ.61. 8. &c. Procurabat aliàs David y hanc converſio-
nem exemplo reverſionis ſuæ, dicens, *In Deo ſa-
lutare meum, & gloria mea; Deus auxilii mei, &
ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo omnis congregatio
populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor
noſter in æternum.* Iſtæ conſiderationes deberent
ſanè nos inducere ad convertendos ad Deum
omnes affectus cordis noſtri. *Verumtamen vani
filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut
decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Cor munda-
norum erga divitias afficitur. Quomodo igi-
tur? In vanitatibus & theſauris collocatis cor
veſtrum? *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor
tuum* z. Quid cogitatis? Ut quid non auſculta- z Matth. 6.21.
tis id quod conſequenter ait Pſalmiſta? *Nolite
ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere:
divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Novum ad-
hibebo conatum ad abripiendum cor iſtud, &
illud Deo conciliandum, & ſatagam ipſum in-
ducere ad deſerendas penitus vanitates. Non
habet ſatis virium mors ad referendam de
corde humano victoriam, oportet ut Jeſus ama-
tor cordium, illud devinciat ſibi. Cor eſt ſe-
des naturalis amoris, & à nullâ aliâ ſe ſinit abri-
pi violentiâ, niſi à violentiâ Amoris ſacri. Amor
inordinatus Protoplaſtorum noſtrorum eripuit
nobis omnibus vitam & cor ſub arbore fatali
ſcientiæ prætenſæ, quæ formavit ipſorum inobe-
dientiam, *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.
Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad ve-
ſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile:
& tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo,
qui comedit* *. Et amor ſacer ſecundi Adæ re- * Gen.3.
novare & reconciliare ſibi debet cor noſtrum 5. & 6.
ſub arbore martyriorum ſuorum ſalutabili, *Sub
arbore malo ſuſcitavi te* †. Nimirum ſuavitati- † Cant.8.
bus Divinæ gratiæ in hoc mundo, & gloriæ in 5.
altero ſeculo.

FERIA V. POST CINERES.

Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. *
Matth. 8. 12. &c.

SIcut accidentia ſenſibilia, ut ſunt albedo &
nigredo, calor & frigus, magnitudo & parvi-
tas, ſapor & odor, & alia promiſcuè & indiſcri-
minatim omnibus conveniunt creaturis, ſive
animatis, ſeu inanimatis, & aliquod eſt particu-
lare, quod cuilibet aſſignatur ſpeciei, nimirum
figura, per quod res quælibet diſtinguitur &
agnoſcitur inter alias: ſic inter fideles quædam
inveniuntur ſigna, quæ indifferenter congruunt
iis qui ſunt animati, id eſt, vitâ gratiæ, & illis
qui ſunt inanimati, id eſt, eâdem vitâ gratiæ de-
ſtituti, ſeu Juſtis, & peccatoribus, ut audire diſ-
ſeri aliquando de Deo, *Qui ex Deo eſt, verba Dei au-*
a Ioan.8. 47. *dit* a. Et de peccatoribus, *Propterea vos non au-*
b Ibid. *ditis, quia ex Deo non eſtis* b. Et hujuſmodi ſermo-
nes Dei cuſtodire, *Beati qui audiunt verbum Dei,
& cuſtodiunt illud* c. Et alia ſimilia ſigna quæ ſunt
c Luc.11. 28. Chriſtianorum notæ. Sed præter hæc ſigna et-
iam dantur alia ſpecialia, ut declinare *à malo, &*
d Pſ.36. 27. *bonum* d facere. *Non enim auditores Legis juſti ſunt
apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur. Cùm
enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea
quæ Legis ſunt, faciunt: ejuſmodi Legem non haben-
tes, ipſi ſibi ſunt Lex: qui oſtendunt opus Legis ſcri-
ptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis con-
ſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum
accuſantium, aut etiam defendentium, in die cùm ju-*
e Rom.2. 13.&c. *dicabit Deus occulta hominum* e. Quod ſic exponit
Dionyſius Carthuſianus f ad propoſitũ noſtrum f Dion. Carth.
quaſi in gratiam Centurionis noſtri æquè ac in art.5. in
confuſionem reproborum, *Non enim auditores Le-* Rom.2.
gis divinitùs datæ juſti ſunt apud Deum, ſed factores 13.&c.
*Legis, id eſt, qui Legis mandata adimplent, juſtifica-
buntur, id eſt juſti erunt ac reputabuntur apud Deum.
Nam & fides ſine operibus mortua eſt* †. *Cùm enim* † Ex Ia-
Gentes, id eſt, Gentiles, quæ Legem ſcriptam ſeu Moy- cob.2.26.
*ſi non habent, quia non tenebantur ad eam naturali-
ter, id eſt, ex naturalis rationis dictamine, adjuti ta-
men lumine gratiæ, ſine quâ nemo unquam ſalvatus
eſt: non enim ex puris naturalibus quiſquam ſalvatur,
cùm ſalus noſtra ſit ſupernaturalis felicitas, ſcilicet,
viſio per ſpeciem* g, *ad quam ſine fide, charitate, &* g Ex 1.
gratiâ Dei nullus viator pertingit, eâ quæ Legis ſunt Ioan.3.2.
*faciunt, id eſt, Legem ſcriptam obſervant, quantùm
ad præcepta moralia Decalogi, quæ ſunt de dictamine
rationis naturalis, ejuſmodi Gentes Legem Moſaicam
non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, id eſt, propria ratio
eſt eis pro Lege, qui oſtendunt benè vivendo opus Legis,
quod à Lege ſcriptâ præcipitur fieri aut vitari, Scri-
ptum in cordibus ſuis* h, *id eſt, intellectui naturali im-* h Ex Pſ.4. 7.
*preſſum, ita quòd ratio dictat eis, quod dictat Lex ſcri-
pta; teſtimonium boni vel mali reddente illis conſcien-
tiâ ipſorum, quæ ex naturali judicio rationis repro-
bat malum, & approbat bonum: recalcitrat enim
quodam modo operi vitioſo, conſentitque actui virtuo-
ſo. Et inter ſe invicem cogitationum accuſantium,*

aut

aut etiam defendentium. More Græcorum ponit genitivum pro ablativo, ut ſit ſenſus, cogitationibus ſe invicem accuſantibus, id eſt, perverſis cogitationibus quæ malos accuſabant, etiam defendentium, id eſt, cogitationibus bonis, quæ bonos excuſant atque defendunt. His, inquam, cogitationibus teſtimonium damnationis, vel ſalutis reddentibus illis. Tunc namque quilibet conſcius erit ſibi de propriis bonis ac malis, in die cùm judicabit Deus occulta hominum, id eſt, in die judicii quando aperientur libri i conſcientiarum. Hujus Legis ſedulus fuit obſervator Centurio, ita ut de illo dixerit Dei Filius, *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Sed dicamus cum eodem Carthuſiano *, quòd *poteſt inſuper dici myſticè intelligendum eſſe hoc dictum, videlicet de Eccleſiâ, reſpectu Synagogæ: non de perſonâ Centurionis, & quocumque Judæo, ut ſit ſenſus, Non inveni tantam fidem in Iſrael, id eſt, in Synagogâ veteris Teſtamenti, ſicut in Centurione, id eſt, in Eccleſiâ novæ Legis, per Centurionem deſignatâ, qui ſecundùm Doctores figura ſuit Eccleſiæ ex Gentibus congregatæ. Filii autem Regni, id eſt, Judæi increduli, qui dicuntur filii Regni cœleſtis, quia ad illud ſpecialiter invitabuntur k*, ſicut ad hoc etiam invitantur Chriſtiani mali, æquè ac boni, *ejicientur in tenebras exteriores, id eſt corporales atque palpabiles tenebras carceris infernalis, ſtatim cùm moriuntur quoad animam, in die autem noviſſimo quoad corpus & animam.* Ut ab iſtis tenebris declinemus, confugiamus ad Aſylum B. Virginis, quæ credidit l verbo Angeli dicentis ſibi, *Ave Maria.*

i Ex Apoc. 20. 12.
* Dion. Carth. art. 16. in Matth. 8. 12.
k ex Matth. 5. 3. &c.
l Luc. 1. 45. &c.

Non ſecus ac cauſæ univerſales, & cauſæ per accidens efficientes, producunt effectus contrarios, ut ait Ariſtoteles m, *Cùm cauſa multis modis dicantur, fit interdum ut multæ ejuſdem rei non ex accidente ſint cauſæ*: Sol enim, qui eſt cauſa univerſalis, operatur effectus, qui non ſunt uniformes, quia indurat lutum, & emollit ceram: frigus etiam tempore hyberno cauſat frigus, quod eſt ipſi ſimile, & calorem ſimul; frigus per ſemetipſum, & calorem per accidens in ſtomacho & in viſceribus, quod fit per antiperiſtaſin per quam calor naturalis & internus unit ſe & ſe colligit ad reſiſtendum contrario ſuo quod eſt frigus. Unde fit ut Hippocrates dicat, *Ventres hyeme naturâ calidiſſimi ſunt* n. *Propter ambientis frigiditatem, quæ corporis meatus conſtringit ac denſat. Calor autem nativus non inveniens exitum, difflari prohibetur: quare intrò delatus, rurſus ad exteriora progreditur, & multiplici ſpecie motus calefactus multiplicatur, ac ſeipſo calidior fit*, commentatur Galenus o. Sic cauſa moralis & libera, qualis eſt voluntas hominis p, producit effectus contrarios: modò diligit; & mox odio habet; hodie affectu ducitur alicujus rei, quam cras refugit; nunc laudibus evehit Creatorem, & poſteà blaſphemias vomit exectandas contra ipſum qui eſt *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum* q. Ideò appoſitè locutus eſt Salvator, cùm dixit, *Nonne duodecim ſunt horæ diei* r? Quaſi diceret, quòd homo ut cauſa libera poteſt agere bonum unâ horâ, & malum alterâ, cùm in hoc ſecundùm apparentiam videatur minùs nobilis cauſis particularibus deſtitutis ratione, quæ operantes ſemetipſis, nunquam contrarios producunt effectus, cùm ignis nunquam producat frigus, & Sol tenebras. Et quia homo ſæpiùs ad malum & ad peccatum fertur quàm ad bonum, videbimus in progreſſu diſcurſus iſtius juxta verba textus mei, *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium*, funeſtos effectus & pœnas, quæ comitantur & quæ ſequuntur peccatum.

m Ariſt. lib. 2. Phyſ. c. 3. text. 30.
n Hippocr. ſect. 1. aphoriſm. 15.
o Galen. in Hippocr. ſect. 1. aphoriſm. 15.
p Eccl. 15. 14. &c.
q Iſai. 6. 3.
r Joan. 11. 9.
Propoſitio.

Non eſt miſeria comparabilis miſeriæ peccatoris. Unus ex amicis Job delineavit nobis effectus funeſtos & pœnas quæ comitantur, & quæ ſequuntur peccatum, cùm dixit, *Devoret pulchritudinem cutis ejus: conſumat brachia illius primogenita mors. Avellatur de tabernaculo ſuo fiducia ejus, & calcet ſuper eum, quaſi rex interitus. Habitent in tabernaculo illius ſocii ejus, qui non eſt. Aſpergatur in tabernaculo ejus Sulphur. Deorſum radices ejus ſiccentur, ſurſum autem atteratur meſſis ejus. Memoria illius pereat de terrâ, & non celebretur nomen ejus in plateis. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum. Non erit ſemen ejus, neque progenies in populo ſuo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus* ſ. Quod ſic exponit Bolducius Capucinus t, *Eò quòd Eliphaz maximam Iobi proſperitatem vellicaverat ſub hominis pinguiſſimi contra Omnipotentem pugnantis metaphorâ u: inde Iob anſam accepiſſe videtur, ut ſuam maximam tam in bonis temporalibus, quam in corpore deſcriberet ruinam & exitium ſub ſimilitudine rugarum & maciei, cùm dixit: Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me* x. *Quæ quidem verba nunc Baldad excipiens, tanquam ex illius ore proprio confeſſionem, quâ Deum ſibi adverſari conquerītur, qui illum ad tantam rerum omnium tabem deduxerat; hanc ipſam ſimilitudinem, tanquam ad rem plurimùm, cautè & eleganter reſumit diſtinctè per partes in hoc, ſequentique verſiculo illam declarat & mirificè dilucidat, dum ita graphicè tabem Iobi corpoream deſcribit. Ergo Interpres vertit, Pulchritudinem cutis ejus, quod in origine erat, ſulcra cutis ejus. Quæ enim autem ſunt ſulcra cuticulæ craſſiſſimi & pinguiſſimi hominis, niſi arvina & pinguedo, per quam habet vultum, manus, brachia & alia membra tenera, delicata, diſtenta, polita, lucida, quæque formoſitatem, venuſtatemque efficiat admirandam? è contrà verò corpus, quod præ inediâ conſumptum carnibus ſolis oſſibus & pelle conſtat, & in quo hæc illis adhæret quale ſuum eſſe ſuperiùs* y, *& infrà* z *Proteſtatur Iob; rigidum eſt, auſterum, ſuliginoſum, horribile, & omni decôre privatum. Eſt enim pulchritudo quædam apta figura membrorum cum coloris quâdam ſuavitate. Devorabit ergo fames obeſitatem & pinguedinem impii, id eſt, ſulcra cuticulæ ejus: ſed & quidquid carunculæ invenerit, quæ eum ſuſtentet, excedere non deſinet, donec cutis non aliud habeat fundamentum quàm oſſa, quæ fame conſumi non poſſunt. Quibus verborum aculeis ad vivum pungitur Iob, quaſi propter peccata ſua fame conſumptus ſit, & ad extremam, in quâ nunc eſt, maciem redactus. Conſumat brachia illius. Voluit fortaſſe dicere, Non ſolùm fames conſumet & tabeſcere faciet pulchritudinem & decôrem vultus: ſed & vigorem, ac robur brachiorum, in quibus præſertim vis, & fortitudo totius corporis agnoſcitur. Primogenita mors, Cajetanus dicit, eſſe mœrorem: quia, inquit, primum quod gignit mors, eſt mœror: quilibet enim triſtatur cogitans ſe moriturum.* Omnia flagella cœli perſequuntur impium, & præ oculis mundi ita macie confectus apparet, & tantis plenos languoribus, ut dubitari non poſſit quin fame pereat. Non eſt igitur ille ampliùs niſi inſtar phantaſmatis, & poſtquam amiſit tot privilegia, quibus à naturâ fuerat cumulatus, nihil ampliùs reſervatur illi niſi mors. *Igitur mors, quæ eſt privatio gratiæ*, ait Bolducius poſt S. Jacobum a, *velut aliarum cauſa, tempore & quaſi dignitate inter mortes primogenita*

ſ Job 18. &c.
t Bolduc. in Job 18. 13. &c.
u Ex Job 15. 26. & 27.
x Job 16. 9
y Ex Job 7. 5. & ex 13. 14. & ex 16. 16.
z Ex Job 19. 20.
a Ex Jacob. 1. 15.

nita & vera dicenda eſt. Quòd ſi ſola mortis umbra tantam in corpus humanum habet poteſtatem, tantamque exercet tyrannidem, ut prorſus horrendum illud reddat & in pulverem b *deducat: quid non faciet vera & primogenita mors ut devoret pulchritudinem animæ & conſumat, penituſque corrodat omnia illius fulcra, hoc eſt, omnes vires & facultates ejus extenuet?*

b Ex Gen. 3. 19.

Avellatur de tabernaculo ſuo fiducia ejus, & calcet ſuper eum quaſi rex interitus. Moriatur hic impius in impietate ſuâ, & ſepeliatur cum omnibus expectationibus ſuis, ut iſta cæca & immiſericors mors, quæ nemini parcit, illum excipiat crudeliter atque tyrannicè. *Habitent in tabernaculo illius ſocii ejus, qui non eſt, aſpergatur in tabernaculo ejus ſulphur.* Interim omnes conſcii peccatorum ejus, obnoxii erunt pœnis illius ſuſtinendis, & ſuper omnes terras ejus immittetur diluvium flammarum, & inundatio ſulphuris, nedum ab illis liberari poſſit. *Deorſum radices ejus ſiccentur, ſurſum autem atteratur meſſis ejus.* Poſt hæc agetur de omnibus bonis ejus, & de univerſis theſauris familiæ illius non ſecus ac de illis magnis quercubus, quæ fulmine combuſtæ ſunt, & in cinerem redactæ ad radices uſque, nedum aliquid earum remanſerit. *Memoria illius pereat de terrâ, & non celebretur nomen ejus in plateis.* Ita ut non ſit ampliùs habendus de eo ſermo, & futurus ſit ipſe inter homines quaſi nunquam fuiſſet. *Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum. Non erit ſemen ejus neque progenies in populo ſuo, nec ulla reliquiæ in regionibus illius.* Non eſt igitur ampliùs quærendus niſi inter tenebras, nec expectandum eſt ut Deus indulgeat illi ut aliquas familiæ ſuæ deſerat reliquias, ut nomen ſuum, & liberos ſuos: ſed id omne quod remanere poteſt ex illis, erit horror æternus, ſtupor generalis, & odium publicum: nec ullum aliud unquam invenietur epitaphium ſuper monumento ejus, niſi quòd ſub iſtâ abyſſo infortuniorum jacet hominum omnium peſſimus.

Examinemus, ſi placet, exactiùs omnes effectus iſtos, & iſtas fatales peccati ſequelas, *Devoret pulchritudinem cutis ejus.* Cùm peccatum ex ſe ſit horribiliſſimum & abominabiliſſimum, confeſtim ac noſtram illabitur animam, eam inquinat & efficit immundam. Antequàm hoſtis iſte uſurpatione tyrannicâ cor ejus poſſediſſet, erat ipſa tota ſpecioſa, ut declarat ei Sponſus ipſius, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* c. Sed poſtquàm hic hoſtis in eam ingreſſus eſt, *denigrata eſt ſuper carbones facies* d illius. Similis eſt anima noſtra Lunæ, quæ illuminata radiis Solis, eſt viſu ſpecioſiſſima, & noſtros in ſtuporem ſolo intuitu ſuo inducit oculos; ſed ſi terra opponatur Soli, & propter eclypſim non poſſit Sol ſuam communicare Lunæ lucem, hæc nigra efficitur & tenebroſa: idem agitur de animâ noſtrâ, quæ, ubi ipſam illuminat *Sol juſtitiæ* e, eſt *pulchra ut Luna* f, nec ullis ſuffunditur maculis: ſed ſi peccatum opponatur luminibus Divini Solis iſtius, ſtatim *denigrata eſt ſuper carbones facies* ejus.

c Cant. 4. 7.
d Thren. 4. 8.
e Malach. 4. 2.
f Cant. 6. 9.

Conſumet brachia illius primogenita mors. Hoc eſt aliud effectum peccati, quod eripit nobis fortitudinem, ne ullum boni genus operari poſſimus. Narratur de Annibale, quòd cùm ingentem habuiſſet obviam catervam equitum Romanorum ad exercitum veloci curſu contendentium, noluerit illos præcipere perimendos, ſed illis præcidendas manus & truncandos pedes ſategerit, ut ſic deinceps tractandis armis eſſent inidonei. Et quòd, cùm quidam Dux ſæpè ditioni ſuæ ſubjeciſſet quandam inſulam, quæ tamen non deſinebat aliquando rebellare; Senatus decreto edito præceperit amputandos pedes, & ſecandas manus omnibus incolis inſulæ illius, ne ampliùs rebellare valerent: *Militia eſt vita hominis ſuper terram* g. Peccatum præcîdit nobis manus & pedes, & tractandis armis nos efficit inidoneos ſpiritualibus adversùs inimicos noſtros, privat nos gratiâ, & omni bonorum genere, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* h. *Avellatur de tabernaculo ſuo fiducia ejus.* Illud eſt aliud effectum peccati, expellere ab animâ fiduciam & magnanimitatem. Aſtræam, ut dicit Calepinus i, *Poëtæ fabulantur, aureo illo ſeculo è cælo in terram migraſſe, & tandem mortalium ſceleribus offenſam, cœlum repetiviſſe,*

g Job 7. 1.
h Ezech. 18. 4. & 20.
i Calepin. in Diction. V. Aſtræa.

Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit k.

k Ovid. lib 1. Metamorph.

Statim ac Juſtitia advertit, homines non ampliùs vacaſſe exercitio virtutis ſuæ ordinariæ, quia ut ait Alius,

Non ſocer à genero, non hoſpes ab hoſpite tutus:

Et, *Quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum: vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt* l; ipſa ſe recepit in cœlum. Adam ante commiſſam inobedientiam ſuam, à nemine pendebat, nullam agnoſcebat ſuperiorem authoritatem, excluſâ ſuperioritate Dei: ſubjecerat Deus *omnia ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi, volucres cæli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* m. Omnibus abſoluto dominio imperabat creaturis, ſed ſtatim ac præceptum Domini ſui tranſgreſſus eſt, vetiti comedendo *de fructu* n ligni, fugit, *abſcondit ſe à facie Domini Dei*: Omnes creaturæ adverſus eum inſurgunt, imò verò paſſiones ejus, quæ illi ſic anteà ſubjectæ erant, bellum indîcunt ei abſque ullâ intermiſſione.

l Pſ. 11. 2. & 3.
m Pſ. 8. 8. & 9. ex Gen. 1. 28
n Gen. 3. 6. &c.

Hanc tradidit natura, ſeu potius Author naturæ, halcyonibus proprietatem, quòd collocantes nidum ſuum in mari, illud confeſtim tranquillant, & turbines ac procellas ceſſare faciunt: gratia eſt hæc halcyon, hæc avis boni augurii; mitigat illa ventos qui perflant adversùs cor noſtrum; ſed ſtatim ac iſta Halcyon gratiæ recedit ab animâ noſtrâ, illico venti & turbines peccati incipiunt flare, & irreparabilem minitari ei ruinam, *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt* †. Nero, ſceleſtus iſte Imperator cùm propriam matrem Agrippinam exenterandam præcepiſſet, perpetuis angebatur terroribus, ita ut neſciret quònam ſe verteret. Et narratur de quodam Baſſo, quòd, cùm ſuum patrem peremiſſet, dormiens in cubiculo, in quo ſuum collocaverant hirundines nidum, ita anxiabatur ut viderentur ei hirundines nihil aliud ceciniſſe niſi iſtud, *Baſſus occidit Patrem ſuum.* Pœna peccati eſt remorſus iſte conſcientiæ; & peccatori accidit id, quod contigit Phalaridi crudeliſſimo Regi *Agrigentinorum; qui præter cætera novorum ſuppliciorum inſtrumenta, taurum habuit æneum, Perilli arte fabricatum, in quem immiſſi*

† Iſai. 57. 20.

omiſſi damnati, igneque ſubjectis, bovis mugitum edebant: cujus muneris nomine cùm artifex non leve munus ſperaret, juſſu Tyranni in taurum conjectus, primus artis ſuæ ſpecimen præbuit. Ipſe quoque Phalaris, cùm nimia ejus atrocitas ulteriùs ferri non poſſet, facto in eum univerſorum civium impetu correptus, ei ipſi tauro, quo alios exuſſerat, incluſus, vivus crematus eſt, ait Calepinus o.

o Calepin. in Diction. V. Phalaris.

Et calcet ſuper eum quaſi Rex, interitus. Iſtud eſt aliud effectum peccati, ac gravitare ſuâ opprimere, ut ait David p, *Iniquitates ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Super quod peti poſſet, Quare peccata dicuntur gravia, cùm impedire non poſſint quin ii, qui illis ſunt onerati, tantâ incedant facilitate, quantâ incedebant cùm ab illis erant immunes? Reſpondetur, quòd ſicut elementa gravia, qualia ſunt aqua & terra, in ſuo non gravitant centro, quod eſt ipſorum locus naturalis; ſic peccatum quod eſt in loco ſuo qui eſt anima, videtur omnino non gravitare. Siccis pedibus, *deſcendens Petrus de naviculâ ambulabat ſuper aquas. Videns verò ventum validum timuit, & mergi* cœpit confeſtim ac *modicæ fidei q* effectus, dubitare incepit. Angeli creati fuerunt in juſtitiâ originali, & in gratiâ, ſed ſtatim ac peccaverunt, ita graves effecti ſunt, ut cœlum illos ſuſtinere non potuerit, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decôre: perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ: donec inventa eſt iniquitas in te. Et elevatum eſt cor tuum in decôre tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decôre tuo, in terram projeci te r.* Sic cùm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron* in *ſeditione Core, quando adversùs Dominum rebellaverunt; aperiens terra os ſuum, devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros ſ.*

p Pſ. 37. 5.
q Matth. 14. 29. &c.
r Ezech. 28. 12. &c.
ſ Num. 26. 9. & 10.

Sed quare verbum iſtud? *interitus.* Mors eſt effectum peccati, quod juſtitia Dei nunquam deſerit impunitum, imò nec ex iſtâ vitâ. Cùm mors ſit effectum peccati, *Per peccatum mors t:* nedum loquamur de morte animæ, quam vivificat Deus, *Sicut vita corporis anima; ſic vita animæ Deus u:* certum eſt, quòd cùm mors ſit effectus peccati, tunc noſter *adverſarius diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret x:* Id eſt, omnia artificia malitiæ ſuæ inſumit, ut illos, quos ſuis demulcere non potuit lenociniis per vitam ipſorum, terrore concutiat agentes extremum ejuſdem vitæ agonem, & ſuâ abripiat eos ſævitiâ. Fur amicum ſe ſimulat illius, quem comitatur in viâ, ut eripiens ei omne diffidentiæ genus, meliùs capeſſat anſam illius interimendi: eodem ſe gerit diabolus modo adversùs homines, eis adulatur in vitâ ſuâ, omnia poſſibilia procurat illis commoda; ſed nocte interitus adveniente, omnibus ſpoliat illos virtutibus, & conatur eos in deſperationem adducere: imitatur felem qui expectat murem in foramine parietis; ſemper vigilat ut nos imparatus intercipiat: proptereà illi qui extremum vitæ agonem agunt, caput ſoliti ſunt convertere, & conari latêre ob terribiles viſiones dæmonum, quas perpetiuntur: ſi enim aſpectum formidamus quorundam hominum furioſorum; quantò majori ratione timendus erit diabolus præſtolans animam jam exituram è corpore ſuo, ut illam prædam ſuam faciat, eamque in infernum deducat.

t Rom. 5. 12.
u S. Aug. conc. 2. in Pſ. 70. ex Act. 17. 28
x 1. Petr. 5. 8.

Nauclerus rei maritimæ apprimè peritus, ad portum approximans, magis ſatagit ne ſua naufragium patiatur navis, quàm cùm alto pelago eadem currit iſta eſt navis: ſic quò propiùs homines accedunt ad mortem, eò magis ſibi debent attendere propter violentiores adverſariorum ſuorum inſidias: *Mare ſeculum intelligitur, quod à diverſis peccatis, & variis tentationibus, velut quibuſdam fluctibus æſtuat. Venti autem nequitiæ ſpirituales, & immundi ſpiritus intelliguntur, qui ad naufragium Eccleſiæ per diverſas ſeculi tentationes, velut per fluctus maris deſæviunt,* ait S. Chryſoſtomus y. In iſtud mare ſeculi jacit diabolus ſua retia, quibus illaqueet animas, eaſque pœnis ſuis efficiat obnoxias, ſi peccati ipſius eæ fuerint conſciæ. In mari, parvi piſces à retibus facilè declinant, & ſalvantur; ſed magni in illis intercipiuntur: ita in mari ſeculi, parvi piſces, id eſt, humiles facilè ſalutem conſequuntur; ſed magni, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem z.*

y S. Chryſ. hom. 23. ex c. 8. Matth. 27.
z 1. Tim. 6. 9.

Expellet eum de luce ad tenebras. Idem effectus peccati deſtituit nos vitæ lumine, cùm mors in mundum non fuerit ingreſſa niſi per peccatum. Quia Rex Jeroſolymorum *Sedecias fecit malum coram Domino a: venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus ejus in Jeruſalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu ejus munitiones. Apprehenſum ergo Regem duxerunt ad Regem Babylonis, qui locutus eſt cum eo judicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem b.* Deus, qui eſt Rex omnium *ſeculorum c* immortalis & inviſibilis, *Rex regum, & Dominus dominantium d,* qui ait, *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam e,* cùm hominem in eum elevaſſet ſtatum, in quo non dependeret niſi ab authoritate ipſius Divinâ, videns quòd homo in tantam lapſus eſſet ingratitudinem, ut nollet agnoſcere potentiam, cui abſolutè ſubditus erat, *locutus eſt cum eo judicium,* dicens ei, & conſequenter poſteris ejus omnibus & ſingulis, *Pulvis es, & in pulverem reverteris f.*

a 4. Reg. 25. 1. & 6. &c.
b 4. Reg. 25. 1. &c.
c 1. Tim. 1. 17.
d 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.
e Prov. 8. 15. & 16.
f Gen. 3. 19.

Aſpergatur in tabernaculo ejus ſulphur. Iſtud eſt terribiliſſimum omnium peccati effectorum. Antiqui poſt devictam aliquam civitatem, in eam ſoliti erant reſpergere ſal in ſignum ſterilitatis: diabolus poſt uſurpatam animæ noſtræ arcem, & diſſipatos muros ejus, qui ſunt virtutes, in eam reſpergit ſulphur eo modo quo carnifex ſulphur imponit veſtimentis rei damnati ad combuſtionem. Cùm eò anguſtiarum redactus eſt peccator, ut ab hoſte naturæ noſtræ communi fuerit ſulphuratus, tunc nulla relinquitur ei ſpes exeundi ex illius tyrannide. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis g?* Iſte ignis accenſus eſt *flante Deo & ſpiritu iræ ejus h,* qui ait, *Sagittas meas complebo meus, & gladius meus devorabit carnes i.* Jure merito noſtras exigit ipſe ſubmiſſiones, *Timete Dominum, & date illi honorem k.* Noſtras tenemur exhibere ei reverentias duplici titulo, quia Pater eſt, & quia Dominus eſt; & ſi noſtris non faciamus ſatis muniis, queritur ipſe per Prophetam l ſuum, *Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Defectus iſte reverentiæ irritat eum, & illum inducit ad capeſſendam de inobedientiis noſtris vindictam. Obſervant curioſi rerum naturalium indagatores, Rhinocerotem vix iraſci, ſed eum, ubi ſemel irâ efferbuit, rabie percitum perforare

g Iſa. 33. 14.
h Job. 4. 9.
i Deut. 32. 42.
k Apoc. 14. 7.
l Malach. 1. 6.

rautos, illns elevare & eos ventilare non ſecus ac agitatnt pila in ſphæriſterio: Deus noſter, *cujus fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis m, peccata hominum propter pœnitentiam n* diſſimulat; quaſi videre velit, utrùm in bonam emendatæ vitæ ſint ſe recepturi frugem; ſed poſtquam diu atrocibus illorum fuit exacerbatus criminibus, experiri facit eos, quàm *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis o*. Sed antequam ad ſupplicia de iis ſumenda veniat, monet illos per Prophetas ſuos ad eos cicurandos; ſicut illi qui cicurant leones, leviter verberant coram illis canes virgis, & deinde eaſdem virgas minitantur leonibus; ita ii qui cicurant animas, repræſentant illis flagella, quibus juſtitia Dei irritata excipit canes immemores Divinorum beneficiorum. Hæc autem flagella innuuntur per *tenebras exteriores* Evangelii noſtri, ut exponit Dionyſius Carthuſianus p, *Poteſt quoque per tenebras iſtas infernus tenebroſus intelligi, qui propter ſuæ obſcuritatis horribilem denſitatem, nomine tenebrarum exprimitur, de quo ait Job q, Dimitte me, antequàm vadam ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.*

m Num. 23.22. & 24.8.
n Sap. 11. 24.
o Hebr. 10. 31.
p Dion. Carth. art. 16. in Matth. 8. 12.
q Job 10. 20. & 21.

Antiqui, licèt idololatriæ denſiſſimis obvoluti tenebris, ſatis tamen præ ſe tulerunt luminis, cùm expreſſerunt nobis ſupplicia, quæ juſtitia Dei exacerbata de criminibus hominum ſumit, per hos quatuor fluvios, quos commenti ſunt in inferno, quique vocantur ab eis Lethe, Cocytus, Acheron, & Phlegeton. *Lethes fluvii, quem apud inferos eſſe Poëtæ tradiderunt, latices ſi quis guſtaſſet, omnium præteritarum rerum oblivíſci voluerunt r.* Id eſt, voluptatum præcedentium ut plurimùm criminoſarum, & innocentiæ oppoſitarum, non ſecus ac ille, qui tempore Hyberno glacie conſtringitur, non recordatur ampliùs calorum æſtatis anteactorum. Sic dives epulo non meminerat ampliùs vitæ ſuæ præteritæ deliciis diffluentis, propterea *dixit illi Abraham, Fili, recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ ſ.* Secundus *dicitur Acheron, quaſi dolorum fluvius. Unde etiam Poëtæ fluvium inferorum eſſe finxerunt t.* Et hoc eſt quod dicunt verba textus noſtri ſecundùm expoſitionem Carthuſiani u, *Ibi, videlicet in inferno ſeu tenebris ejus, erit fletus & ſtridor dentium. Certum eſt, quod fletus & ſtridor dentium non ſint corporaliter in ſubſtantiis ſpiritualibus, ſcilicet animabus ſeparatis atque dæmonibus: ſed ante diem judicii eſt in eis fletus interior, id eſt, ſumma triſtitia, ex quâ corporalis fletus ſolet cauſari: & dentium ſtridor, id eſt, interiorum viſcerum horrenda concuſſio. Poſt diem verò judicii erit in hominibus condemnatis ſtridor dentium corporalis ex frigore infernali, quoniam ibunt à calore nimio ad aquas nivium x.* In hâc ſuſpiriorum valle inter miſerias noſtras aliquam invenimus ſpeciem conſolationis hauſtæ vel à propinquis noſtris, aut ab illis qui nobis aliquâ juncti ſunt familiaritate vel amicitiâ, aut ab aliquâ aliâ viâ, quam Divina *Sapientia y*, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter z*, providet nobis aliquando media inter infortunia, quibus impetimur, ſecundùm iſtud verbum Davidis a, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sed in inferno nulla reperitur conſolatio. Non poteſt illa procedere è parte Beatorum, quia *lætabitur Juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris b.* Non orietur illa à parte Dei, quippe qui ait, *Sagittas meas complebo in eis, & gladius meus devorabit carnes c.* Et, *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit d.* Et, *Deſiderium peccatorum peribit e.* Tertius, *Cocytus Latinè dicitur luctus: quo nomine dictus eſt inferorum fluvius à Styge profluens: κωκύειν enim gemere ac lamentari ſignificat f. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur g. Tunc impii de Juſtis loquentes, dicent, Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. In malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt h.* Quartus, eſt *Phlegethon fluvius inferorum, flammis æſtuantibus rapidus: à φλέγω, ardeo i.* David k loquens Deo de impiis, dicit: *In ignem dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent.* Quod S. Joannes l explicat, inquiens, *Miſſi ſunt in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* Non ait, in torrentem, quia torrens tranſit, & citò finem ſortitur, ſed *in ſtagnum*, ubi ſemel accenſum ſulphur extingui non poteſt. Monet nos ut attendamus nobis, ne labamur in hoc infortunium, è quo nullus unquam indulgetur alicui exitus.

r Calepin. in Diction. V. Lethe.
ſ Luc. 16. 25.
t Calepin. in Diction. V. Acheron.
u Dion. Carth. art. 16. in Matth. 8. 12.
x Ex Job 24. 19.
y Sap. 7. 24.
z Sap. 8. 1.
a Pſ. 93. 19.
b Pſ. 57. 11.
c Deut. 32. 23.
d Prov. 1. 24. & 26.
e Pſ. 111. 10.
f Calepin. in Diction. V. Cocytus.
g Marc. 9. 44. ex Iſai. 66. 24.
h Sap. 5. 1. &c.
i Calepin. in Diction. V. Phlegethon.
k Pſ. 139. 11.
l Apoc. 19. 20.

Dicebat Deus aliàs populo ſuo, *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in eâ eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tuâ, percuties omne quod in eâ generis maſculini eſt, in ore gladii m.* Eodem modo ſe gerit idem Deus erga nos, offert nobis *primùm pacem*. In nobis eſt eam ſuſcipere & conſervare; non exigit à nobis tributum, ad quod tenebantur reddendum civitates illæ devictæ: ſed promittit nobis id, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit n.* Et tamen iſtos omnes contemnimus favores. Suam præſentat nobis miſericordiam & clementiam, *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ o.* Ipſo mortis articulo adveniente nos monet, nobis exiguam ſupereſſe ſpem indulgentiæ, niſi ad ipſum convertamur *in toto corde noſtro, & in fletu, & in planctu p.* Sed ſi *in peccato q noſtro moriamur*, id eſt, in impœnitentiâ finali, de noſtrâ penitus eſt conclamatum ſalute, & in æternum labimur infortunium ut Pharaones indurati r.

m Deut. 20. 10. &c.
n 1. Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.
o Pſ. 22. 6.
p Joel. 2. 12.
q Joan. 8. 21.
r Exod. 14. 17. &c.

Ad hos funeſtos effectus, & ad has pœnas horribiles peccati referre poſſumus plagas Ægypti, quæ Pharaonem afflixerunt. Quarum prima fuit, Cùm *fecerunt Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus: & elevans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem ſ.* Secunda fuit, Quando *extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti †.* Et licèt plures hauriamus utilitates ex animalibus, æquè ac ex aquis, iſtis tamen & illis utitur Deus tanquam juſtitiæ ſuæ miniſtris ad plectenda noſtra crimina. Sic miniſterio aquarum *Delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus t*, propter ſcelera priorum hominum. Sic ipſo præcipiente, Prophetam inobedientem *invênit leo in viâ, & occidit u.* Et Moyſes dicit, *Dentes beſtiarum immittam in eos x. Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes y.* Et, *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius z.* Tertia fuit, Cùm *extendit Aaron manum, virgam tenens: percuſſitque*

ſ Exod. 7. 20.
† Exod. 8. 6.
t Gen. 7. 23.
u 3. Reg. 13. 24.
x Deut. 32. 24.
y Eccli. 10. 13.
z Job 24. 19.

ſitque pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes in ho-
a Exod. 8. 17. *minibus, & in jumentis a.* Quarta, Cùm *venit mu-*
ſca graviſſima in domos Pharaonis, & ſervorum ejus,
b Exod. 8. 24. *& in omnem terram Ægypti b.* Muſcæ ſymbulum
ſunt importunitatis, quia ſi illas abigatis, ſtatim
eæ redeunt ut importuniores evadant: poſtquàm
diabolus in peccatum nos induxit, nullam in-
dulget nobis quietem; iſte Beelzebub, id eſt,
idolum muſcæ, ſeu Princeps muſcarum ut *muſca*
graviſſima ſuggeſtionibus ſuis nos jugiter in-
quietat, ut nos prædam ſuam efficiat, & ſui furo-
cis victimam. Quinta, Cùm *mortua ſunt omnia*
c Exod. 9. 6. *animantia Ægyptiorum c.* Peccatum eſt peſtis de-
teſtabilis: illi qui peſte ſunt infecti, ſuis cogun-
tur exire domibus, & ſuos deſerere propinquos
æquè ac amicos: ii qui inquinati ſunt peſte pec-
cati, expellentur è domicilio Beatorum, dere-
licti à Deo, & traditi miniſtris juſtitiæ ejus, *Eji-*
cientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor
dentium. Ubi obſervabitis, ſi placet, bonitatem,
quâ uſus eſt Deus erga Pharaonem, quem noluit
occidendum, cùm ipſi ſatis viſum fuerit ſi occi-
derentur ſola animalia Ægypti, ut inde conver-
ſionis anſam arriperet Pharao, more eorum qui
pueros verberant ſuper veſtes eorum, ut hâc ſua-
vi correctione eos ad emendationem inducant.
Sexta, Cùm *facta ſunt ulcera veſicarum turgentium*
d Exod. 9. 10. *in hominibus, & jumentis d.* Re verâ dignum erat
miſeratione videre percuſſum *Iob ulcere peſſimo,*
à plantâ pedis uſque ad verticem ejus: qui teſtâ ſaniem
e Job 2. 7. & 8. *radebat, ſedens in ſterquilinio e.* Sed illud nihil eſt
comparatum cum tormentis, quæ perpetiuntur
reprobi in inferno. Job ſedebat ſuper ſtercus,
Subter iſtos autem ſternetur tinea, & operimentum
f Iſai. 14. 11. eorum *erunt vermes f. Tres amici Iob condixerant,*
ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur
g Job 2. 11. *g.* Iſti verò nullâ perfunduntur conſolatione.
Septima, Cùm *extendit Moyſes virgam in cœlum, &*
Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurren-
h Exod. 9. 23. *tia fulgura ſuper terram h.* A fulguribus præcedi
ſolent tonitrua, quia hæc ſæpe ſecum invehunt
lapides, qui quemlibet obvium lædere poſſent:
ſic Dominus noſter antequam mittat ad nos to-
nitrua & fulmina furoris ſui, præcedere facit
fulgura clementiæ ſuæ, ut ab illis declinemus
fulminibus, *Dediſti metuentibus te ſignificationem,*
i Pſ. 59. 6. *ut fugiant à facie arcus i.* Nemini parcit grando,
ſive obvium habeat Principem, ſive hominem
vulgarem; ita juſtitia Dei: & ſicut grando in-
differenter cadit ſuper caput & cætera corporis
membra; ita pœna damnatorum erit indiſcri-
minatim ſuper omnes ipſorum ſenſus, & animæ
potentias. Octava, Cùm *extendit Moyſes virgam*
ſuper terram Ægypti: & Dominus induxit ventum
urentem totâ die illâ, & nocte; & mane facto, ventus
urens levavit locuſtas. Quæ operuerunt univerſam
k Exod. 10. 13. &c. *ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia k.* Locuſtæ ſunt
ſymbolum famis: *Ideò in unâ die venient plagæ,*
l Apoc. 18. 8. *mors, & luctus, & igne comburetur l* impius. Nona,
Cùm *extendit Moyſes manum in cœlum: & facta*
m Exod. 10. 22. *ſunt tenebræ horribiles in univerſâ terrâ Ægypti m.*

Sic reprobi *ejicientur in tenebras exteriores.* Deci-
ma tandem, Quando *in noctis medio percuſſit Do-*
minus omne primogenitum in terrâ Ægypti n. Ita ut n Exod. 12. 29.
non videretur ubique niſi triſtis imago mortis.
Et in diebus illis quærent homines mortem, & non in-
venient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab
eis o. Morientur quidem impii morte civili, &
morte gehennæ, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum* o Apoc. 9. 6.
p. Sed interitus, quem concupiſcent, nunquam p Matth. 25. 46.
accedet ad illos.

Hinc concludo diſcurſum per id, quod nar-
rant Hiſtoriæ, quòd aliàs in Africâ leones fame
agitati, civitates adirent, & quoſcumque obvios
devorarent: quod advertentes incolæ, erexe-
runt patibula, in quibus ſuſpenderunt quoſcum-
que potuerunt apprehendere, leones; & ſic alii
leones venientes, & intuentes conſcios carnifi-
cinæ ſuæ in patibulis ſuſpenſos, veriti ne ſibi ea-
dem eſſet ſors eventura ſuſpenſionis, in deſer-
tum revertebantur: ſi verum eſt illud, hoc edo-
cet nos ut ſemper vivamus præ metu judiciorum
Dei, ut conſulit nobis Propheta *q* in perſonâ ſuâ, q Pſ. 118. 120.
Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis
timui. Scimus, nos offendiſſe Deum, & ideò ju-
ſtitiæ ejus eſſe obnoxios, & intra exiguum tem-
pus mortem pulſaturam oſtium noſtrum, ut ad
diſcedendum hinc nos inducat, ſatagamus ut
ſuſcipere poſſimus effectus miſericordiæ Dei
ejuſdem mediâ pœnitentiâ, poſtquàm noſtris
exacerbavimus ejus juſtitiam criminibus. *Anni*
noſtri ſicut aranea meditabuntur r. Suam impendit r Pſ. 89. 9.
operam aranea ad texendam telam tenuem, in-
tra quam interceptam aliquam muſcam, quâ ala-
cur, quæque telâ unico ſcoparum ictu abripitur:
laqueos tendimus, ut illorum interventu capia-
mus muſcas honorum & dignitatum: Hæc om-
nia intuetur Deus, & omnia iſta filâ falce mortis
præcidit, ut querebatur aliàs Rex, qui *ægrotavit*
uſque ad mortem, Præciſa eſt, velut à texente, vita
mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me ſ. Noſtri *an-* ſ Iſai. 38. 1. & 12.
ni tanquam cuſtodia in nocte t. Cuſtodes ponuntur t Pſ. 89. 4. & 5.
ſecundùm beneplacitum Gubernatorum civi-
tatum; & tolluntur juxta ipſorum voluntatem:
& his cuſtodibus ſubſtituuntur alii milites: in
bello ſpirituali hujus vitæ, cuſtodes conſtitui-
mur alii poſt alios, ut vigilemus ita præcipiente
eo, qui *Dominus omnium u* eſt. Sicut autem ille u Eſth. 13. 11.
qui conſtitutus eſt in cuſtodiâ, ſemper eſt expo-
ſitus periculo, & quoad amicos, & quoad hoſtes:
Quantùm ad amicos, qui invenientes illum dor-
mientem, eum è mœnibus deorſum præcipi-
tant: Quantùm ad hoſtes, qui mœnia aſcenden-
tes, ipſum interimunt: Ita ſi Deus horâ mortis
non inveniat nos vigilantes, ſed ſomno oppreſ-
ſos lethargico, dicet *tunc miniſtris, Ligatis manibus*
& pedibus, mittite in tenebras exteriores x iſtos im- x Matth. 22. 13.
pios. Ne autem infortunium iſtud nobis acci-
dat, vigilemus, *parati y* ſimus, mitigemus juſti- y Luc. 12. 40.
tiam ejus mediâ pœnitentiâ *z*, & experiemur z Ezech. 18. 21.
effectus miſericordiæ ejus in hoc mundo per
gratiam, & in altero ſeculo per gloriam.

FERIA VI. POST CINERES.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt: qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos, Matth. 5.44. &c.

MIſericordia Dei noſtri ſic eſt immodica ut concipi non poſſit à mente humanâ, eò uſque ut S. Petrus, cui commiſſa erat à Salvatore poteſtas clavium Eccleſiæ, & Divinorum diſpenſatio theſaurorum, his verbis, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & tibi dabo claves Regni cælorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis a*: aliquando *accedens ad* eundem Dei Filium, dixerit ei: *Domine; quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?* Suam magnificaturus eximiam miſericordiam, *dixit illi Jeſus, Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties b.* Numerus hic determinatus, ſumitur pro numero indeterminato, ac ſi dixiſſet Chriſtus, Quoties peccator ad me convertetur, toties ei meam indulgebo miſericordiam, ſicut illam impertitur Pater meus peccatoribus, in quos effundit *Solem* benignitatis ſuæ, & pluviam gratiarum ſuarum, quæ repleverunt ſinum Matris meæ eo momento quo dixit illi Archangelus, *Ave Maria.*

a Matth. 16.18.& 19.

b Matth. 18.21.& 22.

Veritas eſt manifeſta, imò verò ipsâ luce meridianâ clarior, quòd omnia Dei judicia comitantur juſtitia & miſericordia; quòd Deus nunquam ſuam exerceat juſtitiam quin ſimul ſuam magnificet miſericordiam; nec unquam ſuam propalet miſericordiam quin confeſtim ſuam exhibeat intuendam juſtitiam, *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas c.* Ratio iſtius eſt, quia perfectiones eſſentiales Dei ſunt eadem res cum eſſentiâ illius, cùm omne quod eſt in Deo, ſit ipſemet Deus. Juſtitia & miſericordia Dei, ſunt eſſentia Dei: Deus operans cum eſſentiâ ſuâ, operatur etiam cum ſuis proprietatibus ſeu potiùs perfectionibus eſſentialibus, & ideò operatur cum juſtitiâ, & cum miſericordiâ. Prætereà, Cùm operatur Deus, operatur cum æternâ ſuâ voluntate, *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terrâ; in mari, & in omnibus abyſſis d.* Juſtitia & miſericordia intuentur voluntatem Dei, ita ut Deus agens per voluntatem ſuam, operetur etiam per juſtitiam & per miſericordiam ſimul, *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam e.* Hæ duæ perfectiones ſunt duo poli Divinitatis; & his duobus attributis regit Deus univerſa in terris, & omnia diſponit; & ſicut juſtus alios terret, & ſicut miſericors alios conſolatur. Sed audeo dicere, quòd miſericordia Dei videtur major juſtitiâ ipſius, cùm natura Dei magis inclinetur ad exercendam miſericordiam ſuam, quàm ad effundendum rigorem juſtitiæ ſuæ. Et licèt hæc duo ſuprema attributa æqualiter ſint in Deo, & abſque limitatione in Divinitate, *Magnus eſt, & non habet finem; excelſus & immenſus f* in omnibus perfectionibus ſuis; ſi tamen effectus contemplemur utriuſque, inveniemus miſericordiam ejus eſſe quaſi majorem juſtitiâ illius. In cujus teſtimonium veritatis, omnes qui efflagitant à Deo miſericordiam, eam confeſtim ab illo impetrant, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vitâ vivet g.* E contrà verò punitionem multorum retardat, diſſimulans *peccata hominum h.* Idcircò dicebat Pſalmiſta i, *Nunquid continebit in irâ ſuâ miſericordias ſuas? Id eſt, Vincetne ira miſericordiam? Non: ſed potiùs miſericordia vincet iram. Unde per Iſaiam k dicitur, Non in æternum vobis vindex ero, nec per omne tempus iraſcar vobis,* exponit Incognitus *l.* Ut diſcamus, quòd miſericordia eſt fluvius copioſus, cujus curſus ſic eſt violentus ut nullo ſiſti poſſit modo: ſed juſtitia eſt aqua immota, quæ fluit quando quis illam ad ſe trahit; & ſiſtit curſum ſuum pariter cùm ita Deo videtur expedire: quòd veluti facilius eſt Deo ſuam diffundere miſericordiam, quàm ſuam juſtitiam, & quòd ipſe ſuas potiùs nobis communicabit gratias & indulgentias, quàm ſuos adversùs nos vibret rigores, quia juſtitia eſt illi veluti extranea & peregrina, *Ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo,* ait Iſaias *m,* loquens de miſericordiâ, & de juſtitiâ Dei. Miſericordia verò eſt conformis naturæ illius, ut concinit Eccleſia, *Deus, cui proprium eſt miſereri, ſemper & parcere.* Quod intelligendum eſt, non de attributis iſtis in ſe conſideratis, ſed de effectibus qui ab illis procedunt.

c Pſ. 24. 10.

d Pſ. 134.6

e Pſ. 88.15.

f Baruch. 3.25.

g Ezech. 18.21.

h Sap. 11. 24.

i Pſ. 76. 8. & 10.

k Ex Iſai. 57.16.

l Incognit. in Pſ. 76. 10.

m Iſai. 28. 21.

Iſtud eſt quod Deus intuendum nobis exhibet per quinque ex operibus ſuis, quæ operatus eſt propter homines, quæque Theologi vocant opera ad extrà; per creationem *n,* per conſervationem *o,* per juſtificationem *p,* per redemptionem *q,* & per glorificationem *r.* Per hæc quinque opera ſuam intuendam exhibuit miſericordiam. Illam manifeſtavit per creationem, cùm *in principio creavit cælum & terram,* Angelos, lucem, Solem, Lunam, Stellas, planetas, animalia, plantas, hominem, &c. *Miſericordiâ Domini plena eſt terra ſ.* Eam propalavit per conſervationem, quia regit, gubernat, & conſervat omnes creaturas, alias in genere, alias in ſpecie, & alias in individuo, *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus t.* Ipſam monſtravit per juſtificationem, cùm mediis Sacramentis, & donis ſuæ gratiæ inviſibilibus noſtras juſtificavit animas, & nos à morte peccati liberavit, *Secundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam u.* Eandem oſtendit in glorificatione, quando gaudio & gloriâ replet & elevat creaturas rationales ad claram eſſentiæ ſuæ viſionem, *Qui coronat te in miſericordiâ, & miſerationibus x.* Sed prætertim ſuam exaltat miſericordiam in opere redemptionis, *Magnificata eſt uſque ad cælos miſericordia tua y.* Non loquitur Evangelium hodiernum niſi de miſericordiâ, quod inducit me ad differendum vobis Primò de miſericordiâ Dei erga homines. Secundo De miſericordiâ quam exercere debent homines in ſuorum gratiam proximorum, *ut filii ſint ſui Patris, qui in cælis eſt.*

n Gen. 1. 1. &c.

o Matth 6. 31 & 32.

p 1. Cor. 6. 11.

q 1. Cor. 6. 20.

r Rom. 8. 30.

ſ Pſ. 32. 5.

t Pſ. 116. 2.

u Pſ. 50. 3.

x Pſ. 102. 4

y Pſ. 56. 11.

Diviſio.

Illi

Pars.

Illi qui integram voluerunt habere Divinæ miſericordiæ notitiam, obſervant, eam duplici conſiderari poſſe modo intuitu noſtri, primo quantùm ad affectum, ſecundo quantùm ad effectum. Quoad affectum, non eſt illa in Deo, quia affectio eſt paſſio & accidens, & Deus eſt immunis à paſſionibus & ab accidentibus. Sed quoad effectum, miſericordia eſt in Deo; id eſt, effectus procedunt à Divinâ miſericordiâ ejus, quia ad miſericordiam pertinet parcere, ſuccurrere, gratiam indulgere, ſicut dicimus, quòd miſericordia parcit, delicta condonat, afflictiones conſolatur, & à noſtris ſublevat nos miſeriis, *Tu, Domine, ſuavis & mitis, & multa miſericordia*

z Pſ. 85.5.

omnibus invocantibus te z. Miſericordiam libentiſſimè impertiris, eamque pluere facis ſuper omnes eos, qui illam à te efflagitant: videns enim peccatores converſos expoſcere à te ex totius cordis ſui affectu ſuorum indulgentiam criminum, ſtatim illis ipſorum peccata dimittis, & integram ſcelerum ipſorum indulges eis abolitionem, *Suavis autem, quia omnibus ad ſe revertentibus dulcedinem ſuæ miſericordiæ præſtat,* Deus eſt, ait Incognitus a.

a Incognit. in Pſ. 85.5

Sed ut meliùs oſtendam magnam miſericordiam, quâ Deus eſt proſecutus homines univerſos, dicam, præcipuum effectum hujus miſericordiæ in hoc eſſe ſitum, quòd non ſolùm Filius ipſius humanam ſuſceperit naturam noſtram, cùm idem *Verbum caro factum eſt* b præ excesſu amoris: ſed quòd præ exceſſu ejuſdem charitatis, amplè ſatisfecerit juſtitiæ Patris ſui pro peccatis eorundem omnium hominum.

b Joan. 1. 14.

Ut autem iſtud rectè intelligatur, obſervandum eſt, quòd Adam per peccatum ſuum, quando vetito *de fructu comédit* c, offendit miſericordiam Dei, quia Deus innumera conceſſerat illi gratis naturæ dona, quorum immemorem ſe exhibuit, nedum tot agnoſceret favores per grati animi exhibitionem. Offendit etiam juſtitiam Dei: juſtum quippe erat ut ille qui *ad imaginem Dei factus eſt homo* d, promptam eidem Deo redderet obedientiam, quam tamen illi rependere recuſavit: Jeſus Chriſtus exivit *à Patre, & in mundum* e iſtum venit, ut ſatisfaceret pro omnibus iſtis culpis, & ſolveret debitum peccatorum hujuſmodi, juſtitiæ Patris ſui; *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* f. Divinæ ſatisfecit miſericordiæ, quia mori voluit præ charitate, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* g. Id eſt, *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem pacificam, & hoſtiam pro peccato in arâ crucis, Deo Patri, vel Trinitati, id eſt, ad gloriam ejus: & ut ei pro nobis ſatisfaceret in odorem ſuavitatis, id eſt, in ſuavem odorem, videlicet in holocauſtum acceptiſſimum atque gratiſſimum Deo,* ait Carthuſianus h. Satisfecit Juſtitiæ, quia mori voluit præ obedientiâ, *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* i. Ita ut ſatisfecerit pro Adamo, & Evâ, & pro illorum poſteritate. Ecce effectus Divinæ miſericordiæ.

c Gen. 3.6.
d Gen. 9.6
e Joan. 16. 28.
f Luc. 19. 10.
g Ephel. 5. 2.
h Dion. Carth. art. 5. in Ephef. 5.2
i Philipp. 2. 8.

Hanc allegat S. Paulus k rationem, dicens, *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi.* Quod ſic ad propoſitum noſtrum explicat idem Carthuſianus l, *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, id eſt, per tranſgreſſionem primi Parentis, peccatores conſtituti ſunt multi, originale ab iſto trahendo, vel ejus inobedientiam aſſequendo: ita per unius, ſcilicet Chriſti obedientiam, qui factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem* †, *qui loquitur, Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio* m; *juſti conſtituuntur multi per ipſum, veniam percipiendo & gratiam, imitandoque ejus juſtitiam.* Et ſicut Adam per peccatum ſuum infinito Patrem æternum offenderat modo: ita Jeſus Chriſtus ſuam volens erga omnes homines magnificare miſericordiam, amplam pro iiſdem hominibus Deo Patri rependit ſatisfactionem, *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia* n. Præterea, Lege cavebatur Levitici o, ut ſacrificium offerretur ſecundùm peccatum: atqui peccatum Adæ erat infinitum ratione objecti infiniti quod ipſe offenderat, nempe Deum, qui *magnus eſt, & non habet finem* p. Oportebat igitur ut ſatisfactio foret infinita, id eſt, ut Jeſus Chriſtus, qui eſt infinitus quoad perſonam ſuam, infinitè ſatisfaceret pro homine, quod peregit mediâ effuſione Sanguinis ſui, quem ipſe obtulit in ſacrificium, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* q. Et ecce effectus magnæ miſericordiæ ejus. Inſuper, Filius Dei eſt ſufficiens Redemptor, qui cùm ſit *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* r, & conſequenter *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* ſ, ſemetipſum voluntariè & charitativè conſtituit in loco rei, qui non erat ſolvendo, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & ipſe peccata multorum tulit* t. Semetipſum exhibuit veluti maledictum, *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* u. Perfectiſſimam pro nobis adimplevit ſatisfactionem, *Cujus livore ſanati eſtis* x. Ut nos liberaret, & immodicam ſuam nobis oſtenderet miſericordiam. Deinde. Amplè ſatisfecit, cùm non ſolùm culpam reparaverit, ſed etiam præ exceſſu miſericordiæ ſolverit merito perfectiſſimo & infinito peccata illorum omnium, qui futuri ſunt in Eccleſiâ ſanctâ, cùm moriens in cruce non ſolùm ſatisfecerit juſtitiæ Patris ſui pro peccato Adæ, *Quæ non rapui, tunc exolvebam* y: ſed etiam reliquerit in Eccleſiâ ſuâ infinitum meritorum ſuorum theſaurum: in eâ *infinitus enim theſaurus eſt hominibus* z. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* a.

k Rom. 5. 19.
l Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5. 19
† Ex Philipp. 2. 8.
m Joan. 14. 31.
n Rom. 5. 20.
o Levit. 6. 2. &c.
p Baruch. 3. 25.
q Apoc. 1. 5.
r Joan. 1. 29.
ſ 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
t Iſai. 53. 7. & 12.
u Galat. 3. 13. ex Deut. 21. 23.
x 1. Petr. 2. 24. ex Iſai. 53. 5.
y Pſ. 68. 5.
z Sap. 7. 14.
a 1. Joan. 2. 2.

Iſtam nos edocet idem Dei Filius veritatem per parabolam Evangelicam b, in quâ *aſſimilatum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* S. Auguſtinus c ait, quod per hunc ſervum debitorem decem millium talentorum intelligendus eſt peccator, decem Divinorum tranſgreſſor mandatorum, *Quòd oblatus eſt Domino debitor decem millium talentorum, & juſſit eum venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi: intelligendum eſt, decem præceptorum Legis eum fuiſſe debitorem: & pro cupiditate atque operibus ſuis tanquam uxore & filiis pœnas ſolvere debuiſſe quod eſt pretium ejus: pretium enim venditi, ſupplicium damnati intelligitur.* Vitium ergo vocatur debitum, quia obligat impium, eumque debitorem conſtituit juſtitiæ Dei. Ideò inquirentes Theologi quidnam in animâ remaneat poſt commiſſum peccatum lethiferum, alii dicunt quòd in illâ remaneat quædam macula & turpitudinis ſpecies. Alii verò (meâ quidem ſententiâ) meliùs opinantur, cùm aſſerunt, in eâ remanere obligationem ad pœnam æternam, ut exponit Incognitus d in

b Matth. 18. 23. &c.
c S. Aug. lib. 1. Quæſt. Evangel. q. 25.
d Incognit. in Pſ. 124. 5.

Digitized by Google

hæc verba Pſalmiſtæ, *Declinantes autem, in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, dicens, *Declinantes, ſcilicet à mandatis Domini, iſtos, inquam, tales declinantes adducet Dominus in obligationem: quia tales permittit Deus cadere in laqueum culpæ, & finaliter eos obligat, id eſt, fortiter ligat laqueo damnationis æternæ. Iniquitas enim ligat fortiter malos, & eos ad interitum æternum cadere*
e Ex Pſ.19. *facit. Ipſi autem obligati ſunt, & ceciderunt* e. Hoc autem debet intelligi de duplici genere peccatorum. Alia ſunt commiſſionis, & alia omiſſionis; alia poſitiva, & alia negativa; & iſta, æquè ac illa ad pœnam æternam remanent obligata. Re autem verâ peccatum mortale eſt debitum decem millium talentorum, & ſic immodica obligatio ut ei ex ſemetipſo ſatisfacere nequeat homo, niſi ſuccurrat ei Deus, & infinitam ſuam ſuper eum effundat liberalitatem, & pluere faciat ſuper peccatorem immenſæ ſuæ imbres miſericordiæ. Ideò agnoſcens iſte ſuam ſervus impotentiam, miſericordiam efflagitat à Domino ſuo, & moras intra quas poſſit illi facere ſatis. Ipſe autem non ſolùm moras illi indulget, ſed præ infinitâ miſericordiâ totum condonat ei debitum, *Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Non priùs eſt intuitus Deus converſionem peccatoris, pœnitentiam animæ diſſolutæ, bonam voluntatem & lacrymas pœnitentis, cùm ſtatim illi ſuæ aperit theſauros miſericordiæ, & plenariam impertitur ei peccatorum ipſius indulgentiam cum gratiâ ſuâ, eum reconciliat ſibi, & in numero ſuorum collocat illum filiorum adoptivorum, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, &*
f 1. Joan. 3. 1. *ſimus* f. Ecce miſericordia Dei noſtri, en amor illius, & voluntas quam habet noſtri convertendorum meritis Sanguinis ſui, cui parcere poterat nedum illum effunderet, cùm aliâ poſſet genus humanum redimere viâ; tamen pati & mori voluit in cruce, ut intuendum nobis exhiberet infinitum amorem ſuum, & exemplum nobis præberet: & ſicut omnibus peccatoribus ignoſcit diebus ſingulis, ſtatim ac ad ipſum convertuntur; imò verò ſuis pepercit perſecutoribus & crucifixoribus, ita ſuum Patrem pro illis exorans, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid*
g Luc. 23. 34. *faciunt* g: etiam vult ut noſtris ignoſcamus nos inimicis, *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* h.
h 1. Petr. 2. 21. *Et ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt.*

II. Pars. Deus eſt Exemplar noſtrum, & ideò exigit à nobis ut modo agendi ipſius conformemur, juxta id quod ait finis Evangelii noſtri, *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Inter præcipua beneficia, quibus cumulavit nos Deus in Incarnatione, invenio illud eſſe inſigniſſimum, quo nobis *dedit poteſtatem filios Dei fieri* i.
i Joan. 1. 12. Quod majus eſt beneficio creationis: in creatione enim educimur è nihilo; in juſtificatione verò eximus è peccato, quod minus eſt nihilo,
k Pſ. 14. 4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus* k. In creatione ſuſcipimus eſſe humanum; in juſtificatione verò eſſe Divinum: ibi facultates naturales; hîc virtutes: ibi tres potentias animæ, intellectum, memoriam, & voluntatem; hîc tres virtutes Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem: ibi potentias appetitivas & ſenſitivas; hîc quatuor virtutes Cardinales: ibi quinque ſenſus; hîc ſeptem dona Spiritus ſancti; ibi efficimur filii hominum; hîc autem evadimus filii Dei. Una è præcipuis, de quibus gloriatur Dei Filius, perfectionibus, hæc eſt, ut dicat, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* l. Iſte Dei Filius miſericordiam l Pſ. 2. 7. exercet erga omnes homines ſicut Pater ſuus, imò verò ſuis ignoſcit inimicis cruci ſuffixus: oportet igitur ut miſericordiam impendamus proximo noſtro, & noſtris parcamus inimicis, ſi velimus eſſe filii, aut imagines hujus Patris cœleſtis, & habere perfectionem ſuo modo perfectioni illius reſpondentem.

Unum è vehementiſſimis, quibus ducuntur parentes, deſideriis, in hoc conſiſtit, ut filii ſui ſibi ſint ſimiles, quæ ſimilitudo talis eſt momenti, ut illius inſtinctum cordibus animalium ipſa natura imprimat: aquila enim probare intendens utrùm ſibi ſint ſimiles pulli ſui, illos educit è nido, elevat eos ſuper alas ſuas, ipſos exponit radiis Solis; ſi hunc fixis intueantur oculis, reputantur legitimi à parente; ſi verò palpebras demittant, deorſum præcipites aguntur ut adulterini: volens probare Jeſus Chriſtus utrùm ſibiipſi ſint ſui ſimiles, exponit nos ad intuendum Deum, qui eſt *Sol juſtitiæ* m, his verbis, *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et illos ſolos agnoſcit ut legitimos, qui poſſunt ipſum fixis oculis intueri, & ipſius veras & fideles ſeſe exhibere imagines, ſicut ipſe eſt verus Filius Dei, & perfecta illius imago, *Qui eſt imago Dei inviſibilis, Primogenitus omnis creaturæ* n, *Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis* o. Quod ſic explicat ad propoſitum noſtrum Dionyſius Carthuſianus p, *Ut ergo cœleſtes effici valeamus, ſtudendum eſt nobis, ut ſicut portavimus imaginem terreni, id eſt, ſicut aſſimilati ſumus primo Parenti, ſequendo ejus veſtigia, inobediendo, & originale peccatum ab ipſo contrahendo; ſic portemus & imaginem cœleſtis, id eſt, Chriſto nos conformemus per charitatem.* Hæc igitur imago conſiſtit præcipuè in amore, ut confirmat idem S. Paulus q, *Qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Alludens ad illud Canticorum r, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Ut autem hoc intelligatur, obſervandum eſt, Antiquos diverſas habuiſſe inſcriptiones, quas deferebant impreſſas annulis ſuis, quæ erant notæ & indicia amoris, quo erga aliquem afficiebantur. Iſte ſculpi ſategerat in ſuo annulo Apollinem, & novem Muſas, eò quòd poëſi delectaretur. Ille in ſuo collocandum curaverat, *Amicus unus, inimicus nullus.* Alius, qui erat amicus pacis, in ſuo ponendum præceperat lapidem pretioſum, qui recenſetur educi è capite draconis, & eſſe pacis ſymbolum. Homo eſt veluti annulus Dei, *Inveni quòd fecerit Deus hominem rectum* ſ. Deus convertit illum ad ſe, & impreſſit cordi illius pignus Spiritus ſancti ſui, nimirum dilectionem, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* t. Ideò jure merito amor imprimitur cordi, quia cor eſt veluti ſedes amoris; & Deus inſignivit amorem proximi eâdem inſcriptione, *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem* u. Et in Evangelio noſtro, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, &c.*

m Malach. 4. 2.
n Coloſſ. 1. 15.
o 1. Cor. 15. 49.
p Dion. Carthuſ. in 1. Cor. 15. 49.
q 2. Cor. 1. 21. & 22.
r Cant. 8. 6.
ſ Eccli. 7. 30.
t Rom. 5. 5.
u Joan. 13. 35.

Circa hoc objectum amoris Deus vult ut oderimus inimicos ſuos, *Nonne qui oderunt te, Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos* x. Et ut diligamus no-

x Pſ. 138. 21. & 22.

ſtros

ſtros. Non exigit à nobis ut diligamus inimicos, quatenus inimicos tuos, ſed prout inimicos noſtros, *Perfecto odio oderam illos.* Quod ſic legit verſio Chaldaica, *Uſque ad conſummatum odium oderam illos.* Quia David diſtinguebat in illis duo. Primum, naturam & perſonam quam Deus fecit, *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam y.* Et quam naturam, & perſonam Propheta diligebat. Secundum, vitium, quod Princeps iſte deteſtabatur, & ſic odium ejus erat perfectum, & conſummatum. Quod Sapiens z nobis repræſentat, docens, eundem Davidem non debellaſſe Goliam, ſed proſtraviſſe vitium ejus, *In tollendo manum, in ſaxo funda dejecit exultationem Goliæ.* Re autem verâ habemus in eo qui malus eſt, & amicum noſtrum, & inimicum noſtrum: ille enim qui malus eſt, homo eſt, & noſter proximus, & hoc eſt quod Deus fecit; & ſi in eo eſt malitia, ipſemet homo illius malitiæ eſt opifex, conſentiens ipſemet dæmoni, *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum a.* Si autem diligamus perſonam ejus, & oderimus malitiam illius, malum deteſtamur, & bonum diligimus, & conformamus nos intentionibus Dei, qui præcipit nobis, ut diligamus inimicos noſtros. Et ſanè ille locutus eſt appoſitè, qui inquiſitus quare profligatæ vitæ hominem ſibi devinxiſſet, reſpondit, ſe miſericordiam impendiſſe homini ſcelerato, non autem ejus moribus.

y Gen. 1. 27.
z Eccli. 47. 5. & 1. Reg. 17. 49.
a Oſee 13. 9.

Dei Filius *cùm vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in eâ: & cùm veniſſet ad eam, nihil invênit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei, Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet b.* Super hoc Carthuſianus c ait, *Quæritur, Cur Chriſtus qui utique ſcivit fructum non eſſe in arbore illâ, præſertim quia non erat tempus ficorum, ut habetur in Marco, quæſivit fructum in eâ, & infructuoſam maledixit, quæ in culpâ non fuit? Et reſpondendum, quòd Chriſtus famem anticipativè aſſumpſit, & ad ficulneam pro fructu perrexit, propter myſticam rationem. Quemadmodum enim Prophetæ interdum verbis, interdum factis prophetaverunt: ſic Chriſtus quandoque ſermonibus, quandoque operibus aliquid præſignavit. Acceſſit ergo ficulneam, quærens in eâ fructum, ad inſinuandum quòd venit ad populum Iudæorum, quærens in eis fructum juſtitiæ.* Quod innuit, Deum exigere à nobis opera excellentia & extraordinaria, ut ipſemet ait, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, &c. Sicut enim æſtate benevolentiæ mirum non eſt ſi in nobis inveniatur fructus; ſed datur admirandi locus ſi hyeme inimicitiæ in nobis reperiatur: mirum non eſt ſi lignum aridum & benè diſpoſitum, igne ardeat; ſed quòd ignis ſuam exerceat actionem circa lignum viride, hoc eſt inuſitatum: ſic mirum non eſt ut ignis amoris noſtri adhæreat ligno amicorum noſtrorum ſicco, & illud conſumat: ſed ſi comburat lignum viride, & ardeat medias inter aquas inimicorum, ignis iſte eſt omnino admirabilis. Hunc à nobis Deus exigit ignem, de quo dicitur, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem d.* Id eſt, *Aquæ* injuriarum & perſecutionum, quibus dirè nos exceperunt inimici noſtri.

b Marc. 11. 13. & 14.
c Dion. Carth. art. 35. in Matth. 21. 19.
d Cant. 8. 7.

Erigit nobis Deus hîc ſcalam aliam ab eâ, quam *Iacob vidit in ſomnis ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum e.* Hæc enim non ſolùm pervenit è terrâ ad cœlum, ſed ab inferno etiam ad cœlum. *Audiſtis quia dictum eſt, Odio habebis inimicum tuum f.* Ex inferno, *Diligite inimicos veſtros*, eſt aſcendere ſuper terram. *Benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt*, Hoc eſt elevari uſque ad cœlum. Hæc ſcala octo habet gradus, quatuor circa malum & negativos, & quatuor circa bonum & poſitivos. Primus gradus negativus eſt, ut abſtineamus nos ab inferendo aliquo nocumento inimicis noſtris. Secundus eſt, ut contineamus linguam noſtram ne illis detrahat. Tertius eſt, ne ullum producamus actum externum odii adversùs eos. Quartus verò, ut reprimamus omne odium cordis internum. Quintus, aut primus poſitivus eſt, ut eos diligamus ex corde & amore ſincero. Sextus, & ſecundus poſitivus eſt, ut manifeſtemus eis hunc amorem ſignis externis. Septimus, & tertius poſitivus, ut eundem demonſtremus verbis. Octavus tandem, & quartus poſitivus eſt, ut illis benefaciamus. Et quia *cor eſt primum vivens, & ultimum moriens*, ut ajunt Philoſophi, in gradibus negativis cor eſt ultimum moriens quoad odium; & in poſitivis eſt primum vivens quantùm ad amorem.

e Gen. 28. 10. & 12.
f Matth. 5. 43. ex Levitic. 19. 18.

Præcipit nobis igitur Deus ut noſtros diligamus inimicos, ſicut ipſe omnibus ignoſcit peccatoribus, & ſuis inimicis; & vult ut eandem exhibeamus aliis charitatem, quam volumus nobis impendi, eò vel maximè quòd res ſic eſt perfecta & ſublimis ac parcere, ut qui illam æquo & hilari exercet animo, perfectè Deum imitetur, & Filium ejus Jeſum Chriſtum. Ut autem meliùs concipiatur hæc veritas, ſciendum eſt, quòd operationes externæ Dei ſunt diverſæ, quales ſunt creare, gubernare, juſtificare, prædeſtinare, & glorificare, quæ illi ſunt propriæ: & tamen Eccleſia volens oſtendere in quâdam è ſuis orationibus, quænam operatio ſit maximè Deo propria, ait ei illam eſſe, delictis ignoſcere, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.* Unde infero, quòd homo qui parcit, idem peragit, quod ipſemet Deus facit. Præterea, Pro comperto eſt, Deum ſuam manifeſtare potentiam in creatione, in conſervatione, & in cæteris ſuis externis operationibus; nihilominùs eadem Eccleſia intendens monſtrare in quo Deus illam magis propalet potentiam, ait ei, *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Nimirum, Deum præcipuè ſuam magnificare potentiam in parcendo peccatoribus, qui ſunt inimici ipſius. Quod oſtendit nobis, eum qui ſuis ignoſcit inimicis, rem ita glorioſam efficere, ut ſe Deo ipſi ſimilem exhibeat. Veriſſimum eſt autem, quòd nemo unquam perfectiùs adimplet voluntatem Dei, aut ſimilior evadit Deo, aut magis accedit ad Deum, quàm cum æquo animo ignoſcit inimicis ſuis.

Sed progrediamur, & dicamus, quòd deſiderium quo ducitur quis capeſſendæ de inimico ſuo vindictæ, oritur ex injuriâ ab eo ipſi irrogatâ, aut in perſonâ, aut in bonis, aut in honore ipſius, unde generatur odium, & voluntas non ignoſcendi. Peto autem à te, Chriſtiane, Quare tuo parcere non vis inimico? Dices mihi, Non poſſum illi ignoſcere, quia meum eripuit mihi honorem. Ego verò dico, Aut id quod dixit de te, eſt verum, aut non eſt verum. Si verum eſt, quære de tempto qui malefeciſti, & memento peccatum non poſſe latêre, *Nihil opertum eſt, quod non reveletur: neque abſconditum,*

quod

g Luc. 12. 2.
quod non ſciatur g. Ita ut magis tenearis illi gratias agere, quàm eum odiſſe, quia ſalutare præbuit tibi monitum, ut more viveres Chriſtiano. Si non dixit verum, quare vis de eo vindictam expetere? cùm veritas circumquaque ſe diffundat, & univerſa ſuperet, quia ſcriptum eſt, *Super omnia vincit veritas h.* Addamus iſtis, quòd ſi ille homo, qui talia de te profert, mendaciis aſſuetus eſt enunciandis, aut ſceleſtus & profligatæ vitæ, nulla prorſus adhibebitur fides iis omnibus, quæ protulerit. Sed fortaſſis dicet mihi aliquis, Non poſſum illi parcere, quia mea ſuffuratus eſt bona mediis litibus injuſtis, aut violentiis. Ego autem reſpondeo, hanc injuriam non ſolùm proveniſſe tibi è malitiâ, & è pravâ inimici tui voluntate, ſed Deum permiſiſſe ut ab hoc ſic exceptus fueris inimico: & quare? Quia forſan iſta bona à tuis malè fuerant acquiſita prædeceſſoribus, aut fortè quoniam tu ea injuſtè poſſidebas. Præterea, Deus iſtam tibi permiſit injuriam irrogandam, quia prævidebat, quòd illa bona erant futura tuæ cauſa damnationis æternæ; vel de tuâ experimentum ſumere voluit patientiâ, ſicut probavit conſtantiam Job dicentis, *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum i.* Et illo modo quo magnanimitatem examinavit Tobiæ, de quo dicitur, æquè ac de Job, *Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ, ſicut & ſancti Iob. Nam cùm ab infantia ſuâ ſemper Deum timuerit, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Nam ſicut beato Iob inſultabant Reges k: ita iſti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes, Vbi eſt ſpes tua, pro quâ eleemoſynas & ſepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens, Nolite ita loqui: quoniam filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo l.* Vel Deus hoc permiſit, ut inde plurimum conciliare tibi poſſes meritum. Alius dicet mihi, Offendit me inimicus meus in perſonâ meâ. Ego verò à te peto, Eſne Chriſtianus, aut non? Si es Chriſtianus, eſne generoſior Jeſu Chriſto, qui *alapam m* ſuſcepit, æquè ac injurias? & tamen ſuis pepercit inimicis, & ait, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde n.* Allegabit mihi alius, Internecione delevit filium meum, patrem meum, fratrem meum, amicum meum, aut propinquum meum, & de eo qui talem mihi injuriam intulit, teneor ultionem expoſcere, non intuitu mei privatim, ſed propter honorem defuncti. Ego autem dico tibi: Aut defunctus eſt in inferno, aut in purgatorio, aut in paradiſo. Si eſt in purgatorio, aut in cœlo, beatus eſt, & vult id omne, quod Deus vult: atqui Deus vult ut injuria condonetur, ita ut oporteat ut parcas, ſi vis adimplere voluntatem Dei, & exequi voluntatem vitâ functi; & ſi defunctus illud ſciret, ſicut illud Divinâ diſcere poteſt revelatione, triſtitiâ afficeretur ſi eſſet in purgatorio. Si eſt in inferno, tibi dico quòd pœnam illius augeas, quia tu potes occidere, aut potes interimi, & moriendo miſerè, pœnam mortui facis accreſcere.

h 3. Eſdr. 3. 12.
i Job 1. 21.
k Ex Job 4. 1. &c.
l Tob. 2. 12. &c.
m Joan. 18. 22. &c.
n Matth. 11. 29

Vultiſne aliquid conformius legi Dei, qui præcipit vobis dilectionem inimicorum veſtrorum, *ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt?* Qui veniam indulget omnibus peccatoribus, qui ſunt inimici ipſius. Procul igitur hinc omnes conſiderationes iſtæ diabolicæ honoribus mundi imaginariis fultæ. Nemo loquatur mihi ampliùs de inſanis paſſionibus adoleſcentum aut juvenum iſtorum æquo liberiorum, flammas vomentium inſtar caminorum inferni, aut fornacis Babylonicæ, quæ nobiles Iſraëlitas in ipſam projectos *non tetigit omnino, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit.* Sed è contrà *incendit quos reperit juxtà de Chaldæis o* miniſtros. Procul hinc iſta *genimina viperarum p*, quæ diſcindunt viſcera matris, à quâ producuntur, id eſt, cordis & animæ, ubi odium lethale ipſorum concipitur. Procul apes iſtæ noxiæ, de quibus loquitur Propheta, *Circumdederunt me ſicut apes q*, quæ ſua dirumpunt viſcera ut aliquem percutiant, quæ percurrentes omnes flores, è quibus ſuum mel compingant, oderunt tamen, ut obſervant rerum naturalium Inquiſitores, ſicut venenum mortiferum olivam, quæ eſt ſymbolum pacis; quæque corpus vivum ſtimulantes, vitam amittunt, ut aſſerit Poëta r,

o Dan. 3. 48. &c.
p Luc. 3. 7
q Pſ. 117. 12.
r Virg. 4. Georg. citat. à Mendoza in 1. Reg. 1. 8. ſect. 3

Spicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt.

Id eſt, hujuſmodi homines qui præſumunt aculeis detractionum & perſecutionum ſuarum vitam noſtram impetere, in pœnam auſûs ſui temerarii ſuas omnes amittunt vires, ſi virtute nos ſumus præditi. Nullus mihi diſſerat de his titionibus inferni, de his harpyiis, de his animabus infelicibus, quæ ſuis propriis adhærere volunt affectibus. Nemo mihi loquatur ampliùs de his impiis, qui ſuas explere volunt paſſiones animales & inſanas; de his cordibus adamantinis, imò ipſo adamante induratioribus, quia *ſanguine Hircius adamas frangi dicitur: ſed heu Sanguine Chriſti cor non frangitur* humanum! exclamat S. Bonaventura ſ, & apud illum S. Bernardus †, *O duri & obdurati Adam filii, quos non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris!* Promittebat Deus populo ſuo, *Auferam cor lapideum de carne veſtrâ, & dabo vobis cor carneum t.* Et Chriſtiani rejiciunt iſtud *cor carneum*, ut conſervent *cor lapideum* & adamantinum. Procul hæc corda infernalia, cùm Deus in Lege u antiquâ ſolum expoſceret ſanguinem animalium, non autem humanum; cùm è contra homines iſti iracundi ſint ſemper inquieti, donec inimicorum ſuorum ſanguinem fuderint. Non dicat amplius Salomon x, *Fortis eſt ut mors dilectio;* Sed potiùs, Odium forte eſt inſtar mortis, imò verò ipsâ morte fortius, cùm oporteat ut mors cedat odio hominum iſtorum puſillanimorum, qui non habent cor ſicut illa animalia, quæ quò minora ſunt, eò etiam minus habent cordis, & magis iræ, ut formicæ, reddendo malum pro malo, ulciſcendo ſe, cùm parcere & benefacere proprium ſit hominibus heroicis, & ideò huic veritati Deus conciliaturus authoritatem, ait, *Non faciam furorem iræ meæ, quoniam Deus ego, & non homo y.*

ſ S. Bon. ſerm. 4. in Pa aſc.
† S. Bern. Ibid.
t Ezech. 36. 26.
u Levit. 1. 2. &c.
x Cant. 8. 6.
y Oſee. 11. 9.

Cor noſtrum eſt ſedes amoris, & è contrà in eo collocamus odium ita intimè, ut ad illud inde averruncandum oporteat ut Filius Dei ſumat gladium ſermonis ſui penetrabilioris cultro utrâque parte acuto, *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti z.* De quo dicitur, *Omnes qui acceperint gladium, gladio* peri-

z Hebr. 4. 12.

a Matth. 26.52. *peribunt a*. Et, *Quicunque effuderit humanum ſan-*
b Gen.9.6 *guinem, fundetur ſanguis illius b*. Non licet nobis
c Exod.12. 46. vel os proximi noſtri tangere. *Nec os illius confrin-*
getis c. Et. *Os non comminuetis ex eo d*. Per iſtud
d Joan.19. 36. os poreſt intelligi Divinitas, quæ erat veluti ba-
ſis humanitatis Jeſu Chriſti: ſed etiam per iſtud
os intelligere poſſumus membra ejuſdem Jeſu
Chriſti & Eccleſiæ, nempe fideles. *Quia membra*
e Epheſ.5. 30. *ſumus corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus e*.
Permiſit Jeſus Chriſtus ut Caro ſua diſcindere-
f Joan.19. 1.&c. tur, & Sanguis ſuus effunderetur *f*: ſed tamen
Os non comminuetis ex eo. Id eſt, non permiſit no-
bis libertatem offendendorum noſtri ipſorum
adinvicem.

Jeſus Chriſtus igitur ait vobis, Auditores,
g Luc.6. 37. *Dimittite, & dimittemini g*. Miſericordiam vo-
bis pollicetur, dummodò miſericordiam erga
veſtrum exerceatis proximum. Videte utrùm
ſitis majores, potentiores, & generoſiores Sal
vatore veſtro. Conſiderate id quod ipſe egit.
Erat *ſciens Jeſus quia traderet eum Judas Simonis*
h Joan.13. 1.&c. *Iſcariotes*. Et tamen non deſtitit *lavare pedes h*
ejus, eumque ſacro Corpore & Sanguine ſuo
i 1.Cor.11. 24.&25. reficere *i*, & inſuper illum oſculari, & amicum
eum vocare, *Et oſculatus eſt eum. Dixitque illi Jeſus,*
k Matth. 26.49.&50. *Amice, ad quid veniſti k?* Malchus vult illum li-
gare, ut illum inhonoret, & ipſe amputatam ei
l Luc.22.51. à Petro *auriculam ſanavit l*. Petrus ter *negavit*
m Luc.22.57.&c. *eum*. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum m*. Id

eſt, ignovit ei. *Apprehendit Pilatus Jeſum, & fla-*
gellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, im-
poſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdede-
runt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave
Rex Judæorum: & dabant ei alapas. Et ipſe tacet.
Milites crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc
& hinc, medium autem Jeſum n præ opprobrio. n Joan.19. 1.&c.
Et ipſe Patrem ſuum pro crucifixoribus ſuis
orat, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*.
Et uni è latronibus *dixit Jeſus, Amen dico tibi:*
Hodie mecum eris in paradiſo o. Unus militum lanceâ o Luc.23. 34.&43.
latus ejus aperuit p. Et ipſe illuminat oculos cor- p Joan.19. 34.
poris ejus, & ſimul aperit ei oculos animæ. Ecce
exemplum, en ſpeculum Evangelii, ecce, Audi-
tores, id, quod imitari debemus: ſequamur
eum, obſecro, in vitâ ejus, in paſſione ejus, &
in morte ejus. Ignoſcamus inimicis noſtris, &
ipſe condonabit nobis delicta noſtra; compa-
tiamur proximo noſtro, & ipſe noſtrarum mi-
ſerebitur infirmitatum; impendamus miſeri-
cordiam fratri noſtro, & ipſe clementiam erga
nos exercebit; proponamus firmiter in melio-
rem emendatioris vitæ nos recipere frugem,
condonate injurias, reconciliare nos inimicis
noſtris, & æquo ſuſcipere animo omnes injurias,
quas ipſe permittet nobis irrogandas, ſi veli-
mus eſſe *filii Patris qui in cœlis eſt*, in hoc mundo
per gratiam, & in altero per gloriam.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Accedens tentator, Matth. 4. 3. &c.

SI cuſtos intuitus hoſtem accedere, nullum
edat ſignum, quo populum excitet, con-
ſcius erit ruinæ illius, *Si ſpeculator viderit gla-*
dium venientem, & non inſonuerit buccinâ: & po-
pulus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tule-
rit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſuâ ca-
ptus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris
a Ezech. 33.6. *requiram a*. Quod ſi conclamet ad arma, & po-
pulus defendere ſe negligat, excidium populi
non eſt culpa cuſtodis, cautam præſtat ipſe cau-
ſam ſuam mediâ fidelitate ſuâ, & ſuam tuetur
vitam inter cædem communem, eò quòd ex-
actè impoſitis ſibi perfunctus fuerit muniis. Hic
ego conſtitutus ſum quaſi ſpeculator, ut veſtras
præveniam infelicitates, & detegam hoſtes,
qui illarum ſunt promotores, veſtramque ma-
chinantur ruinam: voco vos igitur ad certa-
men, ut munus mihi commiſſum obeam: ecce
enim hoſtis formidabilis, qui nobis bellum in-
dicit nullis induciis intermiſſum, ſuiſque de-
jicit artificiis illos, quos ſuâ vincere non po-
teſt fortitudine. Celebre hoc certamen eſt in-
b Iſai.14. 12. ter Luciferum *b* Principem ſpirituum inferna-
lium, & Jeſum Chriſtum Principem *exercituum*
c Iſai.6.3. *c* cœleſtium, & *Caput d* noſtrum: ſed cujus
d Epheſ.1: 22. exitus non eſt minùs ſavorabilis & glorioſus
Capiti noſtro Jeſu Chriſto, qui illius Victor
eſt, *Spectaculum mundo, & Angelis, & homini-*
e 1.Cor. 4.9. *bus e. Mundo*, ut videat quomodo Chriſtus ipſum
pedibus proterat. *Angelis*, ut Victori congratu-
lentur. *Et hominibus*, ut veſtigiis inhæreant Ca-
pitis ſui. Certamen figuratum per prælium ini-
f 1.Reg. 17.48.&c. tum inter Davidem & Goliath *f*, cùm iſte re-
præſentet nobis diabolum, ille verò Dei Filium,

qui eſt *Caput* noſtrum, qui tribuet nobis me-
dium triumphandi de hoc hoſte interventu gra-
tiæ ſuæ, quâ replevit ſanctiſſimam Genitricem
ſuam ad hæc verba, *Ave Maria*.

Inter naturæ mirabilia, quæ ſtupore mentem
Pſalmiſtæ replent, nullum rarius intueor dra-
cone formato ad hunc finem ut illudatur ab ho-
minibus, *Quàm magnificata ſunt opera tua, Do-*
mine! Omnia in Sapientiâ feciſti. &c. *Draco iſte*
quem formaſti ad illudendum ei g. Aliqui aſſerunt g Pſ.103. 24.&c.
hunc draconem eſſe *Leviathan h*, de quo loqui h Job 40. 20.&c.
tur Job, qui deridet *profundum mare i*. *Ad illu-* i Job 41. 22.
dendum ei. Id eſt, mari, quod eſt quaſi ludus ejus.
Sed dicamus meliùs, hunc draconem eſſe ſym-
bolum Satanæ; quem Salvator devicit. S. Augu-
ſtinus *k* autem hanc perfectiſſimè explicat al- k S. Aug. conc.3.& 4. in Pſ. 103.
legoriam. Totam iſtam naturæ œconomiam re-
fert ad regimen Eccleſiæ Dei: effectus admira-
tur incomparabiles omnipotentiæ in perſonâ
Filii, qui eſt Sapientia Patris, *Quàm magnificata*
ſunt opera tua Domine! Omnia in Sapientiâ feciſti.
Univerſa creata ſunt verbo Dei, cuncta reparan-
tur à Verbo carne facto: Sapientia increata re-
plet mundum per creationem, & Sapientia in-
carnata, per redemptionem. Prima exhibitio
bonitatis numerum producit infinitum creatu-
rarum: ſecunda verò reficit & renovat creatu-
ram rationalem, quæ eſt poſſeſſio Dei, *Impleta*
eſt terra poſſeſſione tuâ. Repleta eſt terra creaturâ
tuâ, vertit S. Auguſtinus. Mundus Chriſtianus
eſt repletus hac novâ creaturâ regeneratâ per
gratiam, quæ eſt opus Sapientiæ Dei. Non me
latet, animam Chriſtianam, quæ eſt hæc nova
creatura, verſari adhuc inter pericula, & flu-

ctuate inter procellas, *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus.* Si verò incedat ipſa ſuper terram, reptilia & ſerpentes illam contendunt demergere, *Illic reptilia quorum non eſt numerus.* Sed declinabit illa à periculo maris hujus mundi, ſubvecta propitio & favorabili crucis ligno, *Datum eſt nobis lignum in quo navigemus: illic naves commeabunt*, legit idem S. Auguſtinus. Conculcabit illa reptilia, capita illorum conteret, contemnens conſilia quæ tentator eſt ipſi ſuggeſturus: ipſa armabit ſe virtute ad confundendum inimicum ſuum, & ſciet effectivè veritatem hujus oraculi, *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Satanas, *draco* ille infernalis, *qui*, ut ait Ezechiel *l*, cubat *in medio fluminum*: Id eſt, In mediis nationibus, quia *aqua populi ſunt, & Gentes, & linguæ m*: & fluvios deglutit, profligans populos: qui, ut docet Job *n*, *habet fiduciam quòd influat Iordanis in os ejus*; qui Jordanis eſt ſymbolum Chriſtianiſmi, qui ſanctificatus eſt per Baptiſmum *o*, ita infirmatus eſt ut nobis ſit ludi loco; ſi verò nos ſuis aggreditur tentationibus, ſtatim nobis oblectamenti exercitium ſubminiſtrat. Hoc inducit me ad oſtendendum vobis Primò, majorem habere nos anſam deridendi diaboli, quàm timendi illius intentationibus, quibus nos impetit. Secundò, ad monſtranda vobis arma, quibus illum expugnare poſſimus.

l Ezech. 29. 3.
m Apoc. 19. 17.
n Job 40. 18.
o Marc. 1. 9
Diviſio.

I. Pars.

Audax profectò eſt S. Auguſtinus, qui contemnit inimicum, quem vel ipſi formidaverunt Apoſtoli. Iſtud diſciplinæ adverſatur militari, quæ ſtatuit, ut timeantur vel debiliſſimi hoſtes, ne vanâ torpeat exercitus fiduciâ. S. Petrus *p* conclamat ad arma, cùm loquitur de diabolo, & fideles hortatur ut ſuis invigilent animabus cuſtodiendis, aſſerens diabolum nunquam dormire, ſed circuire inſtar leonis, cujus rugitus audaciſſimos quoſque proſternit, & cujus furor innocentiſſimos quoslibet aggreditur, *Vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Tremore concutitur S. Paulus *q*, videns hunc aggreſſorem, & ait, *De cætero, Fratres, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem: ſed adversùs Principes & Poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus.* Omnia verba hujus Apoſtoli terrorem incutiunt omnibus qui ipſorum intelligentiam ritè percipiunt. Petitiſne naturam inimicorum noſtrorum? Spiritus ſunt. Figuram? Inviſibiles ſunt. Habitus? Sceleratiſſimi ſunt. Potentiam? Principes ſunt iſtius mundi per tyrannicam uſurpationem. Fraudem? Præliantur in tenebris, ut nos intercipiant. Motivum diſſidii irreconciliabilis eſt cœlum, eo volunt nos deſtituere, poſtquàm ipſi eo exciderunt, *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt r.* Nec unquam coronam immortalitatis nobis comparabimus, niſi certamen ineamus generoſum uſque ad victoriam. Ideò concludit S. Paulus, *Proptereà accipite armaturam Dei: ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Cavete ne infirmitas veſtra ſuccumbat artificiis diaboli, aut fortitudini hujus Principis tenebrarum.

p 1. Petr. 5. 8.
q Epheſ. 6. 10. &c.
r Apoc. 12. 9.

Super quod quæritur, utrum ſit magis neceſſarium militi, aſtutia, aut fortitudo. Hercules ut oſtenderet fortitudinem magis convenire militi, quàm aſtutiam, pelle leoninâ incedebat opertus. Quoad aſtutiam autem, recenſentur Scythæ pelle vulpinâ fuiſſe induti, quod concordat illi quod enunciat Salomon *ſ*, *Cogitationes conſiliis roborantur: & gubernaculis tractanda ſunt bella.* Quod ſic ad propoſitum explicat Salazar *t*, *Cogitationes conſiliis roborantur. Nimirum cogitatio omnis, aut decretum animi inſtabile eſt, mutationi, pœnitentiæque ſubjectum, niſi pluribus aliis conſultis decernatur: nam prudentium conſilia cujuslibet rei gerendæ cogitationem aliàs mobilem pluribus nominibus obfirmant & roborant. Et gubernaculis tractanda ſunt bella. Bella non viribus, aut lacertis, ſed ingenio, induſtriâ, & ſtratagematibus regenda, & adminiſtranda ſunt. Accommodatur autem benè huic expoſitioni ſimilitudo ducta à re nauticâ: ſicut enim navem ingentem clavo abſque magnâ virium contentione Nauclerus quoquoversùm impellit; ſic etiam Imperator induſtrius non militum robore, aut exercitus magnitudine, ſed conſilio, & aſtu bellum regit.* Romani & alii antiqui Duces tantì æſtimabant fortitudinem, ut monitus Alexander Magnus ut ſuos aggrederetur hoſtes fraudibus, & noctu, reſponderit, Malo pœnitere fortunæ meæ, quàm intueri me pudore ſuffuſum, referendo victoriam hujuſmodi. Recenſetur Liſander addidiſſe pelli leoninæ pellem vulpinam, majoris æſtimans ambas ſimul, quam unicam ſolam; ſic diabolus advertens aſtutiam & fortitudinem ſibi futuras proficuas, utramque aſſumit. Adverſarius Liſandri dicebat, ſe habuiſſe Hoſtem qui erat leo & vulpes ſimul, eò quòd utriuſque indutus eſſet inſignibus, fortitudine nimirum, & aſtutiâ: nos autem hoc meliùs dicere poſſumus de diabolo, qui eſt iſte *leo*, de quo loquitur S. Petrus, & vulpes Canticorum *u* ubi dicitur, *Capite nobis vulpes parvulas.* Unde ait de Ponte *x*, *Diabolus cupiens vincere animam Dei amore flagrantem, non vi apertâ aggreditur illam, ſed dolo, & vulpinâ fallaciâ. Scit enim viriliter reſiſturam cunctis ejus apertis ſuggeſtionibus & violentis quantùmvis ferocibus, ideòque tanquam vulpes occultas quærit inſidias.*

ſ Prov. 20. 18.
t Salaz. in Prov. 20. 10. n. 65. & 66.
u Cant. 2. 15.
x De Pont. lib. 5. in Cant. 2. 15 exhort. 31. parag. 1.

Oblitusne fuerat S. Auguſtinus omnium iſtorum monitorum S. Petri, & S. Pauli, quando vult ut diabolus qui ita fortis eſt & aſtutus, hominibus ſit ludi loco? *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Doctrina S. Auguſtini, Auditores, apprimè convenit cum dogmate iſtorum Apoſtolorum. Obſervate, ſi placet, harmoniam horum tonorum inæqualium, *Omnia in Sapientiâ feciſti. Impleta eſt terra poſſeſſione tuâ.* Vel, *Repleta eſt terra creaturâ tuâ*, juxta S. Auguſtinum. Interventu Sapientiæ tuæ totum peregiſti opus redemptionis, & inde eduxiſti novam creaturam regeneratam ipſius virtute, quæ mirabiliter totum replet orbem. Filium tuum *apprehendit Pilatus Ieſum, & Judæis tradidit illum, ut crucifigeretur y.* Et nova creatura nativitatem ſuam ſumpſit è morte ejus, & Eccleſia ſancta, quæ eſt poſſeſſio tua, poſſidet mundum univerſum; *Impleta eſt terra poſſeſſione tuâ, creaturâ tuâ, novâ creaturâ quæ facta eſt, de quâ dicit Apoſtolus z, Si qua in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova.* Sapientia, quæ ſic eſt magnifica in hoc primo opere renovationis animarum regeneratarum in Salvatore, non eſt minùs glorioſa in illarum regimine; iſtæ enim novæ creaturæ

y Joan. 19. 1. & 16.
z 2 Cor. 5. 17.

ob cœlum prælianuur adhuc in terrâ, quæ eſt elementum tentationis, *Militia eſt vita hominis ſuper terram a.* Illarum *portio in terra viventium* b eſt. Et illarum ſpes & domicilium eſt adhuc in terrâ morientium, in quâ Job c dicit, *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Permittit Deus ut a pluribus impetantur illæ inimicis, & multis exponantur periculis (hujuſmodi ludum ordinans ad majorem earum gloriam.) Velis explicatis enavigant mare procellis agitatum; *reptilia*, quæ ſunt minimæ ſuggeſtiones; *animalia*, quæ ſunt paſſiones inordinatæ; *draco*, qui eſt Princeps *tenebrarum* †, validam adversùs illas compingunt factionem, & ſævum indicunt eis bellum: ſed auxilium Jeſu Chriſti tantâ armat eas virtute, ut de iſtis triumphent inſultationibus, & hoſtes derideant. Fluctuant illæ ſuper lignum Crucis, ut declinent à periculomatis, Salvator eſt ipſarum Nauclerus, qui apprime novit ſcopulos effugere, & cùm draco infernalis adversùs eas vomit venenum ſuum, proditionem contra illas molitur, & ruinam earum machinatur, contemnunt illæ conſilium ejus, & arrogantiam illius confundunt.

a Job 7. 1.
b Pſ. 141. 6
c Job 14. 14.
† Epheſ. 6. 12.

Re autem verâ ſapientia Dei prælia permittit inimici propter victoriam Electorum ſuorum, quorum idem *Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput d.* Et hunc inimicum conſtituit illis loco ludi, cùm indulget illis gratiam de eo triumphandi, *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Profectò noſter *adverſarius diabolus tanquam leo rugiens* eſt, & *draco* veneno ſcatens mortifero. Sed non latet nos, quòd conculcabimus *leonem, & draconem e.* Unde Incognitus f ait, *Leo eſt, dum perſequitur violenter. Leo enim Rex animalium, viribus nocet. Draco eſt, cùm devorat negligentes. Per iſta ergo nomina hic intelligitur diabolus. Super ergo diabolum iſtis nominibus ſignificatum Chriſtus ambulavit & ipſum conculcavit, quando ipſum diabolum tentantem ſuperavit: & poteſtatem ſuis fidelibus dedit ipſum conculcandi.* Si igitur verè *membra ſumus corporis ejus g*, hunc hoſtem facilè ſuperabimus; quia hoc monſtrum devictum à Capite, ſubjicitur toti illius corpori, & nullum eſt è membris ejus quamtumvis infirmum, quod hoſtis iſte non metuat, *Subditus eſt ille Capiti tuo, ſubdetur & corpori eius; hæreant tantùm membra Capiti ſuo, ut membra ejus ſint*, ait S. Auguſtinus h.

d Epheſ. 1.
* 7. & 22.
e Pſ. 90. 13
f Incognit. in Pſ. 90. 83.
g Epheſ. 5. 30.
h S. Aug. loco ubi ſuprà.

Certamen iſtud quod ille ſuſcipit hodie cum Capite noſtro, eſt verum duellum, cujus eſſentia ſita eſt in hoc ut uterque ſit aggreſſor. Quoad Caput noſtrum S. Cyprianus i ait, *Propter hoc ſolitudo carens arbitris, & eremus aſſentatorum ſatellitio vacua, à jejunante Chriſto eligitur, ut non cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitiis k dimicetur, & amotis mirantium occaſionibus homo cum diabolo colluctetur, & ſoli ſint in palæſtrâ Chriſtus & Antichriſtus, Spiritus & Antiſpiritus.* Quaſi diceret, Chriſtum non ſeceſſiſſe in deſertum, niſi ut oſtenderet magnanimitatem ſuam ad præliandum in ſolitudine, & quòd ipſe derideret hoſtem ſuum, ſicut illum deridere debemus exemplo ipſius. Et cùm diabolus videatur non audere illum aggredi, ipſemet Chriſtus procedit ei obviam, *Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Quantùm ad diabolum, ecce quomodo aggreditur Caput noſtrum aſturus hic hoſtis, nimirum poſt Baptiſmum, & jejunium ipſius, *Tunc Jeſus cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, accedens tentator.* In qua aggreſſione conſideranda ſunt nobis duo tempora, quæ diabolus obſervat ſpecialiter, tempus initii converſionis noſtræ, & finis ſeu exitus bonorum noſtrorum operum. Bellum iſtud eſt apertum à creatione mundi l; & providentia Dei ordinans iſtud prælium in perſonâ Capitis noſtri, nobis tribuit induſtriam deridendi inimici noſtri. Noſtratum hic præſertim obſervat finem actionum, *Et tu inſidiaberis calcaneo ejus m.* Et, *Ipſi calcaneum meum obſervabunt n. Et draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura: ut, cùm peperiſſet, filium ejus devoraret o.* Hæc mulier eſt Eccleſia, *Quia membra ſumus corporis ejus p.* Quod eſt hæc Eccleſia, in quâ noſtrarum concipimus animarum ſalutem, *A facie tuâ Domine concepimus q.* Sed volentibus nobis eniti hunc ſpiritum ſalutis, *Et quaſi parturivimus ſpiritum ſalutis*, draco iſte conatur eripere fœtum noſtrum. Noſtrum etiam obſervat initium ab ipſâ converſione noſtrâ, ut patet ex eo quòd aggreſſus eſt Chriſtum ſtatim poſt Baptiſmum. Propterea jure merito comparat illum Chriſtus ſerpenti, & ſcorpioni. Illi, quia venenum gerit in capite, eò quòd diabolus aggrediatur nos in principio operum noſtrorum. Iſti verò, quia venenum ſuum habet in caudâ, eò quòd inimicus noſter obſervat finem actionum noſtrarum. Ideò dicebat nobis Caput noſtrum in perſonâ Apoſtolorum ſuorum, *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones r.* Noſtratum ſpeculatur initium actionum, ut illarum depravet intentiones, cùm omnia opera noſtra bonitatem, aut malitiam ſuam è ſuis ſumant intentionibus, *Primus homo de terrâ, terrenus; ſecundus homo de cœlo, cœleſtis ſ.* Anima noſtra eſt veluti tabula raſa, aut ſicut ſpeculum quod repræſentat id quod eſt ipſi oppoſitum; ſi intentiones noſtræ tendant ad terram, actiones noſtræ non erunt niſi terreſtres; ſi è contrà vertamus ſpeculum animæ noſtræ versùs cœlum mediis intentionibus puris, actiones noſtræ erunt cœleſtes. Noſtrarum obſervat ille exitum actionum, expectans caſum noſtrum, ſed conteramus caput ſerpentis illius, repellendo primas ſuggeſtiones ejus; & præ bonis intentionibus peragendo omnia bona opera noſtra; primas diſſipabimus, quas nobis ſuggeret, cogitationes, & calcaneus noſter in viâ virtutum ſemper erit rectus. Diabolus eſt infirmus in primâ aggreſſione ſuâ, ſed è noſtrâ capeſſit vires puſillanimitate: ſufficit nobis ut acceſſus illius retundamus, & prælium ducemus ad victoriam, & hic hoſtis confuſus à nobis recedet.

i S. Cypr. tract. de Jejunio & Tentat. Chriſti n. 2
k ex Epheſ. 6. 12.
l Gen. 3. 1. &c.
m Gen. 3. 15.
n Pſ. 55. 6.
o Apoc. 12. 4.
p Epheſ. 5. 30.
q Iſai. 26. 17. & 18.
r Luc. 10. 19.
ſ 1. Cor. 15. 47.

Exemplum illius victoriæ nobis ſubminiſtrat eximium Job, qui contrivit caput ſerpentis iſtius t. Et deinde loquens de fortitudine ſævi iſtius hoſtis, ait, *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei: qui factus eſt ut nullum timeret u.* S. Auguſtinus x legit in hoc Textu aliquam ſpeciem ſenſus contrarii, *Non eſt quidquam ſimile ei factum ſuper terram ad illudendum ei ab Angelis meis.* Inimicus iſte fortis eſt quantùm ad homines carnales; ſed quoad homines ſpirituales qui ſunt Angeli in carne humanâ, infirmus eſt aggreſſor, ipſis virtutis praxi incumbentibus eſt veluti loco oblectamenti. Satagite ut adversùs veſtram non prævaleat carnem, ut veſtris non dominetur paſſionibus, & animus veſter furorem ejus retundet, ſupplantabit fortitudinem ejus, & con-

t Job 1. 12. &c.
u Job 41. 24.
x S. Aug. loco ubi ſuprà.

confundet invidiam ejus. Si autem nondum eſtis Angeli in terrâ, vocate Angelos cœli, veſtræ commiſſi ſunt cuſtodiæ, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis y?* Et illi draconem (y Hebr. 1. 14) deridebunt, animas cuſtodiendo veſtras. Formidant homines diabolum, quia non noverunt ſtatum ſervitutis ejus, & impotentiæ illius. Repræſentate vobis eum potentem more Angelorum, cùm ſit talis ex naturâ ſuâ, licèt damnatus propter peccatum ſuum, reſpondebo vobis ſemper, quòd *non eſt poteſtas niſi à Deo z*. Et quòd (z Rom. 13. 1) poteſtas dæmonum eſt noſtrâ ſemper minor fortitudine. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere a.* Ita ut (a 1. Cor. 10. 13) victoria pendeat à voluntate noſtrâ, ſi cooperemur gratiæ Dei, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum b.* Videte infirmitatem hoſtis noſtri; in nobis (b 1. Cor. 15. 10) eſt illum vincere, & deridere inſultationes ejus, quæ cedent in confuſionem ejus, ſi illi reſiſtamus.

Vultiſne etiam meliùs concipere, quòd diabolus non poſſit nobis nocere? *Omnia à te expectant ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent c.* Suam expectat diabolus prædam ut illam (c Pſ. 103. 27. & 28) devoret: ſed Deus illam dat permiſſione ſuâ. *Ait Dominus Deus ad ſerpentem, Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Adæ verò dixit, Pulvis es, & in pulverem reverteris d.* Si ſerpens alitur terrâ, & (d Gen. 3. 14. &c.) vos eſtis terra, eritis ſanè cibus ſerpentis, eſca draconis, & præda diaboli: ſi eſtis peccatores, ſtatim vos devorabit diabolus, & in abyſſum perditionis vos demerget: egredimini è terrâ præ deſiderio cœli, aſpirate ad beatitudinem, quam diabolus amiſit, ex inſidiis inimici vos eripietis, & glorioſam de illo reportabitis victoriam. Deus, qui cibum indulget ſerpenti, non decipitur, nec dabit illi aurum pro terrâ, neque Juſtum pro peccatore, *Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Verbum eſt manus Patris æterni extenſa aut manifeſtata per Incarnationem, ait S. Auguſtinus e, *Manus tua Chriſtus eſt, (Et brachium Domini* (e S. Aug. loco ubi ſupra.) *cui revelatum eſt f?) Cui revelatur, aperitur: revelatio enim apertio eſt, aperiente te manum tuam, revelante te Chriſtum tuum, univerſa implebuntur bonitate.* (f Iſai. 53. 1.)

David g certaminibus expoſitus iſtam Divinam (g Pſ. 143. 7) manum ad auxilium ſuum vocat, *Emitte manum tuam de alto.* Sic præliatur illa pro nobis, & ſuâ nos armat bonitate ad repellendam malitiam diaboli: evidens autem eſt, quòd hoc ſubſidio muniti, noſtrum ſubſannabimus inimicum, & efficiemus eum ludum noſtrum, & gloriæ noſtræ trophæum: diabolus enim eſt ludus ſapientum, & terror inſenſatorum. Res admirabilis! exclamat Jeremias h, viſo malleum to- (h Jer. 50. 23) tius terræ contritum, & Tyrannum qui vexabat nationes, illis eſſe ludibrio, *Quomodo confractus eſt, & contritus malleus univerſæ terræ?* Origenes i (i Orig. hô. 3. in Jer. 50. 23) iſta verba explicat de Satana, licèt ad literam Propheta loquatur de Rege Babylonis, *Videmus hic Zabulum ſi non ipſe eſt malleus univerſæ terræ.*

Tigris periit, eò quòd non haberet prædam, & catuli Leonis diſſipati ſunt, ait Job k, loquens de Satana (k Job 4. 11) juxta interpretationem S. Gregorii l dicentis, (l S. Greg. lib. 5. Mor. c. 17. in Job 4. 10. & 11) *Hunc vocabulo Tigridis repetit, quem Leonis appellatione ſignavit. Satan quippe, & propter crudelitatem Leo dicitur, & propter multiformis aſtutiæ varietatem non incongruè Tigris vocatur. Modò enim ſe, ſicut eſt perditus, humanis ſenſibus objicit, modò quaſi Angelum lucis m oſtendit. Modò ſtultorum mentibus blandiendo* (m Ex 2. Cor. 11. 14) *perſuadet, modò ad culpam terrendo pertrahit, modò ſuadere vitia apertè nititur, modò ſua in ſuggeſtionibus ſub virtutis ſpecie palliatur. Hæc itaque bellua, quæ tantâ varietate reſpergitur, jure Tigris vocatur, quæ apud LXX. Interpretes Myrmicoleon dicitur, quod videlicet animal abſconſum pulvere, formicas frumenta portantes interficit: quia nimirum apoſtata Angelus in terram de cœlo projectus, juſtorum mentes, quæ bonorum ſibi operum refectionem præparant, in ipſo actionis itinere obſidet: cùmque eas per inſidias ſuperat, quaſi formicas frumenta geſtantes improviſus necat. Rectè autem Myrmicoleon, id eſt, leo & formica dicitur: formica enim leo eſt, volatilibus formica: quia nimirum antiquus hoſtis, ſicut contra conſentientes fortis eſt; ita contra reſiſtentes debilis. Si enim ejus ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt: ſi autem reſiſtitur quaſi formica atteritur. Aliis ergo leo eſt, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, ſpirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Similis eſt diabolus hominibus puſillanimis qui minas intentant, cùm inimici terga vertunt, & fugæ præſidium ſumunt, quando hoſtis aciem ſuam explicat. Satanas generoſum ſe venditat, ſi ei conſentimus; & ſuam oſtendit puſillanimitatem cùm illi reſiſtimus, *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis* dicit S. Jacobus n. Et S. Bernardus o, *Ad-* (n Jacob. 4. 7) *verſarius noſter tanquam leo rugiens, ait Petrus p.* (o S. Bern. ſerm. 1. in Pſ. Qui habitat.) *Gratias illi magno Leoni de tribu Juda q: rugire iſte poteſt ferire non poteſt. Rugiat quantùm vult, tantùm non fugiat oves Chriſti, &c. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non ſimus beſtiæ ut nos* (p Ex 1. Petr. 5. 8) *proſternat vanus ille rugitus. Sic enim perhibent qui* (q ex Apoc. 5. 5) *talia curioſius veſtigaverunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem quæ adverſùs ictum ejus totâ animoſitate repugnat. Et plerumque ſuperat ferientem quæ non ſuſtinet rugientem. Vere beſtia, verè rationis expers qui tam puſillanimis eſt ut ſolo timore cedat, qui ſolâ futuri exaggeratione laboris victus ante conflictum, non telo, ſed ſibilo proſternitur.* Ne collocemus nos in cathegoria peccatorum, quos Scriptura r beſtiis comparat. *Homo cùm in ho-* (r Pſ. 48. 13 & 21) *nore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Nec terrorem nobis incutiet rugitus leonis infernalis, ſed minas contemnemus hujus inimici, quia habebimus in Chriſto gratiam vincendarum omnium inſultationum illius. *Verum eſt, Fratres chariſſimi, quia multùm prævalet, ſed tepidis & negligentibus. Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem mordere poteſt, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate conjunxerit. Iam videte, Fratres, quam ſtultus eſt homo ille, quem canis in catenâ poſitus mordet. Tu te illi per voluntates & cupiditates ſeculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet: nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit,* ait S. Auguſtinus ſ. (ſ S. Aug. ſerm. 197. de Temp.)

Natura armat aſtutiâ animalia infirma: fortia non requirunt hujuſmodi aſtutiam, ſed prælio dimicant aperto: atqui ſerpens eſt omnium animalium aſtutiſſimus, *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ t.* Non agit niſi ar- (t Gen. 3. 1.) tificioſè, nec ſuperat niſi inſidioſè, Deus dedit nobis *poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes u.* Et idcircò ſuper diabolum, fraus illius, quâ nos deci- (u Luc. 10. 19)

pit,

Digitized by Google

pit, oſtendit infirmitatem ejus, utamur jure noſtro contra impotentiam illius, detegamus inſidias ipſius, & eum confuſione operiemus. Sed ſi ſerpens iſte eſt callidus, ſcintillæ aſtutiarum ejus evaneſcunt inſtar fumi præ radiis Divinæ ſapientiæ Ducis noſtri, unde fit ut illum irrideamus. Duces induſtrii fortitudines & aſtutias ſuorum agnoſcere debent hoſtium, & ſuas abſcondere, quod non agit diabolus: ſed Jeſus Chriſtus Dux noſter, cujus fortitudo eſt Divinitas, quam diabolus inquirit, hanc fortitudinem ſuo tegit adverſario, *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos x*, ait Sponſa, loquens de Divinitate Chriſti, [x Cant. 2. 9] ut exponit de Ponte y, *Poſſunt autem explicari verba iſta de Chriſto, quà Deus & homo.* [y De Pont. lib. 5. in Cant. 2. 9. exhort. 10] Nos qui ſumus retro cancellos; videmus illos qui tranſeunt, qui tamen non intuentur nos: Jeſus Chriſtus erat *proſpiciens per cancellos.* Hi cancelli erant compoſiti e ligno obliquè intertexto majeſtate & humilitate, *Magnus Dominus z humiliavit ſemetipſum* a. [z Pſ. 47. 2. & 144. 3] [a Philipp. 2. 8] Cœlo & terrâ, Divinitate & humanitate, Verbo & carne, *Verbum caro factum eſt* b. [b Joan. 1. 14] Et quia opera ejus erant mixta, ex omnibus his eruebat diabolus argumentis, eum debuiſſe eſſe Deum, præcipuè verò ex eo quòd *aperti ſunt ei cæli: & ecce vox de cælis dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et quòd eſſet homo, ex eo quòd hic *baptizatus Jeſus* c eſſet more cæterorum hominum. [c Matth. 3. 16. & 17]

Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Ecce aſtutiæ hoſtis Jeſu Chriſti, & noſtri conſutæ filo albo: volebat enim ſcire hâc primâ inſultatione, quâ ſuum conſilium detegit, utròm Chriſtus eſſet Filius Dei: ſua ſic non propalant generoſi Duces conſilia: ideò vocatur diabolus à Salomone d Senex fatuus, *Tres ſpecies odivit anima mea, pauperem ſuperbum: divitem mendacem: ſenem fatuum & inſenſatum.* [d Eccli. 25. 3. & 4] Pauper ſuperbus denotat carnem, *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc* e. [e Job 1. 21] Superba eſt, quia jugiter *caro concupiſcit adversùs ſpiritum* f. [f Galat. 5. 17] Et ſemper clamat, *Si ſum paſta, non ſum caſta.* Dives mendax eſt ſymbolum mundi: quid enim fallacius mundo? Senex fatuus figurat nobis diabolum. Senex, quia creatus fuit, cùm *dixit Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux* g. [g Gen. 1. 3] Sed fatuus, *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Suam detegens nunc inſaniam triplici inſultatione, quâ aggreditur Jeſum Chriſtum, & nos in perſonâ illius, cùm ipſe ſit Caput noſtrum.

Illum tentat, ſicut & nos ſub ſpecie boni. *Nemo enim intendens ad malum operatur.* Et ſicut eſt triplex bonum, corporis, animi, & fortunæ; ita triplex eſt tentatio operta hoc triplici bono, Tentatio gulæ, velata bono corporis, *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Tentatio ambitionis, tecta bono animi, *Et ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Tentatio avaritiæ, fulta bonis fortunæ, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Inde enim volebat diabolus inducere Dei Filium ad *avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus* h. [h Coloſſ. 3. 5] Hæ ſunt tres aggreſſiones periculoſæ, de quibus S. Joannes i ait, *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* [i 1. Joan. 2. 16] Id eſt, Tentatio gulæ, tentatio avaritiæ, & tentatio vanæ gloriæ. Diabolus tentat Dominum, & nos etiam tentat in perſonâ illius, eodem modo quo noſtros tentavit Protoplaſtos: *Sed & ſerpens dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Ecce tentatio gulæ. *Aperientur oculi veſtri.* Ecce aggreſſio ambitionis & vanæ gloriæ. *Et eritis ſicut Dii* k. [k Gen. 3. 1. &c.] En tentatio idololatriæ, aut avaritiæ, *quæ eſt ſimulachrorum ſervitus*, ait Apoſtolus. Qui ideò conſulit nobis, ut induamus *armaturam Dei; ut ſtare adversùs inſidias diaboli* l poſſimus. [l Ephes. 6. 11] Videamus igitur quibus armis illum expugnare valeamus.

[II. Pars.] Ecce tempus tractandis armis conſonum, en occaſio proſternendo inimico noſtro opportuna, & induſtria reprimendæ primæ inſultationis, quâ ille nos aggreditur in perſonâ Capitis noſtri interventu gulæ, & conciliandæ nobis pacis cordis mediâ vitiorum noſtrorum deſtructione, *Canite tubâ in Sion, ſanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes: congregate parvulos, & ſugentes ubera. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini* m. [m Joel. 2. 15. &c.] Militia iſta nullam patitur exemptionem, infantes uberibus matrum adhærentes, rebelliones carnis ſuſtinent, quæ ipſos in viſceribus genitricum ſuarum inquinavit, ut queritur Pſalmiſta n, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* [n Pſ. 50. 7. ex Job 14. 4.] Et S. Bernardus o, *In utero damnati antequàm nati: quia de peccato, & in peccato concepti.* [o S. Bern. ſerm. 2. Pent.] Non extinguitur concupiſcentia niſi cùm vita terminatur, ut docet S. Auguſtinus p. *Concupiſcentiam quis ambigat in hâc vitâ poſſe minui, non poſſe conſumi?* [p S. Aug. lib. 6. contra Julian. c. 16] Ab illâ ſenes vel decrepiti impugnantur: & Lex quæ recenter conjugatos ab expeditionibus in bellis communibus eximit, alligat illos ad ineundum prælium cum iſtâ, quia cùm vigore robuſtæ conſtitutionis ſint inſtructi, fortiora indicit eis caro prælia. Sacerdotes debent iſtius eſſe militiæ Duces, & tota Eccleſia huic incumbere debet exercitio pœnitentiæ.

Sanctificate jejunium. Hæc eſt induſtria & prima armatura, quam ſubminiſtrat nobis Propheta contra primam inſultationem inimici noſtri, quæ eſt gula, ad quam refertur aggreſſio concupiſcentiæ. Sed heu! nos omnes aures noſtras obturamus, declinamus ab ineundo certamine, & tradimus nos dæmoni domeſtico, qui nos poſſidet; renunciamus jejunio ut ſerviamus ventri inimico noſtro, ut Deo à nobis agnito, *Quorum Deus venter eſt* q. [q Philipp. 3. 19] *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum, & ad planctum, & ad cingulum ſacci; & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur* r. [r Iſai. 22. 12. & 13.] Falſi Chriſtiani renaſci faciunt bacchanalia hoc ſacro tempore Quadrageſimæ, & ſolis vacant deliciis, *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum* ſ. [ſ Pſ. 68. 23] Alimenta illorum mutentur in venenum, æquè ac illorum menſa ſcandaloſa, confuſione operiatur: cùm hujuſmodi cibi mortem inferant animæ, non eſt rectæ conſonum rationi ut vitam corpori tribuant. Immitte ſuper eos, Domine, iram tuam, & excipe illos ut Iſraëlitas in deſerto, *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum; & ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & Electos Iſrael impedivit* t. [t Pſ. 77. 30 & 31] *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva* u. [u Pſ. 68. 24] Blandiuntur ſibi ob exiguam fluxionem, quæ ipſorum lædit oculos; propter exilem frigiditatem quæ aggreditur humerum;

ratione infirmitatis imaginariæ ortæ in ſtomacho: excæca hos homines animales *non percipientes ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt* x illis. Contere eos pœnis ſeverioribus, illis quas formidaverunt; mandata tua contemnunt, Eccleſiæ tuæ morem gerere recuſant, prædicatur eis jejunium à Miniſtris tuis, & illud flocci faciunt; annunciatur eis abſtinentia à carnibus, & ab illâ ſe diſpenſant ſine neceſſitate manifeſtâ, & abſque authoritate: bibunt *quaſi aquam iniquitatem* y in tranſgreſſione mandati tui, cujus obſervantia non eſt ampliùs in uſu ob exiguum numerum jejunantium, quaſi verò decreta Dei & Eccleſiæ aliquam paterentur præſcriptionem. Tantamne, Domine, ſuſtinere potes inſolentiam? ſiccine toleras contemptum publicum præcepti, quod obſervandum mandaſti organo Eccleſiæ tuæ? *Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos* z. Neceſſitas quam habemus reprimendæ inſolentiæ carnis noſtræ, eſt motivum ſatis validum ad inducendos nos ad exercitium jejunii colendi: ſed mandatum Dei editum ab Eccleſiâ, illius exercendi, abſolutam ſanctificandi illius nobis imponit neceſſitatem, niſi ſimus è numero infidelium & atheorum illorum dicentium apud Iſaiam, *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. Similis veſania eſt voluptuariorum, & Epicureorum* [a], *qui putant animam cum corpore interire, unde præſentes tantùm captant voluptates*, ſubdit Cornelius a. *Ita gula ducit in atheiſmum.*

x 1.Cor.2.14.
y Job 15.16.
z Pſ. 68.25.
a Corn. in Iſai. 22.13

Suam primam incipit inimicus noſter inſultationem gulâ: ſicut enim Samſonem *cùm apprehendiſſent Philiſtiim, ſtatim eruerunt oculos ejus* b: ita gula excæcat animam. Sed ambitio & ſuperbia non minori percutit illam cæcitate: hæc eſt ſecunda aggreſſio ejus, quâ Ducem noſtrum *ſtatuit ſuper pinnaculum templi.* Adversùs quam oportet nt ipſi, qui *ſumus membra corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus* c, armemus nos humilitate: id eſt, ut illi, qui conſtituti ſunt ſuper pinnaculis dignitatum, conſiderent utrùm in illis collocati fuerint à Deo, vel à diabolo. Non efficit hic inimicus ut Caput noſtrum Jeſus aſcendat per gradus ſuper hoc faſtigium, ſed unico inſtanti ipſe *ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Id eſt, quòd ſi illi qui in dignitatibus ſunt conſtituti, ad illas promoti fuerunt abſque ſuis meritis, pravum eſt iſtud indicium. Deus illo non ſe gerit modo, cùm aliquem eximiis honorat muniis: ſuos collocat ſervos ſubter pinnaculum templi, ſed diabolus captivos ſuos *ſtatuit ſuper pinnaculum templi.* Moyſes, qui erat verè humilis, agnoſcebat ſe fuiſſe collocatum ſub pinnaculo templi: *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* d. *Et ait ad Dominum, Cur afflixiſti ſervum tuum? & cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me* e? Illi enim qui in dignitatibus ſunt conſtituti, ad illas evecti ſunt ut earum ſuſtineant onus, non autem ut in illis ſuperbiant, & ſuper alios ſe exaltent, ſicut improbi qui in illis à diabolo fuerunt collocati. Si autem ad illas ſumus promoti, utamur illis ut gladio Goliath f, ad tuendos nos à tentationibus inimici noſtri, qui *dixit ei, Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Si autem *ſumus filii Dei* g per gratiam & per juſtitiam, humiliemus nos, perfungentes præ humilitate dignitatibus nobis commiſſis.

b Judic. 16.21.
c Epheſ.5.30.
d Num.12.3.
e Num.11.11.
f 1.Reg. 21.9.
g Rom.8.16.

Tandem pro ultimâ aggreſſione inimicus noſter ſpecioſa Duci noſtro pollicetur. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Oſtendit nobis quidquid eſt ſpeciei & ſplendoris in bonis, ſed abſcondit nobis miſerias quæ in illis latent, *Et oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis* h. Et ſic in repræſentatione, & in figura, quod oſtendit nobis, quòd armatura, quâ uti debemus contra hanc invitationem, eſt contemptus bonorum terrenorum, cùm ſint imaginaria, aut unico durent momento, *Præterit enim figura hujus mundi* i. Præterea, Conſiderate conditionem quâ diabolus momentanea nobis pollicetur bona, *Si cadens adoraveris me.* Et jure merito avari comparantur camelis, qui nunquam ſuſcipiunt onus quod ipſis imponitur, quin genua flectant, quia avaritia *eſt ſimulacrorum ſervitus* k.

h Luc.4.5.
i 1.Cor.7.31.
k Coloſſ. 3.5.

Ut autem omnia unico complectamur verbo, diabolus exiguâ nos aggreditur tentatione, ut fecit adversùs Caput noſtrum. Primò gulâ, ſecundò vanâ gloriâ, tertiò idololatriâ. Et quia *abyſſus abyſſum invocat* l, ipſe ſe gerit adversùs nos eo modo quo fecit Pompeius, qui in terrâ conſtitutus alienâ, rogavit quemdam Regem, cum quo fœdus inierat, ut ſibi tranſire liceret per civitatem ipſius, ut in eâ refici & recreari poſſent milites ſui, longâ itineratione fatigati: ſuper quod Rex ille ſe excuſavit, veritus ne caderet ſub dominium illius Principis, præſertim cùm non poſſet tunc ipſe ſe defendere: tandem Pompeius poſt erogatas multas preces impetravit ut infirmi & vulnerati civitatem ingrederentur; ubi recuperatâ ſanitate priſtinâ eamdem civitatem ditioni Pompeii ſubjecerunt: ſic diabolus videns quòd primâ fronte abhorremus à magnis peccatis, æquè ac ab immodicis terremur tentationibus, aggreditur nos exiguis, procedens è gradu in gradum per ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum: ſed iſtar athletarum generoſorum, & more Capitis noſtri, ungamus nos oleo laborum & auſteritatum, & inſtruamus nos armis, quibus, ut dicitur in Legendâ S. Antonii, ſanctus iſte Abbas *ſæpè diſcipulos excitans ad pugnandum contra diabolum, docenſque quibus armis vinceretur: Mihi credite, dicebat, Fratres, pertimeſcit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam & humilitatem: maximè verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cujus unico ſanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit:* victores effecti de inimico hoc communi generis noſtri, non coronabimur diademate olivæ, ut illi antiqui poſt partam de hoſtibus ſuis victoriam, ſed coronâ incorruptibili, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam* m. Cùm iſtud oleum mutabitur in coronam gloriæ æternæ.

l Pſ.41.8.
m 1.Cor. 9.25.

FERIA

Digitized by Google

FERIA II. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Matth. 25. 41. &c.

Nihil eſt magis rationi conſonum, quàm ut famoſi peccatores, qui juxta mundi vivunt maximas innocentiæ oppoſitas; & otioſi illi & nequam, quibus peccata ſunt veluti res indifferentes, & *qui bibunt quaſi aquam iniquitatem a*; Suſpirent, gemant, pectuſque diſcindant præ dolore, quem nulla ſequatur conſolatio. Hâc ductis cogitatione nobis impoſterùm vita debet eſſe amara, & patientiæ motivum exercendæ, continuas perpendentibus occaſiones, quibus ſubjacemus, offendendi Dei noſtri, cui nihil eſt abſconditum, *qui omnia antequàm fiant b*, novit; cujus *juſtitia c* eſt infinita *d*, ſicut ipſius immensâ eſt *miſericordiâ e*: & qui tamen non ita perſæpè parcit, ac poſſumus autumare: qui metitur noſtrarum magnitudinem culparum velut ad ulnam *magnitudinis f* ſuæ, & exceſſus beneficiorum, quibus nos cumulavit, ut nos traheret ad ſe. Heu! Auditores, quid magis horrendum viſu & dictu, Deum iſtum, cùm velit glorificari in utrâque iſtarum Divinarum perfectionum ſuarum, & non minùs in juſtitiâ, quam in miſericordiâ, pœnas imponere criminibus juxta proportionem mercedum, quibus virtutem miſericorditer coronat; & ſic in æternum protendere malorum operum ſupplicia æquè ac bonarum actionum remunerationes?

[a Job. 15. 16. — b Dan. 13. 42. — c Pſ. 111. 3. — d Baruch. 3. 25. — e Pſ. 22. 6. — f Pſ. 144. 3.]

Æternitas, quæ ſequitur ita brevem vitæ noſtræ curſum, proficua nobis eſt futura, ſi benè vixerimus. Æquiſſimum eſt à pari, ut ſi Divina prævaricati fuerimus mandata, nec ullam egerimus *pœnitentiam g*, experiamur inviti id, quod in eâ eſt ſeveritatis & rigoris, cùm juſtum ſit ut quis ferat damna alicujus rei, cujus ſuſcipit ipſe commoda particularia, cùm illius detrimenta propriâ ipſius eveniunt culpâ. Quæ conſideratio penitus ſuavis eſt probatæ vitæ hominibus; ſed horrenda, & tremore æquè ac deſperatione plena, reſpectu eorum, *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt h*, & qui vivunt ac ſi poſt hanc vitam nulla ipſis eſſet vita ſuperfutura. Quantâ donati ſumus prærogativâ, ut omnes has audiamus veritates, quò eis procedamus obvii, & infauſtos earum eludamus effectus; & ut, antequàm juſtitiæ rigores experiamur, miſericordiam imploremus, gratiam poſtulemus & indulgentiam, ſub auſpiciis omnipotentis Genitricis Dei, ſimul & Miſericordiæ i, quæ nobis eſt eam impetratura, ſi dixerimus ei priùs, *Ave Maria.*

[g Luc. 13. 5. — h Philipp. 3. 19. — i Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.]

Contremiſcunt labia mea, inhorreſcunt capilli mei, concutiuntur omnia oſſa mea, totum corpus meum timore & tremore percellitur, ſecretus & intimus horror cogitationem meam intercipit, horribilis confuſio memoriam meam penitus interturbat, intellectus meus obtunditur & hebetatur, deliquium patitur cor meum ſolo vel auditu horrendorum verborum iſtorum, & areſti hujus terribiliſſimi, quod *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum k*, pronunciaturus eſt in judicio univerſali, *in conſummatione ſeculi l*, cùm æternâ ſeparatione *hædos* ab ovibus, *zizania* a frumento electo, & impios à Juſtis dividet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Re enim verâ cuinam memoriæ non eſſet hæc importuna recordatio abominationi? Quis intellectus conſiderationi ſic odioſæ vacare jure merito non renueret? Quæ voluntas ab objecto ita ingrato non averteretur? Quæ phantaſia ſubjectum tam funeſtum non effugeret? Quæ lingua, etiamſi foret illa adamantina, imò verò ignea, & quænam vox, quàmvis tonitrui horrendi, formare poſſent & auribus ſubjicere audiendum diſcurſum, dicam potiùs, & meliùs, ſtrepitum & fragorem confuſum querelarum inutilium, lamentationum infructuoſarum, ſingultuum rabidorum, horribilis ſtridoris *dentium*, blaſphemiarum abominabilium *n*, & execrationum incomprehenſibilium, quæ per æternitatem totam evoment infelices illi & ſcelerati, adversùs quos pronunciabitur hoc areſtum horribile? *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

[k Act. 10. 42. — l Matth. 13. 40. &c. — m Matth. 8. 12. — n Apoc. 13. 5.]

Sapientiſſimi tamen & ſanctiſſimi quique homines conſilium nobis inſpirant iſtud ſalutare, ut iſta præ oculis mentis noſtræ perſæpè verſemus; ut interdum deſcendamus *in infernum viventes o*, ne mortuos re verâ illuc nos oporteat properare: ut præviſione projiciamus nos in hanc abyſſum omnium infortuniorum illorum, è quibus nullus unquam exit, poſtquàm illuc ſemel eſt ingreſſus: Sed, more mergorum, mari nos immergentes, ut inde extrahamus uniones bonorum deſideriorum vitæ impoſterùm emendandæ, illuc perſæpè ſeriâ conſideratione deſcendere debemus, ut hæc memoria pœnarum æternarum, diſſolutionem vitæ noſtræ veluti fræno coerceat, validumque ſit motivum quod inducat nos ad reformandos pravos affectus noſtros, ita ut earundem apprehenſio ſeria & viva ſufficiat, quæ vobis viam pandat ad ſectandam virtutis praxim, & ad amplectendam convenientem conditioni noſtræ ſanctitatem. Defectu cujus reflexionis oportet ut ipſa humana ratio extremum agat halitum, *& omnis Sapientia p* mundana devoretur, & ad nihilum redigatur præ conſideratione æternitatis pœnarum peccato, & omnibus peccatoribus *in peccato q* morituris ac obſtinatis debitarum; *In ignem æternum.* Horribile dictu! In æternum miſeros effici omni miſeriarum cumulo, nullo concedendo iiſdem unquam miſeriis refrigerio, nedum termino! In

[o Pſ. 54. 16. — p Pſ. 106. 27. — q Joan. 8. 21.]

Digitized by Google

In æternum mori, nunquam tamen morituros r! Habere vitæ radices, & ſemper expetiri funeſtos mortis intolerabilis effectus, & hoc fortaſſis propter unicum peccatum! O momentum, quod infortunetâ conſequentiâ pœnarum trahis æternitatem! *Momentum, unde pendet æternitas! In ignem æternum!* Si enim tandem hæc mala, quantùmvis grevia, aliquando fine quodam eſſent concludende, quantùmlibet longe forent ac prolixa ennorum & ſeculorum curricule millenorum, ſeltem ſpes ſupereſſet eliqua infortunatis hominibus illis, & hæc ſpes eliquem illis ſtillem infunderet conſolationis. Sed heu! cùm dicitur, æternùm, dicitur terminus ſine termino, & qui tempore futuro, ſeu potiùs per totam æternitetem, tandiu duraturus eſt, quandiu Deus futurus eſt, nec ullum eſt unquam habiturus finem, ſed æternus futurus eſt non ſecus ac ipſe Deus.

r Apoc. 9, 6

Reprobi, ait ſacer Textus, æternùm projiciuntur à Deo, & Deus illis æternùm erit iratus atque infenſus; *Nunquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in irâ ſuâ miſericordias ſuas ſ?* Et, *Si quis in me non manſerit; mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet t.* Id eſt, ardebit. Loquendi modus edmirabilis, qui præſenti loco futuri, repræſentet æternitatem hujus pœnæ interminatæ. Nem poſt centum millia ſeculorum, & toridem centena millionum ſeculorum millia, dicetur ſemper de ſingulis impiis, *Ardet*, Sine intermiſſione ipſi rependent uſuras proventuum redditus, cujus ſortem nunquam ſoluturi ſunt principalem. Sic eſt: nam cùm *æternitas*, quæ *eſt tota ſimul*, ſit perpetuum *hodie u*, & continua permenſio in eodem eſſe, quomodo fluere poſſit id, quod in eodem ſemper perſeverat ſtatu? Si autem futurum ſit aliquid novi in æternitate, nova erunt gaudii cantica x, ſed in beatâ; nam in infelici reprobi nova experientur ſupplicia, ipſorumque ſenſus ſemper vivecior nunquam doloribus aſſueſiet ſubeundis, & petiendi conſuetudo non minùs levia nec minùs inſoletande efficiet ſupplicia. Ipſorum mors futura eſt ſine ullâ morte, ipſorum finis nullum agnoſcet finem, ipſorum terminus nullo præſcribetur termino. Illorum enim mors ſemper erit vivens, illorum finis indeſinenter erit incipiens, & illorum terminus nunquam perveniet ad limitem. Mors illos opprimet, nedum illos occîdat; gehenna eos cruciabit, nedum eos deſtruat; flamma eos comburet, nedum illis aliquem ſplendorem afferet, ac ullam claritatem. Hoc inducit me ſenſim ſine ſenſu ad oſtendendum vobis in hoc diſcurſu, eorum pœnas futuras penitus æternas. Attendite, quæſo, dum incepturus ſum.

ſ Pſ. 76. 8. &c.
t Joan. 15. 6
u Pſ. 2. 7.
x Apoc. 5. 9
Propoſitio.

Immenſa ſeſe hic offert ſeges imaginationi meæ, quæ divagetur medias inter ſimilitudines ſenſibiles, & conceptiones populeres, quæ animis vulgaribus & ſimplicibus infirmas aliquas æternitatis ideas imprimunt, quantùm ſe poteſt humani extendere captus intellectûs. Sed miſſam facio aviculam illam immortalem, ut ſupponitur, quæ immenſos Oceani gurgites eſſet exicature, ſi millenis duntaxat ſeculis guttulam vel unicam aquæ ex eo hauriret. Taceo de numero ſtellarum, foliorum arborum, granorum arenæ, & de toto numero Arithmetico ad ultimum uſque, peritiſſimorum quorumque Magiſtrorum; ſicut & de ſimilibus phantaſiis, quas non arguo, habitâ ratione eximiorum Virorum, quibus illæ vitæ ſunt bonæ, pulchræ, & utiles non tantùm animabus vulgaribus, imò verò & elatis, cum unuſquiſque eas comminiſci poſſit ad libitum, & ad profectum ſuum ſpiritualem. Ego autem ingenue fateor duritiem animæ meæ, eò quòd ipſi ea omnia ſatis infirmè adhæſerint; ſed vice illius ſatis debilis impreſſionis, mirum ſui commotus in modum præ conſideratione rabidæ illius & incomprehenſibilis deſperationis, quæ naſcetur in corde damnatorum ex intuitu horrendæ hujus & terribilis pœnarum & ſuppliciorum æternitatis.

Verùm enim verò nemo ambigit, dolores æquè ac torturas, quas patiuntur, & patientur reprobi in omnibus corporum ſuorum partibus, & in univerſis animarum ſuarum facultatibus, eſſe, & futura vehementiſſime: Sed cogitatio, quâ apprehendunt illa nullum unquam habitura finem, ea augebit in immenſum, ita ut inducendi ſint homines iſti nequam, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum, ut ea quæ non conveniunt y*, facerent, ut ponant in cœlum os ſuum z, Horribileſque adversùs Deum blaſphemias evomant. Si verò Propheta a dixit; loquens de plagis inſanabilibus & deſperatis Iſraël: *Super hoc plangam & ululabo: vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum; quia deſperata eſt plaga ejus, quæ venit uſque ad Iudam, tetigit portam populi mei uſque ad Ieruſalem;* Quàm terribiliores ſunt ululatus, in quos erumpent reprobi animati hoc ſpiritu rabiei & deſperationis, videntes mala ſua omni remedio deſtituta. Certum quippe eſt, eos magis hâc æternitatis cogitatione, quàm aliis omnibus pœnis affligendos: Cruciabuntur enim ſine intermiſſione, & ſine fine, abſque ullâ vivent ſpe veniæ, & ſine ullâ expectatione miſericordiæ, in quo ſita erit calamitatum omnium ipſorum maxima. Nam ſi ſperare poſſent, propria ſupplicia ſua finem aliquando habitura, nimirum poſt tot annorum curricula, & ſeculorum centena millia, quot omnes homines qui vixerunt, vivunt, & vivent ab orbe condito ad conſummationem ipſius uſque, capillos in capite detulerint, aut ſunt delaturi, quantùmvis incredibilis & immenſus videatur hic numerus, eſt tamen finitus; & hæc imaginatio finis aliquando tandem futuri, aliquo modo dolores ipſorum eſſet mitigatura: Sed quia ipſis nullus conceditur finis, deſperationis violentiæ totos ſe dedunt, & impatientia ſuppliciis ipſorum præbet incrementum.

y Rom. 1. 28
z Pſ. 72. 9
a Mich. 1. 8

Sed id non eſt totum, quod ipſos affligit. Deſperatio hæc horribilis augebitur inſuper conſideratione alterâ maximi momenti, quâ experientur inviti pœnas iſtas non ſolùm æternas, ſed prætereà abſque ullâ intermiſſione vel exiguâ. Damnati enim ſinguli non ſolùm tranſibunt uno inſtanti ab uno extremo ad alterum extremum, ut ait Job b, *Ad nimium calorem tranſeat ab*

b Job 24. 19

ab aquis nivium , & uſque ad inferos peccatum illius ; ſed dolores ipſorum erunt abſque aliquantulâ intermiſſione , & ſemper in uno puncto intolerabiles ; & ſine ullà interruptione diminutionis, & abſque ulla quiete quæ poſſit unquam expectari. Hoc enim futurum eſt bellum maximè importunum, qood nullæ unquam ſecutæ ſunt induciæ. Quis autem vellet, obſecro, emere regni poſſeſſionem eâ conditione, ut triginta vèl quadraginta annis integris in lecto molliter ſtrato ſine ullo dolore eſſet decubiturus , in quo tamen immobilis eſſet ex eâ conditione permanſurus? Heu! Quàm horribile erit æternis incubitu flammis ardoris incomprehenſibilis, inter fœtores *c* execrabiles , ſine quiete, ſine intermiſſione, ſine refrigerio, ſine ſpe, per integram æternitatem! [v Iſai. 3. 24]

Hinc occaſionem arripiunt Theologi proponendæ hujus quæſtionis. Utrùm ſatius foret damnatis nunquam fuiſſe, aut non ampliùs eſſe, vel ſubſiſtere ſine annihilatione medias inter tot viventes mortes. Cui reſpondetur ſolidè æquè ac ſubtiliter , Non ens præcisè ſumptum in ſeipſó, eſſe malum malorum, & conditionem omnium, quæ concipi unquam poſſint , miſerrimam ; & ut ſic nullo modo in genere eſſe appetendum : Sed aliunde conſideretum ut liberans ab eſſe , quod omnigenâ miſeriarum congerie refertum eſt, & veluti privationem tot & tantarum calamitatum, poſſe concupiſci ab iis, qui in ſtatum redacti ſunt ita miſerum. Unde fit ut dictum fuerit in Evangelio de reprobo illo & inſami Collegii Apoſtolici deſertore, *qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Ieſum : & ſuſpenſus crepuit medius : & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus* d: *Bonum erat ei , ſi natus non fuiſſet homo ille* e. Et Job magnâ oppreſſus afflictione , *aperuit os ſuum, & maledixit diei ſuo, & locutus eſt : Pereat dies in quâ natus ſum, & nox, in quâ dictum eſt : Conceptus eſt homo* f. Impii igitur æternis immerſi ſuppliciis, ibi vivunt inviti: Vellent enim finire , ſi in ipſis eſſet, vitam ita infelicem; ſed neminem inveniunt, qui ipſis mortem inferat ; mortem autem, quæ ipſis earum ſenſum eripiat pœnarum ſempiternarum. [d Act. 1. 16. & 18] [e Matth. 26. 24] [f Job 3. 1. & 2]

O mora immortalis! ô mors quantò fores profectò ſuavior , ſi vitam infinitis doloribus impetitam auferres, quàm ſinens ut vivant inter tormenta reprobi, ſed tormenta ita prolixæ, ſeu æternæ durationis! Cain g ille reproborum omnium primus & antelignanus hominum , poſt quinque annorũ millia circùm circà mortis viventis , videtur veluti incepiſſe diem primum dolorum ſuorum, & poſt millies centena millia millionum ſeculorum ſemper pati incipiet. Et licèt dives Epulo ſitiat *h* à duobus annorũ millibus in flammis, quæ ipſum devorant, nec ipſum conſumunt, expectat adhuc, & expectabit in æternum guttam aquæ refrigerantis , quæ ipſi in æternum denegabitur. Cùm Juſtitia ſecularis ob atrocia & enormia crimina hominem aliquem nequam ad exquiſita condemnat ſupplicia, ictus mortis, quo ipſi vita eripitur, ut gratia ac favor reputatur ; quia ſic liberatur ipſe ab ingentibus anguſtiis, quas dolor corpori ipſius imprimebat. Sed quoad Juſtitiam divinam, quæ in inferno exercetur, nullus eſt ab eâ expectandus ictus gratiæ, qui reproborum pœnis finem imponat, ſed ibi languere debent in æternum in morte vivente, quæ nunquam moritura eſt †. Quod ſanè in inferno pejor eſt infernus mortibus infinitis. [g Gen. 4. 16. &c.] [h Luc. 16. 24. & 25] [† Apoc. 9. 6]

Sed propter quæ motive hæ pœnæ futuræ ſunt æternæ ? Ecce in promptu ſunt rationes, quas æternitatis iſtius aſſignant Theologi. Eſtne aliquid, inquiunt illi, conformius Divinæ Juſtitiæ, quàm ut ipſa pœnâ caſtiget æternâ eos , qui ob voluptates , vanitates , & commoda temporanea contempſerunt torrentem *voluptatis* i, gloriæ & diviciarum quæ ſunt *in domo* k Dei? cùm regula ferat æquitatis , pœnam cùm culpâ debere habere proportionem ; *Pro menſurâ peccati , erit & plagarum modus* l. Præterea, ſubdunt illi, Quicunque moritur in peccato lethiſero, renuncians gratiæ , quæ eſt veluti antesignana gloriæ, à morte deprehenditur in ſtatu ita perverſo, tantæque averſionis a Deo , ut credibile ſit, quòd ſi ipſe ſemper vixiſſet, ſemper in ſua malitia permanſiſſet, & in diebus malis fuiſſet inveteratus *m*; ita ut vitam amittens, non propereà amiſerit peccandi intentionem, nec exciderit è pravâ voluntate lædendæ Divinæ Majeſtatis ; quæ mala ipſius voluntas efficit ut moriatur ipſe nequam obſtinatus in reprobatione ſua ; ipſumque dignum reddit æternitate ſuppliciorum incomprehenſibilium. Tandem, Nunquid non videtur rectæ rationi conſonum, ut ille puniatur in magna æternitate Dei , qui nihil aliud unquam egit , quàm illum offendere , & perpetuum illi bellum indicere in parva æternitate vitæ ſuæ ? *Iniqui ideò cum fine deliquerunt , quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſent utique, ſi potuiſſent , vivere , ut potuiſſent ſine fine peccare*, ait ſanctus Gregorius *n*. Unde videtis quàm æquâ ratione reprobi in inferno ſuppliciis crucientur æternis. [i Pſ. 35. 9] [k Pſ. 111. 3] [l Deut. 25. 2] [m Dan. 13. 52] [n S. Greg. l. 4. Dialog. c. 44]

Subjongamus his omnibus. Cùm omne, quod eſt in Deo, ſit ipſemet Deus, quia ipſe eſt totus eſſe, *Ego ſum qui ſum* o, totus eſſentia, ſine eccidentibus; & conſequenter cùm juſtitia ipſius æquiparetur Divinæ Miſericordiæ, Si *calicem aquæ frigidæ in nomine* p & ob amorem ipſius pauperi porrectum æternâ beat felicitate ; quis miretur ipſum punire pœnâ æternâ peccatum , *nihilum* q hoc inſortunatum, ſeu potiùs gigantem hunc ſuperbum , qui opponit privationem ſuam tenebroſam huic Enti Divino ſummè ſplendenti, & luminis origini r? Verùm enim verò ſicut nemo debet ambigere quòd *cælum & terra tranſibunt, verba autem non præteribunt* ſ Divina, ita nullus dubitare valet, quin permanſura ſit æterna hæc ſententia pronuncianda extremis temporibus, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* [o Exod. 3. 14] [p Matth. 10. 42] [q Pſ. 72. 22] [r Pſ. 35. 10] [ſ Matth. 24. 35]

Sed ſi Moyſes horrore pariter & tremore correptus eſt , intuitus projectam è manu Aaronis fratris ſui *virgam ſuam , quæ verſa eſt in colubrum* b; & licèt Deus ipſi præciperet ut eandem cum ſecuritate arriperet, dicens ei : *Et virgam, quæ converſa eſt in draconem, tolles in manu tuâ*, non eſt tamen auſus illud exequi niſi cum tremore: Heu! Auditores, quis ſatis intrepidus intueri poſſit virgam Dei, quæ eſt *virga directionis, virga regni* u ſui, ad illud viã pandens, mutatã in virgam ferreã, quæ *tanquam vas figuli* x reprobos cõtingat: & in virgã *furoris* y quin juſto timore & terrore corripiatur ? Si fragor tonitruurũ, & *clangor buccinæ vehementius* z perſtrepentis in mõte , in quo Deus Moyſi Legem ſuam erat traditurus, tanto timore & tremore populũ concuſſerint Iſraëliticum , ut dixerint Moyſi iidem filii [t Exod. 7. 10. & 15] [u Pſ. 44. 7] [x Pſ. 2. 9] [y Iſai. 10. 5] [z Exod. 19. 16]

Iſraël, poſtquàm eandem Legem à Deo accepiſſent; *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur* [a Exod. 20.19] *nobis Dominus, ne forte moriamur* a: Quis ſuſferre poterit vocem *tonitrui in rota* b, [b Pſ. 76.19] id eſt, Domini perſequentis eos qui transgreſſi mandata divina, objecta efficientur æternæ ipſius vindictæ? *Cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini.* Quærunt latebras Protoplaſti noſtri audientes hanc benignam vocem, [c Gen. 3.8. & 9] *Ubi es* c? Heu! quàm jure merito reprobi declinare voléntes ſi in ipſis eſſet, *à facie iræ* d Dei, [d Pſ. 37.4] & à voce formidanda Judicis hujus ſeveri, *tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, O-* [e Luc. 23. 30] *perite nos* e. Si vox ejuſdem Dei tempore Paſſionis, cùm duceretur *ſicut ovis ad occiſionem* f. [f Iſai. 53.7] & hoc ſolum ipſius verbum, *Ego ſum* g, [g Joan. 18.6] cauſa fuit, propter quā milites armati *abierunt retrorſum:* Quid eveniet, cùm *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſa-* [h Amos 1,2] *lem dabit vocem ſuam* h? *Leo rugiet, quis non timebit* i, [i Amos 3.8] cùm vindictam ſumpturus de inimicis gloriæ ſuæ, hoc reprobis omnibus pronunciabit areſtum diffinitivum condemnationis ipſorum? *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.*

[k 1. Tim. 1.17] Proh Deus immortalis k! Quis ſuſferre poterit, quin timore, tremore, & horrore concutiatur, ſtrepitum formidandum hujus vocis horribilis, ſanguinem in venis more glaciei, conſtringentis? *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Heu! Auditores: Quis proferre poſſit ſine tremore, & quis audire valeat ſine ſtupore verba ſic horribilia? Heu! Domine, *Quò ibunt à Spiritu tuo? & quò à* [l Pſ. 138. 7. &c] *facie tuâ* fugient l? *Si* aſcenderint *in cœlum, tu illic es* ſedens in throno gloriæ tuæ, ubi altiſſimi Seraphini alis concutiuntur præ tremore, & præ reverentiâ ſacrâ capita ſua non audent [m Iſai. 6. 2. & 3] attollere m. *Si* deſcenderint *in infernum, ades* exercens ibi ſeveram juſtitiam tuam. Avolent, ſi velint, ad remotiſſimas uſque Oceani plagas, ubique te deprehendent; *Si* ſumpſerint *pennas* ſuas *diluculo, &* habitaverint *in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet eos: & tenebit eos dextera tua.* Manus tuæ longiſſimæ ſunt, nedum ab iis declinetur; per immenſa diffunduntur ſpatia, cùm ſint im- [n Baruch 3.25] menſæ n. Tu appendis *tribus digitis molem terræ, & in pondere montes, & tolles in ſtaterâ* ponde- [o Iſai. 40 12] ras o: & univerſi in cuâ *manu ſunt fines terræ, &* [p Pſ. 94.4] *altitudines montium ſunt* p tuæ. Uno verbo, tu es ille ſolus, quem nemo mortalium poſſit effugere. *Diſcedite*, Heu! Domine: Quò [q Luc. 15. 13. &c] vis ut prodigi illi proficiſcantur q? Quidquid faciant, non poſſunt diſcedere à te, cùm in [r Act. 17. 28] te omnia vivant, moveantur, & ſint r. *Diſcedite.* Heu! Quale verbum! Sed quò [ſ 2. Reg. 13.37. &c.] confugient hi Abſalones exules ſ in æternum à Curiâ Davidis æterni? *Diſcedite.* Quale fulgur, quod Luciferum *de cœlo ad infernum in* [t Iſai. 14. 12. & 15] *profundum laci* t detrahere valeat! *Diſcedite.* Heu! qualem diſceſſum ſeparantem à [u Joan. 14.6] primâ vitâ u, hoc eſt, à conſortio Dei ipſius, ut vivatur impoſterùm in ſocietate dæmonum! Heu! Auditores: Si res inſenſibiles nullâ potiuntur quiete, quin priùs centris ſuis demùm uniantur, cùm id, quod ipſas inde ſeparat & avertit, eaſdem in gradu violento conſtituat: Heu! quam intolerandus erit ſtatus infelix & infortunatus, qui in æternum animam diſſolvet à vero ſuo Principio, quod eſt Deus x, [x Apoc. 3.8] ſine ullâ unquam ſpe reditus! Re verà rebelles Abſalones in æternum exulabitis à Curiâ, ſicut & ab affectibus hujus Patris cœleſtis, qui nuſquam ampliùs vos agnoſcet ut filios. Prodigi, qui diſſolutionibus veſtris diſſipaſtis *ſubſtantiam* gratiarum hujus Patris cœleſtis, nullus tunc vobis ſupererit pœnitentiæ locus, *Quia* [y Apoc. 10.6] *tempus non erit ampliùs* y. Et in hoc diſceſſu perpetuo à facie ipſius, in æternum permanebitis in hâc regione longinquâ, *umbrâ mortis* z, [z Luc. 1. 79.] opertâ; quia ſeparaſtis vos voluntariè ab Authore vitæ; æternùm projecti à Deo, æter- [a Pſ. 35.10] nùm privabimini *Lumine* a divinæ faciei ipſius, & ſplendore hujus gloriæ, quæ eſt ſors & portio beatorum Jeruſalem cœleſtis incola- [b Pſ. 118. 68] rum. *Diſcedite à me maledicti.* Deus bone b! Quale fulmen cadet ſuper impia reproborum capita æternâ hâc maledictione, quæ complectitur in ſe eminenter omnia mala, quæ in æternum patientur in inferis! O Judex formidande, nunquid non tu idem ipſe es, qui na- [c Luc. 2. 7] tus es c, & mortuus es pro nobis d? Quomo- [d Joan. 19.30] do autem fieri poteſt ut ex eodem ore, quod tantas & tot benedictiones protulit e, prodeant [e Matth. 25. 35] modò maledictiones ita horribiles? ut ex eâdem linguâ, in qua aliàs tanta ſuavitas erat, [f Pſ. 44.3] *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis* f, procedant nunc fel & acetum? ut idem os, cujus *verba Spiri-* [g Joan. 6. 63] *tus & vita* g erant, modò erumpat in pronunciationem ſententiæ condemnationis fratrum ſuorum, fulmina vibret ad conterenda eorum capita, & ad illos æternæ morti tradendos, poſt effuſum Sanguinem tuum, ut morte tua vitam illis præberes i? [i Apoc. 1. 5] Fierine poteſt ut oppoſitiones ita horribiles inveniri valeant in te, qui Suavitas ipſa es, & Miſericordia per eſſentiam, qui te Suavitatis Magiſtrum profiteris, dicens, *Diſcite à me, quia* [k Matth. 11.29] *mitis ſum* k; & quem Eccleſia ut miſericordem ſic extollit laudibus, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere. Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas?*

Heu! Auditores. Quicunque bonitates ipſius non ſataget efficere ſibi proficuas, invitus eſt experturus ſeveritatem rigorum ipſius. Ipſe eſt ignis, ut ait ſacer Textus, *Dominus Deus* [l Deut. 4. 24] *tuus, ignis conſumens eſt* l. Et ut ſic lumina habet gloriæ pro amicis ſuis; ſed etiam flammas præ ſe fert, quibus inimicos ſuos in mortem æternam redigat ſubeundam, nec tamen illos [m Matth. 21.19] conſumat. *Diſcedite* igitur ficus maledictæ m, [n Judæ v. 12] *arbores infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ* n è terra benedictâ, quæ ad nihilum eſtis utiles, niſi fortaſſis ut in ignem projiciamini. *Diſcedite*, indignæ eſtis quæ locum occuperis honorabilem, ac *terram* o [o Luc. 13.7] in paradiſo deliciarum meatum, in quo duntaxat arbores colloco, quæ bonos ferant fructus. *Diſcedite maledicti in ignem.* Heu! Si inter ſupplicia, quæ Juſtitia humana commenta eſt ad punienda reorum ſcelera, nullum invenitur, quod majorem præ ſe ferat rigorem, quàm ſupplicium ignis, propter magnam activitatem & violentiam hujus elementi: qualem putatis futurum ardorem ignis illius, qui erit miniſter & executor Dei *ultio-* [p Pſ. 93.1] *num* p, cujus *accendetur velut ignis zelus* q [q Pſ. 78. 5] adverſùs reprobos, quos ignibus in tartareis ergaſtulis exponet cruciandos?

Per-

Perſuadere conantur nobis Patres contemplativi, hunc ignem materialem, qui noſtris inſervit in tettâ uſibus, eſſe veluti ignem pictum comparatione illius, qui accenſus *flaute Deo, & Spiritu iræ ejus* t, *non extinguetur* ſ *unquam.* [r Job 4.9; ſ Iſa. 66. 24] Heu! Auditores. Quid terribilius? Purificaturus te hodiernâ die, peccator, à tuorum rubigine peccatorum, ut abſolutè & in perpetuum criminibus renuncies tuis, quæ ſunt cauſa funeſta hujus effectus infelicis, nimirum æteroitatis pœnarum; intendo coctuŕam tibi imptimere ſalutarem, & ut ſuſcitem te à profunda cæcitatis tuæ lethargiá, applicare decrevi capiti tuo intimè hanc ſtillam ignis, & cogitatione te veluti manu ducere in has flammas hotribiles, æternitatis ſigillo obſignatas, à te petendo cum Propheta u, [u Iſai. 33. 14] *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Oportet ut te compellam hoc in occurſu, & ut ſine morâ, abſque interpoſita diſtinctione, reſpondeas mihi. Ignis iſte *paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Conſule intra temetipſum, utrùm maledictam cum illis velis inire ſocietatem. Nullum hic datur medium. Oportet aut peccatum deſerere, aut te in prædam dedere huic æternæ pœnæ. A longo jam pronunciatum fuit decretum tempore, quo fertur, Aut pœnitendum, aut urendum, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* x. [x Luc. 13. 3] Impoſſibile eſt declinare ad lævam, vel ad ſiniſtram; *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* y. [y Matth. 24. 35]

Impudice, avare, ambitioſe eligite alterum è duobus, aut extinguere pœnitentiæ *lacrymis* z, [z Luc. 7. 38] ardores pravorum affectuum veſtrorum, impuritatis, avaritiæ, ambitionis, & vindictæ: vel ſaltem determinate vos ad ardendum per totam æternitatem ignibus vos ſine ullo fine devoraturis. Eligite utrum volueritis, aut ardere igne Divini Amoris a [a Luc. 7. 47] in hoc mundo per pœnitentiam, aut vos diſponere ut combuſtioni ignis infernalis in æternum ſubjaceatis in altero. O peccatum! quidnam de te poſſim dicere, niſi ſequelas tuas eſſe longè prolixas, teque trahere poſt te rabidas & horrendas conſequentias? O peccatum, tu animam in ſtatum ita deplorandum redigis, ut odio Deum proſequatur æterno, ipſaque deteſtationis ſempiternæ, Divinæ Majeſtatis objectum efficiatur *! [* Sap. 14. 9] O Majeſtas Dei incomprehenſibilis, quàm infinitè es auguſta, & excelſa b! [b Baruch 3. 25] Cùm ob reparationem pro culpis contra tuum honorem commiſſis tibi ſatagendam, & ad ſatisfactionem pro injuriis atrocibus infinitæ gloriæ tuæ irrogatis, tibi exhibendam, non minùs quàm integram exigas horribiliſſimarum expiationum æternitatem.

Heu! Auditores, Quis perſuadere ſibi poſſit hanc veritatem, quòd unico & ſolo voluptatis & deliciarum momento poſſit aliquis ordiri ſibi ita prodigioſam & ſic horribilem telam infortuniorum & infelicitatum, & excitare ita longam tragœdiam malorum & calamitatum, & pœnas perpeti incomprehenſibiles per plura ſeculorum curricula, quàm ſint aquæ guttæ in vaſto Oceani ſinu ac immenſa extenſione, capilli in ſingulis omnium hominum capitibus, arenæ grana in maris littore, folia in arboribus, & ſtellæ in firmamento: Et poſt hæc denuò ac iterum incipere pœnas eaſdem ſuas conſequentiis & viciſſitudinibus infinitè repetitis. O profunda conſilia! O *judicia* c [c Pſ. 18. 10] impenetrabilia & formidanda Omnipotentis adversùs filios hominum! Ha! Quàm rectè oſtendis in omnibus operibus tuis, Deus maxime d, [d Pſ. 47. 1] te verè Deum eſſe. Ipſa verò æterna ſupplicia, quibus rebelles adorandis voluntatibus tuis afficis, non minùs impreſſa præ ſe ferunt inſignia & veſtigia tuæ magnitudinis infinitæ, quàm gloria æterna, quâ tuos fideles donas ſervos. Si autem mercedes, quæ coronant opera noſtra bona, ſimul & merita ex iiſdem prodeuntia, ſunt incomparabiles ad declarandum tuarum exceſſum miſericordiarum, vindictæ etiam tuæ ſunt indicibiles ad manifeſtandam ineffabilis juſtitiæ tuæ profunditatem.

O *Deus terribilis* †, [† Deut. 7. 21] *Deus zelotes* e, [e Exod. 20. 5] *Deus ultionum* f, [f Pſ. 93. 1] *juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum* g! [g Pſ. 118. 137] Summâ te colo, Deus maxime, judicia tua veneratione; & adhærens *pavimento anima mea* h, [h Pſ. 118. 25] & os meum *proſternens ſe ſuper terram* i, [i Judith 10. 20] confitentur quòd es *fidelis, & abſque ullâ iniquitate, juſtus & rectus* k, [k Deut. 32. 4] & quòd id omne, quod agis, è vero prodeat judicio, quia *omnes viæ tuæ veritas* l. [l Pſ. 118. 151] Quis enim ſum ego, ut *loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis* m, [m Gen. 18. 27] *vermis & non homo* n? [n Pſ. 21. 7] *Juſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum* o. [o Jer. 12. 1] Si verò examines & obſerves omnia peccata noſtra, quis ſufferre poſſit faciem tuam, & tecum intrare *in judicium* p? [p Pſ. 142. 2] *Si iniquitates obſervaveris Domine; Domine, quis ſuſtinebit* *? [* Pſ. 118. 68] Attamen ſicut tu ſummè *bonus es* q, [q Pſ. 126. 3] non renuis ut homines tecum intrent in diſcuſſionem: & cùm ſis ipſa *veritas* r [r Joan. 14. 6] per eſſentiam, non recuſas quin tibi proponant illi ea, quæ ipſi exiſtimant eſſe vera ac juſta: huic innixus ſpei, Domine, adeo *cum fiduciâ ad thronum gratiæ* ſ [ſ Hebr. 4. 16] & miſericordiæ tuæ, poſt conſiderationem pœnarum iſtarum æternarum, quas perpendi modò, perſuadens mihi, futurum ut ſinas ut anima mea in has infirmas erumpat ſupplicationes.

Heu! Domine, hæ animæ, quas procul amandas in flammas quæ nunquam extinguentur, quæque ſuum totum deſument ardorem à *Spiritu iræ* † [† Job 4. 9] tuæ, nunquid non ſunt opus manus tuæ t? [t Gen. 2. 7] Opus autem tuum nonne eſt ipſa miſericordia, ſicut natura tua eſt ipſa bonitas? *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies; cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis* u. [u Habac. 3. 2] Unde fit igitur ut claudas aures tuas clamoribus earum? & cùm ſis *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui in omni tribulatione* x [x 2. Cor. 1. 3] conſolaris, efficiaris infelicibus illis Judex ſeverus, & inexorabilis, ne dicam, crudelis, ut dicere videtur ſervus tuus David, qui erat vir *juxta cor* y [y 1. Reg. 13. 14] tuum? *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine? ſicut juraſti David in veritate tua* z. [z Pſ. 88. 50] Fuiſtine oblitus miſericordiæ tuæ, cujus exercitio vacas ordinario, ut ait Job? *Obliviſcatur ejus miſericordia; dulcedo illius vermes, non ſit in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum* a. [a Job 24. 20] *Nunquid in æternum* b [b Pſ. 76. 8] projeciſti eas Domine? Poteriſne illæ unquam *iram tuam* c [c Pſ. 84. 4] mitigare? Nequaquam, ait Deus: Oportet ut arreſtum mortis illarum irrevocabili mandetur executioni: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed Domine, quandiu immerſæ permanebunt ipſæ his flammis cruciandæ devorantibus? Nunquid futurus

Digitized by Google

eſt aliquis ſuppliciorum earundem finis? nequaquam: *In ignem æternum.*

Heu! Quam incomprehenſibilem infelicitatem! Ex intuitu hujus horribilis æternitatis ſuppliciorum orietur io corde reproborum rabies furioſa, & deſperatio execranda, & ſicut vermis qui pomum rodit, ex eodem fructu naſcitur; ita æterna hæc deſperatio orietur ut vermis rodens eandem æternitatem hanc, unde ſuam deſumpſerit originem eademmet obtinendæ unquam miſericordiæ divinæ deſperatio, in quâ ſita erit calamitatum ipſorum maxima; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni* d.
d Iſa. 66. 24
Quia intuitus hic deſperationis cruciabit intellectum illorum, dum flammæ eorundem carnem comburent: Cùm rationi ſit coonſonum ut ii, qui corde & corpore Deum offenderunt æternum, caſtigentur in corpore & in animâ, & ad ſupplicia damnentur, quæ ſint tandiu duratura, quandiu duraturus eſt Deus, quæque nullum ſint habitura terminum niſi infelicem æternitatem, cujus nunquam intuebuntur ipſi conſummationem. *Diſcedite, fatuæ* e animæ, deficitis oleo gratiæ & charitatis: *Diſcedite: Clauſa eſt janna* vobis nuptiarum æternalium, & deliciarum cœleſtium per infinita ſecula: *Diſcedite: Amen dico vobis, Neſcio vos. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.*
e Matth. 25. 3. &c.
Hæc eſt ſententia horribilis, & ſine appellatiooe, quæ pronunciabitur in aulâ ardenti conſummatioois ſeculorum; à quâ Deum obſecro ut nos præſervet, configens intereà ſuo noſtras *timore carnes*, ut ab ipſius timeamus *judiciis* f, ita ut hunc timorem ſequatur ipſius gratia, & aliquando ipſius gloria ſempiterna.
f Pſ. 118. 120

FERIA III. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic? Populi autem dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ.
Matth. 21. 10. &c.

PRoprium naturæ noſtræ potiùs eſt officium, quàm facultas hominis, ac quærere cognoſcere ſubjectum, cujus ignoratio non poteſt ei eſſe niſi noxia; & ſuam occupare mentem in notitiâ Dei. Ingenuè fateor, dari ignorationem Dei omnino ſanctam, & totam reverentiâ plenam.
a 1. Cor. 13. 12
Non videbat S. Paulus a Deum niſi *per ſpeculum in ænigmate.*
b Exod. 4. 10
Moyſes b agnoſcebat ſe *impeditioris & tardioris linguæ* ad diſſerendum de ſubjecto ſic auguſto.
c Dan. 9. 20
Daniel c ſuas proſternebat preces in conſpectu Dei præ ſplendore tantæ Majeſtatis.
d Apoc. 1. 17
S. verò *Ioannes* d *cùm* vidiſſet *eum*, cecidit *ad pedes ejus tanquam mortuus.* Qui autem præſumeret comprehendere cogitationibus ſuis magnitudioem illius *qui eſt* e, nunquid oon ſe criminoſum crederet ſolo conſilio ſuo? *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria* f.
e Exod. 3. 14
f Prov. 25. 27
Et nunquid non conatus, quo ita ſurſum aſcendere contenderet, volens comprehendere eum qui eſt *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu; cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam; ut unicuique ſecundùm vias ſuas, & ſecundùm fructum adinventionum ejus* g reddat, eum quâcunque indignum gratiâ redderet?
g Jer. 32. 19
Nemo debet accedere ad Deum, *qui ſolus lucem inhabitat inacceſsibilem* h, niſi præ maximâ humilitate, cùm ab ipſo expectari debeant lumina ad penetrandas ipſius magnitudines.
h 1. Tim. 6. 16
Idem peragitur de mente noſtrâ ac de viſu noſtro corporeo, quem nimius ſplendor offundit caligine: ſicut enim oculus fixè intueri Solem non poteſt quin caliget; ita intellectus noſter aſpicere non poteſt Solem Divinitatis ſicut in ſeipſo eſt, abſque confuſione. Verumtamen eſt, quòd ſicut ad benè videndum oportet ut Sol noſtrum viſum illuminet; ita etiam neceſſarium eſt ut Deus lucem ſuam noſtris communicet mentibus in hâc vitâ, niſi cæci vivere velimus: & ſicut vita cæci eſt vita miſera, ſic quicunque viveret inſcius Dei, laberetur in impietatem præ ſuperbiâ; quemadmodum è contrà notitia Dei habita præ humilitate, via eſt ad ſuſcipiendam gratiam, quæ replevit Mariam cùm *Angelus ad eam dixit, Ave Maria,*
i Luc. 1. 28

Manna, quod pluit Deus aliàs populo ſuo in deſerto, tantum præ ſe ferebat ſaporem, ut multi autumarent ſe coturnices comedere. *Aſcendens coturnix cooperuit caſtra* k.
k Exod. 16. 13
Cùm alii illud faſtidientes, ipſum reputarent ut cibum leviſſimum, *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſsimo* l.
l Num. 21. 5
Duplex ſpecificat Evangelium noſtrum hominum genus, qui diverſo deguſtant modo manna iſtud myſticum, quod tanto cumulare dignatur eos honore ut ingrediatur, aut cadat ſuper illorum civitatem: loquor de Jeſu Chriſto *cùm intraſſet Ieroſolymam.* Alii ut populi cum pueris, qui omnes ſimul repræſentant nobis veros fideles, inveniunt iſtud manna ſapidiſſimum, *Populi autem dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta. Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt?* Hujuſmodi invidi, qui ſunt ſymbolum malorum Chriſtianorum, habentes guſtum depravatum, manna iſtud inſipidum deprehendentes, *dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt* pueri? Quaſi dicerent, *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſsimo.*

Cùm intraſſet Arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit Regem David ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino: & deſpexit eum in corde ſuo m.
m 2. Reg. 6. 16
Licèt David ſaltaret præ reverentiâ coram Arcâ, hoc tamen non impedivit quin Michol uxor ſua deridendi ipſius anſam inde arripuerit: Jeſus Chriſtus qui eſt vera Fœderis Arca, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* n: uniens cœlum cum terrâ, Dominum cum humilitate in perſonâ ſuâ divinâ, cùm *Verbum caro factum eſt* o: Habens tabulas Legis, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* p: & virgam, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ* q: & manna quod deſcendit de cœlo, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* r; *cùm intraſſet Ieroſolymam*, videt quòd *populi dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta: Et pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David*, quandiu
n Coloſſ. 1. 20
o Joan. 1. 14
p Coloſſ. 2. 3
q Matth. 28. 18
r Coloſſ. 2. 9

Prin-

Digitized by Google

Principes Sacerdotum & Scribæ, ut altera *Michol, eum in corde ſuo* deſpiciunt, & derident illum, *Et dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt*? Aut, *Quis eſt hic*?

Res inuſitata, quòd *Principes Sacerdotum & Scribæ*, qui erant Theologi illius temporis, & Doctores Legis, effecti fuerint imperiti, & veluti diſcipuli, petant, *Quis eſt hic? Audis quid iſti dicunt*? Et quòd *populi* & pueri evaſerint Theologi, qui doceant magiſtros ſuos, *Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ. Hoſanna Filio David.* Vultisne ſcire iſtius rationem? Ecce ipſa in

ſ Matt. 11. 25. promptu eſt exarata in Evangelio ſ, *Quia* Deus abſcondit ſua myſteria *hæc à ſapientibus & prudentibus, & ea parvulis* revelat & ſimplicibus repræſentatis per hos populos, & per hos *pueros*,

t S. Chryſ. Hom. 68. in c. 21. v. 16. Matth ex Pſ. 8. 3. qui, ſecundùm S. Chryſoſtomum *t*, verificaverunt iſtud effatum Prophetæ Davidis, adhuc uberibus matrum ſuarum adhærentes, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Quàm rectiſſime, ex ore, dictum eſt: non enim ex mente illorum illa verba procedebant, ſed virtute ipſius, tenera illorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur.*

Diviſio. Quod inducit me ad tractandum vobis Primò de notitia Dei, quæ aperitur aliis ob ſuam ſimplicitatem; & abſconditur aliis propter ſuam ſuperbiam & invidiam. Secundò, Reddemus Deo honorem, quem meretur hæc ipſius cognitio.

I. Pars. u Malach. 4. 2. Deus eſt *Sol juſtitiæ* a, qui naſcens è terra, illuminat valles animarum humiliatarum illuſtrationibus ſuis, ſuum aperit ſplendorem populo, & pueris; quandiu montes ſuperborum & invidorum Phariſæorum denſiſſimis remanent ignorantiæ tenebris obvoluti, & pravis affectibus ſuis indignationis & iræ excæcati, *Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, indignati ſunt.* Deplorandum eſt æquè ac mirandum, quòd inter demonſtrationes veritatis ita manifeſtas ſcientiâ deſtituti ſint Doctores iſti. Intuentur, quod *cùm intraſſet Ieroſolymam* is qui majorem præ ſe ferebat apparentiam mendici, quam ſpeciem Principis, *commota eſt univerſa civitas.* Audiunt quomodo *populi dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ. Et pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David*: & illius Divinitatem agnoſcentes. Mirabiles aſpiciunt effectus omnipotentiæ ejus, dum *intravit in templum Dei; & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*, præ imperio ſupremo. Imò verò quòd dum *acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, ſanavit eos.* Nunquid hæc non ſunt argumenta Divinitatis ejus manifeſta? Hæc tamen *videntes mirabilia, indignati ſunt*, & eum agnoſcere noluerunt. Hæc eſt tota iſtius cauſa, repleti erant ſuperbiâ, in-

x Eccl. 24. 40. vidiâ, & irâ, *Indignati ſunt.* Fluvius Sapientiæ *x* æternæ inundans per tot canales, quot Jeſus operabatur miracula ut ſe agnoſcendum exhiberet, inveniens animas eorum pravis affectibus cumulatas, intimas illorum non pervadit mentes, ut illas ſuis gratiis cumulet, ſed pertranſit primo illarum intuitu: duo corpora eundem non poſſunt occupare locum, & duo contraria in eodem nunquam reſident ſubjecto. Scientia Dei invenit obſtinationem ignorantiæ voluntariæ; Sapientia reperit malitiam reſidentem in animis eorum, *Ipſi fuerent rebelles lumini, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* y.

y Job 24. 13. Cogitur ipſa cedere inimicæ ſuæ, nec ingredi poteſt locum, qui jam occupatus eſt à contraria ſibi, *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* z. Super quod Cornelius *a* ait ad propoſitum noſtrum, *Pro, In malevolam, nervoſiùs Complut. & Pagnin. legunt, malevolam: Græcè enim eſt κακότεχνον, id eſt, mala fabricantem, mala machinantem, dolos & fraudes verſantem, quæ res bonas & ſinceras adulterat, vitiat, & corrumpit. Vnde legit Vatabl. & Guarin. contradicentem, & invidam.*

z Sap. 1. 4. a Corn. in Sap. 1. 4.

Sed populus & pueri immunes à paſſionibus, in humilitate & ſimplicitate ſua, diſpoſitos ſe inveniunt ad ſuſcipiendam gratiam Divinam, & eodem tempore per præſentiam Dei, perfectâ cumulantur illius cognitione, *Populi autem dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ.* Et, *Hoſanna Filio David*, pueri clamabant. Spiritum Divinum, qui illos iſtas eximias docet veritates, hunc Spiritum ſcientiæ & ſapientiæ introductum in ſimplices vacuos malitiâ, invidiâ, & vanitate, intelligere debemus loquentem ore populi iſtius, & horum puerorum, ut organo Divinitatis, *Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ: Hoſanna Filio David.* Hæc ſunt verba, quæ Spiritus Dei animat in lingua populi, & puerorum, quæ ſolus Divinus Spiritus formare poterat, cùm ipſe ſolus concipere poſſit veritates ſub his paucis verbis contentas, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei* b. Hic Spiritus communicatur ſimplicibus repræſentatis per hunc populum: ſicut enim proprium eſt populo credere ſimpliciter, nec perſcrutari quod ipſi dicitur; ſic quantùm ad id quod noſtra intuetur myſteria, tota ratio, quam ad illa afferre debemus, non debet eſſe alia niſi omnipotentia illius, qui ea inſtituit. Credenda ſunt opera Dei, & non examinanda, quoniam *qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria* c. Debemus hoc in occurſu imitari Democritum: ſi enim, ut ait Calepinus d, *Democritus teſte Cicerone lib. 5. Tuſc. ſe excæcavit, ut naturæ ſecreta ſubtilius rimaretur*: debemus nos, non eruere nobis oculos, ſed eos claudere ad contemplanda myſteria noſtra. Natura geminos providit nobis oculos in facie; ſic duos pariter tribuit nobis Deus oculos quantùm ad animam. Oculum rationis naturalis, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* e. Et oculum rationis ſupernaturalis, nempe fidem, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* f. Sed præ hac differentia, quòd cùm unus oculus corporis aperitur, alter pariter ex ſemetipſo pateſit; cùm econtrà quando oculus noſtræ rationis aperitur, oculus fidei noſtræ claudatur; & vice verſâ quando oculus fidei aperitur, oculus rationis claudatur. Adam ante lapſum ſuum habebat oculum ſuæ rationis ſupernaturalis apertum, contemplabatur Deum; & oculum rationis naturalis clauſum, nullam experiens miſeriam: ſed cùm diabolus clauſiſſet illi hunc primum oculum rationis ſupernaturalis, inducens illum ad peccatum, ſtatim ſecundus oculus rationis naturalis fuit illi apertus, ſicut & uxori ejus, *Et aperti ſunt oculi amborum* g. Econtrà volens Deus aperire oculos ſupernaturales Saulo, clauſit ei oculos corporeos, *Apertiſque oculis nihil videbat* h. Oculus noſtræ rationis naturalis eſt veluti oculus lævus, & oculus rationis ſupernaturalis eſt ſicut dexter: & ſicut cum *dixerent om-*

b 1. Cor. 2. 10. & 11.

c Prov. 25. 27.

d Calepin. in Dictionar. v. Democritus.

e Pſ. 4. 7.

f Hebr. 11. 1.

g Gen. 3. 7 &c.

h Act. 9. 8.

nes viri Iabes ad Naas, Hebeto nos ſæderatos, & ſerviemus tibi: reſpondit ad eos Naas Ammonites, In hoc feriam vobucum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dextros, ponamque vos opprobrium in univerſo Iſrael i: ita diabolus nihil magis inquirit quàm ut eruat nobis hunc oculum dextrum, ut impediat ne ingrediamur in notitiam Dei, & myſteriorum noſtrorum, quam tribuit nobis Deus per fidem. Ideò jure merito vocat S. Paulus k fidem ſcutum, *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* Sicut enim ſcutum lævâ tenemus manu; ſic iſto modo tenemus oculum ſiniſtrum clauſum, & dextrum apertum; ita fides aperit nobis oculum dextrum, & claudit nobis lævum, *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum,* ait S. Gregorius l.

i 1. Reg. 11. 1. & 2.
k Epheſ. 6. 16.
l S. Greg. Hom. 26. in Evang.

Iſti duo oculi figurantur nobis per hoc quod *fecit Deus luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti* m. Quod luminare minus repræſentat lumen ſupernaturale fidei, quæ eſt rerum quæ non videntur, *Eſt autem fides rerum argumentum non apparentium* n. Quo utimur per noctem hujus vitæ tenebroſæ, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* o. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus p, *Videmus oculo intellectuali, id eſt, Deum cognoſcimus nunc, id eſt, in præſenti exilio per ſpeculum, id eſt, per obſcuras imagines, ſcilicet creatas eſſentias, quæ Dei naturam imperfectè, imò obſcuriſſimè repræſentant. Non enim oſtendunt quid Deus ſit, ſed quid non ſit. Nec oſtendunt de Deo quid eſt, ſed quia eſt* †. *Sic ergo videmus per ſpeculum in ænigmate, id eſt, in umbroſa ſimilitudine, utpote in formis intelligibilibus, & Scripturarum figuris ac tropis, in quibus modicum quid Divinæ lucis reſplendet. Omnis namque creata eſſentia, omnisque ſpecies intelligibilis intellectum in hac vita perficiens, in infinitum occumbit & deficit à perfectione Divinæ Naturæ. Idcircò eam repræſentare non poteſt, niſi obſcurè & circunvelatè.* Sicut autem Democritus cœcitate ſe perculit (ut attentiùs rerum naturalium contemplationi ſe applicaret) per reflexionem radiorum ſolarium ſuſceptorum in ſpeculum, quod ipſe intuebatur; cùm lumen iſtud ſupernaturale ſit ſpeculum, *Videmus nunc per ſpeculum*, ſi exponamus hoc *luminare minus* fidei, radiis Solis rationis naturalis, quæ eſt *luminare majus*, & velimus omnia clarè videre, hæc reflexio nobis eruet oculos, ſicut & malis Chriſtianis, & Hæreticis, quos repræſentant *Principes Sacerdotum, & Scribæ* Evangelii noſtri: ſed veri fideles, quos repræſentant hi *populi*, qui *dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ*: quique figurantur etiam per iſtos *pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David*, ſuſcipiunt doctrinam Eccleſiæ & notitiam Dei oculis clauſis, nedum perſcrutentur aut ſcire velint illius rationes, more verorum infantium, de quibus dicitur, *Sicut modò geniti infantes, lac concupiſcite* q. Non ait S. Petrus, vinum, ſed, *lac*. Sicut enim eorum differentia conſiſtit in hoc, quòd vinum antequàm bibatur, debet eſſe coloratum, ſapidum, & gratum, cùm in lacte nihil inquiratur ſimile, & infantes confidant bonitati matris, quæ ipſis illud præbet; ſic veri filii Eccleſiæ, fideles ſuſcipiunt myſteria, doctrinam Eccleſiæ, & notitiam Dei *ſicut modò geniti infantes*, ſugentes iſtud lac clauſis oculis, non inquirentes, quare? Dicunt, *Benedictus qui venit in nomine Domini* r. Id eſt, agnoſcunt Jeſum Chriſtum, verum Deum, Regem, & Meſſiam, ut agnoſcitur per hos *pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David*, ut dignus qui invocetur ut Mediator inter Deum & homines; quod patet ex illorum cantibus: quandiu *videntes Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, indignati ſunt, & dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt?* Ubi obſervabitis invidiam eſſe magnum malum, cùm aliis vitiis non habentibus niſi unam virtutem oppoſitam, iſtud omnibus ſit contrarium virtutibus. Umbra ſequitur illum qui incedit ante Solem, & umbra invidiæ inſequitur eum qui illuminatur à Sole virtutis & proſperitatis. Abel diligebatur à Deo, omnia ſuccedebant ei ad deſiderium, nam cùm *munera Domino Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Sed invidiâ percitus *conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum* ſ. Jacob amabatur à patre ſuo Iſaac, ab eo idcircò benedictionibus cumulatus: at frater ejus Eſau, livore tabeſcens, eum nonniſi torvis intuebatur oculis. *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum* t. *Videntes fratres Ioſeph, quòd à patre plùs cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui* u. Moyſen filia *Pharaonis adoptavit in locum filii* x. Sed Cornelius y ait, invidos *purpuratos ſenſim eum ſuſpectum habere cœpiſſe, ac tandem ad Regem, tanquam ab eo diſſidentem, reſque novas molientem, detuliſſe, ejusque aures calumniis impleſſe.* Poſtquam *prævaluit David adverſum Philiſthæum in ſunda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit* z; *& percuſſit ex Philiſtiim ducentos viros, & attulit eorum præputia: & vidit Saul, & intellexit quòd Dominus eſſet cum David, factus eſt Saul inimicus David cunctis diebus* a. Imò verò JESUS Chriſtus à pueritia ſua erat incognitus, *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis* b. Sed illuminatus à Sole tot miraculorum, & incipiens operari, & ſe manifeſtare, audit Phariſæos dicentes ſibi præ invidia, *Audis quid iſti dicunt?* Hæc invidia ſimilis eſt tigridibus: animalia enim ferociſſima muſicâ delectantur, & cervi ſiſtunt gradum ad ſonitum citharæ: ſolus invidus irritatur magis ac magis harmoniâ virtutum aliorum, nedum in ea ſibi complaceat. *Cùm reverteretur percuſſo Philiſthæo David, & ferret caput ejus in Ieruſalem, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael, cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes, Percuſſit Saul mille, & David decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte. Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David à die illa, & deinceps* c. Idemque David gratias agens Deo, eò quòd ipſum eripuiſſet ex invidia Saulis, cùm ipſum inſequebatur per deſertum, & ipſe latebat in caverna Odolla, in Pſalmo cujus titulus eſt, *In finem, ne diſperdas, David in tituli inſcriptione, cùm fugeret à facie Saul, in ſpeluncam* d, ait, *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi* e. Paraphraſtes vertit ex Hebræo apud Lorinum f, *Orabo coram Deo altiſſimo & forti, qui accerſivit araneam, ut perficeret in ore ſpeluncæ telam propter me.* Cui ſubdit idem Lorinus, *Videlicet ne deprehenderetur à Saule, qui in eadem erat ſpelunca.* Licèt autem Lorinus iſtud exiſtimet commentum, ſeu fabulam; hoc tamen non impedit quin aranea, aut tela ejus ſit ſymbolum invidiæ. Aranea ſuas omnes exhaurit

m Gen. 1. 16.
n Hebr. 11. 1.
o 1. Cor. 13. 12.
p Dion. Carth. art. 13. in 1. Cor. 13. 12.
† ex Hebr. 11. 6.
q 1. Petr. 2. 2.
r Matt. 21. 9.
ſ Gen. 4. 3. &c.
t Gen. 27. 41 &c.
u Gen. 37. 4.
x Exod. 2. 10.
y Corn. in Exod. 2. 11.
z 1. Reg. 17. 50.
a 1. Reg. 18. 27 &c.
b Luc. 2. 51.
c 1. Reg. 18. 6. &c.
d ex 1. Regum 22. 1. &c. & ex 1. Reg. 24. 2.
e Pſ. 56. 3.
f Lorin. in Pſ. 56. 3.

Digitized by Google

rit vires, ut ſuam telam texat: ita nihil eſt quòd æquè affligat homines ac iſtud vitium, unde dixit Poeta,

Invidiâ Siculi non invenêre Tyranni
Tormentum majus.

Homines triplicis generis, contrarii ſunt Jeſu Chriſto, Gentiles, Judæi, & mali Chriſtiani. Illi æquè ac illi nolentes eum agnoſcere verum Deum, dicunt, *Quis eſt hic?* Ercientur invidiâ, & livore tabeſcunt, eò quòd veri fideles illum reverentur, *Audis quid iſti dicunt?* Sed Jeſus Chriſtus illos ſic arguit, *Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt* g. Judæi & Gentiles audierunt vocem lapidum, qui prædicabant eum verum Deum in morte ipſius, *Et petræ ſciſſæ ſunt* h. Seu potiùs, Judæis nolentibus eum agnoſcere, & tacentibus in illa morte, *Lapides*, id eſt, Gentiles clamaverunt, cùm *Centurio, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte* i, Vel, *Lapides*, Hoc eſt, omnes creaturæ, imò verò inanimatæ, ut cœli, & Sol agnoſcunt illum verum Deum, *Cæli enarrant gloriam Dei* k. *Et obſcuratus eſt Sol* l in morte ejus. Præterea, Phariſæis *Ieſus dixit, utique nunquam legiſtis, Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Quaſi diceret, quòd ſolus Divinus Spiritus ſuus poſſet ipſis dare notitiam abſconditam ſub cortice Scripturæ, quam legebant.

[g Luc. 19. 40.] [h Matt. 27. 51.] [i Matt. 27. 54.] [k Pſ. 18. 2.] [l Luc. 23. 45.]

Probat S. Thomas m, Deum ſolum nominare poſſe ſemetipſum, quia ſolus Deus ſuam concipere poteſt excellentiam, *Ut dicit Gregorius. Ipſe ſolus ſeipſum comprehendit, & ideò ipſe ſolus ſeipſum perfectè nominavit, ut ita dicam, Verbum coæquale ſibi generando* n. Hanc veritatem ſequitur tota Schola, & probant Philoſophorum principia. *Verba ſunt ſigna conceptuum*, aiunt Philoſophi. Non poſſumus his ſignis exprimere verbalibus id, quod concipere non poſſumus: ut concipiamus Deum nobis eſt impoſſibile, cùm nullam habeat ſpeciem quæ nobis declaret ipſius excellentiam: ideò impoſſibile eſt imponere aliquod nomen huic Enti ſupereminenti, quod noſtrarum excedit captum mentium; & dato quòd hoc nomen imponeretur ab ipſo Deo, non poſſemus illud pronunciare; & dato quòd pronunciaretur, non poſſemus illud comprehendere: oportet ut Spiritus, qui ſolus nomen poteſt imponere, illud nobis animet ad illud pronunciandum; & cùm iſtud animaverit verbum, noſtras animare debet mentes, ut illius intelligentiam ipſis pro poſſe ipſarum inſpiret. Auditis populum, qui agnoſcens Deum ſuum, vocat eum nomine ſuo, *Hic eſt Ieſus.* Sinite ut mutem verbum iſtud; Non loquitur populus, ſed Spiritus ſanctus, qui ait, *Hic eſt Ieſus.* Hic, inquam, Spiritus, *in quo clamamus, Abba, Pater* o. Qui tribus iſtis verbis in ſummam potuit redigere omnes perfectiones Divinitatis, nedum omitteret prærogativas naturæ noſtræ unitæ hypoſtaticè huic Verbo æterno. *Hic eſt Ieſus.* Cùm audiris Salvatorem, perſonam concipere debetis Divinam, cùm ſolus homo pro noſtris ſatisfacere non poſſet defectibus, pura creatura liberare nequiret nos ab inferno, & ſolutio debiti infiniti adimpleri non valeret niſi à perſona meriti infiniti, *Non eſt abſque me Salvator* p. *Et brachium eorum non ſalvabit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui; quoniam complacuiſti in eis. Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob* q. Salvator igitur debebat eſſe Deus; nec unquam Scriptura loquitur de ſalute, quin qualificet Salvatorem nomine Divinitatis. Sed iſtud nomen Jeſu non ſolum dicit Divinitatem, ſed etiam Humanitatem, quæ concurrere debet ad hanc redemptionem ut cauſa meritoria. Deus ſolus per miſericordem redimere nos poterat indulgentiam, ſed ſatisfacere pro peccatis noſtris per viam juſtitiæ rigoroſæ non poterat; perſona offenſa ſatisfactionem exigebat, eam non poterat reddere, mereri non valebat ad ſolvendum pretium juridicum redemptionis noſtræ alteri creditori; oportebat ut natura noſtra debito alligata, ſolutionem impenderet, & ut natura Divina depreſſionem illius elevaret, quò redderet illam capacem quæ infinitè mereretur ſecundùm noſtrarum debitum culparum. Salvator igitur debebat eſſe homo Deus, & actiones ejus debebant eſſe Divinæ & humanæ. Cùm intuendam ſuam exhibere voluit Divinitatem, ut in Evangelio noſtro, actiones ipſius fuerunt prodigioſæ & divinæ; cùm præ ſe tulit noſtræ ſpecimen mortalitatis, *vidimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem* r.

[m S. Th. in 3 Sent. diſt. 22. a. 1] [n ex Pſ. 2. 7] [o Rom. 8. 15.] [p Iſai. 43. 11.] [q Pſ. 43. 4. & 5.] [r Iſai. 53. 2 & 3.]

Mente recogitemus ſedulò magnitudines, quas noſtrum nobis annunciat Evangelium, *Hic eſt Ieſus Propheta.* Omnia nomina, quæ Deus appropriat ſibi ad exhibendam ſuiipſius cognitionem, in his myſterioſè continentur terminis. Solemniſſimum in Scripturis eſt nomen *Iehova*, quo ſignificatur, independens, explicatum ore Dei Moyſi, *Dominus Deus patrum noſtrorum* ſ. Super quod Cornelius t, ait, *Pro, Dominus, Hebraicè eſt nomen Tetragammaton Iehova. Pro, Deus, Hebraicè eſt Eloim. Prius nomen eſt naturæ. Poſterius gratiæ, curæ, & providentiæ. Quaſi diceret, Ego Deus, qui ita ſum ipſum eſſe, quod eſt Iehova, ut nolim hominibus deeſſe, ſed velim iis adeſſe, præeſſe, & prodeſſe. Ita S. Auguſt. tract. de hoc nomine Dei. Ego ſum qui ſum* u. *Hinc probabiliter colligit Eugubin. Cajet. Bellarm. & Alii, nomen Tetragammaton eſſe idem cum eo, Ego ſum qui ſum*, propter rationes quas ibi allegat Cornelius. Hoc eſt nomen, quod Antiquitas agnovit ut ineffabile. Ita ſolemniſſimus omnium titulorum, quibus iſti *populi* honorant JESUM Chriſtum, eſt eum appellare, Eſſe, *Hic eſt.* Deſideratisne diſcere eum qui deſcendit *ut de manibus Ægyptiorum* x, populum ſuum liberaret? *Hic eſt Ieſus.* Tandem, *Hic eſt*, à quo pendet noſtra ſalus, *Et non eſt in alio aliquo ſalus* y. Nomen magis ordinarium hujus Eſſe Divini eſt nomen Dei, quod refertur potiùs ad effectus, quàm ad naturam hujus primi Principii, ut dixi ex Cornelio. Hoc eſt etiam quod agit nomen Jeſu, noſtræ deſignans effectus ſalutis, *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* z.

[ſ Exod. 3. 15.] [t Corn. in Exod. 3. 15] [u Exod. 3. 14.] [x Exod. 3. 8.] [y Act. 4. 12] [z Act. 4. 12.]

Nomen iſtud Dei Θεὸς, ſecundùm aliquos, ſignificat curſum, quia Deus aliquo modo currere debet & ſalire ad ſubveniendum omnibus, *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus* a. Multos Jeſus peregit curſus ad ſublevandas miſerias noſtras, *Ecce, iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles* b. Nomen hoc, juxta alios, deſcendit à Θεῶ, quod ſonat, mederi, quaſi mundi ipſe Medicus eſſet per providentiam ſuam: & ipſe eſt Jeſus Chriſtus animarum noſtrarum Medicus, *Ægrotare jam cœpimus laboramus in lecto infirmitatis ſumus: ſed non deſperemus. Quia enim ad Medicum venire non poteramus, ipſe ad nos*

[a Pſ. 18. 7.] [b Cant. 2. 8]

Digitized by Google

nos venire dignatus eſt c. [c S. Aug. ferm. 18. de Verb. Dom. c. 7.] Nomen iſtud Dei, naſci poteſt à θεᾶσθαι, quod idem eſt ac contemplari, ad denotandam notitiam Divinitatis. Ut autem intelligatis, quòd Jeſus eſt totus perſpicax, additur, *Propheta*. Quod notitiam ſecum invehit. Nomen hoc Dei poteſt etiam oriri ab αἴθω, quo ſignificatur ignitus, *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt* d. [d Deut. 4. 24.] Jeſus autem eſt *ignis* ob zelum quem præ ſe fert in Evangelio noſtro. Si aliàs Deus ſe nominavit Admirabilem, ut ipſe dicebat Jacob ſub ſpecie Angeli, *Cur quæris nomen meum* e? [e Gen. 32. 29.] Super quod dicit Cornelius f juxta Biblia Plantiniana in margine. [f Corn. in Gen. 32. 29.] *Addunt aliqui (quod eſt mirabile) Unde Alcaſarius Apoc. 1. r. 1. putat Angeli hujus nomen fuiſſe mirabilis; tum ut hoc nomine innueret in hac lucta admirabile Dei conſilium, circa Eccleſiæ perſecutiones & victorias figurari: tum ut typus eſſet Chriſti, qui vocatur Admirabilis* g: [g ex Iſai. 9. 6.] Hodie ſe agnoſcendum exhibet admirabilem; majora in Evangelio noſtro operatur *mirabilia*, quàm unquam fecerit. Admirabilem ſe reddebat, ſuam explicans virtutem ſuper aliquod ſimplex ſubjectum; ſed hodiernâ die ſuper totam agit civitatem, *Commota eſt univerſa civitas. Et intravit Ieſus in templum Dei*, poſt commotam miraculosè totam civitatem, ut continuaret in templo majora operari *mirabilia*. Ipſe eſt *Deus, Fortis* h [h Iſai. 9. 6.] aliàs vocatus. Videre fortitudinem ejus, *Et ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Vocabatur *Dominus* i. [i Exod. 3. 15.] Et ſummũ ipſe exercet hodie dominium. Dicebatur *Elohim, id eſt, Iudex* k. [k ex Exod. 3. 15.] Et condemnat, inſtructus hac qualitate Judicis, iſtos mercatores, quos excipit ut latrones, qui merentur exilium, *Et dicit eis, Scriptũ eſt. Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illã, ſpeluncã latronum* †. [† Matth. 21. 13. ex Deut. 14. 25.] Ipſe, eſt Deus zeli, *Zelotes nomen ejus* l. [l Exod. 34 14.] Suum exhibet intuendum zelum, purificando templum. Ipſe, eſt *Deus ultionum* m. [m Pſ. 93. 1.] Quod ipſe probat, corrigendo fœneratores, & ſimoniacos. Tandem *Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ. Sanctus Sanctorum*, annunciatus à Daniele n. [n Dan. 9. 24.] *Hic eſt Ieſus, Propheta* promiſſus in Lege Moyſi, *Prophetã de gente tua ſuſcitabit tibi Dominus* o. [o Deut. 28 15.] *Hic eſt Ieſus*, quem expectabamus à promiſſione facta à Deo Patri noſtro Abrahæ, *Iusjurandũ, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrũ, daturũ ſe nobis* p. [p Luc. 1. 73 ex Gen. 22. 16.] *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti* q. [q 2. Cor. 1 3.] *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcõdiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis* r. [r Matt. 11 25.] Sine ut voces noſtras uniamus vocibus illorum, & ut ingrediamur cum illis *templũ*, æquè ac cum Filio tuo, ut ibi tuam revereamur Majeſtatem, quam tuis agnovimus illuſtrationibus.

II. Pars.

Hæc eſt ſecunda pars diſcurſus iſtius, ſecundùm ordinem Evangelii noſtri: hic eſt fructus, quem educere debemus è notitia Dei, ac exhibere ei honorem tantæ magnitudini conſonum. Antiqui Philoſophi illum cognoverunt, ſed illum nõ honoravêre, propterea hæc cognitio fuit ipſorum obcæcatio. *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorũ. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* ſ. [ſ Rom. 1. 21. & 22.] Populus Evangelii noſtri cognovit eum in introitu ipſius, *Populi autem dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilææ.* Idem populus ſequitur eum *in templum*, ut ibi reddat ei *ſacrificium laudis* t [t Pſ. 49. 23] conſonæ meritis ipſius, conformiter ad *pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David*. Poſtquam ſe agnoſcendum exhibuit, *intravit Ieſus in templum Dei*. Ut oſtenderet nobis, quòd cognitio Dei benè ordinata, non eſt niſi propter cultum religionis, quem cõſecrare debemus Divinitati ejus: & ſicut ſeſe Deum agnoſcendum exhibet per *mirabilia, quæ faciebat*: ſic ubi *intravit in templum*, vocat illud domum ſuam, *Domus mea, domus orationis vocabitur* u. [u Matt. 21 13. ex Deut. 14. 25.] Ut diſcamus, quod debemus ipſi æquè citò cultum ac notitiam.

Non eſt nobis terendum tempus in probando, quòd iſte homo Deus, *hic Ieſus Propheta*, in quo natura noſtra eſt unita Verbo perſonaliter, quia *Verbum caro factum eſt* x, [x Joan. 1. 14.] mereatur adorationem Divinitati debitam, quoniam perſona eſt divina, & perſona cultum terminat religioſum, & non natura. Deus iſtud verbis præcipit expreſſis; *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem* y. [y Jo. 5. 23.] Oporteret diſſiteri Divinitatem ejus ad contradicendum huic veritati: nimis quippe eſt manifeſtum, adorationem reſpondere excellentiæ perſonæ, *Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ* z. [z Pſ. 47. 11] Ipſi Ethnici confeſtim ac aliquam confeſſi ſunt Divinitatem, eam illico ventilarunt adorandam; nec ulla eſt natio ſic barbara, quæ cultu exteriori alicujus ſacrificii teſtata non fuerit agnitionem Dei, quem ſupremâ proſequebatur adoratione. Accommodanda eſt igitur reverentia cognitioni; oportet ut nosipſos conſideremus ut templum, in quo ſpirituales offeramus victimas huic Divinitati agnitæ ſuper altare cordium noſtrorum. Non ſufficit ut templa habeamus materialia, quò generales fidelium omnium coacervemus congregationes, ſed requiritur prætereà ut exhibeamus noſmetipſos templa ſpiritualia propter internas recollectiones, ut ibi adoremus Deum, quem ſcimus eſſe purum Spiritum, cultu ſpiritus, & veritatis, *Spiritus eſt Deus; & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare* a. [a Joan. 4 24.] Templum iſtud non eſt aliud niſi humanitas noſtra: cor noſtrum eſt *Sanctuarium*, locus deſtinatus propter Arcam Fœderis; locus, qui debet eſſe *propitiatorium* b, [b Exod. 26 33. & 34.] & receptaculum Divinitatis. Deus perſæpè nobis præcipit ut exhibeamus ipſi domum iſtam, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* c. [c Prov. 23. 26.] Ut ingrediamur hoc oratorium clauſis foribus, ſeu feneſtris ſenſuum, *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum* d. [d Matth. 6 6.] Ut purificemus templum iſtud, *Purificate corda veſtra* e. [e Jacob. 4. 8.] Ut ex eo faciamus domum ſupplicationis, *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Id eſt, ut ibi occupemus cogitationes noſtras, & affectus noſtros reſidentes in corde, ad agnoſcendam & colendam Divinitatem ſuam.

Noſtri quidem muneris eſt ut conſecremus cor noſtrum Deo, cùm totum corpus noſtrum, & totum id quod ſumus, ſit opus manuum ejus, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ; & factus eſt homo in animam viventem* f. [f Gen. 2. 7.] Seu, ut apud Cornelium g [g Corn. in Gen. 2. 7.] *Chaldæus paraphraſticè vertit, Et factus eſt homo in animam loquentem.* Id eſt, laudes Dei. Juſtum eſt ut Dominus iſte ingrediatur cor noſtrum, ut dominium ſumat templi ſui, & ut illud ei voluntariâ conſecremus oblatione. Non latet nos Divinum Spiritum ejus habitare in cordibus noſtris ut in templo ſuo, *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus S.* h? [h 1. Cor. 6 19.] Et in hoc ſumus conſcii criminis, cùm templum cordium noſtrorum profanemus, more mercato-

rum

rum & *numulariorum* ſacrilegorum Evangelii noſtri, quos Dei Filius corripit profanationis ipſorum reſpectu domus ſuæ, quæ profanatio procedebat è duobus capitibus, primo è ſumma Majeſtate Dei quam offendebant & contemnebant; ſecundo è ſanctitate templi, quod profanum efficiebant, *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

Retineret nos deberet conſideratio Majeſtatis Dei, quam offendimus, & quam contemnimus, quem contemptum David ſic aggravabat, *Tibi ſoli peccavi* i. Et, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me* k. Quod intelligi poteſt de impœnitentia finali, quæ ſemper erit nobiſcum. Aut de proditione, quam Princeps iſte machinatus eſt contra fidelem vaſſallum ſuum Uriam, quem internecione delendum ſategit *l*, repræſentatâ per vitium calcanei, *Levabit contra me calcaneum ſuum* m. Vel de adulterio, quod perpetravit cum Bethſabee *n* uxore ejuſdem Uriæ, in cujus honorem inſurrexerat, violando thorum illius, antequàm ei vitam eripiendam juberet; provocando Bethſabee per iniquitatem calcanei ad committendum tantum ſcelus. Sed dicamus melius, nobis voluiſſe Davidem his verbis innuere contemptum Dei, peccando clàm cum Bethſabee, cogitando ſe non fuiſſe viſum à Deo, *Hæc dicit Dominus* Davidi, *Tu feciſti abſconditè: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis* o. Ægyptii appendebant in templis ſuis oculos aureos, & aures ex eodem metallo conflatas, quæ omnia offerebant Diis ſuis, quaſi dicerent, quòd Dii ſui ſcirent & audirent omnia quæ agerentur ab ipſis, præſertim in templis: nos verò minoris æſtimamus Eccleſias noſtras, quàm illi templa ſua ducerent, etiamſi noſtris Divina Majeſtas præſideat Eccleſiis. Si autem enſem ſtringere in regia Principis terreni eſt crimen læſæ Majeſtatis, & ultimo dignum ſupplicio; quidnam merebimur ſi manum admoveamus gladio in Eccleſia; id eſt, ſi peccatis noſtris profanemus Eccleſias noſtras? cùm peccare nihil aliud ſit, *Quaſi romphæa bis acuta, omnis iniquitas* p. Si verò hæc profanatio corripitur in omnibus Chriſtianis; illius magis debent argui Clerici, quos repræſentant *Principes Sacerdotum & Scribæ.* Duo præterim corrigit Jeſus vitia, ſcilicet avaritiam, & ſimoniam figuratas per *columbas* q, quæ vendebantur in templo, quippe quæ repræſentant dona Spiritus Sancti, quem ipſe Dei Filius *vidit deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe* r, poſt ſuſceptum Baptiſma à S. Joanne Baptiſta. Proavus ſimoniacorum fuit *Eſau, qui vendidit primogenita: & ſic accepto pane, & lentis edulio, abiit, parvipendens quòd primogenita vendidiſſet* ſ, quibus annexum erat Sacerdotium t. Avus eorum fuit *Giezi*, qui recepit *duo talenta argenti, & duplicia veſtimenta* u à Naaman in mercedem ſanitatis ei ab Eliſeo impenſæ à lepra, & ideò ipſe leprâ percuſſus eſt. Et pater eorum eſt Simon Magus, *Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum, daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum* x. *Deus noſter ignis conſumens eſt* y. *Oculi autem ejus ſicut flamma ignis* z. Propterea *vim habere videtur conſumptricem & lignorum, & fœni, & ſtipulæ. Interdum Deus eſt ignis, qui talis materiæ conſumptor eſt,* ait Origenes a. Si ergo Deus eſt ignis, & Sacerdotes ejus uncti ſunt oleo ſacro (*Oleum unctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur* b, id eſt, Aaron ſummus Sacerdos) & uti ſic debent eſſe puri, *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi* c: ſi, inquam, uncti ſunt, & indumenta eorum ſunt linea (*Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient, tunicam & lineam* d) maximoperè verendum eſt; ne cùm ignis ſit prope oleum & ſtuppas, hæc omnia comburat.

Audeſne igitur Domine intrare in *templum* hoc, quod malitia profanavit, quod fœnus inquinavit, & quod ſimonia tuo indignum reddidit domicilio? Invenies quòd ambitio elevat idolum vanitatis ſuper altare quod tuis eſſet conſecrandum meritis; quòd impuritas inquinet illud abominationibus majoribus quam fuerint illæ, quas patefeciſti Prophetæ tuo Ezechieli *e* perpetrari in templo Jeroſolymitano. Recede, ſi placet, Domine, non invenies ibi niſi deordinationes, nedum ſit *domus orationis.* Sed ſi diſcedas ab hoc templo, quis purgabit illud? Niſi iſtas *menſas numulariorum* evertas, quis hæc infamia annihilabit commercia? Niſi coram præſentia tua jaceat *Dagon pronus in terra* f, quis liberari poterit ab iſtis vanitatibus? Veni Domine in templum tuum, aperimus tibi oſtium conſenſus voluntarii: illud eſt profanatum, id non latet nos; ſed firmiter ſtatuimus infamia omnia noſtra deſerere commercia: purga illud gratiâ tuâ, ut ſuſcipere nos digneris aliquando *in templo ſancto gloriæ tuæ* g.

i Pſ. 50. 6.
k Pſ. 48. 6.
l 2. Reg. 11. 14. &c.
m Joan. 13. 18. ex Pſ. 40. 10.
n 2. Reg. 11. 4.
o 2. Reg. 12. 11. & 12.
p Eccl. 21. 4.
q Matt. 21. 12. & Jo. 2. 14.
r Matth. 3. 16.
ſ Gen. 25. 33. & 34.
t Exod. 28. 1.
u 4. Reg. 5. 21. &c.
x Act. 8. 18. & 19.
y Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24.
z Apoc. 19. 12.
a Orig. hom. 13. in Joan.
b Exod. 29. 7.
c Lev. 10. 3.
d Exod. 28. 4.
e Ezech. 8. 2. &c.
f 1. Reg. 5. 3.
g Dan. 3. 53.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis, Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.

Matth. 12. 38 &c. ex Jon. 2 1. &c.

RES prorſus eſt mirabilis, quòd cùm Deus tanto dignitatem Sacerdotalem fuerit honore proſecutus, ut ad illam vocaverit aliàs Reges *a*, æquè ac Prophetas *b*, accuſatus in paſſione ſua innumerarum calumniarum, *Cœperunt autem illum accuſare, dicentes, Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe* c; *at ipſe nihil reſpondebat* d: licèt perpeſſus eſſet ſilens omnia dedecora & univerſas injurias, quibus impetebatur, *Et non aperuit os ſuum* e: tamen cùm æquo ſuſtinere non potuiſſet animo injuriam ſibi irrogatam à miniſtro improperante ipſi, quòd ſummo reverentiam Sacerdoti non exhibuiſſet: nam poſtquàm *unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici? reſpondit ei Ieſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo* f: renuit hodiernâ die Scribis & Phariſæis, qui erant Sacerdotes Legis antiquæ, exaudire petitiones ipſorum, eoſque tantâ corripit ſeveritate, & rigore ſic immodico. Sed ſicut ipſe eſt ſumma *Sapientia* g, non debemus ambi-

a Gen. 14. 18.
b Exod. 7. 1. & 18. 1.
c ex Matt. 22. 21.
d Luc. 23. 9. &c.
e Iſa. 53. 7.
f Joan. 18. 22. & 23.
g Sap. 7. 24.

b 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.

gere quin illos ſic exceperit præ magna conſideratione, ipſe *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* h. Et quem *vidimus plenum gratia & veritatis*. Cujus ipſemet eſt Author, *Quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* i. Et quam ipſe communicavit ſanctiſſimæ Genitrici ſuæ eo momento, quo iſtis ſalutavit illam verbis Archangelus, *Ave Maria*.

i Jo. 1. 14. & 17.

Nemo ſano præditus judicio, in ſuum unquam induxit animum, quòd Deus perſonas accipiat, *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus* k. Hæc ait S. Petrus poſt viſam adimpletam hanc mirabilem viſionem, cùm *cecidit ſuper eum mentis exceſſus; & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum, Surge Petre: occide, & manduca*. Quod repræſentat Eccleſiam, cujus S. Petrus inſtitutus fuerat Caput viſibile his verbis, *Tu es Petrus &c. & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcumq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* l. Extremitates iſtius Eccleſiæ complectuntur quatuor terminos terræ: ipſa eſt compoſita è Judæis & è Gentilibus, qui anteà ob idololatriam ſuam his immundis ſimiles erant beſtiis: iſtud autem verbum S. Petro annunciatum, *Surge Petre: occide, & manduca*, ſignificant non ſolùm quomodo poteſtas ſit illi data paſcendorum omnium iſtorum animalium, *Paſce oves meas* m: ſed etiam facultas utendi gladio ad præcidenda & reſecanda ab eis vitia & peccata, *Et quodcumque ligaveris*, &c. Præpereà, Sicut cibus convertitur in ſubſtantiam illius qui ipſum comedit; ita S. Petrus iſtas comedere debebat beſtias, ut illas redderet ejuſdem naturæ, cujus erat ipſe, interventu fidei & unionis cum JESU Chriſto, quem *Deus*, ipſius ejuſdem *Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* n. Deus igitur eſt *juſtus*, æquè ac *bonus* o. Et utraque hæc perfectio conſtituit eſſentiam ejus: ſic nullus in eo obſervari poteſt actus injuſtitiæ, ratione cujus jure poſſit merito acceptionis perſonarum inſimulari.

k Act. 10. 34. &c.

l Matt. 16. 18. & 19.

m Jo. 21. 17.

n Epheſ. 1. 17. &c.

o Pſ. 118. 137. & 68.

His tamen non obſtantibus videtur poſſe illi imputari hodiernâ die is actus injuſtitiæ in Evangelio noſtro: aliàs enim indulſit miracula aut ſigna illis qui ea non efflagitabant. Cùm inungendum præcepiſſet Saulem in primum Monarcham Hebræorum à Samuele, eumque conſtituiſſet Principem populi ſui, ut liberaret eum è manibus inimicorum ejus: ut oſtenderet ei, ſe conſtituiſſe ipſum ſupremum Dominum ſuper plebem ſuam, multa præbuit illi ſigna, virtute quorum in animum ſuum poſſet inducere, ſe à Divina Bonitate regiam ſuſcepiſſe dignitatem, *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait, Ecce, unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in Principem* p. &c.

p 1. Reg. 10. 1. &c.

Alii ſigna petierunt ab eo, ducti à Spiritu S. illius, ut Gedeon, qui invitatus fuit ad efflagitanda ab ipſo duo ſigna, quorum interventu cognoſceret, ſe ſalvaſſe populum Iſraël generoſo animo ſuo, adjuto tamen Divinâ poteſtate, *Spiritus autem Domini induit Gedeon. Dixitque Gedeon ad Dominum, Si ſalvum facis per manum meam Iſraël ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciã quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël. Factumque eſt ita. Et de nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore implevit. Dixitque rursùs ad Dominum, Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere, Oro ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Dominus nocte illâ ut poſtulaverat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terrâ* q. Hoc utroque ſigno confirmatus fuit Gedeon in fide poteſtatis Dei.

q Judic. 6. 34. &c.

Deus corripuit alios, qui ſigna nolebant ſuſcipere, ut invectus eſt in Achaz Regem Iſraël, *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens, Pete tibi ſignũ à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Nunquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo* r? Super quod Cornelius ſ ait, *Erat Achaz incredulus, æquè ac impius, diffidebatque prophetiæ Iſaiæ, & Dei auxilio: offert ergo ei Deus per Prophetam probationem per ſignum & miraculum, quaſi diceret, Pete in confirmationem prophetiæ meæ, & veritatis quam prædixi, ſcilicet vos liberandos, & hoſtes veſtros evertendos, ſignum quod lubet. Non petam, & non tentabo Dominum. Audite ergo domus David*, &c. *Quaſi diceret, Veſtrâ impietate, incredulitate, & diffidentiâ, ô Achaz, voſque ejus Proceres & Conſiliarii, quâ oracula mea diffiditis, eaque quaſi falſa aut vana contemnitis, ideòque ſigna quæ offero deſpicitis & reſpuitis; non tantùm mihi, ſed & Deo, cujus ex ore loquor, hæcque promitto, moleſti, increduli, & injurii eſtis.* Idem Iſaias pollicetur Regi Ezechiæ, ſe daturum ipſi ſignum ſanitatis ipſi à Deo reſtituendæ, & vitæ ipſi prolongandæ per annos quindecim, *Hoc autem tibi erit ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus eſt. Ecce ego revertì faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem lineis. Et reverſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat* t. Et tamen Scribis & Phariſæis ſigna petentibus hodie à Chriſto, idem Dei Filius ea illis renuit, & illos verbis acribus & injurioſis corripit. Hæc ſigna aut erant bona, aut erant mala. Si erant bona, quare recuſat ea illis qui ipſa expetunt? Si erant mala, quare ipſe toties illa conceſſit? Vel ſunt neceſſaria, vel ſuperflua. Si ſunt neceſſaria, non poſſunt jure merito recuſari. Si ſuperflua ſunt, invanùm igitur facta ſunt. Reſpondetur ad hæc, quòd ſicut, etiamſi aquæ eadem habeant principia, tamen inter eas aliæ ſunt frigidæ, aliæ calidæ, aliæ ſapientes ferrum, & aliæ ſulphur; juxta diverſam diſpoſitionem ſubjectorum in locis per quæ tranſeunt, cùm una terra ſit unius temperaturæ, & alia alterius; ſicut *duo homines aſcendebant in templum ut orarent; unus Phariſæus, & alter publicanus: & deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo* u: ſicut *dixit David ad Nathan, Peccavi Domino: dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris* x: *Dixitque Saul ad Samuelem, Peccavi* y: ſed malum, *peccavi*, & ideò reprobatus eſt; cùm David qui bonum dixerat, *peccavi*, fuerit exauditus: ſicut Judas & ſanctus Petrus ſuſceperunt idem Corpus JESU Chriſti, *in qua nocte tradebatur* z: iſte cum fructu, *Paſce oves meas* a: ille

r Iſai. 7. 10. &c.

ſ Corn. in Iſai. 7. 10. &c.

t Iſai. 38. 7. &c. ex 4. Reg. 20. 8. &c.

u Luc. 18. 10. &c.

x 2. Reg. 12. 13.

y 1. Reg. 15. 24. &c.

z 1. Cor. 11. 23. &c.

a Jo. 21. 17.

Ille verò ad condonationem ſuam, quippe qui *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus* b, ob diverſam diſpoſitionem ſubjectorum: ita Scribæ & Phariſæi petierunt ſigna & miracula (ſicut alii qui ea impetraverunt) quæ tamen ipſis fuerunt recuſata, quia non habebant conditiones requiſitas. Primò, quia petebant illa per adulationem: Secundò per curioſitatem: Tertiò per obſtinationem, *Magiſter, volumus a te ſignum videre.* Hæc eſt diviſio totius diſcurſus iſtius.

b Act. 1. 18 ex Matth. 27. 5.

Diviſio.

I. Pars.

Una ex expreſſiſſimis figuris Jeſu Chriſti quantùm ad id, de quo tractamus, eſt Patriarcha Joſeph, de quo in benedictione, *quâ benedixit Moyſes homo Dei filiis Iſrael ante mortem ſuam,* ait ille vir eximius, *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius* c. Cornu tauri eſt mortiferum, cornu verò rhinocerotis econtrà eſt ſalutare: illud mortem infert, iſtud verò remedium corporibus veneno infectis præbet: cæco ferit ſuis cornibus taurus impetu quidquid habet obvium, quia illa habet ſuper oculis; econtrà ſuis percutit cornibus rhinoceros oculis apertis, quippe qui illa habet ſub oculis. Geſſit ſe Joſeph more tauri furioſi cæco impetu ac mortifero percutiendo dominam ſuam, quæ ipſum volebat inducere ad violandum thorum Domini ſui, & ſe tendebat ebuti ſimplicitate hujus animæ innocentis blanditiis ſuis, *Injecit Domina ſua oculos ſuos in Ioſeph & ait: Dormi mecum. Hujuſcemodi verbis per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum. Accidit autem quâdam die ut intraret Ioſeph domum, & operis quippiã abſq; arbitris faceret: & illa, apprehensâ laciniâ veſtimenti ejus, diceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio, fugit, & egreſſus eſt foras* d. Sed induit figuram rhinocerotis erga fratres ſuos, qui timore correpti non audebant ipſum intueri, quibus tamen ipſe eſt in omnibus auxiliatus, *Erat autem fames in terra Chanaan. Et Ioſeph erat Princeps in terra Ægypti, atq; ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cùmque adoraſſent eum fratres ſui, & agnoviſſet eos, quaſi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos, Vnde veniſtis?* &c. Et tamen *juſſit miniſtris ut implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſuprà cibariis in via: qui fecerunt ita* e. Eodem ſe gerit Jeſus Chriſtus modo: Scribas noſtros & Phariſæos, qui erant adulatores, cornibus tauri percutit, *Generatio mala & adultera.* Rhinocerotis verò formam induit, miſericordiâ motus erga eos, qui morbis afflicti petebant ab ipſo præ humilitate ſuarum medelam infirmitatum, & miracula è manu ipſius, *Et ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, Volo. Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus* f.

c Deut. 33. 1. & 17.

d Gen. 39. 7. &c.

e Gen. 42. 6. &c.

f Matt. 8. 2. &c.

g Prov. 30. 24. & 28.

h Salaz. in Prov. 30. 28. n. 232.

Loquitur Salomon in Proverbiis g ſuis de quatuor animalibus minimis quidem omnium, ſed aſtutiſſimis cunctorum; *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus.* Inter quæ ait præcipuè, *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Salazar h dicit, quòd *Stellio animal eſt lacertæ aſſimile, ſed longè minor, lucentibus guttis tanquam ſtellis depictum.* Alii ſentiunt probabiliter, hoc animal eſſe muſtelam, quæ recenſetur eſſe animal invidiâ & fraude ſcatens eò uſque ut ſi dici debeat vitium aſtutiâ & invidiâ refertum, vocetur vitium ſtellionatum. Naturales etiam obſervant, quòd ſi ſuaviter tranſeunte applicetur manus dorſo iſtius animalis, nulla invenitur reſiſtentia in pilis ejus, qui molliter fluunt: ſic adulatores accommodant ſe captui illorum, quibuſcum rem habent agendam, nullos præ ſe ferunt mores diſpathicos, quique non ſint illis conſoni quibuſcum converſantur; ſed ſpecies hæc apparens & ementita nihil eſt aliud niſi adulatio, cùm intùs nonniſi fraudem foveant & malitiam. Ubi obſervabitis, quòd Litera Hebraica loco, *Stellio,* legit, *Simia,* quæ imitatur omnem agendi modum hominum: ita ſe res habet de adulatoribus, quos quidam Imperator tanto proſequebatur odio, ut agendum præceperit emblema, in quo repræſentabatur ſimius, qui interficiebatur a leone, præ hac inſcriptione, *Sic ego meis.* Judæi, qui erant ſimil. veri adulatores aggrediuntur Jeſum Chriſtum, qui eſt *Leo de tribu Iuda* i. Sed ab eo diſcinduntur his verbis, *Generatio mala & adultera. Sic ego meis.* Id eſt, adulatoribus.

i Apoc. 5. 5.

Comparantur adulatores chamæleonti, qui, ut ait Calepinus k, *Quaſi parvus leo, animal eſt diverſâ varietate conſperſum, ut pardus, & ad colores quos videt, converſione facillimâ variatur, præter ad rubrum, & album. Competit in hominem verſipellem, ſive inconſtantem, ac pro tempore ſeſe vertentem in omnes habitus.* Sic adulatores ſequuntur colores, id eſt, diſpoſitiones voluntatum illorum quibuſcum converſantur; ſed nunquam *rubrum,* qui eſt ſymbolum charitatis, quâ ſunt deſtituti: *& album,* qui eſt figura innocentiæ, quâ penitus carent. Propterea de illis dicebat quidem Imperator, *Hoſtes in animo, amici in obſequio.* Et Rex David l, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum* Quaſi diceret, eos eſſe pejores aſpidibus, de quibus obſervant Naturales, quòd habeant exiguam crumenam ſub lingua, in qua incluſum ſuum habẽt venenum, & quòd cùm venenum ſuum intendunt ſuper aliquem diffundere, crumenulam iſtam dirumpunt: adulatores pejus agunt quam aſpides: ſolum poſſunt corpus aſpides interimere; ſed adulatores in lingua ſua non deferunt exteriùs niſi ſuavitatem & lepôrem, et interiùs concluſum habent venenum, quod ad intimam uſque effundunt animam, *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula* m. Et, *Corrumpunt fictis laudibus leves animas, & malè credulis mentibus blandum vulnus infigunt* n.

k Calepin. in Dictionar. v. Chamæl.

l Pſ. 13. 3.

m Pſ. 54. 22.

n S. Hier. epiſt. 1. ad Demetr. aliquantò poſt med.

Concinnè profectò agebat Heliogabalus, qui ſplendidè aliquem excepturus in menſa ſua, apponendos ſibi primò ſatagebat cibos pictos: & in ſecunda menſa, afferri ad ſe præcipiebat fercula ranis, muſcis, & ſcorpionibus referta; & in riſum erumpens, dicebat, eo modo excipiendos eſſe amicos, quippe qui homines vanis & apparentibus paſcerent coloribus, & canerent more ranarum æſtate proſperitatis, ſilerent verò hyeme adverſitatis; & quòd eſſent intuitu proprii commodi veræ muſcæ, nihil aliud inquirentes niſi mel conſolationum, & occaſiones promovendæ fortunæ ſuæ; & maledicti ſcorpiones, qui blandientes caudâ ſuâ, inde mortiferum diffundunt circumquaque venenum. Adulatores abominabiles, in quos ſic invehitur Pſalmiſta o, *Mendaces filij hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Obſervant Naturales, nos habere nervum tendentem à lingua ad cor, & alligantem illam iſti, ita ut hæc duo membra ſint veluti duæ ſtateræ lances, quæ cùm debeant eſſe in æquilibrio, id eſt, æquales eſſe, alteram

o Pſ. 61. 10.

alteram ex illis cadere facimus, cùm aliquid habemus in corde, & aliud linguâ proferimus, quod agunt adulatores.

Sed licèt homines decipiant alios blanditiis ſuis, Deus tamen, qui eſt *Dominus ſcrutans cor, & probans renes* p, falli non poteſt, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quam nobis ſermo* q. Et ſic non poteſt decipi: propterea ipſe dicit alibi de Scribis noſtris & Phariſæis, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me* r. Quod anteà Salomon ſ nobis repræſentaverat, dicens, *Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Deus qui habet notitiam omnium intuitivam, videt univerſas aſtutias & adulationes, cùm cor noſtrum non eſt conforme linguæ noſtræ, & quando aliquid habemus in animâ, & aliud ſuper labiis.

p Jer. 17. 10
q Hebr. 4. 13
r Matth. 15. 8. ex Iſai. 29. 13
ſ Prov. 27. 19

Adulatores iſti ſimiles ſunt animali, quod vocatur Hyæna, cui videtur alludere Scriptura t, Ubi enim legitur apud Jeremiam, *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* S. Chryſoſtomus u vertit, *Nunquid ſpelunca hyænæ facta eſt domus mea mihi?* Et ubi verſio communis ait, *Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi* x LXX y, ſic pariter vertunt, *Nunquid ſpelunca hyænæ hæreditas mea eſt mihi?* Et S. Chryſoſtomus ſubdit, *Hyæna nunquam videtur in die, ſed ſemper in noctibus, nunquam videtur in luce, ſed ſemper in tenebris.* Propterea obſervant Naturales de hoc animali crudeli, quòd meliùs loquatur quam pſittacus, & ſicut tantam habet aſtutiam & adulationem, quantam ſævitiam & ferocitatem, nocte circuit caſas paſtorum, & audiens vocari aliquem nomine ſuo, nomen iſtud retinere ſatagit, quod deinde pluries repetit in cavernâ ſuâ, donec illud perfectè pronunciare didicerit; deinde rediens nocte ad caſam paſtoris, quem audivit nominari, & vocans eum nomine ſuo, paſtorem eundem exeuntem è caſâ ſuâ, ratum ſe ab aliquo homine vocari, in fruſta diſcindit, & illum comedit: idem dicendum eſt de adulatoribus; caverna hujus animalis crudelis & ſanguinarii, in quâ auditur reſonare nomen illius hominis qui debet devorari, non videtur eſſe alia niſi domus amici, ſed amici apparentis duntaxat & ementiti, ſed reverâ & effectivè inimici: ita ſe res habet de his falſis amicis, quorum cor non reſpirat niſi fraudem & proditionem opertam adulatione, quæ eſt prima conſideratio propter quam Dei Filius, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* z, ſigna ſeu miracula Scribis & Phariſæis tenuit.

t Jer. 7. 11
u S. Chryſoſt. hom. 13. in Marc. 11. 17
x Jer. 12. 9
y LXX apud Cornel. in Jer. 12. 9
z Coloſſ. 2. 3. & 9

II. Pars.

Secunda ratio eſt curioſitas, Scribæ & Phariſæi erant curioſi, quia ſigna quæ efflagitabant, erant ſuperflua. Super quod obſervandum eſt, quòd licèt nunquam ſuſcipienda ſit lex, quin aliquo ſigno aut miraculo cõfirmata fuerit, quod Moyſes peregit jam jam daturus populo legem, quam erat ſuſcepturus à Deo, interventu tonitruorum, & fulgurum. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat* a. Et quod deinde executus eſt Filius Dei in Lege Evangelicâ ſuos mittens Apoſtolos ad prædicandam fidem ſuam, & tradens eis poteſtatem & virtutem patrandorum miraculorum, & confirmandæ doctrinæ ſuæ ſignis ut authoritatis ſuæ divinæ ſigillis, *Et convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Euntes autem prædicate, dicentes, Quia appropinquavit Regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite* b. Etiamſi idem Dei Filius multa operatus eſſet miracula, quæ iſti Scribæ & Phariſæi ignorare non poterant, *Cùm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare; Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens, Volo: Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus* c: &c. Tamen hodiernâ die curioſitate ducti, nova ab illo expoſcunt miracula, ſed ille eos juxta ipſorum excipit demerita. Sic præſentatus Regi Herodi tempore paſſionis ſuæ, maluit ut idem ſperneret *illum Herodes cum exercitu ſuo, & veſte albâ* more inſani indutus ipſe illudi, quàm ſatisfacere curioſitati illius Regis: *Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo; & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri* d. Quia ſigna & miracula non erant tunc neceſſaria.

a Exod. 19. 16. &c
b Matth. 10. 1. &c.
c Matth. 8. 1. &c.
d Luc. 23. 8. & 11

Sed dicamus, & dicemus meliùs cum de Trugillo e, potiùs ex ſuperbiâ & ex arrogantiâ Scribas iſtos & Phariſæos efflagitaſſe ſigna a Filio Dei, quàm ex curioſitate, *Volumus à te ſignum videre.* Aut ſi ex curioſitate, illam ſuam deſumpſiſſe originem ex ſuperbia & ex arrogantia, quod patet ex verbis aſperis, quibus eos Chriſtus corripit, *Qui reſpondens, ait illis, Generatio mala & adultera ſignum quærit.* Vocat illos generationem adulteram, ut ab illis reſecet ſuperbiam, quia de ſua gloriabantur progenie: & ideò Salvator eos ſic acriter excipit, *Et dicit hoc, quia filius debet imitari patrem, iſti autem erant filii Abrahæ, ſed non imitabantur eum: & ſic apparebat, quòd eſſent filii ejus, ſed quaſi ex adulterio geniti, Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite* f, ait Toſtatus g. Non erant veri filii Abrahæ, quia non faciebant ejus opera. Sedebant ſuper cathedram Moyſis ut Sacerdotes Legis, ſed non vivebant juxta id quod eadem Lex præſcribebat illis virtutis & probitatis exercendæ, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Sed quid ſequitur e modo agendi celebrium Doctorum iſtorum? *Dicunt, & non faciunt* h. Ipſis factis videtur Legem populo annunciare, ſed ab illius valdè remoti ſunt obſervantia: in hoc ſimiles illis nubibus, de quibus loquitur S. Judas Apoſtolus i, *Nubes ſine aquâ, quæ à ventis circumferuntur.* Id eſt, nubes ſteriles, tumentes vanitate & ſuperbia, docentes veram ſcientiam, ſed inordinato deſtruentes ſuo agendi modo & pravo exemplo id quod docuerant. In his verificatur Proverbium k, *Nubes, & ventus, & pluvia non ſequentes; vir glorioſus, & promiſſa non complens.* Super quod Cornelius l ait, *Appoſitè vir glorioſus in verbis & promiſſis ſuis comparatur nubibus, & vento, quòd nubes res ſint altæ, & ventus res videatur maximè inanis & nihili ac inſtabilis, ut ſignificetur illius ſuperbia, & ventoſa inanitas, atque inconſtantia. Rurſum ſicut dies, in quibus nubes atræ Solem tegunt, & venti horridi cum fragore in terrâ perſonant, qui imbrem promittunt, nec tamen præſtant, atri ſunt, triſtes, melancholici, & permoleſti; ſic pariter qui magna jactat & pollicetur, parùmque reipſâ exhibet, omnibus gravis eſt & moleſtus, inviſus, & exoſus. Tales ſunt arrogantes, oſtentatores, & jactabundi. Ratio eſt, quòd ſuperbia & jactantia efficiat eos magniloquos ut ingentia ſupra vires promittant, quæ deinde præſtare nec volunt, nec poſſunt.* Erant igitur Scribæ & Pha-

e De Trugil. Theſaur. Concion. in Fer. 4. Dom. 1. Quadrag. in hæc verba, Volumus, &c
f Joan. 8. 39
g Toſtat. q. 31. in Matth. citatus à de Trugil. in hæc verba Generatio, &c.
h Matth. 23. 2. & 2
i Judæ v. 12
k Prov. 25. 14
l Cornel. in Prov. 25. 14

riſæi

riſæi inſtar nubium ſterilium, cùm non haberent in ſe ſcientiam Dei niſi in ſuperficie, in extremis labiis ſuis ſolis, actiones ſuas verbis ſuis nequaquam conformantes. Nubes inanis & vacua tantum affert diſpendium, quantum nubes rorida & pluvioſa ſecum invehit emolumentum. Quantùm autem exiſtimaris depravatam vitam ſuperborum Scribarum iſtorum & Phariſæorum animabus ſimplicibus fuiſſe noxiam. Huc ſalutare ſubminiſtrabat Moyſes Iſraëlitis monitum, *Cavete ne iratus Dominus claudat cælum, & pluvia non deſcendant, nec terra det germen ſuum* m. (m Deut. 11.16.& 17) Judæi ſeculo Jeſu Chriſto ſuppares hanc divinam experiebantur indignationem, cùm tunc ſuper horizonte ſuo parêre viderent nubes ſiccas Scribarum & Phariſæorum, qui arrogantiâ ſuâ nihil præſagiebant niſi tempeſtates, nihilque producebant niſi infortunia: cœlum erat veluti clauſum Judæis, & ſicut ſi origines Divinæ Bonitatis arêre potuiſſent, favoribus illius erant deſtituti per interpoſitionem falſarum iſtarum nubium Scribarum & Phariſæorum, qui pravis exemplis ſuis propitias bonitatis hujus ſupprimebant influentias.

Sed ne omnino è noſtro exeamus propoſito, dicamus, quòd ſi Filius Dei ſic acriter Scribas & Phariſæos corripit, qui ab ipſo petebant ſigna ducti curioſitate; quantùm abominabitur eos qui eunt auditum conciones præ curioſitate, ut peragant quaſi anatomen Concionatoris, ut ab illo audiant nova & curioſa, nedum pergant in Eccleſiam ut ibi potentur aquis ſalutaribus, quæ fluent ex his nubibus beneficis Concionatorum, cùm ſacer Textus eximio nubium titulo inſigniat Concionatores, & proponat nobis verbum Dei, quod egreditur ex ore eorum, per pluvias & rores, quibus effectus illius deſignantur, (n Iſai.60.8) *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant* n? Præclarum mirarur Propheta Concionatorum Evangelicorum volatum (o S. Greg. lib.2.in Ezech. homil.18.) ſecundùm expoſitionem S. Gregorii o dicentis, *Rectè Prædicatores ſancti nubes appellati ſunt, quia verbis pluunt, miraculis coruſcant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur, quia in terrâ viventes, extra terram ſunt omne quod egerunt.* Stupore cietur (p Job 26.8) Job p videre in natura aquas in aëre ſuſpenſas in ſecluſorio nubium, unde ſtillantur juſtâ diſpoſitione divinæ Providentiæ, *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.* Super (q S.Greg. l.17. Mor. c.14.in Job 26.8) quod ait idem S. Gregorius q, *Quid hoc loco aquam, niſi ſcientiam; quid nubes niſi Prædicatores appellat? Nam quia in ſacro Eloquio aliquando aqua ſcientia dicitur: Salomone atteſtante didicimus, qui ait:* (r Prov. 18.4) *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans* (ſ Pſ.17.12) *fons ſapientiæ: Aquâ ſignari ſcientiam David ſ propheta teſtatur, dicens: Tenebroſa aqua in nubibus aeris. Id eſt, occulta ſcientia in Prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis ſacramentis gravidi, myſteria immenſa geſtarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat: Nubium verò nomine quid in hoc loco aliquàm Prædicatores ſancti, id eſt, Apoſtoli deſignantur, qui per mundi partes circumquaq; tranſmiſſi, & verbis noverant pluere, & miraculis coruſcare.* Vel dicamus, quòd Spiritus Dei agens in animum Concionatoris, exprimit aquam ſalutarem ſcientiæ juxta proportionem & menſuram auditorum. Certum eſt autem, quòd ſi iſti auditores eant auditum illum præ curioſitate, nullum ab eo haurire poſſunt fructum, ſed potiùs reprehenſione digni ſunt. S. Auguſtinus t ſcribens (t S. Aug. in Pſ.35.6) ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Veritas tua uſque ad nubes*, ait, *Re verâ, Fratres, nubes ſunt Prædicatores verbi veritatis. Quando minatur per Prædicatores Deus, tonat per nubes. Quando miracula facit per Prædicatores Deus, coruſcat per nubes terret per nubes, & irrigat per pluviam. Prædicatores ergo iſti, per quos prædicatur Evangelium Dei, nubes Dei ſunt.* Coruſcant enim per inſtructionem, tonant minarum interventu, & fulmina emittunt, cum divinam nobis annunciant vindictam, & corda noſtra arida rigant pluviâ voluntariâ, quæ ditare debet hæreditatem Dei, *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt* u (u Pſ.67.10) propter curioſitatem ſuam, quæ erat cauſa languorum ipſius. Sed ſi hæc hæreditas præ ſe fert aviditatem recipiendi beneficii pluviæ, *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit* x: (x Pſ.134.7) Origenes y (y Orig. hom.5.in Jer.) ait; *Diximus autem Sanctos eſſe nubes. Puto enim nos Deus Apoſtolos noviſſimos oſtendit* z (z Ex 1. Cor.4.9) *Quòd ſi non ſim Apoſtolus, licet tamen mihi fieri extremum, ut educens nubes Deus ab extremo terræ educat me.* Id eſt, educet nubes ſanctorum Prædicatorum, qui elevati à fæce mundi, pro gloria Dei laborant, & poſteà illorum fulgura convertentur in pluvias, quia virtus Evangelica format pluviam lacrymarum pœnitentium in oculis auditorum contritorum & non curioſorum.

Moyſes ut nubes myſtica promittit populo Iſraëlitico rorem & pluviam matrem fæcundam abundantiæ. *Audiat terra verba oris mei* a. (a Deut. 32.1) Et Eccleſia b (b Eccleſia ex Deut. 32.2.) poſt illum ait, *Expectetur ſicut pluvia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros verba mea.* Eccleſiaſticus c (c Eccli. 39.9) loquens de Prædicatore, dicit, *Ipſe tanquam imbres emittet eloquia ſapientiæ ſuæ. Id eſt, copiosè & abundanter, aequè ac ſuaviter & utiliter emittet eloquia ſapientiæ ſuæ, imprimis ad Deum, deinde ad ſeipſum, ut ſe ſe dirigat, ac tandem ad proximum, ut eum inſtruat*, ait Cornelius d. (d Cornel. in Eccli. 39.9) Torrentes oris ejus erunt veluti pluviæ erumpentes è nube: cognitio fidei & myſteriorum noſtrorum, eſt aqua abſcondita in nube mentis ejus, id eſt, in ſpeciebus intelligibilibus quæ ſunt obſcuræ propter ſupradictorum inevidentiam myſteriorum, *Tenebroſa aqua in nubibus aeris* e. (e Pſ.17.12) Et veritas ſtillatur è nube hâc ut pluvia deſiderata & expectata, ut docet Job f, (f Job 29. 23) *Expectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.* Quod intelligendum eſt de illis, qui audiũt verbum Dei præ deſideriis immodicis & ardentibus eo proficiendi; non autem de curioſis, qui illud non audiunt, niſi ut novitates diſcant. Ideò volens Deus curioſos iſtos confuſione operire, noluit in Lege g (g Levit. 2. 11) veteri, ut offerretur ſibi mel in ſacrificium, *Nec quicquam mellis adolebitur in Sacrificio Domini.* Sed quare hoc? Communi ventilatur adagio, *Similis ſimili gaudet.* Deus eſt totus mel, *Tu Domine ſuavis & mitis* h. (h Pſ. 85. 5) Et cibus ejus eſt mel, *Mel comedet* i. (i Iſai.7.15) Hanc præbuit apibus induſtriam componendi mellis ſui: quare igitur prohibet ne ſibi offeratur mel in ſacrificium? Fortaſſis quia mel ordinariè conficitur è furtis, è ſuo non componunt illud apes, ſed ex eo quod ipſæ circumquaque ſugunt. Mel fit ex pluribus floribus: ita curioſi qui non quærunt niſi ut educant mel alicujus vanæ curioſitatis è floribus verbi Dei, quod eunt auditum ex ore Concionatoris, non poſſunt offerre Deo ſacrificium quod ſit ei jucundum, digni ſunt reprehenſione ſicut Scribæ & Phariſæi qui efflagitant ſigna à Chriſto præ curioſitate, quæ efficit ut ea illis recuſet Chriſtus, ſicut etiam propter illorum obſtinationem quæ eſt tertia conſideratio.

Nihil eſt peius obſtinationis vitio, quod indu- (III. pars.)

k Iſai. 27. 1.

xit Prophetam Iſaiam *k* ad dicendum, *Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum.* Super quod Cornelius *l* dicit, *Tortuoſus eſt diabolus ob pravitatem animi: nihil enim in ſecretum habet*, ait S. Hieronymus. *Imò nullum opus, etiamſi moraliter tantùm bonum & honeſtum amare aut velle poteſt.* Hic *ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem; & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* †, obſtinatus eſt in crimine ſuo, & ſemper ſuo dicet *Lucifer in corde, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo m.* Si verò inquiramus rationem propter quam Protoplaſtos noſtros tentavit iſte *ſerpens n*: Reſpondetur, ideò ut repræſentaretur natura peccati: ſicut enim ſerpens ubi ſemel caput in aliquod foramen intromiſit, illuc facilè totum ſuum corpus introducit, nam ſquamæ illius fluunt, & facilem pandunt ei aditum, cùm nihil ſit quod illum retinere poſſit; ſed poſtquam illuc mediam ſui corporis partem intromiſit, non poteſt niſi vix illam dimidiam partem retrò revocare, quia ſquamæ ejus elevantur, & ſunt obſtaculum ad regrediendum, niſi fortè præ maximâ difficultate: ita peccatum noſtras facilè illabitur animas, cùm natura noſtra corrupta, fulta multis occaſionibus funeſtis inducat nos ad faciendum ſatis affectibus noſtris perverſis in diſpendium Legis Dei, quam infringimus: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ o.* Sed cùm perverſis iſtis inclinationibus ſumus alligati, tunc maxima invenitur difficultas ex illis exeundi. Propterea permiſit Deus ut diabolus qui tentavit primos Parentes noſtros, apparuerit illis ſub figurâ ſerpentis, ut diſceremus quòd ſicut aſpis erigendo ſe, facilè labitur, & ubi ſemel cecidit, ex ſe nō poteſt ſe erigere; ita nos facillimè labimur in peccatum; ſed lapſi, è noſtris reſurgere non poſſumus caſibus, viribus propriis, *Sine me nihil poteſtis facere p.* Dæmones in criminibus ſuis obſtinati, teſtes ſunt hujus veritatis, *Viſitabit Dominus, &c.*

l Cornel. à Lap. in Iſai. 27. 1.
† Apoc. 12. 9.
m Iſai. 14. 12. &c.
n Gen. 3. 1. &c.
o Gen. 8. 21
p Joan. 15. 5

Laudabilis eſt Ninivitarum procedendi modus, qui ad verbum Jonæ Prophetæ pœnitentiæ ſeriæ incubuerunt, *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſtâ, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plùs quàm Ionas hic.* Filius Dei his verbis nobis innuit, juxta Gloſſam Ordinariam *q*, *Ionas paucis diebus, & ſine ſignis prædicavit genti incredulæ, & profecit: Ego autem longo tempore, & populo Dei, & compluribus ſignis, in vanum prædico.* Domus aliqua ordinariè clauditur duobus modis, ab extrà, & ad intrà. Ab extra clave, & facilè aperitur. Ad intrà obice, & ad eam aperiendam tunc nihil poteſt clavis proficere. Quando ſumus in miſerando peccati ſtatu collocati, datur adhoc modus ab eo reſurgendi, ſi noſtrum præbemus conſenſum voci Dei, qui nos vocat ad converſionem, & offert nobis clavem gratiæ ſuæ ad aperiendum oſtium cordis noſtri, *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, cœnabo cum illo, & ipſe mecum r.* Sed ſi ei aperire renuimus, & opponimus illi obicem noſtræ malæ voluntatis per obſtinationem, Deus retrahit à nobis ſuas gratias efficaces, & illud ipſe nobis improperat, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit ſ.* Tunc enim nos tradit *Deus in deſideria cordis, in reprobum ſenſum, ut ea quæ non conveniunt t,* faciamus. Et ſicut janua clauſa obice, potiùs infringetur quàm aperienda ſit; ſic Paſtores Eccleſiæ, qui habent *claves u*, invenientes animam clauſam obice obſtinationis, obſtinant eam magis, nedum eam aperire poſſint.

q Gloſſ. Ord. citat. à de Trugill. loco ubi ſuprà.
r Apoc. 3. 20
ſ Prov. 1. 24. & 25
t Rom. 1. 24. & 28
u Matth. 16. 19

Peccator obſtinatus eſt veluti truncus eradicatus, *Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. Hæc eſt pars hominis impii*, ait Job *x*. Eſt ficus ſine fructibus, maledicta à Chriſto, *Cùm vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in eâ: & cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei, Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet y.* Sarmentum quod germinat & nutrit uvas quæ exprimunt venenum pro muſto, *Uva eorū uva fellis, & botri amariſſimi z.* Lignum ſiccum & deſtinatum ad incendium. *Quid fiet de ligno vitis?* ait Deus Ezechieli *a*. Reſpondet S. Auguſtinus *b*, *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit.* Et peccatores in ſuis criminibus obſtinati, & inutiles in hoc mundo, eò quòd nolint ſe diſponere ad peragenda bona opera, ut Scribæ & Phariſæi Evangelii noſtri, quibus Dei Filius ſigna renuit ob ipſorum obſtinationem, erunt pariter flammarum alimentum æternarum.

x Job 20. 28. & 29
y Marc. 11. 13. & 14
z Deut. 32. 32
a Ezech. 15. 2
b S. Aug. tract. 81. in Joan. 15. 4

Ne ſimus igitur iſtorum è numero obſtinatorum, ſed noſtrum præbeamus conſenſum voci Jeſu Chriſti, qui nos vocat ad converſionem, & ad pœnitentiam peragendam, ipſe qui eſt truncus fœcundus, è quo eruimus vigorem faciendorum actuum virtutum, quæ ſunt fructus veræ pietatis, *Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis c.* Uniamus nos huic radici *Ieſſe d.* Id eſt, Jeſu Chriſto qui eſt principium vivificans, *Ego ſum vita e.* Et erimus *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo f.* Inſtar palmæ florentis, & cedri multiplicatæ in monte Libano, *Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur g.* Super quod Incognitus *h* ait, *Nec immeritò Iuſtorum vita palmæ comparatur: quia ſcilicet palma inferiùs tactu aſpera eſt, & quaſi aridis corticibus obvoluta: ſuperiùs verò & viſu & fructibus pulchra: ſic quippe eſt Electorum vita, deſpecta in inferioribus, in ſuperioribus pulchra. Ecce, alteri arbori Iuſti comparantur, ſcilicet cedro. Et hoc propter altitudinem vitæ, & virtutum multiplicitatem. Nam, ut ait Gloſſa, cedrus arbor immarceſſibilis eſt, & altior cæteris arboribus, & præſertim in Libano, qui interpretatur candidatio. Ita & Iuſtus eſt imputribilis ſtolâ immortalitatis candidus. Iſtis ergo arboribus Iuſti comparantur: quia hæ arbores non areſcunt in æſtate, ut fœnum, cui impius comparatur.* Pietas eſt *oliva fructifera in domo Dei i.* Tandem, Eſt vinea fœcunda odore boni exempli, & abundantiâ bonorum operum, *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris k.* Hæc bona opera cum gratiâ introducent nos ad gloriam.

c Joan. 15. 4
d Iſai. 11. 10
e Joan. 14. 6
f Pſ. 1. 3
g Pſ. 91. 13
h Incognit. in Pſ. 91. 13
i Pſ. 51. 10.
k Eccli. 24. 23

FERIA

FERIA V. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei; Miſerere meî Domine Fili David. Matth.15.22.&c.

a Pſ.78.46

SPiritu prævidens Pſalmiſta *a* Prophetico nativitatem Meſſiæ futuri inter effectus admirabiles adventus ejus, ait, illum futurum aſylum miſerorum, firmamentum divinum in univerſo orbe terrarum, & illius amicos evehendos & protegendos ſub umbra meritorum ejus multo ſecuriùs, quàm ſi ſuper vertice montis Libani eſſent collocati, *Et erit firmamentum in terrâ: in ſummis montium ſuperextolletur ſuper Libanum fructum ejus.* Integram veritatum iſtarum ideam in textu Evangelii noſtri habemus exaratam. Nonne videtis mulierem Chananæam divinitùs inſpiratam recurrere ad hoc aſylum ſacrum, ut in eo remedium inveniat infortuniis ſuis ſublevandis conſonum. Fiducia ejus propriis non fruſtratur expectationibus, virtutes illius commendantur, petitiones ipſius exaudiuntur, & exempla illius edocent nos methodum implorandi auxilii Divini interventu humilium & cōſtantium orationum. Incipiamus in hoc diſcurſu ab ipsâ praxi, recurrentes ad aſylum ordinarium, quod eſt Virgo virginum, noſtrarum protectrix infirmitatum, dicendo ei, *Ave Maria.*

Natura, quæ ſapiens eſt & provida omnium animalium gubernatrix, ea omnia ducit ad locum refugii ipſorum, ſecretis impulſionibus inſtinctuum naturalium confeſtim ac contrarietates aliquam præſagiunt ipſis infelicitatem. Admirandus eſt ordo ſanè Divinæ Providentiæ, quem David *b* ſummis extollit encomiis, *Cedri Libani, quas plantavit, illic paſſeres nidificabunt. Herodii domus dux eſt eorum; montes excelſi cervis; petra refugium herinaciis.* Herodius volatu præpeti, ſubtilitate viſus, perfectioneque naturæ volatilia antecellit, hanc habet refugii domum, & debiles ducit aves ad hunc ſecuritatis locum, ut coloniæ ipſarum caput, in quo ab inſidiis venatoris ipſas obſervantis ſeſe expediant. Cervus à canibus impetitus, ſuorum velocitatem pedum adhibet ad currendum, ut montes aſcendat, innumeriſque ſeſe exponit periculis, ut vitam faciat ſalvam. Hericius alicui ſubjacens tempeſtati, deliteſcit ſpinis ſuis in lapidibus, è quibus nulla violentia poteſt eum avellere. De omnibus iſtis animalibus Incognitus *c* dicit, *Herodius eſt nomen cujuſdam avis prædalis, quæ in celeritate volatus cæteras aves tranſcendit: quia modicum habet de carnibus, quæ gravant, & multum de plumis, quæ levant. Vnde propter volatus ſui celeritatem, etiam aquilam impetit. Hæc avis nidificat in cedris, ita quòd cedri ſunt domus ejus. Et propter celeritatem volatus, regina aliarum avium dicitur, & ductrix: eo modo quo leo propter fortitudinem dicitur rex, & dux animalium. De iſta ergo ave dicitur, Herodij domus. Hæc enim pars ſpectat ad præcedentem. Dictum eſt enim, quòd paſſeres nidificant in cedris: ſequitur quod ſimiliter & Herodii. Vnde de cedris dicitur, quòd ſunt Herodii domus. Sed quod ſequitur, Dux eſt eorum, refertur ad paſſeres, ſcilicet, ad alias aves, quarum Herodius dux eſt, ſive rex. Conſequenter agit de habitatione animalium, dicens, Montes excelſi cervis, ſcilicet, præſtant habitationem: quia cervi libentiùs latibula ſua in montibus parant. Et ſequitur, Petra refugium herinaciis. Herinaceus enim idem eſt, quòd Hericius animal totum ſpinoſum. Et hoc animal libentiùs habitat in petris & in locis duris: quia quando eſt in locis mollibus, ejus ſpinæ infiguntur terræ, & ſic minùs liberè poteſt moveri.* Ex hâc exiguâ inductione extendere polluimus providentiam Dei ad cæteras creaturas, quæ infortunio impetitæ, in locum ſibimetipſis tuendis conſonum ſe recipiunt. Quòd ſi Providentia divina ſingulariùs emicat in gubernatione creaturarum, debet illa eſſe creaturis rationalibus altare refugii, civitas ſecuritatis, & tutior arx quàm cæteris animalibus: & ſi auxilia ibi debent eſſe frequentiora ubi commotiones ſunt ordinariæ, *Homo*, qui *natus de muliere, repletur multis miſeriis* d, & continuis impetitur infortuniis, invenire debet ſub protectione iſtius Providentiæ aſylum contra omnes iſtas violentias præparatum. Nemo eſt qui de iſtâ ambigat veritate, & ecce illius probatio in perſonâ mulieris Chananææ, adverſitas illam opprimit, quin imò diabolus eam vexat in perſonâ filiæ ipſius, ab omnibus ipſa deſpicitur tempore ſuæ afflictionis; & ſicut paſſer terrore concuſſus ad exploſiones catapultarum, domos deſerit, in agros volat, in cedris nidificat excelſiſſimis; ita intueor hanc avem debilem deſerere ſui locum periculi, *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.* Ut conſtituat ſe ſub protectione myſticæ Cedri Libani, quæ non eſt alia niſi Filius Dei, ut docet idem Incognitus, *Chriſtus ipſe propriè Cedrus dici poteſt. Iſta ergo Cedrus domus eſt, & refugium paſſerum, ſcilicet parvorum & humilium hominum, quos ad ſuam gratiam liberè recipit.* Quia Salvator eſt ſolum verorum fidelium fulcrum, *Miſerere mei Domine Fili David.* Non poteſt ipſa dirigere volatum impotentiæ ſuæ ut pertingat ad hoc aſylum ſacrum ſine efficaci directione: Jeſus Chriſtus autem erit Herodius, qui eam diriget, animabit, & deducet ad hunc uſque felicem terminum mediâ præventione & continuatione gratiarum ſuarum, ut ipſemet ait, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* e. Erravit illa diu per agros deliciarum mundanarum, ut cerva paſta in ſylvâ concupiſcentiarum ſuarum, & nunc cùm ipſam magis impetit anguſtia, quàm canes cervam inſequantur, à ſuis ipſa ſe diſſolvit voluptatibus, ut quieſcat ipſa in faſtigio excelſi montis, qui non eſt alius niſi Salvator, *Et erit in noviſſimis diebus præparatus Mons in vertice montium* f. Super quod ait Cornelius g, *S. Hieronymus, Baſilius, Rupertus, & multi alii veterum conſent montem hunc eſſe Chriſtum: hic enim eſt mons in vertice montium, id eſt, Apoſtolorum & Prophetarum, quos ſuâ doctrinâ & gratiâ ſuperat & excellit.* Ad hunc aſpirat ipſa Montem deſideriis ſuis, ad eum bonis pervenit operibus, ſolum iſtud efflagitat ipſa aſylum, *Miſerere mei Domine Fili David.* Et quia peccata ipſius efficiebant ipſam hoc acceſſu indignam, abſcondit ipſa ſe more Hericii ſpinoſi in Lapide ſacro: & quò magis ipſa deſpicitur à Chriſto, à quo more canis excipitur; *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mit-*

b Pſ.103.16.&c.

c Incognit. in Pſ.103.16.&c.

d Job 14.1

e Joan.15.5

f Iſai.2.2

g Cornel. in Iſai.2.2

& mittere canibus; eò meliùs adhæret ipſa præ fiduciâ merito illius, qui cautam præſtare debet ipſius cauſam. *At illa dixit, Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Totam ſpem ſuam refundit in *Lapidem probatum, angularem, pretioſum. Qui crediderit, non feſtinet* h, Quæ ultima verba ſic exponit Cornelius i. *Nota, LXX. & ex iis S. Petrus* k *& Paulus* l, *pro non feſtinet, vertunt, non confundetur, id eſt, non trepidet: non enim confundetur, ſed ſpe ſuâ potietur* Chananæa, quia ipſa eſt de numero illorum, de quibus dicit Incognitus, *Et iſtis refugium eſt Petra Chriſtus* m: *quia tales Chriſto per fidem adhærent. Et iſtos notat, dicens, Petra refugium herinaciis.* Quod patet ex verbis Evangelii noſtri, *Tunc reſpondens Ieſus, ait illi, O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illâ horâ.* Ita ut Chananæa hoc in occurſu verificet omnia media Providentiæ quæ Pſalmiſta deducit. Et hinc inducor ad oſtendendum vobis Primò, Chriſtum eſſe aſylum miſerorum. Secundò, Quânam ratione ad eum recurrere debeamus. Exemplum Chananææ nobis utrumque prædicat.

h Iſai. 28. 16
i Cornel. in Iſai. 28. 16
k 1. Petr. 2. 6
l Rom. 10. 11
m Ex 1. Cor. 10. 4
Diviſio

I. Pars
n Deut. 19. 2. & 9

Conſtituit Deus aliàs in Lege n Moſaicâ ſex *civitates refugii*, in quas ſe poſſent rei recipere patrato aliquo crimine: & in Lege gratiæ ipſe omnibus præſens virtute ſuâ vult eſſe Civitas protectionis, aſylum commune peccatorum & Juſtorum. Iſtam publicat Iſaias o veritatem: *In die illâ cantabitur canticum iſtud in terrâ Iuda: Urbs fortitudinis noſtra Sion. Salvator ponitur in eâ murus, & antemurale. Aperiatur porta, & ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem.* Prædicator Apoſtolice, annuncia populo, eum eſſe aſylum, ad quod ipſi debeant recurrere, januæ illius ſunt apertæ, & peccatores ingredientes iſtius aſyli locum, recipiunt juſtitiam, ſanctitatem, & perfectionem, ut cenſet S. Cyrillus apud Corneliū p dicentem, *Cyrillus putat hæc eſſe verba Dei ad Apoſtolos, Quaſi diceret, Vos, ô Apoſtoli, eorumque imitatores patefacite Gentibus aditum per prædicationem in Eccleſiam, ut fiant gens juſta, & cuſtodiant veritatem.* Et ſecundùm verſionem Symmachi quæ ſequitur literam LXX. *circummurale*, apud eundem Cornelium, habemus in hoc loco *firmamentum*. Et in hoc concurrit cum mente Pſalmiſtæ q dicentis, *Et erit firmamentum in terrâ.*

o Iſai. 26. 1. & 2
p Cornel. in Iſai. 26. 2
q Pſ. 71. 16

Prima culpa, cujus conſcium ſe reddidit uterque Protoplaſtus noſter, cùm vetito *de fructu comedit* r, aperuit viam omnibus infortuniis, quæ nos impetunt, *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* ſ. Sed confeſtim Dei Providentia noſtris manifeſtavit Progenitoribus Jeſum Chriſtum futurum remedium hujuſmodi infortuniorum, & aſylum propitium ad quod deberent ipſi recurrere, æquè ac ipſorum poſteri. Communis eſt opinio Patrum Scholaſticorum, & Poſitivorum, Deum revelaſſe Adæ Incarnationem Verbi, ut diſceret ipſum futurum defenſorem & protectorem illorum, qui tot erant culpâ ipſius infelicitatibus implicati. Eandem agnovit Noë defenſionem, cùm Deus poſt diluvium, ſuum poſuit *arcum in nubibus, & ſignum fœderis inter* ipſum fuit *& inter terram* t. Nam, ut obſervat S. Ambroſius, Propheticè cognovit, quòd hic arcus eſſet idea ſenſibilis Jeſu Chriſti extendendi more arcus ſuper arborem Crucis, conjungentis duas naturas in unitate perſonali, ita ſtat meteori plures colores in uno ſolo lumine, pacificantis *per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* u. Et miſeros virtute ſuarum influentiarum protegentis: *Non enim, ſicut plerique arbitrantur, arcum iſtum dicit, quem ajunt homines eſſe, quo pluviarum ſigna aliqua declarentur, in quo colores diverſi tanquam radiorum Solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium claritore figurentur. Eſt ergo virtus inviſibilis Dei, qua & ſpecies ejus arcus extendendi & remittendi moderatur pro divinâ voluntate, miſericordiâ, poteſtate, qua neque omnia confundi nimiâ ſolutione, neque dirumpi nimiâ irruptione patiatur* x.

r Gen. 3. 6
ſ Rom. 5. 12
t Gen. 9. 13
u Coloſſ. 1. 20
x S. Ambr. lib. de Noe & Arcâ c. 27.

Nullam habebat aliam fidem Abraham, & fides hujus veritatis fuit cauſa juſtitiæ ipſius, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiā* y. Omnia deſideria ejus ad hunc tendebant ſcopum, ut intueretur diem quo verbum manifeſtandum erat, ut poſſet effectivè recurrere ad protectionem ejus, ut ipſe Dei Filius incarnatus deinde dixit Judæis. *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt* z. Jacob extremum vitæ agonem agens, iſtud declarat myſterium duodecim Patriarchis filiis ſuis a, & alloquens filium ſuum Joſeph, certum eum facit de hâc defenſione, *Deus patris tui erit adjutor tuus.* Et ſolemniùs in benedictione Dan, *Salutare tuum expectabo Domine*: Super quod verſio Chaldaica ita legit apud Cornelium b, *Non expecto ſalutare Gedeon* c *filii Ioas, cujus ſalus eſt temporalis; neque ſalutare Samſon* d *filii Manue, quæ ſalus eſt tranſitoria; ſed expecto redemptionem Chriſti Filii David; qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſrael, cujus redemptionem deſiderat anima mea.* Sequela eſt myſterioſa: Patriarcha enim Jacob ait filio ſuo Dan, quòd ipſe futurus eſt coluber in itinere, aut ſicut ceraſtes mordens equum, & veneno ſuo inficiens equitem, & ephippio eum excutiens, *Fiat Dan coluber in viâ, ceraſtes in ſemitâ mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò.* Et confeſtim ut antidotum huic veneno ejiciendo accommodum opponit Redemptorem, *Salutare tuum expectabo Domine.* Super quod Plinius apud eundem Cornelium e dicit, *Ceraſtes ſerpens eſt quadrigemina habens cornua ſimillima arietum (unde & Ceraſtes dicitur, id eſt, cornutus, à κέρας, id eſt, cornu.* Vel, ſi malitis, colloquitur Jacob cum Dan, Attende, fili mi, quòd ſemita vitæ tuæ erit ſtrata ſuperbiâ, ſerpentibus, & infortuniis: inter hæc verò pericula memento Redemptoris, qui cautam præſtabit cauſam tuam, & erit vis infirmitatis tuæ tutrix.

y Rom. 4. 3. ex Gen. 15. 6
z Joan. 8. 56
a Gen. 49. 1. &c
b Cornel. in Gen. 49. 18
c Ex Judic. 6. 29
d Ex Judic. 14. 1
e Cornel. in Gen. 49. 17. ex Plin. lib. 8. c. 9

De hâc Salvatoris fortitudine authenticè loquitur Iſaias f, dicens, *Quis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui revelatum eſt?* Quaſi diceret, Quis poterit perſuadere ſibi veritatem, quā Deus mihi revelavit? Et quis cognoſcit brachiū Dei, id eſt, illius virtutem, quæ tueri & protegere debet homines? *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terrâ ſitienti.* Hæc virtus eſt Meſſias, qui naſcetur è Virgine impollutâ inſtar virgulti è terrâ incultâ. Res autem eſt mirabilis, quòd omnium abjectiſſimus erit hominum & opprobrium mundi; & tamen vulnera ejus erunt noſtra ſanitas, confuſio illius gloria noſtra, & depreſſio ipſius refugium noſtrum. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & livore ejus ſanati ſumus.* Idem Propheta g invitans Verbum Divinum ad induendam naturam noſtram, ut erigeret in humanitate ſuâ hoc altare

f Iſai. 53. 1 &c.
g Iſai 33. 8

Digitized by Google

re refugii, & eſſet brachium quod protegeret naturam noſtram innumeris infortuniis impetitam, ipſum ſic alloquitur, *Domine miſerere noſtri: te enim expectavimus, eſto brachium noſtrum, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.*

h Pſ.43.4. & 5 Idem agnoſcit Pſalmiſta *h* brachium, quod omnes generaliter referunt ad Verbum Incarnatum, quod eſt defenſor & protector populi ſui, *Brachium eorum non ſalvavit eos, ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniã complacuiſti in eis.* Quaſi diceret, Brachium, ſeu fulcrũ, cui innitebantur ſpes ipſorum, ipſos non adjuvit; ſed brachium Domini fuit eorũ fulcimentum unicum præparatũ à clementia tua, *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob.* Et i Pſ.45. 1. &c. apertiùs alibi i, *Deus noſter refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis: propterea non timebimus.* Si conſideremus, Dei Filiũ magnitudinem ſuam noſtræ univiſſe depreſſioni, ut nobis efficaciùs auxiliaretur converſando nobiſcum, *Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob*, iſte Deus virtutum, qui eſt auxiliũ hominum, nobiſcum eſt, & ope virtutum ſuarum, & uniens ſe perſonaliter naturæ noſtræ, ut obſtringat ſe hoc fœdere ad tuenda omnia illius individua, *Suſceptor noſter Deus Iacob.*

k Iſai. 12. 2. &c. Iſtud Iſaias *k* ſpiritu Prophetico prævidens refugium, illudque conſiderans ut præſens, propter ipſum exultat, *Ecce Deus Salvator meus; fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutẽ.* Ut autem omnes ſciant, ipſum loqui de Verbo incarnato, ſubdit Propheta, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.* Et alibi *l* l Iſai. 11. 2. &c. declarans adventum Meſſiæ ſub myſterio virgæ *de radice Ieſſe*, poſt enumeratas perfectiones ejus, *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, &c. concludit aſſerens nobis, ipſum futurum in gratiam noſtri, montem refugii, aſylum ſacrum, & defenſionem ſecuriſſimam, *Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo. In illâ die radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.* Nunquid iſtam non videmus prophetiam in Evangelio noſtro adimpletam? Iſtas Chananæa divinitùs inſpirata agnoſcit veritates & prima eſt è Gentibus, quæ recurrit ad hunc refugii locum humilibus orationibus ſuis; id eſt, incipit invocare auxilium Jeſu Chriſti, & experiri effectus protectionis ejus: ad hoc enim punctum tendunt omnia oracula præcedentia, quæ verificantur in hâc hiſtoriâ.

Sed quàm merito jure miratur Jeſus Chriſtus in Evangelio noſtro fidem iſtius Chananææ, quæ penetravit ſecretum credendi, quòd homo infirmus, eſſet Filius Dei æquè ac Davidis, & totius defenſor naturæ; agnoſcendi, quòd iſtud brachiũ divinum poſſet dæmonem à filiâ ſuâ ejicere; & ita proficuè & utiliter præſumendi de bonitate ejus, ut non foret ipſa repellenda ab exauditione orationis ſuæ, etiamſi pagana, peccatrix, & hujuſmodi gratiâ indigna, *O mulier magna eſt fides tua.* S. Auguſtinus *m* hanc admiratus eximiã m S. Aug. in Pſ. 44. 13 fidem poſt Salvatorem, traducit eam in allegoriam, & ait hoc eſſe ſymbolum Gentilitatis miraculosè converſæ lenociniis gratiæ cœleſtis: ſic autem loquitur in hæc verba Pſalmiſtæ, *Et filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur. Filia Tyri, filia Gentium. Inde erat illa Chananæa, quæ primò canis eſt appellata; quæ primò canis erat apud patrem ſuum, & in populo ſuo, clamando, & veniendo ad iſtum Regem decora facta credendo in illum, quid meruit audire? O mulier! magna eſt fides tua.* Gentilitas incipit in hâc Chananæâ agnoſcere Jeſum Chriſtum ut protectorem ſuum. Dicamne hoc vergere in confuſionem Chriſtianorum noſtri temporis, qui ſuam non collocant fiduciam niſi in divitiis, in vanitatibus, in carne, & in ſanguine? *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quaſi myrica in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto in terrâ ſalſuginis & inhabitabili.* Sicut è contrà, *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit cùm venerit æſtus. Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Expectatio Iſrael Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur*, &c. *Sana me Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero: quoniam laus mea tu es* n. n Jer. 17. 5. &c.

Queritur Deus, quòd Ephraim languens & cognoſcens infirmitatem ſuam, auxilium efflagitaſſet à Principe Aſſyriorum, nedum divinam imploraret opem, *Vidit Ephraim languorem ſuum: & abiit Ephraim ad Aſſur: & ipſe non poterit ſanare vos.* Nedum autem ſuum ibi inveniat remediũ, è contrà infortunium ejus reduplicabitur, *Ego quaſi leæna Ephraim* †. Puniturus enim infidelita- † Oſee 5. 13. & 14 tem ejus, ait Deus, exhibebo me illi ſicut leænam, id eſt, terribilem & furioſum per incremẽtum laborum, & pœnarum, quibus illum affligam. E contrà, *Mulier quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis, & erogaverat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deteriùs habebat; cùm audiſſet de Ieſu, venit in turbâ retrò, & tetigit veſtimentum ejus: dicebat enim, Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus; & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plagâ* o. Nullum invenerat hæc remedium, donec o Marc. 5. 25. &c. acceſſit ad Salvatorem mundi. Chananæa fuit afflicta uſque ad occurſum hujus aſyli: nec ullam reperimus nos quietem niſi *ſub umbrâ alarum* p p Pſ. 16. 8. protectionis ejus, *Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis: beati omnes qui expectant eum* q. Collocanda eſt q Iſai. 30. 18 igitur fiducia noſtra in Deo, & non in creaturis; quod Deus corripit, *Væ filii deſertores* r, &c. Su- r Iſai. 30. 1. &c. per quod Pintus ſ ait, *Filios deſertores appellat* ſ Pintus in Iſai. 30. 1. &c. *Deus eos, qui eo contempto ad humana remedia confugiunt. Aſpicis hîc quàm graviter delinquant ii, qui in periculis, in ærumnis, & neceſſitatibus Deum non conſulunt, nec ad ipſum confugiunt; ſed in hominibus totam ſpem ſuam ac fiduciam reponunt. Vult Deus ut in ipſo ſpei noſtræ anchoram* t *conſtanter figamus.* t ex Hebr. 6. 19 Proſequitur Iſaias, *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbrâ Ægypti.* Quibus addit Pintus, *Aſpicis quantùm noceat confidere in fortitudine & auxilio Principum terræ, & in favore humano, contempto divino. Adverte hominum favores, opes, & potentiam umbram Ægypti appellari. Ut enim nihil eſt fugacius umbrâ: ſic res humanæ nihil habent ſoliditatis, nihil perpetuitatis, nihil firmitudinis. Cur igitur quæris, & ardenter concupiſcis res mobiliſſimas, meras umbras, quæ tibi pariant confuſionem & ignominiam?*

Hæc animalia ſupradicta, quæ quærebant locum ſecuritatis, figurabant nobis conditionem om-

omnis generis hominum, Juſtorum, peccatorum & pœnitentium, ut docet S. Auguſtinus *u* in hæc verba Pſalmiſtæ, [u S. Aug. conc. 3. in Pſ. 103. 17. & 18] *Cedri Libani, quas plantavit, illic paſſeres nidificabunt. Herodii domus dux eſt eorum, montes excelſi cervis: petra refugium herinaciis.* Et quòd Jeſus Chriſtus, in mari, in terrâ, in montibus, & ubique eſt ipſis aſylum propitium, *Cervi magni, ſpiritales tranſcendentes in curſu omnia ſpinoſa veprium atque ſylvarum, Qui perficis, inquit, pedes meos ſicut cervi, & ſuper excelſa ſtatuens me x*, [x Ex Pſ. 17. 34] *teneant montes altos, alta præcepta Dei, ſublimia cogitent, teneant ea quæ multùm eminent in Scripturis, juſtificentur in ſummis, cervis enim ſunt illi montes Altiſſimi. Quid de humilibus beſtiis? quid de lepore? quid de hericio? Lepus minutum animal, & infirmum, Hericius etiam ſpinoſum, minor eorum. Illud animal timidum, iſtud animal ſpinis coopertum. Spinæ autem quid ſignificant niſi peccatores? Qui peccat quotidie, etiamſi non magna peccata, minutiſſimis ſpinis coopertus eſt. In eo quod timet, lepus eſt, in eo quòd minutiſſimis peccatis operitur, hericius eſt, & non poteſt tenere illa excelſa & perfecta præcepta. Illi enim montes Altiſſimi cervis. Quid ergo iſti, lepus & hericius? pereunt? Non. Sic enim montes Altiſſimi dati ſunt cervis, ut & hic videas quid ſequatur: Petra refugium hericiis & leporibus. Quia factus eſt Dominus refugium pauperis y*. [y Ex Pſ. 9. 10] *Ponas petram illam in terrâ, refugium eſt hericiis & leporibus; ponas illam in mari, domus eſt fulicæ. Ubique utilis petra. Et in montibus ipſa utilis, quia montes ſine petra fundamento ruerent in profundum. Ubique ergo petra refugium noſtrum. Sive in montibus excelſa ſit, ſive in mari tundatur fluctibus, non frangatur: ſive in terrâ ſolidetur, ad illam cervi, ad illam fulica, ad illam lepus, & hericius. Tundant pectora lepores, & hericii confiteantur peccata ſua. Licèt cooperti ſint minutis quidem quotidianiſque peccatis: non deeſt tamen eis petra, quæ illos docuit dicere, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris z*. [z Matth. 6. 12] *Petra refugium hericiis, & leporibus.*

Iſtud prædixerat Iſaias *a*, [a Iſai. 34. 15] dicens, *Ibi habuit foveam hericius*, &c. Id eſt, peccator. Pintus autem *b* [b Pintus in Iſai. 34. 15] intelligit per hæc animalia, quæ Iſaias enumerat, Saracenos & alios infideles, Gentiles & barbaros. Et Herodius inter volatilia, habetur ab aliquibus pro piſce marino; nituntur illi iis quæ dicit Oppianus apud Lorinum *c*, [c Lorin. in Pſ. 103. 18] hanc avem vivere è mari: vel potiùs illis quæ priùs ipſos docuit idem S. Auguſtinus *d*, [d S. Aug. loco ubi ſuprà.] *Fulicæ domus dux eſt eorum. Quæ eſt fulicæ domus? Fulica ſicut omnes novimus, marina avis eſt, vel in ſtagnis eſt, vel in mari eſt. Habet quamdam domum non facilè in litore terræ, aut nunquam, ſed in iis quæ in mediâ aquâ ſunt, plerumque ergo in petris, quas aqua circumdant. Intelligimus ergo petram eſſe idoneam fulicæ domum, nuſquam tutiùs & firmiùs habitat, quàm in petrâ.* Et in hoc ſtatu Herodius ſeu fulica eſt imago animarum pœnitentium, quarum receptus non eſt alius niſi lapis ſacer, *Herodii domus dux eſt eorum: montes excelſi cervis: petra refugium herinaciis.*

Ecce igitur refugium noſtrum, Auditores. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur* e. [e Prov. 18. 10] Hoc auxilio muniti bellum inferno poſſumus indicere generoſiùs quàm aliàs Iſaias *f*, [f Iſai. 50. 8. & 9] *Stemus ſimul. Quis eſt Adverſarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus. Quis eſt qui condemnet me?* Balaam, etiamſi ſceleſtiſſimus, nobis tamen iſtud prædixit aſylum, dicens, *Robuſtum quidem eſt habitaculum tuum: ſed ſi in petrâ poſueris nidum tuum.* Sed ſi è contrà ab hoc aſylo avertaris te, *Aſſur capiet te g*. [g Num. 24. 21. & 22] Id eſt, diabolus. Propterea Spiritus ſanctus invitat nos ut confugiamus ad iſtum lapidem, *Veni columba mea, in foraminibus petræ* h. [h Cant. 2. 13. & 14] Et David *i* [i Pſ. 54. 7. & 10] volare cupiens, & nidificare in aperturis lapidis myſtici, & recedere à tumultu mundi, dicebat, *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo, & requieſcam? Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Ego verò nihil aliud deſidero niſi actus humilis Chananææ: ipſa ſuis nos edocet exemplis methodum recurrendi ad Deum, deferens ſtatum peccati ſui, *A finibus illis egreſſa.* Humilians ſe coram Deo, ſeque canem reputans, perſeverando in oratione, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.*

[II. Part.] Impoſſibile eſt ut accedamus ad Jeſum Chriſtum, ad aſylum noſtrum ſacrum abſque lenociniis ſuavibus Patris æterni illius, id eſt, ſine virtute gratiæ cœleſtis, quæ noſtram præveniat infirmitatem & impotentiam, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum* k. [k Joan. 6. 44] Ad ſuum creatura ſenſibilis non poteſt pervenire finem motu naturali, ſine impreſſione illius, à quo gignitur. Si alloquamur animam rationalem, quæ ſuam quærit in Deo quietem, quæ totam ſuam *in protectione Dei cœli* l [l Pſ. 90. 1] collocat fiduciam, cùm motus ſit ſupernaturalis, ideò excedit potentiam ejus; & ingenuè fatendum eſt, quòd cauſa prima incipit hunc ſacrum motum cœleſtibus impreſſionibus, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* m. [m 2. Cor. 3. 5] Nemo tamen ſtupore cieatur: exitus enim Jeſu Chriſti manifeſtat nobis abundantiam gratiarum generaliter miſerrimis quibuſque hominibus oblatarum, *Egreſſus Jeſus ſeceſſit in partes Tyri.* Id eſt, ut Tyriis, licèt miſeris & idololatris, ſuas communicaret miſericordias. Ipſe eſt Sol, qui ſuarum diffundit radios gratiarum generaliter ſuper Bonos & malos, *Super quem non ſurget lumen illius* n? [n Job 25. 3] Ipſe *eſt pluvia Pater* o. [o Job 38. 28] Et videtis quânam indifferentiâ circumquaque illam promiſcuè emittit. Ipſe eſt Seminator, qui ſuarum ſemen benedictionum immittit in terras agreſtes, æquè ac incultas, *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum* p. [p Matth. 13. 3] Ipſe eſt Fons, qui ſuarum effundit aquam gratiarum, quibus irrigatur vel ipſe torrens veprium, qui eſt Symbolum animarum peccatricum, *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum* q. [q Joel. 3. 18] Ipſe eſt Paſtor, qui omnes quærit homines, æquè ac unicam ovem æqualitate affectuum & donorum ſuorum, *Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit? & ſi contigerit ut inveniat eam: amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quàm ſuper nonaginta novem quæ non erraverunt: Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis* r. [r Matth. 18. 11. &c] *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum* ſ. [ſ Rom. 2. 11] Ipſe eſt miſericordiæ Pater, qui noſtras ſingulariter ſublevat miſerias, & ſolâ ſuâ ductus bonitate auxilium gratiæ ſuæ nobis ſemper offert, ut ab illis nos eripiat. *In charitate perpetuâ dilexi te; ideò attraxi te miſerans* t. [t Jer. 31. 3] Sufficit igitur ut diſcamus cooperari gratiæ, cùm

illa

illa nemini unquam denegetur, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei* u. Hanc ſpecioſam nos edocebit lectionem Chananæa, quæ ſola inter populum ſic numeroſum proficuè auxilium gratiæ inſumit. Deus illam excitat & invitat motu ſuavi inſpirationum ſuarum ſecretarum; & præventa, confeſtim procedit ei obvia, exiens è patriâ ſuâ; accedit ipſa ad Jeſum Chriſtum, ut experiatur effectum præſentiæ ejus, juxta ſpem quam S. Jacobus x nobis illius ſubminiſtrat, *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Sed illa ad eum accedit poſt derelictas peccati occaſiones, *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa*. Humilians ſe in agnitione nihili ſui, *Etiam Domine: nã & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Et perſeverans in conſtantiâ, fiduciâ, & fervore humilium orationum ſuarum. Si accedamus ad Deum præ ſimilibus conditionibus, merebimur audire ſicut Chananæa, *Fiat tibi ſicut vis*.

u Hebr. 12. 15

x Jacob. 4. 8

Diſcite igitur, Auditores, hanc lectionem à muliere paganâ. Si acceditis ad Deum, & deſideratis habere illum neceſſitatibus veſtris propitium, incipite ab egreſſu Tyro, id eſt, à derelictione peccati, quod Iſaias y comparat fugæ Babylone, *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis*. Quandiu eritis in ſtatu peccati, orationes veſtræ Deo non erunt acceptæ. Non vult *Moyſes* z ſacrificiũ offerre Deo quin exierit ex Ægypto, & trajecerit mare pœnitentiæ. Similem præcipit nobis Deus egreſſum, ut oblationes noſtræ divinæ Majeſtati ſint gratæ. Hæc eſt præparatio ad orationem, quam Eccleſiaſticus a nobis conſulit, *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum*.

y Iſai. 48. 20

z Exod. 8. 26. & 27

a Eccli. 18. 23

Pœnitentiam exaudit Deus potiùs, quàm orationem, *Si clauſero cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locuſtæ, ut devoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: converſus autem populus egerit pœnitentiam; exaudiam de cœlo, & ſanabo terram eorum* b. Et, *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*. Quid ergo eſt faciendum? *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*, &c. *Et venite, & arguite me, dicit Dominus* c. Oſee d invehitur in quoſdam Sacrificatores, qui hoſtias ſuas deorſum projiciebant, *Audite Sacerdotes, & attendite: quia judicium vobis eſt: quoniam victimas declinaſtis in profundum*. Quaſi diceret, Veſtrorum gravitas peccatorum non ſinit ut oblatio veſtra procedat ad tribunal Dei; & ſimiles orationes erunt judicium veſtrum: denuò victimæ veſtræ deorſum ſiſtunt, quia orationes & bona opera nullum habent meritum, nec ullam mercedem in cœlo, ſed ad ſummum impenditur illis commodorum temporalium præmium, vel aliquid ſimile, ut docet S. Gregorius e, *Sunt nonnulli qui idcircò ſe in prece lamentis affligunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus ſancti eſſe videantur. Quid iſti, niſi victimas in profundum deferunt? quid per hoc quòd in imo ſunt quæ requirunt, orationis ſuæ ſacrificium deorſum deponunt?* Oportet igitur ut intentiones noſtræ dirigantur ad cœlum, & tunc orationes noſtræ aſcendent ante Deum.

b 2. Paral. 7. 13. & 14

c Iſai. 1. 15. &c

d Oſee 5. 0. & 2

e S. Greg. hom 4. in Ezech.

Hanc rectitudinem intentionis docet nos *Chananæa, de finibus illis egreſſa*. Moraliter loquendo, deſerit illa omnes affectus erga objecta terrena, ut quærat ſalutem ſuam, & filiæ ſuæ præ pedibus Chriſti. Finis eſt objectum, quod intendimus, & propter quod operamur: Deus ſolus debet eſſe iſte finis ut unicum *bonũ* f entis rationalis: & nos dividimus cor noſtrum, aſpirantes ad multos fines, cùm objecta intendimus temporanea. Egredimini igitur *à finibus* veſtris, & quærentes Deum præ rectitudine intentionis ut unicũ deſideriorum veſtrorum terminum, eum confeſtim habebitis vobis obvium, *Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat* g. Nonne iſtam videtis experientiam in Chananæâ? Venit hæc ad Chriſtũ, & Chriſtus reciprocè ad eam accedit, imò verò illam prævenit. Incipit hæc explicare miſeriam ſuã ut objectum miſericordiæ, quæ flectere debebat Salvatorem, *Miſerere mei*. Si Dominus ſuo debet auxiliari ſervo, nonne tu meus Dominus es? *Domine*. Si miſeria eſt objectum miſericordiæ poteſtne eſſe miſeria major meâ: *Filia mea malè à dæmonio vexatur*. Si apparuiſti *in hoc, ut opera diaboli* h diſſolveres, nonne diſſolutionis iſtius peragendæ occaſiones ſubminiſtrat tibi mea neceſſitas? Et ſi iſtâ ego indigna ſum gratiâ, quippe quæ Ethnica; nonne ipſe es Filius Davidis, qui benefaciebat illis, qui illud non merebantur i? *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus* k. *Miſerere mei Domine Fili David*.

f Exod. 33. 19

g Sap. 6. 14

h 1. Joan. 3. 8

i 1. Reg. 24. 7. &c

k Pſ. 131. 1

Hoc affectu humilitatis munita deprecatio, cœlum penetrat, *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit* l. Effectus attamen intueor oppoſitos huic veritati: Jeſus enim repellit Chananæam, *Nõ ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël*. Suffragium adhibet illa Apoſtolorum, *Dimitte eã: quia clamat poſt nos*. Jeſus autẽ quaſi indignatione cõmotus, reſpondet, *Non eſt bonũ ſumere panem filiorũ, & mittere canibus*. Ecce exceptio inuſitata; ſed ſucceſſus illius victor eſt, & Chananæa triũphans de Jeſu præ perſeverantia orationis ſuæ. Ipſa ſe confitetur canem, *Etiã Domine*. In ſua perſeverat illa deprecatione inter tot repulſas, *Nam & catelli edunt de micis*, &c. Cõſequitur ipſa id quod efflagitat, & aliquo modo evadit omnipotens oratione ſua. *Fiat tibi ſicut vis*. Unde diſcimus Deum tardare exaudire illam, quaſi velit probare virtutes ejus, & incredulorum levitatem increpare.

l Eccli. 37. 21

Lucta myſtice Jacob cum Angelo, iſti conſonat hiſtoriæ: & utraque nobis annunciat fortitudinem orationis conſtantis in perſeverantia ſua. Hoc erat certamen ſpirituale, *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, & cõfortatus eſt: flevit & rogavit eum* m. Jacob autẽ ita generosè ei reſtitit ut de Deo triumphaverit; & iſtud fuit effectus orationis ipſius, *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis* n. Scimus Moyſen orantẽ, veluti ligaſſe brachia Deo, qui videns ſe quaſi devictum, inducias videbatur efflagitare à Propheta ſuo, *Ait Dominus ad Moyſen: Cerno quòd populus iſte duræ cervicis ſit: dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciãq; te in gentem magnam*. Res inaudita! Deus agit cũ Moyſe quaſi per viẽ compoſitionis, *Dimitte me*. Et Moyſes iſtam veluti tenuens peragere compoſitionem cum Deo, adverſùs illum quaſi prævalet, & ab illo conſequitur id quod ipſe expoſcebat o *Placatuſq; eſt Dominus ne faceret malũ, quod locutus fuerat adverſùs populum ſuum* o.

m Oſee 12. 3. & 4

n Gen. 32. 24. & 28

o Exod. 32. 9. &c

Non quærat ampliùs Salomon *mulierem fortẽ* p. *Ecce mulier Chananæa*. Hæc confundit diabolũ humilitate ſua, peccatum fide ſua, triõphat de Chriſto conſtantiâ ſuâ, & meretur audire, *Fiat tibi ſicut vis. Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis*. Orationes prædeceſſorum nunquam tantam præ ſe tulerunt efficaciam quantam iſta. Oratio Moyſis, innumera patrat prodigia in Ægypto q, in mari r, & in deſerto ſ:

p Prov. 31. 10

q Exod. 7. 10. &c

r Exod. 14. 28. &c

ſ Exod. 16. 13

t 3.Reg. 18.36 Oratio Eliæ facit ignem deſcendere t: Oratione
u Joſue 10.13 ſuâ ſiſtere facit Solem Joſue u: Eliſeus ſuſcitat
x 4.Reg. 4.33.&c puerum vitâ functum x: Eſther populum ſuum à
y Eſth. 4. 16 captivitate liberat y: Judith Holofernem do-
z Judith 9.1.&c. & 12.9.& 10 mat z: & Chananæa ſupplicatione ſuâ efficitur
omnipotens, *Fiat tibi ſicut vis*. Et, *Si quid petieritis*
a Joan. 16.28 *Patrem in nomine meo, dabit vobis* a. Et, *Si quis ve-*
ſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo b. Sed cum
b Jacob. 1.5 puritate Chananææ, *Volo ergo viros orare in omni*
c 1.Tim. 2.8 *loco, levantes puras manus* c. Cum humilitate ejus,
Reſpexit in orationem humilium; & non ſprevit pre-
cem eorum d. Et cum fiduciâ illius, *Poſtulet autem*
in fide, nihil hæſitans e. Et oratio veſtra virtutibus
d Pſ.101.18 ipſius inſtructa, erit omnipotens, *Fiat tibi ſicut vis.*
e Jacob. 1.6 Ut autem hos experiamur effectus, incipia-
mus dirigere intentiones & preces noſtras ad
Deum, renovantes in corde noſtro affectus Cha-
nanææ, *Miſerere mei Domine fili David. Filia mea*
malè à dæmonio vexatur. Domine adjuva me. Ecce i-
gitur, Domine, nos miſeriis oppreſſi recurrimus
ad altare miſericordiæ tuæ ut ad aſylum miſero-
rum: ipſe es brachium noſtrum, fulcrum noſtrũ,
firmamentum noſtrum: ipſe quæris oves erran-
tes populi Iſraëlitici, unusquiſque noſtrûm verè
tibi poteſt dicere, *Erravi ſicut ovis quæ periit: quære*
ſervum tuum f. Tu vis diſſolvere *opera diaboli* g. f Pſ.118.176
Ejice igitur diabolum ex animabus noſtris, in g 1. Joan. 3.8
quibus regnat per peccatum. Si autem vis nos
excipere ut canes, tuis annuemus votis, ut Cha-
nanæa: Nobis *contigit enim illud veri Proverbii, Ca-*
nis reverſus ad ſuum vomitum h. *Etiam Domine: nam* h 2.Petr. 2.22.ex
& catelli, &c. Saltem memento, quòd Dominus Prov.26.12
ſatagat ſuos alere canes, & diſtribuere eis micas
menſæ ſuæ: eo ergo te gere modo in gratiam no-
ſtri, ut aliti in hoc mundo micis gratiæ tuæ, refi-
ci poſſimus pane gloriæ tuæ in altero ſeculo.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

At illa venit, & adoravit eum, dicens, Domine, adjuva me, &c. Matth. 15. 25. &c.

SUperbiâ profectò elatus eſt intolerabili Go-
liath a ille infernalis, cùm auſus eſt Davidem
a 1 Reg. 17.41 myſticum, Jeſum Chriſtum aggredi, cumque il-
b Matth. 4.3.&c lo certamen iniit b, à quo tamen devictus &
proſtratus eſt; nihilominùs ille qui glorioſum
c Job 41. 24 retulerat triumphum de diabolo, (qui ita fortis
eſt ut de illo dicat Job c, *Non eſt ſuper terram po-*
teſtas quæ comparetur ei qui factus eſt ut nullum time-
d Apoc. 5.5 *ret;*) ſuperatur ab humilitate mulieris infirmæ.
Iſte Dominus, eſt celeberrimus ille *Leo de tribu*
Iuda d. Et tamen noſtra Chananæa, quæ non e-
rat niſi canis ex confeſſione propriæ humilitatis,
audet illum eâdem ſuâ aggredi humilitate. In-
genuè fatendum eſt, quòd victoria, quam repor-
tavit Jacob de Deo in perſonâ Angeli, cum quo
e Gen. 32. 24.& 28 luctatus erat e, fuit ſingularis; ſed triumphus à
Chananæâ adversùs Salvatorem mundi relatus,
videtur glorioſior. Jacob erat vir, ſed vir eximiâ
præditus fortitudine; hæc autem erat mulier de-
bilis & inermis. Jacob triumphavit de Angelo,
qui repræſentabat perſonam Dei; hæc verò vi-
ctoriam reportat à Deo ipſo in propriâ perſonâ,
humilitate ſuâ. Nemo eſt qui inficias eat, victo-
f Judith 13.10 riam à Judith de Holoferne relatam f, fuiſſe in-
ſignem: ſed nullus eſt qui non dicat, quòd vi-
ctoria, quam reportat hodie mulier Chana-
næa de Filio Dei, non ſit longè majoris momen-
ti. Sancta *erat Iudith vidua, & in ſuperioribus domus*
ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis
ſuis clauſa morabatur; & habens ſuper lumbos ſuos ci-
licium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sab-
g Ibid. 8. 4.&c *batha, & Neomenias, & feſta domus Iſraël* g. Hæc
autem erat *mulier Chananæa*, Gentilis, & miſera.
Hoſtis, quem habebat illa expugnandum, nimi-
tum, *Holofernes, jacebat in lecto, nimiâ ebrietate ſopi-*
h Ibid. 13.4 *tus* h. Inimicus verò, quocum hæc dimicare de-
i Ioan. 1. 14 bebat, erat Deus & homo, *Verbum caro factum,*
plenum gratiæ & veritatis i. Ille inermis erat; hic
verò triplici erat armatus thorace. Primo, *Non*
reſpondit ei verbum. Secundo, *Non ſum miſſus niſi ad*
oves, quæ perierunt domus Iſraël. Tertio, *Non eſt bo-*
num ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Sed
hæc triplicem thoracem iſtum triplici perforat
humilitatis telo. Primo, *Miſerere mei Domine Fili*
David. Secundo, *At illa venit, & adoravit eum.* Ter-
tio, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ*
cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Quod effecit
illam dignam gratiâ, quæ replevit Mariam ad
hæc verba Angeli, *Ave Maria.*
Non immeritò eximii antiquitatis viri præ
curioſitate inquirentes, in quonam eſſet conſti-
tuta ultima hominis felicitas, immorati ſunt
ſpecialiter in rebus ſenſibiliſſimis, & totam re-
pendebant gloriam primo Enti, quod creaverat
omnia, & ſingulis perfectionem conditioni ip-
ſorum accommodam fuerat elargitus, *Vidit Deus*
cuncta quæ fecerat: & erant valde bona k. Quia uni- k Gen. 1. 31
verſa ejuſdem *Dei perfecta ſunt opera* l. Ratiocina- l Deut. 32.4
tiones illorum fulciebantur iis, quæ vitam præ-
ſentem ſpectant, nec ipſi conſiderabant finem
ultimum & æternum, qui nihil aliud dicit niſi
omne Bonum m. Id eſt, complementum & poſſeſ- m Exod. 33.19
ſionem ſummi Boni, quod eſt Deus. Ita alii cre-
diderunt beatitudinem ſitam fuiſſe in ſcientiâ
numerorum; alii ſcientiam bonarum literarum
rati ſunt fuiſſe felicitatem, quam alii colloca-
bant in voluptatibus corporis, aut in deliciis a-
nimi, alii in tranquillitate vitæ præſentis, alii in
ſanitate, alii in divitiis & bonis temporaneis, a-
lii in virtutibus animæ, alii tandem in notitiâ
Dei, & in contemplatione aliquarum nobiliſſi-
marum ſubſtantiarum. Sed more Chriſtiano lo-
quentes, juxta lumina nobis à fide exhibita, (de-
relinquentes hos cæcos tenebris ſuis obvolutos,
cùm oculos non habuerint quos ſurſum eleva-
rent, ſummumque Bonum cognoſcerent, ſaltem
notitiâ practicâ: *ita ut ſint inexcuſabiles: quia cùm*
cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt,
aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus
ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes e-
nim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt n:) dicamus, n Rom. 1. 20.&c.
quòd beatitudo hominis duplici conſiderari po-
teſt modo, aut ex parte objecti, aut ex parte ſub-
jecti, quod debet eam ſuſcipere. Ex parte obje-
cti, vocatur beatitudo objectiva. Ex parte verò
ſubjecti, in quod ipſa recipitur, nuncupatur bea-
titudo formalis. Beatitudo ergo objectiva nihil
eſt aliud niſi objectũ, aut res quæ facit nos poſſi-
dere hoc Bonũ: aut iſtud idem Bonum, quod bea-
tos nos efficit. Beatitudo formalis eſt ipſa poſſeſ-

ſio

ſio felicitatis & gloriæ. Hæc autem beatitudo objectiva cùm inveniri non poſſit in iſto mundo, non poteſt eſſe niſi Deus, qui eſt ſolum Bonum, quod poteſt nobis ſatisfacere, & noſtros omnes ſatiare appetitus, *Qui replet in bonis deſiderium tuum* o.
o Pſ.102.5
Et in quo quieſcunt omnes ſpes noſtræ ut in centro ſuo, *Pars mea Deus in æternum* p.
p Pſ.72.26
Beatitudo formalis, propriè loquendo (nedum in diſcutiendis immorer quæſtionibus Theologicis) conſiſtit in poſſeſſione ipſius Dei: quia ſicut beatitudo objectiva ſita eſt in hoc Bono, quod eſt ſummum; ita beatitudo formalis conſtituta eſt in poſſeſſione iſtius Boni æterni, quod eſt Deus.
q S.Thom. 1.2.q.4.a.2.in concl.
r Scot.in 4.ſent. diſt.49. q.4.
ſ S.Bonav. in 1. ſent. diſt.1.a.2, q.2. in concl.& in 4. ſent. diſt.49.a.1 q.3.
S.Thomas *q* ait, beatitudinem conſiſtere in videndo Deo. Scotus *r* docet eandem ſitam eſſe in amando eodem Deo. Et S. Bonaventura *ſ* dicit, illam conſtitutam eſſe in fruitione ejuſdem Dei: ita ut ſi adhæreamus opinioni iſtius, vel aliorum, ſemper ſit neceſſarium ut videamus Deum, ut illum diligamus; & videndo eum, & amando ipſum, fruamur illo, quia ipſe eſt objectum & finis ultimus, in quo anima beatificatur, & completa experitur omnia deſideria ſua, *Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua*, dicit David *t*, Deum alloquens.
t Pſ.16,15

Sed ad perfectam iſtorum omnium intelligentiam, obſervandum eſt præterea cum Theologis, quòd hæc beatitudo eſt adhuc duplex, una in via, & altera in patria: una in hoc mundo, quæ conſiſtit in operatione virtutis; altera verò in cœlo, quæ ſita eſt in cognitione & in amore, aut, ſi vultis, in fruitione Dei, in quiete, & in tranquillitate. Dei Filius docet nos, quòd una eſt via ad alteram, ideò illas ſimul collocat ut ſorores germanas, *Beati pauperes ſpiritu.* Id eſt, humiles; hæc eſt via, hæc eſt beatitudo mundi iſtius. *Quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* u.
u Matt.5.3
Hæc eſt patria, & beatitudo cœli. Sed obſervate, quòd iſtæ duæ beatitudines idem habent objectum, quod eſt Deus; ſed modus fruendi hoc objecto eſt differens, quia in cœlo videtur Deus facie apertâ, hic verò non videtur niſi per ænigmata, & quaſi ex transverſo ſpeculi, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* x.
x 1.Cor. 13.12.
y Dion. Carth. art. 13. in 1. Cor. 13.12
Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus y, *Videmus oculo intellectuali, id eſt, Deū cognoſcimus nunc, id eſt, in præſenti exilio per ſpeculum, id eſt per obſcuras imagines, ſcilicet creatas eſſentias quæ Dei naturam imperfectè, imò obſcuriſſimè repræſentant. Non enim oſtendunt quid Deus ſit, ſed quid non ſit. Nec oſtendunt de Deo quid eſt, ſed quia eſt. Sic ergo videmus per ſpeculum in ænigmate, id eſt, in tenebroſa ſimilitudine, utpote in formis intelligibilibus, & Scripturarum figuris ac tropis, in quibus modicum quid Divinæ lucis reſplendet. Omnis namque creata eſſentia, omnisque ſpecies intelligibilis intellectum in hac vita perficiens, in infinitum occumbit, & deficit à perfectione Divinæ Naturæ. Idcircò eam repræſentare non poteſt, niſi obſcurè & circumvelatè. Propter quod Diviniſſimus Dionyſius* z *aſſerit: Impoſſibile eſt aliter nobis lucere Divinum radium, niſi circumvelatum varietate velaminum ſenſibilium rerum.*
z ex S. Dion. l.de Cœleſt. Hier.c.1.
Doctrinæ S. Pauli concordat id quod ait S. Joannes a, *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*
a 1.Jo.3.2

Iſte eſt ſcopus fortunatus, ad quem debemus tendere: hæc eſt magnitudo ad quam conſequendam debemus aſpirare. Ut autem ad cœleſtem iſtam pervenire poſſimus beatitudinem, conſequendæ illi conſona capeſſere debemus media: ſi velimus immodicæ erigere fabricam magnitudinis, jacere debemus priùs fundamenta profundæ humilitatis, juxta doctrinam quam Dei Filius nobis dereliquit, ad virtutem iſtam amplectendam nos adhortans, *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur* b,
b Luc. 14. 11.
ad exemplum ſe conformans noſtræ Chananææ, quæ humilitate ſuâ impetrat ab eodem Dei Filio quidquid ab eo expoſcit. Deſidero igitur oſtendere vobis Primò,
Diviſio.
quòd humilitas eſt medium elevandis nobis ad gloriam æternam opportunum. Et ſicut *contraria contrariis oppoſita magis eluceſcunt*, ut ait proloquium Philoſophicum, monſtrabo vobis Secundò, quòd ſuperbia aut ambitio deprimens nos per peccatum, privat nos poſſeſſione iſtius gloriæ ſempiternæ, *Qui ſe exaltat, humiliabitur* c.
c Ibid.

I. Pars.
Si credere velimus iis, quæ nobis annunciat S. Paulus Apoſtolus d, *Inviſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*:
d Rom. 1. 20.
nimirum, quòd creaturæ ſint nobis veluti ſpecula neceſſaria, quæ nobis exhibeant cognitionem Dei, & rerum inviſibilium; fatendum eſt è contrà, quòd idem Deus eſt ſpeculum voluntarium, quod nobis tantùm communicatur, quantùm ipſi placet; & hoc creaturarum ſuarum ſpeculo utitur Deus, ut ſuam nobis gloriam manifeſtet: felicitatem ipſe nobis repræſentat Beatorum, & nos docet viam, quam capeſſere debemus, ut in illam perveniamus, his verbis, *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Nimirum, quòd humilitas eſt medium elevandis nobis in gloriam congruum; quòd fidelis ejus praxis reddet nos poſſeſſores ſummæ felicitatis, quæ non eſt alia niſi ipſemet Deus in cœlo poſſeſſus Empyreo, ut exponit Dionyſius Carthuſianus e, *Qui ſe humiliat, id eſt, veram humilitatem fuerit amplexatus, propriam parvitatem, defectuoſitatem in ſe culpando, penſando, ſeque coram Deo dejiciendo, aut poſtulando, & ejus miſericordiam jugiter implorando, exaltabitur in hac vita per ſublimia dona gratiæ Dei, & in futuro per alta dona gloriæ ejus.*
e Dion. Carth. art. 37. in Luc. 14.11.

Perſuadere nobis intendit Dei Filius, ſicut veriſſimum eſt, quòd gloria cœleſtis ſolis debetur humilibus, *Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* f.
f Matt.5.3
Quinam enim ſunt iſti *pauperes ſpiritu*, niſi humiles corde & voluntate? *Ut ſit ſenſus, Beati pauperes ſpiritu, id eſt humiles corde, qui non inflantur, non magna de ſeipſis præſumunt, nec aliquid boni ſibi, ſed totum Deo attribuunt, penſantes illud Apoſtoli, Quid habes, quod non accepiſti* g? *Et illud, Qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit* h. *De quibus ait Pſalmiſta, Humiles ſpiritu ſalvabit* i: Explicat idem Carthuſianus k poſt S. Hieronymum, S. Auguſtinum, & S. Chryſoſtomum, quos citat. Et ſubdit, *Humilitas enim eſt radix, cuſtos, & ſtabilimentum virtutum, & omnis perfectionis. Quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Cùm enim præmium correſpondeat meritis, humilibus ritè promittitur ſublimitas Regni cæleſtis.*
g 1.Cor.4. 7.
h ex Gal.6 3.
i Pſ.33.19
k Dion. Carth.art. 9. in Matt. 5.3.
Jure igitur dicere poſſumus merito, quòd humilitas eſt baſis & fundamentum omnium virtutum, quas ipſa eminenter in ſe continet; & quòd omnes aliæ virtutes nuncupari non poſſunt tales, niſi fulciantur humilitate. Propterea S. Gregorius *l* ait, *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat.*
l S.Greg. in 3.Pſ. Pœnit. qui eſt 37.3.
Cujus rationem reddit S. Bernardus *m*, dicens, *Sicut enim pulvis venti validi flatu diſpergitur; ſic omne bonum ſine humilitate inanis vento gloriæ rapitur.* Humilitas igitur cæteras
m S. Bern. ſerm.de Don. Spiritus S.

Digitized by Google

virtutes perficit, & eas acceptas Deo reddit; cùm in hoc ſita ſit humilitas, ut æſtimemus nos minimos omnium, & omnes alios majores quàm nos, & meliores nobis. Ipſa eſt Regina omnium virtutum, & Deus volens nobis oſtendere hujus virtutis excellentiam, pollicetur humilibus qui incumbent exercitio illius, gratiam ſuam in hoc mundo, & gloriam ſuam in futuro, *Deus humilibus dat gratiam* n. Rationem iſtius allegat Dionyſius Carthuſianus o, *Quia & peccatoribus ſeipſos ex corde accuſantibus, ac Deo ſubjicientibus, veniamque petentibus Deus peccata remittit, & gratiarum chariſmata elargitur, ut patet in publicans* p. *Humilibus verò jam in charitate exiſtentibus dat gratiarum augmenta. Et quantò ſe L ? profundiùs ſubdunt, humiliùsque ſubſternunt ac ſupplicant, tantò gratia opulentioribus chariſmatibus perfunduntur.*

n Jac. 4. 6. & 1. Pet. 5. 5.
o Dion. Carth. art. 6. in Jac. 4. 6.
p ex Luc. 18. 14.

Si autem petatis à me, quamnam impertiatur illis Deus gratiam, Reſpondeo, quòd non ſolùm pollicetur eis primam gratiam, quam præbet indifferenter omnibus, imò verò gratiam perſeverantiæ, & gratiam finalem. Sic Virgo Deipara omnes eſt merita gratias. Et quare? *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* q Deus. *Hoc eſt, me humilem ejus ancillam, meamque humilitatem ac parvitatem,* ait ipſa organo Dionyſii Carthuſiani r. Qui ſubdit in commendationem humilitatis ejus, *Et meritò ſpecialiter ſuæ meminit humilitatis, magis quam virginitatis, charitatis, aut reliquarum virtutum, quibus præeminenter fulgebat, quia per humilitatem præcipuè meruit taliter exaltari, eratque per eam diſpoſita ad concipiendum Unigenitum Dei, ſecundùm quod in Incarnationis myſterio conſideratur incarnati majeſtas, quæ tanta eſt ut nonniſi ab humillima, & penè incomparabiliter humili Puella decuit eum incarnari, & concipi. Virginitas autem fuit diſpoſitio magis remota; nec ipſa ſine humilitate Domino placuiſſet.* Pater enim æternus volens eligere inter puras creaturas humanas aliquam, quæ foret tabernaculum vivum Filii ſui unici, ſuos projecit oculos in Mariam, & contemplatus eſt profunditatem humilitatis ejus. Ideò S. Bernardus ſ loquens de humilitate beatiſſimæ Virginis, cum eadem reſpondens Angelo, *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum,* ait, *Humiliter ergo reſpondet, ut ſedes gratiæ præparetur.* Hæc autem humilitas ſic fuit immodica, ut gratiarum abundantiam & plenitudinem ſuſcipere metuerit: idcircò *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratia plena.*

q Luc. 1. 48, &c.
r Dion. Carth. art. 4. in Luc. 1. 48.
ſ S. Bern. ſerm. 4. ſuper Miſſus eſt. Luc. 1. 26. &c.

Ut autem iſtud explicemus clariùs & profundiùs, dicamus, quòd prima gratia, vocatur gratia præveniens t, excitans, aut operans, quæ nihil eſt aliud niſi bonus conceptus in intellectu, aut bonos affectus in voluntate, quem Deus nobis indulget, ut excitet nos ad peragendum bonum. Et quòd gratia cooperans u aut concomitans eſt cùm cooperamur huic primæ gratiæ medio concurſu ſpeciali Dei; & hæc gratia quæ nobis eſt infuſa ob conſenſum noſtrum, & propter cooperationem noſtram, nos juſtificat, noſtras ſanctificat animas, & le reddit habitualem, de qua Theologi dicunt, *Gratia habitualis eſt donum creatum ſupernaturale, in eſſentia animæ receptum, quod hominem formaliter Deo gratum & acceptum reddit, operaque illius meritoria vitæ æternæ.* Hæc eſt ipſa gratia quam humiles merentur, *Deus humilibus dat gratiam* x. Quod confirmatur à S. Bernardo y, *Sola virtus humilitatis eſt læſæ reparatio charitatis.* Et alibi z, *Ut charitas detur, humilitas meretur.*

t Pſ. 20. 4.
u Ezech. 36. 27.
x Jac. 4. 6. & 1. Pet. 5. 5.
y [illegible]
z Idem Epiſt. 42.

Non ſolùm autem primam *Deus humilibus dat gratiam.* Imò verò eam in illis conſervat, eiſque impertitur gratiam perſeverantiæ: licèt enim ſimus in gratia conſtituti, & amici Dei, non poſſumus tamen ex nobiſmetipſis agere aliquod opus bonum ſine auxilio ſpeciali Dei, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* a, ait Filius Dei. Et ideò implotanda eſt gratia ejus, ſi continuare & perſeverare in noſtris velimus bonis operibus. Quod confirmatur à Concilio Tridentino b, quod excommunicatione ferit eos, qui negare præſumpſerint iſtud auxilium Dei ſpeciale, *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Pro comperto autem eſt, quòd Deus agnoſcens voluntatem & intentionem, quâ ducimur, ipſi ſerviendi, nunquam deeſt ſuas nobis communicare gratias juxta illud effatum, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Atqui certiſſimum eſt, quòd homo ex ſemetipſo non poteſt habere notitiam Dei, non valet illum diligere, nequit præcepta illius cuſtodire, nec bonum velle, nec illud agere, nec tandem perſeverare diu in bono ſine ſubſidio Dei ſpeciali, quod promittitur humilibus. Super quod S. Fulgentius c ait, *Tantò magis inte cognoſce Dei gratiam, quantò magis tibi humilitatem eſt du videris abundare.* Quia ut perveniamus ad montem perfectionis, & in gratia perſeveremus, oportet ut tranſeamus per vallem humilitatis: & ut quieſcamus in ſtatu gratiæ, rectæ conſonum eſt rationi ut amplectamur & in praxim redigamus humilitatem.

a Joan. 15. 5.
b Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 22.
c S. Fulg. Ruſp. ep. 6. ad Theod. c. 9.

Sed dicamus adhuc meliùs, quòd Deus pollicetur humilibus gratiam finalem, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur* d. Mediâ virtute humilitatis, elevabimur è terra ut poſſideamus hanc gratiam finalem, & ut aliquando participes nos efficiamus Regni cœleſtis. Omiſſâ autem hâc quæſtione Theologicâ, Utrùm gratia finalis diſtinguatur à gloria, ſufficiet mihi dicere, quòd hæc gratia finalis, aut iſta gloria promittitur humilibus, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Iſtud eſt quod edocet nos S. Bernardus e, cùm ait, *Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius invenitur, quâ nimirum Regnum cœlorum emitur, & Divina gratia acquiritur?* Incedendum eſt igitur per viam humilitatis, ſi pervenire velimus ad gloriam; Humilitas eſt via illi conſequendæ opportuna, ſicut & gratiæ ſuſcipiendæ accommoda, *Iam ſi humiles ſunt, valles ſunt, quod infuderis capiunt, non dimittunt. Si venerit aqua ſuper altitudinem, decurrit, & defluit: ſi venerit aqua ad concavum & humilem locum, & capitur, & ſtat,* ait S. Auguſtinus f.

d Luc. 14. 11.
e S. Bern. ſerm. 4. in Vigil. Nat. Dom.
f S. Aug. ſerm. 9. de Verb. Apoſt. c. 3.

Sed ut omnes poſſibiles attribuamus virtuti humilitatis laudes, ſatis nobis eſſet ut inſumeremus verba, quæ ipſemet Dei Filius ad eandem commendandam pronunciavit, decernens ut humiles reputarentur ſicut Dii, *Qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit* g. Ecce humilitas in loco Divinitatis collocata, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ut autem meliùs iſtam concipiamus doctrinam, obſervandum eſt, quòd Deus duplicem peragit ingreſſum in hunc mundum. Primum, Per Incarnationem, *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere* h. Secundùm, Ex-

g Matt. 18. 5.
h Gal. 4. 4.

tremo

tremo judicii die, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo* i. Primus eſt incognitus Judæis, ſed intuebuntur ſecundum, *Videbunt in quem transfixerunt* k. Ratio hujus differentiæ eſt, quòd Incarnatio multis fuit obſcurata figuris l, miſeriis m obvoluta, & paupertate n cumulata; ſed judicium fiet cum ſplendore & magnificentia, & cum ingreſſu digno Divinâ Majeſtate, ut obſervavit Tertullianus o, *Duos dicimus Chriſti habitus à Prophetis demonſtratos, totidem adventus ejus prænotaſſe; unum in humilitate* p, *qua ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, ſicut ſublimitatis ſecundo, de quo ſecundo Adventu Prophetes* q. *Et ecce cum nubibus cœli tanquam Filius hominis veniens venit uſque ad vetetem dierum. Et data eſt ei poteſtas Regia.* Primum ingreſſum peregit Chriſtus, ut eſſet nobis exempli loco, & doceret nos iter, & media, per quæ pergitur in paradiſum, *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* r.

Sed heu! Auditores, cùm de eo dicat Apoſtolus ſ ejus, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus*, quis erit ita induratus in hac concione, ut conſiderans exinanitionem Filii Dei, non proponat firmiter amplecti humilitatem, eam in praxim redigere, & imitari Dominum ſuum, cùm illa ſit via infallibilis, per quam perveniatur ad cœlum? Hæc eſt regula, quam nobis dereliquit, ut ſuæ participes gloriæ nos efficeret. Jeſus Chriſtus captus fuit præ violentia ab inimicis ſuis, *Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum* t. Flagellis æquè ac injuriis fuit affectus, & cruci ignominioſæ & doloroſæ ſuffixus propter amorem noſtrum, *Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Susceperunt autem Ieſum, & eduxerunt: & bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* u. In hac qualitate certos nos reddit, ſe eſſe viam, per quam pergitur ad gloriam, *Ego ſum via* x. Noſque verum capturos iter ad illam dirigens, ſi humiliemus nos, ſi æquo patiamur animo injurias & deriſiones propter amorem ipſius, agnoſcamus nihilum noſtrum, & in omnibus actionibus noſtris veram exerceamus humilitatem, quæ efficit ut approximemus ad ipſum. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* y. Et agnoſcentes *paupertatem* z noſtram, efflagitemus ab eo divitias æternas, & gloriam quæ nullis eſt concluſa limitibus, quia *Gloria & divitiæ in domo ejus* a. Si *famelici* b ſumus, petamus ab illo *panem noſtrum ſuperſubſtantialem* c, & cœleſtem. Ut ægroti, accedamus ad ſummum Medicum, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* d. Ut diſcipuli, ſequamur Magiſtrum noſtrum, *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim* e. *Et diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris* f. Ut ſervi inutiles g, imitemur Dominum noſtrum. Ut cæci, quæramus eum, qui eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* h. Sicut frigidi propter peccata noſtra, adeamus hunc ignem Divinum, qui calefaciet nos flammis amoris ſui, *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur* i? Et ut veros humiles exaltabit nos, *Qui ſe humiliat, exaltabitur* k. Humilitas eſt via infallibilis ad exaltationem; ſicut propter rationem contrariorum ſuperbia nos deprimens, deſtituit nos exaltatione ad gloriam, *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur* l. Et hoc ſupereſt nobis videndum.

II. Pars.

Superbia ſic eſt abominabilis, & ambitio quæ eſt elementum fatale omnium malorum, fines præ ſe fert ita perniciosos, ut ordinariè mentem humanam è propriis rectæ rationis dimoveat limitibus, & hominem ſui ipſius obliviosum efficiat. Similis eſt illa igni, qui ſemper aſcendit, & ſurſum protenditur, ſed qui aſcendendo deſtruit id, circa quod actionem ſuam exercet; & elevando ſe, illud diſſipat, & redigit cineres & fumum in ventum, *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper* m. *Quandiu enim ſuperbia, & aliud peccatum durat, ſemper creſcit: quia diuturnitas peccati ipſum auget, etiam quia intantùm ſuperbia*, ſubdit Incognitus n. Superbia Cyri Perſarum Regis fuit immodica, cùm perhibeatur ſategiſſe, ut à quatuor Regibus currus ſuus traheretur. Et ambitio Tamberlani, qui præ arrogantia ſibi vendicabat titulum Iræ Dei, fuit extraordinaria, qui devicto Bajazeto, & exercitu illius, eundem Bajazetum concludendum præcepiſſe recenſetur in cavea ferrea, ut ipſi eſſet ſcabelli loco, cùm menſæ aſſideret. Eâdem ducebatur ambitione, ut refert Calepinus o, *Tullia filia Servii Tullii, ſexti Romanorum Regis: quæ cùm Tarquinio nupſiſſet, qui poſteà à moribus Superbus eſt cognominatus, viro auctor fuit patrem ſuum occidendi, Regnumque ejus invadendi. Nunciatâ deniq; patris nece, protinus conſcenſo curru ad virum accurrit, ut ei Regni adepti nomine gratularetur: cùmque in patris cadaver in via projectum incidiſſet, dubitantem aurigam, & Regis reverentiâ in latus equos flectentem, compulit ut per medium patris corpus ageret carpentum: à quo tam immani genere impietatis vicus ille Scelerati nomen retinuit.* Propter idem principium ambitionis Adonibezec Rex Chananæorũ extremitates manuum ac pedum præcidendas juſſerat ſeptuaginta Regibus, quos excipiebat ut captivos, quibusque ſolas micas è menſa ſua decidentes in eſcam ipſorum indulgebat, ut ipſemet *dixit Adonibezec, Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias* p. Sed quò non redegerat ambitio Athaliam? Aliàs matres extremâ fame laborantes, proprios coactæ ſunt comedere filios q: ſed *Athalia mater* Ochoziæ Regis Juda, *videns quòd mortuus eſſet filius ſuus, ſurrexit, & interfecit omnem ſtirpem Regiam domus Ioram* r. Quare? Ut ſola regnaret, & famem expleret ſui cordis ambitioſi Regina hæc infortunata. Hæc furia ambitionis armavit filium adverſus patrem. Teſtis eſt Abſalom contra David, *Miſit autem Abſalom exploratores in univerſas tribus Iſrael, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite, Regnabit Abſalom in Hebron* ſ. &c. Socerum contra generum, ut Saulem adverſus Davidem, *Et Saul magis cœpit timere David: factuſque eſt Saul inimicus David cunctis diebus* t, &c. Eundemque Saulem ad occidendos impulit *Sacerdotes Domini. Et ait Rex ad Doëg, Convertere tu, & irrue in Sacerdotes. Converſuſque Doeg Idumeus, irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo* u. Et Herodem ad machinandam necem Innocentium,

i Matt. 25. 31.
k Joan. 19. 37. ex Zach. 12. 10.
l Exod. 12. 3. &c.
m Luc. 2. 7. &c.
n Matt. 8. 20.
o Tert. l. 3. adverſus Marcion. c. 7.
p ex Iſai. 53. 2. &c.
q ex Dan. 7. 13. & 14.
r Philipp. 2. 7. & 8.
ſ 1 Petr. 2. 21.
t Matt. 26. 50.
u Jo. 19. 1. &c.
x Jo. 14. 6.
y Hebr. 4. 16.
z Thren. 3. 1.
a Pſ. 111. 3.
b 1. Reg. 2. 5.
c Matth. 6. 11.
d Luc. 19. 10.
e Jo. 13. 13.
f Matt. 11. 29.
g Luc. 17. 10.
h Jo. 1. 9.
i Luc. 12. 49.
k Luc. 14. 11.
l Ibid.
m Pſ. 73. 23.
n Incognit. in Pſ. 73. 23.
o Calepinus in Dictionar. v. Tullia, citans Livium l. 1. ab Urbe.
p Judic. 1. 7.
q 4. Reg. 6. 29.
r 2. Paral. 22. 10.
ſ 2. Reg. 15. 10. &c.
t 1. Reg. 18. 29. &c.
u 1. Reg. 22. 17. &c.

tium, *Tunc Herodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà* x.

x Matt. 2. 16.

Sic videtis, quòd ambitio nunquam deſcendit ſed jugiter aſcendit ad extremam uſque hominis ruinam, cùm eò proceſſerit temeritatis ut æquiparari Deo præſumpſerit, ut patet in Lucifero, qui intuitu pulchritudinis ſuæ, ſuo dicebat in corde, *In cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis Aſcendam ſuper altitudinem nubium. ſimilis ero Altiſſimo* y. Quod edocet nos, quòd multi jacturam incurrunt ob excellentiam & pulchritudinem virtutum & donorum, quibus à Deo cumulati ſunt. Protoplaſtus noſter Adam formatus *de limo terræ* z, cecidit, inſanâ ductus ambitione, *Eritis ſicut Dij*. Propterea veritò *de fructu comêdit* a. Atqui ſicut humilitas eſt omnium Regina virtutum, ut diximus; ſic aſſerere poſſumus, quòd ſuperbia & ambitio eſt omnium vitiorum origo: & ſicut per humilitatem, amici ſumus Dei; ita per ſuperbiam, inimici illius evadimus: per humilitatem homo aſcendit ad cœlum, & per ambitionem deſcendit ad inferos, ſicut illuc deſcendit & cecidit *de cœlo Lucifer, ad infernum in profundum laci* b detractos. Per humilitatem meretur homo vitam æternam, & per ambitionem comparat ſibi mortem ſempiternam: per humilitatem accedit ad Deum, ſicut noſtra Chananæa, & per ambitionem & ſuperbiam ab eo recedit, *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit* c. Et, *Deus ſuperbis reſiſtit* d. Et S. Bernardus e deſcribens ambitionem, eam ſic delineat, *Ambitio ſubtile malum, peſtis occulta, mater hypocriſis, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, generans ex medicina languorem.*

y Iſai. 14. 13. & 14.
z Gen. 2. 7.
a Gen. 3. 5. & 6.
b Iſai. 14. 10. & 15.
c Pſ. 137. 6.
d Jac. 4. 6. & 1. Pet. 5. 5.
e S. Bern. in Hom. c. 4.

Sed obſervete, quæſo, quòd humilitas gratiam meretur; & econtrà ſuperbia facit nos cadere in vitia. Sic Protoplaſtus noſter Adam propter ambitionem ſuam noſtrarum cauſa fuit infirmitatum, quia per peccatum ſuum totam poſteritatem ſuam inquinavit peccato originali, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* f. Super quod S. Auguſtinus g ait, quòd *per vulnus originalis peccati, in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura eſt, & omnium concupiſcentiarum morbus inolevit.* Re autem verâ jure merito dicere poſſumus, quòd peccatum originale per ſuperbiam & ambitionem patratum nos infirmos effecit, & omni generi infortuniorum obnoxios, cùm doceant nos Theologi, quòd homo per peccatum ex juſto factus eſt peccator, quia potentiæ naturales quæ perfectæ erant per juſtitiam originalem, infirmæ evaſerunt & defectibus ſcatentes innumeris per peccatum. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea* h. *Ille enim firmatur in aliqua virtute, qui ipſam corde diligit, & factis ſectatur: ſic & per oppoſitum ille infirmatur in aliqua virtute, qui ipſam corde, & opere fugit*, ait Incognitus i poſt Pſalmiſtam.

f Rom. 5. 12.
g S. Aug. l. 2. Reſpon. S. Proſper. c. 1.
h Pſ. 33. 11.
i Incognit. in Pſ. 33. 11.

Propterea ſciendum eſt, hominem quatuor fuiſſe impetitum vulneribus; aut, ſi velitis, quatuor eſſe effectus peccati originalis. Primus effectus eſt ignorantia, non quòd per peccatum homo fuerit omni deſtitutus notitiâ, aut quòd judicium ſit cæcum, ſed quòd homo non habeat cognitionem, quâ viguiſſet in juſtitia originali. Secundus effectus eſt malitia, quia homo per peccatum eſt proclivior ad malum, & ad voluptates ſenſibiles. Tertius effectus eſt concupiſcentia, quia appetitus concupiſcibilis immoderè deſiderat id omne quod ſenſibus blanditur. Quartus effectus eſt infirmitas, quæ cauſat omnes imperfectiones naturæ, cùm non poſſit reſiſtere infirmitati corporis ad acquirendam perfectionem, & ad aggrediendas res difficiles, quæ inducunt nos ad virtutem amplectendam, cùm juſtitiâ deſtituti ſimus originali. Obſervate autem, ſi placet, naturam non ita fuiſſe ſauciatam, quin rendere poſſimus ad perfectionem, ſed profectò majori labore & difficultate: ambitio autem & ſuperbia eſt cauſa omnium miſeriarum & inordinationum naturæ. Hinc inferre poſſumus, quòd cùm ambitio ſit cauſa peccati originalis, eſt etiam cauſa omnium peccatorum, quæ perpetrantur in mundo, cùm peccatum ſic definiat S. Auguſtinus k, *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.* Atqui ambitio & ſuperbia nihil aliud eſt, niſi facere, aut dicere, aut concupiſcere rem aliquam adverſus præceptum Dei: ergo eſt cauſa peccati. Quòd ſi humilitas nobis gratiam tribuit, ſuperbia ob rationem contrariorum labi nos facit in peccatum, non ſolùm originale, ſed actuale; & è magnitudine & vanitate imaginariâ projicit nos in abyſſos, ut ait S. Bernardus l, *Superbia de ſupernis ad ima præcipitat, humilitas de imis ad ſuperna elevat.* Sic Protoplaſtus noſter Adam per ambitionem ſuam lapſus eſt in peccatum, ſed peccatum originale in tota poſteritate ipſius, quæ eo infecta fuit, ut ait idem S. Bernardus m, loquens de omnibus hominibus in perſona ſua. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas in me* n, *totum infecit concupiſcentia. Lex peccati* o *in membris omnibus invenitur; undique per feneſtras mors intrare* p *contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculoſiùs ſævit, crudeliùs malignatur.* Videtis igitur quòd ambitio & ſuperbia primi Parentis noſtri Adæ ut origo omnium infortuniorum, nos effecit infirmos, & ignorantes, & quòd per peccatum originale potentiæ naturales, quæ erant perfectæ per juſtitiam originalem, infirmæ evaſerunt; & homo è juſto factus eſt peccator, & elevare ſe volens ſurſum vanitate, deorſum lapſus, humiliatus eſt; homo, inquam, iſto lapſu contraxit ignorantiam, malitiam, concupiſcentiam, & infirmitatem, quæ ſunt effectus peccati originalis.

k S. Aug. lib. 22. contra Fauſt. c. 27.
l S. Bern. ſerm de Donis Spiritus S. c. 2.
m S. Bern. ſerm. in illud Job: In ſex tribulationib. &c.
n ex Iſai. 1. 6.
o ex Rom. 7. 23.
p ex Jer. 9. 21.

Si autem ſcire velitis quidnam ſit peccatum originale, Dicam, peccatum ſumi duobus modis, aut pro actione, quæ in ſe non eſt peccatum, aut pro macula quæ remanet in anima peccatoris: idcircò dicitur, quòd homo habeat peccatum in anima, & quòd ſit peccator. Si ſermo ſit de actione peccati originalis, ſciendum eſt, eam nihil aliud eſſe niſi primam inobedientiam Adæ, patratam ab eodem Adamo, non prout erat perſona particularis, ſed quatenus totum repræſentabat genus humanum. Si loquemur de peccato originali intuitu maculæ quæ remanſit poſt peccatum Adæ, unde homo peccator cognominatur, nihil aliud eſt niſi privatio juſtitiæ & gratiæ originalis: hæc autem macula eſt in anima, quam reddit inimicam Deo, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* q.

q Sap. 14. 9.

Sed dicamus etiam meliùs, quòd ſuperbia non ſolùm eſt cauſa peccati originalis, & actualis;

lis; ſed & omnium inordinationum, quæ patrantor in mundo. S. Auguſtinus autem illud ſic ſuprà definiens. *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*; quid aliud nobis innuit, niſi quòd ambitio & ſuperbia facit, ut humo *contra Omnipotentem roboratus, adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus* r
[r Job 15. 25 & 26.] currat, præcepta illius deſpiciat, innumera format conſilia, non cogitet niſi de officiis, honoribus, & dignitatibus primis aucupandis, & de conciliandis ſibi adorationibus ſummæ illius
[ſ Exod. 20. 5. &c.] Majeſtati debitis ſ: ſed Deus vanitates ejus intolerabiles non valens ſuſtinere, illum humiliat, eum deprimit, & ipſum ex hoc ſtatu magnitudinis imaginariæ in nihilum labi facit, *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur* t. Superbia ele-
[t Luc. 14. 11.] vat ſe contra omnes virtutes, & ut malum generale, & morbus contagioſus omnes alias labe ſuâ inficit virtutes: & ſicut eſt prima, perículoſiſſima, & abominabiliſſima infirmitatum omnium; ſic plura cauſat illa infortunia.

Conſiderate, ſi placet, duas deordinationes, quas peccatum committit per ſuperbiam. Primò peccatorem avertit à Deo. Secundò convertit illum ad creaturam. *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad*
[u Jer. 8. 5. & 6.] *curſū ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium* u. In pœnam primæ deordinationis Deus privat peccatorem gratiâ ſuâ, quæ reddebat eum amicum ipſius, & hæredem cœli & gloriæ æternæ, quo jure deſtitutus, deſtinatur ad pœnam damni, quam Theologi nuncupant privationem vitæ æternæ, & viſionis Dei; pœnam oppoſitam averſioni, quæ eſt quando peccator vertit *ad Deum*
[x Jer. 2. 27] *tergum, & non faciem* x. Quantùm ad converſionem ad creaturam, Deus deſtinat hunc reum ad pœnam ſenſus, ad infernum, ad omnimodam privationem rerum quæ ipſi erant ſuaves & gratæ, eò quòd impiè fuerit uſus creaturis contra finem, propter quem ipſe Deus eas inſtituerat. Duas iſtas pœnas reſervat Deus ſuperbis & ambitioſis; privationem gloriæ ſuæ, quæ eſt pœna damni; & infernum, qui eſt pœna ſenſus, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum* y. [y Matt. 25. 41.]

Heu! Auditores, ſi illas æquâ lance perpenderemus, proculdubio humiliaremus nos, agnoſceremus nihilum noſtrum, & infirmitates noſtras; & elevaremus nos mediis gratiis, quas Deus unicuique liberaliter impertitur, *Humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam* z. De- [z Eccl. 3. 20.]
ſerite vanitates iſtas, abrenunciate pompis his mundanis, ſi velitis accedere ad Deum. Avare, qui de tuis glorias bonis caducis, & divitiis, conſidera quidnam ſis tecum delaturus poſt mortem tuam. Guloſe, cujus *Deus venter eſt* a, [a Philipp. 3. 19.]
& deliciæ ſenſuum tuorum, quid ſervient tibi diſſolutiones tuæ? Impudice, qui volutas te in cœno ſpurcitiarum, & cui improperari poteſt jure merito *illud veri Proverbij, Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti* b: [b 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 12.]
quamnam hauries ex impudicitiis tuis utilitatem, cùm elatus ſepelièris? Superba, qui aſcendere ſuper omnium concupiſcis capita hominū, quos præ deſpectu intueris ut feſtucas, cogita de fine tuo, & quòd conformis erit principio ſuo, *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris* c. Super- [c Gen. 3. 19]
bia, ambitio omnes iſtas cauſat inordinationes, & nos elevat in hoc mundo, ut poſtea nos præcipitet in profundiſſimas abyſſos inferorum in altero ſeculo, *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur*. Sed ſi ſuperbia labi nos facit, humilitas nos eriget, *Et qui ſe humiliat, exaltabitur*. Diligamus humilitatem, conformantes nos ad exemplum noſtræ Chananææ, *At illa venit, & adoravit eum, dicens, Domine adjuva me*. Et humilitas nos efficiet magnos in hoc mundo per gratiam, & in altero ſæculo per gloriam.

IN FESTO S. IOACHIM CONFESSORIS, PATRIS B.V. MARIÆ.

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſſ. 4. 3.

Miſſi à Moyſe *ad conſiderandam terram Chanaan, reverſique exploratores omni regione circuitâ, venerunt ad Moyſen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſrael, locutique eis & omni multitudini, oſtenderunt fructus terræ; & narraverunt, dicentes, Venimus ad terram, ad quam miſiſti nos, quæ re verâ fluit lacte & melle; ſed cultores fortiſſimos habet, & urbes grandes atq; muratas. terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt: ibi vidimus monſtra quædā filiorū Enac de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locu-*
[a Num. 13. 28, &c.] *ſtæ videbamur* a. Et ſic inter eos aliqui deſpondebant animum, quòd ad eam poſſent aliquando pervenire poſſidendam. Idem dicendum de gloria paradiſi, ad quam non pervenitur niſi per ſanctitatem: infinitæ ſunt in ea deliciæ, & felicitates, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & tor-*
[b Pſ. 35. 9.] *rente voluptatis tuæ potabis eos* b. Sed quantæ occurrunt delicatis difficultates, videtur eis impoſſibilis illius acquiſitio, etiamſi deſiderium ſalutis adipiſcendæ ſit univerſale & nemo ſit, ſive juſtus, ſive impius, qui nolit eſſe beatus, quin imò ſceleſtiſſimi quique qui vixerunt more dæmonum, mori concupiſcant inſtar innocentum, ut deſiderabat Balaam, *Moriatur anima mea morte Iuſtorū, & fiant noviſſima mea horū ſimilia* c. Ta- [c Num. 23. 10.]
man, Auditores, *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. Deus vult ut omnes collocemur in catalogo Sanctorum, cui S. Joachim eſt aſcriptus. Propter hoc *abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* d. Ob iſtud inſtituit Deus Sa- [d 1. Cor. 6. 11.]
cramenta e, & ſacrificia f, & Concionatores [e Joan. 3. 5]
miſit g: ad hunc eminentem effectum *miſſus eſt* [f 1. Cor. 11. 24, & 25.]
Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, ut nunciaret ei [g Marc. 16. 15. & 16.]
quòd conceptura eſſet Authorem ſanctitatis, cùm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave* h *Maria*. [h Luc. 1. 26, &c.]

Triplicem conſiderat in Deo S. Bonaventura i voluntatem ſecundùm noſtrum concipiendi [i S. Bon. in expoſit. Orat. Dom. Matt. 6. 10]
modum, aut, ſi vultis, eam dicit eſſe ad tria in gratiam noſtri: ait ergo ſuper hæc verba S. Matthæi, *Fiat voluntas tua. Voluntas Dei eſt ad tria, nempe ad creationē, ut dicitur in Pſalmo* k. *Omnia quæcumq; voluit, fecit. Ad gratificationē, dicente Paulo* l, [k Pſ. 113. 11. & 134. 6.]
Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Et ad glorificationem, teſte Domino, qui ait: Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt Filiū, & credit in eū, habeat vitā æternam m. Et de hac tertia [l 1. Theſſ. 4. 3.] [m Jo. 6. 40.]

n 1. Tim. 2. 4. intelligitur etiã id quod ait idẽ S. Paolus *n*, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Id eſt, ut ajũt Theologi, voluntate ſigni, nimirum teſtificatâ tot ſignis ut de illa non poſſit dubitari. Huic triplici voluntati reſpondet tota Theologia S. Thomæ ſupparis ſeculo S. Bonaventuræ. Illam dividit ſanctus ille Doctor Angelicus in tres partes. In prima tractat de Deo ut de cauſa efficiente rerum omnium, de ejus eſſentia, & de attributis illius. In ſecunda, & in tertia diſſerit de eo ut de fine & ſummo bono hominis, & de mediis ipſi conſequendo conſonis; & hæc media, quæ nos ſanctificant, & beatitudine dignos efficiunt, ipſe dividit in exteriora, & in interiora. In parte ſecunda tractat de mediis internis, quæ ſunt virtutes, & actus humani. In prima ſecundæ ea tractat in genere: in ſecunda ſecundæ verò in ſpecie. In tertia parte docet ea quæ ſpectant ad media externa, quæ ſunt Incarnatio, Paſſio, & alia myſteria, & Sacramenta. Quæ omnia referuntur omninò ad ſanctificationem & glorificationem noſtram.

Quoad primam voluntatem, quæ ſpectat creationem noſtram, ipſe ſine nobis eam exequitur, quia tunc nos non ſumus, & ſecundùm axioma Philoſophicum, *Non entis nulla eſt operatio*. Et ideò in hoc ſtatu nihili noſtri non poſſumus cum illo cooperari. Sed quantùm ad ſecundam, & tertiam, ipſe neutram ſine nobis adimplet, *Sine te fecit te Deus. Non enim adhibuiſti aliquem conſenſum ut te faceret Deus. Quomodo conſentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem*, ait S. Auguſtinus *o*. Et S. Paulus *p*, *Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*. Quid igitur eſt faciendum nobis ad hoc ut Deus ſalvet & glorificet nos? Cooperari debemus ſecundæ voluntati circa ſanctificationem noſtram.

o S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11.
p Rom. 8. 30.

Prima voluntas Dei eſt fundamentum, ſecunda ornamentum, tertia coronamentum: ut autem perveniamus ad coronamentum, habere debemus ornamentum, id eſt, ſanctitatem, quæ nobis obtinet gloriam, cùm Deus nihil aliud à nobis requirat niſi cooperationem noſtram gratiis ipſius. Nihil exigit Deus niſi ſanctitatem, quam unusquisque poteſt habere, adjutus gratiâ, quam ipſe unicuique offert, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* q. Si neceſſariæ eſſent divitiæ ad comparandam gloriam, pauperes artifices qui vitam ſuam ſudoribus ſuis ſuſtentant, & mendici qui oſtiatim ſtipem efflagitant, ſuam non poſſent operari ſalutem: ſi nobilitas requireretur ad ingrediendum Regnum cœlorum, paradiſus clauſus eſſet ignobilibus, & ſoli nobiles ad illum poſſent habere acceſſum: ſi ſanitas & fortitudo ad eum introducebant felicitatis locum, debiles & infirmi jacentes in lectis ſuis ab eo excluderentur: ſi ſcientia exigeretur ad poſſeſſionem illius, cœlum ſolis daretur doctis, & ingreſſus ejus prohiberetur ignaris; ſed Deus pro toto pretio gloriæ nihil exigit à nobis præter ſanctitatem, quam obtinere poſſumus cooperantes gratiis ipſius, pauper æquè ac dives, ignobilis ac nobilis, infirmus ac ſanus, indoctus ac peritus. Cùm igitur ſanctitas ſit conditio neceſſaria ad ingrediendam domum Dei, *Domum tuam decet ſanctitudo Domine* r, nec ullus in ea manere poſſit quin ſit ſanctus, ut teſtantur

q Apoc. 3. 20.
r Pſ. 92. 5.

maligni ſpiritus, qui *in terram miſſi ſunt* ſ, eò quòd excidiſſent è ſanctitate, in qua Deus ipſos crearat *t*; conari debemus illam habere, ſicut eam habuit S. Joachim, qui ſanctiſſimus fuit. Hoc eſt igitur quod ſtatui vobis oſtendere, Primò, quòd S. Joachim fuit ſanctiſſimus inter omnes Sanctos. Secundò, Oſtendam vobis quid ſit ſanctitas. Tertiò, Monſtrabo vobis modum illius conſequendæ, id eſt, quòd pro nihilo eam poſſimus acquirere.

ſ Apoc. 12. 9.
t Gen. 1. 3.
Diviſio.

I. Part. Sanctus Ioachim eſt ſanctiſſimus inter Sanctos. Sanctus aliquis poteſt eſſe ſanctior alio, aut ex parte gratiæ juſtificantis, ut Sancti novi Teſtamenti ſunt ſanctiores Sanctis veteris Fœderis, quia ampliorem ſuſceperunt gratiam: aut ex parte gratiæ gratis datæ, ſicut illi qui majora patrant miracula, æſtimantur ſanctiores: aut ex parte gloriæ, ſicut illi qui habent majorem gloriam, videntes plus gloriæ in Divina Eſſentia. Tribus iſtis modis ſanctus Ioachim fuit ſanctiſſimus inter Sanctos poſt Filium Dei incarnatum, qui eſt *Sanctus Dei* u. Poſt beatiſſimam Virginem Mariam ipſius filiam, quæ eſt *tota pulchra, & macula non eſt in* x eâ. Et poſt ſanctum Joannem Baptiſtam, de quo dicitur, *Non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſtâ* y. Eſt igitur ſanctus Ioachim ſanctiſſimus inter Sanctos ratione gratiæ juſtificantis, eò quòd propior eſſet Deo. Ad probandam hanc veritatem, utor ratione divi Thomæ z, *Quantò aliquid receptivum eſt propinquius cauſæ influenti, tantò magis participat de influentia ipſius. Influxus autem gratiæ eſt à Deo, ſecundùm illud Pſalmi, Gratiam & gloriam dabit Dominus* a. *Et ideò maximè fuit conveniens, ut anima illa* (id eſt Chriſti) *reciperet influxum Divinæ gratiæ*. Id eſt, habitualis. Anima ſancti Ioachim poſt IESUM Chriſtum, beatiſſimam Virginem, & ſanctum Ioannem Baptiſtam propinquior fuit Deo incarnato. Poſt beatiſſimam Virginem, quia ipſa concepit Deum in ſinu ſuo, operatione internâ Spiritus ſancti, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* b. Propterea *& ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum* †. Quaſi dixiſſet ei, Quia Dominus tecum eſt, ideò plena es gratiâ. Poſt ſanctum Ioannem Baptiſtam, quia cùm *exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth; ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus* c. Id eſt, Ioannes Baptiſta ſanctificatus præſentiâ Salvatoris. Præterea, Cùm fuit ab eo *baptizatus Ieſus* d, ſanctitas iſtius Filii Dei derivata eſt in hunc ſanctum Præcurſorem.

u Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
x Cant. 4. 7.
y Matt. 11. 11.
z S. Th. 3. p. q. 7. a. 1. in corp.
a Pſ. 83. 12.
b Matth. 1. 20.
† Luc. 1. 28.
c Luc. 1. 39. &c.
d Matt. 3. 16.

Dicunt Theologi quòd gratia non diſtinguitur à charitate, & quòd eſſe in gratia non eſt aliud quam diligi à Deo, & eſſe in gratia eſt habere favorem ejus, & ab eo innumera ſuſcipere beneficia inſtar amicorum Magnatum: S. Joachim diligebat Deum, *Ioachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo*, ait ſanctus Epiphanius *e*. Ambo enixè petebant adventum Meſſiæ *f*, jejuniis vacantes, ſua diſtribuentes bona in tres partes. Primam impendebant in Miniſtros templi. Secundam erogabant in pauperes. Tertiam verò ad ſuſtentandam familiam ſuam adhibebant. Et ſi S. Joachim diligebat Deum, Deus etiam diligebat ſanctum Joachim, *Ego diligentes me diligo* g. Prima autem

e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
f Iſai. 45. 8.
g Prov. 8. 17.

tem otigo gratiarum, quas S. Joachim ſuſcapit, eſt amor quo Deus dilexit Verbum incaroatum, & baatam Virginam illius Matrem: magnus anim aſt honor B. Virgini habere patram ſanctiſſimum, & Varbo incarnato habere avum maximâ virtute prædituum, ſicut parenrum dedacus in liberos radundat: *Gloria enim hominis ex honore patris ſui, & dedecus filii pater ſine honore,* ait Eccleſiaſticus *b*. Prætarquam quod cùm filius tanaatur diligate patrem ſuum magis quàm quemlibat alium, oportet ut parar ipſius ſit amabilior aliis: atqui nihil aſt quod aliquam ita amore dignum raddat ac virtus, & ſanctitas, aut amabiliorem quàm virtus & ſanctitas: unda concludandum eſt in bona conſaquentia, quòd Deus illa ertibuarit ſancto Joachim, ut Jeſus illum ut avum ſuum, & Maria ut patram ſuum illum diligerent præ cæteris hominibus, quandiu Daus illi ampliores gratias concadatet; *O par beatum Ioachim & Anna! vobis omnis creatura obſtricta eſt. Per vos enim donum, omnium donorum præſtantiſſimum, Creatori obtulit, nempe caſtam Matrem, qua ſola Creatore digna erat,* exclamat ſanctus Damaſcanus *i*. Et cùm baatiſſima Virgo ſit præcipuum mundi miraculum, cùm idem ſanctus Damaſcanus *k* vocat illam *Officinam miraculorum*, ipſa debebat habara alia miracula quæ ipſam præcadarant: nam dacreto æterno, quo ſanctiſſima Trinitas ſtatuit ut Daus homo fiarat in utaro Virginis Mariæ, ſecundùm hanc *vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me: & dixit, Vade l*: larum fuir etiam quòd Vitgo deſtinata ad Divinam Matetnitatam, exiret è Matrimonio S. Joachim & ſanctæ Annæ, qui naturaliter erant infœcundi: S. Anna igitur, licèt ſtarilis, illam erat paritura, ut id omne, quod ſpectabat beatam Virginem, præ ſe ferret miraculum, *Quoniam futurum erat, ut Dei Genitrix, & Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fœtum antevertere minimè auſa eſt: verùm tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, qua rerum omnium conditarum Primogenitum, in quo omnia coagmentata ſunt, paritura erat,* ait idem Damaſcenus *m*.

b Eccl. 3. v. 3.
i S. Damaſ. orat. 1. de Nativit. B. M. Virg.
k Idem ib.
l Iſai. 6. 8. & 9.
m S. Damaſc. loco ubi ſup.

Ex hac electione, quam Deus fecit S. Joachim ut eſſet patar beatiſſimæ Virginis, & conſequantet avus JESU Chriſti, colligera poſſumus gratias quas Sanctus iſte ſuſcapit: ſi enim populo Iſraëlitico favit Deus pto eo quòd Meſſias antiquis Patribus *n* promiſſus; inda ſuam deſumpturus eſſet originam; & ſi Abraham *o*, Iſaac *p*, Jaaob *q*, & alii ſancti Pattiatchæ, Prophatæ, & Rages *r*, è quorum ptoganie erat naſciturus *ſ*, magnos favoras & inſignes gratias ſuſcaperunt a Dao; quantò plures ab eo dehet ſuſcapiſſe ſanctus Joachim, è quo Matet Dei naſci debebat immediatè, & cujus cato, quam daturus arat ai, debebat uniri perſonaliter Varbo Divino? *Una eſt Maria & Chriſti caro,* ait Arnoldus Carnotenſis *t*. Et ſi aqua putior eſt, cùm propinquior eſt origini ſuæ, cùm Jeſus Chriſtus & Matia ſint duo fontes & duæ otigines gratiæ & ſanctitatis; id aſt, cùm JESUS ſit origo fonralis gratiæ. *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt u: Chriſtus namque ut Deus, cauſa eſt principalis atque efficiens gratia hujus; ſed ut homo talis, eſt cauſa inſtrumentalis ac meritoria ejus x*: & Maria Matet ejus ſuſcapetit illius plenitudinem, *Ave gratiâ plena y*: cùm ſanctus Joachim ſit patar Mariæ, & conſequentar avus Jeſu, debuit magis participara ſanctitatem, & gratias ſanctificantes, quæ ſupet ipſum fluxerunt ab his duabus originibus fœcundis, quàm omnes alii Sancti, qoi ab iſtis ſunt remotioras.

n Gen. 12. 3.
o Gen. 18. 33. &c.
p Gen. 26. 3. &c.
q Gen. 27. 27. &c.
r 1. Reg. 16. 13. &c.
ſ Matt. 1. 1. &c.
t Arnold. Carnot. de Laudib. Mariæ.
u Joan. 1. 17.
x Dion. Carth. art. 5. in Jo. 1. 17.
y Luc. 1. 28.

S. Joachim eſt ſanctiſſimus inter Sanctos propter gratias gratis datas. Thaologi gratias gratuitas vocant privilegia quædam, quæ Deus quibusdam largitur parſonis propter utilitatem Ecclaſiæ ſuæ, ut loquitur ſanctus Paulus *z*, *Diviſiones verò gratiarum ſunt: idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt: idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Si ſcire vultis, Auditores, quiſnam ſit ſanctus Joſeph, illius excellantias cognoſcetis ex uno varbo quod ſanctus Matthæus *a* obiter & quaſi pet tranſennam de illo enunciat, dicens eum *Virum Mariæ*. Dicendo anim quòd Joſeph ſit Sponſus baatiſſimæ Virginis, Gaput & Superior Matris Dai, & conſaquantar Patar Salvatoris putativus, habetis ibi unde da ao formetis ideam excallantiſſimam omnium: idem dico de ſancto Joachim, eò quòd ſit patet B. MARIÆ Virginis, & conſaquenter avus JESU Chriſti. Cùm igitut gràtiæ gratis datæ ſint privilegia conceſſa quibusdam perſonis propter emolumentum & utilitatem ipſius Eccleſiæ, *Datur enim talentum Divini beneficii ut expendatur utiliter, non ut abſcondatur ignaviter,* ſecundùm quòd ait Salvator, *Negotiamini dum venio b: & Petrus quoque hortatur, Unusquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes c:* ait Dionyſius Carthuſianus *d*: aliæ ſunt hujusmodi gratiæ gratis datæ ptopter bonum fidelium concaſſæ, ſicut B. Virgini Mariæ, ut aſſet Mater Dei: ſi ipſa potuit eſſa Matar Dei, oportet ut ipſa ſuſcepetit omnas gratias, & omnes prærogativas, quas Daus puræ concedete poterat creaturæ. Idem poteſt dici de S. Joachim: hoc enim privilegium fuit illi conceſſum ut eſſet Pater B. Mariæ Vitginis, & conſaquanter avus Jeſu Chtiſti Filii Dei: & ſi dignitas Mariæ eſt tanta, eò quòd fuarit Matar Dei, ut Deus omnipotentiâ ſuâ non poſſit producere nobiliorem Matrain, ut docet S. Thomas *e*, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito, quod eſt Deus; & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo*: & ſi intuitu dignitatis filius eminantiſſimæ Deus tantas præbuit illi gratias, & tam inſignia concaſſit ei privilegia: qualis erit, ſi placet, dignitas & ſanctitas S. Joachim præ cæteris Sanctis, cùm ſit pater illius, quæ extollitur ſuper id omne, quod non aſt Deus? Et ſi ax fructu ordinatiè pervanitor ad notitiam arboris, ſanctus Joachim fuit vitis è qua proceſſit beatiſſima Vitgo ut ſpecioſa uva; & radix, è qua ortus eſt flos iſte virginalis. *Ioachim*

z 1. Cor. 12. 4. &c.
a Matt. 1. 16.
b Luc. 19. 14.
c 1. Petr. 4. 10.
d Dion. Carth. art. 12. in 1. Cor. 12. 7.
e S. Th. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.

Ioachim, qui & Heli, Nazarenus, ortus de tribu Iuda, ex ſtirpe David, cùm eſſet annorum 20. ducit uxorem de tribu ſua Annam Bethleemitam exiſtentem annorũ 16. ſimulque ſanctè viventes, ſubſtantiola ſua tertiam partem eamq; potiſſimam templo ac miniſtris ejus, proximam pauperibus erogant, reliquã victui ſuo ſervant. Et ita per annos 20. prolem ex conjugio non habentes, vovent Domino, ſi donaret ipſis ſobolem, eam Domini ſervitio manciparent. Cùmque quodam Encæniorum feſto Ioachim Ieroſolymis ad altare oblationem ſuam offerre volens, à Pontifice ſterilitatis exprobraretur, pudore ſuffuſus, ſecedit ad caulas inter paſtores, & ecce Angelus Gabriel apparens primùm Ioachim, deinde Annæ, annuntiat filiam ipſis naſciturã, nomenque Mariæ naſcituræ imponendum, ait Chriſtianus Adrich. in Theatro Terræ S. & Biblic. hiſt. an. mund. 3958 & ſeq. Quis igitur ambigere poſſit quòd propter iſtam conſiderationem gratias non ſuſceperit extraordinarias à Deo præ aliis Sanctis, & congruas huic eminenti officio, ad quod Deus ipſum deſtinabat?

Præterea, S. Joachim ſanctiſſimus eſt inter Sanctos in gloria, videns magis in felicitate glorioſa Divinam Eſſentiam, quàm cæteri Sancti: ſuppoſito enim eo, quod ſuprà recenſui, quòd poſt Jeſum Chriſtum, B. Virginem Mariam Deiparam, & S. Joannem Baptiſtam, majores ſuſcepit gratias gratum facientes & habituales, & ampliores gratias gratis datas, quàm alii Sancti, cùm gloria non detur, niſi juxta proportionem gratiarum, quas quis poſſedit in hac vita; cùm S. Joachim magis appropinquaverit ad origines ſanctitatis & gratiarum, quæ ſunt Jeſus & Maria, prout pater Virginis Mariæ, & avus Jeſu; & ut ſic magis participaverit ſanctitatem & gratias quàm alii Sancti: concludendum eſt in bona conſequentia, quòd eſt ſanctiſſimus inter Sanctos, & quòd clariùs Divinam videat Eſſentiam quàm alii Sancti, qui remotiores à Filio Dei, tantas ab eo non receperunt gratias, nec conſequenter ab eo tantam ſuſcipiunt gloriam. Ideò dicebat Chriſtus, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* f. *Id eſt, diverſi gradus præmiorum, variæ dignitates & diſtinctiones in participando fruitionem Bonitatis Divinæ, ſecundùm quòd in præſenti vita fuerint gradus atque diſtinctiones meritorum, quibus præmia correſpondent. Et charitatis fervori correſpondet ac datur præmium eſſentiale, quod eſt viſio Dei per ſpeciem, propter quod viſio Dei in mentibus comprehenſorum diſtinguitur quantùm ad gradum perfectionis, ſecundùm quòd unus in vita ferventiùs dilexit Deum, quàm alter, quoniam charitatis affectus aperit, capacemque efficit mentem amantis amati. Vnde qui ardentiùs Deum dilexit, pleniùs eum participat, poſſidet, retinet,* ait Dionyſius Carthuſianus g.

f Joan. 14. 2.

g Dion. Carthuſ. art. 35. in Joan. 14. 2. II. Pars.

Si autem deſideretis ſcire quid ſit ſanctitas, obſervandum vobis eſt, quòd hæc nomina, ſanctus, & ſanctitas veniunt à verbo ſancire, quod ſignificat rem ſacram facere, ita ut inviolata maneat adversùs omnem injuriam, & profanationem. *Planum eſt, ſancta ea dici, quæ inviolata ſunt*, aiunt Jura. Talis autem inviolabilitas oritur è tribus capitibus; è natura & eſſentia ipſius rei; è conſecratione iſtius rei; & è bonitate morali, & gratia habituali, quæ eſt in illa: & iſtæ tres res conſtituunt tres ſpecies ſanctitatis. Prima, quæ eſt per naturam & per eſſentiam, eſt nobiliſſima omnium: eſt enim increata, *non habet finem* h, *incomprehenſibilis cogitatu* i eſt, & incommunicabilis omni alii perſonæ, niſi tribus perſonis SS. Trinitatis, quæ ex ſe eſt ita munita & roborata contra omne genus injuriarum, ſecundùm quod ait ei Pſalmiſta k, *Non accedet ad te malum, & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo*; ut nulla creatura cœleſtis, terreſtris, aut infernalis poſſit violare, inquinare, aut maculare puritatem eſſentiæ ipſius: propterea Angeli canunt jugiter ipſi, *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituũ* l. Et Eccleſia, *Tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus* m, *tu ſolus Altiſſimus* n. Alii ſancti, ut Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, imò & B. Virgo Maria Deipara non ſunt ſancti ſanctitate eſſentiali, ſicut Deus ſanctus eſt per eſſentiam, ſed per communicationem gratiarum Divinarum, quæ ipſos roborant contra injuriam peccati; & ideò Deus à Daniele o vocatur *Sanctus ſanctorũ*. Hinc S. Athanaſius p, ait, quòd nomen ſancti convenit multis, ſed quòd nomen Sancti ſanctorum ſoli Deo congruit, quippe qui ſit cauſa efficiens omnium Sanctorum, *Iſaias, Oſee, Amos, ac cæteri, ſancti appellati ſunt, ſed nequaquã Sancti ſanctorũ*. Et Salvator noſter ab ipſis vel dæmonibus vocatur in Evangelio q, *Sanctus Dei*. Id eſt, Sanctus per eſſentiam, quatenus Deus, Sanctus prout Homo per [illegible] hypoſtaticam Verbi Divini cum [illegible] humana: *Ideòque & quod naſ[illegible] vocabitur Filius Dei* r, aiebat [illegible] Incarnationis nuncius B. [illegible] Sanctitas. Alii Sancti, naſc[illegible] pulluti, *Eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri*, ait S. Paulus ſ. Et S. Bernardus t, *In utero damnati antequàm nati; quia de peccato, & in peccato concepti*. Sed fiunt ſancti per gratiam, renati *ex aqua & Spiritu ſancto* u. Sed Dominus noſter natus eſt Sanctus: ſic in Cantico Annæ matris Samuelis vocatur Sanctus incomparabilis, *Non eſt Sanctus ut eſt Dominus* x. Deus autem qui vult ut ſimus ſancti, hoc non intelligit de hac ſanctitate eſſentiali, quæ convenit ipſi ſoli: ideò non debemus ad illam aſpirare, ſed eam admirari, & adorare, cùm ſit ipſa Divinitas.

h Baruch 3. 25.
i Jer. 32. 19
k Pſ. 90. 10
l Iſa. 6. 3.
m ex Lib. 13. 11.
n Pſ. 82. 19
o Dan. 9. 24.
p S. Athan. l. de Incarnat. Verbi.
q Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
r Luca. 35.
ſ Epheſ. 2. 3.
t S. Bern. ſerm. 2. de Pentec.
Job 14. 4. & Pſ. 50. 7.
u Joa. 3. 5.
x 1. Reg. 2. 2.

Secunda ſanctitas eſt ſanctitas conſecrationis, quæ fit diverſimodè, oratione & benedictione, chriſmate & unctione: ſic Sacerdotes y, Prophetæ, & Reges z in Fœdere antiquo ungebantur & conſecrabantur; ſicut fit adhuc in novo Teſtamento: & talis conſecratio non erat tunc, nec eſt adhuc nunc niſi ſanctificatio exterior, reddens Sacerdotes, Prophetas, & Reges dignos reverentia intuitu hominum, cùm vocentur in Scriptura a chriſti, vel uncti: quæ tamen unctio non producit ex opere operato, ſicut Sacramenta, gratiam interiorem ſanctificantem, ſed ſolùm [illegible] reverentiâ, & facit ut habeant [illegible] ſanctæ & ſacræ, ut à nobis Papa vocatur Sanctiſſimus Pater. Si enim Plinius in epiſtolis ſuis vocabat Trajanum Sanctiſſimum Principem, quia erat Vicarius Dei in Imperio temporali Romano, nec aliam poterat habere ſanctitatem, cùm eſſet Ethnicus: quare non vocabimus Papam Sanctiſſimum Patrem, cùm ſit Vicarius Dei in Imperio ſpirituali Eccleſiæ ipſius b? Eccleſia vocatur Sancta à ſancto Ignatio Martyre c, qui ei ſic ſcribebat, *Eccleſia ſanctificata, quæ præſidet in loco Romanæ regionis*. Si corpus eſt ſanctum, Caput eritne profanum? Sanctitas conſecrationis, quæ reperitur etiam in rebus inani-

y Exod. 29. 21.
z 1. Reg. 10. 1. & 16.
a 1. Reg. 2. 35. & 24. 7.
b Matt. 16. 19.
c S. Ignat. Epiſt. 15.

Digitized by Google

inanimatis, ut in Eccleſiis, altaribus, calicibus,
& aliis hujuſmodi dedicatis obſequio Dei,
quorum idcircò ſanctitas violaretur & profana-
retur, ſi ipſa inſumerentur ad alium uſum, quàm
ad eum, propter quem benedictionem ſuſcepe-
runt, juxta maximam Juriſperitorum, *Semel Deo
dicatum, non eſt ad uſus humanos transferendum.* Et
quia *Baltaſſar Rex vaſa aurea & argentea, quæ aſpor-
taverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo quod fuit
in Jeruſalem,* profanavit in convivio, ita *ut bibe-
rent in eis Rex, & optimates ejus, uxores & concubina*
d Dan.5. 2. &c *illius; eâdem nocte interfectus eſt* d, quâ hæc vaſa pro-
fanaverat, & vitam ſimul amiſit ac imperium
propter hoc ſacrilegium adversùs iſtas res ſa-
cras commiſſum.

Sed quid? hæc conſecratio, aut hæc ſanctitas cō-
ſecrationis eſtne ea quam Deus exigit à nobis ad
nos glorificādos? Nec enim conſecratio ſummo-
rum Pontificum, Epiſcoporum, & Sacerdotum,
nec unctio Regum, nec benedictio Abbatū ſal-
vabit ipſos, niſi habeant aliam ſanctitatē præter
illam, nimirum ſanctitatē tertiæ ſpeciei, quæ ſi-
ta eſt in gratiâ habituali, quam Deus effundit in
animam, quæ illam reddit inviolabilem pecca-
to, gratam divinæ Majeſtati, liberat eam à ſervi-
tute diaboli, & dat ei jus ad hæreditatem glo-
riæ, ut ſit aliquando concivis cœli, & domeſtica
Dei, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Iſta eſt
ſanctitas, quam Deus vult eſſe in nobis, & quam
e Hebr. 12.14 idem S. Paulus e nobis commendat, *Pacem ſequi-
mini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine quâ nemo
videbit Deum.* Deus enim, qui Sanctus eſt, ſemeti-
pſum non oſtendit niſi Sanctis, nec aliam vult
ſocietatem niſi ſanctorum, *Sancti eſtote, quia ego
f Levit. 19.2 Sanctus ſum* f. Hæc eſt ſanctitas, quam habebant
g 1.Cor. 13,12 omnes primi Chriſtiani, quos S. Paulus g vocat
ſanctos, *Salutant vos omnes ſancti.* Univerſi erant
h 1.Petr. 2.9 ſancti & juſti, *Gens ſancta* h. Prodigium erat tunc
temporis videre Chriſtianum vitioſum: ſed ho-
diernâ die heu quàm rari ſunt ſancti! quàm me-
rito jure dicere poſſemus ferreis iſtis quibus vi-
i Pſ. 11.2 vimus ſeculis, ſicut dicebat aliàs Deo David i,
Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus. E-
ripe nos à corruptione ſeculi iſtius, quia ſancti-
tas ab eo procul eſt amandata: ſed illam revoca-
re debemus, & ſatagere ut noſtro renaſcatur
tempore; & ob hunc eminentem finem inſu-
mere ſanctam cogitationem Tobiæ junioris, qui
ut ſe excitaret ſimul cum Sarâ ſponſa ſuâ ad ſan-
ctè vivendum in Matrimonio ſuo, & non anima-
liter inſtar ſeptem virorum, quibus *tradita fue-
rat, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos,*
k Tob. 3.8 *mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam* k; *hortatus eſt virgi-
l Tob. 8. 4.& 5 nem, dixitque ei, Filii Sanctorum ſumus* l. Orti ſumus
ex hominibus probatæ vitæ, è parentelâ ſanctâ,
ideo attendamus nobis, ne detrahamus virtuti
majorum noſtrorum. Dicamus nos idem, Audi-
tores, *Filii Sanctorum ſumus.* Si enim noſtros pro-
jiciamus oculos ſuper animas noſtras, ipſæ pro-
cedunt à Deo, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt ho-
m Gen. 9.6 mo* m. Deus autem qui eſt *Pater noſter, qui in cœ-
n Matth. 6.9 lis* n eſt, *Sanctus ſanctorum* o eſt. Et ſic origo illa-
rum eſt ſancta: redemptio illarum pariter ſancta
o Dan.9. 24 eſt, cauſata à Filio Dei, *Redempti eſtis pretioſo San-
guine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati*
p 1.Petr. 1.18.&19 p, qui ſanctus eſt, æquè ac Pater æternus, *San-
ctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* q.
q Hebr.7. 26 Regeneratio earum eſt etiam ſancta, facta *ex a-
r Joan 3.5 qua & Spiritu ſancto* r in Baptiſmo. Si verò in-
tueamur Matrem noſtram ſpiritualem, quæ eſt
Eccleſia, ipſa pariter ſancta eſt: ipſa enim eſt
Sponſa Filii Dei, qui amavit illam, *Chriſtus dile-
xit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ, ut illam ſan-
ctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* t. t Epheſ.5. 25 & 26
Quod efficit ut vocemus eam ſanctam, & diſcer-
namus eam *à conventu malignantium* u. Sanctam, u Pſ. 63.3
quia ipſe qui *eſt Caput corporis Eccleſiæ* x, *Sanctus* x Coloſſ. 1.18
Dei y eſt. Sanctam, *Quia membra ſumus corporis e-* y Marc. 1.24
jus, de carne ejus, & de oſſibus ejus z. *Templum enim*
Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos a. Et, *Neſcitis, quo-* z Epheſ. 5.30
niam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti,
qui in vobis eſt b? Doctrina ejus ſancta eſt, mores e- a 1.Cor. 3.17
jus ſunt ſancti, licèt in eâ aliqua membra depra- b 1.Cor. 6.19
vata non vivant ſanctè; & quantùm ad originem
corporum noſtrorum, procedit illa ſucceſſivè ab
illis primis Chriſtianis, quos S. Paulus ſuprà vo-
cavit ſanctos. Sic ait S. Auguſtinus c ſuper hæc c S. Aug. in Pſ. 85.2
verba Pſalmiſtæ, *Cuſtodi animam meam, quoniam
ſanctus ſum: Si Chriſtiani omnes, & fideles baptizati
in illo, ipſum induerunt ſicut Apoſtolus d dicit: Quot-* d Ex Galat. 3.27
*quot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: ſi
membra ſunt facti corporis ejus, & dicunt ſe ſanctos
non eſſe, Capiti ipſi faciunt injuriam, cujus membra
ſancta ſunt.* Dicamus igitur ſinguli Deo, *Sanctus
ſum.* Tibi enim conſecratus fui ab infantiâ meâ
in Baptiſmo, & in Confirmatione e unctione e Act. 8.17
chriſmatis, & charactêre quem ibi ſuſcepi. *San-
ctus ſum.* Quia tinctus ſum Sanguine tuo. *Sanctus,
quaſi ſanguine tinctus,* ait aliquod ethimon. Ideò
ethnici ſuperſtitiosè alias ad ſe ſanctificandos
ſatagebant ſe aſpergi ſanguine animalium, quæ
ſacrificabantur idolis. *Sanctus ſum.* Quia irrigatus
ſum Sanguine divino *à Jeſu Chriſto, qui lavit nos à
peccatis noſtris in Sanguine ſuo* f. *Sanctus ſum,* Quo- f Apoc. 1.5
niam cibo ſancto tui Corporis facis me aliis di-
cens, *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè
eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum
Sanguinem, in me manet, & ego in illo* g. Dicamus g Joan. 6. 55.& 56
hoc audacter ſinguli, *Non eſt iſta ſuperbia elati ſed
confeſſio non ingrati,* ait idem S. Auguſtinus paulò
antè. Atqui licèt multus nobis proveniat honos
ex eo, quòd orti ſumus è ſanctis, è patre & ma-
tre, corpore & ſpiritu, tamen hæc ſanctitas non
ſufficit ad ſalvandos nos; ſanctitas Dei Creato-
ris eſt in ipſo: debemus eſſe ſancti ſanctitate for-
mali, quæ ſit in nobis, & inhæreat nobis:

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Quid faciendum ergo nobis eſt ad hoc ut habea-
mus hanc ſanctitatem interiorem, hanc pulchri-
tudinem ſpiritualem, hoc ornamentum quod a-
nimabus beatis ingreſſum pandit ad cœlum?
Ecce modus conſecutionis illius opportunus.

Ut nobis conciliemus hanc ſanctitatem, eam III. Pars
poſſumus acquirere pro nihilo; ſufficit ut illam
velimus, eam ardenter deſideremus, & inſtanter
illam efflagitemus à Spiritu ſancto, ad quem
propriè pertinet ſanctificatio, ſicut creatio ad
Patrem, & redemptio ad Filium, cùm ſit origo
fons & principium totius ſanctitatis. Ipſe Ma-
riam reddit ſanctam, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in
te* h. Ipſe illam nobis tribuet, ſi eam deſideran- h Luc. 1 35
tes, eam expoſcamus; & ſi eam efflagitantes,
voluntatem noſtram divinæ Voluntati confor-
memus, dicentes Deo; *Fiat voluntas tua* i. Nam i Matth. 6.10
cùm *ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfe-
cta* k, volentes id, quod Deus vult, non poſſumus k Rom. 12.2
velle niſi res ſanctas & perfectas: *Voluntas Dei
eſt aliquando ut ſanus ſis: aliquando ut ægrotes. Si
quando ſanus es, dulcis eſt voluntas Dei, & quando æ-*

grotæ, amara eſt voluntas Dei : non recto corde ei, ait
l S. Aug. in Pſ. 35. 9 S. Auguſtinus *l*. Iſti enim termini, *Sanctus* m, *&*
m Pſ. 85. 2 *rectus* n, ſunt Synonymi in Scripturâ. Atqui Sal-
n Job 1. 1 vator noſter, qui eſt Idea noſtræ ſanctitatis, qui
omnes vult nos ſalvare ſanctificando nos, certos
nos reddit de bunis voluntatibus ſuis per Scri-
pturas ſuas, & quòd ipſius auxilio fulti poſſimus
hanc pro nihilo conciliare nobis ſanctitatem.
Unde ſic argumentor. Ut noſtram ſalutem ope-
remur, & ſancti evadamus, oportet ut Deus hoc
ſciat, hoc poſſit, & hoc velit; ut illud nos ſciamus
illud poſſimus, & illud velimus : atqui Deus hoc
ſcit, hoc poteſt, & hoc vult; nos illud ſcimus, &
illud poſſumus; ergo ſi illud non facimus, dice-
re poſſumus quòd illud nolumus, & accuſare
nosmetipſos infortunii noſtri. Deus illud ſcit: &
quis de eo ambigit? *Omnia nuda & aperta ſunt o-*
o Hebr. 4. 13 *culis ejus* o. Deus ſcit omne quod concurrere po-
teſt ad operandam ſalutem noſtram, gratias no-
bis neceſſarias ad acquirendam ſanctitatem,
quæ ſunt media eidem conſequendæ opportu-
na : & ſi ipſe eſt omniſciens, eſt etiam *omnipo-*
p Eſth. 13. 9 *tens* p ad hoc faciendum, nedum noſtræ obſit li-
r Eccli. 15. 14. &c bertati r. Illud ergo ſcit, illud poteſt, & illud
vult: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmo-*
dum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & nolui-
ſ Matth. 23. 37. ex 4. Eſdr. 1. 30 *ſti* ſ? Per Deum non ſtat, ſed per nos ſolos qui il-
lud nolumus, & qui noſtram pro nihilo poſſu-
mus operari ſalutem: ſi enim tantùm ſufficit ut
ſciamus, poſſimus & velimus; illud ſcimus, illud
poſſumus, & jacturam noſtram incurrimus, quia
noſtram renuimus agere ſalutem. Illud ſcimus,
ſaltem illud ſcire poſſumus, & ignorantia noſtra
in materiâ ſalutis non poteſt eſſe niſi criminoſa,
cùm nulla ſit civitas, imò nullus pagus, ubi quili-
bet non poſſit edoceri ea, quæ ſalutem propriam
operandam ſpectant: multi enim ſunt Concio-
natores, Sacerdotes, Catechiſtæ, imò & libri ad
inſtituendos parentes, & eorum liberos circa il-
lam : ſcimus igitur quæ nobis ad ſalutem ope-
randam ſunt neceſſaria, *Declina à malo, & fac bo-*
t Pſ. 36. 27 *num* t. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* u.
u Matth. 19. 17 *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando al-*
x Tob. 4. 16 *teri facias* x. Poſſumus illam operari, quis de hoc
ambigit? Si enim circa illam peragendam inve-
niretur impoſſibilitas, Deus eſſet Tyrannus ſæ-
vus, quippe qui nobis impoſſibilia præciperet:
y Pſ. 80. 11 *Dilata os tuum, & implebo illud* y. Pollicetur no-
bis Spiritum ſuum vivificantem, ſi diſponamus
nos ad illum ſuſcipiendum, ut acquiramus ſan-
ctitatem, & operemur ſalutem noſtram, *Effun-*
z Joel. 2. 28 *dam Spiritum meum ſuper omnem carnem* z. Deus
effundit omnem communicationē Spiritus ſui,
vivificamur; & ſicut eſt *validus & fortis Dominus* a,
a Iſai. 28. 2 *ſanctus* b, fortes æquè ac validi, & ſancti efficie-
b Ifai. 6. 3 mur ſicut ipſe, *Qui adhæret Domino, unus Spiritus*
c 1. Cor. 6. 17 *eſt* c. Poterimus *omnia in eo qui* d cōfortabit nos.
d Philip. 4. 13 Poſſumus igitur operari ſalutem noſtram, hoc
pendet à nobis: ſi autem non acquiramus ſancti-
tatem ut ſaluti noſtræ ſatagendæ conſulamus, di-
camus quòd illud nolumus. Deus illud ſcit, illud
poteſt, & illud vult: nos illud ſcimus, illud poſſu-
mus, & illud nolumus, & ideò perimus.

Cùm igitur Auditores poſſimus acquirere ſan-
ctitatem, & operari ſalutem noſtram pro nihilo,
e Pſ. 55. 8 volendo tantùm, *Pro nihilo ſalvos facies illos* e, per-
agamus eam : quanto enim dolore per totā an-
geremur æternitatem, ſi ruinam animæ noſtræ
incurreremus, eò quòd valentes operari ſalutem
noſtram, illam non eſſemus operati? Hoc cruci-
antur in inferno reprobi, videntes quòd volen-
do ſalvari potuiſſent: *Quia vocavi, & renuiſtis: ex-*
tendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret : deſpe-
xiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas ne-
glexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſub-
ſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit f. Ha f Prov. 1. 24. &c
quid non agerent iſtæ animæ reprobæ, ſi pote-
ſtas illis concederetur, ſicut adeſt ipſis voluntas,
ſed fruſtrà? *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus*
ſuis fremet, & tabeſcet : deſiderium peccatorum peri-
bit g. Ha quid non egerunt Sancti ad operandā g Pſ. 111. 10
ſalutem ſuam? Deus requirebat aliàs ſanguinem
ad comparandum paradiſum; ſed nunc non exi-
git niſi bonam voluntatem, pro quâ nobis of-
fert eundem paradiſum, & quam bonam volon-
tatem ipſe nobis tribuit: ſufficit ut legitimū il-
lius peragamus uſum, *Pro nihilo ſalvos facies illos* h. h Pſ. 55. 8
Ipſum autem non facimus, ſi nolumus, *Pro nihilo*
habuerunt terram deſiderabilem i. Sufficit igitur ut i Pſ. 105. 24
hoc velimus: faciendo voluntatem Dei. Dei Fi-
lius ſciebat, quòd ſanctitas erat ſita in faciendâ
hâc voluntate divinâ; ſic illam ipſe perfectè exe-
quitur, dicens Patri ſuo, *In capite libri ſcriptum eſt*
de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui,
& legem tuam in medio cordis mei k. *In quâ volunta-* k Pſ. 39. 9
te ſanctificati ſumus l. Subjicientes enim volun- l Hebr. 10. 10
tatem noſtram voluntati Dei, ſanctificamur: ad-
impleamus igitur eam, & ſancti erimus, *Hæc eſt*
voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Firmi ſimus ad e-
xequenda divina mandata, nedum conſentia-
mus unquam peccato, quod ipſe Deus nobis pro-
hibet, caveamus nobis ne affectu terrenis adhæ-
reamus, quæ eripiunt nobis cogitationem cœli,
& noſtrarum puritatem coinquinant animarū;
ne profligemus pulchritudinem animarum no-
ſtrarum. Simus ſancti, ſicut Deus ſanctus eſt, vel
ſaltem ſicut S. Joachim; *ny'ioi* ſine terra, abſque
mixtione affectus erga terrena, ſicut iſte Sanctus,
qui nihil retinebat bonorū ſuorum, niſi id quod
præciſè ad ſuſtentationem familiæ ſuæ erat ne-
ceſſarium, ut dicere poſſimus cum S. Paulo m, m Philipp. 3. 20
Noſtra autem converſatio in cœlis eſt. Quòd cœlum
eſt locus habitationis noſtræ, & quòd terra, &
omne quod in ea eſt, noſtros non meretur affe-
ctus, quòd illam debemus intueri per tranſen-
nam, more peregrinorum, nedum ei affectu ad-
hæreamus, cùm ea nobis ſit neceſſariò deſeren-
da, & Deus debeat eſſe unicum objectum amoris
noſtri in hâc vitâ *n*, & in alterâ *o*. Simus igitur n Matth. 22. 37
ſancti, Auditores, concurramus cum gratiâ Dei, o Joan. 17. 3
quæ noſtram elaborat ſanctitatem; ſequamur e-
xempla S. Joachim, ut compleatur in nobis hoc
verbum S. Pauli, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio*
veſtra. Conemur acquirere ſanctitatem, quam à
nobis exigit Deus, *Ut ſerviamus illi in ſanctitate &*
juſtitiâ, coram ipſo, omnibus diebus noſtris p. Ut poſt- p Luc. 1. 74. & 75
quàm ſic vixerimus in hoc mundo, inſcribamur
catalogo Sanctorum cum S. Joachim, & in
cœlo perfrui tandem mereamur eo
qui eſt *Sanctus ſanctorum* q, in q Dan. 9. 24
æternum.

Digitized by Google

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. 1. &c.

SUblevare volens Deus Prophetam ſuum Eliam faſtidiis & triſtitiâ oppreſſum ob immodicos labores, quos fuerat perpeſſus, dirè exceptus ab impiâ Reginâ Jezabele, duxit eum ſuper montem Horeb, ut velut intuendam exhiberet illi aliquam ſcintillam gloriæ, quâ ipſe eſt cir-
a Pſ. 103. 2 cundatus, *Amictus lumine ſicut veſtimento* a: Quæque debet eſſe merces impendenda laboribus propter divinum ipſius obſequium ſuſceptis. Dei auxilio & miſeratione fultus *Elias ambula-*
b 3. Reg. 19. 3. &c *vit uſque ad montem Dei Horeb* b. Hodiernâ verò die Deus videns Eccleſiam ſuam languentem, illam in deſertum pœnitentiæ *ducit*, *in montem excelſum* Thabor uſque, ut fideles ſuos participes efficiat gloriæ transfigurationis Filii ſui, qui ſe transfiguravit in utero Virginis ſanctiſſimæ, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus*
c Philipp. 2. 7 *ut homo* c, *ubi venit plenitudo temporis* d, cùm in-
d Galat. 4. 4 *greſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* e *Maria.*
e Luc. 1. 28, &c

Satis dignè non poſſunt admirari Philoſophi viſibilium fœcunditatem objectorum, quæ unico momento ad ſolum concurſum luminis producunt imaginem pulchritudinis talem, qualem videmus in puro repræſentatam ſpeculo. Cùm aliquis ad ſuum accedit ſpeculum, & ad illud ſeſe exigit, confeſtim intuetur ipſe in hâc cryſtallo imaginem ſibimetipſi penitus conformem quæque nec vel a nullo aberrat lineamẽto quod ipſe præ ſe fert; & ſpeciem perfectionibus externis ſic accommodam, ut infans deceptus conetur oſculari matrem ſuam ridentem in hoc ſimulachro doloſo. Quis pictor miraculoſus poteſt unico momento, ſolo vel ictu oculi, abſque intervallo temporis, ſine coloribus, penicillo deſtitutus, delineare, & repræſentare apparatum tot colorum, & miſtionem tot eximiarum picturarum æque expreſsè ac iſta omnia in ipſomet prototypo eſt intueri? Sed majori ſtupore ciebimur, ſi conſideremus quòd acumen quodlibet iſtius imaginis æquè perfectè & integrè totum repræſentet objectum ac excelſio ſpeciei totalis. Veſtrum confringite, ſi lubet, ſpeculum, & quælibet illius pars manifeſtabit vobis iſtam veritatem, cùm æquè rectè veſtram exprimat faciem ac ipſum ſpeculum integrum. Inde fit, ut, ſi intueamur objectum ex transverſo conſpiciliorum præciſorum in acumina pyramidis, videamus illud multiplicatum ſecundùm numerum acuminum variorum, quæ dividunt imaginem illius, & ad minimam atomum iſtius ſpeciei, continent figuram & imaginem totius. Aliquid amplius dico poſt experientiam comprobatam, quòd unicum acumen ferè indiviſibile in extenſione ſuâ, poteſt animare & repræſentare non ſolùm objectum cum omnibus lenociniis ipſius, ſed infinita mirabilia diverſa reunita ad unicum punctum ſine deordinatione, abſque diminutione & diſpendio vel minimæ partis. Eo ipſo quo vos alloquor, ſuſcipio è vobis ſingulis imaginem uniuſcujuſque ex vobis, & tot ſpecies & pulchritudines ſic diverſæ ſunt exaratæ in chartâ ſic exiguâ in circumferentiâ ut eſt pupilla unius ex oculis meis, nedum tamen, cùm ad ſic modicum redactæ ſint ſpatium, ipſæ ſint defectibiles; aut cùm ſint plures in eodem ſubjecto, ibidem ſint confuſæ. Mirabilia hæc delineatio quæ nullas adhibens figuras, nec ullos colores; repræſentat tamen figuras, & colores, eò progreditur ut intellectus noſter quotidianâ ſpeculi convictus experientiâ, quomodo id debeat eſſe, concipere nequeat, quâ ratione id poſſit eſſe. Hæc omnia nunc intueor renaſci mirabilia in fœcunditate Evangelii noſtri: ſi enim transfiguratio Filii Dei eſt ſpecies & imago ſenſibilis gloriæ Beatorum, ipſa tot prædicat mirabilia, & nova myſteria annunciat, quot ipſa continet acumina & verba in extenſione non ſolius Textus ſupraallegati, ſed etiam totius Evangelii immediatè eundem Textum ſubſequentis. Præclarum ſanè eſt iſtud ſpeculum, ut uſurpem verba Apoſtoli f de gloriâ ſic loquen- f 2. Cor. 3. 18
tis, *Nos verò omnes, revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Specolum, inquam, quod defert ideam, figuram, & imaginem innumerorum mirabilium: & conſpicilium præciſum in pyramidem, quod diverſa nobis exhibet acumina. Poſſumus igitur ex transverſo iſtius cryſtalli, & ex acuminibus iſtius conſpicilii intueri Pri- Diviſio.
mò magnitudinem iſtius gloriæ, Secundò viam eidem gloriæ conſequendæ accommodam.

Refert Calepinus g poſt Plinium de Timan- I. Pars
the, quòd *inter ejus ingenii monumenta, Iphigenia* g Calep. in
Oratorum laudibus celebratur, quam pinxit ad aram Diction. v.
ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes Timan
mæſtos pinxiſſet, omnemque triſtitia imaginem con- thes. ci-
ſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non po- tans Pli-
tuit, velo obduxit. Ratus enim eſt, artem & indu- nium lib. 35. c. 9
ſtriam ſuam à naturâ ſuperandam eſſe, ideòque velum impoſuit vultui patris iſtius filiæ immolandæ, ut de dolore illius ſentiret unuſquiſque quidquid ipſi placeret. Scriptura ſacra ab hoc non diſſonat agendi modo, cùm ipſa proponit aliquid, quod ſummam Dei ſpectat majeſtatem,
propterea Job h ſic effabatur, *Ecce, Deus magnus* h Job 36. 26
vincens ſcientiam noſtram. Super quod Bolducius
i dicit, *Quod Deus ipſe excedit, longeque ſuperat cap-* i Bolduc.
tum, vires, & facultatem creatam, comprehendi ne- Capuc. in
quit, & quidquid lumine naturali de illo intelligimus, Job 36. 26
admiramur adhuc, & nos neſcire confitemur. Hunc ſenſum exigunt originalia, quæ ſic verbatim redduntur, Ecce, Deus magnus, & non ſcimus. Id eſt, ſcire & comprehendere haud valemus. Nempe, tantò minùs illum capere poſſumus, quantùm ei naturâ inferiores ſumus. Prophetæ velaverunt ineffabilitatem hujus ſupremæ Majeſtatis ſilentio æterno. Sic Je-
remias k cùm aliquam expertus eſſet iſtius k Jer. 1. 6
ſcintillam Majeſtatis, dicebat præ ſtupore, *A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.*
Iſaias l velo ſe operit ſilentii, *Vidi Dominum ſe-* l Iſai. 6. 1, & 5
dentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum. Moyſi poſtquàm *apparuit Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combure-*

m Exod. 3.0

buteretur m: *ait Moyſes Obſecro, Domine non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſervum tuũ, impeditioris & tardioris linguæ ſum* n. Et S. Paulus, *quoniam raptus eſt in paradiſum, audivit arcana verba quæ non licet homini loqui* o. Quid igitur mirum eſt ſi poſtquàm Dei Filius *transfiguratus eſt ante diſcipulos ſuos: & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix; deſcendentibus illis de monte, præcepit eis, dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.*

n Exod. 4.10
o 2. Cor. 12.4

Conformiter ad hoc obſervate, ſi placet, quòd ſacer Sponſus alloquens Sponſam ſuam, ait illi, *Mel & lac ſub linguâ tuâ* p. Et quòd Amans ſacra loquens de Dilecto ſuo, ait de illo, *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam* q. Ut diſcamus, quòd magnitudo gloriæ cœleſtis figuratæ per promiſſionis *terram, quæ fluit lacte & melle* r, eſt *ſub linguâ*. Id eſt, ab eâ non poteſt exprimi, eò quòd in eâ dicantur *arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Ideò expreſsè ſuis prohibet Chriſtus diſcipulis ne loquantur de hâc viſione, aut figurâ gloriæ. Sed quoad myrrham afflictionis, pœnarum, & bonorum operum laborioſorum (de quibus vobis ſum locuturus in poſteriori parte, quæ ſunt via eidem gloriæ comparandæ opportuna) permittit illis ut de eâ loquantur in perſonis Moyſis & Eliæ, *Et ecce duo Viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias viſi in majeſtate: & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem* ſ. Quòd ſi Scriptura refert quòd Moyſis, *cùm deſcenderet de monte Sinai, cornuta eſſet facies ex conſortio ſermonis Domini*; ideòque quòd, ut ſplendorem qui inde emicabat, moderaretur, *poſuit velamen ſuper faciem ſuam* t: & ſi *Elias* ob viſum velut exiguum ſpecimen iſtius gloriæ quaſi per tranſennam, dum tranſiret *Dominus, operuit vultum ſuum pallio* u: quid mirum eſt ſi in demonſtratione quam Filius Dei facit Apoſtolis ſuis gloriæ ſuper monte Thabor, *ecce nubes lucida*, inſtar pallii, aut veli, *obumbravit eos*. Eo quòd illius ſuſtinere non poſſent magnitudinem? *Nubes ergo obumbravit eos, id eſt, Petrum, Iacobum, & Ioannem, ne oculi eorum, claritate Corporis Chriſti omnino reperculerentur & obtunderentur*, ait Dionyſius Carthuſianus x. Quia ſuſtinendo hujuſmodi fulgori, qui erat figura gloriæ cœleſtis, erant inidonei. Si autem deſcendamus ad ima montis, inveniemus pallium, quod Jeſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ dereliquit, nimirum ſanctum Evangelium ſuum, pallium ornatum lapidibus pretioſis Prophetarum, auro gratiatum, textum conſiliis y, cujus Opifex & Inſpirator eſt Spiritus ſanctus, *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* z. Et oculos apertos præ nobis ferentes beneficio hujus veli, aliquid infallibiliter conjicere poterimus magnitudinis iſtius gloriæ transfigurationis.

p Cant. 4. 11
q Cant. 5.13
r Exod. 3.8
ſ Luc. 9. 30. & 31
t Exod. 34. 29. & 33
u 3. Reg. 19. 11. &c
x Dion. Carth. art. 30. in Mat. 17.5
y Matth. 19. 12. &c
z 2. Petr. 1. 21

Etiamſi Dei Filius *ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* a; & *imago Dei inviſibilis* b: nunquam tamen potuit figurari, eò quòd non haberet corpus ſenſibile, *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine* c? Nihilominùs *ubi venit plenitudo temporis* d, nõ ſolùm figuratus fuit, ſed, ut ita dicã, deſiguratus, poſteà transfiguratus, tandẽ transſubſtantiatus. *s.* per Incarnationem, *In ſimilitudinẽ hominũ factus, & habitu inventus ut homo* e. *z.* in Paſſione, *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum* f. Tertiò in Reſurrectione, *Surrexit enim* g. Cujus Reſurrectionis hæc transfiguratio erat imago. Quartò in Euchariſtiâ, *Quoniam Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquàm cœnavit, dicens, Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine, hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationẽ* h. Sed quàm appoſitè transfiguratio comparatur transſubſtantiationi, cùm S. Epiphanius i dicat, *Caro, quæ ex Mariâ, & ex noſtro genere erat, transformabatur in gloriam*. Ubi loquitur de transfiguratione. Tertullianus k autem ſermonem habens de transſubſtantiatione, ait, *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, Corpus ſuum illum fecit*. Ego autem æquiparare poſſum hanc transſubſtantiationem Euchariſtiæ mutationi illi miraculoſæ, cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ*, ubi *guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet* l. Et ſicut in hâc transſubſtantiatione ſubſtantia Jeſu Chriſti tota manet integra, ſolis accidentibus exterioribus effectis differentibus, ita in transfiguratione Jeſu Chriſti ſubſtantia nullum ſuſcipit detrimentum.

a Hebr. 1.3
b Coloſſ. 1.15
c Exod. 15.11
d Gilat. 4.4
e Philipp. 2.7
f Iſai. 53. 2. & 3
g Matth. 28.6
h 1. Cor. 11.23. &c
i S. Epiph. lib. 3. contra hæreſ.
k Tert. l. 4. adverſ. Marcion. c. 40
l Joan. 2. 1. & 9

In hâc transfiguratione *reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*. His primis verbis nobis eſt intelligenda gloria animæ; ſicut ultimis innuitur nobis gloria corporis. Præterquam quòd Jeſus Chriſtus nobis iſtud acquiſivit privilegium per ſanctum Corpus ſuum, quod è noſtrâ ſuſcepit naturâ ſupra Angelos: *Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit* m. Corpus repræſentatum his veſtimentis albis: licèt enim ſimiles eſſe debeamus Angelis in ſplendore faciei per viſionem eſſentialem Dei, *Hæc eſt autem vita æterna: Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum* †: tamen in nobis erunt *veſtimenta alba ſicut nix*. Id eſt, habebimus gloriam ſpecialem in corpore, ſicut Salvator noſter, quem *Deus*, ejuſdem *Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater, dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* n. Hanc mihi confirmat Salomon o veritatem, *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*. Id eſt, fideles domeſticos Eccleſiæ, quæ eſt *Domus* p ipſius, operient duæ veſtes correſpondentes duplici juſtitiæ, interiori, & exteriori. *Quæſivit lanam, & linum* q. Priorem, quoad juſtitiam animæ. Poſterius, quoad juſtitiam corporis. *In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt* r. Super quod ait Cornelius ſ ad propoſitum noſtrum, *Anagogicè. Beati poſſidebunt duplicia, id eſt, eximiam gloriam, eamque duplicem, putà tam in corpore, quàm animâ in cælo*. Hoc autem didicit à S. Gregorio t dicente, *Certè ſancta Eccleſia in fine ſuo duplum recipere, eſt in ſingulis nobis & de beatitudine animæ, & de carnis incorruptione gaudere. Hinc eſt enim quòd per Prophetam de Electis dicitur, In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt. Hinc eſt quòd Ioannes Apoſtolus u de Sanctis finem mundi quærentibus dicit: Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt eis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec compleretur numerus conſervorum & fratrum eorum. Ante reſurrectionem Sancti ſingulas ſtolas accipiunt, quia ſolâ animarum beatitudine perfruuntur; in fine autem mundi binas habituri ſunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis Beati gloriam poſſidebunt*. Vel, ſi velitis, *In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt*. Id eſt, propter labores toleratos in animâ, & in corpore,

m Hebr. 2.16
† Joan. 17.3
n Epheſ. 1. 17. &c
o Prov. 31. 21
p Matth. 21. 13. ex Deut. 14. 25
q Prov. 31. 13
r Iſai 61.7
ſ Cornel. in Iſai. 61.7
t S. Greg. lib. 35. Mor. c. 9. ex Job 42.10
u Ex Apoc. 6. 11

ſicut

ſicut perhibetur data duplex Romanis triumphatoribus corone. Una, quam capiti ſuo imponebant quaſi in mercedem magnanimitatis ſuæ exhibitæ in gratiam patriæ ſuæ. Altera verò, quam deferebant in brachio, in præmium laborum corporeorum, quos pertulerant in dimicando cum hoſtibus, de quibus glorioſum tandem retulerant triumpbum.

Hæc gloria ſic erit immodica ut corpora Beatorum futura ſint ſplendentia more Solis,
x Matth. 13.43 *Tunc Iuſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum* x. Quod concinnè ad propoſitum noſtrum ſic explicat
y Dion. Carth. art. 26. in Matth. 13.43 Dionyſius Carthuſianus y, *Tunc fulgebunt Iuſti in corpore per dotem claritatis, quâ tantò copioſior erit in corporibus glorificatis, quantò eorum animæ clariùs Deum videbunt, ſicut Sol iſte ſenſibilis, non ſolùm ſicut nunc lucet, ſed ſicut tunc lucebit, quando lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem*
z Ex Iſai. 30.26 *dierum* z. *Eſtque probabile, quòd claritas corporis glorificati excedit claritatem ſolarem, quoniam opera gratiæ excedunt opera naturæ. Vel, ſicut Sol ſpiri-*
a Malach. 4.2 *tualis, videlicet Chriſtus, de quo in Malachia a Dominus perhibet, Orietur vobis (inquiens) timentibus nomen meum Sol juſtitiæ. Corpora namque Electorum aſſimilabuntur claritati Corporis Chriſti, prout dicit Apoſtolus, Salvatorem expectamus Dominum Ieſum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configu-*
b Philipp. 3.20.&21 *ratum corpori claritatis ſuæ* b. Ex hâc gloriâ exibit
c Apoc. 2.17 *manna abſconditum* c, quo ſatiabuntur; & torrens deliciarum, quo potabuntur, *Torrente volup-*
d Pſ. 35.9 *tatis tuæ potabis eos* d, quaſi nectare & ambroſiâ, quæ pocula ab Ethnicis attribuebantur diis ſolis, quia in gloriâ erimus quaſi dii, *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam vi-*
e 1. Joan. 3.2 *debimus eum ſicuti eſt* e. Tunc poſſidebimus promiſſionum *terram fluentem lacte & melle* f omniū
f Exod. 3.17 conſolationum. Ibi verè dicere poterimus, *Domine bonum eſt nos hîc eſſe.* Non more S. Petri, qui videbatur velle conſtituere hâc gloriam in ter-
g Luc. 9. 34 râ, quem propterea Evangeliſta g inſcitiæ inſimulat, dicens de eo, *Neſciens quid diceret.* Quia in transfiguratione diſcipuli *levantes oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Ieſum.* Sed ubinam erat ſplendor faciei Moyſis, qui interfuit in viſione ſuper monte Thabor huic transfigurationi, cujus certum eſt, quòd *cùm deſcenderet de mõte Sinai,*
h Exod. 34.29 *cornuta eſſet facies ex conſortio ſermonis Domini* h inſtar radiorum Lonæ? Nullam Evangelium egit illius mentionem, quia tota mundi iſtius gloria repræſentata per Lunam, quæ apparuit ſuper fronte Moyſis, non apparet in hoc orbe, imò verò non eſt ipſa niſi tenebræ, æquiparata magnitudini gloriæ cœleſtis, ob ſuam magnam inconſtantiam. Re autem verâ non toties creſcit, aut decreſcit Luna, quin gloria mundi plures ſuſtineat viciſſitudines; & ſicut illa ſæpè patitur eclypſes, imò verò in plenilunio ſuo, & cùm maximam præ ſe videtur ferre claritatem; ita gloria mundi, bona caduca tolerent eclypſes inter honores & proſperitates maximè ſplendentes ob diverſas mutationes fortunæ. Et ſicut Luna, aut lux ejus quæ emicabat ſuper fronte Moyſis, caligine offundebat oculos inſpicientium, ita *ut non intenderent filii Iſraelis faciem ejus, ſed obtuſi*
i 2. Cor. 3.13 *ſunt ſenſus eorum* i: Propter quod ipſe *poſuit vela-*
k Exod. 34.33 *men ſuper faciem ſuam* k: ita univerſa mundi iſtius gloria invidiæ eſt obnoxia. Si contingat ut quis præ ſe ferat tantillum iſtius claritatis, confeſtim invidiâ tabeſcimus, nec illam claritatem valemus ſuſtinere, nitimur eam velo obducere, cùm invidia e gloriâ naſcatur alienâ: ſed in cœlo nullam eſt invidiam reperire.

S. Joannes l deſcribens Jeruſalem cœleſtem glo- l Apoc. 21.23
riæ, ait; *Civitas non eget Sole, neque Lunâ, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminabit eam, & Lucerna ejus eſt Agnus.* Quaſi diceret, quòd ſicut omnes oculi, fortes, aut debiles, aquilarum, aut hominū ſuſtinere poſſunt claritatem lucernæ, non autem Solis, ita in civitate Jeruſalem gloriæ unuſquiſque, parvus, aut magnus, in quolibet ſtatu ibi collocatus, ibidem videre poterit juxta beneplacitum ſuum gloriam Beatorum: ſed quòd gloria mundi, quæ ſuſtinetur ab oculis generoſis, quales ſunt oculi aquilarum, ſuſtineri non poteſt ab oculis infirmis invidorum. Luna cū maculis ſuis apparentibus in facie, repræſentet nobis afflictiones innumeras, quæ maximam gloriæ hujus mundi partem inquinent. Sol verò, è quo omnia alia lumina procedūt, eſt vera imago hujus gloriæ cœleſtis ſine maculâ, *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quæ* † Apoc. 21.4. ex Iſai. 25.8
prima abierunt †. Ibi erit omne ſplendorum genus, quoniam, ut docet Boëtius m, *Liquet eſſe* m Boet. lib. 3. de Conſol. Philoſoph. proſ. 2
beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum. Sed ut perveniamus ad hunc ſtatum, capeſſenda nobis eſt via eidem conſequendo opportuna, & hæc eſt poſterior mea pars.

II. Pars

Quam educo è progreſſu Evangelii S. Lucæ n, n Luc. 9.31
Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem. Mors Jeſu Chriſti eſt exceſſus redemptionis, & laborum. Redemptionis *Quia copioſa apud eum redemptio* o. Quoniam cùm in noſtris o Pſ. 129.7
poſſet relinquere nos miſeriis, aut viis redimere nos facilioribus, ivit in exceſſum laborum & tormentorum: ubi enim unica ſufficiebat Sanguinis ipſius gutta, totum voluit illum dare p. p Joan. 19.1.&c
Exceſſus amoris, cùm clamavit in Cruce, quòd tormenta præterita ſuo non ſufficerent amori, *Dicit, Sitio* q. De hoc exceſſu amoris loquebatur q Joan. 19.28
Pſalmiſta r in perſonâ Salvatoris, dicens, *Fa-* r Pſ. 21. 15.&16
ctum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me. Cor ejus erat ſimile ceræ, & Corpus ejus teſtæ ſeu luto: quid igitur eſt mirum ſi ignis ardentiſſimus amoris illius agens in unum, illud liquefecit; & operans in aliud, illud exſiccavit? Exceſſus gloriæ: cùm enim præ miraculo triginta tribus annis Corpus ſuum privaſſet gloriâ, quæ erat ei debita, quæque obſcurari debebat in Paſſione ipſius, in eo orta eſt ſic immodica in ipſius Reſurrectione, ut præteritorum ſuorum videretur penitus oblitus tormentorum: nam poſtquàm *Cleophas dixit ei, Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illâ, his* ſ Luc. 24. 18.&19
diebus? Ille dixit, Quæ ſ? [illegible] exceſſus, quia gloriâ ſe privavit pro inimicis ſuis, *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis* t Rom. 5.8
mortuus eſt t. Exceſſus tandem gloriæ, quia inde Chriſtus viam nobis aperuit ad gloriam æternam conſequendam.

Propterea in transfiguratione illius, *veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix.* unde fideles omnes ſuſceperunt gloriam ſuam, cùm nihil ſit rectæ rationi congruentius, quàm ut membra communicent gloriæ capitis ſui, *Quia membra ſumus corpo-*

u Epheſ. 5.30

ris ejus u Quod fit imitando labores & pœnas ipſius, quæ ſunt via ad illam conſequendam. Ideò myſteriosè a S. Joãne x gloria cœleſtis deſcribitur *ipſa civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Et paulò antè repræſentat nobis illam idẽ Evangeliſta claram *ſicut cryſtallum.* Sicut enim aurum purgatur in fornace; ita Juſti purificari debent, ſi ad iſtam pervenire velint civitatẽ, *Tanquam aurũ in fornace probavit illos* y. Cryſtallus producitur inter frigora vehementia; ſic debemus eſſe cryſtalli, & confirmare nos inter adverſitates & cõtradictiones iſtius vitæ, ut poſſideamus gloriam alterius, cujus magnitudo & æternitas ad ſui animare nos debet inquiſitioné, *Momentaneum & leve tribulationis noſtra, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* z.

x Apoc. 21.18.& 11
y Sap 3.6
z 2. Cor. 4.17

Exploratores, quos *miſit Moyſes ad conſiderandam terram Chanaan, cùm aſcendiſſent, exploraverunt terram: pergenteſq; uſq; ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uvâ ſuâ, quem portaverunt in vecte duo viri. Reverſiq; exploratores terræ poſt quadraginta dies, omni regione circuitâ, venerunt ad Moyſen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſrael, locutique eis & omni multitudini, oſtenderunt fructus terræ, & narraverunt, dicentes, Venimus in terram ad quam miſiſti nos, quæ reverâ fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt: ſed cultores fortiſſimos habet: ſtirpem Enac vidimus ibi. Inter hæc Caleb compeſcens murmur populi, qui oriebatur contra Moyſen, ait, Aſcendamus, & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam* a. Hæc terra cœleſtis gloriæ eſt infinitè delicioſior terrâ promiſſionis; ſed in hâc ſicut in terrâ Chanaan eſt videre *monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo.* Id eſt, hæc terra ſita eſt in vertice montis figurati per *montem* Evangelii noſtri *excelſum*, ſuper quem ſuos Dei Filius aſcendere facit hodiernâ die diſcipulos: ſi in eum velimus aſcendere, oportet ut ſudemus; & Eccleſia ut nos invitet ad conſequendam illã, offert nobis uvam allatam à Jeſu Chriſto, quæ eſt gloria transfigurationis ipſius, quam manifeſtavit diſcipulis ſuis, & in eorũ perſonâ omnibus fidelibus. Sed ſicut ſuam tetendit Chriſtus manũ diſcipulis ſuis, ut aſcenderẽt montẽ, quò ex ſeipſis non poterãt aſcendere; ita noſtrâ intuitus infirmitatẽ, non ſolũ manifeſtare vobis vult ſplendorẽ gloriæ ſuæ, ſed etiam præbere nobis *manũ* b gratię ſuę, ut imitari poſſimus ipſum, & laborare ſicut ipſe, pactum nobiſcum iniens, quòd, ſi fideliter laboremus, ipſe ſit impenſurus nobis mercedem, quæ labores noſtros longè ſuperabit.

a Num 13. 17.&c
b Prov. 1.24

Iſtam proponit nobis veritatem ſub cortice parabolæ Evangelicæ c, *Simile eſt Regnum cœlorũ homini patrifamilias qui exiit primò manè conducere operarios in vineam ſuam. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* A nativitate mundi, quæ fuit aurora, ſeu primũ manè, Deus negotiatur nobiſcum ut bonus Paterfamilias, & conducit laborem noſtrum eâ conditione ut illum præmietur, pollicens nobis in mercedem denarium gloriæ ſuæ. In ſtatu innocentiæ, *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eũ in paradiſum voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum* d. Quale debebat eſſe opus ejus? Nõ exigebat aliud ab illo Deus, niſi amorem, obedientiam, & aliarum praxim virtutum, quæ infallibiliter illum conſervaſſent in deliciis paradiſi terreſtris, eumque tandẽ meritoriè traduxiſſent ad gloriã paradiſi cœleſtis, de quâ nobis eſt ſermo.

c Matth. 20.1.&c
d Gen. 2.15

Omnes creaturæ ideò ſubſiſtunt ut actiones exerceant excellentiæ ſuæ conformes, *Rerũ quodque quorum eſt opus, operis ipſius eſſe gratiâ conſtat*, ait Ariſtoteles e. Et prædictæ actiones inducunt ens ſimplex ad finem ipſius ut ad terminum perfectionis ipſi congruẽtis. Hoc videmus ſenſibiliter in elementis, iſtud demonſtrativè verificamus in ordine & in uniformitate motuum cœleſtiũ, & ipſum agnoſcimus in inſtinctibus omniũ animalium naturalibus: ſi verò regula boni ordinis nõ debet deficere in ente perfectiſſimo hominis rationalis, oportet neceſſariò ut fultus auxilio gratiæ divinæ producat actiones paradiſo dignas, ut medio exercitio virtutum productarum beneficio gratiæ, meritoriè ad ſuæ terminũ perveniat perfectionis, & ad æternæ centrum quietis. Hæc igitur praxis debebat eſſe opus, cui debebat incumbere Protoplaſtus noſter in ſtatu innocẽtiæ ſuæ primigenię ante patratã inobedientiã ſuam: ſed poſtquàm *emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de quâ ſumptus eſt*; confeſtim ac vetito *de fructu comẽdit*: idem Deus novum cum illo pactum ferit, & obſtringit illũ ad laborem, ut merito pœnarum ejus introducat illum ad beatitudinem, *In ſudore vultus tui veſcẽris pane tuo* f. Panis ſatians in gloriâ, non apponitur niſi menſæ Angelorum, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* g. Sed ut guſtemus iſtud alimentum Divinum, debemus illud emere pretio ſudorum & laborum noſtrorum, *Panem Angelorum manducavit homo* h. *Panis cœli non aliud eſt quàm Chriſtus, de quo cœleſtes, id eſt, Angeli reficiuntur ejus contemplatione*, ait Incognitus i. Et quem comedemus in gloriâ.

e Ariſt. l. 2 de Cœl. c. 3. text. 17
f Gen. 3. 6.&c
g 1. Petr. 1.12
h Pſ. 77. 25
i Incognit. in Pſ. 77. 25

Fœdus iſtud fuit renovatum à Deo cum omnibus Patriarchis ab hâc primâ origine manantibus. Si Deus vocat Abram ad laborem, ecce confeſtim inquirit ipſe quodnam ſibi ſit præmium retribuendum, *Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi?* Etiamſi fuiſſet *factus ſermo Domini ad ipſum per viſionem, dicens: Noli timere Abrã, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* k. S. Petrus in Lege Gratiæ quærit quænam futura ſit merces ſua, *Petrus dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus autem dixit illis, Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit* l. Pactum autem initum cũ Patriarchis noſtris, & validum effectũ cum nepotibus eorum, *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcũ, & cum ſemine veſtro poſt vos* m: eſt conventio quã agnoſcimus pro fundamento meriti: hoc autem fundamento fulcimus ſpem videndi actiones noſtras mercede donandas ſempiternâ, cùm Deus id promiſerit, & promiſſa ejus ſint infallibilia, *Amen dico vobis, Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* n.

k Gen. 15. 2.& 1
l Matth. 19.27.&c
m Gen. 9.9
n Matth. 24.34.& 35

Ego autem cum S. Paulo o *exiſtimo, quòd nõ ſunt cõdignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Id eſt, ſi conſideremus illas in propriâ ipſarum virtute, ut actus impotentiæ noſtræ: ſed ſi Deus obſtrinxit ſe ad dandam æternitatem felicitatis pro exiguâ tolerantiâ, pro actu amoris, pro vitro aquæ frigidæ in nomine ſuo, pauperi erogato, *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ; amen dico vobis, non perdet mercedẽ ſuam* p: nonne jure merito iſtam ſperare debemus mercedem,

o Rom. 8. 18
p Matth. 10.42

cedem ſimilibus actionibus incumbentes. Regnum cœlorũ non erogatur cum æſtimatione pretii, ſed tãtum valet, quantum habemus: Zachæo
q Luc. 19. 8 r S. Greg. hom. 5. in Evang. valuit *dimidium bonorũ* q ipſius, ait S. Gregorius r, *Æſtimationem quippe pretij rectè non habet: ſed tamen Regnum Dei tantum valet, quantum habet. Valuit namque Zachæo dimidium ſubſtantiæ: quia dimidium aliud ad hoc quod injuſte abſtulit, reſtituendum in quadruplum reſervavit. Valuit Petro & Andreæ dimiſſis retibus & navi* ſ. *Valuit vidua duobus minutis* t.
s Ex Matt. 4. 20 t ex Marc. 12. 42 *Valuit alteri calice aquæ frigidæ.* Sufficit ut demus noſmetipſos, ſi illud habere velimus. Virtute iſtius pacti Deus nobis eſt debitor, & poſt exhibita ei opera meritoria, poſſumus ab illo expoſcere titulo juſtitiæ coronam gloriæ, cum S. Paulo x,
x 2. Tim. 4. 7. & 8 *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Super quod S. Auguſtinus y ait,
y S. Aug. in Pſ. 83 z Rom. 11. 34 *Quid tibi reddet, niſi quod tibi debet? quid autem tibi debet? quid ei dediſti? (Quis prior dedit illi, & retribuetur ei* z? *) Debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo. Non ei dicitur: Redde quod accepiſti: ſed, Redde quod promiſiſti.* Tandem, *Cùm omnia quæ præcepta ſunt* nobis, fecerimus, dicere debemus, *Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus* a. Sic eſt, *Inutiles ſumus* Domino, cui ſervimus,
a Luc. 17. 10 b Pſ. 15. 2 *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges* b. Sed ſaltem utiles animæ noſtræ, cui Deus reſervat utilitatem meriti, & gloriam pro mercede. Hæc eſt corona miſericordiæ, non me latet: ſed a S. Paulo vocatur etiam *corona juſtitiæ.* Deus dat illam gratis,
c Pſ. 55. 8. d Rom. 6. 23 e S. Aug. l. de Correct. & Grat. c. 13 f Idem epiſt. 105 *Pro nihilo ſalvos facies illos* c. Et, *Gratia Dei vita æterna* d. Quod S. Auguſtinus e ſic explicat, *Confitendum eſt, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.* Et alibi f ait, *Quod eſt ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia: & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet quàm munera ſua?* Proptereà cum mercede ſolutionis, gratuitam agnoſcimus Donatoris liberalitatem.

Gratia eſt ſemen gloriæ, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet* g. Ipſa dedit virtutem producendi fructus iſtius, quod non poteſt eſſe niſi ipſa ſit cauſa meritoria.
g 1. Joan. 3. 9 i Epheſ. 1. 14 Gratia eſt arrha cœli. *Pignus hæreditatis noſtræ* i. Cùm iſtam deponemus arrham inter manus Dei, tenetur ipſe ratione pacti, imò verò & titulo juſtitiæ ſuam nobis tribuere gloriam. De iſtis pompaticè loquitur S. Paulus k actionibus
k Rom. 4. 4 meritoriis, *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Unde e-contrario condignitatem actionum meritoriarum cum mercede, & fundamentum meriti, *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis* l.
l Hebr. 6. 10 Deus igitur injuſtitiæ poſſet inſimulari, ſi iſtam recuſaret peragere ſolutionem.

Ad intuitum mercedis iſtius Pſalmiſta m ſeſe
m Pſ. 118. 112 animat ad obſequium Deo exhibendum, dicens ei, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Iſtam ſemper præ ſuis habebat S. Paulus n oculis gloriam ut
n Philipp. 3. 14 terminum & pretium curſus ſui, *Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu.* Vita præſens non erat ipſi niſi momentum, & labores & martyria non erant ipſi niſi levitas abſque ullo pondere: quia comparabat præſens cum futuro, momentum cum æternitate, & laborem cum gloriâ, dicens, *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna ſunt* †. Ad ejuſdem
† 2. Cor. 4. 17. & 18 gloriæ contemplationem omnes Sancti ſibi addiderunt animos. S. Stephanus *cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem a dextris Dei. Et ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei* o. *In quo omniũ Martyrum animata & roborata*
o Act. 7. 55. & 56 p Dion. Carth. art. 7. in Act. 7. 56 q Eccleſia ex Act. 7. 59 *ſunt corda, omniumque fidelium fortificata eſt fides non parùm*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus p. Propterea Eccleſia q de illo concinit, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Eâdem inebriatus S. Ignatius Martyr r dulcedine, omnes invitabat creaturas ad excruciandum corpus ſuum, ut anima ſua paradiſum mereretur.
r S. Ignat. epiſt. 15. ad Rom. Et S. Eulalia intuitum ſuum in cœlum tulerat, cùm devorabat flammas, ut eo citiùs frueretur. Nos autem Chriſtiani aſpectum noſtrũ illuc dirigere recuſamus, terræ adhærẽtes.

Præcipit nobis Deus ut bona continuemus opera incepta, ut augeamus & ditemus novorum acquiſitione meritorum coronam immortalitatis, *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc* ſ. Quod ſic ad propoſitum noſtrum explicat Dionyſius Carthuſianus t,
ſ Apoc. 22. 11 t Dion. Carth. art. 23. in Apoc. 22. 18 *Juſtus juſtificetur adhuc, id eſt, in virtutibus creſcat. Et qui ſanctus eſt, id eſt, perfectus quantùm ad viatorem, ut ſunt viri heroici, ſanctificetur adhuc, id eſt, in puritate & charitatis fervore proficere non deſiſtat. Cùm enim hæc vita ſit via ad aliam, in eâ non proficere eſt deficere. Nemo utique ita de ſuis confidat profectibus, ut ceſſet, aut negligentiùs agat, imò proficiendi propoſitum quotidie renovet, & vigilantiori mente Deo ſemper deſervire conetur.* Quia ſi merces habet convenientiam cum merito, oportet neceſſariò ut ea ſit inæqualis, ſi merita actionum, & labores fidelium ſunt æſtimationis & pretii differentis. Varia ſunt in cœlo domicilia, ut ait ipſemet Dei Filius, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* u.
u Joan. 14. 2 x 1. Cor. 15. 41 Stellæ affixæ firmamento immortalitatis, non ſunt æquales, *Stella enim à ſtellâ differt in claritate* x. Collectiones ejuſdem ſeminis non ſunt omnes eædem, *Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum* y.
y Matth. 13. 8 Diverſæ ſunt Hierarchiæ, & varii ordines ſpirituum Angelicorum in civitate Jeruſalem triumphante; & exprimuntur per gradus & ordines Eccleſiaſticos Eccleſiæ militantis, qui nobis declarant inæqualitatem beatitudinis; quod inducere nos debet ad incumbendũ ſeriæ virtutum praxi, ut mereamur ſemper magis, cùm ſuam Deus non impendat nobis mercedem niſi juxta noſtrorum laborum & meritorum proportionem, *Ecce venio citò: & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua* z.
z Apoc. 22. 12 a Dion. Carth. art. 23. in Apoc. 22. 18 Quod ſic exponit idem Carthuſianus a, *Ecce venio citò ad judicandum. Et merces mea mecum eſt, id eſt, digna retributio pro meritis atque demeritis ſingulorum. Reddere unicuique ſecundùm opera ſua. Per opera, etiam interiores actus, ſcilicet cogitationes, intentiones, affectiones, itemque locutiones intelligendo.* Quod magnam invehit in animas devotas conſolationem, ſcire quòd greſſus ſui ſint numerati, & cogitationes ſuæ, deſideria ſua, & vel minimæ ex actionibus ſuis nova acquirant ſibi merita, & recentes gloriæ gradus, *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt, ne-*

b Luc. 12. 7 c Luc. 21. 18 d Dion. Carth. art. 44. in Luc. 21. 18 e Joan. 4. 24 f Dion. Carth. art. 21. in Joan. 4. 24 g S. Aug. ſerm. 59. de verb. Dom. c. 4

lite timere b. *Et capillus de capite veſtro non peribit* c. *Spiritualiter verò. Capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ, quæ ſi bona & charitativæ fuerint, non carebunt beatitudinis præmio*, ſubdit idem Carthuſianus d.

Unicum Deus habet denarium, nimirum Ens ſuum ſimpliciſſimum, *Spiritus eſt Deus* e. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ait idem Carthuſianus f. Iſtud autem Ens ſummum continet in ſuâ eminenti ſimplicitate theſaurum infinitum omnium perfectionum imaginabilium, & incomprehenſibiliũ, nemo ipſum totum poſſidet, & omnes eo fruuntur diverſimodè. Sic S. Auguſtinus g cum unitate denarii, & beatitudinis objectivæ tuetur inæqualitatem mercedis in varietate gloriæ formalis, dicens, *Quàmvis enim meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minùs: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Alio modo ibi erit integritas virginalis: alio modo caſtitas conjugalis: alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona paſſionis. Illud alio modo, aliud alio modo: tamen quantùm pertinet ad vivere in æternum, nec iſte plùs vivit illo, nec ille plùs iſto. Denarius vitæ æterna eſt.* Si liceret mihi per otium, oſtenderem vobis quomodo lumen h gloriæ infunditur Beatis cum modificatione, convenientiâ, & proportione ad meritum, & quòd per iſtam inæqualitatem cognoſcunt Deum inæqualiter, eoque fruuntur inæqualiter per hanc notitiam: ſed ſufficiet nobis ut hunc diſcurſum concludamus per ſatisfactionem generalem quæ regnat in cœlo, ubi unuſquiſque ſuâ contentus eſt ſorte, nec ſuum mutaret locum, ſi illius mutandi ipſi daretur optio à Deo. Torrentes voluptatis, qui fluunt ex eſſentiâ Dei, replent capacitatem Sanctorum, ſicut diverſæ hydriarum menſuræ replentur in fonte. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen* i. Omnes perfectâ fruuntur felicitate ad ſatietatem uſque, deliciis æternis immerſi, immunes ab omni faſtidii genere, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, ait Deo Pſalmiſta k. Sufficit ut manum operi applicemus, adjuti gratiâ Dei, ut aliquando ad iſtam pervenire poſſimus gloriam ſempiternam.

h Pſ. 35. 10 i Pſ. 35. 9. & 10. k Pſ. 16. 15

FERIA II. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan. 8. 21.

a Prov. 1. 24. & 25 b Matth. 8. 1 &c c 1. Tim. 2. 4 d Matth. 23. 37 ex 4. Idr. c. 30

SI unquam hæc verba Salomonis a, *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*; verificata ſunt, adimplentur hodie in Scribis & Phariſæis, ut teſtantur minæ, quibus in illos invehitur Dei Filius, *Ego vado*. Plurima patraverat ipſe miracula b, ut eos converteret, ipſe, inquam, *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* c. Suas pluries obtulerat illis gratias, *Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti* d? Suis non pepercerat ipſe labori ut ſuum illis annunciaret verbum, & inſpiraret eis cum dulcedine ejuſdem ſermonis ſui, divinorum ſuorum obſervantiam mandatorum, & illos induceret ad ſe ſequendum: ſed intuitus quòd hæc omnia illis eſſent inutilia ad operandam propriam Salutem, minatur eis ſe derelicturum illos in obſtinatione ipſorum, & traditurum *illos in reprobum ſenſum; ut faciant ea, quæ non conveniunt* e. Ut ſint aliquando æternarum materia flammarum. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta* f. *Spiritualiter, quando non acquieſcimus admonitionibus Dei, domus noſtra deſeritur, quoniam anima, in quâ ſedes eſt Sapientiæ* g. *Spiritus ſancti inhabitatione privatur: & corpora quæ templum ſunt Spiritus ſancti* h, *igne libidinis concremantur, & vitiis deſtruuntur*, ait Dionyſius Carthuſianus i. *Quæ mergunt homines in interitum* k. Efficiamur ſapientes, Auditores, & utilitatem hauriamus è gratiâ, quam nobis offert idem Dei Filius, quæ eadem eſt, quam invênit Archangelus in Mariâ, cùm *ingreſſus ad eam dixit, Ave* l *Maria.*

e Rom. 1. 28 f Matth. 23. 38 g Ex Sap. 7. 7 h Ex 1. Cor. 6. 19 i Dion. Carth. art. 37. in Mat. 23. 38 k 1. Tim. 6. 9 l Luc. 1. 28

Si poſtquàm diu fluctuavit navis medias inter undas maris implacabiles, poſt toleratam mali ſui & antennarum ſuarum tempeſtatis & procellarum violentiâ & impetu conſtactionem, tandem ad portum appellatur feliciter, quânam perfunduntur nautæ & viatores conſolatione, intueri ſe in loco ſecuritatis conſtitutos: ſic minus non eſt gaudium peccatoris, eùm, ubi fluctuavit in mari procelloſo peccati, effrænibus ſuis habenas laxans concupiſcentiis, poſt exhauſta tot pericula, inter quæ ſe naufragio vidit expoſitum æterno; appellitur tandem ad portum iſtius maris immenſi miſericordiæ Dei, qui ſuas nobis offert ſemper gratias, *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ* m. Quique nunquam nos deſerit quin priùs ipſum deſeruerimus per contemptum gratiarum ipſius, per obſtinationem veniâ indignam. Ideò jure merito comparatur mari: ſicut enim mare eſt magnitudinis incomparabilis; ita Deus *magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus* n. Mare eſt profundum; ita *nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ* o. Mare nunquam areſcit; ſimiliter bonitas Dei communicans ſe creaturis ſuis, nunquam exhauritur. Sicut *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterùm fluant* p; ita omnes creaturæ procedunt à Deo ut à principio ſuo, & ad illum redeunt tanquam ad ultimum finem ſuum, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* q. Deus eſt mare eſſentiæ: ſicut enim omnes aquæ procedunt à mari; ſic omnes creaturæ ſuam trahunt à Deo originem. & ſicut omnes aquæ & guttæ maris eandem habent eſſentiam cum mari; ita quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus, & hoc modo perfectiones ejus ſunt eſſentia ipſius. Deus eſt mare incomprehenſibilitatis: quemadmodum enim ille, qui eſt circum litus maris, videt mare in mari, ſed non poteſt illud omnino comprehendere; pariter nullo poſſumus Deum comprehendere modo, qui eſt *incomprehenſibilis cogitatu* r. Deus eſt mare præſentiæ, ut ipſemet ait, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo* ſ? Sicut enim mare totam circumcingit terram; ita Deus in omnibus invenitur creaturis non ſecus ac circulus, cujus punctum omnibus ipſius præſens eſt partibus. Sed quàm infortuna-

m Pſ. 22. 6 n Baruch 3. 25 o Pſ. 91. 6 p Eccl. 1. 7 q Prov. 16. 4 r Jer. 32. 19 ſ Jer. 23. 24

ti

ti eſſent nautæ qui navigant ſuper mare proceloſum iſtius mundi, ſi poſtquam tempeſtate validâ fuerunt impetiti, ad portum non poſſent appelli: ſic nos profectò miſeriores eſſemus, ſi agitati undis peccati, non poſſemus pervenire ad portum miſericordiæ, qui eſt circum litus iſtius maris myſtici. Penes nos eſt in eum nos recipere toties, quoties voluerimus: licèt enim poſſet Deus deſerere nos in criminibus noſtris poſtquàm uterque Protoplaſtus noſter vetito *de fru-*
t Gen. 3, 6. *ctu comêdit* t, & Divina ipſius trangreſſus eſt mandata, tamen *ubi abundavit delictum, ſuperabun-*
u Rom. 5. 20. *davit gratia* u. Nec ſuam deſtitit ipſe nobis offerre miſericordiam, ut dixi ſuprà, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis*
x 1. Tim. 2. 4. *venire* x. Quæ voluntas nihilominùs non eſt abſoluta & efficax, de qua dicitur, *Voluntati ejus quis*
y Rom. 9. 19. *reſiſtet* y? Sed voluntas antecedens & conditionata, nimirum, ſi nos velimus: & licèt hoc modo ſit illa conditionata, in hoc tamen eſt abſoluta ut nemini renuat gratiam ſufficientem, cujus beneficiu ſuam poteſt unusquisque operari ſalutem, ſi eâ vigeat induſtriâ ut ex illa utilitatem haurire velit & commodum: abſoluta etiam in hoc, quòd Deus iſtam ſic offert gratiam, ut nulla ſit tentatio, cui non poſſit homo reſiſtere media iſtâ gratiâ, ſi velit, *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſu-*
z 1. Cor. 10. 13. *ſtinere* z. Atqui Deus omnibus, & ſingulis hominibus iſtam offert gratiam, de qua dicitur,
a Job 25. 3. *Super quem non ſurget lumen illius* a? *Omnibus igitur communicat Deus affatim lumen ſuum diverſimodè, & chariſmata ſingulis, prout vult, diſtribuit militibus, non ob aliud, quàm ut pugnent adversùs Prin-*
b Bolduc. Capuc. in Job 25. 3. *cipem tenebrarum*, concludit Bolduciùs b. Quare igitur tot inveniuntur animæ tenebris obvolutæ? Iſtud oritur ex defectu noſtro, ut non illuminemur hâc luce, quam impii nolunt ſuſcipere, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias*
c Job 24. 13. *ejus* c. Et, *Qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipo-*
d Job 21. 14. & 15. *tens ut ſerviamus ei* d?

Axioma eſt Theologicum, quòd Deus nunquam recedat à nobis, niſi priùs nos ab ipſo receſſerimus, & ideò ipſe ait, *Quærite, & invenie-*
e Matt. 7. 7 *tis* e. Si autem ita ſe res habet, ut nemo debet de hoc ambigere, quomodo intelligendæ ſunt hæ minæ, quas nobis intentat Dei Filius in perſona Iudæorum, quòd ipſe recedat è nobis? *Ego vado.* Et conſequenter quòd nos deſerat? Sed aliundè cùm invitet ipſe nos ad ipſum quærendum, & quòd ipſum ſimus inventuri; quomodo conciliari poſſunt hæc, ut illum ſimus quæſituri, *Quæretis me. Et in peccato* noſtro morituri? Ratio iſtius eſt, quia malus fieri poteſt uſus gratiæ, valet Deus benè & malè quæri, & conſequenter poteſt quis in peccato ſe obſtinando in eo mori. Quod inducit me ad oſtendendum vobis
Diviſio. Primo legitimum uſum quem facere debemus gratiæ Dei, quærendo illum ut decet. Secundò mercedem quâ donabimur ab eo, ipſo judicii extremi die, propter bonum uſum quem peregerimus illius, quandiu ipſe pœnas expetet ab illis qui mortui fuerint in peccatis ſuis obſtinati, eò quòd gratiâ uſi non fuerint appoſitè.

I. Pars. Ut legitimum peragere poſſimus uſum gratiæ Dei, quærendo illum ut expedit, & ipſe à nobis hoc exigit, obſervandum eſt, quòd poteſt quæri Deus, ut quæratur ſicut decet, quoad modum, quoad locum, & quantùm ad tempus.
f Deut. 4. 29. Moyſes f locutus eſt nobis de ratione iſta quærendi Dei quantùm ad modum, cùm ſic effatus eſt, *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Quod ſignificat dolorem quem concipere debemus de offenſa Divinæ Majeſtatis, cùm eit, *Totâ tribulatione*, ut exponit Cornelius g, dicens, *Scilicet, in vera contritione & con-*
g Corn. in Deut. 4. 29 *verſione animæ tuæ. Hebraicè eſt, In tota anima tua. Inſinuat, quòd contritio vera, quæ peccatorem Deo reconciliat, debeat procedere ex amore Dei ſuper omnia: Hoc enim eſt quærere Deum ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ.* Iſte autem dolor debet eſſe univerſalis, & generatim de omnibus concipi criminibus, quorum conſcii ſumus, quorumque nullum ampliùs retinere debemus affectum; & ideò noſtros projicere debemus oculos ſuper omnia, ſi non in individuo, ſaltem in genere. In vera enim converſione peccatoris oportet ut intellectus illuminetur, ut peccator ſuæ ſtatum cognoſcat animæ, & magnitudinem Dei, quem offendit; ut voluntas deteſtetur peccatum, quo ipſa eſt inquinata; & ut cognitis & odio habitis peccatis, firmiter proponat hujusmodi peccator ab iis recedere, in bonam emendatæ vitæ ſe recipere frugem, poſt formatum in corde ſuo de iiſdem ſceleribus à ſe perpetratis contritio-
h Pſ. 118. 136. nis actum. Ideò Propheta Regius h dicebat Deo, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.* Cujus rationem red-
i Incognit. in Pſ. 118. 136. dit Incognitus i, *Scilicet, quòd talis erat agnita debet plangere. Pœnitentia peccata commiſſa delet, & gratiam Divinam acquirit: ſine qua adultus*
k ex Luc. 13. 3. *ſalvari non poteſt* k. *Hoc benè novit Magdalena, quæ*
l ex Luc. 7. 38. *maculas criminum lacrymis lavit* l, *Hoc novit Petrus, quia ut peccatum negationis Chriſti tergeret, egreſſus*
m ex Luc. 22. 62. *foras, flevit amarè* m. *Sic & Pſalmiſta* n *dicebat,*
n Pſ. 6. 7. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Sic & modò in perſona peccatoris, qui peccata dolore curavit, dicit, Exitus aquarum, id eſt, lacrymarum deduxerunt oculi mei. Et adverte, quòd magna eſt virtus lacrymarum, quæ non damno temporalium, ſed ſpiritualium emittuntur. Unde cauſam harum lacrymarum inſinuans hîc Pſalmiſta, dicit, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non cuſtodierunt legem tuam. Iſtæ ſunt lacrymæ, quæ pro offenſa delenda funduntur.* Propoſito no-
o Thren. 3. 48. ſtro meliùs etiam conſonat Jeremias o, dicens, *Diviſiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.* In quo alludit Propheta hortulano, qui hortum irrigans, nullam prætermittit plantam quantùmvis exiguam, ſuper quam fluere non faciat aquam: ſic noſtrarum dividere debemus aquam lacrymarum ſuper omnia peccata noſtra, præ dolore quem concipiemus ex eo quòd illa perpetraverimus. Sic iſtud ver-
p Corn. in Thren. 3. 48. tit Cornelius p ex Hebræo. *Diviſiones, id eſt, rivos aquarum.* Quò accedit idem Incognitus q, cùm
q Incogn. in Pſ. 118. 136. ait, *Solent agricolæ ſiccitatis tempore fontium rivulis terram rigare, ne ariditate nimiâ ſemina multiplicare nequeant terræ commendata. Ad horum imitationem Pſalmiſta imbre gratiarum tardante deſcendere, operum ſuorum fructus lacrymarum undâ non negligit infundere.*

Prætereà, Moyſes ait, quærendum eſſe Deum ex tota extenſione cordis noſtri, *Toto corde.* Similis eſt in hoc Deus illi matri, quæ in judicio Salomonis, qui decreverat ut divideretur infans, de quo diſceptabatur inter duas matres, utra illius eſſet vera genitrix, noluit ut in fruſta diſcinderetur, *Dixit ergo Rex, Afferte mihi gladium.*

Cùmque attuliſſent gladium coram Rege, Dividite, inquit, Infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad Regem (commota ſunt quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo) Obſecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum q. Sic Deus totum expetit cor noſtrum, dicens, *Præbe fili mi, cor tuum mihi* r. Solam reſpuit illius partem; aut totum vult, aut nihil. Econtra diabolus qui æquiparatur huic falſæ matri, quæ parùm erat ſolicita utrùm infans divideretur, juxta quòd Princeps illum decreverat dividendum, cùm non eſſet vera illius mater, idenque è contrario dicebat, *Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur*; diabolus, inquam, deſiderat habere aliquam cordis noſtri partem, quantùmlibet exilem ratus Deum non futurum ſolicitum de reliquo, cum instar iſtius bonæ matris totum illud expoſcat integrum, nec ullo diviſionem illius ſuſtinere poſſit modo.

q 3 Reg. 3. 24. &c.
r Prov. 23. 26.

Obſervant Naturales de quodam lapide, quòd tantiſper confractus, aut diviſus, confeſtim in profundum aquæ labitur; ſed integer remanens, recenſetur fluctuare ſuper undas, & ad litus ſeu ad ripam appelli: ſic cor noſtrum diviſum curis iſtius mundi, iis ſtatim ſubmergitur; ſed permanens integrum, illico jucundè fluctuat ſuper undas tribulationum iſtius ſæculi, quibus utitur ut gratiæ vehiculis, ut appellatur ad æternæ tandem portum ſalutis. Sed quomodo poteſt hoc convenire cum eo, quod ait De Pſalmiſta ſ? *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et cum iſtis verbis Joëlis t? *Scindite corda veſtra.* Ut concilientur iſta, obſervandum eſt, quod conterens quis cor ſuum propter amorem Dei, tantùm abeſt ut illud dividat, quin econtrà unit illud magis, quatenus Deus eſt principium totius unitatis, *Dominus Deus noſter, Deus unus eſt* u. Et quò magis quid accedit ad Deum, eò plùs multiplicatur: ſic conterere cor ſuum propter Deum, eſt illud unire, cùm conſtet Deum eſſe ſingulariter unum: ſed illud conterere ob amorem creaturarum, eſt ipſum in fruſta diſcindere; quia quo plus retrahitur à Deo, qui eſt vera unitas, ut uniatur creaturis diviſis, eò etiam magis tendit ad multiplicitatem, de qua S. Paulus x dicebat, *Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

ſ Pſ. 50. 19.
t Joel. 2. 13.
u Deut. 6. 4.
x 1. Cor. 7. 33.

Edocent nos iidem Naturales, imò verò quotidiana nobis illud licet experientiâ comprobare, quòd noſtri conſtitutio cordis ſic eſt delicata, ut vel minimus ictus acus poſſit ei vitam eripere, & ideò nos occidere: ſic diviſio, quam peragunt peccata noſtra cordis noſtri à Deo, ut ait nobis Iſaias y, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*: eidem cordi vitam eripit, & mortem infert ipſi atrocem. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* z. *Id eſt, homo qui peccaverit, ipſe morietur morte ſpirituali, & æternâ. Quid eſt ergo peccatum? Eſt mors animæ immortalis: eſt ergo mors viva, mors æterna quia eſt mors animæ ſemper viventis, & æternæ. Ejus ergo mors immortalis eſt peccatum*, ſubdit Cornelius a. Veritatis iſtius rationem ſuppeditat nobis idem Iſaias b, dicens, *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt.* Sicut Arca Dei & idolum Dagon non poterant ſociari ſibi ſuper eodem altari, ſed ecce *Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini* c: ita thalamus nuptialis cordis noſtri non poteſt continere ſimul Sponſum animarum noſtrarum cum creaturis, *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis* d?

y Iſai. 59. 2.
z Ezech. 18. 4. & 20.
a Corn. in Ezech. 18. 20.
b Iſai. 28. 20.
c 1. Reg. 5. 3.
d 2. Cor. 6. 14. &c.

Secundò, Ad quærendum Deum, obſervare debemus locum, ut illum invenire poſſimus, & reperire gratiam ejus. Herodes quæſivit eum, ſed ſicut præ ſe bonas non ferebat intentiones, illumque ideò quærebat ut ei interitum ſatageret irrogandum; ita non invênit illum, cùm non iverit in locum, in quo erat, *Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum* e. Judas quæſivit illum, & invênit eum, *Ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa* f. Sed ad condemnationem ſuam, prodendo illum, *Qui tradidit eum* g. Paſtores illum quæſierunt in præſepi, & ibi illum repererunt, *Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Infantem poſitum in præſepio* h. Reges Orientales illum quærere fuerunt ſoliciti, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam. Et intrantes domum, invenerunt Puerum* i. Præ omnibus autem Virgo Deipara & S. Joſeph *Parentes ejus requirebant eum inter cognatos & notos; & invenerunt illum in templo* k. Sponſa ſacra quæſivit illum in tribus locis, & non invênit eum, nimirum in lecto, in vicis, & in plateis. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea: quæſivi illum, & non invêni, Surgam, & circuibo civitatem: per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæſivi illum, & non invêni* l. Quid autem eſt iſte lectulus, niſi cubile voluptatum? Aut, ſi vultis, lectulus occaſionis ſunt: hunc deſerere debemus lectulum, in quo quieſcimus, ſi noſtrarum reperire volumus Sponſum animarum. *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo*: qui ludus ſumitur pro idololatria ab Interpretibus; non ſolùm exoravit virum ſuum ut ejiceret domo Iſmahelem; ſed præterea eundem *Dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus* m. Quaſi dixiſſet ei, Si reſervas domi matrem, pariet illa denuò Iſmahelem; ita niſi ejicimus occaſiones, matres vitiorum, illæ ea denuò parient, & nos ad idololatriam provocabunt.

e Matth. 2. 13.
f Matt. 26. 47.
g Matt. 26. 48.
h Luc. 2. 16.
i Matt. 2. 1. & 11.
k Luc. 2. 48. &c.
l Cant. 3. 1. & 2.
m Gen. 21. 9. & 10.

Conformiter ad hæc tria loca, in quibus Spõſa Dilectum ſuum quæſivit, nedum tamen in iis illum invenerit, Jeſus Chriſtus ait apud S. Matthæum n, *Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio.* Apud S. Marcum o dicit, *Sub lecto.* Et apud S. Lucam p inquit, *Sub vaſe.* Atqui lectus repræſentat nobis concupiſcentiam carnis. Vici nobis innuunt negotia & ſolicitudines iſtius mundi, & conſequenter concupiſcentiam oculorum. Et plateæ nobis figurant ambitionem & vanitatem mundi, ſeu ſuperbiã vitæ. Et de his omnibus loquitur S. Joannes q, dicens, *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* In omnibus iſtis locis non invenitur Sponſus animarum noſtrarum. Non in cubili, ſed *in præſepio* r. In quo delicias carnis, ejuſque concupiſcentias damnet. Non in vicis & compitis, ſed domi uniuſquiſque in ſe collectus, illum reperit. Non in plateis, ſed *in templo* †, per commercium orationis.

n Matth. 5. 15.
o Marc. 4. 21.
p Luc. 8. 16.
q 1. Joan. 2. 16.
r Luc. 2. 7. & 16.
† Luc. 2. 46.

Quoad tempus, quo quærere debemus Deum, iſtud ſalutare ſubminiſtrat nobis Iſaias ſ conſilium, cùm ſic ait, *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt.* Conformiter ad hoc S. Matthæus t ait, *Quicunque dixerit*

ſ Iſai. 55. 6.
t Matt. 12. 31.

rit verbum contra Filium Hominis remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Et ſanctus Joannes *u* dicit, *Eſt peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Quod ad propoſitum noſtrum ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *x*, *Si hoc de finali impœnitentia, ſeu de quocumque mortali uſque ad mortem continuato, & per contritionem non deleto, intelligatur, certum eſt, quòd pro defuncto in tali facinore non ſit orandum. Si autem de quolibet peccato in Spiritum ſanctum intelligatur, ſenſus eſt, quòd valdè difficulter quis exaudiatur pro ita peccante. Ideò dicitur pro illo non eſſe rogandum, non ut nequaquam oretur, cum de nullo ſit penitus deſperandum : ſed ad inſinuandum, quòd difficulter impetretur à Deo venia talis peccati.* Juxta quem ſenſum *Chriſtus in Evangelio y loquitur : Si quis blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in præſenti ſeculo, neque in futuro.* Ubi obſervabitis, ſi placet, obiter, quòd ex ſupradicto loco S. Matthæi probatur purgatorium contra Hæreticos noſtri temporis; inconcinnè enim iſtam feciſſet Evangeliſta diviſionem, *Neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Si autem aliquod è peccatis iſtis eſt remiſſibile; aut ignoſcibile eſt in inferno, aut in paradiſo. Non in inferno, *Quia in inferno nulla eſt redemptio.* Non in paradiſo, ſeu in civitate cœleſti Jeruſalem, quoniam *non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium z.* Inveniendus eſt igitur tertius locus, qui purget nos; & de hoc locutus jam fuerat Malachias *a*. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum : & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum.*

[*u* 1. Jo. 5. 16. — *x* Dion. Carth. art. 7. in 1. Jo. 5. 16. — *y* ex Matt. 12. 31. & ex Marc. 3. 29. & ex Luc. 12. 10 — *z* Apoc. 21 27. — *a* Malach. 3. 3.]

S. Gregorius *b* ait, triplex eſſe peccatorum genus, aliud ignorantiæ aliud infirmitatis, & aliud malitiæ. *Crebrò namque peccatum aut ignorantiâ, aut infirmitate perpetratur, ut vel neſciat bonus quid velle debeat, vel non omne quod voluerit, poſſit.* Peccatum ignorantiæ eſt duplex, unum neſcire, alterum verò noluiſſe ſcire, & utrumque eſt ſupplicio dignum. Licèt autem Filius ſit *accinctus potentiâ c* æquè ac Pater, & *bonus d* ſicut Spiritus ſanctus; tamen potentia à Theologis attribuitur Patri ut primo principio proceſſionum in Trinitate, & ſapientia Filio ut procedenti ab intellectu Patris, in quo *eſt Sapientia e*: Et bonitas Spiritui ſancto ut amori mutuo Patris & Filii *f*: cùm peccatum infirmitatis repugnet potentiæ Patris, offendit directè Patrem; peccatum ignorantiæ oppoſitum ſapientiæ Filii, lædit Filium; & peccatum malitiæ contrarium bonitati Spiritus ſancti, inſurgit in Spiritum ſanctum. Hoc autem peccatum eſt multiplex, & inter varia illius genera, alia ſunt majora, alia verò minùs gravia. S. Chryſoſtomus *g* explicans ſupradicta verba S. Matthæi, *Verbum qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro :* ait, *Significare voluit multò minùs cæteris hoc eſſe ignoſcibile, ac veniale.* Id eſt, ferè non mereri veniam; ſi autem ea*m* conſequatur, nonniſi difficillimè, ut dicitur de divitibus, *Dives difficilè intrabit in Regnum cœlorum h.* Cùm dicitur peccatum perpetratum contra Spiritum ſanctum, nullam mereri veniam, non ideò inde innuitur, ut omne peccatum, qualecumque illud ſit, ex ſemetipſo indignum ſit indulgentiâ; ſed iſtud debet intelligi de aliquibus comparatis ad alia, quæ videntur tolerabiliora, ut ignorantia intuitu infirmitatis, quâ ignorantiâ S. Paulus prætexit perſecutiones à ſe exercitas adversùs Eccleſiæ naſcentis fideles, cùm ait, *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate i.* *Id eſt, ignoranter peccavi per infidelitatem, ſicque peccatum meum excuſabile fuit k.* Et infirmitas comparata malitiæ, de qua infirmitate David *l* dicebat, *Ipſe cognovit figmentum noſtrum.* Alludens ad id, quòd compoſiti ſumus è luto, *Formavit Dominus Deus hominẽ de limo terræ m.* Atqui ille qui incedit ſuper lutum madidum, aliquando cadit: ſic incedentes ſuper lutum corporis noſtri, quod eſt lubricum, mirari non debemus, ſi aliquando cadamus; *Septies enim cadit Juſtus, & reſurget n.* Et David iſtius ſe conſcium fatebatur infirmitatis, ut Divinam ſibi conciliaret miſericordiam, *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum o. Sed quâ infirmitate erat infirmus* Propheta Regius? per *t* Incognitus *p*. Et ipſe reſpondet, *Alta eſt infirmitas ſpiritualis ſcilicet culpæ. Omne enim peccatum quædam ſpiritualis eſt infirmitas, quâ anima debilitatur, exſiccatur, & à Deo verâ vitâ q ſeparatur r. Et iſtam infirmitatem ſola Dei gratia ſanare poteſt. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis qui ſanat omnes infirmitates tuas ſ. Et ideò hanc à Deo Pſalmiſta hic petit, dicens, Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum : ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Sic etenim Pſalmiſta t orabat, dicens, Ego dixi, Domine, miſerere mei : ſana animam meam, quia peccavi tibi. Per hanc enim infirmitatem culpæ, omnis virtus perturbatur. Ideò adjungit, dicens, Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Per oſſa mea, quæ ſolida ſunt & fortia, virtutes ſignificantur, Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex eis non conteretur u. Quod de virtutibus exponit Gregorius.* Attamen ex omnibus peccatis malitiæ ſola impœnitentia finalis eſt contra Spiritum S. licèt enim creatio *x* tam pertineat ad Filium & ad Spiritum ſanctum quàm ad Patrem; & redemptio *y*, & juſtificatio *z* ad tres perſonas Divinas, *Neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, ut docet ſanctus Auguſtinus *a*: nihilominùs creatio attribuitur principaliter Patri, ſicut potentia, in qua elucet virtus brachii ejus; redemptio Filio, & juſtificatio Spiritui ſancto: & ſic impœnitentia finalis repugnans juſtificationi, quia anima eſt extra tempus, & locum ut juſtificari poſſit, vocatur peccatum contra Spiritum ſanctum. *Illud ſcire non alienũ fuerit, quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum extitiſſe*, ait S. Damaſc. *b* Poſt mortem enim nulla eſt ſpes ſalutis, *Si ceciderit lignum ad Auſtrũ, aut ad Aquilonem, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit c.*

[*b* S. Greg. l. 19. Mor. c. 14. — *c* Pſ. 64. 7. — *d* Pſ. 118 68 — *e* Sap. 7. 24 — *f* Jo. 14. 26 — *g* S. Chryſ. hom. 42. in Matt. 12. 31. — *h* Matt. 19 23. — *i* 1. Tim. 1. 13. — *k* Dion. Carth. art. 1 in 1. Timoth. 1. 13 — *l* Pſ. 102. 14. — *m* Gen. 2. 7 — *n* Prov. 24. 16. — *o* Pſ. 6. 3. — *p* Incogn. in Pſ. 6. 3. — *q* ex Joan. 14. 6. — *r* ex Iſai. 59. 2. — *ſ* Pſ. 102. 3 — *t* Pſ. 40. 5. — *u* ex Pſ. 33. 21. — *x* Gen. 1. 1 &c. — *y* Apoc. 1. 5. — *z* 1. Cor. 6 11. — *a* S. Aug. in Enchirid. c. 38. — *b* S. Damaſc. l. 2. de Fide Orth. c. 4. — *c* Eccl. 11. 3.]

Communi ventilatur proloquio, nihil eſſe certius morte, nec aliquid incertius horâ interitus: deſerendum eſt incertum, & capeſſendum certum : nihil eſt certius verâ pœnitentiâ, per quam quæramus Deum & gratiam ejus tempore quo illum & hanc debemus quærere; & nihil incertius, num ſi tardemus *converti ad Dominum, & de die in diẽ d* differamus, ſuppetat nobis poſteà tempus perfungendi muniis noſtris. Non eſt confidendum pœnitentiæ boni Latronis, ab eo peractæ extremâ vitæ ſuæ periodo, *Et dicebat ad Ieſum, Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuũ. Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiſo e.* Gratioſa fuit vox loquela iſta Chriſti conſecrata ſoli Dimæ; & ideò myſterioſè *dixit illi Ieſus: Amen dico tibi.* Quaſi dixiſſet ei, *Tibi* ferè ſoli. Si autem trahimini exemplo boni Latro-

[*d* Eccl. 5. 8 — *e* Luc. 23. 42. & 43.]

Digitized by Google

Latronis ad non volendum quærere Deum &
gratiam ejus, peragendæ causâ pœnitentiæ ex-
tremo vitæ veſtræ termino, intuemini alterum
latronem, qui mortuus eſt impœnitens, *Unus autē*
de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum di-
f Luc. 23. 39. *cens, Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos* f.
Nunquam contemnenda eſt occaſio opportuna,
cùm ſeſe nobis offert, ſed capillis eſt apprehen-
denda à parte antè, ubi illos habet, cùm nullos
habeat à tergo, quibus illam retinere poſſimus,
qualem nobis repræſentaverunt Antiqui,

Fronte capillatâ, poſt tergum occaſio calva eſt.

Infauſtum erat præſagium, etiamſi non ſine
ſuperſtitione, vox corvorum dicentium quaſi,
Cras, cras. Sed cras dilationis pœnitentiæ eſt lō-
gè periculoſius quantùm ad ſalutem æternam a-
nimæ noſtræ: proptereà eximius quidam Dei
ſervus ſolicitatus à diabolo, ut ſuam differret
pœnitentiam, reſpondit ei, Nolo eam differre in
craſtinum, ſed illam hodiernâ die volo agere:
craſtina enim dies non eſt in noſtra poſita pote-
ſtate, ſicut penes nos eſt hodierna, cujus cùm nō
habeamus niſi unicum iſtud momentum, quo
reſpiramus, rectæ non eſt rationi conſonum ut
illam differam, quia qui non vult quando poteſt,
non poterit quando volet agere pœnitentiam,
quæ eſt etiam difficilis ipsâ mortis horâ intuitu
Dei, qui ait de peccatore, loquens de Babylone,
Curavimus Babylonē, & non eſt ſanata; derelinqua-
g Jer. 51. 9 *mus eam* g. Diabolus autem iſtud audiens, di-
cet, *Deus dereliquit eum, perſequimini, & compre-*
h Pſ. 70. 11 *hendite eum, quia non eſt qui eripiat* h. Quia Deus
permittet ut peccator moriens omni deſtituatur
tur auxilio, qui vivens eſt *oblitus Domini Creatoris*
i Deut. 32. 18. *i* ſui, contemptis datâ occaſione auxiliis ejus,
quæ ipſi tunc deficient.

II. Pars. De illis expetet pœnas Deus ipſo judicii die,
qui mortui fuerint obſtinati in peccatis ſuis, eò
quòd ipſum non quæſierint ut decebat; ſicut
præmiabitur eos qui ipſum quæſierint illo quo
expediebat modo, quique Divinarum uſum per-
egerint legitimum gratiarum. In hoc mundo
Eccleſia eſt veluti hortus in quo eſt indifferen-
ter omne genus plantarum, florum, liliorum, &
k Gen. 7. 14. ſpinarum, ſicut arca Noë k, in qua beſtiæ mundæ
ſociantur immundis, id eſt, Electi reprobis;
quemadmodum ager, in quo videre eſt *zizania*
l Matt. 13. 25. *in medio tritici* l. Non ſecus ac area, in qua inve-
niuntur granum & palea; ſed confeſtim ac
ſcopis everrentur hæc omnia; lilia, beſtiæ mun-
dæ, Electi, bonum granum collocabuntur in u-
na parte; ſpinæ verò, beſtiæ immundæ, reprobi
inſtar zizaniorum & paleæ ſeorſum projicien-
tur, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & o-*
mnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maje-
ſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gen-
tes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat
oves ab hædis: & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis,
m Matt. 25. 31, &c. *hædos autem à ſiniſtris* m.

Illâ judicii die ſuam manifeſtabit Deus juſti-
tiam contra obſtinatos, & miſericordiam ſuam
erga eos, qui Divinis uſi fuerint appoſitè gratiis,
n Pſ. 100. 1 *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine* n.
Ideò Rupertus o loquens de throno Salomo-
o Rupert. in 3. Reg. 10. 18 &c. nis, qui erat figura tribunalis, ſuper quod Dei Fi-
lius ſedebit ipſo judicii die, & de quo Scriptura
p 3. Reg. 10. 18 &c. p dicit, *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandē:*
& veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gra-
dus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſte-
riori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: &
duo leones ſtabant juxta manus ſingulas: & duodecim
leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde: ait,
Quidnam eſt iſte thronus tam grandis, tam mirabilis,
niſi altitudo Majeſtatis in illo die noviſſimo magni &
tremendi judicii. Grandis thronus, grande judiciū ex-
pectamus. Thronus ex ebore, judicium quippe ex æqui-
tate conſtabit juſtitia. Grandis igitur ex ebore thronus
auro veſtitus, judiciaria mundiſſimi hominis eſt maje-
ſtas, in qua nimirum aurea Divinitatis juſtitia revela-
bitur. Duo leones juxta manus ſingulas, id eſt, utrobique
fortis atque formidabilis judicii veritas. Nam & à ſini-
ſtra omnis iniquus condemnabitur. Et à dextra vix Ju-
ſtus ſalvabitur q. *Duodecim leunculi ſuper ſex gra-* q ex 1. Pet. 4. 18.
dus ſtantes, duodecim ſunt Apoſtoli. Quibus dedit Dei
Filius poteſtatem judicandi ſecum, *Jeſus autem*
dixit illis, Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me,
in regeneratione cùm ſederit Filius Hominis in ſede
majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, ju-
dicantes duodecim tribus Iſrael r. Thronus ille e- r Matth. 19. 28.
rat compactus ex ebore, quod eſt ſymbolum ju-
ſtitiæ: proptereà recenſentur ſediſſe aliàs Judi-
ces ſuper tribunalia eburnea, ut attenderent ſibi
ne forent perſonarum acceptatores: Jeſus Chri-
ſtus perſonas non accipiet, *Non enim eſt acceptio*
perſonarū apud Deum ſ. *Id eſt, Deus in judicando non* ſ Rom. 2. 11.
attendit perſonam, & ea quæ non habent rationem me-
riti, ſive demeriti, ſed ſola opera penſat, & unum-
quemque ſecundùm opera ſua judicat. Propter quod aſ-
ſerebat Petrus, In veritate comperi, quoniam non eſt
perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui ti-
met Deū, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi t. Et t Act. 10. 34. & 35.
per Prophetam u *Dominus loquitur, Unumquemque* u Ezech. 18. 30.
juxta vias ſuas judicabo, ait Dionyſius Carthuſia-
nus x. Jeſus Chriſtus ergo mercede donabit il- x Dion. Carth. art.
los, qui ſuarum legitimum peregerint uſum gra-
tiarū, erga quos ſuam manifeſtabit miſericordi- 5 in Rom. 2. 11
am; & ſupplicia imponet iis qui mortui fue-
rint obſtinati in criminibus ſuis, eò quòd Divi-
nis fuerint abuſi gratiis.

Judicis iſtius ſupremi, *Quia ipſe eſt qui conſtitu-*
tus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum y, deſcri- y Act. 10. 42.
bit nobis apparatum S. Joannes z, cùm ait, *Vidi* z Apoc. 1. 13, &c.
ſimilem Filio Hominis, veſtitum podere, & præcinctum
ad mamillas zonâ aureâ, & oculi ejus tanquam flam-
ma ignis: & facies ejus ſicut Sol lucet in virtute ſua.
Facies ejus erit formidabilis impiis, qui malè
uſi fuerint donis & gratiis ejus, & qui egreſſi fue-
rint ex hoc mundo in impœnitentia finali: & ju-
cunda Bonis & Juſtis, qui cùm quæſierint ipſum
ut decebat, ſuas hauſerint ex gratiis & favori-
bus ejus utilitates. Spiritu Prophetico dupli-
cem iſtam præviderat Pſalmiſta faciem, cùm re-
præſentat nobis unam ſub ſpecie leonis; alte-
ram verò nobis ſub figura agni manſueti exhi-
bet intuendam. Priorem figurat nobis totam ri-
gore repletam, Deumque exorat enixè ut illam
à noſtris avertat ſceleribus, *Averte faciem tuam à*
peccatis meis a. Poſteriorem verò nobis propo- a Pſ. 50. 11
nit ſuavem, & Deum deprecatur ne nos à ſuo b Pſ. 50. 13
projiciat vultu, *Ne projicias me à facie tua* b. Iſtæ
duæ facies multam præ ſe ferunt differentiam.
Facies miſericordiæ ejus erit luminoſa, *Illuminet*
vultum ſuum ſuper nos c. Et facies juſtitiæ illius c Pſ. 66. 2.
erit tenebroſa, *Aſcendit fumus in ira ejus* d. Illa d Pſ. 17. 9.
radiorum emicabit ſplendore, *Facies tua plena*
eſt gratiarum e. Iſta verò ardebit immodicè, e Eſth. 15. 17.
Ignis à facie ejus exarſit f. Illa ſanitatem imper- f Pſ. 17. 9.
tietur, *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus* g. Hæc g Pſ. 79. 4.
autem ruinam inferet omnimodam, *Vultus au-*
tem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra
memoriam eorum h. Illa erit ſpecioſiſſima, *Spe-* h Pſ. 33. 17.

cies

vies ejus ut Libani i. [i Cant. 5. 15.] Et iſta terribiliſſima, *Turbabuntur à facie ejus* k [k Pſ. 67. 5.] impii. Illa erit deſiderabilis, *Dixit Moyſes ad Dominum, Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam* l. [l Exod. 33. 12. & 13.] Hæc verò formidabilis, *Quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis ſtabit ad videndum eum* m? [m Malach. 3. 2.]

Apparebit IESUS Chriſtus ipſo judicii die inſtar Solis, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ* n. [n Malach. 4. 2.] Iſte Sol diſſipabit nubes laborum & tribulationum Juſtorum, qui benè fuerint uſi gratiis, quibus ipſos cumulaverat ad operandam ſalutem propriam, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam* o. [o Pſ. 93. 19.] Unde ait Incognitus p, [p Incogn. in Pſ. 93. 19.] *Poſſunt eſſe verba juſti hominis afflicti, & adverſitatibus preſſi. Quia quanto majora pro Chriſto ſuſtinet, tantò ei præmia majora debentur: imò etiam conſolationes dolores excedunt: quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* q. [q ex Rom. 8. 18.] *Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus: Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra* r. [r 2. Cor. 1. 5.] *Paſſiones dicit Chriſti, id eſt, quas patimur propter Chriſtum, vel ad ſimilitudinem Chriſti.* Ad manifeſtanda & remuneranda bona opera, ſicut ad punienda mala iſte *orietur Sol juſtitiæ.* Diſcerni non poſſunt ipſâ nocte res ſpecioſæ à deformibus, ſed hæc omnia apparent oriente Sole. Sol illuminat cœlos ſolùm, & tantùm calefacit terram, ſed illam non illuminat, quia ipſa eſt corpus opacum: ſic non illuminabit Chriſtus malos, qui vocantur terra; ſed illuminabit Electos qui ſunt cœli, & ſtellæ vocantur in eo quod Deus promiſit Abrahæ, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris* ſ. [ſ Gen. 22. 17.] Nomine ſtellarum, innuens Juſtos; & ſymbolo arenæ quæ eſt circum mare numero ferè infinito antecedens ſtellas, id eſt, Electos, ſignificans reprobos, quia *ſtultorum infinitus eſt numerus* t. [t Eccl. 1. 15.] Iſte Sol non illuminabit hanc terram opacam reproborum, iſtarum animarum in peccatis ſuis obſtinatarum, ſed comburet illos igne inextinguibili, *Ignis eorum non extinguetur* u. [u Iſai. 66. 24.] At illuminabit Electos in civitate cœleſti Jeruſalem, *Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus* x. [x Apoc. 23.]

Sanctus Joannes dixit ſuprà, *Oculi ejus tanquam flamma ignis.* In hac vita oculos habet columbinos, *Oculi tui columbarum* y. [y Cant. 4. 1.] Hoc ait Salomon ſicut & ſequentia de Sponſa, nos verò myſticè etiam poſſumus intelligere de Humanitate ſanctâ ob manſuetudinem & miſericordiam ejus. In altera verò, *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon* z. [z Cant. 7. 4.] In piſcinam Heſebon confluebant omnes aquæ: ſic dicere poſſumus, quòd die judicii omnes aquæ miſeriarum noſtrarum conſolationem ſuſcipient à Domino. Quia ipſe eſt *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* a. [a 2. Cor. 1. 3.] In hac vita oleum miſericordiæ ita temperat ardorem juſtitiæ, ut unica lacryma poſſit illum mitigare b: [b Ezech. 18. 21.] ſed tunc *oculi ejus tanquam flamma ignis.* Vidit etiam illum ſanctus Joannes *præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.* In quo ſtatu vidit eum etiam Daniel c, [c Dan. 10. 5.] *Et renes ejus accincti auro obrizo.* In quo videtur differentia Chriſti inter hanc vitam & futuram, *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli* d. [d Cant. 4. 5.] Ob duplicem actum, facilitatis ad parcendum, & longanimitatis ad expectandum, *Longanimis, & multùm miſericors* e. [e Pſ. 102. 8.] *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam* f. [f Sap. 11. 24.] Quid erant tot peccatores, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* g, [g Act. 9. 1.] *mulier quæ erat in civitate peccatrix* h, [h Luc. 7. 37.] & Matthæus ſedens *in telonio* i, [i Matt. 9. 9.] niſi tot hinnuli adhærentes mamillis ejus, eaque ſugentes? Sed judicii die ubera habebit cincta, id eſt rigorem exercebit adversùs impios, ſicut dulcedinem manifeſtabit erga Electos, quos introducet in gloriam ſuam.

FERIA III. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Qui ſe humiliaverit, exaltabitur. Matth. 23. 12. &c.

CUm humilitas debeat eſſe baſis & fundamentum noſtræ ſalutis, & ædificii ſpiritualis animæ noſtræ, niſi fortè evadat ludus ventorum, qui intra exiguum tempus illud in terram dejicerent, cùm verum ſit id, quod ait S. Gregorius a, [a S. Greg. in 3. Pſ. Pœnit. qui eſt 37. V. 4.] *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat*: quaſi diceret, quod hæc virtus pretium & firmitatem aliis impertiatur virtutibus, quæ non ſunt tales niſi omnino tenus abſque conſortio iſtius, quæque ſubſiſtere non poſſunt, ſi hæc ab ipſis abſit; jure merito inducere vos debeo ad amplectendam hanc virtutem, quæ eſt illa, cujus ipſemet Dei Filius ſeſe exhibet Profeſſorem, dicens, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde* b. [b Matt. 11. 29.] *Quia quid quid ago, ad gloriam Patris refero* c, [c ex Luc. 2. 49.] *& ei bonum omne aſcribo, nullum exiſtimans, claritatem ab hominibus non accipio* d, [d ex Jo. 5. 41.] *in medio diſcipulorum ſui ſicut qui miniſtrat* †, [† ex Luc. 22. 27.] *pedes eorum lavi* e, [e ex Jo. 13. 5.] *in omnibus meipſum humilitatis exemplum præbui*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus f. [f Dion. Carthuſ. 22. in Mat. 11, 29.] Et cujus praxim ſuadet nobis Evangelium noſtrum, dicens, *Quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Quem proponit nobis ut humilitatis Prototypon, *Chriſtus autem ſecundùm naturam Divinam eſt Magiſter primus, principalis, & incomparabilis, mentis illuminans, ſcientiamque creando infundens, ſine cujus magiſterio fruſtrà laborat Doctor ſeu prædicator exteriùs. Chriſtus autem ſecundùm humanam ſuam naturam eſt Magiſter inſtrumentaliter per excellentiam, de cujus plenitudine omnes accepimus* g, [g ex Joan. 1. 16.] ait idem Carthuſianus h. [h Dion. Carthuſ. 37. in Matthæum 23. 8. & 12.] Qui paulò pòſt ſubdit ex eodem Evangelio, *Qui ſe humiliaverit per humilitatem, exaltabitur à Deo per gloriam.* Si autem ſit aliquid in mundo, quod exercendæ humilitatis nobis anſam ſubminiſtrare debeat, eſt conſideratio propriæ miſeriæ noſtræ, & vilitatis materiæ è qua compacti ſumus, unde noſtram deſumere debemus exaltationem. Hæc cogitatio inducere nos debet ad humilem noſtri ipſorum æſtimationem. Et licèt Virgo Deipara creaturarum omnium eſſet excellentiſſima; ipſa

ipſa tamen ſe continet intra terminos depreſſionis ſuæ, & intuitu humilitatis ſuæ reſpondet, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, Angelo dicenti ſibi, *Ave i Maria*. i Luc. 1. 38.

Memoria mortis ſic eſt proficua & neceſſaria, ut videatur ſalus noſtra omnino pendere ab iſta cogitatione, quæ intuitu humilitatis noſtræ, depreſſionis, & miſeriæ, ad quam redigendi ſumus, inducit nos ad pœnitentiam, quæ eſt abſolutè requiſita ad eam peragendam. Sed heu! quam pauci ſunt qui verè de iſto cogitent diſceſſu, & qui nonniſi obiter & perfunctoriè illum intueantur. Conſideravi perſæpè præ admiratione verba ſancti Jacobi k, k Jac. 1. 23 & 24. *Comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abiit; & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* In hoc meæ ſita eſt cauſa admirationis, quòd Apoſtolus affert comparationem viri intuentis ſe *in ſpeculo*; nec adducit comparationem mulieris, cui iſtud exercitium eſt familiarius, & minùs viris ordinarium. Sed mea ceſſat admiratio, quandiu hæc verba quæ ſequuntur, meum compeſcunt ſtuporem, aperiendo mihi ſenſum myſticum Apoſtoli, *Et ſtatim abiit.* Quaſi diceret, Viri qui nihil habent puſillanimum & effœminatum, nunquam ſpeciem ſuam ad ſpeculum exigunt, aut ſi in eo ſe contemplantur, iſtud agunt obiter & tranſeunter, *Et ſtatim abiit.* Ita ut non ſit mirandum ſi confeſtim propriæ obliviſcantur ſimilitudinis: quod dicendum non eſt de fœminis, quæ vix à ſpeculo jugiter intuendo recedunt, & ſic idea faciei ipſarum non ſic ab ipſis facilè elabitur. Plures inveniuntur, qui exigentes ſe ad ſpeculum mortis, vix in ea ſuam ſiſtere poſſunt cogitationem, ſic ut non ſit mirum, ſi non recordati miſeriæ ſuæ, & ſe eſſe mortales, & ſi amiſſo intuitu propriæ vilitatis & depreſſionis, ſic difficilem experiuntur ingreſſum ad humiliationem, & ad pœnitentiam exercendam, & ſi praxis virtutis ſectandæ videtur ipſis ſic rudis, ita ut ad amplectendam humilitatem, & ad carpendum pœnitentiæ tramitem nonniſi præ magno labore inducantur.

Spiritus S. exercendæ memoriæ illius daturus eis facilitatem, conſulit ſingulis nobis ore Eccleſiaſtici l. l Eccl. 7. 40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Ex hac cogitatione depreſſionis & mortis ſuæ ſequitur, quòd quis non peccet, & non peccans ſit in praxi ſanctitatis, in exercitio virtutum, & conſequenter in recta ſalutis via. Ita verum eſt, quòd intuitus depreſſionis & miſeriæ noſtræ, & memoria mortis concurrit nobiſcum ad illam operandam, retrahendo nos à criminibus, & à peccatis ordinariis, in quæ labimur, quæ nos in æternam ducunt infelicitatem, *in ſupplicium æternum* m, m Matt. 25. 46. niſi ſedulo pœnitentiæ peragendæ vacemus exercitio.

Si pœnitentiæ incumbit Job, ad eam inducitur hâc cogitatione, *Ago pœnitentiam in favilla, & cinere* n. n Job 42. 6. Suæ præ ſe fert intuitum depreſſionis & miſeriæ, & memoriam mortis, ut ſe in humilitate cuſtodiat, *Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum favillæ & cineri* †. † Job 30. 19. Si filia Jephte gaudium conceptum de victoria à Patre ſuo de Ammonitis relata, in luctum convertit & in lacrymas o, o Judic. 11. 38, &c. memoria mortis, quam proponit illi pater ſuus, eam ad fletus ciet. Si Ezechias pœnitentiam agat, ſi ſua ploret peccata, & ſi ſtatuat in meliorem emendatioris vitæ deinceps ſe recipere frugem, ideò quia *Iſaias dixit ei: Hæc dicit Dominus: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Quid autem ſequitur ex iſto nuncio? *Et flevit Ezechias fletu magnò p.* p Iſai. 38. 1 & 3. ex 4. Reg. 20. 1, &c. & ex 2 Par. 32. 24 Videte fructum hujus cogitationis, effectus admirabiles quos illa operatur: ſicut econtrà delentes iſtam noſtris è mentibus memoriam, effræni libertate & laxatis habenis indulgemus criminibus, *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui* q. q Thren. 1. 9. David r, r Pſ. 38. 5. & 6. qui ſuam concupiſcebat operari ſalutem, hanc Deo proponit ſupplicationem, *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, ut ſciam quid deſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Inde capeſſit anſam Propheta ſuiipſius humiliandi intuitu depreſſionis ſuæ, miſeriæ ſuæ, ultimi finis ſui, & nihilitatis ſuæ. Hoc inducit me ut oſtendam vobis Primò miſeriam hominis. Secundò, quòd intuitus iſtius miſeriæ præ memoria mortis debet operari in eo effectus proficuos, & exaltationi illius opportunos. Diviſio.

I. Pars. Obſervare nobis licet miſeriam hominis ex parte principii ejus, medii illius, & finis ipſius. Ex parte principii: licèt enim homo è quatuor compoſitus ſit elementis, tamen poſuit Deus magis terræ in ejus productione, cùm eundem *formavit de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* ſ, ſ Gen. 2. 7 quàm cæterorum. Elementum aquæ manifeſtatur in humoribus; elementum ignis in calore naturali, & in radiis viſualibus; elementum aëris in reſpiratione; & elementum terræ in carne & in oſſibus, cùm ſit plus iſtius in homine, quàm aliorum, quorum parum in eo eſt. In illum introduxit Deus parum elementi ignis, ut homo non haberet multum ignis concupiſcentiæ, avaritiæ, & iræ; & tamen (quod ſanguineis eſt deflendum lacrymis) ſunt aliqui qui videntur eſſe compacti è ſulphure & ſalſugine; ita ut id, quod dicitur, *Mundus totus in maligno poſitus eſt* t, t 1. Joan. 5. 19. vertatur ab Aliis, *In malo igne poſitus eſt.* Parum eſt etiam inveniri aëris in homine, ut parum habeat vanitatis, præſumptionis, & ſuperbiæ, licèt videamus aliquos, qui videntur eſſe toti ex aëre concinnati, ita vani ſunt ac ſuperbi, progenies chamæleontium, qui paſcuntur vento, qui non nutrit, ſed ſolùm inflat. Quòd primus Angelus in cœlo ſuperbierit, dum ſuo dicebat iſte *Lucifer in corde: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* u; u Iſai. 14. 12, &c. non eſt cur miremur, cùm nihil terræ ſecum haberet, & à corporeæ concretionis congerie eſſet immunis: ſed quòd homo totus compactus ex luto, in vanitatem efferatur, hoc in ſtuporem me inducit æquè ac ad dicendum de illo, *Quid ſuperbit terra & cinis* x? x Eccl. 10. 9. Deus poſuit etiam parum aquæ in formatione hominis, ideò ut parum haberet homo levitatis & inconſtantiæ; etiamſi omnino contrarium videamus in eo, cùm nihil familiarius habeat levitate, & poſſimus dicere de illo id, quod Salomon y enunciat de inſano, *Stultus ſicut Luna mutatur.* y Eccl. 27. 12. Nihil enim eſt hoc aſtro inconſtantius: idem eſt de homine; hodie totus ignis, & cras totus glacies; in principio ardens, tepidus in progreſſu, & ſine vigore in fine: Deus igitur po-

Digitized by Google

poſuit plùs elementi terræ in homine, quàm aliorum: Hoc enim elementum eſt frigidiſſimum, ultimum, & infimum omnium, ut edoceamur, quòd homo debet habere frigus contra flammas concupiſcentiæ, avaritiæ, & iræ; ſe tenere depreſſum, ut meliùs reprimat hunc appetitum vanitatis; firmitatem debet habere contra omnem inconſtantiam, ideò compactus eſt è terra, & magis huic communicat elemento, & hâc ductus Job cogitatione, ait, *Comparatus ſum luto* z.

z Job 30. 19.

Prætereà, Edueo miſeriam hominis è parte medii ejus, id eſt, è vita ejus, quæ media eſt inter nativitatem ejus & mortem illius. In vita ſua homo obnoxius eſt mutationi; propterea comparatur pulveri, *Aſſimilatus ſum favillæ & cineri*, ait idem Job a intuitu miſeriæ ſuæ. Sicut enim pulvis levis eſt, & facilè à vento abripitur; ſic vita pluribus eſt obnoxia viciſſitudinibus, & variis mutationum generibus, unde dixit idem Job †, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, nunquam in eodem ſtatu permanet*. Atqui homo eſt obnoxius huic mutationi, & quoad corpus, & quantùm ad mentem, & quoad operationem. Prima eſt ad ſimilitudinem herbæ. Secunda eſt ad ſimilitudinem ſtatuæ. Tertia verò ad ſimilitudinem umbræ. Herba in principio vireſcit, poſtea floret, deinde ſiccatur, & tandem putreſcit & corrumpitur: ſic corpus hominis viride eſt ſanitate, floret juventute, areſcit ſenectute, & morte putreſcit & corrumpitur, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri, exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos* b. *Exortus eſt Sol cum ardore, & areſcit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperijt* c. Secunda mutatio eſt in mente. Animus noſter habet à mundo cogitationes curioſas, à carne cogitationes voluptuoſas, à diabolo cogitationes ambitioſas: poſſumus etiam dicere, quòd habet à Deo cogitationes gratioſas; iſtæ verò cogitationes ſunt, cùm aliquis cogitat quomodo ipſe Deo gratus eſſe poterit per contemplationem, & proximo per ædificationem & bonum exemplum. Cogitationes curioſæ ſunt, cùm animus ſemetipſum deſerens, occupat ſe in inquiſitione illius quod eſt extra ſe, & quod ad ipſum non ſpectat. Cogitationes voluptuoſæ ſunt, cùm homo ſenſuales fovet delectationes. Cogitationes ambitioſæ ſunt, quando homo attentat aliquid contra innocentem, cùm funeſta adversùs eum molitur conſilia. Magna igitur eſt inconſtantia, immodica mutabilitas, cùm animus humanus tranſit à cogitationibus gratioſis ad curioſas, à curioſis ad voluptuoſas, & à voluptuoſis ad malitioſas. Hæc autem mutabilitas eſt ſimilis ſtatuæ Nabuchodonoſor: ſicut enim *caput hujus ſtatuæ erat ex auro, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum ferrea quædam pars, quædam fictilis* d; ita tunc animus eſt aureus & argenteus, cùm cogitationes habet gratioſas, id eſt, quando emicat coram Deo per contemplationem, & palam proximo per bona exempla; tunc eſt æneus, quando curioſas habet cogitationes; tunc eſt ferreus, quando cogitationes nutrit malitioſas, alios quærens opprimere; tandem luteus eſt & fictilis, cùm cogitationes fovet voluptuoſas. Tertia inconſtantia eſt in operatione: operationes enim magis ordinariæ mundanorum intuentur honorem & divitias; & hæc inconſtantia eſt ſimilis umbræ: umbra quippe hominis aliquando eum præcedit, alias ipſum ſequitur, mox eſt ei à latere. Eam, quæ ipſum præcedit, nunquam poteſt ipſe attingere; illam, quæ ipſum ſequitur, non poteſt ipſe fugere; & eam, quæ ipſum comitatur, amittit ipſe citò: idem eſt de honore, & de divitiis, quæ aliquando præcedunt, & ita fugiunt ut homo non poſſit ea conſequi niſi cum magno labore; aliquando ſequuntur, & ea non poſſidet niſi cum inquietudine, & multo cum timore, *Si fueris dives, non eris immunis à delicto* e. Si enim ea ſequamini, illa non conſequemini; & ſi curratis, ab eorum ſolicitudine non declinabitis; aliquando illa nos comitantur, & ea citò amittimus cum dolore. *Divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui; pereunt enim in afflictione peſſima* †. Videte quænam inconſtantia inveniatur in honoribus & in divitiis, cùm ea non habentes, inquiramus ea cum labore; ea poſſidentes, hauriamus ex illis inquietudinem & timorem; & illa amittentes, affligamur inde.

b Iſai. 40. 7.
c Jacob. 1. 11.
d Dan. 2. 32.
e Eccl. 11. 10.
† Eccl. 5. 12.

Tandem miſeria hominis ſumitur ex parte finis, id eſt, è morte ejus, in qua in cineres redigitur: ideò Job f hanc edoctus veritatem, ait, *Aſſimilatus ſum cineri*. Ut diſcamus contemnere id, quod homines mundani immodico concupiſcunt deſiderio, nimirum coacervare divitias, evehi ſupra alios, ſuo blandiri corpori, & ſuos tranſigere dies medias inter voluptates. Atqui poſt mortem quatuor habent hæredes, propinquos, beſtias, vermes, & dæmones, *Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes* g. Propinqui accipiunt divitias; cur igitur tantum laborem inſumimus ad illas nobis comparandas? cùm tandem oporteat ut eas inviti aliis relinquamus, *Relinquent alienis divitias ſuas* h. Secundi hæredes, ſunt beſtiæ, quæ aſcendunt ſuper ſepulchra noſtra, ea ſuis conculcant pedibus, & ſuis ſtercoribus illa inquinant: quænam igitur ſtultitia ſic immodicè deſiderare elevari ſupra alios, cum tertii hæredes ſint vermes, qui rodunt corpora? quænam inſania ſic oppiparè & delicatè fovere carnem, cùm citò ſit à vermibus corrodenda? Quarti hæredes ſunt dæmones, qui intelligi poſſunt per hos *ſerpentes*, de quibus loquitur Eccleſiaſticus, cùm Scriptura ſacra dæmonem aliquando ſerpentem nuncupet, *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus* i. Iſti autem dæmones animam abripiunt, ut contigit illi inſano dicenti ſuæ *animæ*: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt* k? Videte quoſnam hæredes homo debet habere poſt interitum ſuum, ut inde capeſſat anſam humiliandi ſuiipſius intuitu miſeriæ ſuæ, quò conſideratio propriæ miſeriæ præ memoria mortis proficuos in ipſo producat effectus peragendæ exaltationi ipſius accommodos.

f Job 30. 19.
g Eccl. 10. 13.
h Pſ. 48. 11.
i Gen. 3. 1.
k Luc. 12. 19. & 20.

Platonici loquentes de morte, dicunt, *Vera Philoſophia eſt mortis meditatio*. Sic omnia infortunia quæ accidunt, non proveniunt niſi è defectu hujus conſiderationis, *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia: utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent* l. Ubi obſervate, ſi placet, hæc verba, conſilium, prudentia, ſapere, & intelligere; hæc enim omnia referuntur ad memoriam

Il. Pur.
l Deut. 32. 28. & 29.

moriam mortis, *Et noviſſima providerent.* Tres præcipuos producit in nobis effectus Philoſophia. Primus eſt, quòd ipſa ſic perfectè ſatisfacit animo in adverſitatibus, ut nunquam ſe ſinat abripi à deſperatione, quantavis ipſum imperat anguſtie. Secundus eſt, quòd maximæ quæque felicitates non poſſunt eum projicere extra terminos modeſtiæ, nec eum inſolentem reddere & ſuperbum. Tertius eſt, quòd omnes ſuas actiones ad regulam ita rectam exigit, ut nihil operetur niſi juſtè, & præ pondere, & menſura. Iſti autem ſunt tres effectus, quos producit in nobis mortis memoria. Date mihi hominem, qui ſit verus Philoſophus, & videbitis Olympum immunem ab omni paſſione, quia, ſecundùm Philoſophos antiquos, *In virum ſapientem non cadunt paſſiones animi.* Philoſophus eſt inimicus omnium voluptatum, divitiarum, & honorum, & ſic eſt innocens in actionibus ſuis, ut dicat medias inter occaſiones obvias committendi criminis id, quod aſcribitur muri Pontico, *Malo mori, quàm fœdari.* Et cum quodam Philoſopho Ethnico, *Si ſcirem homines ignoraturos, & Deos ignoſcituros, etiam dedignarer peccare.* Talis autem erit ſapientia illius, qui ſeriò cogitaturus eſt de morte.

Primus effectus memoriæ mortis eſt conſolari in adverſitatibus: maxima omnium adverſitatum eſt mors; & tamen ſi benè conſideremus, inveniemus eam eſſe favorem inſignem, quo Deus nos cumulat, ut nos in humilitate cuſtodiens intuitu miſeriæ noſtræ, exaltationem noſtram operetur: ideò jure meritò dicere poterimus ei, *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas* m. Super quod Incognitus n ait, *Quòd per adverſa homo gratificatur. Ubi notandum, quòd ſicut proſpera homines per ſuperbiam elevant, ſic & adverſa mentes humiliant, & ex conſequenti gratas faciunt Deo. Ex quo apparet, quòd magnam miſericordiam Deus nobis exhibet, cùm nos, ut ſanet percutit per adverſa. Talis autem miſericordia nobis melior eſt quàm vita corporalis, quia per illam vitam, ſpiritualem habemus, quâ Deo gratificamur, quæ melior eſt omni vitâ corporali. Et hoc eſt quod hic ait Pſalmus, Quoniã melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Quaſi diceret, Melior eſt vita gratiæ, quam per adverſa das correctis, quàm qualibet mundalis vita, quam eligunt perverſi.* Atqui advenientе hâc horâ mortis, ſummo percellebantur terrore, quia è miſeria proficiſcebantur in aliam majorem: ſed nunc in Religione Chriſtiana, in qua vivimus, mors eſt nobis veluti tabula & pons ſecurus, unde tranſimus ad meliorem vitam, quæ eſt vita gloriæ æternæ, & pervenimus ad exaltationem. *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* o. Et propter hunc magnum effectum, mortem intueri debemus non ut miſeriam, ſed ut magnum bonum, erga quod magno affici debemus deſiderio, ut dicere poſſimus cum Apoſtolo p ſinguli, *Coarctor è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus q, *Id eſt, duo coarctant me, ſcilicet deſiderium diſſolvendi, & neceſſitas in carne manendi. Inter hæc duo anguſtior, & ex conſideratione ipſorum quaſi in arcto conſtituor utrumq; deſiderans, cùm tamen ſimul haberi non queant, & quid electurus ſim neſciens. Conſequenter tangit hæc duo, deſiderium habens diſſolvi à corpore, & eſſe cum Chriſto, principaliter per gloriam fruitionis, multò enim magis melius eſt hoc quàm detineri in hac carne mortali.* Sic diſcipulus, *quem diligebat Jeſus* r, ait in ſua Apocalypſi, ſ, *Audivi vocem de cœlo dicentem mihi, Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quod ſic explicat idem Carthuſianus t, *Beati mortui, id eſt, qui mortui ſunt huic ſeculo & peccatis, imò ſibi ipſis, videlicet propriæ voluntati, & omni vitioſæ affectioni, atq; mundanæ vanitati. Hi ſunt qui dominantur animo ſuo, & vincunt ſeipſos, odiuntque peccare amore virtutum, atq; ſincero Dei intuitu. Qui in Domino moriuntur per ſeparationem animæ à corpore. Hi enim perſeverando uſque in finem* u, *ununiſi in Domino feliciter moriuntur,* & exaltantur.

m Pſ. 62. 4
n Incogn. in Pſ. 62. 4
o Iſai. 32. 18.
p Philipp. 1. 23
q Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 1. 23.
r Joan. 21. 20.
ſ Apoc. 14 13.
t Dion. Carth. art. 15. in Apocal. 14. 13.
u ex Matt. 24. 13.

Niſi vita & mors ſuam veluti naturam mutaſſent, ſi vita ſemper manſiſſet talis, qualem conſtituit illam Deus à principio; & mors talis, qualem cauſavit eam aliàs peccatum, *Per peccatum mors* x: profectò abſque ulla comparatione vita multò melior eſſet morte: ſed cùm vita nobis adveniat in hac forma, quâ mortificata fuit ipſa *per peccatum*; mors verò è contrà ſub illa, quam Chriſtus vivificavit, *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* y: ſequitur, quòd mors deſiderabilior ſit ipsâ vitâ, cùm prior ſit nobis ingreſſus ad miſerias; poſterior verò nos ab illis educat, ut nos exaltet. Vita eſt carcer, domicilium miſeriarum, ubi gemimus vinculis & catenis conſtricti: ſed tunc exaltati erimus, cùm ab iis per mortem erimus diſſoluti, *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* z. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus a, *Quia & ipſa creatura, videlicet homo liberabitur à ſervitute corruptionis, id eſt, corruptione iſtâ ſervili & corporali, vel magis propriè à ſervitute corruptionis, id eſt, ſollicitudinibus vitæ præſentis, videlicet à cura quærendi veſtitum, & victum, ac alia quibus hæc corruptibilis vita ſuſtentatur, eique ſervitur. Liberabitur autem pertingendo in libertatem gloriæ, id eſt, in dominium & ſecuritatem felicitatis. Vel; in glorioſam libertatem filiorum Dei, id eſt, Electorum ſeu Beatorum in patria, qui Deo perfectè aſſimilantur, & plenâ dilectione inceſſabiliter conjunguntur. Tunc abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt* b. *Perfecta enim beatitudo omnem excludet ab eis miſeriam, omnem mali admixtionem, omnem pœnam, & occurſum contrarium,* ait Dionyſius Carthuſianus c. *Et mors non erit ultrà in eis, quia nec mors naturæ, nec culpæ, neque miſeriæ. Neque luctus pro quacumque cauſa. Neq; clamor ex dolore proveniens, vel ex deſiderio aliquid obtinendi. Erit tamen ipſis ſecundùm quoſdam laus vocalis. Neque dolor, quia nec dolebunt dolore afflictivo de ſuis peccatis. Quæ prima abierunt. Id eſt, mala iſta pœnalia in præcedenti vita fuerunt, & finem ceperunt.*

x Rom. 5. 12.
y 1. Cor. 15. 22.
z Rom. 8. 21.
a Dion. Carth. art. 12. in Rom. 8. 21.
b Apoc. 21 4. ex Iſai. 25. 8.
c Dion. Carth. art. 22. in Apoc. 21. 4.

Secundus effectus Philoſophiæ & memoriæ mortis eſt, ut quis ſit modeſtus in proſperitate: ſine iſto enim fræno nemo fortaſſis eſſet, qui ſe in prædam non daret voluptatibus & deliciis, unde fit ut appoſitè dicat S. Hieronymus d, *Qui quotidie recordatur ſe moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat.* Cùm aliquis nummum conſtituit aureum in una ſtateræ lance, ſi alteri lanci pondus imponat æquale, vereri non debet ne nummus labatur, & pondus abripiat: ita ſi aliquis collocet in una parte cordis, amorem deliciarum hujus mundi, dubitare non poteſt quin ipſum cor hujuſmodi deliciæ deorſum trahant, niſi iis addat pondus ex altera cordis parte; meliora autem non poſſunt ei impo-

d S. Hier. in Regul. Monach. c. 23

ni

Digitized by Google

ni libramina & momenta recordatione mortis,
quæ impediet ne cor à carnis ſe ſinat abripi con-
cupiſcentiis. Jeſus Chriſtus in monte Thabor in
ſtatu gloriæ poſitus, diſſerebat de morte ſuâ
proximâ cum Moyſe & Elia, eamque medita-
batur ut præſentium, quibus diffluebat, tempe-
ramentum deliciarum, *Et facta eſt, dum oraret, ſpe-
cies vultus ejus altera: & veſtitus ejus albus & reful-
gens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo, Erant au-
tem Moyſes & Elias, viſi in majeſtate, & dicebant ex-*
e Luc. 9. 29. &c *ceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem* e.
Alexander Magnus intuitus ſe vulneratum, non
eſt ampliùs imaginatus ſe fuiſſe Deum, ut cona-
bantur ei perſuadere adulatores aulici ipſius.
Poſt omnes iſtas magnitudines, poſt univerſas
proſperitates dicere poteſt ex nobis unuſquiſ-
f Job 17. 1. que cum Job f, *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum.* Et
g Pſ. 38. 7 cum Davide, *In imagine pertranſit homo* g. *Vt non*
h Pſ. 9. 39 *apponat ultrà magnificare ſe ſuper terram* h.

Tertius effectus Philoſophiæ Chriſtianæ eſt
dirigere œconomiam omnium actionum no-
ſtrarum, formando actiones futuras, & refor-
mando præteritas. Memoria mortis nihil eſt a-
liud niſi horologium vitæ: ſicut enim horolo-
gium moderatur & dirigit univerſas civitatis a-
ctiones, quæ ſine eo fierent confusè & inordina-
tè: ſic omnia opera Chriſtiana ſuas è memoria
mortis deſumunt formas. Inde fit ut Salvator
nomē cordis præbuerit tumulo, *Sic erit filius hom-
i Matth. 12. 40 *nis in corde terræ* i. Sicut enim cor eſt principiū &
origo vitæ, unde omnes motus ſuum deſumunt
initium; ſic principium omnium bonorum no-
ſtrorum operum procedere debet è memoria
mortis & ſepulturæ, ſi velimus ut ea ſint virtuo-
ſa, grata Deo noſtro, & meritoria vitæ æternæ,
ad quam nos vult exaltare, quoniam *univerſa*
k Prov. 16. 4 *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* k. Atqui
mortis memoria non ſolùm format actiones
noſtras futuras, ſed reformat etiam præteritas
interventu pœnitentiæ, quæ *ſecunda poſt naufra-*
l S. Hier. epiſt. 47. num. 6 *gium tabula eſt* l. Cujus beneficio panditur nobis
aditus ad exaltationem gloriæ ſempiternæ.

Cùm Dei Filius morte ſuâ peccatum proſtra-
vit, ut adimpleret id quod prædixerat Prophe-
m Dan. 9. 24 ta m, *Vt conſummetur prævaricat o, & finem acci-
piat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur
juſtitia ſempiterna*: unde factum eſt ut non abſtu-
lerit omnem pœnam peccati, quæ eſt mors? *Sti-
pendia enim peccati mors* n. *Id eſt, retributio debita*
n Rom. 6. 23 *quæ pro peccato infligitur, eſt mors temporalis & æter-
na. Ex originali enim peccato proceſſit mors corporalis*
o Ex Gen. 3. 6 *in pœnam illius peccati* o. *Propter quod legitur: Deus*
mortem non fecit p. *Invidia autem diaboli mors in-*
p Sap. 1. 13 q Sap. 2. 24. ex Gene. 3. 1. &c. *troivit in orbem terrarum* q. *Pro peccato autem a-
ctuali mortali, infligitur mors æterna, quæ utique eſt
à Deo, cùm ſit juſta pœna, quemadmodum ſcriptum eſt,*
r Ex Eccli. 11. 14 *Mors & vita ab ipſo ſunt* r, ait Dionyſius Carthu-
ſ Dion. Carthuſ. art. 9. in Rom. 6. 23 ſianus ſ. Advertiſtis ne aliquando, quòd ubi in
furcis appenſus eſt aliquis malefactor, conſuetu-
do invaluit ut ibi aliquando ſuſpenſus maneat,
ut inde terrore percellantur improbi & flagitio-
ſi homines, & ut ne intuitus ut veluti frænum
quod otioſorum frangat inſolentiam? *Vt pœna
unius ſit metus multorum*, ait Lex. Salvator igitur
eripit omne peccatum, ſed non mortem peni-
tus, ut cogitatio iſtius ſupplicii terrefaciat pec-
catores, & impediat ne Divinam ipſius offen-
dant Majeſtatem, cogitantes de ratione ſeverâ
quam ipſi ſunt reddituri. Sed heu quam pauci
ſunt qui cogitent de ultimo iſto fine! non poſ-
ſet fieri ſermo odioſior, & cui iniquiori præbea-

tur auris animo, quàm is qui de morte peragi-
tur, licèt ſit via ad exaltationem.

Diſcurrebat aliquando Dei Filius cum diſci-
pulis ſuis, ſignis & ſimilitudinibus, & denique
dixit illis, *Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam* t. t Matth. 13. 51. &c
Aliâ vice tractaturus eis de morte ſuâ, de eâ cla-
rè loqui voluit abſque figurâ & ſine metaphorâ,
*Aſſumpſit autem Ieſus duodecim, & ait illis, Ecce aſcen-
dimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ
ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur
enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & con-
ſpuetur: & poſtquàm flagellaverint, occident eum, &
tertiâ die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt,
& erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non in-
telligebant quæ dicebantur* u. Quænam novitas eſt u Luc. 18. 31. &c
iſta? Viri ſic ignari audiunt tot pertractari my-
ſteria ſub figuris, & dicunt ſe intellexiſſe. Dein-
de verò cùm diſcurritur illis de morte abſque
involucris, iſtam non concipiunt loquelam. Ra-
tio iſtius eſt, quia auditur libentius quilibet alius
diſcurſus, licèt faſtidioſus & importunus, quàm
ille qui pro ſubjecto ultimum habet finem. Si
verò homines aliquando illius efformant cogi-
tationem, hæc cogitatio non eſt niſi momenta-
nea, nedum illius ampliùs recordentur, ut cogi-
tent de ſalute ſuâ, etiamſi hæc cogitatio ſit val-
dè neceſſaria ad eam peragendam. Et conſe-
quenter perpetuam illius debemus præ nobis
ferre cogitationem, cùm memoria illius nobis
ſit ità proficua, & intuitus miſeriæ noſtræ nobis
ſit accommodus, & noſtræ inſerviat exaltationi.
Et ſicut cinis terram fœcundat, ſic meditatio
miſeriæ noſtræ extremæ excitat nos ad benefa-
ciendum: quemadmodum cinis ignem conſer-
vat; ita recordatio ultimi finis noſtri conſervat
gratiam divinam cordi noſtro profundè impreſ-
ſam, quandiu *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus no-
ſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* x. Et x Rom. 5. 5
veluti cinis purgat inquinamenta & maculas, ſic
intuitus necis noſtræ mundat omnes impurita-
tes & ſordes peccatorum, *Memorare noviſſima
tua, & in æternum non peccabis* y. Quis ſuperbus y Eccli. 7. 40
more pavonis, qui non humiliet ſe, ſi intueatur
pedes ſuos? *Quid ſuperbit terra & cinis* z? Quis im- z Eccli. 10. 9
pudicus volutabro luti immerſus, & deliciis dif-
fluens, qui ſe non emendet ab infamibus com-
merciis ſuis, ſi meditetur ſibi eventurum, niſi
profligatam vitam ſuam mutaverit, id quod ait
ipſe Propheta a? *Subter te ſternetur tinea, & operi-* a Iſai. 14. 11
mentum tuum erunt vermes. Quis avaros, qui ſua-
rum affectui non abrenunciet divitiarum, ſi con-
ſideret ſe eſſe ejuſdem ſortis, cujus erat Job b in- b Job 1. 21
quiens? *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, &
nudus revertar illuc.*

Secundùm Platonicos igitur *Vera Philoſophia
eſt mortis meditatio.* Planè eſt eſſe Philoſophum ac
eſſe peritum cognitionis miſeriæ ſuæ, & ultimi
ſui finis. Philoſophia eſt vera ſapientia: Sapien-
tes ergo eritis, ſed ſapientes in æternitatem bea-
tam, ſi edoceamini hanc notitiam, quæ exaltabit
vos. Sapientia ſita eſt in ritè ordinandis omni-
bus, *Sapientis eſt ordinare.* Ordinabitis & diſpone-
tis omnia in hac vitâ ob veſtram ſalutem æter-
nam, ſi *revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat,
& ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* c. Et ad c Eccl. 12. 7
exaltationem pervenietis poſt mortem veſtram
ſi viventes memoriam illius præ vobis habueri-
tis, ut innuit Dionyſius Carthuſianus d ſuper d Dion. Carthuſ. art. 1 ſuп Apoc. 14. 13
hæc verba, *Beati mortui qui in Domino moriuntur,*
dicens, *Beati mortui, id eſt, fœlices ſunt illi defuncti,
qui in Domino moriuntur. Id eſt, in Domino obierunt,*

purà in ſtatu ſalutis, in charitate, in divini nominis confeſſione, in mentis ad Deum converſione. Ut igitur apprimè fiat hæc converſio, debet unuſquiſque deſerere id quod eſt, ut fiat id quod non eſt, ut docet S. Auguſtinus e, *Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris, Sufficit, & periiſti.* Peccator eſt in ſtatu criminis, oportet ut illud deſerat, quò cauſam ſanctitatis amplectatur: ſecundùm Patres, *Peccatum eſt ſpreto incommutabili Bono bonis commutabilibus adhærere.* Bonum iſtud incommutabile, non eſt aliud niſi Deus, *Ego Dominus, & non mutor* f. Omne aliud bonum eſt mutabile, ut honores, amici, vanitates, & voluptates, *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt* g. Atqui peccator tergum vertit Deo, ut adhæreat his omnibus, quæ intuetur, ut ipſemet Deus queritur, *Verterunt ad me tergum, & non faciem* h. Ideò oportet ad operandam ſalutem ſuam ut tergum vertat creaturis, quò intueatur Deum, ut David i, & Magdalena k. Propterea ipſe dicit nobis per Joëlem l, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Hoc eſt objectum, quod intueri debet peccator, hic eſt finis quem ſibi tenetur proponere, ut converſionem ſuam efficiat veram, quod innuunt hæc verba, *In toto corde.* Id eſt, ut non ampliùs adhæreat affectu niſi ſoli Deo, contemnendo creaturas omnes, ut poſſideat Creatorem. *In jejunio*, quod eſt receſſus ab omni peccato, abſtinentia ab omnibus criminibus, quæ nos elongaverant à Deo, qui eſt *omne Bonum* m ſummum. *Et in fletu, & in planctu.* Neceſſariæ enim ſunt lacrymæ ad deploranda ſcelera præterita, & ad obtinendam veniam criminis, cujus eramus conſcii, deſerendo Dominum, ut adhæreremus ſervo. Sed ſciendum eſt cum S. Thoma n, triplicem dari converſionem ad Deum. Prima eſt quæ fit per amorem perfectum, & ſolas decet Animas beatas, quæ fruuntur Deo: ut autem fiat hæc converſio, requiritur gratia conſummata. Secunda converſio ſpectat meritum beatitudinis, & ad illam requiritur gratia habitualis, quæ in terrâ eſt principium omnis meriti ad acquirendum paradiſum. Tertia converſio eſt illa, per quam anima ſe diſponit ad recipiendam gratiam; & hæc non efflagitat gratiam habitualem quæ præcedat, ſed operationem Dei qui attrahat & convertat ad ſe animam, *Converte me, & convertar* o. Si autem neceſſaria ſit operatio Dei, & ſuavitas gratiæ ex parte ejus, requiritur etiam concurſus & cooperatio creaturæ ad operandam hanc converſionem, quæ eſt principium ſalutis ipſius, *Converte me.* Oportet ut Deus tangat interius animæ, & moveat & excitet ejus voluntatem; & ut homo ſe convertat ad illum ut ad Principium felicitatis ſuæ: ſic omnis motus voluntatis vocari poteſt converſio ad Deum; ſed ſicut hæc actio eſt extra virtutem naturæ creatæ, & motiones iſtæ ſunt ſupra omnes effectus naturales, Deus eſt Author converſionis hominis, ipſe excitat voluntatem ejus, poſtquàm intellectum illius illuminavit, ipſe eſt qui convertit illum ad ſe per concurſum quem ipſe homo ex parte ſuâ ſubminiſtrat. Inimici eramus Dei, eò quòd nimis noſtri ipſorum voluiſſemus eſſe amici: &, quod majus eſt, ne vel ullam habere poteramus amoris ſcintillam erga eum, niſi nobis inſpiraretur ab illo, *Tales nos amat Deus quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito*, ait Concilium Arauſicanum p. Non vult ipſe perdere bonitate ſuâ allectus, eos, qui ſuam propriâ malitiâ moliuntur ruinam; extendit ad eos *manum* q ſuam, quandiu illi vertunt ipſi dorſa: fugiunt illi, & ipſe eos inſequitur greſſibus ſuæ charitatis, *qui in tenebris & in umbra mortis ſedent.* Illos vocat, eis blanditur, & non contentus parcere eis ipſorum crimina, pollicetur eis exaltationem, *Qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* Illos vult introducere in theſauros gloriæ ſuæ. Jeſus Chriſtus eſt theſaurus ſapientiæ & ſcientiæ, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* ſ. Theſaurus paradiſi, poſſeſſus & adoratus à Sanctis, qui vident pulchritudinem ejus, qui poſſident divitias illius, & fruuntur gloriâ ipſius. Jeſus eſt theſaurus vitæ, gratiæ, & ſanctitatis, ſed non eſt noſter theſaurus niſi per amorem noſtrum, *Ubi eſt theſaurus noſter, ibi & cor* t noſtrum eſſe debet; in Jeſu ſolo igitur debemus ipſum collocare, ipſe ſolus noſtro dignus eſt amore, & ſic totum debemus illò ei conſacrare. Humiliando nos intuitu miſeriæ noſtræ, & memoriæ ultimi finis noſtri, & abrenunciando affectui omnium creaturarum, ut adhæreamus ſoli Deo, exaltabimur ad poſſidendum hunc theſaurum, in quo omnia inveniemus. Pulchritudinem, *Speciosus formâ præ filiis hominum* u. Gloriam & opes, *Gloria & divitiæ in domo ejus* x. Fortitudinem, *Indutus eſt Dominus fortitudinem* y. Omnes tandem virtutes, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ* z. Hunc theſaurum inquirere debetis mediâ humilitate, poſſidere in terrâ præ timore illius amittendi, conſervare cum curâ, & illius beneficio diſcetis, quòd omne quod eſt in mondo, fallax eſt. Theſaurus iſte voluntatem veſtram accendet, & memoriam veſtram ſibi applicatam continebit, poſtquàm veſtram illuminaverit mentem. Voluntas veſtra convertetur ad Deum, memoria veſtra cogitabit Finem ſuum, & intellectus veſter contemplabitur æternæ ſuæ felicitatis objectum.

e S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 15

f Malach. 3. 6

g Rom. 8. 20

h Jer. 2. 27

i 2. Reg. 12. 13

k Luc. 7. 37

l Joel 2. 12

m Exod. 33. 19

n S. Thom. 1. p. q. 62. a. 2. ad 3

o Jer. 31. 18

p Conc. Arauſ. 2. can. 12

q Prov. 1. 24. &c

r Luc. 1. 79

ſ Coloſſ. 2. 3

t Matth. 6. 21

u Pſ. 44. 3

x Pſ. 111. 3

y Pſ. 92. 1

z Pſ. 23. 10

FERIA

FERIA IV. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die reſurget. Matthæi 20. 18. & 19.

a S. Dion. lib. de cæleſt. Hier. c. 2 — DOcet nos S. Dionyſius a, nos meliùs expli-
care magnitudines Dei, dicendo quid non
ſit, quàm enunciando hoc quod ipſe eſt, *Negatio-
nes in divinis rebus vera ſunt, affirmationes verò non
conveniunt, nec digne ſunt majeſtate Dei omnium oc-*
b Ex Iſai. 45. 15 — *cultiſsimi* b. Cùm dicimus, quòd Deus eſt juſtus,
ſapiens, & miſericors, tunc inhonoramus juſti-
tiam, ſapientiam, & miſericordiam ejus, cùm
demus ei juſtitiam, ſapientiam, & miſericor-
diam, quas non habet, cùm omne quod concipi-
mus in Deo, ſit limitatum & imperfectum: è
contrà omne quod eſt in Deo, eſt infinitum &
immenſum, & perfectum, ſicut ipſe *magnus eſt, &*
c Baruch 3. 25 — *non habet finem: excelſus, & immenſus* c, *& perfectus*
eſt d: Sed cùm dicimus id quod Deus non habet,
d Matth. 5. 48 — verè loquimur de Deo; ſicut cùm dicimus eum
non eſſe finitum, ſed infinitum, & immenſum, &
magnitudines illius non poſſe concipi, & ideo
e Jer. 32. 19 — quòd ipſe ſit *incomprehenſibilis cogitatu* e, de illo
congruentiùs loquimur. Meliùs exprimo excel-
lentias Dei, dicendo id, quod ipſe non eſt, quàm
eſſando hoc quod ipſe eſt. Evangelium noſtrum
ait, quòd *Filius hominis tradetur Principibus Sacer-
dotum & Scribis, & condemnabunt eum morte. Hoc
eſt, reum mortis eſſe judicabunt. Sic enim dixerunt co-
ram Pilato, Nos Legem habemus, & ſecundùm Legem
debet mori: quia Filium Dei ſe fecit*, ſubdit Diony-
f Dion. Carth. art. 34. in Mat. 20. 18. ex Joan. 19. 7 — ſius Carthuſianus f. Sed falluntur Judæi, quin po-
tiùs *ut eos qui ſub Lege erant, redimeret, ut adoptio-
nem filiorum reciperemus* g. Chriſtus non *debet mo-
ri, quia Filium Dei ſe fecit*. Sed quia morte ſuâ de-
g Galat. 4. 5 — bet nos efficere filios Dei adoptivos, ut exponit
h Dion. Carth. art. 4. in Galat. 4. 5 — idem Carthuſianus h, ſicut & ipſosmet Judæos,
*Vt eos qui ſub Lege erant, id eſt, Iudæos legalibus man-
datis aſtrictos redimeret merito ſuæ humilitatis ac
Paſsionis: Non ſolùm à morte peccati & gehennæ, ſed
etiam à legalium obſervatione, ut adoptionem filio-
rum, id eſt, effectum adoptionis divinæ, quâ adoptantur
homines à Deo, videlicet gratiam gratificantem in
præſenti, & gloriam conſummantem in cœlo recipere-
mus:* Congruentiùs exprimam prærogativas di-
vinæ iſtius adoptionis per differentias quæ in-
tercedunt inter ipſam & adoptionem huma-
nam, quàm ſi convenientias, quæ inter utramque
reperiuntur, præ veſtræ mentis oculis ponerem.
Virgo Deipara, quæ eſt *Primogenita ante omnem
creaturam* i in ordine divinæ prædeſtinationis,
i Eccli. 24. 5 — ut ſancta Mater concinit Eccleſia, ſuum nobis
impendet auxilium, ſi dicamus ei, *Ave Maria.*

Senſerunt Platonici, res ſublunares habere
eſſe perfectius in mente noſtrâ, quàm habeant in
ſeipſis: v. g. video ſerpentem, qui repit, qui ſibi-
lat, qui venenum habet, quique me horrore per-
cellit; idem ſerpens, cùm eum cognoſco, non re-
pit, non ſibilat, venenum non habet, nec ullum
mihi infert horrorem: iſtud ego templum conſi-
dero, in eo video lapides, gypſum, albedinem,
& nigredinem, quin imò ipſum mortuum eſt in
ſemetipſo, ſed vivens eſt in intellectu meo:
Theologia docet nos, Deum eſſe Ens ſummum,
k Exod. 3. 14 — *Ego ſum, qui ſum* k. Et perfectiſſimum, *Pater cæle-
ſtis perfectus eſt* l. Et ideò habere in ſe eminenter — l Matth. 5. 48
omnes perfectiones entium inferiorum; & om-
nes illius perfectiones eſſe magis conſummatas,
quàm ſint hominum qualitates, quantùmvis exi-
miæ: Homines non ſunt veri filii Dei, ſed Deus
adoptans nos, efficit ut verè evadamus filii ſui,
hæredes nos conſtituens perfectionum ſuarum,
& divini Spiritus ſui. *Quotquot autem receperunt
eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* m. Id eſt, ut — m Joan. 1. 12
exponit Dionyſius Carthuſianus n, *Quotquot au- — n Dion. Carth. art. 4. in Joan. 1. 12
tem receperunt eum per fidem formatam, univerſali-
ter loquitur, dicendo: Quotquot, quoniam non eſt per-
ſonarum acceptor Deus* o, *dedit eis poteſtatem, hoc — o Ex Act. 10. 34
eſt, idoneitatem, ſeu gratiam efficacem, filios Dei fieri,
hoc eſt, per quam fiunt filii adoptivi. Omnibus ergo qui
receperunt Chriſtum, dedit ipſemet Chriſtus ſecundùm
quòd Deus, poteſtatem filios Dei fieri perfectè in fonte
Baptiſmatis. In Baptiſmo autem gratia augetur, cha-
racter imprimitur, & homo Chriſto perfectè confor-
matur, & incorporatur, atque ab omni labe peccati ac
reatu pœnæ abſolvitur, ut ſit omnino filius Dei. Per
gratiam quoque gratum facientem ponitur anima in
eſſe ſupernaturali, divino, ac meritorio, tamque acce-
pta ac ſimilis Deo efficitur, ut etiam vitam æternam de
condigno mereatur;* fulta tamen meritis Chriſti, à
quibus Baptiſma ſuum totum deſumit valorem,
ſicut & cætera Sacramenta. *An ignoratis, quia qui-
cunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius bap-
tizati ſumus* p? *Id eſt, meritò ſcire debetis*, explicat i- — p Rom. 6. 3
dem Carthuſianus q. *quia quicunque baptizati ſu- — q Dion. Carth. art. 9. in Rom. 6. 3
mus, id eſt, à vitiis loti in ſacro Baptiſmatis fonte, in
Chriſto Ieſu, id eſt, in inſtitutione, fide, & operatione
Chriſti: in morte ipſius, id eſt, merito mortis ejus, ſeu
per virtutem ſuæ Paſsionis, à quâ Baptiſmus efficien-
tiam habet, baptizati ſumus.* Propterea ſemetipſum
ſacrificare voluit Dei Filius pro peccatis noſtris,
ut mereretur nobis gratiam, quæ ſuos nos efficit
filios adoptivos, & jus nobis tribuit ad gloriam,
ad quam pervenire nunquam potuiſſemus abſ-
que ipſius meritis. Et hoc eſt quod prædixit
Propheta r, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit: tradidit in — r Iſai. 53. 7. & 12
mortem animam ſuam: & ipſe peccata multorum tu-
lit.* Et quod confirmat Apoſtolus ſ, dicens, juxta — ſ Epheſ. 5. 2
ea quæ prænunciata ſunt in textu noſtro, *Chriſtus
dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblatio-
nem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Sed opor-
tet ut fatear vobis, Auditores, quòd mihi fuiſſet
difficillimum creditu quonam modo Chriſtus
fuerit Sacerdos & Sacrificium, Sacrificator &
Hoſtia, niſi iſtam Scriptura me doceret verita-
tem. Non eſt par ratio de Filio Dei & de ſacer-
dotibus ſeu ſacrificatoribus Legis veteris, qui
tenebantur quærere extra ſeipſos hoſtiam & vi-
ctimam, quam oblaturi erant Deo in ſacrificium
pro peccatis populi. In Lege enim antiquâ indi-
gebant *pecoribus bobus, & ovibus, victimas* t oblatu- — t Levit. 1. 2
ri, offerendo *agnum* u, *hoſtiam Domino, hircum de — u Levit. 3. 7
capris immaculatum* x. *vitulum pro peccato, arie- — x Levit. 4. 23
tem* y, & alia hujuſmodi animalia. Et in Lege no-
vâ Sacerdotes quærunt panem & vinum, ut illa — y Levit. 8. 2
ſuper

z 1. Cor. 11. 24 & 25 ſuper noſtris conſecrent altaribus z: ſed *Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* a, invenit in ſemetipſo Hoſtiam, quam oblaturus eſt, id eſt, ſanctam ſuam Humanitatem, ad expianda peccata noſtra, & ad efficiendos nos filios ſuos adoptivos. Videbimus igitur Primò hanc divinam adoptionem per differentias quæ inveniuntur inter ipſam & adoptionem humanam. Secundò, Quòd Chriſtus efficiens nos ſuos filios adoptivos, fuit Sacerdos, & Victima expiatrix peccatorum noſtrorum, ad impertiendam nobis hanc divinam adoptionem.

a Hebr. 6. 20. ex Geneſ. 14. 18. & ex Pſ. 109. 4

Diviſio

I. Pars

Triplex admittitur differentia inter adoptionem humanam & adoptionem divinam. Quarum prima eſt, quòd illa non eſt niſi denominatio externa, quæ non conſiſtit niſi in papyro & in membranâ; & ratio iſtius eſt, quia ipſa non eſt niſi contractus, per quem quis vocatur filius talis hominis, ſed illa nihil reale ponit in mente adoptantis: ille enim qui adoptat, licèt ſit ſapiens, & doctus, has tranſire non facit qualitates in mentem adoptati, ſi is aliunde ſtupidus eſt, ſed adoptio divina verè nos efficit filios Dei, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus* b. *Id eſt, quam magnam ſuam erga nos dilectionem nobis oſtendit, ſeu quantùm ſe diligere nos monſtravit, per hoc quòd contulit nobis gratiam iſtam talem ac tantam, ut adoptivi filii ejus vocemur & ſimus*, ait Dionyſius Carthuſianus c. Tales autem efficimur per veram regenerationem, ut ſupra dictum eſt ex S. Paulo, qui ſuam ſententiam confirmat, *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* d. Hæc autem ſalus adimpletur in Sacramento Baptiſmi, in quo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* e. Aut in Sacramento Pœnitentiæ f, quæ *ſecunda poſt naufragium tabula eſt*, ut docet S. Hieronymus g, in quâ deperditam recuperamus gratiã; ut docet idem Carthuſianus h, *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, id eſt, non propter merita noſtra quæ nulla fuerunt, quia eramus peccatis obnoxii, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit à poteſtate diaboli, & reatu æterni tormenti merito ſuæ converſationis & Paſſionis. Per lavacrum regenerationis, id eſt, per Baptiſmum, qui eſt lotio, quâ ex aquâ & Spiritu ſancto renaſcimur; & renovationis Spiritus ſancti, id eſt, per interiorem lotionem ſive infuſionem gratiæ Spiritus ſancti, per quam anima ſpiritualiter renovatur, juxta illud, Renovamini ſpiritu mentis veſtræ* i. *Et, Renovabitur ut aquilæ juventus tua* k. *Quæ etiam lotio interior non ſolùm confertur in Baptiſmo, ſed & in Sacramento Pœnitentiæ, & cæteris Sacramentis.*

b 1. Joan. 3. 1

c Dion. Carth. art. 4. in 1. Joan. 3. 1

d Tit. 3. 5. &c

e Joan. 3. 5

f Luc. 13. 3

g S. Hier. epiſt. 47. n. 6

h Dion. Carth. art. 3. in Tit. 3. 5. &c.

i Epheſ. 4. 23

k Pſ. 102. 5

Tria, ſecundùm Philoſophos, inveniuntur in generatione temporali. primum, principium vivens quod generat: ſecundum, communicatio ſubſtantiæ; tertium ſimilitudo in naturâ: pater v. g. filium edit in lucem, filius iſte recipit naturam ſimilem naturæ patris: ita in adoptione divinâ Deus eſt principium vivens, quod iſtam operatur adoptionem; in ea eſt communicatio ſubſtantiæ, quia non ſolùm recipimus dona & gratias Dei, ſed Deum ipſum, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* l. *Ipſe enim Spiritus ſanctus eſt dator ac donum, proceditque à Patre ac Filio* m *per modum donabilis, quoniam ipſe eſt charitas ſeu amor Patris & Filii. Amor autem eſt primum donum gratuitum, in quo omnia dona donantur. Itaque Spiritus ſanctus datur Electis non ſolùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo: quia per charitatem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialique modo*. ait Dionyſius Carthuſianus n. Suſcipimus igitur Spiritum ſanctum, & per concomitantiam, totam SS Trinitatem, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* o. Et, *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra* p. Eſt etiam in eâ adoptione ſimilitudo, quia per gratiam efficimur id, quod Jeſus Chriſtus eſt per naturam, poſſidendo eundem Spiritum, *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt* q. *Id eſt, Divino Spiritui per charitatem unitur, in Deum transformatur, eique indiſſolubiliter colligatur*, ait idem Carthuſianus r. Et alibi ſ, *Filiatio autem fundatur in aſſimilatione. Cùm itaque Verbum ſit Filius naturalis, qui ei per fidem uniuntur, atque per charitatem incorporantur, efficiuntur filii adoptivi. Filiatio autem adoptiva, quæ fit per gratiam, quâ homines fiunt participes hæreditatis Patris adoptantis, eſt participatio filiationis naturalis. Hinc ad Romanos* t *dicit Apoſtolus, Si filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Et rurſus, Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*

l Rom. 5. 5

m Ex Joan. 15. 26

n Dion. Carth. t. 8 in Rom. 5. 5

o Joan. 14. 23

p Galat. 4. 6

q 1. Cor. 6. 17

r Dion. Carth. art. 6. in 1. Cor. 6. 17

ſ Idem art. 4. in Joan. 1. 12

t Rom. 8. 17. & 15

Aliquâ perfuſi ſunt ſaltem Macedonii conſolatione ſuper morte Philippi Regis ſui, cùm adverterunt Alexandrum Magnum, filium illius non minùs hæreditaſſe animum ejus ac generoſitatem ipſius, quàm Regnum illius, & dixerunt ſe ſolius corporis Philippi incurriſſe jacturam, cùm animus ejus viveret in Alexandro ipſius filio: idem dici poteſt de Chriſtiano, qui habet Spiritum Jeſu Chriſti. Et ecce quomodo adoptio divina eſt vera generatio propter veras conditiones, quæ inveniuntur in humanâ. Sed id quod magis extollit iſtam ſpiritualem generationem, eſt quia ipſa habet convenientiam cum generatione Verbi æterni. Generatio Verbi eſt æterna, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te* u. Ea jugiter fit, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te* x. Filius qui gignitur in ſinu Patris, ab eo nunquam exit, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* y. Ibi vivit vitâ Patris, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem* z. Adoptio divina eſt æterna propter voluntatem æternam, quam habuit Deus, ſalvandi nos, *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te, miſerans* a. Idcircò ab æterno elegit Filium ſuum ut eſſet noſter Reparator, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in ipſum: ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio ſuo. In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus* b. Illa continuatur, quia ſicut conſervatio eſt continuata creatio, ita Deus conſervans nos in gratiâ, aut eam nobis reparans, cùm illam amiſimus, idem agit ac ſi illam nobis tribueret momentis ſingulis. Tandem, Chriſtianus eſt in Deo, *Ego ſum in Patre, & vos in me, & ego in vobis* c. Et debet eſſe in Eccleſiâ, & vivere eâdem vitâ, quâ Eccleſia vivit. Vita Eccleſiæ eſt fides. *Quia juſtus ex fide vivit* d. Et alitur ſubſtantia ejus, quæ eſt Corpus Jeſu Chriſti dicentis, *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo* e. Omnis fidelis Chriſtianus, qui eſt filius Dei, debet vivere fide,

u Pſ 109. 3

x Pſ. 2. 7

y Joan. 1. 18

z Joan. 6. 57

a Jer. 31. 3

b Epheſ. 1. 4. &c

c Joan. 14. 20

d Galat. 3. 11. ex Habac. 2. 4

e Joan. 6. 55. &c.

& ali

& ali ſubſtantiâ ſanctæ Eccleſiæ; cùm illi, qui ab eâ ſe ſeparant, non ſint filii ejus, & labantur in errorem & impietatem. Eccleſia eſt vulva fidelium, in quâ renaſcuntur *ex aquâ & Spiritu ſancto* f. Ubi autem *alienati ſunt à vulvâ, erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa* g, tunc non vivunt ſubſtantiâ Eccleſiæ, non communicantes orationibus, meritis, & Sacrificiis ejus.

f Joan. 3. 5
g Pſ. 57. 4

Secunda differentia quæ invenitur inter adoptionem humanam, & divinam eſt, quòd adoptio humana cauſatur ab indigentiâ, & ab amore propriis invigilante commodis aut ſatisfactionibus. Tres rationes inducebant Antiquos ad peragendas iſtas adoptiones. Aut quia non habebant liberos, aut quos ſuſceperant, malæ erant illi indolis, inobedientes & rebelles, qui non reddebant ipſis reverentiam, ad quam illos natura invitabat. Aut timebant ne illos perderent in bello; aut illis deſtituerentur aliquâ aliâ viâ. Ad hunc igitur contractum civilem inducebantur pangendum humanis reſpectibus: & licèt hæc adoptio fieret per amorem, erat ille amor proprius, qui intuebatur illum, qui eam faciebat, non verò adoptatum: re autem verâ quærebatur perfectiſſimus eorum omnium qui inveniri poterant, *Adoptio eſt actus legitimus naturam imitans, ad liberorum ſolatium inductus*, ait Theophilus b. Si autem adoptio iſta fuiſſet facta propter amorem adoptati, quæſitus fuiſſet ille qui ad maximam erat redactus indigentiam.

b Theophil. Inſtit. de Adoption. princip.

Amor hominum nunquam eſt purus: cùm amamus aliquem, ad amorem ejus ferimur quia obſervamus in eo aliquid, quod nobis deeſt; aut quoniam ſperamus ab illo aliquam haurire utilitatem; aut propter aliquod intentum nobis proficuum: ſic illi qui deſcendunt ad ſingulare certamen, vitamque ſuam in diſcrimen adducunt pro amicis ſuis, ſemetipſos magis amant quàm amicos ſuos, quia nihil illis tribuunt niſi utile, quandiu ipſi conciliant ſibi bonum honorabile, ſaltem ſecundùm maximas mundi, innocentiæ oppoſitas; iſtud autem bonum honorabile, eſt utili præferendum. Sic homo, qui alio indiget, innumera illi exhibet obſequia, conatur placere illi in omnibus; amor autem iſte provenit ex indigentiâ. Idcircò, Dominæ meæ, cùm amaſii veſtri dicent vobis, ſe magis vos amare quàm ſemetipſos, nolite credere eis, illud non eſt verum, imò verò nec poſſibile; ratio iſtius in promptu eſt, *Plantaverat Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio; in quo poſuit hominem, quem formaverat, Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* i. Tamen Adam *de fructu illius comédit* k, Suam prætulit ſatisfactionem Legi Divinæ, ſeipſum magis amavit quàm Deum: ſi autem homo ſe magis amat quàm Deum, cur non amabit ſe plùs quam creaturas?

i Gen. 2. 8 &c.
k Gen. 3. 6

Hanc veritatem tota probat Theologia, hanc afferens peccati definitionem, *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam.* Eam priùs enunciavit nobis Scriptura l, *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Illamque quotidiana confirmat experientia. Ecce uxor, quæ amiſit virum ſuum; in lacrymas erumpit ipſa: ſi autem velitis illam conſolari, reſpondet ſtatim ea, mortuum eſſe maritum ſuum, & ſe neſcire quid agendum ſit de liberis ſuis. Si verò dicatis ei, Deum curam illorum ſuſcepturum, reſpondebit illa, ſe impoſterùm nihili æſtimandam: ſic videtis eam flere non propter amorem viri ſui, ſed propter ſemetipſam; & ita verba illius non conveniunt ipſius fletibus. Eo non ſe gerit amor Dei modo, non adoptat nos præ neceſſitate aut indigentiâ, ſed præ purâ dilectione, Filium habet, *in quo benè* m *ipſe ſibi complacet*; qui *perfectus eſt* n ſicut & ipſe, & quem non veretur amittere; tamen elegit nos ut eſſemus filii ipſius quandiu ipſi inimici eramus, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem Filii ejus* o. Videte quantus ſit amor iſte.

l Jer. 8. 5. & 6

m Matth. 17. 5
n Matth. 5. 48
o Rom. 5 10

Tertia differentia inter adoptionem humanam & divinam eſt, quòd Filius Dei nobis iſtum procuret favorem, eumque nobis acquirat morte ſuâ; quod non accidit in adoptione humanâ: quis enim eſt filius, qui ſciens patrem ſuum velle adoptare alium in filium, non conaretur ſatagere ut talis adoptio in ſui diſpendium non fieret? Ratio iſtius eſt, quia mundi hæreditates ſunt limitatæ, & eas diminuit diviſio. Si videamus patrem, qui multas filio ſuo reliquerit divitias, ſtatim dicimus, eum ſummo filium iſtum amore proſecutum, cùm tantum impenderit laborem ad coacervandas illi opes. Hiſtoria autem recenſet de quodam Rege, quòd habens duodecim liberos, & veritus ne, ſi Regnum ſuum ſuis divideret liberis, portiones nimis forent exiles, propoſuit ſibi internecione delere undecim, ut primogenitus ipſius foret potentiſſimus; cui proptereà dedit nomen vitis; quaſi diceret, quòd ſicut tota ſubſtantia ſarmentorum unita eſt viti; ita omnia bona ſua eſſent coadunata in filio ſuo primogenito, erga quem tanto ducebatur affectu. Hæc ſævitia exercetur in Chriſtianiſmo: videbitis enim parentes, qui tres aut quatuor filios quaſi periment, ut unum impinguent, qui totidem filiabus veluti mortem inferent, ut in unam pinguedinem congerant: ſed illæ Religionem nolunt profiteri Monaſticam, illas invitas & reluctantes in monaſteria retrudunt: ſed profeſſæ Religionem, à perſeverando in eâ deficient, illamque ignominiosè deſerent per apoſtaſiâ probroſâ, aut ſaltem criminoſas fovebunt amicitias; Nihil intereſt, ita hoc exigunt negotia familiæ. Aliter ſentit Dei Filius quàm ſentiant homines, *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus* p. Quia ipſe procuravit nobis hoc beneficium, illudque nobis acquiſivit morte ſuâ, & pretio Sanguinis ſui, *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti* q. Sumus igitur filii ejus, & filii Dei, *Ecce ego, & pueri mei* r. Hic autem explicari debent verba, quæ Jeſu *Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* ſ. Salvator eſt Filius Dei viventis, nos verò ſumus filii Dei mortui, qui genuit nos per mortem ſuam in Cruce. Sumus nos filii Dei, communicamus virtuti ejus, debemus igitur operari conformiter ad excellentiam noſtri eſſe. Dicunt Philoſophi, quod *operari ſequitur eſſe.* Videmus, omnia entia agere juxta naturam ſuam, ficus v. g. non producit niſi ficus; niſi agamus conformiter ad gratiam, quæ eſt eſſe Chriſtiani, vereamur ne Deus agat more illius patrisfamilias, qui eùm à tribus

p Iſai. 55. 8
q 1. Petr. 1. 18. & 19
r Iſai. 8. 18
ſ Matth. 16 16

anni *quærens fructum in ficulneâ*, *non* inveniſſet,
Luc.13. 7.& 8 ſuccidendam *illam* t præcepit. Id eſt, ne Deus
morti imperet ut nos è medio tollat. Agricola
autem *reſpondens dixit illi*, *Domine, dimitte illam &*
u Dion. *hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam*
Carth. art. *ſtercora*. Dionyſius Carthuſianus u ait, quòd
35. in Luc. *præfatus vineæ cultor, videlicet chorus Apoſtolorum*
13.8 *reſpondens, dixit illi, videlicet Chriſto. Domine, di-*
mitte illam & hoc anno, hoc eſt, clementer differ hanc
ultionem, uſque dum fodiam circa illam, id eſt, oran-
do, docendo, exemplariterque vivendo, mentem populi
hujus ad ſuſcipiendam fidem, & gratiam tuam, ape-
riam, vel hoc facere vitar; & mittam ſtercora, id eſt,
per memoriam vitiorum ejus, eam ad humilitatem
& compunctionem inducam. Peccata enim ſunt ſter-
cora, quorum doloroſa recordatio ac deploratio cor-
dialis, agrum mentis impinguat atque fœcundat quem-
admodum fimus terram. Idipſum ego, qui mune-
re fungor Apoſtolico, efflagitabo à Deo, & ſpe-
ro quòd utilitatem capeſſetis è monitis meis,
x Luc. 3. 8 facietis *fructus dignos pœnitentiæ* x. *Et* unusquiſ-
que veſtrûm *erit tanquam lignum quod plantatum*
eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit
y Pſ.1.3 *in tempore ſuo* y.

Mundus non eſt portio Chriſtianorum, non eſt
illorum patria, ſed exilium, *Non enim habemus hic*
z Hebr.13. 14. ex *manentem civitatem, ſed futuram inquirimus* z. Non
Mich. 2. 10 eſt locus exilii illorum, ſed locus tranſitus eorũ,
Advena ego ſum apud te, & peregrinus a. Et ideò in
a Pſ.38.13 eo noſtros collocare non debemus affectus, *Reg-*
b Joan. 18.36 *num meum non eſt de hoc mundo* b. Dei Filius, qui
eſt *Pater noſter* c, hanc nos edocet veritatẽ: è con-
c Matth. 6.9 tra illi, qui quærunt mundum, qui vivunt juxta
ſeculi maximas, non ſequuntur ſpiritum Patris
ſui, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo*
ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in
d 1. Joan. 2.15 *eo* d. Si perſuadere contendam alicui mulieri
vanæ, ut abrenunciet vanitati ſuæ, reſpondebit
illa, ſe eſſe in mundo, & ideò vivendum ſibi ibi
ſecundùm mundum ejus. Dicitur de ſapiente
e 1. Cor. 3.19 mundano, cujus *ſapientia ſtultitia eſt apud Deum* e,
eum ſcire vivere ſecundùm mundum. Mavult
unusquiſque obedire mundo quàm Jeſu Chri-
ſto, qui præcipit nobis ut oderimus mundum,
& illius contemnamus maximas, *Nolite confor-*
f Rom. 12.2 *mari huic ſeculo* f. Non orat ipſe pro ſeculo, *Non*
† Joan. 17.9 *pro mundo rogo* †. Sed pro omnibus, imò verò
pro inimicis ſuis, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt*
* Luc. 23. 34 *quid faciunt* *. Cùm ſe effecerit Sacerdotem, &
Victimam ad expianda omnia hominum pec-
cata.

II. Pars Plures in ſe poſſidet Dei Filius qualitates, quæ
ad tria reduci poſſunt capita. Aliæ ſunt perſo-
nales. Aliæ ſunt eſſentiales. Et aliæ ſunt quali-
tates officii, aut dignitatis. Qualitates perſona-
les Jeſu Chriſti ſunt eæ quæ illi ita ſunt propriæ
ratione perſonæ ſuæ, ut nulli alii ex perſonis
Divinis SS. Trinitatis poſſit eas communicare,
g Joan. 1.18 ut qualitatem Filii g: licèt enim verum ſit, quòd
h Joan. 10. 30 Jeſus Chriſtus ſit Deus ſicut Pater h, non eſt ta-
men verum dicere, quòd Pater eſt Filius. Addi-
te huic qualitati Filii, virtutem producendi *Spi-*
i Joan. 15. 26 *ritum* i ſanctum in unitate principii ſeu volun-
tatis cum Patre æterno. Qualitates eſſentiales
k Pſ.103. 24 ſunt illæ, quæ deſumuntur ex parte naturæ, ut
l Iſai.6.3 Sapientia k ejus, ſanctitas l, juſtitia m, &c. iſtæ
m Pſ.118. 137 enim qualitates non ſunt ei ita propriæ, quin
n Galat. 4.4 ſint communes Patri & Spiritui ſancto. Qualita-
tes officii & dignitatis ſunt eæ, quas acquiſivit
o Jo 1. 17 *ubi venit plenitudo temporis* n per myſterium In-
p Act. 10. 42 carnationis, ut qualitas Legiſlatoris o, Judicis p,

Mediatoris r, & Pontificis ſ. Qualitatem cepit r 1. Tim. 2.5
ſummi Sacerdotis, ut purgaret peccata noſtra, & ſ Hebr. 7.26. & 27
eſſet Victima expiatrix omnium ſcelerum no-
ſtrorum, & redderet nos filios ſuos adoptivos
per gratiam, quam acquiſivit meritis ſuis.

Jeſus Chriſtus eſt igitur Sacerdos à ſuâ Nati-
vitate, imò verò & à Conceptione ſuâ, ut noſtris
ſubſerviat emolumentis, *Sacrificium & oblatio-* t Pſ.39.7. &c
nem noluiſti, &c, *Tunc dixi, Ecce venio* t, &c. Alii
Sacerdotes non ſunt tales niſi per vocationem,
Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à u Hebr. 5.
Deo tanquam Aaron u. Sic Domini Epiſcopi po- 4. ex E-
nunt in literis ſuis, *Dei gratiâ Epiſcopus*. Tandem, xod. 28.1.
Omnes Sacerdotes ſuam habent dignitatem à & ex 2.
miſericordiâ Dei; Deus enim debet illos voca- Par. 26.18
re. Illi verò qui liberos ſuos ad ſacerdotium aut
ad vitam monaſticam invitos compellunt, iſtud
ſeriò examinent; licet quidem illis Advocatos
facere, aut Medicos, ſed non ſervos Dei: Deus
enim reſervavit ſibi jus faciendi Sacerdotes. Je-
ſus Chriſtus conſecratus eſt Sacerdos in utero
Matris ſuæ, *Conceptum eſt de Spiritu ſancto* x. *Spiritus* x Eccleſia ex Matth. 1.18. & 20
Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me y. Alii
Sacerdotes non conſecrantur niſi ab hominibus, y Iſai.61.1
id eſt, à Dominis Epiſcopis z. Nec ipſe fuit un- z Joan.
ctus unctione creatâ, nec oleo ſenſibili, ut alii Sa- 20.22. &
cerdotes, ſed unctione Divinitatis præ aliis Sa- 23
cerdotibus, quia ipſe eſt ſummus Sacerdos, *Pro-*
ptereà unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſor-
tibus tuis a. Siccùm conſecrantur Papæ, applica- a Pſ.44. 8
tur unctio capiti eorum propter ſummum do-
minium ipſorum, quia illorum authoritas effun-
di debet ſuper alios: ſic Jeſus Chriſtus in unctio-
ne ſuâ recipit totam plenitudinem Dei, *Quia in*
ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corpo. ali-
ter b. Sicut enim *Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pa-* b Coloſſ. 2.9
ter ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam c: ſic c Epheſ. 1. 17. & 22
debebat ipſe ſuam ſuper miniſtros ſuos effunde-
re ſanctitatem. Sacerdotes veteris Legis conſe-
crabãtur variis unctionibus, Prima fiebat ad *ex-*
tremum auriculæ dextræ. Ad oſtendendam eorum
promptitudinem ad credendas res figuratas per
Legem. Secunda ad *pollicem manus ejus dextræ*. Ad
innuendam ſanctitatem vitæ ſignificatam polli-
ce, ſymbolo operationis. Tertia ad *pollicem ſimi-*
liter & pedis d. Ad notandam affectuum purita- d Levit. 8.23
tem, *Pes tuus affectio tua* e. Sicut enim pedes eò e S. Bern.
nos ferunt, quò volumus; ſic affectus accedere ſerm. 13.
nos faciunt ad objecta, quæ amamus. Prima & in Pſ. Qui
tertia iſtarum unctionum fuerũt abrogatæ. Pri- habitat
ma, quia habemus realitatem illius, cujus illi ſo-
lam habebant figuram. Tertia, quoniam *Deus fide*
corda f fidelium purificavit ab ipſorum pravis f Act. 15.9
affectibus. Secunda ſola ſubſiſtit. Sacerdotes ideò
unguntur in manibus per applicationem chriſ-
matis, quia ſuſcipiunt poteſtatem tractandi Cor-
poris Chriſti: proptereà ſingulis illorum dicitur,
cùm conſecrantur, *Accipe poteſtatem conficiendi in*
Eccleſiâ Corpus Chriſti.

Per hanc unctionem divinam, Dei Filius ſuſci-
pit charactêrem, qui ſociari non poteſt peccato,
quia totam recipit plenitudinem divinitatis &
ſanctitatis, quæ infinitè elongat ab eo omne ge-
nus peccati & criminis, *Talis enim decebat ut no-*
bis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegre-
gatus à peccatoribus g. Jeſus Chriſtus eſt *San-* g Hebr. 7.26
ctus ſegregatus à peccatoribus, non quoad converſa-
tionem ſuam, quia venerat ad dandam illi gra-
tiam ſuam, ad ſanctificandos eos Sanguine ſuo,
& reddendos illos filios ſuos adoptivos meritis
ſuis,

ſuis, ſemetipſum ſacrificando ut Victimam in-
nocentem ſuper altari Crucis, *Et enim hominibus*
b Baruch 3.38 *converſatus eſt* h. Venerat ipſe quæſitum ovem
perditam, & reductum eam in ovile, *Venit enim*
i Luc. 19. 10 *Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perie-*
rat i. Hæc conſideratio inducebat illum ad in-
eundum perſæpè commercium cum peccatori-
bus & publicanis, ut lucrarerur eos omnes, quia
k 2. Cor. 5.15 venit pro omnibus, *Et pro omnibus mortuus eſt Chri-*
ſtus k. *Erant autem appropinquantes ei publicani &*
l Luc. 15.1 *peccatores* l. Sed erat *ſegregatus à peccatoribus* per
affectum. Alii Sacerdotes hoc non potiuntur
privilegio ut ſint impeccabiles, character illo-
rum ſociari poteſt, & plerùmque ſociatur pecca-
to, *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus,*
pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum:
ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Qui condole-
re poſſit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipſe
circundatus eſt infirmitate: & propterea debet, quem-
admodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre
m Hebr. 5.1. &c *pro peccatis* m.

Hæc unctio divina Jeſu Chriſti efficit ut Sacer-
n Pſ. 109.4 dotium ejus ſit æternũ, *Tu es Sacerdos in æternũ* n.
Sacerdotium Presbyterorum noſtrorum termi-
natur in morte ipſorum, propterea tot ſunt in
mundo Sacerdotes: ſi enim illi eſſent immorta-
les, non ita multiplicarentur; & ideò ſummi Sa-
cerdotes alios eligunt, qui ipſis ſuccedant poſt
mortem ſuam, quia mors illos abripit, eiſque vi-
tam tollit, *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes,*
idcircò quòd morte prohiberentur permanere: Hic au-
tem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet
o Hebr. 7.23 *Sacerdotium* o. Sed dici non poteſt, quòd quis
ſucceſſerit Jeſu Chriſto, quia ſucceſſio ſupponit
mortem illius cui ſuccéditur, Jeſus Chriſtus au-
tem vivit jugiter, & ideò ſolos habet Vicarios &
diſpenſatores bonorum ſuorum: poteſt quidẽ di-
ci, quòd Papæ ſint ſucceſſores S. Petri, non autem
quòd S. Petrus fuerit ſucceſſor Jeſu Chriſti, quia
Jeſus Chriſtus vivit & vivet vitâ æternâ; ſed dici-
tur S. Petrus eſſe Vicarius Jeſu Chriſti, *Sic nos e-*
xiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores
p 1. Tim. 4.1 *myſteriorum Dei* p.

Per hanc unctionem divinã Jeſus Chriſtus non
ſolùm eſt Sacerdos, & Victima expiatrix noſtro-
rum criminũ ad reddẽdos nos filios ſuos adopti-
vos per gratiam ſuam, quẽ ſuo nobis eſt adeptus
Sanguine, ſed etiam Deus, cui offertur Sacrificiũ.
In eo ipſe eſt dans, ſuſcipiens, & res oblata; cùm
enim ſuum obtulit Sacrificium ad mitigandam
juſtitiã Patris ſui exacerbati contra crimina ho-
minum, illud obtulit ſibimetipſi, quia ipſe Deus
eſt ut Pater ſuus, & Sacerdotium ejus repræſen-
tat myſterium SS. Trinitatis: licèt enim in eâ ſit
diſtinctio perſonarum, in illa tamẽ eſt una & ea-
q 1. Joan. 5.7 dem natura q: ita in Chriſto quàmvis ille qui of-
fert, ille qui recipit, & res oblata differant, hæc
omnia tamẽ in eâdem inveniuntur perſonâ. Idñ
nihilominùs peragere nõ poſſũt Sacerdotes; cùm
enim ſua Deo offerre volũt Sacrificia, & Miſſam
celebrare, tenentur quærere hoſtiã extra ſemet-
ipſos, panem & vinum, conſecrandum iſtud in
Sanguinem, & illum in Corpus Chriſti, & totam
ſuam ſuſcipiunt ſanctitatem ab hoſtiâ, quam cõ-
ſecrant; cùm Chriſtus ſuam non recipiat ſancti-
tatem ab Hoſtiâ, ſed ipſemet illam det, & ſuam
communicet ſanctitatem Humanitati ſuæ, per
unionem quam habet cum humanitate.

Jeſus Chriſtus ut ſummus Sacerdos, erat Hoſtia
ſancta & innocẽs, ſed etiã erat Victima crimino-
ſa apparenter. Hoc effatum videbitur vobis para-
doxum, Auditores: ſed tamen eſt veriſſimum. Ut
autẽ illud concipiatis, obſervare, ſi placet, quòd
omnes victimæ, quæ offerebãtur aliàs, has habe-
re debuerint qualitates, innocẽtis, & criminoſæ.
Victima debebat eſſe innocens ſuo modo, id eſt, *r* Levit. 1.10
immaculata, *Maſculũ abſque macula offeret* r. Præ-
tereà, debebat illa eſſe criminoſa, quia offereba-
tur *pro peccatis* ſ. Jeſus Chriſtus iſtas præ ſe tulit *ſ* Levit. 4.3
qualitates Victimæ innocentis, & criminoſæ. In-
nocentis. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt do-*
lus in ore ejus t. Eccleſia repræſentat nobis innocẽ- *t* 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53.9
tiã ejus in Sacrificio Miſſæ, quæ eſt repræſentatio
ſeu potiùs cõtinuatio Sacrificii oblati in Cruce:
Sacerdos enim, qui repræſentat Jeſum Chriſtum
ſummũ Sacerdotẽ, ait Deo unà cũm populo, *Iu-*
dica me Deus, & diſcerne cauſã meã de gente non ſan-
ctâ u. Eccleſia ab ipſo Miſſæ vel introitu declerat *u* Pſ. 42.1
Chriſtum non pro delictis ſuis, quæ nulla erant,
ſed pro peccatis populi mortuũ eſſe: ideò Sacer-
dos ait, *Confiteor, quia peccavi nimis, &c.* proteſtans
his verbis, peccata hominum invexiſſe mortẽ in
Jeſum Chriſtũ. Fuit etiã Victima criminoſa, quia
poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium noſtrûm x. Et *x* Iſai. 53.6
ut nos ſanctificaret, & nos per gratiam ſuam fi-
lios ſuos adoptivos redderet, oportuit ut ſuam
nobis communicaverit innocentiam, *Eum qui*
non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut *y* 2. Cor. 5.21
nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo y. *Id eſt Sacrifi-*
cium pro peccatis factus eſt z. *z* S. Aug. ſerm. 48. de Verb. Dom. c. 4

In Lege veteri quadruplex erat Sacrificium.
Propitiationis a, ad mitigandẽ irã Dei, cùm quis *a* Levit. 23. 27. & 28
peccaverat. Pacificationis, ad ſe reconciliandum
Deo poſt peccatum *b*. Impetrationis *c*, ad obtinẽ-
das gratias à Deo. Et holocauſti †, in quo animal,
quod ſacrificabatur, flammis conſumebatur. Sa- *b* Levit. 3.1
crificium, quod Jeſus Chriſtus obtulit ſuiipſius, *c* Num. 15. 27. & 28
perfectius fuit iſtis omnibus, cùm meliùs ſatisfe- † Levit. 1.3
cerit fini, propter quẽ illa inſtituta fuerant quàm
illa omnia. Jeſus Chriſtus fuit ſacrificium propi-
tiationis, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non*
pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi d. *d* 1. Joan. 2.2
Pacificationis, *Pacificans per Sanguinem Crucis e-*
jus ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt e. Impe- *e* Coloſſ. 1.20
trationis, ſeu gratiarum actionis, *Sacrificium lau-*
dis honorificabit me f. *Deo autem gratias, qui dedit*
nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chri- *f* Pſ. 49.23
ſtum g. Tandem, holocauſti, cùm ſe conſumpſerit *g* 1. Cor. 15.57
in Cruce, igne amoris ſui, *Conſummatum eſt* h. *h* Joan. 19.30

Jeſus Chriſtus igitur eſt Sacerdos. Officium
Sacerdotum ad plures extenditur effectus. Pri-
mò enim orare debent pro populo; ſic Eccleſia
ſancta ſua diebus ſingulis perſolvit Officia. Me-
diatores eſſe debent inter Deum & populum, &
iſti gratiam divinam impetrare. Adminiſtrare
debent Sacramenta i, præcipuè autem poteſta- *i* Matth. 16.19
tem habent conſecrandi Corporis & Sanguinis
Jeſu Chriſti *k*. Atqui licèt poteſtas noſtra ſit ma- *k* 1. Cor. 11. 24. & 25
gna, magnos etiam habet defectus; non enim eſt
abſoluta, ſed dependens, & alligata quibuſdam
verbis, quæ eam limitant: v.g poteſtas, quam Sa-
cerdotes habẽt conſecrandi Corporis & San-
guinis Jeſu Chriſti, eſt iſtis annexa verbis, *Hoc eſt*
Corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei l. &c. *l* Eccleſia ex Matth. 26. 26. & 28
Nec illis licet ea mutare, aut aliis uti verbis
niſi iſtis, quæ Chriſtus, & Sponſa ipſius Ec-
cleſia ſancta inſtituerunt: ſed non ſic de po-
teſtate Jeſu Chriſti; non eſt illa verbis alli-
gata, ſed alia poteſt verba inſumere, ſi velit,
& eo modo quo ipſi placuerit, ut cùm Magdale-
næ *dixit, Remittentur tibi peccata* m. Sic poteſtas, *m* Luc. 7.48
quam habent Sacerdotes abſolvendi à peccatis,

quatuor eſt alligata conditionibus, quarum una ſpectat Sacerdotem, tres verò cæteræ pœnitentem reſpiciunt. Prima dependentia poteſtatis Sacerdotis eſt, quòd illa ſit his annexa verbis, *Ego te abſolvo*. Secunda, quæ eſt prima intuitu pœnitentis, eſt, quòd illa ſupponat contritionem *n* [n Ezech. 18.21], aut ſaltem attritionem. Tertia, quæ eſt ſecunda reſpectu pœnitentis, eſt, quòd illa ſupponit declarationem peccatorum *o* [o Jacob. 5.16]: Sacerdos enim intima conſcientiæ pervadere non poteſt ſecreta. Quarta tandem, quæ tertia eſt quoad pœnitentē eſt, quòd oporteat ut firmiter proponat in bonam emendatæ vitę ſeſe frugem recipere *p* [p Ezech. 18.21] pœnitens, declinare *à malo, & bonum q* [q Pſ. 36.27] facere, & omnes perpetrandi mali occaſiones evitare *r* [r Pſ. 118, 29]. Atqui nō eſt idem de poteſtate Chriſti, quæ nullam ſupponit peccatorum declarationem, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes ſ* [ſ Jer. 17.10]. Et ipſe meliùs cognoſcit nos, quàm nos noverimus noſmetipſos. Non ſupponit contritionem, aut attritionem: ipſe enim producit eam in corde hominis pœnitentis, quem reddere vult filium ſuum adoptivum per gratiam ſuam, *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus t* [t Rom. 8.26]. *Id eſt, poſtulantes nos efficit verè ſalubria ſuſpiria tam exceſſiva pro adeptione cœleſtis paradiſi, ut plenè nequeant explicari u* [u Dion. Carth. art. 22. in Rō. 8.26]. Sacerdos poteſt quidem abſolvere pœnitentem, ſed non poteſt eum convertere; non eſt hoc effectū naturæ, ſed gratiæ: nec ſupponit voluntatē non ampliùs offendendi Deum, propter eandem rationē; Deus enim eam dat, *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate x* [x Philipp. 2.13]. Duæ ſunt autem in Sacerdote conditiones miſeratione dignæ: nullā enim dare poteſt pœnitētiam, aut propter ignorantiam, aut ob impotentiam. Propter ignorantiam, quia non cognoſcit naturā peccatorum, quorū ita tegitur & excuſatur à peccatoribus confitentibus gravitas, ut vix eorū malitia agnoſci poſſit. non poteſt etiam pœnitentiā imponere propter impotentiam, quia pœnitēs non ſe ſubmittit directioni Confeſſarii, ſed ipſe ad ſuum pœnitentiam vult eligere beneplacitō. Neceſſarium eſt igitur ut benè explicētur peccata, ot ſatisfiat Confeſſioni; ea autem ritè non poſſunt explicari, niſi Deus luce nos illuminet ſupernaturali, ideòq; orandus eſt ſic, *Emitte lucem tuā, & veritatem tuam y* [y Pſ. 42.3]. Quâ ipſe noſtra cognoſcit peccata, vel quâ nobis ea eſt manifeſtaturus ipſo noſtræ mortis articulo, quo peccata noſtra, licèt nobis videantur levia, apparebunt nobis graviſſima interventu hujus lucis, quæ nobis intuendā exhibebit malitiam noſtram. Oportet igitur firmiter proponere nullum unquam voluntariè reticere peccatū, aut illud omittere præ oblivione, vel defectu examinis: examinanda eſt conſcientia quandiu opus erit, juxta tempus quod elapſum fuerit à præviâ Confeſſione peractâ, non imirando eos, qui poſtquàm plures annos tranſegerunt inconfeſſi, ſimplici intuitu autumant ſe propriam conſcientiam diſcuſſiſſe: ſed ſciant illi quòd ſi aliquod peccatum omittant, hæc omiſſio reputabitur illis ut voluntaria. Prætereà, Petenda eſt participatio confuſionis, quâ opertus eſt Dei Filius propter peccata noſtra, ratione cujus *factus eſt ſudor ejus ſicut gutta Sanguinis decurrentis in terram z* [z Luc. 22. 44], præ ſolâ vel illius confuſionis repræſentatione. Dei Filius *attritus eſt propter ſcelera noſtra a* [a Iſa. 53.5]. Non ſolùm autem ob peccata omnium hominum in genere, ſed etiam pro criminibus uniuſcujuſque in ſpecie. Conſiderans *Ioſeph* afflictionem fratrum ſuorū, qui ipſum vendiderant, *ploravit ſuper ſingulos b* [b Gen. 45. 15]. Jeſus Chriſtus *cum lacrymis c* [c Hebr. 5.7] doluit pro peccatis, non tantùm omnium generaliter, ſed & pro ſceleribus ſingulorum. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno d* [d Hebr. 4.16]. Cujus beneficio, filii Dei adoptivi effecti, perveniamus ad gloriam.

FERIA V. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16.22. &c.

RE quidem verâ habent unde formident jure merito divites, cùm loquendum ſit nobis de divite, ſed malo divite, in quem invehemur, quippe qui *induebatur purpurâ & byſſo; & epulabatur quotidiè ſplendidè*. Et licèt deliciis diffluerat, & totus eſſet immerſus voluptatibus, non dignabatur tamen ſublevare miſeriam Lazari mendici præ foribus ipſius, fame pereuntis, æquè ac frigore, *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat*. Propterea vocem audio illius clamantis, *Crucior in hâc flammâ*. Et ideò concupiſcens ſcire rationem, propter quam inducitur iſte infelix ad inclamandum ſic voce contentâ, nullam aliam invenio niſi quia *erat dives*. Sed *dives in exterioribus, pauper in animâ, quia virtutibus carens*, ait Dionyſius Carthuſianus *a* [a Dion. Carth. art. 39. in Luc. 16.19]. Sed malus *dives*, qui nullo modo miſeriæ compatiebatur alienæ. Lege autem cavetur, *Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam b* [b Jacob. 2.13]. Quod ſic exponit ad propoſitum noſtrum idem Carthuſianus *c* [c Dion. Carth. art. 2. in Jacob. 2.13], *Iudicium ſine miſericordia fiet à Deo illi homini, qui non fecerit miſericordiam proximis ſuis in vitâ præſenti, antequàm tribunali præſentetur divino. Quemadmodum enim beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur d* [d ex Matth. 5.7]: *ſic infelices ſunt immiſericordes, quoniam miſericordiam non obtinebunt, ſed juſtè ac terribiliter damnabuntur. Quemadmodum dives epulo, qui miſereri noluit Lazaro*. Intereà dirigamus preces noſtras ad Matrem miſericordiæ, dicentes ei, *Ave Maria*.

Plato cognomento divinus, in commentis ſuis præclaras nos edocet veritates. Intendens igitur præ noſtræ mentis oculis ponere ideam ſummæ bonitatis Dei, illam in triplicem dividit ſtatum, in ſupremum, in medium, & in terminum. Principium eſt Deus. Medium, quod vocat ideam, eſt veluti concha, in qua hujuſmodi idea ſuſcipitur. Et terminus ſunt creaturæ. Summa bonitas manet in Deo, quæ ſuam habet originem ab ipſo in intellectu Patris, qui eſt illius principium. Medium quod illam ſuſcipit, eſt Verbum ejus, quod eſt veluti concha, in qua ipſa recipitur, & inde effunditur ad creaturas. Sed quis futurus eſt terminus bonitatis ipſius? Pater igitur ut primum *Principium e* [e Apoc. 1.8] producens, omnes ſuas Filio ſuo communicat perfectiones, tribuit ei omne quod ipſe habet: & licèt, juxta Theologos non præbeat ei paternitatem ſuam:

in

In eum tamen totam ſuam effundit naturam, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* f. Filius genitus habet omnes perfectiones Patris ſui, eſt illi coæqualis, conſubſtantialis, *Ego & Pater unum ſumus* g. Filius & Pater eodem principio unicæ voluntatis ſemetipſos mutuâ diligentes charitate, producunt *Spiritum* h ſanctum, qui in Trinitate ſanctiſſima eſt terminus dilectionis iſtius. Pater eſt ſumma *Bonitas* i independens: Filius eſt concha bonitatis iſtius. & Spiritus ſanctus eſt illius terminus: ſicut enim eſt interior communicatio iſta, duas alias excellentes fecit Deus communicationes. Una eſt infinita, nimirum creatio, cùm Deus operatus eſt ſuper nihilum, educens omnia entia è chao; ad operandam hanc creationem requirebatur potentia infinita, qualis erat potentia Dei, quæ ſuper nihilum Sermone ſuo operata eſt, *Verbo Domini cœli firmati ſunt* k. Secundam peregit communicationem ad extrà, *ubi venit plenitudo temporis* l, in Incarnatione, in qua *fecit potentiam in brachio ſuo* m. Communicatio creationis eſt infinita; ſed communicatio Incarnationis eſt infinitè infinita, cùm ad eam operandam tot fuerint inſumpta miracula, cùm Virgo facta fuerit Genitrix n, Æternus o factus fuerit temporalis, Impaſſibilis p evaſerit paſſibilis; & *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* q, *pro omnibus mortuus* r ſit: Deus homo effectus fuerit, Chriſto ſe communicaverit, & per illum omnibus hominibus: Hæc prima *Bonitas* eſt independens: ut enim cauſa ſit independens ab effectu ſuo, oportet ut effectus non aſſimiletur ei in genere, nec in ſpecie Deus igitur eſt prima *Bonitas*; Filius illius eſt concha; & Spiritus S. terminus. Ad extrà Deus eſt prima *Bonitas*, ſumma & independens, Filius ejus Jeſus Chriſtus eſt concha, & creaturæ ſunt terminus. Ex hac idea primæ Bonitatis quæ infinitè ſe cõmunicat ad intrà in operationibus ſeu proceſſionibus Divinarum perſonarũ, & ad extrà in productione creaturarum, æquè ac in Incarnatione Filii Dei, educo ideam boni & mali divitis; ſeu divitis liberalis, & divitis avari, quam examinabimus in progreſſu diſcurſus iſtius.

f Pſ. 2. 7.
g Jo. 10. 30
h Jo. 15. 26.
i 4. Eſdr. 8 36.
k Pſ. 32. 6
l Galat. 4. 4
m Luc. 1. 51.
n Matt. 1.
o 8, &c.
o Dan. 13. 42.
p Pſ. 90. 10
q 1. Pet. 2. 22. ex Iſa. 53. 9
r 2. Cor. 5. 15.
Propoſitio

Etiamſi Theologi doceant, Patrem æternum non communicare paternitatem ſuam Filio ſuo, quia hæc paternitas eſt qualitas notionalis, tamen Pater dat iſti Filio totum id quod ipſe habet, ut jam dixi: & Pater & Filius ſuam mutuam communicant Spiritui ſancto dilectionem. Hàc fultus ideâ dico, quòd bonus dives repræſentat Patrem æternum, qui eſt origo bonitatis; crumena ejus eſt veluti concha; & egenus, terminus: ſi enim bonus dives habet bona, ea ſibi non reſervat, ſed ea communicat pauperibus qui ſuſcipiunt liberalitates ejus, qui ſunt terminus manuum ejus; ſi verò crumena illius, quæ eſt concha, plena eſt, exhauritur illa inter eorum manus, nec opes habet bonus dives niſi ad ſublevandas & conſolandas illorum miſerias. Bonus dives imitatur Deum, hanc ſupremam Bonitatem, creator eſt, ſuper nihilum egeni operatur, illum educit è pulvere, replet vacuum, ſupremum agit dominium, cùm pauperem liberet ab infirmitatibus ac languoribus ipſius. Legiſlator eſt, cùm leges imponat in favorem pauperis, ſua diſtribuendo eis commoda. Quin imò dico cum S. Gregorio Nazianzeno ſ, eum eſſe veluti Deum pauperum, conformem ſe reddendo miſericordiæ Dei, *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando*. Et ut ſit efficitur pater Jeſu Chriſti, qui ait, *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* t. Qui alit pauperes, nutrit Jeſum Chriſtum, pater illius eſt, quia, juxta aliquod ethimon, pater dicitur à paſcendo: ideò bonus dives & liberalis participat hanc qualitatem bonitatis cum Patre æterno, & ſimilis Deo efficitur.

ſ S. Greg. Naz. orat. 16. de Pauperum Amore; citat à Gratiar. 3. p. de orat. & Medit. tract. 3. de Eleemoſ. §. 1.
t Matth. 25. 40.

Bonus dives imitatur totius liberalitatem naturæ. Obſervate enim, ſi placet, quòd omne id, quod eſt in natura, eſt inſtitutum ad peragendas communicationes & profuſiones. Tandem, Quidquid eſt in natura, factum eſt ad tribuendum. Terra aperit ſe fructibus, æquè ac ſe ornat floribus, producit id omne, quod nobis eſt utile, & neceſſarium, ſive quoad alimentum, ſive quantùm ad oblectamentum, iſtud omne nobis illa communicat: ſi verò ipſa aurum in intimis ſuis recondit penetralibus, ideò quia illud non exiſtimat ipſa bonum neceſſarium; nos verò immites viſcera perfodimus matris noſtræ, ferro, & chalybe, ut inde eruamus metallum iſtud, quod veneramur non ſecus ac idolum. Mare nobis ſubminiſtrat corallium, conchas unionum matres, commerciis ineundis ſe exhibet accommodum, ut communicare cum regionibus poſſimus remotiſſimis; beneficio illius, nationum exterarum participamus commoda & utilitates, piſcibus eſt fertile ad nos alendos, irrigat fontibus & fluviis, quos mittit, ariditatem terræ, ut noſtros refrigeret ardores. Ignis eſt coquus, quippe qui noſtros coquit cibos. Et aër communis eſt omnibus, & licèt hoc infelici ſeculo rebus ferè omnibus tributa fuerint impoſita, nullum tamen eſt impoſitum aëri vectigal; ſed indiſcriminatim & gratis communicatur omnibus. Cœlum eſt liberale; aſtra ſuaviſſimas ſuas ad nos mittunt influentias, omnia facta ſunt in natura ad effundendum. Bonus dives ſe conformat liberalitati naturæ totius, nihil habet penes ſe quod ipſe non communicet; omne quod ipſe habet, impendit ipſe ad ſublevandas egenorum inopias, & ad conſolandas illorum afflictiones, univerſa adhibet elementa in favorem illorum, ut refertur de S. Elizabeth Regina Hungariæ, quæ magnum & amplum perhibetur ædificandum ſategiſſe xenodochium, in eoque miniſtraſſe pauperibus, & crumenâ ſuâ, & corde ſuo, & ideò in illud totam congregaſſe naturam, & univerſa coacervaſſe elementa: recenſetur enim magnificum illud xenodochium conſtructum fuiſſe in ſpecioſa planitie; in qua ſaluberrimus erat aër, & ægris infirmorum pulmonibus ipſum reſpirantibus valdè accommodus, æquè ac ſanis, & in ſanitatem reſtitutis priſtinam proficuus; in eo erat ignis, quippe quod in media ſitum eſſet ſylva fovendo igni maximè opportuna; in eo erat terra, cùm ibi eſſet magnum, vaſtum, & prædives dominium; in illo tandem erat aqua, cùm in illo eſſet rivus, qui ipſum pertranſibat medium ad illud refrigerandum: ibi erat habitatio ſanis accommoda, & domicilium infirmis opportunum, ut innueretur, quòd hæc Regina nulli rei pepercisſet ad invigilandum pauperum & egenorum commodis: idem dicendum de domo boni divitis; domus ejus, eſt receptus pauperum; ignis illius, eſt ignis qui illos calefacit; cella vinaria illius, eorum ſitim explet, vinum illius, eos lætificat; terra ejus, illis fructus producit. Quàm felix eſt bonus dives imitari bonitatem Dei, libera-

beralitatem naturæ, & induſtriam artium, cùm hæc omnia ad dandum ſint inſtituta?

Inter exquiſitiſſima artis ſecreta quis non admirabitur ferè Divinam typographiæ induſtriam? Unicus mortuus plures loqui facit viventes. Quid autem ageretur, ſi hâc deſtituti foremus arte? Scripta non haberemus penes nos Platonis, Ariſtotelis, Senecæ, SS. Bonaventuræ & Thomæ, & tot eximiorum & ſanctorum Virorum, quæ noſtras adornant æquè ac componunt bibliothecas. Hæc autem ars hanc proficuam communicat nobis prærogativam. Præterea, Habemus artificium horologii ita myſterioſi ut cœlum moderetur, Solem ſequatur, & inceſſum nos edoceat magni iſtius mundi luminaris, eò uſque ut Indi autumaverint illud fuiſſe animal, eique ideò herbas obtulerint comedendas, quaſi fuiſſet vivens, nullo valentes concipere modo, quâ ratione in eo moverentur libramen, rota motus, rota compuli, axis, & momenta ſeu pondera, & quo pacto pulſarentur horæ, quandiu diſſolverentur rotæ. Tandem, Omnes artes noſtris inſerviunt neceſſitatibus: aliæ ad nos induendos, aliæ ad nos calceandos conducunt; omnes ſunt propter uſus noſtros & ob utilitates noſtras, univerſa induſtria nobis eſt proficua; habemus artem cæmentariam, quæ nobis domos fabricat arcendis aëris injuriis accommodas, & oblectandis nobis æquè inſervientes; imò verò nec deeſt nobis fuſura, quâ funduntur tormenta bellica quæ terrorem noſtris incutiunt hoſtibus, & ab eorum nos tuentur inſultationibus, quandiu conatus & impetus illorum in nos irruentium retundunt, & vires eorum infirmant. Bonus dives omnium participat induſtriam artium: intellectus ejus eſt ſimilis Deo Patri, memoria ejus Filio, & voluntas ejus Spiritui ſancto: intellectus ejus eſt fœcundus, fertilis, dives, abundans, liberalis ad ſe communicandum; memoria ejus eſt veluti concha quæ ſuſcipit, eique ſemper etiam ſubminiſtrat recordationem, ut aliquos in crumena ſua collocet denarios ad ſublevandas pauperum miſerias & calamitates erogandos; & voluntas illius eſt tota affectu & amore plena ad illos egenis largiendos. Dives igitur communicat bonitati Dei, participat naturæ totius liberalitatem, & univerſarum induſtriam artium. Sed ſi bonus dives liberalitate ſuâ hæc omnia peragit; malus dives vice verſâ injurioſus eſt avaritiâ ſuâ liberalitati Dei, & adverſatur communicationi primæ iſtius & ſupremæ Bonitatis, cui proprium eſt ſe communicare, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui* o. Sic malus dives & avarus, qualis eſt *dives* Evangelii noſtri, omnia ſervat ſibi, nedum aliquid eorum pauperibus communicet: adverſatur liberalitati totius naturæ, cùm in ea univerſa ſint facta ad largiendum: participare non debet induſtriam artium, cùm avarus ſit adversùs pauperes, & prodigus quoad illa quæ ipſum ſpectant. Et in hoc *dives* noſter eò reprehenſibilior eſt, quò unicum duntaxat habebat reficiendum & paſcendum mendicum, *Erat quidam*. Non poterat igitur hic impius ſævitiam ſuam ſpecioſâ multitudinis egenorum paſcendorum excuſatione prætexere, cùm in tota civitate unicus eſſet egenus ſublevandus. Dicere non poterat ſe non cognoviſſe eum, & neſciiſſe quiſnam eſſet. *Nomine Lazarus*. Nec conſequenter dicere, ſicut dicebat de Davide Nabal, qui creditur ab aliquibus fuiſſe iſte epulo, ut recenſet Dionyſius Carthuſianus x, *Non dicitur*, *quòd ſit parabola, ideò communiter dicunt Expoſiteres quòd ſit res geſta putantque aliqui, quòd iſte fuit Nabal, de quo in Libris Regum habetur.* Non poterat igitur, inquam, dicere ſicut tunc *reſpondens Nabal pueris David, ait, Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai* y? Cùm proprio vocetur *nomine Lazarus*. Reſpondere valebat hic ſceleſtus, quòd ſe abſconditum teneret hic egenus. Nequaquam. *Erat mendicus*. Ille eſt mendicus, qui oſtiatim ſtipem deprecatur, qui contentâ voce inclamat, qui efflagitat, ut Lazarus ab hoc eodem divite, Miſerere mei, tuere vitam meam eleemoſynâ.

o S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4.

x Dion. Carth. art. 39. in Luc. 16. 39.

y 1 Reg. 25. 10.

Pauper poteſt eſſe ſecretus, quales ſunt aliqui in civitate veſtra, inſtar maris eſt iſtis ſubveniendum, id eſt, effundendæ ſunt in eos eleemoſynæ per canales ſecretos; aliis verò, ſeu mendicis eroganda eſt miſericordia, ſi non corporea, ſaltem ſpiritualis, quam Deus majoris æſtimat, rudibus illos non excipiendo verbis. Heu! neſcitis quidnam ſit ac eſſe pauperes: ideòque miſeriæ compatientes alienæ, dicere poteritis huic mendico, Amice mi, non poſſum tibi ſuccurrere, libenti animo eleemoſynam tibi erogarem: & ſtatim revertentes ſupra vosmetipſos, dicere intra vos, Ha quænam obſequia exhibuimus Deo magis quam egenus iſte, propter quæ præ tanta ſuos nobis communicaverit favores abundantiâ? non autem more divitis iſtius mali, qui ſuas claudebat aures, ne audiret vocem Lazari, ſicut perhibetur deinceps feciſſe quidam dives malus & avarus, qui, cùm ab ipſo efflagitabant egeni eleemoſynam, ſibi aures obturabat, ne clamores illorum audiret ſibi importunos; Domine, propter amorem Dei, exerce erga me charitatem, At ille claudebat auditum. Heu! Domine, ob amorem Virginis Deiparæ, miſerere mei. Sed avarus hic immiſericors, manus ſuas auribus ſuis applicabat, ne preces illorum exaudiret. Quid accidit? Cùm mortuus eſſet, & in feretro extenſus, elatus eſſet in Eccleſiam, & Sacerdotes concinere cœpiſſent, *Requiem æternam*, &c. confeſtim Crucifixus brachia ſua è Cruce diſſolvens, ſibi aures manibus obturavit, Quaſi diceret eis, *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam* z. Nullas præbebo vobis aures, ſicut impius iſte nullas habuit erga proximum ſuum aures.

z. Iſai. 1. 15

Sed fortaſſis quòd *Lazarus* vegetâ valetudine vigebat, quali potiuntur induſtrii illi mendici civitatum præ noſtrorum foribus ſtantes templorum, & quòd *dives* licitè illi dicere poterat, Otioſe, utquid non laboras? quare vitam tuam operâ tuâ fovere non ſatagis? *Iacebat ad januam ejus, ulceribus plenus.* Ita ut quaſi dici poſſet de eo, *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens: non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo* a. Plagæ ejus erant veluti totidem linguæ miſericordiam inclamantes in favorem ipſius, ut ait S. Chryſologus b, *Deus, quia obduratis auribus eorum non erat vox clamantis, ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo paupere tot eſſent pauperis ora, quot vulnera*. Non erat remotus *Lazarus*, *jacebat ad januam ejus*. Qui tranſire non poterat quin eum videret, ut eſſet penitus inexcuſabilis. Dicetis forſan, quòd ſtipem non efflagitaret, *Erat cupiens ſaturari de micis*. Fortè importunus erat, & optimas expoſcebat eſcas. Nequaquam. *De mire provideri ſibi duntaxat voluiſſet.* Fortaſſe

a Iſai. 1. 6.

b S. Chryſol. ſerm. 121.

Domi-

Dominus volebat ſaltem hujuſmodi *de micis* Lazaro ſatisfaciendum, & nolebant ſervi. Non. *Et nemo illi dabat.* Qualis eſt Dominus, tales ſunt ordinariè famuli. In domo Abrahæ, quia Dominus erat charitativus, ſervi ipſius, quos numerat Scriptura *trecentos decem & octo* c, eidem communicabant charitati; nam cùm *apparuerunt ei tres viri, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui; ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum; deditque puero qui feſtinavit, & coxit illum* d. In hac verò domo Dominus eſt charitatis expers, ſervi illius pariter ſunt immiſericordes, *Et nemo illi dabat.*

c Gen. 14. 14.

d Gen. 18. 2. & 7.

S. Chryſologus e ait, hunc Lazarum fuiſſe veluti continuum malleum ferreum, qui, quotiescumque ipſe videbat hunc divitem immiſericordem, pulſabat cor illius æneum ad illud emolliendum; aut ſicut officinam, in qua emolliretur durities hujus chalybis, *Quem Deus humana ſalutis avidus inquiſitor emollire cupiens, non tam Lazarum, quam ipſum pietatis conflatorium, ejus projecit ad januam: conflatorium dixi, propter ferrea viſcera.* Et eundem Lazarum ulcerum ſanie ſcatentem, quoad corpus ſuum fuiſſe quaſi tragœdiam, *Tota pauperis caro componitur in ſcenam pietatis.* Sicut autem tragœdiarum, ſeu potiùs comœdiarum aliæ ad riſus & ad cachinnos movent, aliæ ad lacrymas excitant, aliæ ad iram invitant, aliæ verò ad compaſſionem cient, hæc ad pietatem & ad miſericordiam inducebat. At cor iſtud æneum nunquam miſericordiâ potuit commoveri, *Sed & canes veniebant.* Quaſi viderentur velle eum devorare, ſed quodam naturali compaſſionis inſtinctu ducti, quaſi lectionem & improperium facturi Domino ſuo immiſericordi, *lingebant ulcera ejus.* Super quod idem S. Chryſologus in hunc divitem epulonem invehitur verbis his acribus, *Miniores te canes tui, imò tu ſævior canibus tuis: nam te ſæviente, illi parcunt, qui non ad morſum dentes, ſed linguas ad obſequium ſic producunt, ut in modum ſpongiæ non vexent vulnera, ſed detergant: canes curant pauperem magiſterio naturæ, & homo hominem negligit ipſâ accuſante naturâ.* Illæ beſtiæ accuſabunt eum, & deponent adverſùs eum: & ſicut aliàs Martyribus expoſitis rabiei luporum, tigridum, & leonum, hæc animalia ſuum deſeruerunt cor, ut cor hominis caperent; ſic homines reliquerunt cor hominis, ut beſtiarum cor ſumerent. *Infeliciſſime hominum, mortem corporis tui vides jacêre ante januam, & non miſereris? Si Dei præcepta non conſideras, ſaltem miſerere conditionis tuæ, & time ne ipſe talis efficiaris. Quid ſervas in deliciis tuis quod ſuperfluum eſt? Quod jactas, tribue in eleemoſynam: non dico ut auferas divitiis tuis quod jactas foras, micas menſæ tuæ præbe in eleemoſynam membro tuo*, ait diviti noſtro malo S. Chryſoſtomus f.

e S. Chryſol. ſerm. 121.

f S. Chryſ. hom. de Divite.

Cùm intueor diſſolutiones hujus ſeculi, mihi videor aſpicere *abominationes magnas, quas domus Iſrael* g faciebat aliàs, exhibitas in viſione Ezechieli Prophetæ. Obſervantur enim illuſtres mulieres calceos deferre auro prædivites & ornatos, quæ tamen ne vel aſſem pauperi ſtipem emendicanti porrexerint, & vix unum denarium, exeuntes è templo, è crumena educentes, ad ſublevandam alienam miſeriam impendent; & ſi illum largiti fuerint, mirabilia ſe peregiſſe autumaverint. Sed quidnam eſt denarius, Domina mea, intuitu meriti tui, quod inducit te ad trahendum aurum per ipſum vel lutum? Tu verò, Domine mi, qui auro ornandos ſatagis equos tuos, quandiu hominibus porriguntur herbæ, noli, quæſo, naturæ ordinem invertere; aurum non congruit equis, herbæ ſunt alimentum eis accommodum, porrigendas præcipe illis herbas, aurum verò & argentum in pauperes eroga, ut eleemoſynæ tuæ beneficio ſuis neceſſaria provideant indigentiis. Equi tui panno pretioſo ornati ſunt, æquè ac operti ad arcendas ab ipſis aëris & tempeſtatis inclementias, quandiu pauperes ſunt penitus nudi, & ſic ſuſtinendis ſubjacent brumalis frigoris rigoribus. Natura indulſit equis pallium, quo ſe tueantur ab aëris frigiditate, ne immutes ordinem à natura ſtatutum, ut equos tuos ornandos, æquè ac operiendos ſatagas, & pauperes negligas, & nudos abire ſinas. Heu! *Abominationes majores!* Parvus canis ſuam habebit quietem, ſuam comeſtionem ordinatam, quin imò obſonatorem qui determinatis horis ipſi plusquàm recta ratio exigat, ad delicias uſque alimenta ſubminiſtret: & mendicus perſonam Jeſu Chriſti repræſentans in perſona ſua, præ foribus divitis mali eleemoſynam poſtulans, ne vel unum panis fruſtulum impetrabit. Quàm malè excipitur Dei Filius in mundo, cùm poſtponatur vel catello, cui providentur alimenta magis quàm ſit par exquiſita. Perhibetur S. Martinus Turonenſis Antiſtes aliàs eleemoſynam impendiſſe diabolo ſub ſpecie pauperis ab ipſo ſtipem emendicanti; & dixiſſe, ſe gaviſum eſſe, eò quòd illam erogaſſet non propter *centuplum, & vitam æternam* h, ſed ob amorem Dei, cujus intuitu miſericordiâ uſus eſſet erga pauperem, quia pauper eſſet homo, ſicut ipſe.

g Ezech. 8. 6. &c.

h Matt. 19. 29.

In Ioppe fuit quædam diſcipula nomine Tabitha: *quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemoſynis quas faciebat. Factum eſt autem in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam cùm laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. Cùm autem eſſet propè Lydda ab Ioppe, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in ea, miſerunt ad eum duos viros rogantes, Ne pigriteris venire uſque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm adveniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha ſurge. At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit* i. Nihil aliud dixit Apoſtolus præter hæc verba, & ſtatim illam revocavit ad vitam. *Dans autem illi manum erexit eam. Et cùm vocaſſet Sanctos, & viduas, aſſignavit eam vivam.* Id eſt, *Oſtendens ſe eorum deſiderio ſatisfeciſſe*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. Ideò S. Chryſoſtomus l loquens de illis pauperibus, qui ſuſcitandam ſategerant Tabitham à S. Petro, ait, *Non orant, ſed illi permittunt, ut à ſe ipſo vitam illi concedat. Ita hic impletur, quòd eleemoſyna liberat à morte* m. Quaſi alloquens hanc illuſtrem mulierem, diceret ei, Domina mea, vita tibi reſtituitur juxta deſideria tot pauperum, qui ſperant quòd impoſterùm omnes tuas ſis adhibitura curas in favorem ipſorum, & omnia tua bona ſis impenſura ad ſublevandas ipſorum miſerias, & ut ſic mediis eleemoſynis tuis majora tibi ſis merita conciliatura. *Unde ſuſcitata eſt fœmina iſta propter conſolationem fidelium viduarum: alioquin tam ſanctæ mulieri melius videretur non ſuſcitari, quàm ad vitam hanc miſeram revocari: niſi fortè propter majus meritum ejus*, ait Carthuſianus n. Dicite mihi nunc, Dominæ meæ, quæ nullas

i Act. 9. 36. &c.

k Dion. Carth. art. 9. in Act. 9. 41.

l S. Chryſ. hom. 21. in Act. 9. 29.

m ex Tob. 12. 9.

n Dion. Carth. art. 9. in Act. 9. 42.

Digitized by Google

nullas erogatis eleemoſynas ut ſubleve tis pauperum miſeriis, eorumque afflictiones conſolemini, Cognoſcuntne vos iſti mendici in civitate veſtra? Poſt obitum veſtrum efflagitabuntne ut in priſtinam vitam reſtituamini, vos, inquam, quæ ne vel unum aſſem illis unquam trioueritis, quæ nunquam xenodochia inviſitis, quæque ad fovendam vanitatem veſtram tot ſuperfluas efficitis impenſas?

Divitiæ ſunt bonæ, cùm per vias acquiruntur juſtitiæ & æquitati conſonas, *Benedictis Domini*
o Prov. 10. 22. *divites facit, nec ſociabitur ei afflictio* o. Quod ſic
p Salaz. in Prov. 10. 22 n. 276. exponit Salazar *p* ad propoſitum noſtrum inter alias illius explicationes, *Extrema interpretatio verba illa, Benedictio Domini divites facit, accipit cauſaliter, id eſt, cauſa eſt diteſcendi. Quæ tamen duplicem ad ſenſum vocari poteſt. Prior eſt Janſenij ad hunc modum. Divina beneficentia multò meliùs ditat, quàm induſtria: & quidem ſine angore & ſollicitudine. Nam quæ per induſtriam quæruntur lucra, multo labore partuntur. Itaque ſuadere exiſtimat Janſenius, non tam induſtria, quàm Divinæ Beneficentiæ fidendum eſſe illi, qui ditari deſiderat. Poſterior verò ſenſus, qui mihi accommodatior videtur, ita habet, Benedictio Domini divites facit, & non ſociabitur, &c. Quaſi dicat. Inter divitias, quas quis ex Dei beneficentia accipit (ſunt autem iſta bene, ac juſtè parta: namquacumque eâ ratione parantur, Deo annuente, & donante acquiri dicuntur) & inter illas, quæ injuriâ & vi colliguntur, hoc intereſt, quòd malè parta malè pereunt, atque adeò cruciant animum, cùm amittuntur. Deinde etiam, quandiu habentur non minùs animum lacerant, quàm cùm amittuntur.*
p Gen. 13. 2. Abtaham *p*, Jacob *q*, & David *r*
q Gen. 30. 43. ditiſſimi fuerunt, & tamen Deo grati, quia liberales *ſ* fuerunt. Divitiæ poſſunt eſſe media
r 2. Reg. 5. 12. lucrando cœlo accommoda, & ſcalæ per quas ad illud perveniri poteſt, ſi illis benè utamur, &
ſ Gen. 18. 3, &c. & Gen. 33. 9. &c. & 2. Reg. 9. 7. illarum legitimam pauperibus & egenis erogemus portionem. Illæ eam mirabilem operantur converſionem aquæ, *quæ verſa eſt in ſanguinem* t inter manus Ægyptiorum, & in manibus
t Exod. 7. 20. &c. Iſraëlitarum erat aqua clara. Cùm fideles ſint populus Dei, & habeant bona deſtinata ad gloriam, *quoniam apud* Deum ſunt advenæ & pere-
u Pſ. 38. 13 grini, *ſicut omnes patres* u ipſorum, divitiæ ſunt in manibus illorum inſtar aquæ pellucidæ & potabilis, eam bibunt, illamque potandam porrigunt ſitientibus pauperibus *ſicus ſtillicidia ſtil-*
x Pſ. 71. 6. *lantia ſuper terram* x. Illæ ſunt quaſi aqua, quæ fluit à patre in filios ſucceſſione nō interruptâ, non remanet illa in eorum manibus, nec affectu adhærent fruitioni illius, eam impendunt in terram arentem & ſiccam pauperum, illam ita communicant ut egeni experiantur illius beneficia; & ſic remanet illa ſemper aqua clara: ſed inter manus Ægyptiorum, malorum iſtorum divitum, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, avaritiâ, nequitiâ, ſine affe-*
y Rom. 1. 28, &c. *ctione, abſque fœdere, ſine miſericordia* y ad ſublevandam alienam miſeriam, aqua divitiarum verſa eſt in ſanguinem. Sic eſt, divitiæ iſtæ ſunt ſanguis pauperum, *Dextera eorum, dextera iniqui-*
z Pſ. 143. 8 *tatis* z. Et ſi extrema eorum comprimerentur veſtimenta. ex illis ſudor egenorum exprimeretur, *Et in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum*
a Jer. 2. 34 *pauperum & innocentum* a. Significat dextera gloriam, ut docet Incognitus *b* inter alias expo-
b Incogn. in Pſ. 143. 2 ſitiones, *In Scriptura dextera ſignificat quandoque æternam felicitatem, quam debemus deſiderare. Dexterâ ſuâ reget illos* c. *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei* d. Et ecce *dextera eorum*, id eſt, c ex Sap. 5. 17. / d Marc. 16. 19.
impiorum & avarorum ſeu malorum iſtorum divitum *dextera iniquitatis* eſt, cùm nullum faciant bonum propter cœlum, quod tamen deberent exercere, quia, ut ait idem Incognitus, *In Scripturâ dextera ſignificat quandoque humanam bonitatem, quam debemus eligere, Viæ quæ à dextris ſunt, novit Dominus: perverſæ autem ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt* e. Ideò proſequitur David, *Et erue* e Prov. 4. 27.
me de manu filiorum alienorum f. Quaſi diceret,
Filios alienos, ſcilicet, à vera felicitate g eſſe, & paradiſum reſervari ſolis filiis Dei adoptivis. f Pſ. 143. 13. / g Incogn. in Pſ. 143. 13.

Nobis licet uti boois, quibus nos cumulavit Deus beneficentiâ ſuâ, modò iis non inſurgamus in Benefactorem noſtrum. Quid autem prodeſt nobis ſic avaritiæ incumbere, ut dicitur de quodam avaro, qui arcas ſuas theſauris habens repletas, & cellaria ſua vino æquè ac horrea ſua frumento redundantia, neceſſaria vitæ ſuæ ſuſtendandæ ſubtrahebat, ita ut fame periret? *Bibe aquam de ciſterna tua* h. Ha! amice h Prov. 5. 25.
mi, tuis honeſtè neceſſaria provide impenſis juxta ſtatum conditionis tuæ, & ſatage ut pauperes tuis communicent bonis, noli tibi *theſaurizare theſauros in terra, Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* i. Concupiſcere non debes i Matth. 6. 19. & 21.
id, quod non habes, & nimio affectu poſſidere illud, quod habes, abutendo eo, quod diſtribuere debeies indigentibus. Nunquid non oportet ut, cùm *bona de manu Dei* k ſuſcepetis abſque ul- k Job 2. 10
lo merito tuo, ea communices pauperibus, qui ſunt fratres tui, & membra Jeſu Chriſti? & ut illis ſis veluti pater altor, & velut Sol ſplendens tuis viſites eos luminibus, & radiis ardentibus liberalitatum tuarum illos calefacias? Si aliter tuas diſponis divitias, hoc eſt abominatio exhibita in viſione Ezechieli, nimirum in corde tuo *ſtatutum idolum zeli ad provocandam æmulationem* l. *Id eſt, indignari faciens, ad indignationem provo-* l Ezech. 8. 3.
cans Deum, Angelos, & homines, ait Cornelius *m*. m Corn. in Ezech. 8. 3
Qui ſubdit, *Moraliter, idolum zeli eſt in cupido pecuniæ & avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut ait Apoſtolus* n. Ut autem intelligamus, Auditores, n ex Epheſ. 5. 5 & ex Coloſſ. 3. 5.
quid ſit idololatria, ſciendum eſt, quidnam ſit cultus religionis, quem vocamus adorationem latriæ, quæ Deo ſoli competit. Latria, cujus actiones inſumimus ad agnoſcendam Divinam Majeſtatem, eſt *fides, ſpes, charitas, tria hæc* o. o 1. Cor. 13. 13.
Primò, *Fides*, quâ maximi æſtimamus Deum, & ejus ſummas perfectiones, & Divina attributa, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit* p. Secundò, *Spes*, per p Hebr. 11. 6.
quam ſperamus, Deum exercituum ſuam erga nos miſericordiam, noſtris requiſita proviſurum neceſſitatibus, & ſuam nobis gloriam communicaturum, *Pater noſter qui es in cœlis, adveniat regnum tuum. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie* q. Tertiò, *Charitas*, quæ efficit ut no- q Matt. 6. 9. &c.
ſtro diligamus *Deum ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente* noſtra: & *proximum ſicut* r r Matt. 22. 37. & 39.
nosmetipſos propter Deum, quem ut ſummum & *omne Bonum* ſ totis noſtris proſequimur affe- ſ Exod. 33. 19.
ctibus. Iſti ſunt actus, quibus honoramus Deum cultu latriæ. *Avarus* (*quod eſt idolorum ſervitus* t) t Epheſ. 5. 5.
maximi ducit argentum & aurum, & in eo poſſidendo ſitam eſſe imaginatur felicitatem, juxta errorem mundi communem. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt* u. Totam ſuam collocat u Pſ. 143. 15.
avarus ſpem in auro ſuo: ſi ipſum aggrediatur

ali-

Digitized by Google

aliquis, ipſe nihil timet, nihil eſt quod ipſe non
ſperet à pecunia: divitiis exhibet id, quod ſoli
x Exod. 20, 3. &c. debetur Deo x. Ideò exclamat Amos y, *Væ qui*
opulenti eſtis, & confiditis in monte Samariæ. Super
y Amos 6, 1. quod ait Cornelius z, *Huc alluſit Chriſtus, di-*
z Corn. in Amos 6, 1. *cens, Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem*
veſtram: væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis a.
a Luc 6, 24. Nunquid hoc non eſt imitari Iſraelitas, qui *fece-*
runt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque
immolantes ei hoſtias, dixerunt, Iſti ſunt Dii tui Iſ-
b Exod. 32, 8. *rael, qui te eduxerunt de terra Ægypti* b? Sic nihil
æſtimatur hodie in mundo præter divites; ſit a-
liquis ſtupidus & ſtolidus, ſi dives eſt, maximi
ducitur: ſit aliquis omnium ſcientiarum in-
ſtructus ſupellectile, ſi pauper eſt, confeſtim floc-
ci fiet.

Conformiter ad hoc cùm eſſent aliàs Athe-
nis ſimul homo ditiſſimus, ſed tamen hebes; &
Philoſophus ſubtiliſſimus, vocati fuerunt ali-
quando ad Senatum, ubi eximius vir iſte que-
ſtus eſt de eo quòd ſic adverſam fortunam expe-
riretur, ut nihil hæc ſibi bonorum reliquiſſet
temporalium, quandiu ille omnium rerum co-
piâ affluebat. Senatus remiſit illos ad Oracu-
lum. Conſulitur Sibylla tripodi inſidens, quæ
tribuit diviti laminam auream cum his quinque
literis, *S.T.L.I.A.* præ hac inſcriptione ſupra-
poſita, *Providentia.* Philoſopho verò porrexit
regulam ligneam cum iiſdem quinque literis,
S.T.L.I.A. ſuperpoſitâ iſtâ inſcriptione, *Divina*
Providentia. Cùm neſciret Senatus hæc verba
explicare, & iſtud ænigma diſſolvere, Salomon,
† Eccl. 1, 16. qui præceſſit *omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante* †
ipſum, & poſt ipſum erunt, qui illo tempore vi-
xiſſe perhibetur, ſic & ſuper hoc conſultus re-
cenſetur: Salomon igitur dixit diviti, expli-
cans ſupradictas quinque literas, *Sufficit tibi la-*
mina iſta aurea. Ecce id quod tibi conſonum eſt.
Philoſopho autem, *Sufficit tibi lumen intellectus a-*
nimæ. Tibi ſunt ſatis ſuperque eximiæ iſtæ qua-
litates mentis. Quaſi diceret, quòd illi avaro,
qui totum cor ſuum terræ habebat alligatum,
Deus dediſſet terram, id eſt, aurum quod nihil
eſt aliud niſi terra flava, & quòd tale aurum fo-
ret illius merces, quippe quod ipſe maximè a-
maret more talpæ cæci in terra incluſi, *Ubi enim*
c Matth. 6, 19. *eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* c. Et quòd
Philoſophi, qui agebat ut homo, portio eſſet
melior, ſcilicet, lumine mentis, ratiocinatio, co-
gitationes, quæ omnia debent eſſe inſeparabi-
lia ab homine, à Chriſtiano, qui debet habere *lu-*
men animæ quantùm ad cœleſtia. Avarus igitur
totam ſuam conſtituit ſpem in auro & in the-
ſauris ſuis: ergo Idololatra eſt, cùm ſuam col-
locet fidem, ſpem, & charitatem in divitiis, nul-
lo ductus affectu, nec aliquâ cogitatione niſi er-
ga illas, præferens eas cuicumque alii rei: ſed
malus idololatra, qui ita malam & ſic infamem
agnoſcit divinitatem, qui ſummas adorationes
vitulo exhibet aureo, *Hi ſunt Dii eorum, in quibus*
d Deut. 32, 37. *habebant fiduciam* d. Nihil eſt quod ipſe non a-
gat ne eas emittat, & ut illas cuſtodiat.

Præterea. Idololatra diis ſuis magna offert
munera. Videre quidnam agerent Romani er-
ga idola ſua, templa quæ illis conſtruenda, alta-
ria quæ illis dedicanda ſatagebant, & ingentia,
quæ eis jugiter præſentabant, dona: Ha! ava-
rus quàm liberalis eſt erga aurum ſuum, illud
ſemper magnificare contendit, nummis ſine in-
termiſſione nummos ſuperaddens aureos. Cla-
vibus obſerata tenentur idola: quot clavibus
obſeratas tenet avarus ciſtas ſuas? Eæ ſunt velu-
ti infernus, è quo nihil unquam egreditur, niſi
fortè ut illuc ſemper aliquid amplius congera-
tur interventu alicujus fœnoris, aut falſi contra-
ctus. *Avarus (quod eſt idolorum ſervitus* e.) *Di-* e Epheſ. 5, 5.
ves, quaſi divus. Nihil eſt quod majoris æſtime-
tur, magiſque honoretur quàm dives: ſed
quantùm ad pauperem, ipſe flocci fit, & vilipen-
ditur ab omnibus. At reſpiciendus eſt finis: in-
tuemini, ſi placet, finem mali divitis Evangelii
noſtri, & exitum Lazari mendici. Quotnam mi-
ſeriis & derelictionibus obruitur iſte pauper?
Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat
ad januam ejus ulceribus plenus: cupiens ſaturari de
micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi da-
bat: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.
Secundùm apparentias exteriores iſte finis ma-
lus eſt & infortunatus: econtrà verò felix vi-
detur mors mali divitis, quippe qui remediis
adjutus, & ab amicis æquè ac à Medicis ad obi-
tum uſque viſitatus fuerit: ſed reſpicite finem,
& quomodo is qui vivens *erat dives, & indueba-*
tur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè;
mortuus, & ſepultus in inferno, clamans dixit, Crucior
in hac flamma, quandiu econtra *factum eſt ut mo-*
reretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum
Abrahæ.

Ecce igitur idea boni & mali divitis; homi-
nis liberalis, & avari. Eligite: ſi eſtis idolola-
træ, inſurgitis in Deum confeſtim ac in corde
veſtro eſt *ſtatutum idolum zeli ad provocandam æ-*
mulationem f. Irritaris juſtitiam ejus, & ſuper f Ezech. 8, 3.
veſtra illico imminent capita vibrari effectus
indignationis ejus. Eſtote igitur liberales, cùm
bonus dives imitari debeat bonitatem Dei, libe-
ralitatem naturæ, & induſtriam artium, *Judiciū*
ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam g. g Jac. 2, 13.
Propterea ſi *mortuus dives, ſepultus eſt in inferno*,
ideò quia non adjuvit eleemoſynis ſuis Laza-
rum fame pereuntem, *Et nemo illi dabat.* Dicite
mihi, obſecro, Quale cor ſaxeum non diſcinde-
retur, & qualis oculus in morem glaciei conſtri-
ctus, non diſſolveretur in lacrymas, ſi maledicta-
rum contemplaretur iſtarum inordinationes de-
liciarum, nimirum, quòd maxima pars Chriſtia-
niſmi vitam tranſigat à deliciis & voluptatibus
immunem, quin imò miſeram & derelictam,
ſanguine & oppreſſione opertam, quandiu alia
diſſolutionibus indulget oris, & ventris, veſti-
mentorum pompâ gloriatur pretioſorum, & u-
niverſis vacat blanditiis? *Væ qui opulenti eſtis in*
Sion, & confiditis in monte Samariæ optimates, capita
populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael, bi-
bentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti;
& nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph h. Scio h Amos 6, 1, &c.
quidem, ventrem nullas habere aures, ſed neſcio
quodnam os poterit ille habere ad ſe defenden-
dum *cùm venerit Filius Hominis in majeſtate ſua, &*
omnes Angeli cum eo, quando fames tot indigen-
tium calamitatibus oppreſſorum accuſabit eum
coram Judice iſto formidabili, qui *tunc dicet his*
qui a ſiniſtris ipſius erunt, Diſcedite à me maledicti in
ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis e-
jus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſi-
tivi, & non dediſtis mihi potum: Hoſpes eram, & non
collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus, &
in carcere, & non viſitaſtis me i. Non me latet, a- i Matt. 25, 31, &c.
doleſcentes eſſe multùm verboſos, ſed ignoro
quidnam ſint reſponſuri, ſi Angeli comprimant
ipſorum veſtimenta immodicè ornata, ut ex iis
ſanguinem exprimant egenorum, dicendo ſin-

gulis illis, *In alis tuis inventus eſt ſanguis pauperum, & animarum innocentum* k. (k Jer. 2. 34) Judicate, ſi placet, Auditores, quamnam ſpem vitæ futuræ poſſitis habere in voluptatibus & deliciis impetitis fulminibus tot maledictionum horribilium. Non ideò quia iſte *dives induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, mortuus, ſepultus eſt in infernus.* Sed quoniam miſericordiâ non eſt uſus erga Lazarum fame pereuntem, *qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* Eleemoſynas igitur erogate egenis, cœlum emite miſericordiis veſtris, *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Vos autem afflicti Lazari, patientes eſtote, & vobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* l, (l Pſ. 83. 12)

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Et Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur. Luc. 16. 25. &c.

PAradoxum ſanè eſt inauditum, quòd perpetienda ſint nobis mala, ut conſolationibus ubertim poſſimus cumulari; quòd oporteat ut ſeminemus lacrymas, ſi velimus gaudia metere & oblectamenta. Textus noſter cautam præſtat veritatem priorem, & Pſalmiſta *a* (a Pſ. 125. 7) poſteriorem aſſerit eſſe infallibilem, cùm ait, *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Unde S. Auguſtinus *b* (b S. Aug. in Pſ. 125. 7.) ait, *Et ſi cum fletu ſeminamus, tamen cum gaudio metemus. In illa enim reſurrectione mortuorum recipiet quisque manipulos ſuos, id eſt, fructum ſeminis, coronam gaudiorum & exultationis.* Talis eſt fides Evangelii noſtri repræſentantis nobis Lazarum innumeris impetitum malis, fame, perſecutione, tolerantiis, & univerſis miſeriis, quas formidamus, ſed quæ ſunt re verâ ſemen benedictum quod germinat delicias paradiſi, & per iſtam viam parat nobis aditum ad beatitudinem. Incedendum nobis eſt in hoc ſtadio, quod Salvator noſter oſtendit nobis verbis æquè ac exemplis, dicens de ſe diſcipulis ambobus Emmaus contendentibus, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam ſuam* c? (c Luc. 24. 26.) Ut autem curſus noſter ſit facilis in hoc ſtadio ſenſibus formidabili, imploremus gratiam Spiritus ſancti, quæ tolerantiam mutabit in voluptatem, & in eadem pœna deguſtare nos faciet delicias cœli interventu Virginis Deiparæ, cui propter hunc finem dicemus, *Ave Maria.*

Veritas eſt ſenſibiliſſima, cùm omnes Sapientes eam quotidianâ comprobent experientiâ, quòd mundus illuſionibus nos decipiat, & falſis nos faſcinet apparentiis. Fructus ejus inſtar pomorum Gomorrhæorum nihil aliud ſunt niſi putredo operta ſuperficie coloratâ; magnitudines illius ſunt imagines pictæ in nube, quæ nullam habentes realitatem, ſine ulla prorſus evaneſcunt reſiſtentia; deliciæ ipſius ſunt pilulæ auratæ, ſed amariſſimæ ei qui ipſas mandit, & dentibus ipſas conterit: ſcribendus eſt illius ſtatus ſuper buxum, juxta ſalutare Iſaiæ *d* (d Iſai. 30. 8) monitum, *Scribe ei ſuper buxum.* Non ad ſtabiliendum eum in æternum, ſed ad illum agnoſcendum: more enim buxi mundus aliquem fert præ ſe florem, ſed nullum fructum; præterquam quòd flores ejus ſunt peſtiferi, & mortem inferunt apibus, quæ ipſos ſugunt; ut melius exprimatur venenum, quod facit mundus hauriri in doloſo deliciarum ſuarum calice. Ipſe, eſt falſus Propheta, cujus meminit Jeremias *e*, (e Jer. 6. 14.) qui promittens pacem, nihil ſeminat niſi bellum, & ſuos innumeris agitat aulicos inquietudinibus. *Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, Pax, pax: & non erat pax.* Ipſe, eſt Babylon maledicta, cujus aquæ diſſonas ab elemento qualitates habent, ſicut illæ ſunt aridæ, & ſitim provocantes, *Siccitas ſuper aquas ejus erit, & areſcent* f. (f Jer. 50. 38.) Scitiſne illius infortunii rationem? Ecce, *Quia terra ſculptilium eſt.* Id eſt, bonorum imaginariorum: talis enim credit ſe bibere in his conviviis quæ præſtigiæ comitantur, qui ſemper immodicâ ardet ſiti, cùm nihil hauriat liquidum, ſed cogitationes ſiccas & aridas more eorum qui illas ſomniant. Si autem veritas, quam vobis annuncio, probationibus indigeret, illi profectò teſtimonium perhiberetis, quia cùm tot eſſetis vobis polliciti felicitates ex ſuavibus Fortunæ blanditiis, ab ea tot ſuſcepiſtis inquietudines, imò verò in ipſa illarum poſſeſſione, quod eſt nota evidens abuſus illius. Si autem mundus nos decipiat, pœnas in nos invehens, cùm apparentes nobis proponit delicias; dico, quòd bonitas Dei, quæ adverſatur malitiæ illius, alio nos decipit modo valdè differenti ab eo, quo ille nobis conatur verba dare, & omnimodam moliri ruinam noſtram; cùm ipſe Deus præbeat delicias, quando proponit martyria, & nos ducat ad cœlum per viam complacentiæ, ſeu deliciarum, etiamſi vocet nos mediis tolerantiis, ut Lazarum. Vobis igitur proponere volo duas iſtas vias conſequendo cœlo opportunas, ex Evangelio noſtro erutas. Primò tolerantiam, ad imitandum Lazarum. (Diviſio.) Secundò complacentiam, aut delicias, ad animandos infirmos. Tolerantiam exaratam in Evangelio; & complacentiam ſenſibilem in experientia.

(I. Pars.) Non licet hominibus ingredi in ſecretiſſima Dei arcana, ut cum eo conſilium ineant de mediis ſaluti ſuæ congruentibus, *Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit* g? (g Rom. 11. 34.) Quod ſic explicat ad noſtrum propoſitum Dionyſius Carthuſianus h, (h Dion. Carth. art. 15. in Rom. 11. 34.) *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Id eſt, dictamen intellectus Divini de rebus, videlicet quid Deus de creaturis ſuis facere cogitavit, quid de ſingulis ſentiat, quid de omnibus intra ſe judicet? Neſcit quoq; homo an amore dignus ſit, an odio* i; (i ex Eccl. 9. 1.) *Ideò in libro Sapientiæ* k *legitur. Senſum tuum, Domine, quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum tuum de cœlis?* (k Sap. 9. 17) *Aut quis conſiliarius ejus fuit? Hoc eſt, quis dedit Deo conſilium de diſpoſitionibus & productionibus rerum? Nullus planè, quia non indiget alicujus conſilio, aut doctrinâ.* Deſumenda eſt lex è dictamine illius, & abſque alia conſultatione inhærendum eſt intentionibus ejus, obediendo mandatis ipſius, *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum* l, (l 1. Cor. 3. 19.) Et, ut dixit Iſaias *m* (m Iſai. 40. 13, &c.) ante ſanctum Paulum; *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit, & o-*

& oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam juſtitiæ, & erudivit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: quaſi pulvis exiguus: quaſi non ſint ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Mentes noſtræ leviſſimæ ſunt, nedum Divinum ad trutinam vocare poſſint judicium: tamen licebit agnoſcere, quòd ipſe maximè *juſtus* n eſt, cùm ad ſuam nos gloriam vocat per tolerantiam. Multæ tamen nos hanc perſuadent veritatem facti, & eas incipio ab ipſa ſapientia.

n Pſ. 118. 137.

Dico igitur, quòd ipſa non poſſet adinvenire medium opportunius efficiendis hominibus beatis miſeriâ & tolerantiâ. Si numeratâ eſſet emendus paradiſus pecuniâ, ſicut auro mundanæ comparantur voluptates, mendici ut alii Lazari ſpe deciderent illius unquam conſequendi: ſi in iſtam non admitterentur academiam niſi ſcientiarum periti, hebetes & ſtupidi, ſcientiiſque addiſcendis inidonei ab hac excluderentur cathegoria: ſi decretum eſſet ut auferretur iſtud *Regnum cælorum* (quod *vim patitur, & violenti rapiunt illud* o,) fame, jejuniis, & flagellationibus, ſub ſua gemerent infirmi & debiles impotentiâ: ſi ex ipſis vitæ præſentis deliciis fieret tranſitus ad meliorem, ut commentus fuerat Epicurus, conditio noſtra eſſet periculoſior, quia cùm miſeriæ ubique ſint, deliciæ nullibi inveniuntur, & unuſquiſque prædicare poteſt per ſemetipſum, utrùm ſuas invenerit delicias in bonis, quæ illas pollicebantur. Quid ſupereſt igitur ad reddendum iſtud iter facile, niſi miſeria, a qua nemo ſe poteſt eximere? *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis* p. Omnes ſtatus hominum calamitate impetuntur; mundus qui ſic eſt antiquus, terra quæ ita eſt fertilis, experientiæ quæ ſunt rerum omnium magiſtræ, hiſtoriæ quæ tantam præ ſe ferunt curioſitatem, ne vel unum ſubminiſtrare nobis potuerunt hominem, qui immunis vixerit à faſtidio, & à tolerantia. Æquè parùm poſſibile eſt ut quis felicem agat navigationem inter tempeſtates & procellas Oceani, ſuperpoſitus tegmini teſtudinis in morem navis concinnato, ac vivere in mundo ſine tolerantia: ad eam ſuſtinendam damnati jam ſumus ante nativitatem noſtram. *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo* q. Et lacrymæ nobis pronunciant decretum ejuſdem perpetiendæ ab egreſſu ex utero materno, ut proteſtatur de ſe Salomon r, licèt filius Regis, dicens, *Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram: & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Tolerantia eſt communis poſſeſſio, ad quam unuſquiſque habet jus ſuum, & quam participare poteſt juxta ſuorum menſuram deſideriorum, & perſæpe cum ſuperabundantia: & hæc eſt via generalis, quam Deus nobis aperit, ut per eam pandat nobis aditum ad gloriam conſequendam. Non aſcenditur ſuper theatrum honoris, niſi per tabulam virtutis; nec acceditur ad virtutem, niſi ex tranſverſo difficultatū quæ ſuperandæ ſunt. Non eſt alia via, per quam ſcandatur ad cœlum, capiatur ſedes in throno honoris, & concilietur gloriæ corona, quæ nullos eſt habitura limites, cùm ſit æterna.

o Matt. 11. 12.

p Job 14. 1

q Gen. 3. 19.

r Sap. 7. 3.

Per labefactionem mœnium ingrediebantur Imperatores Romani ipſo die triumphi ſui & medus ſpoliis relatis de hoſtibus ſuis teſtimonium perhibebant, quòd magnanimitas prælii ſui illam gloriam meruiſſet. Iſtud eſt ſecunda ratio, quæ edocet nos, paradiſum eſſe capitolium magnanimorum, & ſenatum triumphatorum, & neminem intrare in hanc totius orbis Metropolim niſi per labefactionem corporis mortificati in certaminibus legitimè exhibitis ſub vexillo virtutis, & ſpolio virtutum ſubjugatarum, quod magnanimitati perhibere debet teſtimonium, *Nam & qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitime certaverit* ſ. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus t, *Nam qui certat in agone, id eſt cum alio contendit in hujuſcemodi bellico exercitio, quod & agonizantes quandoque nudi exercuerunt, non coronabitur quaſi victor, niſi legitimè, id eſt, efficaciter, & ſicut lex agonis requirit, certaverit, omnia impedimenta pugnandi abjiciendo, quemadmodum dictum eſt alibi* u, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Poſtquàm S. Joannes vidit *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum:* inde didicit qualitatem viæ, quam exercitus iſte triumphans ſecutus erat, ut perveniret ad talem gloriam; & profectò deſiderium ſequendi eos in ſtatione, illum curioſum effecit: at non reſponſum fuit illi niſi dimidiatim his verbis, *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni* x. Nulla fit ei mentio qualitatis perſonarum, utrùm præfati ſint nobiles aut ignobiles, docti aut imperiti; ſed tantùm illi recenſetur modus glorificandi eos: Amici Dei ſunt, venientes ex anguſtia; & quia omnes pœnæ nihili æſtimantur in paradiſo, ſuas ſanctificaverunt ſanguine Agni, qui eis pretium impertitur, communicando alias martyriis ejus, ſicut hodie communicant deliciis impiis: ſic per portam ſanguineam, per labefactionem corporis ſui, per mortificationem & macerationem ejus pervenerunt ad locum triumphi æterni, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* y.

ſ 2. Tim. 2. 5.

t Dion. Carth. art. 2. in 2. Timoth. 2. 5.

u 1. Cor. 9. 25.

x Apoc. 7. 9. &c.

y Act. 14. 21.

Nullus eſt triumphus abſque victoria, nulla victoria ſine certamine, nec ullum præmium legitimum ſine magnanimitate examinata igne z tolerantiæ. *Unde tu Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta. Conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce. Pactum quod ſpopondiſti, conditionem quâ acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. Hoc enim pacto, quos miraris, cuncti pugnarunt, hâc conditione univerſi vicerunt, hâc militiâ omnes triumpharunt*, ait ſanctus Chryſoſtomus a. Eſſet ergo nimiis diffluere deliciis ac velle ſuperare ſine prælio, aut triumphare abſque victoria: ſed animare nos debemus exemplo Sanctorum qui nos præceſſerunt, agnoſcere nos ad iſtam animas noſtras obſtrinxiſſe militiam confeſtim ac Chriſtianiſmum fuimus ingreſſi, & coronam immortalitatis promiſſam eſſe patientiæ, quæ dominatur pœnis, & meretur delicias, eaſdem ſuſtinendo pœnas.

z Pſ. 16. 3.

a S. Chryſoſt. ſerm. 2. de Martyr.

b Hebr. 11. 33. &c. Rationem tangit S. Paulus *b* eminentem (& hæc eſt 3. quæ conciliat authoritatem tolerantiæ ordinatæ ad glorificationẽ Electorum) cùm enumerato martyrio eorum, *qui per fidem vicerunt regna operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij: convaluerunt de infirmitate: fortes facti ſunt in bello: caſtra verterunt exterorum: alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti,* concludit, *Deo pro nobis melius aliquid diſponente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Quaſi diceret, Providentia Dei ducere nos poterat ad cœlum per viam lacteam: cur igitur compellit nos illuc aliquo modo per viam ſanguineam? Hoc ideò non agit Deus, ut aliquod præmium è noſtris educat pœnis, eas intuetur potiùs ut habeat materiam præmiandi nos, & eas diſponit ut titulum, qui nobis facit jus ad beatitudinem, cùm nobis illam pro mercede meretur ſempiterna. In majorem noſtram cedit utilitatem, ut illam per noſtrorum operum bonorum cooperationem mereamur gloriam. Gratiores ſunt deliciæ poſt labores, ſicut cibi ſunt ſuaviores poſt jejunia exercita; & id quod poſſidemus per acquiſitionem, majus affert nobis oblectamentom, quàm id quod in noſtras cadit manus per hæreditatem: dominus paradiſi qui plantat pomum, deguſtabit illius fructus præ majori ſuavitate, quam cæteros in eodem paradiſo concluſos: & Jacob majoris æſtimat portionem à ſe vi relatam prævalendo ſuper inimicos ſuos, quàm cæteras divitias ſuas, etiamſi foret illa minima hæreditatis, quam ſuis dividebat filiis, illamque præbet dilecto ſuo Joſeph, ut ſuarum victoriarum memoriam redderet æternam, *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu*
c Gen. 49. 22. *meo* c. Erit profectò gratior paradiſus cœleſtis, acquiſitus mediis meritis, quàm ſi daretur gratis; & majorem exhibebit Deus bonitatem, ſapientiam, & potentiam, elevando creaturam ſuam ad merendam gloriam, quàm ſi illam abſque merito præviſo glorificaret purâ ſuâ electione. *Deo pro nobis melius aliquid diſponente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Adoremus igitur ma-
d Eſth. 5. 2. &c. gni Aſſueri cœleſtis *virgam auream* d propter pretium quod noſtris impertitur illa pœnis, & amemus eaſdem pœnas tanquam pignus benevolentiæ ejus erga nos. *Si* dignetur tangere nos iſtâ *manu*, quam puſillanimi formidant, coronabit nos alterâ ut Sponſas ſuas, ut contigit aliàs Eſtheri, quæ per hanc directionem afflictionis tranſiit ad regiam dignitatem, *Cùm vidiſſet Eſther, extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus. Dixitque ad eam Rex: Quid vis Eſther? Quæ eſt petitio tua? Etiamſi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* Sic, *Et Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur.*

II. Pars. Dixi vobis in principio diſcurſus iſtius, quòd mundus nos decipiat, impertiens labores, cùm voluptates proponit: ſed quòd Deus differenti nos fallat modo ad immodicam utilitatem noſtram, delicias nobis indulgens cùm præ noſtris pœnas ponit oculis, quod eſt prima ratio propter quam Deus animam adulteram trahit ad locum pœnitentiæ peragendæ opportunum, *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus* e. Litera au- e Oſee 2. 14.
tem Hebraica legit, *Propterea ecce ego ſeducens eam.* Sed quomodo intendit illam Deus decipere? Parat illa ſe ad mandendum abſinthium laborum in hoc deſerto, ait Deus, & ego volo eam inebriare lacte uberum meorum, *Loquar ad cor ejus.* Verſio Syriaca apud Cornelium *d* d Corn. in Oſee 2. 14.
fert, *Demulcebo cor illius.* Et iſtud verbum faciet ejus paradiſum, anima ejus liquefiet deliciis, quandiu corpus ejus pœnis anguſtiiſque affligetur, ſed pœnis & anguſtiis ſaccharo amoris mei conditis.

Sanctus Auguſtinus *e* ſuper hæc verba Pſal- e S. Aug. in Pſ. 16. n. 5.
miſtæ. *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras: Perfice greſſus meos in ſemitis tuis,* ait, *Propter verba pacis tuæ, vel Prophetarum tuorum, ego cuſtodivi vias laborioſas mortalitatis humanæ, atque paſſionis. Vt perficeretur charitas Eccleſiæ in itineribus anguſtis, quibus venitur ad requiem tuam.* Viæ planæ factæ ſunt ad delicias uſque: verus Dei ſervus per voluptates tranſit uſque ad felicitatem ſuam; quandiu ſceleſto videtur Juſtus incedere pœnis oppreſſus, & ſingulis interire momentis, cùm irruerit illum anguſtiis impetitum æquè formidabilibus ac ſit ipſa mors, *Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, illi autem ſunt in pace* f. Ipſi f Sap. 3. 2. & 3.
ſunt, more halcyonum, hujuſmodi tempeſtati- g Calep. in Dictionar. v. Halcyon.
bus expoſiti, *Iſtæ autem aves nidos faciunt in mari mediâ hyeme: quibus diebus tanta eſt tranquillitas, ut nihil penitus in mari moveri poſſit,* ait Calepinus g. Id eſt, perfectâ potiuntur quiete, in adverſitatibus conſtituti, & illi qui vident cruces eorum apparentes, intimum non pervadunt illorum cor, quod incomprehenſibili perfunditur voluptate, & dilatatur in anguſtia, ut majorem recipiat ſuavitatem, quam Deus diſtribuit ſecundùm noſtrarum menſuram tolerantiarum, *In tribulatione dilataſti mihi* h. Et, h Pſ. 4. 2.
Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam i. Unde appoſitè dicit Incognitus k, i Pſ. 93. 19.
Poſſunt eſſe verba juſti hominis afflicti, & adverſita- k Incogn. in Pſ. 93. 19.
tibus preſſi. Quia quantò majora pro Chriſto ſuſtinet, tantò ei præmia majora debentur, imò etiam conſolationes dolores excedent: quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis l. *Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus* l er Rom. 8. 18.
m: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita &* m 1. Cor. 1. 5.
per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Paſſiones dicit Chriſti, id eſt, quas patimur propter Chriſtum, vel ad ſimilitudinem Chriſti.

De noſtrorum diſſerit Iſaias *n* metamorpho- n Iſa. 51. 3.
ſi laborum in voluptates, dicens, *Dominus ponet deſertum quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Et ſi oraculum Salvatoris eſt infallibile, ſicuti eſt, *Amen dico vobis: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* †: am- † Matth. 24. 35.
plioribus non indiget conceptus meus probationibus: cùm enim ipſe è mundo vocat nos ad obſequium ſuum, è pœnis nos evocat ad quietem, dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* o. Qualis eſt iſta quies ut ſi- o Matt. 11. 28. &c.
mus opprobrium orbis, theatrum pœnarum, & ſub-

Digitized by Google

& ſubjectum miſeriarum? Secundùm externas
non eſt judicandum apparentias, ſed id eſt ag-
p S. Aug. ſerm. 12. de Verb. Apoſt. c. 8 noſcendum quod ait S. Auguſtinus p, *Regit te ſub
jugo ſuo, & ſub ſarcinâ ſuâ: ut enim ſarcina ejus ſit
tibi levis, & jugum ejus ſuave, ille tibi amorem inſpi-
ravit. Amanti ſuave eſt, non amanti durum eſt. Domi-
nus dedit ſuavitatem.* Nimirum, quòd Deus ſuavi-
tatem cœli ſtillet, ut demulceat pœnas noſtras,
& deliniat animas noſtras experientiâ delicia-
rum abſconditarum in amaritudine, quam de-
guſtare reſpuunt inſenſati. Sic amabiles Iſſacha-
res tranſeuntes mare vitreum, ut accederent ad
thronum gloriæ, deguſtaverunt quaſi fluvios
lactis in amaritudine ipſiuſmet maris naturali,
& invenerunt theſauros inter ipſam ſterilita-
r Deut. 33. 19 tem, *Inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſau-
ros abſconditos arenarum* r.
ſ Pſ. 22. 5 Inebriatus pœnis Propheta Regius ſ tan-
tùm, imò verò magis quàm mundani ſuis ine-
briantur voluptatibus, exclamat, *Calix meus in-
ebrians, quàm præclarus eſt!* Mundani qui magno
hauſtu bibitis Babylonis *poculum aureum, plenum
t Apoc. 17. 4 abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus* t,
quo inebriati eſtis, ad ſanam mentem reverti-
mini, & diſponite vos ad bibendum ſuaviter in
calice Dei, quod eſt ſecũda ratio. Creditis quòd
iſte calix ſit plenus abſinthio, & ego pro certo
vos tenere deprecor, eum effundere ambroſiam
omnino divinam in ſinum animarum noſtra-
rum, ad earum ſitim extinguendam, & ad cu-
mulandas eas deliciis, *Calix in manu Domini, vini
meri plenus mixto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verun-
tamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes pecca-
u Pſ. 74. 9 tores terræ* u. Dominus bibit calicem vini puri
die martyriorum ſuorum; id eſt, omnino puras
ſuſtinuit afflictiones, deſtitutus conſolationibus
interioribus, quod fuit ipſius derelictio, ſicut ip-
ſemet de eâ queritur Patri ſuo, *dicens, Deus meus,
x Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2 Deus meus, ut quid dereliquiſti me* x? Non eſt in no-
bis caput ſatis validum ut bibere poſſimus vi-
num omnino purum; illud nobis ipſe offert mix-
tum, *Et inclinavit ex hoc in hoc.* Duos ipſe habebat
in manu ſuâ calices, ſicut duas uniebat naturas
in perſonâ ſuâ, cùm *in ſimilitudinem hominum fa-
y Philipp. 2. 7 ctus, & habitu inventus ut homo* y eſt; nimirum ca-
licem felicitatis ut Deus, imò verò ut homo
comprehenſor; & calicem tolerantiæ ut Redem-
ptor: effundit igitur liquorem Beatorum in ca-
licem tolerantiæ, *Inclinavit ex hoc in hoc.* Et hoc
artificio pœnas noſtras demulcet, & ſuam facit
ambroſiam ex abſinthio noſtro. *Veruntamen fæx
ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*
Solæ fæces, ſeu pœnæ & anguſtiæ peccatori re-
linquuntur.
Moyſes purgavit aquas Marath amariſſimas,
infundendo in eas baculum, *Et venerunt in Ma-
rath, nec bibere poterant aquas de Marath, eò quòd eſ-
ſent amaræ. Et murmuravit populus contra Moyſen,
dicens, Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum,
qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in
z Exod. 15. 24. & 25 dulcedinem verſæ ſunt* z. Et Eliſeus ſalutarem red-
didit fontem per infuſionem ſalis, *Dixerunt viri
civitatis ad Eliſeum: Ecce civitatis hujus aquæ peſſimæ
ſunt. At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in
illud ſal. Quod cùm attuliſſent, egreſſus ad fontem a-
quarum, miſit in illum ſal, & ait, Hæc dicit Dominus:
Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque
ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc
a 4. Reg. 2. 19. &c juxta verbum Eliſei, quod locutus eſt* a. Salvator au-
b Matth. 5. 13 tem qui eſt *Sal terræ* b. *Id eſt, condimentum homi-
num in terrâ viventium, quia per diſcretionem & e-
xemplarem converſationem* illius, *corda aliorum con-
diri ſeu dirigi debent, ut ſaporem habeant operum vir-
tuoſorum, & ut præſerventur à putredine vitiorum,
quemadmodum ſal confert cibo ſaporem, & à putrefa-
ctione conſervationem*, ait Dionyſius Carthuſia-
nus c, loquens de Prælatis, quorum Princeps eſt c Dion. Carth. art. 10. in Mat. 5. 13
ipſe *Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex
factus in æternum* d: Redemptor, inquam, ingreſ- d Hebr. 6. 20. ex Geneſ. 14. 18. & ex Pſ. 109. 4
ſus eſt in abyſſum pœnarum noſtrarum cum lig-
no Crucis, ut ab iis auferret amaritudinem, &
delicioſum conferret illis ſaporem, duas iſtas
adimplens figuras unico miſericordiæ actu, ut
noſtris inſerviret commodis ac emolumentis.
Aquæ corruptæ, ſaporem deſumunt è ſuavitate
plantarum quas irrigant in ſuo tranſitu: & an-
guſtiæ accedentes ad Jeſum Chriſtum, qui eſt
flos campi, & lilium convallium e, ſuam deſerue- e Cant. 2. 1
runt amaritudinem coram eo, & inde eduxe-
runt ſuavitatem amoris ejus nunquam ſaturati f Thren. 3. 30
pœnis & *opprobriis* f.
Obſecro vos igitur ut iſtam deguſtetis verita-
tem, & agnoſcatis per ſpem veſtram, quòd Jeſus
Chriſtus crucifixus confectus amaritudine, nihil
ſtillat niſi dulcedinem, & quòd omnes pœnæ ad
obſequium ejus ordinatæ, perfectæ ſunt deli- † Pſ. 33. 9
ciæ, *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* †.
Non æquipato agones peccatoris, quem re-
morſus angit inter diſſolutiones ſuas, ita ut dicat
ſicut *dixit Cain ad Dominum; Major eſt iniquitas mea* g Gen. 4. 13
quàm ut veniam merear g: & quem *multa flagella* h h Pſ. 31. 10
undequaque impetunt, cum felici tranquillitate
animarum devotarum, quæ pro tertiâ ratione
eductâ ex experientiâ ſuum incipiunt paradi-
ſum in ipſa tolerantia, cùm è contrà ille ſuum
reperiat infernum in paradiſo quem ſibi propo-
ſuerat. Hæc convenientia foret maximi mo-
menti ad oſtendendum, quòd deliciæ mundano-
rum ſunt amaritudines, & amaritudines San-
ctorum puræ deliciæ: ſed otium quod meo defi-
cit diſcurſui, obſtringit me ad illam ſupprimen-
dam, ideòque ſubrogo in locum ejus teſtimo-
nium Apoſtolorum, & Prophetarum, *Repletus
ſum conſolatione: ſuperabundo gaudio in omni tribu-* i 2. Cor. 7. 4
latione noſtrâ i. *Omne gaudium exiſtimate, Fratres* k Jacob. 1. 2
mei, cùm in tentationes varias incideritis k. *In tribu-* l Pſ. 4. 2
latione dilataſti mihi l. *Quàm magna multitudo dul-* m Pſ. 30. 21
cedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te m!
Ne autem quis imaginetur, ejus dulcedines con-
cedi paucis ex amicis ipſius, oſtendo quòd gra-
tia ſit communis per figuram quæ præceſſit e-
juſdem gratiæ, & per hanc ſequentem rationem.
Fidem facit Sapiens *n* authenticam, quòd po- n Sap. 19. 7. & 8. ex Exod. 14. 29
pulus Iſraëliticus, qui verebatur ne ſepulchrum
inveniret in tranſeundo mari rubro, illud traje-
cit ſine reſiſtentiâ, & inceſſit quaſi ſuper pavi-
mentum florum, quod illi Deus ſtraverat in illâ
profundâ abyſſo, *Et in mari rubro viâ ſine impedi-
mento, & campus germinans in profundo nimio, per
quem omnis natio tranſivit, quæ tegebatur tuâ manu,
videntes tua mirabilia & monſtra.* Mirabile viſu
quaſi ſepem aquarum erectarum in muros inſtar
cryſtalli pellucidi facere latam viam populo
Dei dilecto; & quod non minus eſt, quòd hæc
via contra omnium ſpem, & ſupra totam natu-
ram, eſſet veluti ſpecioſum pratum innumeris
floribus eximiis variegatum; ita ut filii Iſraël
mirarentur intueri hortum voluptatis in mari
procelloſo: hoc ſtupore cientur Juſti, cùm ag-
grediuntur peragere pœnitentiam, quando pe-
dem promovent ad hoc mare rubrum Sanguinis
Agni, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris*

o Apoc. 2. 5 *in Sanguine ſuo* o. Iter infallibiliter ducens ad terram promiſſam. Senſualitas efficiebat ut inimicitas formidarent difficultates, ſed confeſtim ac manum operi applicant, experientia ipſos deliciis cumulat: iter ipſorum eſt terribile apparenter, ſed reverà delectabile: enavigant mare lactis, & quaſi volitant in ſtadio florum, quia per ſatisfactionem mentis, & per oblectamentum quod menſuram ſenſuum ſupergreditur, ad ipſam tandem appelluntur æternam felicitatem.

Quarta ratio validiſſima ad afferendam totam lucem huic cõceptui, & ad imponendos iſti diſcurſui limites, eruetur è ſanctâ charitate, † 1. Cor. 12. 31 *Adhuc excellentiorē viã vobis demonſtro* †. Quæ eſt via dilectionis. Sufficit ut diligamus Deum, ſi velimus gloriæ illius eſſe participes. Doctor qui viam ſalutis ſuæ eſſignat à Chriſto, *dicens, Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* nullam habuit aliam directionem niſi amoris, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente* p Luc. 10. 25. & 27 *tuâ* p. Ratiocinantes ſuper hoc principium, agnoſcemus viam cœli plenam deliciis, cùm amor qui ad illud nos ducit, ſit pater qui eas generat.

Amans quidam profanus dicebat alias, quòd abſente perſonâ quam maximo proſequebatur amoris affectu, omnes tempeſtates vel gratiſſimæ ſibi eſſent faſtidioſæ, lilia ſuam amitterent albedinem, roſæ marceſcerent, & maximæ deliciæ in amaritudinem verterentur: è contrà quòd præſentia objecti ſui eſſet quaſi ſuus Sol oriens, vireſcere faciens ſpes ſuas, animans gaudium ſuum, formans veluti vernum tempus inter extremos rigores, & paradiſum inter terribiliſſimas anguſtias; omnes amores mundani idem enunciant quod hæc paſſio, quæ alias ira potenter ciet ut moveantur impreſſione ab eâ ſibi datâ, & ſuam inveniant complacentiam, ſuasque delicias, ſuas proſequendo intentiones: amor autem Jeſu, qui eſt totus amabilis, qui meruit paradiſum Eccleſiæ ſuæ, *quam acquiſivit Sanguine* q Act. 20. 28 *ſuo* q: illum permittit aſpectu ſuo, *In quem deſi-* r 1. Petr. 1. 12 *derant Angeli proſpicere* r: eumque indulget præſentiâ ſuâ. ſ Joan. 17. 3 *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* ſ: amor Jeſu, qui nos prævenit *in benedictie-* t Pſ. 20. 4 *nibus dulcedinis* t: tantis nos demulcet lenociniis, u Ibid. tantamque noſtro *in capite coronam* u gloriæ ponere paratus eſt: non habebit tantam efficaciam ad demulcendas pœnas, & ad condienda veluti ſaccharo martyria, quantam habet mundanus amor? Ille qui ambigit de potentiâ ejus, nunquam expertus eſt flammam illius, quæ eſt ros x Dan. 3. 50 refrigerans tres nobiles Iſraëlitas x, & paradiſus omnium Juſtorum inter ſeveriſſimas calamitatis inſultationes.

Ipſe eſt amor Dei, hic magnus empiricus qui modo mirabili voluptates educit ſpirituales ex amaritudinibus ſenſualibus. Ipſe docet hoc ſecretum in libro S. Joannis y, qui fuit ipſius ali- y Apoc. 10. 9 mentum, amarum quidem in imo ventre, qui eſt ſentina appetituum, & dulce in ore, in quo verbum authoritatem conciliat gradui rationali, *Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cùm devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Hic amor omz Eccleſia ex Act. 7. 58 nia mutat in delicias, virtus ejus convertit in lilia lapides S. Stephani, *Lapides torrentis illi dul-* a Eccli. 51. 7 *ces fuerunt* z. Et carbones ardentes S. Laurentii in roſas, *In medio ignis non ſum æſtuatus* a. S. Eulalia devorat flammas, quas amor effecit ſapidas; & aliæ ſanctæ Virgines currunt ad ſupplicium ut ad locum deliciarum, ita amor operatur in corde eorum, ut erigat domicilium voluptatum in theatro mortis. Amor non poteſt eſſe ſine tolerantiâ: ſuas enim peragere debet probationes, & ſuis effectibus teſtimonium perhibere virtuti naturæ ſuæ: & tamen amor eſt incapax tolerantiæ, quia confeſtim ac amor tetigit cor, tolerantiæ mutantur in delicias, *Servivit Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris* b Gen. 29. 20 *magnitudine* b.

Amate, Animæ Chriſtianæ, ut doceamini ex experientiâ hanc veritatem, quam referre non poteſt verbum. Vos autem homines animales *non* percipientes *ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt* c vobis, *quorum Deus venter eſt* d: & qui c 1. Cor. 2. 14 paradiſum quæritis in terrâ mortuorum, in cen- d Philip. 3. 19 tro infelicitatum, utilitatem haurite ex hoc diſcurſu, & ab eo eruite notitiam quam ſubminiſtrat vobis Pſalmiſta e, dicens, *Qui diligit iniqui-* e Pſ. 10. 6 *tatem, odit animam ſuam.* Liceat mihi addere huic Textui, *Quin imò carnem ſuam.* Aliquid amplius dico, quòd omnis peccator abhorret à corpore ſuo, etiamſi illi blandiatur; jacturam illius, æquè ac animæ machinatur cùm diſſolutioni indulget. Voluptates quæritis tranſitorias, & animas veſtras æternis privatis deliciis. Quæ major injuria irrogari poteſt animæ, quam illam ſubeundis flammis æternis exponere, ne corpori ipſius denegetur temporanearum momentum deliciarum? Nam, ut ait S. Auguſtinus f, *Qui odit ani-* f S. Aug. in Enchirid. 877 *mam ſuam, non eſt in eam miſericors, ſed crudelis. Diligendo eam quippe ſecundùm ſeculum, odit eam ſecundùm Deum.* Quale autem emolumentum intenditis ut corpus veſtrum è ſuis educat inſanis voluptatibus? Nonne cavere debet à jacturâ paradiſi, cùm communicare debeat gloriæ animæ, & glorificandum ſit per redundantiam felicitatis ejus? Nonne præcipitari poteſt *in ſupplicium æternum* g? O momentum voluptatum quanta g Matth. 25. 46 procuras tormenta animæ & corpori! O momentum paſſionum quantas mereris delicias animæ & corpori, quæ eas conſtanter ſuſtinuerint! *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis* h. Sed dicamus h 2. Cor. 4. 17 denuò, *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Imò & carnem ſuam. Peccator ſuam deteſtatur animam, cùm inclinat illam ad delicias animales, & potentias ejus deſtinatas ex naturali inclinatione ſuâ ad amorem Dei, obſtringit ad amorem profanum mundi. Deteſtatur corpus ſuum, cùm illud ſubjicit paſſionibus ſenſualibus, quæ illud corrumpunt ante tempus, ipſumque onerant ægritudinibus, quæ ſunt fructus diſſolutionum ipſius. E contrà Juſtus mortificans corpus ſuum, animam deliciis recreat Angelicis, & mitigans dominio virtutis tumultum paſſionum, corpus ſuum cuſtodit in oblectamento, æquè ac in integritate. Tandem, Peccator ſuum habet infernum in terrâ, & Juſtus paradiſum ſuum: illi deliciæ ſunt martyria, illi verò martyria ſunt deliciæ.

Hoc ductus affectu concino Deo cum Pſalmi- i Pſal. 16. ſtâ i, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Vel, ut vertit Pintus apud Lorinum k, *Satiabor, cùm aſ-* k Lorin. in Pſal. 16. 15 *pectum feram ad ſimilitudinem tuam.* Domine, omnes creaturæ ſunt infinito modo minores deſideriis noſtris: eas intueri non poſſumus niſi ut *ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas* l ullius l Jerem. 2. 13 veri oblectamenti. *Quemadmodum deſiderat cervus ad*

ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei m. Parum eſt ut ſpes noſtra ſit fruitio anticipata felicitatis illius æternæ, quæ gloriam efficit Sanctorum in cœlo, cùm eædem pœnæ quas perpetimur in curſu peregrinationis noſtræ, ſint delicioſæ interventu ſuavitatum divinæ gratiæ tuæ, quæ demulcet omnia faſtidia noſtra; & inter anguſtiſſimos, quibus opprimimur, in hâc valle miſeriarum, agones, ſanctus amor tuus formet paradiſum cœleſtem; & felicitas noſtra ideæ felicitatis tuæ conformari debeat: oportet igitur ut illam fulciamus ſimilitudine martyriorum tuorum, quæ fuerunt tuæ puriſſimæ deliciæ; & dicamus tibi ſinguli, *Satiabor, cùm afflictus fuero ad ſimilitudinem tuam.* Divide nobis, tuas pœnas, Domine, illæ erunt noſtræ primæ mercedes, donec perveniamus ad æternam.

m Pſ.41, 1.& 2

IN FESTO S. BENEDICTI ABBATIS.

Ecce defunctus efferebatur, Luc. 7.14.

INuſitatum ſum vobis hodiernâ die propoſiturus paradoxum, quòd ſcilicet unienda ſit vita morti, & mors ſocianda ſit vitæ in eodem ſubjecto. Sed quomodonam fieri poterit hæc unio inaudita inter res ita remotas, cùm mors ſit privatio vitæ, vita verò ſit negatio mortis? Etiam, Auditores, licèt ita ſe res habeat, fœdus eſt hodie conſtituendum inter mortem & vitam, unienda eſt illa deformis cum iſtâ ſpecioſâ, jungenda illa tenebroſa cum iſtâ luminoſâ, & peragenda ſtricta conjunctio inter illam ferocem & iſtam demulcentem. Sed dicamus præ admiratione, Specioſa mors, & pulchrior vita! Pulchritudo illius rapit nos in admirationem, ſpecies verò illius ſtupore nos ciet. Magnus S. Benedictus mortuus & vivens; vivens in morte, & mortuus in vitâ; cui vita mors eſt, & mors vita; vita tumulus mortis ejus, & mors cunabula vitæ illius! Sed quomodo concipere poterimus lumina ſplendentia hujus mortis viventis, & illius vitæ morientis abſque luminibus Spiritus ſancti, quibus circumamicta erat B. Virgo? cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave a Maria.*

a Luc.1.28

Audire mihi videor immodicam altercationem ſuſcitatam aliàs inter voluptatem & dolorem circa poſſeſſionem hominis, & quòd ad terminandum diſſidium tanti momenti intentâ utrimque lite coram magno Judice, dolor allegat pro rationibus ſuis, quòd homo ad ſe pertinet, quia eſt filius doloris, ſicut *Rachel, egrediente anima præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii ſui Benoni, id eſt, filius doloris mei. Mortua eſt ergo Rachel* b præ dolore pariendo filium ſuũ Benjamin. Cùm naſcatur in dolore, ſuſcipitur inter brachia doloris; faſciæ ejus infantiles, cunæ, & educatio non ſunt niſi lacrymæ, dolor, & miſeriæ, ſicut & inconſtantiæ, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: Qui quaſi flos egreditur & conteritur; & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos; & adducere eum tecum in judicium* c. Et prima vox quam emittit, eſt lacrymarum & doloris, vitamque peragit inter curas & ſolicitudines, & inter eas cum lacrymis & dolore illam abſolvit; ut ait Salomon d de ſe, licèt filius Regis, *Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans: in involumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Voluptas è contra ait, quòd ipſa ſit hominis domina, quia naturaliter inclinatur homo ad gaudium, omnes affectus ejus eunt ad gaudium, & velut eſſentialiter eſt filius gaudii, *Vocavit Abraham nomen filii ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac, Dixitque Sara, Riſum fecit mihi Deus* e. Iſaac enim idem eſt ac riſus, vel gaudium. Et ſcopus ejus & finis illius non eſt niſi gaudium; deliciæ, & voluptas, *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* f. Et, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ* g. Pronunciat areſtum rationibus utrinque allegatis innixum *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* i, quòd voluptas & dolor mutuam inirent ſocietatem; quòd amicitiam fœdere indiſſolubili pangerent, matrimonium adinvicem contrahendo, quod homo foret filius utriuſque; & quòd pro una voluptate innumeros haberet deinceps dolores, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat* k.

b Gen.35. 17.&c

c Job 14. 1.&c

d Sap.7.3. &c.

e Gen.21. 3.& 6

f Iſai.32. 18

g Pſ.35.9. & 10

i Act.10. 42

k Prov. 14.13.

Eandem mihi videor audire contentionem, & eundem ſucceſſum cauſæ inter Mortem & Vitam. Sicut cùm aliàs, juxta commentum fabulæ, vulpes laudabat pellem variam tigridis; Plures etiam (dixit ei truculentum hoc animal,) habeo ſævitias in corde, quam notas & varietates in pelle meâ: Ego autem, reſpondit vulpes, plures intùs habeo calliditates & aſtutias, quam tu habeas crudelitates: ſic vitæ admiranti deformitates horribiles mortis ait ipſa mors; Penes me habeo effectus magis prodigioſos in interiori meo: Ego verò, reſpondet illi vita, majores & ampliores ſuavitates beatificas habeo, quàm tu horrores & ſanguinolentos effectus præ te feras. Nolo vobis, Auditores, loqui de morte, quæ ſeparat animam à corpore; quæ deplorandam peragit diſſolutionem duarum illarum partium quæ ita ſpecioſum faciunt compoſitum; ſed de eâ quæ mortificat animam & corpus: Ipſa eſt quæ comitem ſe ſociat individuam vitæ, ſi hanc vitam intelligamus eam, quæ oritur à Deo, & vivit Deo, quæ eſt vita gratiæ. Iſta mors præ ſe fert horrores, ſed horrores iſti ſunt ſuavitates vitales. Sumamus S. Benedictum magnum Patriarcham animarum ſanctè viventium in morte, & morientium in vitâ pro prototypo Mortuus erat & vivens. Ego autem cupio vobis oſtendere in progreſſu orationis illius, mortem ejus in vitâ ipſius, & vitam illius in morte ipſius ſimul.

Propoſitio.

Hanc aggredior concionem ex quadam ſpecie miraculi. Mirabile viſu mortuum qui incedit, qui currit, & qui e mundo fugit! Poſtquam enim

l Pſ.54. 7 & 8

enim dixit cum Davide l, *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ; & volabo, & requieſcam?* ſtatim ſubdit effectu, æquè ac verbo cum eodem Pſalmiſtâ, *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Et quare, niſi quia erat mortuus? *Ecce defunctus efferebatur.* Felix mors tota plena vitâ. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur,* ait S. Joannes m. Quomodo autem mori poſſunt illi qui vitam amiſerunt? cùm mors non ſit aliud niſi jactura vitæ, iſtud eſt quod obſervat S. Ambroſius n ſuper hæc verba, dicens, *Quis mortuus mori poteſt? Nullus procul dubio mortuus mori poteſt, niſi prius animam accipiat, ut iterùm mori poſſit. Sed illi ſunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui priùs moriuntur ſeculo, poſteà carni, qui priùs hominem veterem* o, *id eſt, omnes nequitias ſpirituales & carnales in ſe extinguunt, ut poſſint dicere cum Apoſtolo* p, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Conformiter ad S. Ambroſium de hâc eadem morte myſticâ loquitur Dionyſius Carthuſianus q ſic, *Beati mortui, id eſt, qui mortui ſunt huic ſeculo, & peccatis, imò ſibi ipſis, videlicet propriæ voluntati, & omni vitioſæ affectioni, atque mundanæ vanitati, qui cum Apoſtolo* r *dicere poſſunt, Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* De taliter mortuis alibi dicit Paulus, *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo* ſ? *Et, Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo* t. *Hi ſunt qui dominantur animo ſuo* u, *& vincunt ſe ipſos, oduntque peccare amore virtutum, atque ſincero Dei intuitu. Qui in Domino moriuntur, per ſeparationem animæ à corpore; Hi enim perſeverando uſque in finem* x, *nonniſi in Domino feliciter moriuntur.* Igitur Benedictus noſter magis effectu, quàm nomine, valedicens ſeculo, moriens mundo, elegit pro tumulo cavernam obſcuram, in qua ſuâ morte vivebat, & vita ſua ordinariè moriebatur; ut canit Eccleſia in ejus Legendâ, *Benedictus, Nurſiæ nobili genere natus, Romæ liberalibus diſciplinis eruditus, ut totum ſe Ieſu Chriſto daret, ad eum locum, qui Sublacus dicitur, in altiſſimam ſpeluncam penetravit: in quâ ſic per triennium delituit, ut unus id ſciret Romanus Monachus, quo ad vitæ neceſſitatem miniſtro utebatur.* Collocemus, ſi placet, exiguum epitaphium ſuper hunc tumulum, hic jacet amor, mors, & vita. Amor ad vivendum & ad moriendum, mors ad fovendam vitam; & vita ut poſſit more oppeti. Ipſe eſt amor qui facit hunc Sanctum mortuum, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* y. Quomodo enim moreretur, niſi amaret? & ita eſt mors, quæ facit illum viventem: nam quomodo diligeret, niſi viveret? Admirabile prodigium! Oculi ejus aperti, aut clauſi, quomodocumque volueritis, vident æquè parùm ac oculi mortuorum: Valete, ait ille, vanitates, pulchritudines, divitiæ, pompæ, nulli ſunt ampliùs in me oculi ad vos intuendas. Aures illius obturatæ amore, non audiunt ampliùs: Valete, inquit ille, cantilenæ, muſicæ, ſonique ſuaviſſimi, nullæ ſunt ampliùs in me aures, quibus audiam vos. Odoratus ipſius non olfacit ampliùs, Valete, dicit iſte Sanctus, odores, unguenta aromatica, nullus ampliùs eſt in me odoratus ad vos olfacienda. Guſtus illius non deguſtat ampliùs: Valete, ait iſte vir eximius, fercula exquiſita, cibi delicati, epulæ, & convivia, nullus mihi ſupereſt guſtus ad vos deguſtanda. Manus & corpus ejus non tangunt ampliùs: Valete, inquit ille, voluptates & deliciæ corporeæ, nullus eſt ampliùs in me tactus ad vos percipiendas. Lingua ipſius non loquitur ampliùs, uſus ſermonis eſt illi ereptus, vox ejus jucundos ſuos reſonare non facit ampliùs accentus. Imaginatio ejus nullas ampliùs efformat cogitationes de objectis ſenſibilibus, omnes illorum ideæ ibi ſunt deletæ, & à recordatione illius penitus expunctæ. Mortuus eſt, ut uno dicatur verbo, *Ecce defunctus efferebatur.* Sed quid tam inclementer vitam eripuit omnibus ſenſibus illius? Amor ſanè. Violentus amor! Quid dico de amore? ne loquamur de eo, quæſo vos, cùm pauci operationem illius intelligant, nec in ſermone, qui fit de illo, ſibi complaceant. Dicamus ergo potiùs, quòd vita peremit omnes ſenſus ejus: vita gratiæ quæ eſt vita animæ, ſicut anima eſt vita corporis; ipſa eſt charitas, quæ iſtam edidit ſtragem, ait de Ponte z, *Sed quoniam peccata repullulant per carnis concupiſcentias, & ſenſus, has charitas mortificare conatur.* Imò ideò, inquit S. Auguſtinus a, *Fortis eſt ut mors dilectio, quia ſicut mors animam avellit à ſenſibus carnis, ſic charitas à concupiſcentiis carnalibus. Quod ſic confirmat S. Gregorius: Dum per dilectionem à vitiis mortificamur, quod mors agit in ſenſibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis* b. *Singulæ virtutes ſingula vitia ac peculiares concupiſcentias circa quædam objecta, ut temperantia occidit gulam, ac ebrietatem, & omnes effrenes circa delectabilia guſtus concupiſcentias: avaritiam verò & affectiones ad divitias interficit liberalitas: humilitas autem ſuperbiam, ambitionem, & honores vanos: at charitas mors eſt univerſalis omnium vitiorum, & concupiſcentiarum, cunctaque externa quæ illarum ſunt nutrimentum, validè ſeparat, & relinquit, divitias contemnit, rejicit honores, vilipendit ſalutem, imò & propriam vitam ſpernit, ipſamque amplectitur mortem, ut dilecto ſuo placeat. Nam ita moriendo, meliorem conſequitur vitam, nec violenter moritur, ſed ſponte, quia ipſam mortem corporalem elegit, ut priorem mortem vitiorum occîdat, ut ſibi illud Propheta* c *uſurpet: Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde, id eſt, tanquam mortuus ex corde, & voluntate meâ; mortuus etiam in corde & voluntate propriâ, utpote qui omnes ejus motus interfecerim, ut Deo vivam. Mortem hanc (ait S. Bernardus) quæ fit à corde, infert charitas, de quâ loquitur Sponſa in Canticis* e. *Vulnerata charitate ego ſum. Fortis quippe eſt mors dilectio, & mortem in nobis, non vitam occidit. Unde & audacter minatur: O mors, ero mors tua* †. *Peccatum extinguit quod animæ vitam expulerat, animamque reſtituit innocentiæ. Sed monet S. Bernardus* d *ſubtilem quæſtionem; Si prævalet, inquit, morti charitas, ita ut illam in congreſſu perimere poſſit, cur dicitur fortis ut mors, & non potiùs morte fortior? An fortè quia ipſa eſt mors, & ſeipſa fortior eſſe non poteſt? Bona mors non vitæ, ſed mortis. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam etſi adimit, non perimit: adimit quidem, ſed ad tempus reſtituendam in tempore. Denique, Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ* e. *Libenter igitur carebo ad tempus, ut in æternum poſſideam. Ita Bernardus.* Ipſa igitur eſt gratia, ſeu charitas, quæ mortem intulit omnibus ſenſibus S. Benedicti, quæ proſtrato Holoferne amoris proprii in S. Benedicto, animam ejus excipi facit ab Angelis, ſicut cùm *Iudith percuſſit bis in cervicem* Holofernis, *& abſcidit caput ejus,* Iſraëlitæ (qui nihil aliud ſignificant niſi videntes Deum) *univerſi adorantes Dominum, dixerunt ad eam, Benedixit te Dominus in virtute ſuâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros* * Quaſi dicerent ei Angeli, Anima heroica prædita gratiâ, *Benedixit te Dominus in virtute ſuâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos* domeſticos tuorum ſenſuum,

m Apoc. 14.13

n S. Ambr. in Apoc. 14.13

o Ex Coloſſ. 3.9

p Galat. 6.14

q Dion. Carth. art. 15 in Apoc. 14.13

r Galat. 2.20

ſ Ex Rom. 6.2

t Ex Coloſſ. 3.3

u Ex Prov. 16.32

x Ex Matt. 24.13

y Cant. 8.6

z De Pont. lib. 10. in Cant. 8.6. exhort. 8. parag. 4

a S. Aug. epiſt. 29. ad Hier.

b S. Greg. in Cant. 8.6

c Pſ. 30.13

d S. Bern. epiſt. 42.

e ex Cant. 2.5. juxta LXX.

† Ex Oſee 13.14

d S. Bern. epiſt. 42

e Ex Coloſſ. 3.3. & 4

* Judith 13.6. &

Digitized by Google

f Mich. 7.6

ſuum, juxta id quod ait Scriptura, *Et inimici hominis domeſtici ejus* f. *Quocirca nunc pariter licet uſurpare celebrem hanc ſententiam Michæ, quæ in commune proverbium abiit: Et inimici hominis domeſtici ejus. Eſt enim hæc generalis ſententia, quæ uſum habet in omni loco, materiâ, & tempore,* ait Cornelius g.

g Cornel. in Mich. 7.6

Sed nunquid non aliqui adhuc in S. Benedicto remanent intùs abſconditi inimici? Ubinam eſt cor, jecur, cerebrum? ubi eſt intellectus, voluntas & memoria? ubi ſunt appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis, & omnes affectus? hæc omnia mortua ſunt. Quis horror! quanta carnificina! effectus ſanguinolenti! Objecta ſenſibilia aggredimini hanc voluntatem, in vanùm veſtros in eam conatus adhibetis, ipſa mortua eſt; inſurgite in hunc intellectum, fruſtrà contenditis in eum, nullus eſt in eo motus: præſentate vos iſti memoriæ; non eſt in eâ ulla ampliùs recordatio; irruite in hos appetitus, contra hunc iraſcibilem; nulla eſt in eo ſcintilla, ſed totum quod in illo eſt, cinis eſt: adversùs hunc concupiſcibilem; nullus eſt in eo ſtimulus: totum eſt mortuum in S. Benedicto, totum eſt in eo inſenſibile, imò inſenſibilius ipſis rupib⁹, quæ, licèt inſenſibiles ſint, imò & ipſa inſenſibilitatis imago, extrema ſaltem reddunt verba, aut extremas ſyllabas: ipſe eſt Sol ſine claritate, ignis ſine calore, ver ſine floribus, flos ſine decôre, roſa ſine odore, lilium ſine albedine, cùm hæc omnia ſint in eo mortua quantùm ad mundum.

h Orig. l. 9. in Rom. 12.1

Origenes h ſcribens ſuper hæc verba Apoſtoli, *Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum,* ait ad hoc propoſitum, *Hi, qui membra ſua mortificant, hoſtiam viventem rationabiliter afferunt, & ſacrificiorum legem quæ in Levitico i lata eſt, ſecundùm ſpiritalem intelligentiam complent. Unuſquiſque ſi ſuperbiam corporis ſui vincat, immolet vitulum; ſi iracundiam ſuperet, arietem juguler; ſi libidinem, in holocauſtum offerat hircum; ſi vagos & lubricos cogitationum reſecet volatus, columbas & turtures immolaverit.*

i Ex Levit. 1.5. &c

Præclara ſacrificia, ubi omnia vitia inveniunt mortem & deſtructionem. Tota vita S. Benedicti non fuit niſi mors continua, & ex quo ſe recepit in ſupradictam ſolitudinem, nunquam ſuam dereliquit frontem abſque ſudore, ſemper occupatus ad fodiendum illurum ſepulchrum in vitâ ſuâ: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo,* ajebat S. Paulus Coloſſenſibus k.

k Coloſſ. 3.3

Mors eſt apparens, & vita latens: At ipſa eſt vita, quæ eſt apparens, cùm mortui, dicetis mihi, non operentur aliquid: nihil autem operari, nunquid non eſt eſſe otioſum? & nunquid non otium eſt vitium? & ſi vitium, quomodo tot iſtæ mortes? Præclara mentis acies, ſed quæ retunditur a S. Bernardo l loquente de S. Malachiâ, cujus verba appoſitè congruunt S. Benedicto, *Si videres hominem ſolum & ſecum habitantem, putares ſoli vivere Deo & ſibi. Quomodo otioſus, qui exercebatur in juſtificationibus Domini* m? *Nam & ſi habebat tempus liberum à neceſſitatibus plebium, non tamen à ſanctis meditationibus feriatum non orandi ſtudio, non ipſo otio contemplandi. O munus perfectum! ô holocauſtum pingue! ô obſequium gratum mente & manu! Quàm bonus odor Deo* n *in orationibus otioſi! quàm bonus hominibus in ſudoribus occupati! Propter hujuſmodi ergo dilectus à Deo & hominibus* o. Quid autem ſunt omnes iſtæ mortes præfatæ niſi effectus vitæ, & identitas virtutum? Et ſi iſti oculi, quos videmus in S. Benedicto, non ſunt oculi ipſius; ſi iſtæ aures non ſunt aures ipſius; ſi lingua hæc non eſt lingua ipſius; ſi pedes iſti non ſunt pedes ipſius; ſi manus iſtæ non ſunt manus ipſius; ſi iſti ſenſus interni & externi non ſunt ſenſus ipſius; ſi hæc mens, voluntas, & memoria non ſunt mens, voluntas, & memoria ipſius; dicamus quòd alia ſit voluntas, alia memoria, alia mens, alii ſint oculi, aliæ aures, alii pedes, aliæ manus, alia lingua, alii ſenſus interni & externi ſpectantes ad ipſum, & viventes in ipſo ut poſſimus ei applicare hoc dictum Senecæ p, *Imperavi mihi ut viverem: aliquando enim & vivere, fortiter facere eſt.* Quaſi diceret, Condemnavi omnes ſenſus meos, & totum memetipſum ad mortem, ut poſſem vivere: nam eo modo vivere, eſt heroicè & magnanimiter operari.

l S. Bern. ſerm. de S. Malach.

m Ex Pſ. 118.48

n Ex 2. Cor. 2. 15

o Ex Eccli. 45.1

p Senec. epiſt. 78

Educenda eſt igitur hæc vita ex iſta morte, & exhibenda intuenda ut lux, de quâ loquebatur quidam antiquus, dicens, quòd ſi Deus poſſet eſſe compoſitus, haberet lumen pro corpore, & veritatem pro animâ. Alioquin ſi non vocemus eàm niſi nomine mortis, Miſeranda virtus, exclamabit ſemper occidendo ſe *Marcus Brutus*, qui *fuit unus ex Cæſaris Dictatoris percuſſoribus, qui in campis Philippicis ab Octavio & Antonio victus, necem ſibi conſcivit* q; Deploranda virtus, inquam, contentâ voce jugiter inclamabit magnus ille Dux, violentas ſibi manus injiciens, tu non es niſi phantaſma & ſimulachrum; aut ſi es aliquid magnum, ſplendor tuus non invenitur in hoc ſeculo. Hæc dicebat illuſtris ille Romanus, quia nunquam viderat hanc virtutem, hanc vitam animæ, lumen ejus, honorem illius, & decôrem ipſius, cùm decor & pulchritudo animæ virtutum qualitatibus coaleſcat. Atqui vultisne videre pulchritudinem hujus vitæ, & corpus hujus virtutis eminentis? Projiciendi ſunt duntaxat oculi in S. Benedictum.

q Calepin. in Diction. v. Brutus. ſanal.

Ecce ipſa exhibetur intuenda. En caput ipſius elevatum prudentiæ: ecce ipſe S. Benedictus extra tumulum ſuum, ſeu eductus ex obſcurâ ſuâ cavernâ, & poſitus ut *lux mundi ſuper candelabrum* montis Caſſini, *ut luceat omnibus qui in domo ſunt* r ipſius Monaſticâ, & cæteris animabus fluctuantibus inter procellas tenebroſas maris hujus ſeculi tanquam pharus, & velut cuſtos qui à longè ſpeculetur, & exploret,

r Matth. 5 15. & 16

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ ſint ventura trahantur.

Ecce frons ipſius lata, ſerena inſtar cœli, magnanimitatis ipſius: æquo enim ſuſtinuit animo injurias ſibi illatas à quodam Florentio, qui poſtquàm famæ ipſius detraxerat, vitam ipſi eripere veneno fuerat machinatus. Ecce vox illius fulminans ad redigenda in cineres templa & altaria profana idolorum, zeli ipſius: ſupererant enim adhuc in monte Caſſino aliquæ reliquiæ Paganiſmi, nimirum templum, & idolum Apollinis, quod plebeii homines Pagani adorabant, & ſacrificabant falſis diis ſuis: quod cùm didiciſſet ſanctus Benedictus, illuc perrexit, idolum contrivit, aram evertit, & ſylvam ſuccendit, ubi ſacrificia offerebantur diabolis. Aures illius parvæ, apertæ, firmæ, & nullo modo languentes, obedientiæ, virtute cujus ſuos faciebat incedere Monachos ſuper aquas, quaſi ſuper terram: Oculi illius glorioſi ſimplicitatis & puritatis, quibus omnes illuſiones dæmonis apparebant detectæ: Supercilia & palpebræ judiciorum æquorum, quæ zelus virtutis ip-

Digitized by Google

ſius reddebat inflexibilia: teſtis eſt excommunicatio duarum illarum perſonarum, cujus mentio fit in Legendâ vitæ ipſius: Naſus ritè formatus prudentis ſubtilitatis: Lingua ſoluta orationis: Genæ pudoris: Collum abſtinentiæ: Stomachus fortitudinis: Humeri patientiæ: Manus operationum. Pedes bonorum & purorum affectuum. *Pes tuus affectio tua*, ait S. Bernardus *ſ*. Renes præcincti continentiæ: *Lumbos enim præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus*, dicit S. Gregorius *t* unus è filiis ejus ſpiritualibus. Genua humilitatis. Venter temperantiæ: Oſſa potentiarum robuſtarum: Nervi pacis: Spiritus vitales donorum infuſorum: Cor charitatis: Vita gratiæ: Sanguis meriti Jeſu Chriſti: Fel manſuetudinis: Jecur liberalitatis: pulmones deſideriorũ cœleſtium: Brachia juſtitiæ: Pectus æquitatis. Hæc omnia vivebant in hâc animâ ſpecioſâ, & inter mortes corporis naturalis, omnes iſtæ partes corporis ſpiritualis propriâ vitâ vivebãt. Sed quot mortes ad conſervãdas vitas iſtas? quoties Satanas tentavit illas extinguere? Sed quidquid attentaverit in caſſũ *Princeps hujus mundi* u, *& poteſtas tenebrarũ* x, iſtæ vitæ ſemper fuerunt ita vivẽtes ut multi mortui fuerint mũdo, illarũ ſplẽdoribus illuſtrati, & ad ſequendas iſtas vitas inſtar lucernarum ardẽtium, quæ infallibiliter dirigerent ad veram vitam, inter quos fuit S. Gregorius ſupradictus, à quo *protinus additur: Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus. De quibus profectò operibus Dominus dicit: Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt* y. Splendens lumen iſtud certamen inivit ſingulare cum tenebris: *Dum igitur ei quadam die ardentes ad libidinem faces à diabolo ſubjicerentur, ſe in vepribus tandiu volutavit, dum lacerato corpore, voluptatis ſenſus dolore opprimeretur*, canit Eccleſia in Legendâ ipſius. *Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem* z, inſpirat ei halitus venenatos, tentationes impuritatis, ad extinguendas omnes iſtas vitas; apparens ei ſub figurâ horribili avis nigræ, aut papilionis nocturni volitantis circum iſtas vitas, & lucernas ſplendentes ad illas obſcurandas & extinguendas. Ecce S. Benedictus confeſtim amoris impudici ardenti igne ſuccenſus. Ha, inquit iſte Benedictus heros, luctemur nudus cum nudo! Suo exuit ſe veſtimento. Sed quare? nonne ſtultitia videtur hic agendi modus? Etiam, Auditores: ſtultitia eſt præ oculis hominum, ſed eminens ſapientia coram Deo. Hoc innuere volebat, quòd ad hoc ut quis ſit caſtus, debet eſſe pauper; & quòd ad hoc ut vincat, debet eſſe nudus, non ſolùm rebus externis, ſed etiam ſeipſo. Sic nudatus ſe projicit ſuper faſcem acutarum & pungentium ſpinarum, ſeque ſuper eas ita vertit & reverſat, ut non videatur niſi ſanguis fluere è corpore ipſius undequaque lacerato. Sicater ardor iſte, quem ſerpens infernalis exibilaverat in animam ipſius, exhalatus eſt: ſic ipſe cuſtodire voluit ſpecioſum lilium puritatis ſuæ, ſicut decoram animam ſuam inter veptes: ſic ſuo voluit obſignare ſanguine vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ Religioni eſſentialia, quæ ipſe præſcribebat filiis & filiabus ſuis ſpiritualibus, poſtquàm ipſe reliquerat *omnia, &* a ſecutus erat Dominum ſuum. Sic accedere voluit ad Deum ſuum ex transverſo igne hujus rubi ſpinoſi, inſtar alterius Moyſis: *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* b. Specioſa anima purpurata inſtar ſpecioſæ roſæ! & nunquid non oponebat ut ipſa ſpinis eſſet circumcincta? Sanguis vivaciſſimus, qui ebulliens in venis ejus, intendebat facere revivere carnem, ut faceret mori animam! Ha! exire debebat ex hoc corpore, ut relinqueret carnem proſtratam, & animam ſanam fruentem vitâ ſuâ. Sciebat ſanctus iſte vir, quòd remorſus ſyndereſis magis ſtimularent, quàm aculei hujuſmodi ſpinarum pungerent; idèò maluit ſuſtinere aculeos ſanguinarios iſtarũ, quàm remorſus importunos & indeſinentes illius. Romani præcipiebant ignominioſè erui ſanguinem è militibus, qui infami puſillanimitate illum præſidio fugæ cuſtodire præſumpſerant: ipſe verò agnoſcens quòd puſillanimiter ſe geſſiſſet in certamine iſto ſingulari, probroſè voluit elicere hunc ſanguinem qui præ puſillanimitate videbatur ſuccumbere tentationi. Tandem, ipſe ſe geſſit more elephantis, qui impetitus à dracone inhiante ſanguini ipſius poſtquàm diu cum illo decertavit, vadit innixum alicui arbori, & ſinit ſibi ſugi ſanguinem donec ſentiens ſe nimis infirmatum & ſemimortuum, ipſe cadit moriendo ſuper draconem, & ingenti ac enormi pondere corporis ſui prodigioſi inimicum ſuum aggravat & obruit, vincit illum pereundo, & propriâ morte mortem draconi infert: S. Benedictus, magnus hic elephas & potens virtute, poſtquam furioſè pugnavit cum dracone infernali, foras mittit hunc ſanguinem, quem inimicus ille volebat alterare, eumque proſternit, ſemetipſum projiciens ſuper ſpinas, ubi tentatio manet extincta, caro mortua, & draco debellatus: ſi vita extinxit mortem malam; ſic concupiſcentia manſit mortua in bonâ morte, & gratia vivens in vitâ ſpecioſæ animæ ipſius, cujus vita nunquam ampliùs eſt experta ſimiles alterationes. Sed loco ſpinarum, Deus coronavit illum innumeris luminibus cœleſtibus donorum ſupernaturalium, *gratiarum* gratis datarum, de quibus loquitur S. Paulus *c*. Inter illas autem gratias gratuitas datæ ſunt ei *operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum.* Hæc omnia fusè videri poſſunt in ejus vitâ, quomodo diaboli improperabant ei pro malis, quæ ipſis faciebat potenti virtute ſanctitatis ſuæ; quâ ratione cogitationes cordium intimè pervaderet; & futura prædiceret longo tempore antequàm evenirent, ac ſi præſentia fuiſſent. Nycticoraces illi infernales non valentes ſuſtinere ſplendorem tot luminum, quæ S. Benedictum illuſtrabant, nullos rabiei ſuæ imponebant limites, videndo quòd hæc *lucerna ardens & lucens* d innumeras eſſet accenſura ferè lucernas per univerſum orbem, interventu Ordinis ſacri ab hoc eximio Viro inſtituti, in quo floruit ſanctitas, doctrina, & regimen totius Eccleſiæ Catholicæ: quippe qui produxit tot ſanctos & peritos viros, Abbates, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, tanquam lucernas ſplendentes, imò verò ut conſtellationes elevatas, quin etiam Soles, multos intelligo ſummos Pontifices, qui diu modo direxerunt admirabili Eccleſiam Dei. Propterea non eſt mirum ſi iſtis illuſtriſſimis & ſanctiſſimis Prælatis & ſummis Pontificibus in eodem Ordine ſociati ſunt innumeri Principes ſu-

pre-

ſ Bern. ſer. 13. in Pſ. Qui habitat.
t S. Greg. hom. 13. in Evang. Luc. 12. 35
u Joan. 12. 31
x Luc. 22. 53
y Matth. 5. 17
z Apoc. 12. 9
a Matth. 19. 27. &c.
b Exod. 3. &c.
c 1. Cor. 12. 4. &c.
d Joan. 5. 35

premi, tot Duces, Reges, & Imperatores, qui ſuos deſeruerunt ſtatus politicos, ſua ſceptra & diademata, ut pauperem induerent S. Benedicti habitum, ut in eo viverent in omni humilitate & contemptu mundi, ſub vexillis ejus militantes: & ſi infinitæ ferè nobiles Matronæ, Ducillæ, Reginæ, & Imperatrices ſexu infirmæ in hunc ordinem convolarunt, ut diſcentes benè vivere ſub inſtitutionibus ejus, conſequenter & benè mori edocerentur.

Refert S. Gregorius e viſionem huic ſancto viro exhibitam, his terminis, *Cùm vir Dei Benedictus quieſcentibus adhuc Fratribus inſtans vigiliis, nocturnæ orationis tempore prævenisset ad feneſtram ſtans, & Omnipotentem deprecans, ſubito intempeſtâ noctis horâ reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoque ſplendore claveſcere, ut diem vinceret lux illa quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valde in hac ſpeculatione ſecuta eſt: quia ſicut poſt ipſe narravit, omnis etiam mundus velut ſub uno Solis radio collectus ante oculos ejus adductus eſt. Qui Venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc ſplendore coruſcæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Epiſcopi animam in ſphærâ igneâ ab Angelis in cælum ferri. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum, Angelos quoque ad cælum redeuntes videbat, hæc proculdubio cernere non niſi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum ſi mundum ante ſe collectum vidit, qui ſublevatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quòd autem collectus mundus ante ejus oculos dicitur, non cælum & terra contracta eſt, ſed videntis animus eſt dilatatus, qui in Deo raptus videre ſine difficultate potuit omne quod infra Deum eſt. In illâ ergo luce, quæ exterioribus oculis fulſit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum, cùm ad inferiora rapuit, ei quàm anguſta eſſent omnia inferiora, monſtravit.* Ego verò, ſi meam poſt S. Gregorium liceat mihi proferre ſententiam, perſuadeo mihi, quod iſte mundus exiguus, quẽ S. Benedictus intuitus eſt inter hæc ſplendentia lumina, erat ſacer Ordo ipſius, cujus Cultorum animas, ſicut & Cultricum ſpiritus ex hoc ſeculo migrantes deferunt in cælum jugiter ſpiritus Angelici; cùm ardẽtes zelo imitandi Patriarchæ iſtius, & obſervandæ Regulæ ejus, adhæſerint luminibus, quæ reliquit ipſis in vitâ ſuâ, & poſt diſſolutionem à corporibus ſuis, evolaverunt ad cælum per eandem viam, quam duo è diſcipulis S. Benedicti conſpexerunt pompaticè ornatam, horâ quâ ſanctus iſte vir extremum vitæ halitum exhalavit, & per quam ad cælum pervẽnit, ut refert idem S. Gregorius f, *Quâ ſcilicet die duobus de eis fratribus, uni in cellâ commoranti, alteri autem longiùs poſito, revelatio unius atque indiſſimilis viſionis apparuit. Viderunt namque quia ſtrata palliis atque innumeris coruſca lampadibus via recto Orientis tramite ab ejus cellâ in cælum uſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cujus eſſet via, quam cernerent, inquiſivit. Illi autem ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ipſe ait: Hæc eſt via, quâ dilectus Domino cælum Benedictus aſcendit.* Sic vita fuit in morte, & mors in vitâ; ſic finitæ ſunt omnes mortes ejus transformatæ in vitas, &, ut ait Pſalmiſta g ſub alio ſenſu, *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Animæ Religioſæ, quæ animo pluſquàm humano auſæ eſtis aggredi ſequi mortem & vitam glorioſi Patriarchæ veſtri, ita ſitis viventes in morte ejus, & morientes in vita illius. *Hæc autem nolo te latere,* ait S. Gregorius †, Petrum Diaconum alloquens, *quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoq; verbo non mediocriter fulſit. Nam ſcripſit Monachorum Regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam. Cujus ſi quis velit ſubtiliùs mores vitamque agnoſcere, poteſt in eâdem inſtitutione Regulæ, omnes magiſterii illius actus invenire: quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.* Idẽ vobis dico, Animæ Religioſæ: recordamini verò, quæſo, ceremoniarum illarum, quæ adhibitæ ſunt circa vos in ingreſſu in monaſterium iſtud, deſerendo habitum ſecularem, & induendo habitum monaſticũ, quomodo humi proſtratæ, ſub velo nigro fuiſtis ſepultæ. Mortuæ eſtis, & mortuæ pro ſemper, ſic nunquam vivere debetis ampliùs mundo, nec ſequi maximas ejus cõtrarias innocentiæ, & perfectioni vitæ, quàm profitemini: vita veſtra debet eſſe mors, & mors veſtra debet eſſe vita: Monaſteriũ iſtud eſt tumulus veſter, in quo mors veſtra debet eſſe cognita mũdo, vita verò veſtra ſoli JeſuChriſto nota: *Mortuæ enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcõdita cum Chriſto in Deo* h. Si ſenſus veſtri mortui ſunt omni illi quod eſt mundi, æquè parùm in eo videre debent oculi veſtri ac oculi mortuorum; non dicã, ut curioſè inſpiciatis oculis lynceis ex tranſverſis hujus craticulæ foraminibus quoſcũque ingredientes, & exeuntes, & vos alloquẽtes, ſed ut vosmetipſas exigatis ad ſpecula, & in illis vos intueamini quales ſitis, in ſpeculis, inquam, mentium veſtrarum. Non convenit virginibus mortuis rebus omnibus, ſuos obtutus projicere ſuper omnia, *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm ſemetipſam. Etiam fæminarũ oculos pati nõ vult. Alios ipſa oculos habet,* ait Tertullianus i vobis. Si aures veſtræ mortuæ ſunt, nihil ipſæ debent audire ſeculare, nec ulla ſuſcipere nũtia eorum quæ peraguntur in civitate: nuntia quæ vos edoceri deſiderare debetis, ſunt nuntia alterius vitæ, ut diſcatis ab Angelis, quomodo vivere modo debeatis Angelico; ab animabus purgatorii, quo modo miſereri debeatis ipſarũ, earũ pœnã ſuffragiis & orationibus veſtris ſublevare; & à damnatis, quomodo à deplorandâ illorum ſorte declinare poſſitis. Hæ abſit ne de veſtrâ dicatur domo id, quod vulgò enũciatur, quòd ad hoc ut ſciatur id omne quod dicitur, & quod fit, oportet venire ad monaſterium. *Laudata Locrenſium Lex, quæ, ſi quis peregrè reverſus rogaſſet, ecquid novi? eum mulctâ afficiebat,* ajebat quidam Ethnicus. Mementote, Animæ Religioſæ, quòd ſitis in tumulo, & quòd aures veſtræ debent eſſe mortuæ, nec magis audire quàm aures mortuorũ qui non loquuntur, ſicut nec audiunt. Linguas habetis: & quis auderet eas denegare fœminis? Sed iſtæ debẽt eſſe mortuæ & mutæ, ſicut linguæ mortuorũ, mortuæ quantùm ad omnia, ad quoslibet ſermones, niſi fortè vivæ ad laudãdũ Deũ, ad auſcultanda colloquia ſacra miſcenda cũ perſonis ſpiritualibus, quæ praxi virtutis incũbunt, & vobis prodeſſe poſſunt: interim reliqui ſenſus maneãt in vobis mortui, & ſola mens vivat Deo: ſed inter iſtas perſonas feriã etiã exigerẽ directionẽ adhibendam, cùm omnes, quantumlibet præ ſe ſpecioſũ pietatis prætextũ ferãt perſonæ, hujuſmodi colloquiis ſpiritualibus miſcẽdis promiſcuè nõ ſint idoneæ: ſi enim Bonorũ ſermones ædificãt, malorũ colloquia deſtruunt, & ſi illi nobis proſunt, iſta nobis obſunt plurimũ. Una è præcipuis notis, quibus Medici morbos agnoſcunt, eſt inſpectio linguæ. inter infirmitates animæ, quæ ſunt paſſiones inordinatæ, non intueor certiorem notam ad eas dignoſcendas, quam ſit con-

e S. Greg. lib. 2. Dial. c. 35

f Idem ibid. c. 37

g Pſ. 138. 12

† S. Greg. lib. 2. Dialog. c. 36

h Coloſſ. 3. 3

i Tert. lib. de Virg. veland. c. 15

Digitized by Google

conſideratio verborum ; colloquia ſpitiτualia ſunt notæ ſanltatis animæ. Nihil dico de ſenſibus guſtus, odoratus, & tactus, cùm more Angelorum, imò ſupta Angelos, in vobis illi eſſe debeant, quaſi non ſint quantùm ad ſenſus internos memoriæ veſtræ extinctæ in hâc ſelici morte mundi, debent extinguere omnes ideas ſeculi, & prohibere ingreſſum ſalſorum lenoriniorum mundi. Mentes veſtræ mortuæ omnibus objectis ſenſibilibus, non debent occupari niſi in contemplatione virtutum, perfectionum, donorum cœleſtium, & utiliſſimarum viatum ſpiritus: *Eſt in quavu caſu fortu ac valida anima ejus, qui eſt cognitiont pradnus*, ait Clemens Alexandrinus *k*. Sic

k Clem. Alex. lib. 7 Stromat. circa med.

familiariores eritis Deo, quò magis ad divinam ejus notitiam accedetis. Voluntates & affectiones veſtræ debent præ cæteris eſſe mortuæ: mortui non moventur è loco, in quo collocati ſunt, non irritantur ex eo quod ipſis dicitur, non excandeſcunt propter id quod ipſis fit, nec volunt niſi id quod volunt illi qui ipſorum contrectandorum habent authoritatem; & ſi affectiones cemanerent in vobis vivæ erga aliquam creaturam, zelotypiâ duceretur cœleſtis veſter Sponſus, *Virgo cogitat qua Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu* l. Nihil invenire debetis ſpecioſum præter eum, nec aliquid gratum & dignum quod veſtras non dico, accendat cogitationes, ſed quod illas ad ſe trahat, prætet illum: mortuæ debetis eſſe reliquis, vivæ illi ſoli, & propter eum ſolum. Nihil æquè admirantur Angeli ac iſtam virginitatem, profundè ceverentur hanc puritatem, quæ naturam conculcat, de ſanguine triumphat, mundum deridet, infernum vincit, & maximum appacet oculis mundi miraculum. Ipſa ſimilis eſt gemmis; quantùmlibet exiguus in illis defectus obſervetur, ipſarum precium immodicè diminuit: cavete ne aliquid obſervetur in vobis vivum ex omni eo quod in vobis debet eſſe mortuum: minima nebula imper-

l 1. Cor. 7. 34

fectionis obſcurat totum ſplendorem reliquæ pulchritudinis ejus. Sufficit ut ſola vita ſpiritus ſit viva; vita ſublimiter elevata ſupra id omne quod ſapit infirmitatem ſenſuum, & gravitatem terræ: vita ardens, immunis ab otio, & ab omni languore.

Animæ Religioſæ, quæ motu velociori quàm ſit ventus, ſicut Delphines, parvi iſti reges maris, non contentæ curſu ordinario navis Religionis, interventu auſteritatis & exactæ obſervantiæ perfectionis Evangelicæ *m*, debetis ire ſupra regulas & conſtitutiones Ordinis veſtri, ſicut iſti piſces velocitate curſus ſui antecedunt naves, faxit Deus ut aſcendatis ſupra Angelos ad Deum uſque; & ne demulcens ſuavitas ſenſuum corporeorum languere faciat aciem virtutis veſtræ, ſicut dicitur de Delphine, quòd, ubi comēdit de Pompilo, qui eſt quædam piſcis ſpecies, dulcedo illius reddit ipſum torpentem ac lethargicum abſque motu, ita ut ſenſus illius omnes torpeant ad omnem facultatem naturalem exercendam; ita ut ſolus ſuperſit ipſi viſus, quo intueatur anguſtias miſeriæ, ad quam eſt redactus: nullam deinceps haber induſtriam, quâ reſiſtat undis ipſum ad littus propellentibus, ut ibi pereat; ſeſe conſpicit arenæ marinæ adhærentem, nec inde moveri poteſt, ita hæc venenata ſuavitas ipſum opprimit, & quandiu ſolvit ſuaviſſimam eſcam ſuam, ibi devoratur ab avibus raparibus: declinate à guſtu, à tactu, imò & à viſu horum pompilorum inebriantium, qui ſunt exiles voluptates ſenſuum, memores illius, quod edocet vos S. Cyprianus n, *Cùm caſta perſeveratis & Virgines, Angelis Dei eſtis æquales*. Hæc igitur virginitas eluceat in actionibus veſtris, in verbis veſtris, & in cogitationibus veſtris, ut verè virgines, & inſtar Angelorum, coronari mereamini in cœlis cum Virginibus & cum Angelis ab eo qui eſt ipſa Puritas *o* per eſſentiam, & prima Virginitas, *Prima Trias Virgo eſt* p.

m Matth. 19. 27. &c.

n S. Cypr. tract. de habit. Virgin. n. 13

o Iſai. 6. 3

p S. Greg. Nazian. carm. de Virgin.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14. &c.

QUàm immodica eſt hominum malitia! ſed quàm inutiles ſunt eorum conatus contra Deum! *Foderunt ante faciem* ejus *foveam, & inciderunt in eam* a. Et omnia illorum conſilia non ſuccedunt ipſis niſi ad ipſorum confuſionem. Videmus in Evangelio noſtro, quòd ubi *erat Ieſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*, Scribæ & Phariſæi invidi, ut veſpæ & fœtidæ cantharides, unde debebant eruere mel, inde malitioſè venenum educunt, & inde accuſant eum magiæ, ubi adorare debebant ejus ſanctitatem & omnipotentiā, quam in tanti manifeſtabat exhibitione miraculi; injurias concinunt Soli, qui nimiâ oculos ipſorum perſtringit luce, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* c. Eò procedunt temeritatis, & ita è partibus inſerviſtant, ut ☐erere audeant de eo, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Ha quanta impunitas! Sed Spiritus ſanctus conſulturus honori Filii Dei cuſtodiendo, virtuoſam ſuſcitat fœminam, quæ inter has turbas opertura confuſione frontes iſtorum Satanæ miniſtrorum, in hæc erupit verba tam glorioſa Filio, quàm

a Pſ. 56. 9

b Joan. 1. 9

Genitrici ejus ſanctiſſimæ exaltandæ accommoda, eundem Chriſtum alloquens, *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*. Quaſi diceret, Nedum hæc crimina, quorum inſimularis, ſint vera, quin è contrà tu es *Sanctus Dei* c. Et Mater quæ te *peperit* d, *tota pulchra* eſt, *& macula non eſt in* e eâ. Oportet ut ſanctitas triumphet de malitiâ, & Verbum Divinum referat victoriam de dæmone, ſicut Virgo Deipara contrivit *caput* f ſerpentis, id eſt, peccati, quod ſociari non poteſt gratiæ *g*, cujus ſuſcepit ipſa plenitudinem, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria*.

c Marc. 1. 24

d Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7

e Cant. 4. 7

f Gen. 3. 15

g 2. Cor. 6. 14. &c

h Luc. 1. 28

Non eſt cur miremur ſi à tempore quo lapſus eſt uterque Protoplaſtus noſter dum vetito *de fructu comedit* i, ita furioſè impetimur à dæmonibus, & ſi iſti tantas humanæ naturæ moliuntur inſidias & ruinas: hi ſunt effectus & conatus hoſtis implacabilis, qui cùm non poſſit ſe ipſum ulciſci de Deo, cujus ſeveram invitus experitur juſtitiam, inſurgit in eum, quem ipſemet *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* k. Omnia tormenta ſua bellica explodit in eum,

i Gen. 3. 6

k Gen. 1. 27

eum, inſumit quidquid habet virium adversùs eum, omnem ſuam rabiem totumque ſuum venenum contra illum effundit, nec aliquid eſt cui parcat ut excidium illius machinetur omnimodum; ſed invanùm, & tota malitia ejus non inſervit ipſi niſi ut novas paret ipſi pœnas, quæ ipſum magis angant; induſtrius eſt ad affligendum ſe. Sed *cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat.* Quod innuit, quòd Dei Filius eſſet expulſurus dæmonem è mundo, in quo tyrannicè ſuum thronum collocaverat, *Princeps hujus mundi ejicietur foras* l.

l Joan. 12. 31.

Hanc videmus veritatem in perſona iſtius dæmoniaci, & à lapſu Protoplaſtorum noſtrorum facilè nobis fuit cognitu, quòd *Verbum caro* m faciendum erat, & venturum triumphatum de dæmone (qui triumphaverat de peccatoribus) ne deſereret ſceptrum tyranno, & regnum uſurpatori illegitimo, qui illud non tenebar niſi præ violentia & injuſtitia, *Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum.* Venit igitur Dei Filius ut eripiat ei prædam, & pœnas capeſſat de temeritate illius; ideòque cum illo certamen init. Gloriabatur hic inſolens, & dicebat Deo ſe everriſſe omnia ipſius conſilia. Si viciſti me in *cælo* n; ego te ſuperavi ſuper terram: tu triumphaſti de me in Angelis meis o; & ego triumphavi de te in homine: homo tuus eſt ob imaginem, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* p. Sed meus eſt propter ſimilitudinem, quia reddidi illum peccatorem ſimilem mihi: præcipio illi, & obedit mihi; Dominus illius ſum, & abſolutè à me pendet ille. Ecce bellum initum à longo tempore inter JESUM & diabolum: ſed Chriſtus triumphabit ſemper de dæmone, ut videbitis in priori parte diſcurſus iſtius: ſicut Virgo Deipara triumphavit de peccato, ut cernetis in poſteriori.

m Jo. 1. 14.
n Iſai. 14. 12. &c.
o Apoc. 12. 10.
p Gen. 9. 6

Diviſio.

I. Pars. Homicidæ qualitatem præ ſe tulit diabolus vel ab ipſis mundi naſcentis incunabulis propter magnum odium, quo proſequitur homines, quorum ſuſtinere non poteſt felicitatem, quæ eſt ipſi incrementum pœnæ; omnimodam eorum molitur deſtructionem, *Ille homicida erat ab initio* q. Homicidam ſe exhibuit in Cain, *Conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum* r. Sicut autem Verbum Divinum non venit in mundum, niſi ut nobis præbeat vitam, ſed vitam beatam, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* ſ: Ita diabolus, qui eſt illi è diametro oppoſitus, non quærit niſi mortem, eam machinatur nobis, ſed mortem æternam. Et ſicut legimus, quòd Jacob & Eſau ſemper ad invicem ſibi fuerunt oppoſiti, imò verò vel ab alvo ſuæ matris, nedum unquam mutuam inire poſſent ſocietatem, cùm eſſent veluti duo exercitus ordinati parari ad dimicandum, *Collidebantur in utero ejus parvuli:* Cum non poſſent ſociari ſibi, non ſecus ac frigus & calor in eodem gradu in eodem ſubjecto; in eodem ventre præliabantur uter ipſorum prior inde egrederetur, *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu* t: Cum egreſſi eſſent ex hoc ergaſtulo carneo, *oderat ſemper Eſau Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum* u: Eadem circa finem vitæ ſuæ, cùm jam ſenuiſſent, contendebant de ſucceſſione bonorum x: nec toto vitæ ſuæ curſu deſtiterunt ab indicendo ſibi mutuo bello ab ullis inſidiis immuni: Lucifer & Dei Filius erant adhuc veluti concluſi in vaſto ſinu cœli, cùm *factum eſt prælium magnum in cælo* y: Ecce ex tunc arma præ manibus habent, Lucifer bellum indicit Dei Filio, deſcendendum eſt in arenam; iſti ſunt duo contrarii ex diametro oppoſiti, differentes moribus & inclinationibus, vultu, & omnibus: Jeſus Chriſtus *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* z. Diabolus verò deformiſſimus. Jeſus Chriſtus *peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* a. Et *ab initio diabolus peccat* †. Non amat Jeſus niſi pacem, nec cogitat niſi pacem, *Ego cogito cogitationes pacis* b. Diabolus verò, *homicida erat ab initio* c. Nec ſibi placet niſi in odiis, quæ procurat, & fovet. Jeſus *omnes homines vult ſalvos fieri* d. Diabolus autem illorum jacturam elaborat: Jeſus eſt beatus; diabolus autem eſt miſerrimus, & victima omnium rigorum cœli. Impius iſte vult excutere jugum obedientiæ Domino ſuo ſupremo debitæ, eripere vult ei ſceptrum ipſius, & in throno ejus collocare ſocium, quem Deus nullo ſuſtinere poteſt modo, *Similis ero Altiſſimo* e. Sed altiùs vult aſcendere quàm ſit par, ut ſuum metiatur caſum præ majori confuſione. Inde incepit prælium Satanæ, ibi temerarius iſte victus eſt, & ab eo probroſè ejectus, *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci* f.

q Jo. 8. 44.
r Gen. 4. 8
ſ Joan. 10. 10.
t Gen. 25. 21. &c.
u Gen. 27. 41. &c.
x Gen. 13 1, &c.
y Apoc. 12. 7. &c.
z Pſ. 44. 3.
a 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
† 1. Jo. 3. 8
b Jer. 29. 11.
c Jo. 8. 44.
d 1. Tim. 2. 4.
e Iſai. 14. 14.
f Iſai. 14. 15.

Contentio in nativitate Verbi incarnati, cùm idem Dei Filius *in præſepio* g reclinatus, diabolum efficiat mutum, & idola non reddant ſua ampliùs oracula. Contentio in fuga *in Ægyptum* h, quò videtur fugere; ſed hæc fuga eſt fictio militaris, ut meliùs vincat; ibi evertit idola, eaque conterit, & Sacerdotes ſua deflent altaria diruta, nedum illis erigendis denuò opportuna invenire poſſint remedia, *Ecce Dominus ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus* i. Contentio in deſerto, *Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* k, &c. Audiviſtis prælium initum inter utrumque Dominicâ primâ Quadrageſimæ. Contentio in Cruce, *Ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium; id eſt, diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti* l. Cùm mons Calvariæ eſſet loco theatri huic certamini, in quo diabolus victus eſt, & inviſibiliter cruci alligatus, ut ait Origenes m, *Crux Domini noſtri Jeſu Chriſti gemina fuit; hoc eſt, geminâ ratione conſtat & duplici. Quia viſibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus eſt: inviſibiliter verò in ea cruce diabolus cum Principatibus ſuis, & Poteſtatibus affixus eſt cruci.* Quæ erat patibulum eidem diabolo, ſicut erat ipſa Jeſu currus triumphi, *Dominus regnavit à ligno* n, ut aiunt Patres poſt ſacram Scripturam. Contentio etiam in inferno: ibi enim Verbum ſpoliavit diabolum univerſis victoriis ejus, *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* o. Tandem, Totus vitæ Jeſu Chriſti curſus ſitus fuit in expugnando diabolo, deturbando eo de throno, & *ad infernum in profundum laci* p detrahendo.

g Luc. 2. 7.
h Matt. 2. 14.
i Iſai. 19. 1.
k Matth. 4. 1. &c.
l Hebr. 2. 14. & 15
m Orig. hom. 8. in cap. 8. Joſue.
n S. Aug. in Pſ. 95. 10. S. Cypr. de montib. Sina & Sion n. 49. & Tert. l. 3 contra Marcion. c. 19. & Pſ. 95. 10.
o Coloſſ. 2. 15.
p Iſai. 14. 15.

Gloria Jacob fuit infamia Eſau, magnitudo Jacob fuit occaſio depreſſionis Eſau, & felicitas Jacob erat ſupplicium Eſau: ſic ingreſſus Jeſus Chriſti fuit exitus Satanæ, *Princeps hujus mundi ejicietur foras* q. Incarnatio Jeſu Chriſti eſt hamus Satanæ, Nativitas Jeſu Chriſti eſt mors Sa-

q Joan. 12. 31.

ranæ, Vox Jeſu Chriſti eſt tremor Satanæ, Mors
Jeſu Chriſti eſt ſepulchrum Satanæ, triumphus
r Jo. 20. 1. Jeſu Chriſti r eſt ignominia Satanæ, Aſcenſio
ſ Marc. 16. 19. Jeſu Chriſti ſ eſt præcipitium Satanæ, miracula
Jeſu Chriſti ſunt rabies Satanæ, gloria Jeſu
Chriſti eſt ſupplicium & confuſio Satanæ: hodiernâ
verò die *erat Ieſus ejiciens dæmonium*, expellit
ipſum è corpore hominis, quod exagitabat,
& ipſum obſtringit ad deſerendum locum,
quem ſic injuſtè uſurpaverat.

Ha furioſos inimicos! quantā rabiē diaboli!
quantùm timere debemus & obſervare inſidias
& malitiam ejus, quæ ad noſtram vergunt ruinam,
& cùm ipſe ſit ita temerarius ut in Deum
inſurgere auſus ſit! ſed aliunde quantum capeſſere
debemus animum ex his verbis Salvatoris!
t Jo. 16. 33 *Confidite, ego vici mundum* t. Tertullianus u alloquens
u Tert. in Apologet. c. 50. Imperatores, aut Præſides, ait illis, quòd
tota noſtra juſtificatio, & tota cauſa odii ipſorum
adversùs nos è nullo alio procedebat principio,
niſi quia nos Chriſtiani eramus, illi verò
erant inimici Chriſtianiſmi. *Sed hoc agite boni Præſides,
meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos
immolaveritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite
nos. Probatio eſt enim innocentia noſtra iniquitas veſtra.*
Quânam perfundemur, Auditores, conſolatione
ipſo noſtræ mortis articulo, aut *cùm venerit
Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli
x Matt. 25 31. *cum eo* x: cùm reſpondere poterimus, exoſos
fuiſſe nos inimico noſtro, eò quòd accepeimus
*ſpiritum adoptionis filiorum Dei: quòd filij Dei, ſi autem
filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes
y Rom. 8. 15. &c. autem Chriſti* y ſimus, *qui dilexit nos, & lavit nos à
z Apoc. 1. 5. peccatis noſtris in Sanguine ſuo* z. Quonam autem
pudore ſuffundetur diabolus videre omnes ſuos
conatus inutiles, ſeque nullam poteſtatem habere
niſi ut ſe miſeriorem efficiat æquè ac ſuorum
infortuniorum opificem, etiamſi de ipſo
ſcriptum ſit, *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur
ei, qui factus eſt ut nullum timeret.* Sed confeſtim
a Job 41. 24. & 25. additur, *Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper
univerſos filios ſuperbiæ* a.

Inſurgit diabolus in Deum, ſed non ex nunc:
incepit enim in cœlo, aggrediens omnipotentiam
Dei, cujus volebat jugum excutere, *Similis
b Iſai. 14. 14. ero Altiſſimo* b. *Tetendit enim adversùs Deum manum
c Job 15. 25. ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt* c.
Licèt autem hæc verba communiter intelligantur
de impio, hîc tamen ea ſumere poſſumus pro
eo qui *eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*. Et ideò
impiorum Caput: & juxta hunc ſenſum
Job alludere videtur homunculo, qui volens aſcendere
magnum equum, multi ſe æſtimat, &
omne genus conatûs adhibet: eodem ſe gerit
modo diabolus, hæc vilis creatura, inſurgens
contra Deum Creatorem ſuum. In paradiſo
terreſtri inſurrexerat in ſapientiam ejus, *Cur
d Gen. 3. 1. &c. præcepit vobis Deus* d? inquit, Protoplaſtos noſtros
alloquens. Quanta temeritas! Deum inſimulat
invidiæ, *Eritis ſicut Dij*. Nunc inſurgit contra
potentiam ejus, *Similis ero Altiſſimo.* Si autem
deſideretis ſcire quodnam peccatum fuerit ſcelus
Luciferi, cùm peccatum fuerit ſpirituale,
communis eſt ſententia, illud fuiſſe peccatum
ſuperbiæ. cùm Lucifer renuerit agnoſcere Verbum
Divinum incarnandum, ut Dominum
ſuum, ratus quòd idem Verbum deberet potiùs
aſſumere naturam Angelicam, quàm naturam
humanam, majoris ſe æſtimans, cùm talis eſſet
naturæ quæ meliùs illum videretur ipſi vendicare
ſibi honorem, *Et cùm iterùm introducit Primogenitum
in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes
Angeli Dei.* Sed Verbum Divinum triumphans e Hebr. 1. 6. ex Pſ. 96. 9.
de temeritate ejus, expellit illum è cœlo
ut indignum poſſeſſione ejus, *Videbam Satanam
ſicut fulgur de cœlo cadentem* f. Inde diabolus tan- f Luc. 10. 18.
tam concepit rabiem adversùs naturam humanam,
cujus ſuſtinere non poteſt gloriam, ut vellet
illam deſtruere, ſi in eo tanta poteſtas eſſet,
quanta in illo eſt malitia. Sed ſuum ad exitum
perducere non poteſt conſilium, ita illum vincit
Dei Filius, ut illum digito demonſtrare poſſimus
præ deriſione & exploſione, eò quòd conſilium
formaverit ſic temerarium, & dicere eidem
Deo cum Pſalmiſta g, *Draco iſte quem for- g Pſ. 103. 26.
maſti ad illudendum ei.* Derideamus omnia conſilia
ejus, quæ ad nihil illi inſerviunt niſi ad
confundendum ipſum, & ipſum miſeriorem
reddendum: dicamus ei ut inducamus illum
ad rabiem intuitu vanitatis ſuæ, *Quomodo cecidiſti
de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris* h? Præ ipſo h Iſai. 14. 12.
ponamus felicitatem anteactam, ut hæc cogitatio
ciens illum deſperatione, pœnas illius augeat:
ſuas omnes amiſit prærogativas, nedum
aliquid ipſi ſuperſit præter gehennam, quæ ipſum
angit immodicè. Omnium infeliciſſimus
eſt creaturarum, cùm non habuerit induſtriam
conciliandæ ſibi felicitatis, quæ poterat ipſum
efficere beatiſſimum inter creaturas, quarum
machinatur exitium,

Hodiernâ die in Evangelio noſtro miſerandum
rapit hominem, ſuumque vult eum efficere:
ſed Jeſus Chriſtus qui inſolentias ejus non
poteſt ſuſtinere, eum ab illo aufert ignominioſè.
Diabolus illum poſſidens, heu quamnam adversùs
eum non exercet tyrannidem! Illum
efficit mutum, *Et illud erat mutum.* Statim ac
Jeſus Chriſtus eum illi eripuit, tradidit ei loquelam
ablatam; *Et locutus eſt mutus.* Quandiu
eſt in poteſtate diaboli, *cæcus* i eſt: confeſtim i Matt. 12. 22.
ac pertinet ad Chriſtum, perſpicax eſt, *Ita ut videret*
k. Cùm poſſidet illum diabolus, ſcimus k Ibid.
eum eſſe *ſurdum* l. Ubi reſtituitur Jeſu Chriſto, l Marc. 9. 32.
Statim apertæ ſunt aures ejus m. Quando ſubjicitur m Marc. 7. 35.
diabolo, blaſphemat, *In Principe dæmoniorum
ejicit dæmonia.* Confeſtim ac revertitur ad Jeſum,
illum laudat, *Beatus venter, qui te portavit:*
Cùm penes diabolum eſt, ipſe eſt velut in carcere
conſtitutus, *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium
ſuum.* Statim ac Jeſu Chriſti cliens efficitur,
priſtinam reſumit libertatem, *Univerſa arma ejus
aufert.* Quandiu poteſtati diaboli ſubjacet, peſſimum
habet finem, *Fiunt noviſſima hominis illius
pejora prioribus.* Reverſus ad Jeſum Chriſtum,
beatus eſt, *Beati qui audiunt verbum Dei.* Diabolus
igitur eum poſſidens, reddit illum mutum,
cæcum, & ſurdum, ita ut redigat ipſum in ſtatum,
in quo nihil ampliùs præ ſe ferat niſi apparentiam
hominis. Nam cùm *formavit Dominus
Deus hominem de limo terræ, inſpiravit in faciem ejus
ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*
n. Et, ut fert verſio Chaldaica apud Cor- n Gen. 2. 7.
nelium o, *Factus eſt homo in animam loquentem.* o Corn. in Gen. 2. 7.
Quia loquela, æquè ac ratio, propria eſt homini, ſubdit
Cornelius. Quaſi diceret Scriptura, quòd
homo ſine potentiis ſuis non eſt homo; & Deus
videtur poſſe dicere de illo qui ſolam hominis
habet apparentiam, id, quod aliàs dixit *Petrus*,
Non novi hominem p. Sed quando? dicetis mihi, p Matt. 26. 69. & 72.
nunquid homo non eſt creatura Dei Patris?
Quare igitur diceret? *Non novi hominem.* S. Paulus
q loquens de Jeſu Chriſto, ait, *Eum, qui non* q 2. Cor. 5. 21.
nove-

Digitized by Google

noverat peccatum. Id eſt. non fecerat: ita Deus non fecerat hominem ſic, ſed cum omnibus potentiis ipſius; ideò cùm ejeciſſet ab eo diabolum, eum in priſtinum ſuum redigit ſtatum. Sed quibusnam armis illum expulit? Non lacrymando r, [r Joan. 11. 25. &c.] ſed ſuſcitaturus Lazarum; non loquendo ſ, [ſ Jo. 5. 8.] ut ſanaturus paralyticum; non ſinendo ſe tangi, ut permiſit mulieri, *quæ ſanguinis* [t Matth. 9. 20.] *fluxum patiebatur duodecim annis* t. Non faciendo *lutum ex ſputo* u, [u Joan. 9. 6. &c.] ut illuminando cæcum natum; ſed accedendo: ſicuti cùm præſentatur vobis ferrum candens, receditis, eo modo ſe gerit diabolus: nam cùm *Verbum caro factum* x, [x Jo. 1. 14.] ad ipſum accedit, ipſe recedit, & fugit. Hanc uſurpant Theologi ſimilitudinem, Divinitas Verbi ita Chriſti ſacram penetraverat humanitatem, ut, ſicut ignis ita partes intimas ferri pervadit ut ferrum videatur eſſe ignis, & ignis ferrum; ita ipsâ accedente ad diabolum, diabolus ipſam ſuſtinere non poſſit, à præſentia ejus fugiat, & locum illi cedat ſicut reus, ut dixit per Sibyllam in gratiam ejusdem Chriſti,

Me Puer Hebræus cedere ſede jubet.

Et Evangelium noſtrum, *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet; ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat*. Verbum Divinum diabolum nudat, & univerſa *ſpolia ejus* illi eripit, nihil ei relinquens niſi pudorem debellationis ipſius, & deſperationem è ſuis unquam reſurgendi confuſionibus, eò uſque ut cogatur invitus dare gloriam Triumphatori præ elogiis magnitudine ejus dignis. Si autem ſcire velitis quanta gloria inde Verbo incarnato proveniat, auſcultate quid enuncient diaboli in laudem ejus, *Quid nobis & tibi, Ieſu Fili Dei vivi?* [y Matth. 8. 29.] *Veniſti huc ante tempus torquere nos* y? *Id eſt*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus z, [z Dion. Carth. art. 17. in Matt. 8. 29] *quæ conventio, vel ſimilitudo inter nos inſanos & obſeſſos & te ſapientem ac ſanctum? Quaſi dicant, Non debuiſti venire ad nos. Hæc quoque confeſſio ex neceſſitate potiùs, quàm ex voluntate proceſſit: velut ſi ſervi fugitivi verbera metuentes, verba blanda ſuo Domino loquantur, ut eis parcatur. Veniſti ante tempus, id eſt, valdè citò, & ante tempus à nobis præſumptum, vel ante diem judicij, in quo erit plena & finalis reproborum damnatio, torquere nos, quoniam tua præſentia nobis pœnalis eſt, & timemus ejici à te, quod nobis grave eſt valdè. (Dæmones enim cùm maximè odiant homines, delectantur eos torquendo, & dolent dum expelluntur.)* Tu es gloria cœli, & nos miſeræ creaturæ ſumus illius opprobrium, & confuſio: tu es odor & flos paradiſi, nos verò illius infectio: tu es *Deus majeſtatis* a. [a Pſ. 28. 3.] Nos autem infortunati ſumus, pejores nihilo, & nobis eſſet in votis nihil unquam fuiſſe, ne tantis foremus pœnis obnoxii: tu non es in ſtatu, in quo injuriæ noſtræ tibi nocere poſſint, blaſphemiæ noſtræ te lædere, & inſolentiæ noſtræ quæ oriuntur è deſperationibus noſtris, tibi officere. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* b. [b Pſ. 90. 10] *Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Oportet ut vel inviti cogantur diaboli confiteri & exaltare gloriam Verbi incarnati, quod ipſos fugat, *Princeps hujus mundi ejicietur foras* c. [c Joan. 12. 31.]

Quomodo autem (dicere poſſem ego Scribis & Phariſæis) poſt hæc teſtimonia inimicorum Chriſti, ipſe JESUS *dæmonium* d [d Jo. 8. 48] haberet, aut *in Beelzebub Principe dæmoniorum dæmonia ejiceret?* ſicut ipſi hodie illi detrahunt, & aliàs ei improperaverunt. Quomodo Scribæ & Phariſæi non eſſent conſcii criminis in blaſphemiis ſuis, cùm dæmones ſanctitatem ejus propalent? *Et inimici noſtri ſunt judices* e. [e Deut. 32. 31.] Alius dæmon cogitur fateri ſanctitatem illius, *Scio qui ſis, Sanctus Dei* f. [f Marc. 1. 24.] Nulla eſt ſanctitas ſimilis tuæ: ipſe habes gratiam unionis, gratiam habitualem & ſanctificantem, omnes tandem gratias, cùm ſis illarum origo g. [g Jo. 1. 14. & 17.]

Tandem, Filius Dei in Nativitate ſua, in Morte ſua, æquè ac per totum vitæ ſuæ curſum *erat ejiciens dæmonium*. Super terra, expellendo eum: in aëre, pariter illum fugando, nam cùm ipſe erat Cruci h [h Joan. 19. 18. &c.] ſuffixus, multi erant diaboli in hoc elemento; ſicut & in aqua quam ſanctificavit baptiſmo ſuo i: [i Matth. 3. 16.] & in mari, *ambulans ſuper mare* k [k Matt. 14. 25.] quaſi ſuper pavimentum ſolidum. *Erat*. Continuat. *Erat*. Huic indeſinenter vacabat exercitio: imò verò ante ſecula videtur incubuiſſe huic officio: S. Joannes l [l Joan. 1. 1.] enim explicaturus æternitatem Verbi, non utitur niſi verbo iſto, *Erat*, dicens, *In principio erat verbum*. Super quod S. Cyrillus m [m S. Cyril. Alex. l. 1. c. 1. in Joan. c. 1.] ait, *In principio, inquit, erat Verbum. Principium ſanè temporis nullo pacto poſſumus in unigenito Dei Filio intelligere*. Iſtud verbum, *Erat*, ſignificat continuationem. Illud agebat, illud agit, & illud aget ſemper; bellum indicet Chriſtus diabolo continuum in vita ſua, & poſt mortem ſuam; aggredietur eum in arce, in quam ſe tyrannus iſte recepit, tanquam in ſecuritatis locum, ut illum de throno deturbet, & eripiat ei dominium quod injuſtè ſuper homines uſurpaverat, *Princeps hujus mundi ejicietur foras* n. [n Jo. 12. 31]

Jeſus Chriſtus triumphat de diabolo in ſtatu, in quo nihil præ ſe fert niſi infirmitates. Reclinatus *in præſepio* o, [o Luc. 2. 7.] ſuam oſtendit fortitudinem faſciis conſtrictam; Magos *ab Oriente* attrahit, qui venientes *adorare eum* p, [p Matth. 2. 1. & 2.] renunciant Satanæ: in fuga *in Ægyptum* q, [q Matth. 2. 14.] ibi evertit idola, ut ſuprà dixi poſt Iſaiam, qui victoriam iſtam à Chriſto de diabolo referendam ſpiritu prævideret Prophetico. In deſerto *cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, ſuum proſternit inimicum, *Tunc reliquit eum diabolus* r. [r Matth. 4. 2. & 11.] Poſtquàm *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* ſ, [ſ Joan. 19. 17. &c.] cùm nullas ampliùs haberet ferè vires ob effuſionem totius Sanguinis ſui, jam jam extremum vitæ *inclinato capite ſpiritum* traditurus, ſuam oſtendit fortitudinem, & diaboli infirmitatem, cujus inſultationes & conatus non ſuccedunt ipſi niſi ad ipſius confuſionem; quin imò illum perſequitur ipſa Crux, nec ſuſtinere valet ille iſtud ſacrum noſtræ ſalutis inſtrumentum. Si quis ambigat de poteſtate Chriſti Cruci ſuffixi, interroget dæmones, qui authenticum perhibebunt illius teſtimonium, cùm in Cruce de ipſorum malitiis triumphet Chriſtus, ut dixi ſuprà poſt Pſalmiſtam, Eccleſiam, & Patres, *Dominus regnavit à ligno*. Et dicent, Crucem eſſe thronum Regiæ Majeſtatis ejus, *Virgam humeri ejus. Et factus eſt Principatus ſuper humerum ejus* t. [t Iſai 9. 4. & 6.] Ibi diabolos excruciat, in Cruce dæmones fugat, ibidem pretioſis ejus Sanguis illos damnans, eos affligit: ipſa eſt tribunal judicij ejus, & ſceptrum potentiæ ipſius. Per Crucem angit illos in inferis, & de illis triumphat ſuper terra, eripiens eis ſpolia ipſorum.

Origenes ſuprà relatus dixit, in Cruce Jeſu duos fuiſſe crucifixos, Jeſum Chriſtum viſibi-
lem

Digitized by Google

lem, & diabolum inviſibilem; ibi Jeſus diabolum magis cruciavit, quàm unquam illum excruciaverit & poſteà virtute ſuæ Crucis præcipitavit illum in inferos, unde non exibit niſi ipſo permittente, *Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas: & ligavit eum per annos mille. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni, & poſt hoc oportet illum ſolvi modico tempore* u. Super

u Apoc. 20. 1. & 3. quod Dionyſius Carthuſianus x ait, *Et apprehendit*, &c. *Hoc fecit Chriſtus, quando per ſuam diguiſſimam Paſſionem eripuit genus humanum à poteſtate diaboli, ejuſque poteſtatem reſtrinxit, compeſcuit, & innumerabilium hominum cordibus expulit: per Sacramenta quoque Eccleſiæ virtutem diaboli vehementer minuit, & ligavit. Porrò per mille annos, ob hujus numeri perfectionem, totum Evangelicæ Legis tempus exprimitur, per quod iſta durat ligatio: niſi quòd tempore Antichriſti tribus annis cum medio plus ſolito ſæviet. Et miſit eum in abyſſum, ſcilicet in infernum, teterrimum, profundiſſimum, turbulentum. Hinc Paſſione imminente Chriſtus perhibuit*, *Nunc*

x Dion. Carthus. in Apoc. 20. a. 3.

y Jo. 12. 31. *Princeps hujus mundi ejicietur foras* y. *Et ſignavit ſuper illum, id eſt, ſignum recluſionis adhibuit virtute ſignaculi Crucis, prohibens illum egredi ante tempus præfinitum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni, id eſt, tempus durationis Evangelicæ Legis uſque ad Antichriſti adventum. Ideò ſequitur, Et poſt hoc oportet illum ſolvi modico tempore, quo Antichriſtus perſecutio deſaviet, & durabit.*

Sed quàm meritò jure dicere poſſemus ad celebrandas victorias Verbi incarnati, *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere honorem, & gloriam,*

z Apoc. 5. 12. *& benedictionem* z. Cùm in aliqua ſylva plures ſunt leones, vicinos devaſtant protſus agros, & tunc capitur aliquis eorum, ut alii fugentur:

a Apoc. 5. 5. Jeſus Chriſtus eſt *Leo de tribu Iuda* a. In monte Calvariæ Cruci ſuffixus, omnes alios fugat, & de illis triumphat. In gratiam noſtri præliatus, nonne è partibus illius ſtabimus, cum propter nos iſtas ſuſtineat inſultationes, ut ſub vexillo illius dimicantes, completum videre poſſimus in nobis hunc Propheticum ſermonem? *Conculb* Pſ. 90. 13. *cabis leonem* b. Sed heu! cauſam diaboli amplectimur, & vires illi ſubminiſtramus ad reſiſtendum Deo, *Qui non eſt mecum, contra me eſt*, ait hodie ipſe Chriſtus, qui nihil laboris invenit in devincendo diabolo, ſed de eo triumphat abſque difficultate, & toties de illo victoriam reportat, quoties illum aggreditur; nos autem videmur Deum confuſione operire per concurſum malitiarum noſtrarum cum malitia dæmonis, cùm infirmitati ejus ſimus veluti fulcrum. Sciſne igitur quid laboriæ faciat Deum, eique magis reſiſtat? Nos ipſi. Sic eſt: nos ipſi. Univerſa obediunt ei, *Imperavit ventis, & mari, &*

c Matth. 8. 26. *facta eſt tranquillitas magna* c. Efficitur mare ſolidum more marmoris ad unicum illius verbum. Diaboli morem gerunt, & tacent cùm ille ipſis imperat, *Obmuteſce, & exi de homine. Et exyt ab*

d Marc. 1. 25. & 26. *eo* d. Imperat ut Dominus ſupremus, & ipſi obeditur à cœlo, & ab inferno, ab Angelis & diabolis: nihil eſt quod non tremat ad verbū ejus, *De cœlo auditum feciſti judicium, terra tre-*

e Pſ. 75. 9. *muit* e. Soli homines *ipſi fuerunt rebelles lumini* f.

f Iob 24. 13. Et laborem illi tribuunt, *Præbuiſti mihi laborem in*

g Iſai. 43. 24. *iniquitatibus tuis* g. Quàm infelices ſumus nos ut infirgamus in Deum, & faveamus diabolo, quem præ abuſu liberi arbitrii noſtri ſuſcipimus in animam noſtram ſicut in arcem, in qua fortis

& potens efficitur contra nos, & adverſus Deū interventu criminum & peccatorum noſtrorum. Sic Deus laborat, inclamat, prædicat, caſtigat flagellis ſuis, bello, peſte, & fame. Bello, *Peccavimus cum patribus noſtris, injuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es, miſerere noſtri, aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras* h. Peſte, *Dixit Rex ad Ioab Principem exercitus ſui: Perambula omnes tribus Iſraël à Dan uſque ad Berſabee, & numerate populum, ut ſciam numerum ejus. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël de manè uſque ad tempus conſtitutum: & mortui ſunt ex populo à Dan uſque Berſabee ſeptuaginta millia virorum* i. Fame, *Facta eſt fames magna in Samaria* ita ut mulieri dixerit alia mulier, *Da filium tuum ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coxit ergo una ex illis filium ſuum*, & k comederunt. Suum Deus adhibet Sanguinem, & ſua Sacramenta, & tamen ſæpè diabolum non ejicit: ſic perſæpè videbitis aliquem ruſticum ſe defendere contra multos milites conſtitutum in alta turri, aut in arce inacceſſibili; liberum arbitrium noſtrum eſt arx, in qua monſtrum iſtud infernale vires capeſſit: vultiſne hoc clarè videre? Quando homo non operatur cum eo, Deus illum facilè præcipitat in inferos, & de eo triumphat, ſed cùm à nobis eſt expellendus, quis labor? Oportet ut ad hoc totam ſuam Deus impendat fortitudinem. Attendite vobis, Auditores, diffidite illi ut inimico inviſibili, ut ipſo qui ubique invenitur; ut adverſario, *qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* l. Ut omnimodam veſtram machinetur ruinam.

h Judith 13. &c.

i 2. Reg. 24. 2. &c.

k 4. Reg. 6. 25. &c.

l 1. Petr. 5. 8.

Sed heu! infortunium eſt inter Chriſtianos, ut ne vel duo proferri poſſint verba, quin præ ore diabolus ſemper habeatur, & quaſi ipſe eſſet noſtri janitor cordis, nulla exit è janua cordis noſtri cogitatio, quin ipſe ei aperiat. Heu! quale peccatum inter Chriſtianos indeſinenter nominare diabolum, tradere ei bona, corpus, & animam: totus inhorreo, & ſanguis meus glaciei inſtar in venis meis conſtringitur, cùm audio has linguas ſacrilegas, iſta ora infernalia, quæ contentâ voce inclamant, Diabolus te auferat, Diabolus tuam abripiat animam; ſed animam factam *ad imaginem Dei* m. Quam Chriſtus *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* n. Domini mei Magiſtratus, Parentes nunquid res non eſt inaudita, quòd hæc crimina deſeratis impunita, & ſic parùm ſitis ſoliciti de offenſa Dei? Si verò eſtis *filii Dei* o per gratiam, ubi eſt zelus quo duci debetis erga obſequium ejus? Corripite audacter eos qui ſic delinquunt, & Deus correctione n veſtram habebit gratam: cauſam ejus amplectimini, & dicite cum Elia, *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſraël* p. Si malè exciperentur Pater noſter, Rex, Dominus, teneremur eos defendere, ne ingrati haberemur; potiori ratione tueri debemus talem Benefactorem, cui ita obſtricti ſumus: *Inimicos ejus induam confuſione* q. Exeamus ex iſtis aggreſſionibus, & cùm poſt Divinitatem Humanitas Jeſu Chriſti plùs concurrerit quàm quidquid aliud ad victorias ipſius, Virgo Deipara quæ ſanguinem ſuum ſubminiſtravit ad formandam hanc Humanitatem r, communicare poteſt victoriis ejus, triumphando de peccato.

m Gen. 9. 6.

n Apoc. 1. 5.

o Rom. 8. 16.

p 3. Reg. 19. 14.

q Pſ. 131. 18.

r Matth. 1. 18. & 16.

Quandiu *erat Jeſus ejiciens dæmonium*; de eo dicunt Scribæ & Phariſæi præ improperio. *In*

Beel-

Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et attribuunt malitiâ ſuê opus iſtud miraculoſum magiæ, & non virtuti Divinæ, quæ operabatur in humanitate ejus. Grandis ingratitudo, & execrabilis blaſphemia, quarum conſcia ſunt
f Matt. 23. 33. hæc *genimina viperarum* f. Hoc enim non eſt aliud quàm ſociare Chriſtum Satanæ. Dei Filius purgare ſe volens eb hoc crimine ſibi impoſito, intimas illorum pervadens *cogitationes, dixit eis: Omne regnum in ſe diviſum, deſolabitur. Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit Regnum ejus?* Probatque experientiâ, quòd illud non poteſt eſſe, quia ſi diabolus expellit alium, ergo eſt diſſenſio inter eos ſuper conſilium deſtruendi hominis, cùm ex ſuppoſitione unus velit illum perdere, & alter nolit; non ergo ſunt diviſi hoc in occurſu, ſed in hoc ſe prodit malitia Scribarum & Phariſæorum, qui præſumunt ubique & in omnibus calumniari Filium Dei, cùm ſuſtinere non poſſint ſplendorem miraculorum ejus, quo perſtringuntur.

Spiritus ſanctus propalaturus æquè ac tuiturus innocentiam & ſanctitatem Verbi incarnati contra calumniam, cujus inſimulabatur ab iſtis invidis, ſuſcitavit quandam mulierem, quæ *extollens vocem de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Quaſi diceret, Tantum abeſt, Scribæ & Phariſæi, ut iſte Vir miracula operetur virtute Beelzebub, quin econtrà ipſe eſt Sanctitas ipſa. Et ratio iſtius eſt, quia Mater, quæ lactavit eum, ſancta eſt; ſicut qui probare vellet, quòd aſtrum eſt ſine macula, quia lux, quam effundit, eſt ſine labe; nedum laudet Filium, laudibus evehit illa Genitricem. Quanta gloria Mariæ, quòd ſanctitas ipſius tueatus Filium ſuum; & quòd ubi calumniis impetitur Filius, venter Matris ſit illi juſtificationis loco. Nihil glorioſius Mariæ in omnibus Evangeliſtis, *Beatus venter qui te portavit.* Quaſi diceret S. Marcella, Quid dicitis linguæ *ſerpen-*
t Pſ. 136. 4. *tis* t? Calumniamini innocentem, læditis honorem Viri ſancti, nunquam mundus vidit alium ei ſimilem, ipſe eſt honor Synagogæ, gloria Judæorum, & miraculum hominum, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Quaſi diceret Chriſtus, Marcella, Genitrix mea beata eſt, non tantùm quòd me lactaverit, quia beatitudo eſt permanens; & felicitas illa, quâ ipſa me tulit, aut lactavit, novem menſibus, aut duobus vel tribus annis tranſacta eſt: ſed meam *beatior Maria percipiendo fidem, quàm concipiendo carnem* u *meam*, eò quòd me portaverit in corde ſuo ab inſtanti ſuæ conce- *u* S. Aug. l. de S. Virginit. c. 3.
ptionis immaculatæ. Hæc eſt vera beatitudo, nunquam perdere gratiam Dei, ſicut Maria eam jugiter ſervavit.

S. Thomas x loquens de Maria, ait: *Beata* *x* S. Tho. 3. p. q. 27. a. 4. in concl.
Virgo fuit electa divinitùs, ut eſſet Mater Dei, & ideò non eſt dubitandum quin Deus per ſuam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, ſecundùm quod Angelus ad eam dicit, Inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies y, *&c. Non autem fuiſſet idonea Mater Dei, ſi* *y* Luc. 1. 30 & 31.
peccaſſet aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem ſecundùm illud, Gloria filiorum, patres eorum z. *Unde & per oppoſitum ignominia Matris* *z* Prov. 17. 6.
ad Filium redundaſſet. Peccare poterat Virgo Maria, ut filia Adæ, *in quo omnes peccaverunt* a. *a* Rom. 5. 12.
Sed non debebat ut Deipara; ideò ab omni peccato fuit immunis: & hæc lex quæ totam naturam complectebatur humanam, ab eo exemit privilegio ſpeciali hanc beatam Virginem: *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt* b. Et bonitas fructus oſtendit nobis excel- *b* Eſth. 15. 13.
lentiam arboris: cùm Filius ſit *Sanctus Dei* c: *c* Marc. 1. 24.
Mater debet eſſe *tota pulchra, & macula non debet eſſe in* d *ea. Beatus venter,* &c. *d* Cant. 4. 7.

Quid autem credere debemus, Auditores, de eſpectibus beneficis hujus ſanctiſſimæ Virginis, quæ de peccato triumphavit? & quânam perfundimur conſolatione, cùm habeamus illam ut Advocatam noſtram? Si devotè ſerviamus ei, ipſa auxiliabitur nobis ipſo noſtræ mortis articulo quantùm ad ſublevandas omnes neceſſitates noſtras, ita ut triumphemus de diabolo cum Jeſu Chriſto ipſius Filio, & de peccato cùm ipſa: & ſi generosè prælienius in hoc mundo, ipſa impetrabit nobis in altero mundo gloriam promiſſam iis, qui fideliter pugnant uſque ad finem, quæ coronare debet ipſorum merita in paradiſo.

FERIA II. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri, Pater da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam. &c. Luc. 15. 12. &c.

a Prov. 7. 23. Repræſentat nobis Salomon *a* infortunium liberorum deſerentium domum parentum ſuorum, ut ſuâ abutantur libertate, *Velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quòd de periculo animæ illius agitur.* Sicut enim avis in cavea conſtituta, pluribus utitur commodis, ſed tamen horum bonorum quaſi immemor, nitens effringere ſuũ carcerem, roſtro percutiens cancellos ſuos, eos labefaciens, & inde exiens volat fugiendo de ramo in ramum donec cadat in laqueos ipſi tenſus à venatore, qui ipſam eripit, ipſam interimit, & ab ipſa pennas aufert: idem accidit prodigo noſtro, qui in perſona ſua repræſentat omnes ſibi ſimiles, qui in domo patris ſui velut in cavea conſtitutus, omnibus potiebatur bonis, ab univerſis honorabatur: ſed ſuam non agnoſcens felicitatem, infringens ſuum carcerem, exiens domo paternâ, inſtar avis fugacis volat è ramo in ramum, *Abiit in regionem longinquam.* Cadit in laqueos mulierum impudicarum, *vivendo luxurioſe*, quæ ereptis ei pennis, ſic eum nudatum redigunt in hunc ſtatum, *ut paſceret porcos*, donec *in ſe reverſus, venit ad Patrem*, qui reſtituit ei *ſtolam primam* gratiæ, quâ repleta erat Maria, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* b *Maria.* *b* Luc. 1. 28.

Mirabili modo repræſentabant nobis aliàs Ægyptii Deum, dabant ei figuram humanam,

veſtem coloris cœleſtis, uni manui ejus impone-
bant cingulum, alteri ſceptrum, ori ejus ovum
ex eodem ore exiens, & capiti ejus pennam,
quæ denotabat ipſius incomprehenſibilitatem,
S. Aug. in Pſ. 138. 6. de qua S. Auguſtinus c in hæc verba Pſalmiſtæ,
Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, ait, *Mirus mihi*
factus es, non te comprehendo cum quo eram. Quàm
factus mihi erat vultus patris quando dixi, Da mihi
ſubſtantiam meam quæ me contingit. Veſtis coloris
d Iſa. 66. 1 cœleſtis innuit, quòd *cœlum ſedes* d eſt illius :
aut, *Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ*
ſunt viæ ejus à viis veſtris, & cogitationes ejus à co-
e Iſa. 55. 9 *gitationibus veſtris* e. Sceptrum in manu ſignifi
f Eſth. 13. 11. cat, quòd *Dominus summus* f eſt. Cingulum in
altera, quòd omnes perfectè unit creaturas, li-
cèt oppoſitas g. Ovum exiens ex ore ejus, figu-
g Epheſ. 2. 10 &c. rat mundum, cujus ipſe eſt Opifex, *Ipſe dixit, &*
h Pſ. 148. 5 *facta ſunt* h, &c. Figura humana alludit ad id
quod Scriptura modò repræſentat eum ut juve-
i Apoc. 5, 12. nem i, modò ut ſenem k; intelligens per e-
k Dan. 7, 9 jus ſenectutem æternitatem illius, & per illius
juventutem immortalitatem ejus. Eadem Scri-
ptura attribuit ei omnia membra corporis. Pe-
l Iſai. 66, 1 des l, quibus innuitur ſtabilitas m ejus, & im-
m Hebr. 1. 11. menſitas n: ventrem o. & femora p. quibus
n Baruch 3 25. figuratur fœcunditas q: caput r. quo ſignifi
catur *ſapientia* ſ: *Faciem* t, quâ cognoſcibili-
o Cant. 5, 14. tas u: oculos x, quibus prævidentia: aures y,
p Apoc. 19 16. quibus exorabilitas : humeros z, quibus pati-
entia a: *ubera* b, quibus miſericordia : & re-
q Iſa. 66, 9 nes c. quibus juſtitia denotatur. Et de hoc ho-
r Cant. 5, 11. mine loquitur parabola Evangelii noſtri.

ſ Sap. 7. 24 Igitur iſte *homo habuit duos filios.* Quorum u-
t Exod. 33 23. num increatum & naturalem intelligunt alii,
alterum verò creatum & adoptivum. Iſtas ha-
u Hebr. 4. 13. bet Verbum increatum quinque conditiones,
x Cant. 5, 12. quas retinuit *filius ſenior* patris prodigi iſtius.
Primò, *Filius* d eſt. Secundò, *Primogenitus om-*
y 2. Paral. 7. 15 *nis creaturæ* e: *Primogenitus in multis fratribus* f.
Tertiò, In eo quòd *filius ſenior dixit patri ſuo,*
z Iſai. 9, 6. *Nunquam mandatum tuum præterivi* : Jeſus ait
a Sap. 11, 24. de ſe , *Ego quæ placita ſunt ei , facio ſemper* g.
b Cant. 1. 2 Quartò , In eo quòd Pater majori natu dixit,
c Iſai. 11, 5 *Fili , tu ſemper mecum es* ; ita Verbum eſt co-
d Pſ. 2. 7. æternum Patri. *Ego hodie genui te* h. Quintò,
e Coloſſ. 1 15. In eo quòd iſte pater reſpondit eidem filio, *Et*
f Rom. 8. 29. *omnia mea, tua ſunt* : ſic Chriſtus dicit de ſe, *O-*
mnia mihi tradita ſunt à Patre meo i. Alii per i-
g Joan. 8, 29. ſtos *duos filios* intelligunt populum Judaicum, &
h Pſ. 2. 7. populum Gentilem. Per filium ſeniorem, po-
i Matth. 11 27. pulum Hebræum, *Filius meus primogenitus, Iſ-*
rael k. Et per adoleſcentiorem, populum Gen-
k Exod. 4, 22. tium. Intelligunt alii per illum Catholicos,
l Sap. 4, 8 primogenitos Chriſti ; & per hunc Hæreticos
prodigos meritorum ejuſdem Chriſti. Alii per
m Iſai. 65. 20. illum, intelligunt Juſtum. *Senectus enim venera-*
bilis eſt l, &c. Et per hunc, peccatorem, *Puer*
n Gen. 1. 3 *centum annorum morietur, & peccator centum an-*
o 1. Petr. 1. 12 *norum maledictus erit* m. Alii duas naturas in-
p Exod. 33 19. tellectuales ; per ſeniorem Angelos priùs crea-
q Apoc. 12 8. tos n, veros filios per gratiam, *Omnia mea, tua*
ſunt. Videntes eſſentiam Dei o, quæ continet
r Gen. 1. 27. *omne Bonum* p. *Mandatum tuum nunquam præteri*
vi, de bonis confirmatis in gratia q: per adole-
Diviſio. ſcentiorem , homines creatos r poſt Ange-
los.

In hac ultima ſiſto expoſitione, quæ per pro-
digum intelligit peccatorem, juxta quam volo
vobis oſtendere Primò, quòd Deus, qui eſt *Pater*
f Marc 6, 9 *noſter* f, nobis dat omnia bona quæ habemus, aut
per ſe, aut per parentes noſtros. Secundò,
Monſtrabo vobis malum uſum quem peragi-
mus bonorum iſtorum. Tertiò mala quæ no-
bis proveniunt ex iſto malo uſu bonorum iſto-
rum. Quartò reditum quem facimus *ad* hunc
Patrem cœleſtem per converſionem.

Nihil eſt certius, nos nihil habere ex nobis- I. Part.
metipſis, imò verò nos nec aliquid eſſe. Cau-
tam præſtat hanc veritatem is qui *dixit adole-*
ſcentior patri, Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ,
quæ me contingit. Id eſt, eſſentiæ, *μέρος τῆς*
οὐσίας, dicunt Biblia Græca. Ut diſcamus ,
quòd eſſe quod habemus , eſt ens accommoda-
tum nobis à Patre noſtro cœleſti, & quod etiam
in nihilum redigeretur, niſi idem Pater cœleſtis
nobis illud conſervaret, quod prodigus agno-
ſcit apprimè in eo quòd cùm jam habeat illud
eſſe, illud denuò efflagitat : quaſi diceret ,
quòd eſſe quod poſſidemus, ita fragile eſt, ut niſi
jugiter à Deo conſervaretur , reverteretur illi-
co ad centrum nihili , è quo eductum eſt, *Cùm*
eo eram cuncta componens t. In Hebræo legitur, t Prov. 8.
Eram apud eum nutricius. Sicut matres quæ e- 30.
nixæ filios ſuos , quærunt nutricem , quæ illos
alat : Pater æternus videtur eodem ſe geſſiſſe
modo. inſtituens nobis Altorem Verbum æ-
ternum. Ad quod conformiter Sponſa ait illi,
Meliora ſunt ubera tua vino u. Quod tamen non u Cant. 1. 2.
videtur ad propoſitum : proprium enim eſt
mulieribus habere ubera, quibus ſuos alant li-
beros , quod non convenit ipſarum viris : ſed
eſt differentia inter Sponſum cœli & ſponſos
terræ ; quia cùm ille nos creaverit , confeſtim
nos alit , quod repræſentatur per ubera, qui-
bus ſcatebat *diva Rumina* , quibuſque adhære-
bat omne genus animalium, ait S. Auguſtinus x. x S. Aug. l.
Et David ei dicit, *Omnia à te expectant ut des illis* 6. de Civ. c. 10.
eſcam in tempore y. Et, *Oculi omnium in te ſpe-* y Pſ. 103.
rant, Domine ; & tu das eſcam illorum in tempore 27.
opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne a-
nimal benedictione z. Et Iſaias a, *Quis appendit* z Pſ. 144. 15. & 16.
tribus digitis molem terræ ? Sicut enim nullus eſt a Iſai. 40.
lapis qui ex natura ſua tanto impetu tendat ad 12.
centrum ſuum, quanto homo ad nihilum ſuum,
iſti tres digiti qui repræſentant nobis tres per-
ſonas SS. Trinitatis, conſervant nos jugiter in
eſſe noſtro : ideò prodigus petit conſervatio-
nem ſuam, cùm efflagitat *portionem ſubſtantiæ*, id
eſt, eſſentiæ ſuæ juxta ſupradicta. Quibus verbis
innuitur nobis, eſſe noſtrum diſtare infinito mo-
do ab Ente Dei : cùm enim Deus ſit Ens univer-
ſale, Ens entium, *Ego ſum qui ſum* b: Ens per eſ- b Exod. 3. 14.
ſentiam, ens noſtrum eſt veluti exigua portio,
ſeu potiùs emanatio ſubſtantiæ ejus, id eſt Divi-
ni Entis illius. *Quæ me contingit.* Hoc oſtendit
nobis aliam differentiam quæ eſt inter ens no-
ſtrum & Eſſe Dei : cùm enim iſtud ſit neceſſari-
um & abſolutum, noſtrum eſt contingens, & fa-
ctum fuit à Deo liberè & voluntariè. Hoc au-
tem *Deus* ſignificare voluit cùm creaturus homi-
nem, *ait*, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimi-*
litudinem noſtram c. Cùm non deliberetur quan c Gen. 1. 25 & 26.
do de rebus agitur neceſſariis. *Et diviſit illis ſub*
ſtantiam. In Græco legitur *τὸν βίον*, id eſt, ani-
mam, quæ eſt immortalis, & principium vitæ :
vitam gratiæ datæ Adamo in ſtatu innocentiæ.
Idcircò dicitur ſtatim , *Diſſipavit ſubſtantiam*
ſuam. In Græco, *τὴν οὐσίαν αὐτοῦ*, id eſt , eſ-
ſentiam ſuam, per alluſionem ad gratiã, quæ eſt
veluti eſſentia animæ noſtræ, per quã vivimus vitâ
Divinâ, effecti *divinæ conſortes naturæ* d *ex Deo nati* d 2 Pet. 1. 4.
e. Atqui prodigus ita loquens, innuit nobis, gra- e Jo. 1. 13
tiam

tiam poſſe amitti. Aut, ſi velitis, dicamus, quòd
per hæc verba. *Quæ me contingit*, ipſe petebat tria
genera bonorum. Primò bona fortunæ, quæ
ſunt contingentia: nihil contingentius bonis
externis, cùm Boni & mali illa poſſideant. cùm
illis poſſimus benè & malè uti, & cùm ea ſint ca-
duca & tranſitoria. Secundò bona corporis,
quæ foventur ordinariè iſtis bonis externis, cùm
de iis juxta rectam rationem diſponimus. Ter-
tiò bona animæ, ſub quibus continentur omnes
facultates naturales, præ illis autem omnibus
libertas, quæ eſt privilegium naturæ noſtræ ſin-
gulare, juxta explicationem datam à Patribus
citatis à Maldonato in hæc verba, *Diſſipavit ſub-*
f Maldon. *ſtantiam ſuam. Solent plerique ſubſtantiam, quam*
in Luc. 15. *diſſipavit, liberum arbitrium, cæteraſque naturales*
13. *facultates interpretari. Sic Auguſtinus, Beda, & Eu-*
thymius, & Bernardus.

Sed ſi pater prodigi videtur deliquiſſe, cùm
diviſit illi ſubſtantiam; corripi non poteſt *Pater*
g Matt. 6. 9 *noſter qui in cælis* g eſt, pro eo quòd nobis di-
viſerit *ſubſtantiam* noſtram, id eſt, libertatem
noſtram. Non tribuit Deus omnibus has ma-
gnas & felices memorias, quas indulget aliqui-
bus; nec omnibus divitias Cræſi, neque elo-
quentiam Ciceronis, & ſic de aliis bonis corpo-
ris, animæ, & fortunæ; ſed quoad liberta-
tem ſignificatam per hanc ſubſtantiam, univer-
ſis illam æqualiter tribuit, *Sub te erit appetitus e-*
jus, & tu dominaberis illius. Quod eſt actus liber-
tatis, quæ meliùs patet ex verbis præcedenti-
bus, *Nonne ſi benè egeris, recipies? Sin autem ma-*
h Gen. 4. 7 *lè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit* h? Flexi-
bilitas enim ad bonum & ad malum eſt actus li-
bertatis, *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt*
malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit volunta-
rium, ait ſanctus Auguſtinus i. Nec ibi poteſt in-
i S. Aug. l. de vera veniri defectus ubi neceſſitas, aut natura domi-
Relig. c. 14 natur. Hæc neceſſitas diſtinguit nos à brutis:
k Num. 22 ideò videndum ſe exhibuit *Angelus* k aſinæ Ba-
22, &c. laam, & non huic falſo Prophetæ; & minitatus
eſt huic animali gladium quem habebat evagi-
natũ, nõ verò domino ejus inſidenti ei, ut innua-
tur, quòd fortitudo ſignificata per enſem non
erat inſumenda adversùs homines liberos, ſed
ſola perſuaſio, cùm ſola violentia adhibenda eſ-
ſet contra beſtias ratione deſtitutas. Hæc au-
tem libertas prodigi noſtri patet in eo, quòd
pater ipſius non impedivit quin exiret domo,
quia Deus neminem deſerit, quin priùs ab eo
l Jo. 8. 21. deſeratur l; & Salomon ait, *Deus ab initio conſti-*
m Eccl. 15 *tuit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui* m.
14. Atqui manus hæc eſt libertas; & cùm homo ſit
veluti ſpeculum, cùm ſpeculum repræſentet id
circum quod vertitur; ita ſi manus noſtri liberi
arbitrii vertatur circum cœlum, erit illa cœle-
ſtis; ſi circum terram, erit terreſtris. Et hic eſt
malus uſus quem agimus bonorum, quæ ſuſcipi-
mus à Deo per ſe, aut per parentes noſtros, præ
omnibus autem libertatis.

II. Pars. *Filius ſenior* patris hujus prodigi manſit domi,
inde docens nos, quòd Juſti, quibus Deus *diviſit*
ſubſtantiam libertatis, & aliorum bonorum, &
donorum, hæc omnia referunt ad eum, eique
ſerviunt; cùm peccatores ea transferant ad ſe-
ipſos, ad obſequium mundi, & diaboli, *Et con-*
gregatis omnibus, peregrè profectus eſt in regionem
longinquam. Hæc congregatio ſignificat aut
n Gen. 3. 5 cupiditatem, quâ volumus eſſe *ſicut Dii* n. Hoc
enim eſt accumulare omnia, cùm univerſa ſint
o Exod. 33 19. in Deo o: aut deſiderium ſciendi *bonum & ma-*
lum p. Quatenus intellectus noſter unit ſibi p Gen. 3. 5
res, quas intelligit. Hæ ſunt duæ alæ perditio-
nis, libertas, & *cupiditas* q. Libertas, quam q 1. Tim. 6
reſecare debemus à nobis, omendo nos Deo, & 10.
mandatis ejus, inſtar Ulyſſis, qui *Sirenum can-*
tus ne audiret, *ſe ad malum alligari fecit, eâque*
ratione illarum inſidias tutus evaſit r. Sic quoad r Calepin.
obſervantiam mandatorum Dei debemus nos in Dictio.
alligare malo iſtorum præceptorum Divino- v. Ulyſſes.
rum cingulo gratiæ: ſic Iſaac permiſit ſe li-
gandum à patre ſuo ſ, ut offerretur in holo- ſ Gen. 22.
cauſtum, *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt re-* 9.
pugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſce-
re t. Hæc autem idololatria nihil eſt aliud niſi t 1. Reg.
malus uſus libertatis. Altera ala eſt cupiditas 15. 23.
bonorum, ala contraria aliis: iſtæ enim ele-
vant, illa verò deprimit: ſi verò reſecemus
has alas libertatis, & cupiditatis, meliùs volabi-
mus, ſicut Daniel u aſſerit de leæna quam a- u Dan. 7. 4
ſpiciebat, quòd ubi *evulſæ ſunt alæ ejus, ſublata*
eſt de terra. Talis eſt natura noſtra, ſi evella-
mus ex ea alas iſtas, ſtatim volabit ad Deum, ſi
verò eas illi deſeramus, noſtram molientur rui-
nam. Iſtas duas alas provident nobis Deus &
parentes noſtri, ſed ad bonos fines, quod indu-
cere nos deberet ad agendas illis pro iis gratia-
rum actiones, nedum illas in malos uſus impen-
damus. Nam ſi agatur de obligationibus libe-
rorum erga parentes ſuos, eæ non poſſunt ex-
plicari, quia Deus ferè æquiparat obligatio-
nes filiorum erga progenitores ſuos iis, quibus
iidem liberi ſibimet Deo obſtricti ſunt, quoni-
am in principio prioris partis tabularum Legis
x ponit cultum, quem illi debemus; & in x Exod.
principio poſterioris partis à latere altero col- 20. 3. &c.
locat honorem, quem debemus parentibus no-
ſtris; & rationem illius reddit, *Memento quo-*
niam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis,
quomodo & illi tibi y. Meritò Deus parentes ſi- y Eccl. 7.
bi aliquo modo æquat: ſi enim Deus, noſter 30.
Pater cæleſtis eſt z; illi ſunt Dii noſtri terreſtres: z Matth. 5
& ſi benedictio Dei tanta eſt, ſicut etiam ejus 48.
maledictio, ut cùm maledixit ficui, *Et areſacta eſt*
continuò ficulnea a: ita benedictio quam Iſaac a Matt. 21
dedit Jacob filio ſuo b, tantæ ſunt virtutis; & 19.
maledictio quam Noë vibravit ſuper filium ſuũ b Gen. 27.
Cham c, fuit ſic terribilis, ut illam ſuus conte- 27.
ſtim ſecutus fuerit effectus. c Gen. 9. 25, &c.

Si verò parentes recto erga filios gerere ſe
volunt modo, eos debent excipere more avium,
quæ collocantur in cavea, aut quibus ligatur
pes, quibusve evelluntur pennæ, ut prohibeatur
ipſis volatus: ita parentes ſi ſolicitam de ſuis ve-
lint habere curam liberis, debent eos cuſtodire
in ſuarum cavea domorum; ſi autem mittendi
ſunt foras, non priùs mittantur, quin providea-
tur eis aliquis, qui attendat eis; ſed ſi ad ætatem
pervenerint quâ moderatore non indigeant, re-
ſecandæ ſunt eis alæ commodorum, quæ illos
ducunt ad perditionem. Si autem petaris à me,
utrùm relinquenda ſit bonorum diſpoſitio tem-
poralium liberis, cùm videantur parentes id a-
gere non debere juxta monitum Salomonis d,
Filiis non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & non d Eccl. 33.
dederis alii poſſeſſionem tuam: ne forte pœniteat te, & 20. & 22
depreceris pro illis. Melius eſt enim ut filii tui te ro-
gent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum. Sed
aliunde videntur id debere facere; ſic enim
ſuorum ſibi conciliant amorem liberorum, in-
ſtituunt illos ad œconomiam, quod ipſis eſt ma-
teria levaminis, cùm ad ſenectutẽ pervenerunt,

ut tunc de ſalute ſua ſatagenda cogitare poſſint. Reſpondeo, quòd ſi liberi bonis ſint moribus inſtructi, ſuorum poſſunt illis tradere adminiſtrationem bonorum in vita ſua, præſertim ſi eos in Matrimonio collocent. Ratio iſtius eſt, quia cùm liberi naſcuntur, exeunt cum parte ſubſtantiæ parentum, ſic conjugio copulati, & manentes extra domum, debent habere partem ſuam, quod ipſa natura docet in prima actione. Sed ſi pravis ſunt moribus inſtituti, hanc eis non debent dare adminiſtrationem, cùm hæc miſericordia ſit ſævitia, quâ quandiu indulgetur corpori, occiditur anima; hoc propriè eſſet eis porrigere enſem, quo ſe perimerent. Ideò graviter punivit Deus hanc indulgentiam parentum erga liberos *e* in perſona Heli *f*. & decrevit ut ille qui dediſſet *de ſemine ſuo idolo Moloch, morte* moreretur, *Populus terræ lapidabit eum*. Et conſequenter ait: *Et ego ponam faciem meam contra illum* g. Et docent nos Hiſtoriæ, quòd cùm filius quidam à ſua matre malè fuiſſet inſtitutus, extremo jam ſupplicio perimendus, eidem propriæ genitrici naſum mordicùs abſcidit, contenta voce inclamans, *Hoc ſit, cives, maternæ educationis exemplum*.

e 1.Reg.2.22.&c. f 1.Reg.4.18. g Lev.20.2.&3.

Licèt inter benedictiones illa foret eximia, quâ Deus parentibus indulgebat liberos, qualis fuit ea quam Protoplaſtis noſtris dedit *Deus, Creſcite, & multiplicamini* h: Et David loquens de benedictione Juſti, ait, *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ* i: qualis etiam fuit benedictio data Abrahæ, *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* k: tamen, etiamſi nihil haberi poſſit majus hâc benedictione, hæc non videtur ſufficere Abrahæ, niſi dentur ipſi liberi: ideò dixit, *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis* l: Anna mater Samuelis cupiebat liberos m, eoſque Rachel propriæ præferebat vitæ, *Da mihi liberos, alioquin moriar* n: tamen infortunia quæ acciderunt Evæ, & aliis matribus, fuerunt indicia infelicitatum, quæ debebant evenire aliis parentibus futuris. Deſiderium habendi liberos felle & aceto mixtum! Sic Eva enixa Cainum, ita commota fuit ut exclamaverit, *Poſſedi hominem per Deum* o. Quaſi dixiſſet, Quia credideram ſerpenti p, exiſtimabam me peperiſſe ſerpentem, & ecce parturivi dæmonem. Cui alludebat Chriſtus, cum dicebat Judæis, *Vos ex patre diabolo eſtis* q. Id eſt, è Caino, ex hoc dæmone incarnato, ex iſto fratricida r, quem firmiter ſtatuerant imitari, machinantes mortem Salvatoris, quærentes eum *interficere* ſ, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* t.

h Gen.1.28. i Pſ.127.3. k Gen.15.1. l Gen.15.2. m 1.Reg.1.11. n Gen.30.1. o Gen.4.1. p Gen.3.6.&c. q Joan.8.44. r Gen.4.8. ſ Joan.8.40. t 1.Petr.2.22. ex Iſai.53.9.

Rachel cupiebat mori u; & ſic *mortua eſt* x. Sæpè enim liberi ſunt cauſa mortis corporalis & ſpiritualis parentum: & David y loquens de primogenitis Ægyptiorum, vocat eos *Primitias omnis laboris eorum*. Sunt enim principium & cauſa malorum omnium, quæ ſuſtinere coguntur parentes, *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub Sole laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro utrùm ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis* z. Num erit Nero matricida, aut Cain fratricida; Abſalom fratricida a, & patris perſecutor b, aut prodigus cui reſecandæ forent alæ; cùm bona temporalia ſint veluti pedicæ pedibus, & vincula manibus, quæ impediunt exercitium virtutis, & econtrà ſint alæ ad vitium, quibus ſubvectus prodigus, *profectus eſt in regionem longinquam*. Sed quò longiùs ire poterat quàm à Deo, qui ubique eſt c? Debebat ſequi conſilium quod Angelus ſubminiſtrabat Agar fugienti domo Abrahæ, & dominæ ſuæ, *Quid agis* d? Quaſi dixiſſet, Peccator, unde exis? A Deo? Quò vadis? Ad diabolum: à principio bonorum, ad originem malorum. *Et ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. Et ipſe cœpit egere, & abiit, & adhæſit uni civium regionis illius*, &c.

u Gen.30.1. x Gen.35.19. y Pſ.77.51. ex Exod.12.29. z Eccl.2.18.&19. a 2.Reg.13.28.&29. b 2.Reg.15.10.&c. c Jer.23.24. d Gen.21.14.&c.

III. Pars.

Phyſiognomi ex aſpectu frontis, & aliorum lineamentorum vultus certa eruunt indicia affectuum hominum. Cùm vidiſſet Phidias unguem leonis, inde judicavit de magnitudine beſtiæ: ita ex egreſſu prodigi domo patris, & è converſatione ejus cum meretricibus, quibuſcum diſſipavit omnia bona ſuſcepta à patre ſuo, inferri poſſunt mala, quæ illi acciderunt ex malo uſu omnium bonorum iſtorum, quæque nos facit concipere *filius ſenior* per rationem, quam illorum dat *patri ſuo, Poſtquàm filius tuus hic devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus*. Ideò conſiderando ſervitutem miſeri iſtius prodigi, qui *adhæſit uni civium*, ad ſuſtentandam vitam ſuam, poſſet ei dici, Eſto ſervus, quia noluiſti eſſe liber. Sic reflectendo ſuper ſtatum miſerum nebulonis iſtius, qui miſſus eſt *in villam ut paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat*; exclamari poteſt *Iudicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa* e. Juſtitia autem ſita eſt in puniendis reis in iiſdem locis ubi offenderunt, & juxta qualitatem criminis, æquè ac quantitatem, & inſtrumentis, quæ ipſi adhibuerunt ad perpetrandum crimen. Quoad locum, eriguntur aliquando patibula ante domos malefactorum. Cùm occidendum ſategiſſent Naboth Jezrahelitam Rex Achab & uxor ejus Jezabel, dixit utrique Elias, *In loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Sed & canes comedent Iezabel in agro Ieſrahel* f. *Sennacherib Rex Aſſyriorum cùm ingreſſus eſſet domum Dei ſui, filii qui egreſſi fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio* g in eodem templo, quod ipſe ſuis profanaverat blaſphemiis contra Deum Iſraël. In omni adverſitate infeliciſſimum infortunii genus eſt, alias fuiſſe felicem, *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo* h. Sic mendicabat Beliſarius in civitate, in qua aliàs triumphaverat poſt victorias ſuas. Quòd quantitas pœnæ reſpondeat quantitati vitii, dicitur, *Pro menſura peccati erit & plagarum modus* i. Et, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* k. Sic *filii Iſraël invenerunt Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt, caſis ſummitatibus manuum ejus ac pedum. Dixitque Adonibezec, Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus* l. Hæc tria inveniuntur in prodigo noſtro. Primò enim, Quia excuſſit jugum patris ſui, ſub quo liber erat, evaſit ſervus. Secundò, Quoniam *peregrè profectus eſt in regionem longinquam*, recedens à Deo, *abiit* ſub poteſtatem diaboli, *& adhæſit uni civium, id eſt, diabolo, ut communiter exponitur*, ait Carthuſianus m. Tertiò, Eò quòd *diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè*, offendendo ore & ventre, ideò *cœpit egere, fame* periens, & nuditate. Felix fuga, ſi impuritatem fugiſſet! *Quaſi à facie colubri fuge peccata* n. Illud autem præ cæteris, *Fugite fornicationem* o. Duo enim ſunt genera peccatorum, alia

e Pſ.18.10. f 3.Reg.21.19.&c. g 2.Paral.32.21.&c. h Eſth.7.10. i Deut.25.2. k Apoc.18.7. l Judic.1.6.&c. m Dion. Carth. art. 38. in Luc. 15.15. n Eccl.21.2. o 1.Cor.6.18.

alia vincuntur dum eis reſiſtitur, alia verò dum
fugitur ab illis. Et titolus Pſalmi tertii, iſtam
nos edocet veritatem, *Pſalmus David cùm fugeret*
à facie Abſalom. Cujus aurea *cæſaries* p repræſen-
p 2.Reg 14.26 tans blanditias carnis, docet nos, referri victo-
riam de lubrico, fugiendo: impuritas enim eſt
ſicut hyæna: refertur de hoc animali fero &
crudeli, quòd perſequatur eos qui ipſum inſe-
quuntur, & liberos ſinat abire illos, qui ipſum fu-
giunt. Sic Joſeph extricavit ſe ab impudicis &
importunis ſolicitationibus dominæ ſuæ mediâ
fugâ, cùm non poſſet aliter glorioſus exire è cer-
tamine, in quo generoſiſſimi quique perſæpè
vincuntur. *Injecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph,*
& ait, Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio,
q Gen.39. 7.&c. *fugit, & egreſſus eſt foras* q. Hoc idem eſt quod re-
præſentat nobis deus amoris, quem Antiqui fi-
gurabant ſuper curru igneo, quia evitari non po-
teſt ignis niſi mediâ fugâ, & ideò dabatur ei
pharetra cum ſagittis, à quibus declinari poteſt
ſolâ fugâ, inſtar Tartarorum & Scytharum qui
prælіabantur fugiendo. Hæc erat etiam maxima
ſenum Troianorum ad reſiſtendum voluptati-
bus, quòd ad eludenda lenocinia ſpecioſæ Hele-
næ avertendi eſſent oculi ab intuitu illius, &
quòd fuga aſpectûs ejus foret præſentiſſimum
compeſcendis iiſdem voluptatibus remedium.

Et abiit. Per hoc verbum intelligunt aliqui
vanitates ſeculi, quæ citò tranſeunt, *Homo quidam*
r Luc.16. 19 *erat dives* r, &c. nõ dicitur, eſt, ſed, *erat*, quia nihil
niſi vanitas. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleva-*
tum ſicut cedros Libani: & tranſivi, & ecce non erat ſ.
ſ Pſ. 36. 35. & 36 Quaſi diceret Propheta, Sicut Cedrus eſt incor-
ruptibilis, ita mundani imaginantur ſe incor-
ruptibiles cum honoribus, & divitiis ſuis, &c.
ſed hallucinantur, *Et tranſivi, & ecce* non ſunt
ampliùs. In Hebræo pro, *cedros*, legitur, *laurus*: ac
ſi dixiſſet, Sicut laurus cum ſuis fructibus non
timidat fulmen, ita nec mundani qui de ſeipſis
præſumunt, ſed iſtud eſt falſum, *Et tranſivi, & ec-*
ce, &c. *Dives* epulo exiſtimabat ſe cedrum im-
mortalem, ſed *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in in-*
t Luc. 16. 22 *ferno* t. Laurum deridentem fulmina; ſed fulmi-
ne impetitus, præcipitatus eſt in flammas, *Cru-*
cior in hâc flammâ u. *Et abiit, & adhæſit uni civium*
u Luc. 16. 24 *regionis illius.* S. Gregorius x hoc explicat de ſer-
x S. Greg. hom.31.in Evang. ex Iſai. 51.23 vitute diaboli, quæ libera eſt, quatenus noſmet-
ipſos tradimus ei liberè: ideò ſuper hæc verba I-
ſaiæ, *Dixerunt animæ tuæ, Incurvare, ut tranſeamus,*
ait, *Recta quippe ſtat anima, cùm ſuperna deſiderat,*
& nequaquam flectitur ad ima. Dicunt ergo, Incur-
vare, ut tranſeamus: quia ſi ipſa ſe ad ima appetenda
non dejicit, contra hanc illarum perverſitas nullate-
nus convaleſcit. Sic Chriſtum *aſſumpſit diabolus, &*
ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi. Non præcipi-
tavit eum, ſed conatus eſt ei ſuadere præcipitiũ.
y Matth. 4.5 *Et dixit ei, Si Filius Dei es, mitte te deorſum* y. *Adhæ-*
ſit uni civium regionis illius. Id eſt, vitio particulari
regnanti in illâ regione, in qualibet enim regio-
ne vitium aliquod ſpeciale dominatur, *Cre-*
z Tit.1.12 *tenſes ſemper mendaces* z. *Adhæſit uni civium.* Id eſt,
a Iſai.14. 12 alicui è ſeptem diabolis ut capiti ſeptem vitio-
rum principalium, Lucifero a ſuperbiæ, *Mam-*
b Luc. 16. 13 *monæ* b avaritiæ, Aſmodæo c impuritatis, *Be-*
c Tob.3. 8 *hemoth* d gulæ, Satanæ e iræ, *Leviathan* (quem I-
d Job 40. 10 ſaias f vocat *Serpentem tortuoſum*) invidiæ. *& dæ-*
e Luc. 22. 31 *monis meridiano* g pigritiæ. Igitur *adhæſit uni ci-*
vium. Id eſt, ſervituti alicujus dominorum iſto-
f Iſai. 27.1 rum. Sic dæmones vocari poſſunt cives in re-
g Pſ. 90.6 gione peccati, quia ſunt obſtinati in malo, cùm
h Luc. 18.31 nos adjuti gratiâ, inde exire poſſimus h. *Adhæſit.*

Ecce quomodo Satan ſuos alligat: ſic Tyrii re-
cenſentur alligaſſe idolum Herculis catenis, alii
imaginem Apollinis, alii ſimulacbrum Martis,
& alii ſtatuam deæ Victoriæ. ſic Darius obſidens
Athenas, dicitur præcepiſſe ferenda vincula,
quibus conſtringerentur captivi; ita diabolus
obſidens civitatem hominis, ligat omnes poten-
tias ejus, ita ut fortiùs ſimus ei vincti, quam po-
lypus adhæreat rupi, ita ut potiùs in fruſta di-
ſcindatur, ajunt Naturales, quam inde evellatur.
Adhæſit. Id eſt, agglutinatus eſt: verbum enim i-
ſtud in Scripturâ ſignificat ingentem amorem, &
unionem immodicam: ſic de conjugatis dicitur,
Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & ad-
hærebit uxori ſuæ i. Et de Sichem cum Dinâ, *Con-* i Matth. 19.5
glutinata eſt anima ejus cum ea k. Quaſi dicat Scri- k Gen. 34.3
ptura hoc verbo, *adhæſit*, quòd omnia quæ habet
peccator, caput, oculi, aures, brachia, &c. ad dæ-
monem pertineant.

Sed quare peccatores ſic facilè adhærent ob-
ſeqoio diaboli, quod eſt intolerabile? quod pa-
tet ex eo, quòd dominus ille, cui prodigus *adhæ-*
ſit, miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Cui
conſormiter ille ſe geſſit appoſitè, qui conſtru-
ctâ villâ, præ illâ poſuit, *O rus, ô crux!* Re enim
verâ ruri ſunt multæ cruces. Satan ſuis dicit cap-
tivis id, quod *ad populum ſuum* Pharao Rex Ægy-
pti inquiebar de Hebræo populo, quem tyran-
nicâ opprimebat ſervitute, Orioſus eſt, *Venite,*
opprimamus eum l. Sic Manaſſes dicebat, *Incurva-* l Exod. 1.10
tus ſum multo vinculo ferreo, ut non poſſim attollere
caput meum & non eſt reſpiratio mihi m. Obſequiũ m 2.Paral. c.36 in med.orat.
dæmonis præter laborem eſt etiam infame, *Ut*
paſceret porcos. Animalia infamia, quæ repræſen-
tant vitioſos: ſi enim omnia vitia reddunt homi-
nes beſtias, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit,*
comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus n Pſ 48. 13. & 21
eſt illis n. Sic impuritas ſuos reddit ſectatores ſi-
miles porcis: ideò Poëtæ fingunt Circen mutaſſe
ſocios Ulyſſis in porcos. Impudici ſunt veri por-
ci, propterea repræſentabatur elephas ſymbo-
lum rationis & honeſtatis, terga vertens porco,
qui eſt figura impudicitiæ. Non ſunt aliud im-
pudici niſi caro & ſanguis, *Non permanebit Spiri-*
tus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Omnis o Gen.6. 3.& 12
quippe caro corruperat viam ſuam o. Et ut tales &
ut captivos ſuos diabolus eos peiùs excipit
quàm porcos, *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſi-*
liquis, quas porci manducabant.

Multi cupiunt ſatiari cibis porcorum, & hi
ſunt Hæretici, qui de ſolo ſoliciti ſunt cortice
SS. Sacramenti, ſolam volentes illius figuram,
non autem realitatem, & in hoc peiores ſunt Iſ-
raëlitis, qui habebant manna vacuum p, *Infirma* p Exod. 16.15
& egena elementa q. Sed manna erat nobilius his q Galat. 4.9
figuris Hæreticorum. Alii cupiunt *implere ven-*
trem ſuum de ſiliquis, quas porci manducant: & hoc
quia duplex eſt venter, unus ſpiritualis, & alter
corporalis. Corporalis pro guloſis, *Quorum Deus*
venter eſt r. Qui ex hominibus evadunt porci, r Philipp 3.19
cùm acceperint ventrem ad illum alendum, non
ad eum ſaginandum; ad dominandum ei, non ad
ſubeundum dominium ejus, cùm impoſſibile ſit
replere ventrem, & ſatisfacere ſpiritui. Venter
ſpiritualis duplex eſt, unus eſt intellectus, quem
cupimus replere cibis porcorum, cùm nimiâ a-
viditate deſideramus ſcientias vanas & huma-
nas; ſiliquæ autem porcorum ſunt libri profani
& impudici, *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud*
Deum ſ. Quæ habet amaritudinem, *Et quid qui* ſ 1.Cor. 3.19
addit ſcientiam, addit & laborem t. Omnes cupiunt t Eccle. 1.18

implere ventrem intellectus ſui *de ſiliquis* iſtis, quia naturaliter omnes homines ſcire deſiderant. Alter venter eſt voluntas, quam implere cupimus cibis porcorum, voluptatibus mundi, quæ falſiores ſunt uvis apparentibus, quas *Zeuxis tanto ſucceſſu pictas in ſcenam detulit, ut ad eas aves advolarent* u. Satan eſt falſus pictor, qui res falſas & noxias repræſentat nobis ut veras & utiles. Ideò Deo David x dicebat, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Volebat Pſalmiſta è creaturâ duci ad Creatorem z. Ut autem iſtud intelligatur, notandum eſt, duas eſſe res in creaturâ, eſſe, & apparentiam exteriorem. Quoad eſſe, bonum eſt a: ſed ſicut ita exiguum eſt ut videatur *nihilum* b: ſic bonitas earum eſt leviſſima, & inſtar ſiliquarum intuitu capacitatis animæ noſtræ, & ventris voluntatis noſtræ, & more grani frumenti poſiti coram elephante: apparenter videntur eſſe aliquid, & aliter quàm in ſeipſis; nubes & tenebræ obvolventes mentem noſtram, efficiunt ut decipiamur: ſic Eva concupiſcens fructum prohibitum, & conſequenter peccans, *vidit lignum pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile* c. Non quòd ipſum non vidiſſet prius, ſed quia non apparuerat ipſi præ tantâ pulchritudine, antequàm ipſa peccaret, intuens ipſum in pulchritudine ipſius naturali, antequàm deciperetur. Sic animæ juſtæ cognoſcunt quales ſunt creaturæ in ſemetipſis, & non ſinunt ab iis ſe deludi inſtar prodigi noſtri, qui omni malorum fuit impetitus genere; ſed qui tandem aperiens oculos, domum redit per converſionem.

u Calepin. in Diction. v. Zeuxis
x Pſ. 118. 37
z S. Aug. conc. 12. in Pſ. 118. 37
a Gen. 1. 31
b Iſai 40. 17
c Gen. 3. 6

IV. Pars. Corvus, quem *Noe dimiſit*, ut ſciret utrùm ceſſaſſet diluvium, cum ſteriſſet ſuper cadaveribus ſuper undas fluctuantibus, *non revertebatur.* Sed columba *cùm non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo* d, Id eſt, ſymbolum pacis. Prodigus noſter egreſſus domo paternâ, quandiu ſtetit ſuper cadaveribus meretricum, quandiu habuit unde impenderet in diſſolutiones & ſordes ſuas, non cogitavit redire domum patris: ſed *cùm non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus*, non habens ampliùs unde viveret, nec unde ſuis diſſolutionibus ſatisfaceret, reverſus *eſt ad eum in arcam.* Id eſt, domum paternam. *In ſe autem reverſus*, &c. In verâ converſione primò intellectus illuminatur ad ſe cognoſcendum & Deum etiam, deinde voluntas deteſtatur peccatum, confeſſio invenitur in ore, ſaltem efficacia boni propoſiti. Hæc omnia inveniuntur in converſione prodigi. *In ſe reverſus*, Ecce intellectus illuminatus. *Dixit, Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Ecce contritio. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* En bonum propoſitum deſerendi diſſolutiones ſuas. *Et ſurgens venit ad patrem.* Ecce executio boni propoſiti. *Pater peccavi in cælum & coram te.* Ecce confeſſio oris. *Fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Ecce ſatisfactio. *In ſe reverſus.* Peccator exit à ſe per peccatum, *Cor meum dereliquit me* e. Bethſabee eripuerat cor David f. *Quanti mercenarii*, &c. Fur in flagranti delicto apprehenſus, confuſione operitur; ſic prodigus, & dicere poteſt, *Quid tu hic? aut quaſi quis hic* g? Quòd ego qui eram *Dei* h filius adoptivus, *hic* paſcam *porcos*? Ego qui eram *templum Dei* i; *hic* ſim caverna baſiliſcorum? Qui ſocius eram *Angelorum* k, *hic* ſim porcorum? *Qui in croceis* nutriebar, *hic ſtercora* l amplexatus ſum? Qui eram *vas electionis* m, *hic* ſum *vas in contumeliam* n?

d Gen. 8. 6 &c.
e Pſ. 50. 13
f ... 11. &c.
g ... 12. 16
h Rom. 8. 16
i 1. Cor. 3. 17
k Pſ. 77. 25
l Thren. 4.
m Act. 9.
n Rom. 9.

En conditiones requiſitæ ad converſionem è parte peccatoris: ſed aliæ requiruntur è parte Dei. Gratia præveniens, *Vidit illum pater ipſius.* Subſequens, *Cecidit ſuper collum ejus*, Remiſſio peccatorum, *Oſculatus eſt eum.* Gratia habitualis, *Citò proferte ſtolam primam.* Perſeverantia, *Calceamenta in pedes ejus.* Convivium gloriæ, *Adducite vitulum ſaginatum.* Aliud eſt conſecutio gloriæ, & aliud media quæ nobis Deus dat eidem conſequendæ congrua. Deus illam dat ei, qui illam bonis meretur operibus o. Ideò dat nobis gratiam prævenientem, *Vidit illum pater ipſius.* Id eſt, bonos motus, &c. Prætereà, Tribuit nobis gratiam ſubſequentem, *Accurrens.* Ut oſtendat quàm velociter ad noſtrum currat auxilium, & è contrà quàm tardè nos caſtiget, *ad auram poſt meridiem* p. *Cecidit ſuper collum ejus.* Ut auferret ab eo jugum peccati, & imponeret ei ſuum, quod *ſuave eſt* q. *Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo* r. Deinde, Ut innuat ſe cooperari nobiſcum, *Miſericordia ejus præveniet me* ſ. *Et miſericordia tua ſubſequetur me* t. *Trahe me poſt te, curremus* u Dei Filius ait, *Jugum meum* x. Quia maximam illius partem defert; *Domine, omnia opera noſtra operatus es nobis* y. Bonitas ejus ſic eſt immodica ut velit, ut illud ſit noſtrum quod eſt donum ipſius. *Et oſculatus eſt eum.* Ecce remiſſio peccatorum. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua* z. Peccata dicuntur nubes, & juſtitia Dei vocatur fulgur, *Si acuero ut fulgur gladium meum* a. Fulgur fit è nubibus, & ſi nullæ eſſent nubes, nullum eſſet fulgur: ita ſine nubibus peccatorum nulla eſſet juſtitia vindicativa in Deo. Prætereà, Peccata dicuntur nubes, quia ſicut nubes diſſipantur vento, calore, & pluviâ; ita peccata vento Spiritus ſancti b, calore amoris c, & pluviâ lacrymarum d. Tandem nubibus diſſipatis, aër remanet ſerenus; ita peccato deleto, anima exultatione perfunditur e. Iſtud Sponſa cupiebat oſculum, *Oſculetur me oſculo oris ſui* f. Ait, *oris ſui.* Quaſi diceret, Scio quòd *cæli* g habent ora, omnes creaturæ, homines, &c. Sed nihil horum volo, Oſculatus eſt Elias mortuum *puerum: & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit* h. Quare Deus oſculo ſuo non ſuſcitaret animam? In creatione hominis, *Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* i. Ut quid noſtras non vivificabit animas oſculo, aut ſpiritu gratiæ ſuæ? Prodigus *mortuus erat* præ diſſolutionibus ſuis, & hoc oſculo patris ſui *revixit.* Id eſt, juſtificatus eſt: *Proferte ſtolam primam.* Eum qui *deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, latrones deſpoliaverunt* k. Peccatum omnibus bonis operibus animam ſpoliat: ideò Protoplaſtos noſtros, *cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos* l poſt peccatum ſuū, puduit. Rebecca ut oſtenderet nobis neceſſitatem gratiæ habitualis, non priùs obtulit Jacob Iſaac patri ipſius, quin illum induiſſet *veſtibus Eſau* m natu majoris, ut ipſi patris benedictionem conciliaret; quia non habebimus benedictionem Dei, niſi induti ſimus veſtimentis Jeſu Chriſti, qui eſt *Primogenitus in multis fratribus* n. Ideò cùm Protoplaſti noſtri *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata;* videns Deus hæc veſtimenta inconcinna, *fecit Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos* o. Sed priùs occidenda fuit ovis: hæc veſtis repræſentabat igitur nobis gratiam habitualem; & ad elaborandam iſtam veſtem oportuit ut Jeſus verus *Agnus occiſus* p fuerit, *Induite illum.* Sed ipſe nonquid non poterat induere ſemetipſum? Hinc innuitur duplex juſti-

o 2. Tim. 4. 7. & 8
p Gen. 3. 8
q Matth. 11. 30
r Prov. 1. 9
ſ Pſ. 58. 11
t Pſ. 22. 6
u Cant. 1. 3
x Matth. 11. 30
y Iſai 26. 12
z Iſai 44. 22
a Deut. 32. 41
b Joa. 20. 22. & 23
c Luc. 7. 47. &c.
d Ibid. & 22. 62
e Pſ. 50. 10
f Cant. 1. 2
g Pſ. 18. 2
h 3. Reg. 17. 21 & 22
i Gen. 2. 7
k Luc. 10. 30
l Gen. 3. 6. & 7
m Gen. 27. 15. &c.
n Rom. 8. 29
o Gen. 3. 7. & 21
p Apoc. 5. 12

juſtificatio. Una gratuita. *Induite illum.* Altera quam bonis operibus noſtris acquirimus. Deinde, Quia peccatum nos ſpoliaverat, ſic recuperamus id quod amiſeramus, & aliquid amplius mediâ pœnitentiâ. Tandem, Ut oſtendatur, quòd licèt peccata fuerint deleta per confeſſionem, tamen pravæ conſuetudines remanent, ſicut fumus candelæ recenter extinctæ, quæ reaccenditur confeſtim ac flammæ applicatur. *Date annulum in manum ejus.* Ideò dicebat S. Paulus q. *Induite vos armaturam Dei. Calceamenta in pedes ejus.*
q Epheſ. 6.11

Iſtud eſt perſeverantia, quia non ſunt laudanda principia in Chriſtiano, ſed finis eſt celebrandus. *Adducite vitulum ſaginatum.* Iſte vitulus eſt Jeſus Chriſtus, qui futurus eſt in gloriâ cibus eorum, qui legitimè præliati fuerint in hâc vitâ, *Ego diſpono vobis regnum ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo* r. Sed quàm multi dicunt, *Surgam.* Deſeram pravas meas conſuetudines. *Et ibo* per viam mandatorum Dei, ſed in futuro; & non ſicut prodigus, qui *ſurgens venit ad patrem* per gratiam & per gloriam.
r Luc. 22. 29. et 30

FERIA III. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo, &c. Matth. 18. 15. &c.

ALexander Rex Macedonum, licèt Magnus nomine & effectu, nunquam tamen ſe ita magnum exhibuit ac cùm æquo & libenti animo ignoſcebat iis, qui poſt irrogatam ipſi injuriam, ſuam agnoſcebant culpam, ingenuè fatebantur ſe deliquiſſe, & ab ipſo humiliter offenſæ ſuæ veniam petebant: ſed noſtrarum Salvator animarum, *Magnus eſt, & non habet finem; excelſus & immenſus* a: Et ideò abſque ullâ comparatione major & miſericordior iſto Principe Ethnico, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* b. magnificentiori miſericordiam ſuam exhibet ſplendore, in eo quòd peccata dimittit eis, qui illa veniunt confeſſum Vicariis ipſius, ſeu Sacerdotibus, quibus ligandi & ſolvendi amplam dedit in terrâ poteſtatem, eis aſſerens ſe approbaturum ſurſum quidquid ipſi eſſent acturi deorſum; ſeque conceſſurum veniam illis omnibus, qui præ ipſorum pedibus eſſent inveſtigaturi gratiam, quâ *plena* c fuit ipſius Genitrix, cùm dixit ei Archangelus, *Ave Maria.*
a Baruch 3.25
b Luc. 19. 10
c Luc. 1. 28

Sola rerum divinarum & omnium operum Patris æterni conſideratio, eſt animarum fidelium meditatio, & in hâc meditatione ſita eſt Chriſtiani vita. Iſtâ vivebat vitâ Pſalmographus cùm dicebat Deo, *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor* d. *Ad obſervationem enim mandatorum primò requiritur illa mente cogitare, & cognoſcere: & hoc eſt, quod præmittit, dicens, Meditabor in omnibus operibus tuis. Meditari enim idem eſt quod cogitare & deliberare. Opera autem Dei hic ſunt mandata Dei, quæ nobis operanda præcepit. Et quia non ſufficit mente meditari, niſi opere perficiantur: ideò ſubdit: Et in adinventionibus tuis exercebor. Ubi nota, quòd hic per adinventiones intelligit divina præcepta,* ait Incognitus e. Sed quis non miraretur opera Omnipotentis? cùm ex effectibus habere poſſimus aliquam notitiam bonitatis & liberalitatis illius, in eo quòd amplam præbens Vicariis ſuis poteſtatem ligandi & ſolvendi in terrâ quidquid ipſis viſum fuerit; & conſequenter ut nos obſtringeret ut recurramus ad illos, quò ab iis noſtrorum obtineamus remiſſionem criminum, & noſtrarum ſuſcipiamus medelam ſeu ſanitatem animarum peccato laborantium, non obligat nos ut recurramus ad Patrem ſuum, ſed tantùm ad ſe in perſonâ Miniſtrorum ſuorum cùm dicat nobis præſertim, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* f. Contrarium autem videmus in Evangelio noſtro, cùm tacitè ipſi videatur ſatisfieri, ſi recurramus ad ipſum, & adeamus Sacerdotes qui ſunt Vicarii ipſius, ut ſuſcipiamus ab illis noſtrorum indulgentiam criminum.
d Pſ. 76. 13
e Incognit. in Pſ. 76. 13
f Joan. 16. 23

Theologi reſpondent, quòd tres perſonæ SS. Trinitatis ſunt æqualiter liberales erga creaturas, *Neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis;* ait S. Auguſtinus g. Ad probationem autem veritatis hujus, cùm ageretur de creando homine, *Deus ait, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* h. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* i. Tres divinæ perſonæ ad hanc creationem concurrerunt. *Faciamus hominem:* Ecce Pater, qui loquitur. *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* Ecce Filius: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* k. *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ:* ecce Spiritus ſanctus. In juſtificatione etiam tres divinæ perſonæ inveniuntur; *Sicut miſit me Pater,* ecce Patrem. *Et ego mitto vos,* ecce Filium. *Inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt* l; ecce Spiritum ſanctum. Sic liberalitas invenitur in Patre, in Filio, & in Spiritu ſancto. Filius autem communicat eam Vicariis ſuis, ſeu Sacerdotibus. Hoc inducit me ut oſtendam vobis Primò nos poſſe juſtificari, aut ſanari à morbis animæ noſtræ per recurſum ad iſtos Sacerdotes. Secundò, Diſpoſitiones afferendas ad merendam hanc juſtificationem.
g S. Aug. in Enchirid. c. 38
h Gen. 1. 25. & 26
i Gen. 2. 7
k Sap. 7. 26
l Joan. 20. 21. &c
Diviſio

Ad intelligentiam illorum, quæ dicturus ſum impoſterùm, ſupponendum eſt, quòd peccatum, quod noſtras inquinat animas, eſt morbus, qui non poteſt meliùs exprimi quàm per lepram. Sicut enim lepra omnes corrumpit humores corporis: ſic peccatum depravat univerſas animæ potentias & facultates. Hujus veritatis plures providet nobis Scriptura ſacra figuras, quòd lepra ſit imago, aut effectus peccati. *Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ leproſus,* monitus à pediſſequâ uxoris ſuæ, quòd ſi pergeret *ad Prophetam, qui erat in Samariâ profectò curaret eum à leprâ,* quam habebat: *venit cum equis & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Eliſei: miſitque ad eum Eliſeus nuntium, dicens: Vade, & lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis* m. Non latet nos, quòd, cùm Conſtantinus Magnus Imperator fœdâ percuſſus leprâ, Medicos convocaſſet, ut ab illis ſalutare aliquod ſuſciperet remedium, & curandæ ſuæ lepræ accommodum; iidem Medici unanimiter ſenſerunt, quòd opportuniſſimum
I. Pars
m 4. Reg. 5. 1. &c

Digitized by Google

mum futurum eſſet curando huic Principi à lepra ſua balneum conficie duni è ſanguine infantium. Myſterium, Auditores, quòd ad ſanandam lepram requirantur ſanguis & aqua: atqui effectus debet ſemper referri ad cauſam ſuam: idcircò ſi verum eſt, ſicut nemo de hoc debet ambigere, quòd lepra eſt effectus peccati, aſſerere poſſum lepram eſſe notam & figuram peccati, cùm procedat è peccato. In cujus rei ſignum cùm Rex *Ozias ingreſſus templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis, ſtatim orta eſt lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus* n, quorum officium uſurpabat. Sic Giezi poſt accepta munera à Naaman, pro beneficio ei collato à Domino ſuo Eliſeo, *lepra Naaman* adhæſit, ejuſque *ſemini in ſempiternum, & egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix* o. Similiter poſtquàm *locuta eſt Maria contra Moyſen, apparuit candens leprâ quaſi nix* †. Ecce quomodo lepra eſt effectus peccati. Idcircò Dei Filius *cùm deſcendiſſet de monte* ad ſanandum leproſum, ei *dicens, Mundare* p, voluit nobis oſtendere mediâ iſtâ figurâ, quòd exivit *à Patre, & in mundum* q hunc venit ad noſtrarum ſanandam lepram animarum, à qua ſanari non poteramus ex nobiſmetipſis, ſicut iſte *leproſus* leprâ ſua aggravatus, & intolerando peccati onere oppreſſus, aſcendere montem non poterat, ut ibi curaretur à Chriſto, nedum illinc deſcenderet idem Dei Filius ad impertiendam ipſi ſanitatem concupitam. Conſtat igitur Dei Filium veniſſe in terram ad ſanandam peccati noſtri lepram, cùm recurremus ad illum, eumque exorabimus ut noſtrûm dignetur miſereri, *dicentes* ei cum illis leproſis Evangelicis, *Jeſu, Præceptor, miſerere noſtri* r.

n 2. Paral. 26.14. &c.
o 4. Reg. 5.22. &c
† Num. 12. 2. & 10
p Matth. 8.1. &c
q Joan. 16,28
r Luc. 17. 13

Hoc ſuppoſito, Pero modò: Quid ſibi vult quòd ſanguis & aqua requirebantur ad ſanandam lepram? Iſtud innuit nobis, quòd Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti neceſſaria erat ad ſanandas animas noſtras à leprâ ſpirituali peccati, & quòd *Sanguis & aqua* ſ è latere illius aperto manantes, ad hujuſmodi ſanitatem animabus noſtris impertiendam impendi debebant; & ſicut conſultum eſt Conſtantino ut ſanguine uteretur pro remedio, & aquâ ſanata eſt vetâ lepra Naaman Principis Syriæ: pari modo ut fideles ſanarentur à leprâ animarum ſuarum, & juſtificarentur, oportebat ut lavarentur Sanguine & aquâ manantibus è latere Chriſti. Expedit ergo ut meritum pretioſi hujus Sanguinis applicetur eis à Sacerdotibus, qui ſunt ejus Miniſtri. Ideò ſanatos leproſos mittebat Chriſtus ad Sacerdotes, *Vade, oſtende te Sacerdoti* t. Vel ſaltem mundandos, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt* u. Sed res inaudita illa, quam docet nos Iſaias x, loquens de Jeſu Chriſto! *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Mirabile dictu, quòd Dei Filius ut liberaret nos à doloribus, voluit ipſe doloribus opprimi; ut liberaret nos à morte, voluit ipſe mortem oppetere: & ut ſanaret animas noſtras à leprâ peccati interventu Sacerdotum ſuorum, apparere voluit quaſi leproſus.

ſ Joan. 19.34
t Matth. 8.4. ex Levit. 14.2
u Luc. 17. 14
x Iſai 53.4

Sed ut iſtud meliùs intelligatur, referunt curioſi rerum naturalium Indagatores, dari in naturâ avem quandam ſic hominis amantem, ut, ſi intueatur hominem ægritudine decumbentem, eum ſanet, attrahendo ad ſe morbum hominis; & liberans hominem à morte, ipſa ſibi interitum inferat. Si iſtud ſit verum, eſto. Sed dicamus, quòd Jeſus Chriſtus eſt avis iſta, nam intuens Dei Filius hominem leprâ oppreſſum, miſertus eſt ejus, & ſumpſit in ſe morbum & lepram totius generis humani (loquor quantùm ad pœnam, non quantùm ad culpam, cujus contrahendæ erat incapax, ut dicit illi Propheta y, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*) ut ab hujuſmodi ægritudine nos liberaret; & mortem ſibi intulit, ut nobis vitam conciliaret: *Putavimus eum quaſi leproſum*. Solus mortem oppetiit, ut non eſſet ſolus vivens, ut redimeret & lavaret *nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* z; cujus merita Sacerdotes Miniſtri ipſius nobis applicant; & erueret nos è faucibus diaboli, cui voluntariè & gratis vendideramus nos, *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini* a. Appoſitè ait Propheta, quòd *gratis venundati* ſumus, *& ſine argento* redimemur, ſed non ait, abſque pretio. Vendidimus nos ob fructum pomi *b*, redemptio noſtra fiet abſque pecuniâ, ſed non ſine pretio Sanguinis Chriſti nobis à Sacerdotibus novæ Legis applicari, *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti* c.

y Pſ. 5.5
z Apoc. 1.5
a Iſai 52.3
b Gen. 3.6
c 1. Petr. 1.18. & 19

Sed dicamus etiam, quòd Sanguis Innocentis erat neceſſarius ad ſanandam lepram ſpiritualem animæ noſtræ, ut præſcriptum fuerat balneum ex illo conficiendum, à Medicis Conſtantino Magno; etiamſi eo balneo uti noluerit, ratus balneum illud immane inſumendum potiùs eſſe ab antropophagis, quàm à Chriſtiano, propterea illud rejecit. Sed dico, quòd ſi agatur de noſtrarum leprâ ſanandâ animarum, requiritur Sanguis innocens. Sed ubinam inveniemus eum, cùm terra ſit tota operta hominibus repletis iniquitate & malitiâ, & triumphent hodie univerſa crimina? Fatendum eſt, quòd unicus Dei Filius, hic immaculatus *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* d, poſſit ſanare nos à leprâ ſpirituali animarum noſtrarum, pretio Sanguinis ſui, cùm applicabuntur nobis ejus merita à Miniſtris illius, ſeu Sacerdotibus. Ad hoc propoſitum obſervant rerum naturalium Indagatores, quòd pulvis adamantis vim habet infringendi & conterendi ejuſdem adamantis, ſuomet pulvere confricati: Iſaias e loquens de Chriſto, ait, *Attritus eſt propter ſcelera noſtra* in morte ſuâ, ad polienda corda noſtra adamantina; ſemetipſum ipſe contrivit ad delendas maculas horum cordiũ noſtrorum: & ſic *Sanguis & aqua* f quæ manaverunt ex aperto latere Chriſti, quorumque merita applicantur nobis à Sacerdotibus, lepram noſtram ſpiritualem ſanaverunt, ad repræſentandum nobis modum, quo juſtificatio noſtra peragitur, nimirum Sanguine & aquâ. Sanguis repræſentat nobis gratiam: & aqua cooperationem noſtram, quæ neceſſaria eſt ad juſtificationem noſtram, ad figurandas nobis duas radices vitæ ſpiritualis, nativitatem, & alimentum Sanguine Filii Dei. Idcircò dicebat S. Paulus *g*, *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Id eſt, ait Dionyſius Carthuſianus h, *Non ego ſic laboravi propriâ poteſtate, vel tanquam principalis cauſa bonorum operum, ſed gratia Dei mecum ſcilicet cooperata & auxiliata eſt mihi, fuitque principalior cauſa bonorum, quàm ego, ſeu mea natura.*

d Joan. 1. 29
e Iſai 53.5
f Joan. 19. 34
g 1. Cor. 15.10
h Dion. Carth. art. 15. in 1. Cor. 15 10

Dicitur Pelicanus ſuorum ſic amans eſſe pullorum, ut deficiente eis alimento, pectus ſibi roſtro percutiat, & ex eo ſanguinem educat, quo ſuos alat pullos: Jeſus Chriſtus eſt Divinus iſte Pelicanus, quo permittente, *unus militum lanceâ*

latus

Digitized by Google

latus ejus aperuit · *& continuò exivit Sanguis & aqua* i, ut illis alatemur ſpiritualiter, cùm alio non indigeamus alimento nutriendis animabus noſtris opportuno. Aqua eſt Baptiſmus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* k, &c, Sanguis verò Euchariſtia, *Sanguis meus verè eſt potus* l. Vel, Aqua eſt Baptiſmus; Sanguis verò eſt Pœnitentia, *Et ſine Sanguinis effuſione non fit remiſſio* m.

Nihil aliud nobis eſt agendum ad ſuſcipiendam hanc juſtificationem, niſi ut *adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* n. Ut pergamus, inquam, ad Sacerdotes, & aperiamus eis lethiferos animæ noſtræ morbos, cùm iis plenam Dei Filius tradiderit authoritatem & poteſtatem eorundem ſanandorum: quotieſcunque autem ſanandi fuerunt leproſi, miſſi ſunt ad Sacerdotes o, eò quòd poteſtatem haberent cognoſcendi peccati. Scriptura ſacra p aſſerit, quòd admittatur affinitas & magna convenientia inter Legem & Sacerdotium, ita ut iſtud non poſſit eſſe ſine illâ, *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt ut & Legis tranſlatio fiat.* Atqui Lex ſcripta non remittebat peccata, ſed ſolùm ea oſtendebat, & cognoſcenda exhibebat: & ſic videmus, quòd Sacerdotes veteris Fœderis poterant ſolùm cognoſcere peccata, non autem illa dimittere. Idcircò ſanctus Auguſtinus dixit, *Ita Lex, Gratiâ non adjuvante prohibens peccatum, virtus eſt ipſius peccati* q. Et, *Minando pœnam, non adjuvando per gratiam* r. Apprimè autem repræſentabatur in perſonâ Moyſis, cujus erat *cornuta facies ex conſortio ſermonis Domini* ſ; ſed qui habebat *manum leproſam inſtar nivis* t; ut innueretur quòd Lex antiqua poterat quidem monſtrare lepram manuum, ſed non eam ſanare.

Præclaram veritatis hujus figuram habemus in rubo Moyſis, cùm *apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi; & videbat quòd rubus arderet & non combureretur* u. Videbantur enim ſpinæ rubi omnino virides Hoc repræſentabat nobis Legem antiquam, quæ erat *ignea Lex* x, ſeu ignis ſplendens ad oſtendendas ſpinas peccatorum, ſed ea non poterat peccata delere, comburere, aut conſumere, cùm cognitio peccati non eſſet niſi interventu Legis, *Peccatum non cognovi niſi per Legem* y In hâc cognitione erat ſita virtus & vis Legis. Sed cùm tanta detur convenientia inter Legem & Sacerdotium, & Lex antiqua non poſſet ſanare, ſicut neque Sacerdotes ejus: inde contrarium ſequitur, nimirum, quòd ſi Lex nova habet poteſtatem ſanandi & dimittendi peccati; conſequenter Sacerdotes ejuſdem Legis eâdem donabuntur dimittẽdorum ſcelerum poteſtate. Hæc veritas nobis repræſentatur in eo, quòd cùm *Iudas pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & ſenioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum: Illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris* z. Appoſitè reſponderunt Judæ Sacerdotes, *Quid ad nos? tu videris.* In vanum enim declaravit eis peccatum ſuum, cùm nullam haberent poteſtatem dimittendi ei hujuſmodi peccati. Sed ſi adiiſſet Coapoſtolos ſuos, aut ſaltem S. Petrum, cui dederat Dei Filius *claves Regni cœlorum* a, & in ejus perſona omnibus aliis Sacerdotibus novæ Legis, nõ reſpondiſſent ei, *Quid ad nos? tu videris*, non enim citiùs dixiſſet, *Peccavi*, cùm ſtatim dimiſſum fuiſſet ei peccatum ipſius; cùm poteſtas ipſorum ſit alia à poteſtate Sacerdotum Legis veteris,

i Joan. 19. 34
k Joan. 3. 5
l Joan. 6. 55
m Hebr. 9. 22
n Hebr. 4. 16
o Levit. 14. 2. Mat. 8. 4. & Luc. 17. 14
p Hebr. 7. 12
q S. Aug. l. de Continent. c. 3
r S. Aug. in Præfat. in Pſ. 143
ſ Exod. 34. 29
t Exod. 4. 6
u Exod. 3. 2
x Deut. 33. 2
y Rom. 7. 7
z Matth. 27. 3. & 4.
a Matth. 16. 19

Propterea ad conciliandam huic veritati authoritatem Dei Filius occurrentibus ſibi ad impetrandam ſanitatem à leprâ ſuâ leproſis *decem, dixit, Ite oſtendite vos Sacerdotibus* b. Cùm ſanctus Auguſtinus c dicat, his verbis ſignificari poteſtatem abſolvendorum peccatorum, quæ eſt in Sacerdotibus novæ Legis, *Præcepit enim Dominus mundatis ut oſtenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præſentiâ confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim, Ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus. Non alium ſtatuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus à Moyſe ſtatutum* d: *ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis.* Iſtud confirmatur ex eo quòd diſcipulis ſuis præcepit *Ieſus aſinam alligatam, & pullum cum eâ* e ſolvere. Et ex illo quod dixit ſancto Petro, *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* f. Hæc poteſtas ſita eſt in his verbis ligandi, & ſolvendi, ut innuatur quòd peccata ſunt vincula, quibus conſtringimur, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me* g. *Suſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed ferreâ meâ voluntate velle meum tenebat inimicus* h. Cùm igitur peccata ſint vincula, non erat modus aptior exprimendæ huic authoritati, quàm his verbis ligandi, atque ſolvendi.

Nobis idem accidit, quod miſerandis illis reis, quibus antiquitùs aſſignabantur *civitates refugij* i poſt commiſſa ab ipſis crimina. Domini Sacerdotes hanc receperunt poteſtatem ligandi, & ſolvendi, id eſt, dimittendorum peccatorum, facti ſunt loca & *civitates refugii*, quò peccatores criminibus obnoxii poſſunt recurrere tanquam ad aſylum ſacrum. Non oportet ut renuamus aut contemnamus gratiam, quæ nobis offertur à Sacerdotibus, qui ſunt Vicarii Jeſu Chriſti. Deus moveri facit cœlos ab Angelis & ab Intelligentiis cœleſtibus: ſed terram gubernat per Sacerdotes & per Hierarchias Eccleſiaſticas. Sicut autem ſanctus Dionyſius k docet nos, proprium eſſe Angelis purgare, illuminare, & perficere: ſic proprium eſt Sacerdotibus, qui ſunt Angeli novæ Legis (*Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt* l) purgare, illuminare, & perficere. Illuminant prædicatione verbi Dei. Purgant conſcientias Pœnitentiâ. Et perficiunt adminiſtratione aliorum Sacramentorum.

Eximia providentia Dei erga nos! Mirabilis authoritas Sacerdotum in gratiam noſtri! Mirabile dictu, quòd è captivis Satanæ efficiant nos Angelos, ex hominibus parvos deos, & è peccatoribus juſtos, ſolventes nos virtute hujus authoritatis, quam acceperunt à Deo! Ubi obſervate, ſi placet, verba: nam quodlibet eorum magnam oſtendit poteſtatem, quam præbuit Deus Sacerdotibus, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* m. Atqui propter quid miſſus eſt Dei Filius in mundum à Patre ſuo? Sanè ad judicandas conſcientias, ad dimittenda peccata, ad dandum Spiritum ſanctum, ad patranda miracula, ad juſtificandas animas, & ad prædicandum: ſic Chriſtus ſuos miſit Apoſtolos, & Succeſſores eorũ Sacerdotes, ob ſimiles effectus, cum pari poteſtate, quã accepit à Patre ſuo, & ideò dedit eis Spiritum ſanctum, ut ait Dionyſius Carthuſianus n, *Quemadmodum Pater miſit me ex verâ pietate & charitate, ad prædicandum Evangelium*

b Luc. 17. 12. & 14
c S. Aug. l. de Ver. & Falſ. Pœnit. c. 10
d Ex Levit. 14. 2, &c.
e Matth. 21. 1. & 2
f Matth. 16. 19
g Pſ. 118. 61
h S. Aug. l. 8. Conf. c. 5
i Joſue 20. 37
k S. Dion. l. de Cœl. Hier. c. 3
l Malachi 2. 7
m Joan. 20. 21. &c
n Dion. Carth. art. 48. in Joa. 20. 21. &c.

gelium vita Iudau: ſic ego nenc mittam vos ad prædicandum Evangelicam Legem Iedau, ac Gentibus ex charitate & pietate ad oos, & item ad illos. Sed conſiderare, quæſo, circumſtantiam, quacum Dei Filius Spiritum ſanctum ſuum dedit Apoſtolis ſuis, *Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum. Poſtquàm Salvator dixit diſcipulis, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, infudit diſcipulis Spiritum ſanctum, quia officium prædicationis, quod eis commiſit, ſine ſpeciali gratiâ Spiritus ſancti expleri non valuit:* ait idem Carthuſianus. Alii dicunt, Chriſtum inſufflaſſe, ut reſponderet primæ creationi hominis, quâ *Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* o. Alii aſſerunt, Dei Filium ſic inſpiraſſe, ut repræſentaret fragilitatem vitæ hominis, quæ non eſt aliud niſi halitus, *Memento, quia ventus eſt vita mea* p. Alii contendunt, quòd Jeſus hunc emiſit halitum, ut denotaret naturam Spiritus ſancti, qui eſt ventus ſuavis amoris & charitatis, *Sibilus auræ tenuis* q. Alii volunt, quòd ideò Chriſtus ſpiritum emiſit, ut oſtenderet, quòd modus dandi Spiritus ſancti, futurus eſſet his verbis, *Ego te abſolvo.* Hæc omnia poſſunt dici: ſed ſpecialiter dico, quod iſtud, *inſufflavit*, fuit ad oſtendendum, quòd ſtatim ac pœnitentes benè diſpoſiti audiunt pronunciari hæc eadem verba, *Ego te abſolvo*, ſolvuntur à peccatis ſuis omnibus, juſtificantur, & accipiunt Spiritum ſanctum. Deinde ſubjungit Chriſtus, *Quorum remiſeritis peccata*, Id eſt, ait idem Carthuſianus, *Eos legitime abſolvendo, & Divinâ virtute (quæ ſola dimittit peccata* r*) ut cauſa principalis, inſtrumentaliter vi clavium cooperando, remittuntur eis à Deo, ſaltem quoad culpam: non tamen ſemper aut totaliter quantùm ad pœnam.* Dicit, *Quorum*, id eſt, omnium indiſcriminatim, magnorum & parvorum, pauperum & divitum, nobilium & ignobilium; & toties quoties à vobis efflagitabitur hæc abſolutio, eam debetis pœnitentibus impendere, non autem illam ad certum numerum determinare, *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*, reſpondet Chriſtus hodie Petro in Evangelio noſtro. Id eſt, vicibus innumeris.

o Gen. 2. 7

p Job 7. 7

q 3. Reg. 19. 12

r ex Luc. 5. 21

II. Pars. Si autem ſcire velitis quo modo accederè debeatis ad Sacerdotes, ut ab illis abſolutionem ſuſcipiatis, & quasnam diſpoſitiones afferre debeatis ad merendam juſtificationem veſtram. Reſpondeo, ad eos debere vos accedere præ iiſdem diſpoſitionibus, quibuſcum illa famoſa *mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retrò ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Et conſequenter ſuſcepit ſanitatem animæ ſuæ, & juſtificata eſt à Summo Sacerdote Jeſu Chriſto, qui *dixit ad illam, Remittuntur tibi peccata* ſ. Sanctus Auguſtinus t loquens de peccato Davidis, ait, *Quid caveant homines, diximus* (Oſtendi vobis in priori parte diſcurſus iſtius, enormitatem peccati, quod comparavi lepræ) & ſermonem faciens de ejus converſione, ſtatim ſubdit, *Quid verò, ſi lapſi fuerint, imitentur, audiamus.* Non proponitur nobis à Scriptura David ut prototypon imitandum quoad peccatum ipſius, ſed quantùm ad ipſius reſurrectionem, ſi fortè in aliquod crimen ceciderimus. Sic præ omnibus converſionibus, quas proponit nobis Evangelium, converſio Magdalenæ eſt famoſiſſima, & hæc ideò nobis proponitur, non ut imitemur hanc peccatricem in ſectandâ ipſius vitâ diſſolutâ, ſed in ipſius emendatione, & in diſpoſitionibus, quas ſubminiſtrat ipſa nobis ad peragendam juſtificationem noſtram.

ſ Luc. 7. 37. &c

t S. Aug. in Pſ. 50. in princip. ex 2. Reg. 11. 2. &c

Statim enim ac audivit illa inſpirationem Dei vocantis ipſam ad juſtificationem, in bonam emendatæ vitæ ſe recepit frugem. Iſtud eſt, quod agere debemus, ut verè dicere Deo poſſimus ſinguli, *Poſtquàm convertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquàm oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ* u. Et ſi adeamus Sacerdotes, ſcatentes criminibus, ab illis reverremur à ſceleribus noſtris immunes, ſicut dicit S. Auguſtinus x de Magdalena, *Acceſſit ad Dominum immunda, ut rediret munda. Acceſſit ægra, ut rediret ſana. Acceſſit confeſſa, ut rediret profeſſa.* Quidquid erat neceſſarium ad peragendam veram pœnitentiam, inventum eſt in Magdalena; & hoc eſt quod debemus afferre ad merendam noſtram juſtificationem. Primò, Dolor ad eam requiritur, non propter reſpectus humanos, non dolor exterior. Perfecta contritio non eſt ad eam neceſſaria, ſed ſola ſufficit attritio. Conſideremus ſolùm lacrymas Magdalenæ, & in eis inveniemus conditiones requiſitas ad veram juſtificationem. Licèt enim lacrymæ non ſint abſolutè neceſſariæ ad hoc ut Confeſſio ſit valida; non poteſt tamen negari quin ipſæ ſint effectus hujus doloris interni, qui eſt abſolutè neceſſarius ad operandam juſtificationem noſtram, poſtquam in Deum per peccatum inſurrexerimus. Si enim effectus non poteſt eſſe quin ſit cauſa, licèt cauſa poſſit eſſe ſine effectu: ſi lux non poteſt eſſe abſque corpore lucido: & fumus ſine igne, è quo procedit; ſequitur, quòd, cùm Magdalena habuerit hunc effectum doloris, id eſt, hanc abundantiam fuderit lacrymarum, habuerit hunc dolorem qui requiritur in nobis ad merendam juſtificationem noſtram.

u Jer. 31. 19

x S. Aug. lib. 50. Homil. hom. 23. c. 2

Obſervate autem, ſi placet, tria dari genera lacrymarum. Aliæ pertingunt ad ſolum oculorum oſtium, ſed foràs non erumpunt. Aliæ ſolas madefaciunt genas. Aliæ verò ut torrentes irrigant ipſam terram. Primæ manifeſtantur in hoc, quòd ſolos humectent oculos, & iſtæ ſunt omnium minimæ, à quibus Beati ſunt immunes, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* y. Secundæ ſunt minoris virtutis, *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt uſque ad cœlum, & Dominus exauditor delectabitur in eis* z. Sed tertiæ excedunt omnes illas, & iſtæ fuerunt eæ, quibus Magdalena famoſa hæc *mulier, quæ erat in civitate peccatrix, cœpit rigare pedes* ſummi Sacerdotis Jeſu Chriſti; & quas effundere debemus nos ante pedes Sacerdotum ut diſpoſitiones requiſitas ad merendam juſtificationem noſtram.

y Apoc. 21. 4 ex Iſai. 25. 8

z Eccli. 35. 18. & 19

Non poſſunt meliùs comparari lacrymæ, de quibus dicit Iſaias a, *Quomodo deſcendit imber de cœlo, ſed inebriat terram, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti.* Sic dicendum eſt de lacrymis. Sicut enim pluvia fit ex vaporibus ſurſum elevatis virtute Solis, qui primò liquefiunt in nubes, ſeſe cōdenſando, quos deinde

a Iſai. 56. 10

de radii Solis reſolvunt in pluvias: ſic lacrymæ formantur ex vaporibus peccati extracti è terrâ cordis noſtri: deinde ſequitur nubes doloris, ſuper quam nubem radii juſtitiæ & amoris Dei cadentes, reſolvunt eam in pluvias lacrymarum, quibus Magdalena ut diluvio ſacro ſua immerſit peccata, ſicut ait ſanctus Chryſologus b, *In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut ſuâ fronte mulier in novum Baptiſma ſuorum dilueret illuviem peccatorum.* Hoc patet ex definitione contritionis, quæ talis eſt, *Contritio eſt dolor de peccatis perpetratis propter Deum ſummè dilectum.* Dicitur *dolor*, ecce nubes. *De peccatis perpetratis*, ecce vapor terræ. *Propter Deum ſummè dilectum*, ecce Sol, qui radiis ſuis reſolvit omnia in pluvias lacrymarum. Sed quid mirum ſi Magdalena liquefiebat in lacrymas, dum *ſtans retrò ſecus pedes* ſummi Sacerdotis Jeſu Chriſti, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus*, cùm ipſa eſſet ut glacies frigidiſſima, & Jeſus Chriſtus eſſet *Sol juſtitiæ* c. Atqui impoſſibile eſt ut radii Solis vibrati ſuper glaciem, non reſolvant eam in aquam.

b S. Chryſol. ſerm. 93

c Malach. 4.2

Et capillis capitis ſui tergebat. Hæc eſt ſecunda circunſtantia aut diſpoſitio requiſita ad noſtram juſtificationem, & ad integritatem Confeſſionis, nimirum exacta inquiſitio, aut ſerium examen conſcientiæ noſtræ. Capilli repræſentant cogitationes: ergo Jeſu Chriſti *pedes capillis capitis ſui tergere*, eſt diligenter perſcrutari & examinare peccata ſua ad minimas uſque cogitationes. *Et oſculabatur pedes ejus.* Hæc eſt tertia diſpoſitio neceſſaria ad noſtram juſtificationem, & ad validitatem Confeſſionis, nimirum eadem Confeſſio oris, per quod dantur oſcula. *Non ceſſavit oſculari pedes meos.* Hæc eſt quarta diſpoſitio requiſita ad perfectam Pœnitentiam, nimirum firmum conſilium futuræ emendationis, proponendo diſſolutam vitam deſerere, & in bonam vitæ intemeratæ deinceps frugem ſe recipere. Tandem, habenda eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem requiſita, quæ omnibus perfectionē impertitur. Ubi obſervabitis quòd datur triplex genus operum ſatisfactoriorum, nimirum jejunium, eleemoſyna, & oratio, *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna* d. Jejunium complectitur omne genus macerationis corporalis. Eleemoſyna comprehendit omnia opera miſericordiæ ſpiritualia æquè ac corporalia. Et oratio continet quaſcunque preces, & omnem pietatem & cultum Dei. Theologi autem dant rationem hujus triplicis generis bonorum operum, dicentes, quòd peccamus ſemper ſub aliquâ apparentiâ boni: *Nemo enim intendens in malum, operatur.* Et quia hæc bona, ſecundùm morales Philoſophos, ſunt aut honeſta, aut utilia, aut delectabilia, ſeu aliter, ſunt bona corporis, animi, & fortunæ; & quòd offendimus Deum ſub apparentiâ alicujus ex iſtis bonis: ideò inſtituta eſt ſatisfactio triplex reſpondens his tribus bonis apparentibus, quæ vitium prætexunt. Jejunium ſatisfacit peccatis opertis ſpecie bonorum delectabilium, ſeu corporis. Eleemoſyna peccatis tectis apparentiâ bonorum utilium, aut fortunæ. Et oratio peccatis palliatis decoro prætextu bonorum honeſtorum, ſive animi. Hæc omnia manifeſtè patent in Magdalenâ; *Lacrymis cœpit rigare pedes* Domini. Ecce jejunium, quod ante ipſam exercuit alius famoſus Pœnitens, dicens, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* e.

d Tob. 12.8

e Pſ. 41.4

Aut maceratio corporis, cui vacabat idem Pœnitens, inquiens, *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam* f. *Et capillis capitis ſui tergebat.* Ecce eleemoſyna. *Quoniam eleemoſyna purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam* g. *Et unguento ungebat.* Ecce oratio, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo* h. Et hæ ſunt omnes diſpoſitiones, quibus inſtructi eſſe debemus ad merendam juſtificationem noſtram.

f Pſ. 101. 10

g Tob. 12.9

h Pſ. 140. 2

Sed quàm pauci ſunt Chriſtiani in mundo, qui ſuas inſumant operas ad procurandam animarum ſuarum ſalutem, & ad merendam juſtificationem ſuam. Intolerandâ torpent negligentiâ, & malunt mori in ſuis infirmitatibus, *in peccato* i ſuo, quàm ire inquiſitum remedia earundem ſuarum ægritudinum ſpiritualium a Sacerdotibus, qui ſunt Vicarii Jeſu Chriſti, & exoratum eos ut ſibi applicent merita Sanguinis ejus. In ſuis languent præ deſidiâ miſeriis; in obſcœnis ſuis volutant ſe deliciis; divitias ambiunt temporaneas: & honores aucupantur & dignitates, nedum de conſcientia ſuâ à peccatis & ſordibus mundandâ cogitent. Ha! cogitate Auditores, quòd *Sanguis & aqua* k manantes è latere Chriſti aperto, non fluunt inde ob alium finem niſi ad remittenda peccata veſtra, *Et ſine Sanguinis effuſione non fit remiſſio* l. Ecce *Sanguis*, ecce Pœnitentia, quæ ſingulis diebus offertur vobis ad operandam juſtificationem veſtram, imò ſingulis horis, quin & momentis quibuslibet. Quotidie Sacerdotes ſedent in ſacris Confeſſionis tribunalibus ut vos abſolvant: *Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus* m. Ut judicium miſericordiæ pronunciet vobis ore & miniſterio eorum. Sed ſanè miſeratione eſtis indigni, quippe qui eos contemnitis, cùm nequidem dicere Deo cum Rege pœnitente velitis, *Peccavi, & malum coram te feci* n. Profectò vos eſtis *rebelles lumini* o. Cùm glacies cordis veſtri expoſita radiis Solis *juſtitiæ* p, non diſſolvatur; & induratum iſtud veſtrum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* q ſtrictum, non poſſit emolliri pretioſo iſto Chriſti Sanguine, nec converti, & trahi ad Pœnitentiam, & ad juſtificationem. Vobis data eſt hæc *aqua* r Baptiſmatis; ſed per nova crimina privaſtis vos gratiâ ſanctificante, quam vobis infuderat Deus, ita ut vobis contigerit *illud veri Proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti* ſ. Cùm ut ſues immundæ veſtrum non quæratis cibum niſi medias inter ſordes, nec niſi terrenorum affectu ducamini, ut alamini inſtar animalium; in hoc comparati *jumentis inſipientibus, & illis* t ſimiles facti, quòd amiſiſtis notitiam, quâ Deus vos donaverat, ut aleremini cibo ſpirituali & cœleſti, qui vitam vobis pararet ſempiternam, ſi in vobis eſſet induſtria illius cibi capeſſendi, & hauriendæ ex eo æternæ veſtræ felicitatis. Ha! Auditores, cogitate potiùs de tempore futuro, ſeu potiùs de æternitate, quàm de tempore præſenti: perpendite vitam ſtam eſſe mortalem, quòd in eâ immoraturi ſumus per exiguum tempus, & forſan per unum diem. Suſcipiamus pretioſum Chriſti Sanguinem, qui repræſentat nobis Pœnitentiam, proficuè inſumamus illum, cùm effuſus fuerit ad delenda delicta noſtra, quia *Chriſtus ſemel oblatus eſt*

i Joan. 8.21

k Joan. 19.34

l Hebr. 9.22

m Iſai. 30. 18

n Pſ. 50. 6

o Job 24. 13

p Malach. 4.2

q Job 41. 15

r Joan. 19.34

ſ 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 11

t Pſ. 48. 13. & 21

ad multorum exhaurienda peccata u. Proponamus firmiter ſeriam peccatorum noſtrorum peragere Pœnitentiam, emendare nos, & contemnere cibos terreſtres, ut hoc alimento cœleſti Pœnitentiæ paſti, divinam poſſimus implorare Miſericordiam. Hæc Miſericordia diſſimulat *peccata hominum propter Pœnitentiam* x. Et ſolam petit à nobis voluntatem pro omnibus peccatis, quæ adversùs ipſam commiſimus, dicens nobis ſingulis, *Præbe fili mi, cor tuum mihi* y. Præcipit nobis ſolùm ut peccata iſta declaremus Sacerdotibus, ut eorum abſolutionem ab illis ſuſcipiamus in tribunali Confeſſionis, & ut ad illud accedamus præ omnibus ſupradictis diſpoſitionibus requiſitis ad hoc Sacramentum, ut noſtram mereri poſſimus juſtificationem. Propterea imitemur Davidem, qui monitus à Prophetâ Nathan, quòd Deus adversùs ipſum iratus eſſet ob crimina ab ipſo patrata in perſonâ Bethſabee, quam violaverat, & in perſona viri ejus Uriæ, quem interimendum ſategerat, ſtatim ſuorum pœnitentiam egit criminum: *Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris* z. Aperiamus igitur os noſtrum in Confeſſione Sacerdotibus, ut aperiant nobis os ſuum ad nos juſtificandos, & ad præbendam nobis gratiam, quæ eſt via, per quam pergitur ad gloriam.

u Hebr. 9. 28
x Sap. 11. 24
y Prov. 23. 26
z 2. Reg. 12. 7. &c.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite, &c. Matth. 15. 10. &c.

NOn miror ſi noſtrarum Salvator animarum expoſcit ab illis omnibus, qui veſtigiis ipſius volent inhærere, & poſſidere Regnum cœlorum, quod ſolis debetur operibus bonis, majorem juſtitiam, & ſolidiorem perfectionem, quàm ſit in Scribis & Phariſæis, dicens, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum* a. Super quod S. Chryſoſtomus b ait, *Scribarum & Phariſæorum juſtitia, ſunt mandata Moſi, impletiones autem mandatorum illorum, ſunt mandata Chriſti. Hoc eſt ergo quod dicit, Niſi quis ſupra Legis mandata, & hæc mea præcepta quæ apud illos minima exiſtimabantur, impleverit, non intrabit in Regnum cœlorum: quoniam illa de pœnâ quidem liberant, quæ ſcilicet transgreſſoribus legis debetur, non autem introducunt in Regnum: Hæc autem & de pœnâ liberant, & in Regnum introducunt.* Hæc ait Chriſtus, ut oſtendat ſe veniſſe non ad abolendam legem, ſed ad eam implendam, *Legem non veni ſolvere, ſed adimplere* c. Venit non ad edocendos nos præcepta Scribarum & Phariſæorum, quæ ipſe reprobat hodie cum traditionibus illorum, & quos excipit ut Hypocritas, ſed ut nobis perfectiora tradat, ut dicit S. Gregorius d, *Quia Dominus ac Redemptor noſter novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo.* Recentia nobis mandata tribuit, *Mandatum novum do vobis* e. Sed hæc mandata ſunt utiliora præceptis Scribarum & Phariſæorum, qui cùm eſſent Hypocritæ, & deſtituti gratiâ, efficere non poterant ut illa producerent in animabus noſtris gratiam, quæ replevit Mariam ad hæc verba Angeli, *Ave Maria.*

a Matth. 5. 21
b S. Chryſoſt. hom. 11. in Mat. 5. 21
c Matth. 5. 17
d S. Greg. hom. 31. in Evang.
e Joan. 13. 34

Patres & Doctores Eccleſiæ conſiderantes adventum Dei in terram, dicunt eum non veniſſe ad prædeſtinandus homines, quia prædeſtinatio eſt ab æternitate, *Quos prædeſtinavit* f. *Ab æterno*, ſubdit Carthuſianus g. Sed veniſſe ad exequendum finem prædeſtinationis, quia omnes prædeſtinati, tales ſunt in Jeſu Chriſto, & ſuſcipiunt gloriam per eum, qui eſt finis prædeſtinationis, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus, Id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo. Quos autem prædeſtinavit ab æterno, hos & vocavit ad ſtatum ſalutis, ad fidem, & gratiam, vel per inſpirationem internam, vel per inſtructionem Angelicam, vel per prædicationem humanam. Et quos vocavit, hos & juſtificavit, indulgentiam conferendo, & gratiam infundendo. Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit, exaltando eos in gloriâ. Quoſdam enim jam magnificavit hoc modo, alios magnificabit. Itaque prædeſtinatio gratiam præparat, reſpicitque gratia bonum finale. Magnificatio gratiam conſummat in gloriâ, & concernit futurum bonum felicitatis æternæ. Horum quatuor, prædeſtinatio eſt in Deo; alia tria in nobis.* Re autem verà diu diſtulit Pater æternus ad nos mittere Verbum ſuum, *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* h. Ut oſtenderet, quòd ipſi *ſimiliter odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* i. Et quàm graviter uterque Protoplaſtus noſter ipſum offendit, dum vetito *de fructu comedit* k. Quia ſi Pater æternus miſiſſet Filium ſuum ſtatim poſt peccatum Adæ, non potuiſſet agnoſci rigor ipſius, & juſta ipſius indignatio. Præterea, Homo peccaverat ſuperbiâ, contemnens Creatorem ſuum: rectæ igitur conſonum erat rationi ut iſtud malum humilitate ſanaretur, cùm verum ſit axioma, *Contraria contrariis curantur.* Hæc autem humilitas videri non poterat, niſi per aliquem progreſſum temporis, cùm Deus pedetentim oſtendit homini, quantùm ipſe eſſet & egenus & miſer: & ideò differre voluit Deus mittere Filium ſuum donec homo ſe humiliaſſet: ideò antiqui Patres noſtri hanc agnoſcentes neceſſitatem, ſic Deum exorabant, *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es* l. *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ* m. *Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes* n. Deinde, Diſtulit illum mittere, quia cùm Incarnatio ſit myſterium altiſſimum & graviſſimum, congruum erat ut priùs prædiceretur à Prophetis, ſignificaretur figuris, & annunciaretur oraculis o: ut autem ſic præclaro repræſentaretur ordine, requirebatur aliquantum ſpatium temporis, *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* p. In quo ſe Deus geſſit inſtar Regis, qui volens mittere filium ſuum, legitimum Regni ſui ſucceſſorem, viſitatum Metropolim Regni ſui, multos præcedere facit Officiales, manſionarios Deſignatores,

f Rom. 8. 29. & 30
g Dion. Carth. art. 32. in Rō. 8. 29. & 30
h Galat. 4. 4. & 5
i Sap. 14. 9
k Gen. 3. 6. &c
l Exod. 4. 13
m Iſai. 16. 1
n Iſai. 64. 1
o Iſai. 7. 14
p Hebr. 1. 1. & 2

tores, alioſque Dominos, & tandem intuendum exhibet filium ſuum: ſic Deus miſit multos Patriarchas & Prophetas, innumeros Reges & Sacerdotes, & tandem Filium ſuum miſit, *Noviſſimè*. Cùm incarnatio Filii Dei completa fuerit ultimâ ætate mundi, quia penultima fuit ætas captivitatis *Babylonis uſque ad Chriſtum* q [q Matth. 1. 17, &c.]. Et ideò cùm ſit ultima, dicitur, *Noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio. Id eſt, in hac ultima mundi ætate, de qua dicit Ioannes, Chariſſimi, noviſſima hora eſt* r [r Jex 1. Jo. 2. 18.]. *Nos enim ſumus in quos fines ſeculorum devenerunt* ſ [ſ 1. Cor. 10. 11.], *diebus iſtis, in tempore gratiæ. Unde ſcriptum eſt, Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini* t [t Iſai. 2. 2.]. *Locutus eſt nobis in Filio. Id eſt, per Unigenitum ſuum incarnatum*, ait Dionyſius Carthuſianus u [u Dion. Carth. art. 2. in Hebr. 2, 2.].

Dicamus igitur, Deum miſiſſe Filium ſuum, quia res quæ eſt communicet bona, eſt etiam ex ſe diffuſiva, ut docet S. Dionyſius x [x S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4.], *Bonum eſt diffuſivum ſui*. Ideo Theologi dicunt, quòd in Deo ſint duo, eſſentia, & perſona. Suam communicavit eſſentiam in æternitate, generando Filium ſuum, *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te* y [y Pſ. 2, 7.]. Supererat igitur ut communicaret perſonam ſuam, *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum* z [z Gal. 4. 4.]. Venit igitur Dei Filius ut exemplum nobis tribueret, & doceret nos quid agere deberemus, *Exemplum dedi vobis* a [a Jo. 13. 15.]. Et, *Vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* b [b 1. Petr. 2. 21.]. Et hoc eſt quod volo vobis oſtendere. Primò eum veniſſe ad annunciandum nobis Divinum verbum ſuum, *Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.* Secundò, ut deſcendamus ad particulare, & ne recedamus ab Evangelio noſtro, quòd corripiens Scribas & Phariſæos, quos excipit ut hypocritas, venit edoctum nos, quòd majorem debeamus habere juſtitiam, quàm fuerit in Scribis & Phariſæis. [Diviſio.]

[I. Pars.] Clarè poteſt concipi ex antiquis Philoſophis excellentia & meritum ſcientiæ, quia iſti homines docti, qui nullo erant illuſtrati lumine fidei, dixerunt, ſummum hominis bonum fuiſſe ſitum in ſciendo: & licèt in hoc ex una parte erraverint, eò quòd felicitas hominis conſiſtat in clara viſione Dei per eſſentiam. *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* c [c Joan. 17. 3.]: Tamen ex altera parte veritatem enunciaverunt: quia ſi aliqua felicitas inveniri poteſt in hoc mundo, conſiſtit illa in ſcientia, in intelligentia, & in notitia ſecretiſſimarum quarumcumque rerum. Ad hoc autem propoſitum dicam, triplicem ſcientiam dari; ſcientiam hominis, ſcientiam Angeli, & ſcientiam Dei, & magnam inter iſtas ſcientias admitti differentiam, quia ſtatus infinitus, id eſt, eſſentia Dei quæ *non habet finem* d [d Baruch 3. 25.], eſt objectum ſcientiæ naturalis hominis, & ſcientiæ creatæ Angeli: mirum non eſt igitur ſi hodiernâ die Dei Filius *convocatis ad ſe turbis*, voluit eis inſpirare hanc ſcientiam Divinam, ſuumque Divinum verbum illis communicare, cùm ea ita ſit ſublimis & excelſa, ut ſit ipſamet quam audivit *à Patre* e [e Joan. 1. 15.] ſuo: & quam docuit Angelos, & Beatos, & quâ venit inſtitutum viatores, *Qui docet hominem ſcientiam* f [f Pſ. 93. 10.]. Hæc autem ſcientia non eſt ſeparata à Deo, nec ab ejus eſſentia, ſed una & eadem cum Deo, quia quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus.

Sancti Patres aſſerunt, quatuor eſſe voces myſticas, aut, ſi vultis, quatuor verba, vel quatuor media, quibus utitur Deus ad trahendos peccatores ad pœnitentiam. Prima vox eſt illuminatio gratiæ, quæ cognoſcendas exhibet mundi vanitates, intuendum pondus peccati, & ſeverum juſtitiæ Dei judicium, *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra* g [g Pſ. 94. 8.]. Secunda vox eſt viſitatio flagellorum ejus, qualia ſunt morbus, fames, peſtis, bellum, mors, & ſimilia, & vocatur vox, ſeu verbum terribile Domini, *A voce Domini pavebit Aſſur virgâ percuſſus* h [h Iſai. 30. 31.]. Tertia vox eſt donatio bonorum temporalium, qualia ſunt ſanitas, divitiæ, liberi, honores, pulchritudo, & alia id genus, *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis Iuſtorum* i [i Pſ. 117. 15.]. Quarta autem vox eſt prædicatio, quæ invitat peccatores ad pœnitentiam, & ſunt hæ turbæ, quas hodie Filius Dei vocat ad ſe, illaſque invitat ad audiendum verbum ſuum. Adventus igitur Filii Dei in terram non fuit fruſtraneus, cùm ad redimendum genus humanum fuerit inſtitutus: non fuit inutilis, cùm non ſolùm venerit propter Bonos & Juſtos, ſed præſertim in gratiam peccatorum ſalvandorum, *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere* k [k 1. Tim. 1. 15.]. *Id eſt, ad ſalvandum & liberandum iniquos, juxta illud Ioannis* l [l Jo. 3. 17.], *Non miſit Deus Filium ſuum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Unde & ipſe teſtatur, Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* m [m Luc. 19. 10.]. *Itemque, Non veni vocare Iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam* n [n Matth. 9. 13.], exponit Dionyſius Carthuſianus o [o Dion. Carth. art. 1. in Tim. 1. 15.], Non ſolùm venit pro Judæis, verùm etiam pro Gentilibus, & generaliter pro omnibus illis, qui audientes verbum ipſius, convertentur ad prædicationem ipſius. Venerat primò propter Judæos, *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael* p [p Matth. 15. 24.], Ut exponit Dionyſius Carthuſianus q [q Dion. Carth. art. 28. in Matth. 15. 24.], *Non ſum miſſus primò ac principaliter, & ad prædicandum, ac operandum prodigia in propria perſona, niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël, id eſt, ad oves familiæ Iſraelitica, quibus Chriſtus primò per ſeipſum uſque ad diem paſſionis, deinde diu per Apoſtolos prædicavit, donec illis penitus obſtinatis, & inexcuſabiliter induratis, juſtè facta eſt ad gentes* r [r ex Act. 13. 46.] *tranſmigratio. Unde Chriſtus in propria perſona parùm prædicaſſe Gentibus legitur, interdum tamen parùm prædicavit, & ſigna fecit in Gentibus* ſ [ſ ex Marc. 7. 27, &c.] *ex ſuperabundanti, & ad figurandum, quòd poſteà prædicandum eſſet eis Evangelium Regni.* Et hoc eſt quod ipſe ait, *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient* t [t Jo. 10. 16.]. Quod ſic ad propoſitum explicat idem Carthuſianus u [u Dion. Carth. art. 26. in Jo. 10. 16.], *Alias oves habeo, hoc eſt multi Gentilium ad me pertinent, meique ſunt ſecundum prædeſtinationem æternam, quamvis ſecundùm præſentem juſtitiam necdum ſint oves, ſed hœdi ac lupi: de quibus alibi ait Chriſtus, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham in Regno cælorum* x [x Matth. 8. 11.]. *Quæ non ſunt ex hoc ovili, id eſt, de Synagoga ſeu numero Iudæorum, & illas oportet me, non per coactionem, ſed immobile beneplacitum adducere, id eſt, per Apoſtolicam prædicationem, & Spiritus ſancti illuſtrationem ad fidem colligere, & de erroribus variis, in quibus erraverunt, ad Catholicam veritatem atque Eccleſiaſticam unitatem perducere. Et vocem meam, id eſt, Evangelicam Legem, atque internam allocutionem audient credendo & obediendo, juxta illud, Populus quem non cognovi, ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* y [y Pſ. 17. 45.]. Verè autem dicere poſſumus, quòd ad illum ſolum pertineret prædicare, cùm ipſa eſſet Eloquentia. Ideò dicebat ipſe diſcipulis ſuis,

Nec vocemini magiſtri, quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus z. (z Matt. 23. 10.) Solus Jeſus Chriſtus eſt verus jure merito Concionator, *Nunquam locutus eſt homo, ſicut hic homo* a. (a Joan. 7. 46.)

Ubi obſervabitis tria requiri in Concionatore aut in Magiſtro qui vult ſcientiam docere. Primò, ut habeat fundamenta realia hujus ſcientiæ. Secundò, ut doceat ſcientiam veram & ſolidam, non artem falſam & apparentem. Tertiò, ut præ ſe ferat eloquentiam, & methodum docendæ illius, ut diſcipuli ejus poſſint concipere & intelligere id quod ipſos edocturus eſt. Hæ tres conditiones erant in Jeſu Chriſto per excellentiam. Primò enim habebat fundamenta realia omnium ſcientiarum, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* b. (b Coloſſ. 2. 3. & 9.) Secundò docebat doctrinam veram & ſolidam, quia declarabat Scripturam ſecundùm proprium illius ſenſum, ut ipſemet exprobrabat Judæis, qui verbum ipſius nolebant auſcultare, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi* c? (c Jo. 8. 46.) Tertiò habebat eloquentiam, & methodum docendæ illius, quia erat ipſum Verbum Dei, *Verbum erat apud Deum* d. (d Joan. 1. 1.)

Sed quam clara, alta, & profunda eſt hæc doctrina! Re autem verâ fatendum eſt, quòd hoc *Verbum caro factum* e, (e Jo. 1. 14.) fuit magnus Magiſter, & eximius Doctor, qui docebat non ſolùm omnes articulos fidei noſtræ, ſed etiam dabat præcepta ſaluti noſtræ promovendæ maximè accommoda. Priùs adimplevit, & poſteà docuit; continuæ vacabat prædicationi in gratiam illorum, quos obvios habebat: laboravit jugiter per ſpatium triginta annorum, *In laboribus à juventute mea* f. (f Pſ. 87. 16.) Et deinde incepit annunciare Dei Verbum, juxta illum quem S. Lucas g (g Act. 1. 1.) fecit *ſermonem de omnibus quæ cœpit Ieſus facere, & docere. Ita quòd primò exe ſus eſt operari, deinde quod fecit docuit. Quo multorum præſumptio atque audacia increpantur, qui promptiores ſunt docere quam diſcere, loqui quàm audire: vel qui ea quæ prædicant, facto non exequuntur: in hoc enim ipſo ſua ipſis doctrinâ contrahunt; neque cùm aliis prælati ſunt, eru beſcunt vitiosè, & inexemplariter converſari coram his quibus præſunt, aut verbum Dei annunciant*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus i. (i Dion. Carth. art. 1. in Act. 1. 1.) Salvatoris Præcurſor eodem ſe geſſit modo, *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum cœlorum. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre* k. (k Matt. 3. 2. &c.) Sed quem fructum operatur verbum Dei, cùm optimum bona comitantur opera? Ipſum vocat S. Paulus l (l Hebr. 4. 12.) gladium utrâque parte acutum. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Id eſt, ad emollienda corda induratiſſima, ad ea convertenda à vitio ad virtutem, & ad pœnitentiam illa trahenda. Sed quænam convenientia verbi Dei cum gladio? Ecce illius myſterium. Utimur gladio manibus, uti etiam debemus manibus verbo Dei: inde oritur ut dixerit Deus, *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ* m. (m Agg. 1. 1.) Et, *Dominus locutus fuerat in manu omnium ſervorum ſuorum Prophetarum* n. (n 4. Reg. 17. 23.) Verbum debet eſſe in manibus. Sic eſt: quia ſermonem bona comitari debent opera, *Doctor ergo, Prædicator, & Paſtor unicum iſtum ſequens Magiſtrum primò faciat quæ aliis docet, ne proprio ore damnetur*, ait Dionyſius Carthuſianus o. (o Dion. Carth. art. 1. in Act. 1.) Quod non invenitur in Scribis noſtris & Phariſæis, qui ſunt hypocritæ; idcircò idem Dei Filius docet nos, juſtitiam noſtram debere eſſe majorem eâ quæ fuit in illis.

Filius Dei agnoſcens malitiam Scribarum & Phariſæorum ipſum ſic interrogantium, *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lavant manus ſuas cùm panem manducant:* reſpondens, ait illis, *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Quaſi diceret eis: Frivolarum vos accuſatis rerum diſcipulos meos, vos verò non ambigitis obſervare traditiones iniquas, & contrarias mandatis Dei; corripere vultis alios, eò quòd non obſervent traditiones quæ procedunt ex hominibus, ſolamque corporis munditiem intuentur: ego autem vos inſimulo tranſgreſſionis mandatorum Dei, quæ puritatem animæ ſpectant. *Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem* p. (p ex Exod. 20. 12.) Et, *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur* q, (q ex Lev. 20. 9.) ſubdit Dei Filius in Evangelio noſtro. Vos autem non obeditis eis, nec adjuvatis eos in neceſſitatibus conſtitutos.

Ut intelligatur iſtud, obſervandum eſt, Sacerdotes Judæos, Scribas & Phariſæos feciſſe traditionem, prout Seniores & Judices populi, quâ ferebatur, ut liberi qui feciſſent vota Deo, aut perſonarum ſuarum, aut bonorum ſuorum, ab iis non poſſent ſe diſpenſare, cùm ſcriptum eſſet, *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro* r. (r Pſ. 75. 12.) Ita autem alligati erant huic traditioni, ut parentibus in neceſſitate conſtitutis liberi reſponderent, *Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit*. Quaſi dicerent uni, vel alteri parenti, Vovi Deo id omne quod lucratus eram, quodque tibi poteram erogare; & ſic parentes fruſtrabantur non ſolùm honore, ſed etiam auxilio ab eis ipſis impendendo; & ſic liberi violabant ſupradictum mandatum Dei: mirum non eſt igitur ſi Filius Dei ait Scribis & Phariſæis, ipſos non cuſtodire præceptum Divinum, cùm hæc traditio non ſolùm eſſet contraria legi Dei, verùm etiam ipſi naturæ adverſaretur.

Sed deſeramus iſtos hypocritas, & hos cæcos qui alios ducunt cæcos, *Cæci ſunt, & duces cæcorum.* Et dicamus, quòd videtur Salvator comparare juſtitiam, id eſt, ſanctitatem apparentem Scribarum & Phariſæorum cum vera pietate Chriſtianorum, volens ut opera ſint perfectiora in Lege gratiæ, quàm fuerint aliàs apud Scribas & Phariſæos qui erant hypocritæ, in Lege Moyſis, dicens alibi, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum* ſ. (ſ Matth. 5. 21.) S. Chryſoſtomus t (t S. Chryſ. hom. 16. in Matt. 5. 21.) ait, hoc nomen juſtitiæ non ſumi pro juſtitia, prout eſt virtus particularis, ſed in genere pro omnibus ſimul virtutibus, *Hic juſtitiam, univerſam dicit profectò virtutem.* Juxta quam acceptionem communi verſu dicitur,

Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

Idemque S. Doctor dicit, juſtitiam hîc idem eſſe ac non peccare, & non peccare complecti in ſe obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ; *Scribas hîc enim atque Phariſæos non iniquos, ut putatur, appellat: ſed eos qui legis præcepta cuſtodiunt: neque ei quæ non eſſet, eam quæ eſſet, juſtitiam compararet.* Alii ſumunt hîc juſtitiam pro pulchritudine animæ, quæ reddit homines gratos Deo, & ſpe-

& ſpecioſos præ oculis Divinæ Majeſtatis. Sic *Noe vir juſtus fuit* u appellatus. Ut oſtendatur, [u Gen. 6. 9] quòd Chriſtus velit, majorem fore in nobis juſtitiam, quam fuerit in Scribis & Phariſæis. Ita docet S. Auguſtinus x [x S. Aug. l. de Fide & Operib. c. 26.] ſuper verba S. Matthæi ſupradicta, & ſuper ſequentia, *Dicunt, & non faciunt* y. [y Matt. 23. 3.] Concludit igitur, *Ergo juſtitia eorum eſt dicere, & non facere: at per hoc noſtram eſſe voluit abundantem ſuper illorum, dicere, & facere: quæ ſi non fuerit, non intrabitur in Regnum cælorum.* Ita ut juſtitia ſumi debeat pro virtute univerſali. Hoc autem ſibi nomen vendicat, quia attribuitur Deo z [z Pſ. 118, 142.]. Hoc ſuppoſito dicemus, Chriſtum jure merito efflagitare, ut perfectiores ſimus quàm fuerint Scribæ & Phariſæi, cùm ipſe ut præberet nobis exemplum, & adderet animum ad ipſum ſequendum, deſtruxerit peccatum. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* a. [a 1. Joan. 3. 8.] Eundem diabolum devicerit, *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* b. [b Jo. 12. 31] Et iram Divinæ Juſtitiæ compeſcuerit, mitigando Patrem æternum, *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum; pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* c. [c Coloſſ. 1. 13, &c.] Ideò vult ut noſtra perfectio prævaleat ſuper perfectionem Scribarum & Phariſæorum. Ineffabilis charitas Dei noſtri, cùm redimere & liberare voluerit hominem per paſſionem & mortem Filii ſui! Non deerant Deo media, quibus genus redimeret humanum; ſed illud erat magis congruum, ut hæ rationes oſtendunt.

Prima eſt, Quia per hanc paſſionem ſalutarem homo totaliter fuit abſolutus à pœna & à culpa, & certus redditus quoad ſpem ſalutis conſequendæ. Secunda eſt, Quoniam cognoſcit homo per hanc mortem quòd ipſum *ſic Deus dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret* d. [d Jo. 3. 16.] Et quantùm ipſe obſtrictus ſit quaſi ſuavi violentiâ ad diligendum eum *ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente* e. [e Matt. 22. 37.] In qua dilectione certum eſt ſitum eſſe *omne Bonum* f [f Exod. 33. 19.] noſtrum. Tertia eſt, Eò quòd iſta mors nobis exempla reliquerit humilitatis, obedientiæ, patientiæ, & conſtantiæ, *Semetipſum exinanivit. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* g. [g Philipp. 2. 7. & 8.] Et hæc eſt juſtitia, quam ipſe exigit à nobis. Quaſi nobis diceret, Niſi ſitis humiliores, obedientiores, patientiores, & conſtantiores, & conſequenter juſtiores Scribis & Phariſæis, non participabitis hanc mortem, & hanc redemptionem. Præterea, Voluit mori, ut homo conſideret ſe fuiſſe redemptum pretioſo ipſius Sanguine, & ideò magis teneri deſerere peccatum, ut juſtè vivat, & oſtendat opera ſua perfectiora eſſe operibus Scribarum & Phariſæorum. Ideò S. Paulus h [h 1. Cor. 6. 20.] dicens, *Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro:* edocet nos, quòd cùm redempti fuerimus hoc pretioſo Sanguine, debemus eſſe perfectiores Scribis & Phariſæis, & idcircò Chriſtum deferre in cordibus noſtris æquè ac in noſtris corporibus, eumque contemplari ut exemplum bonorum operum, ſpeculum veræ juſtitiæ, & baſim & fundamentum perfectionis Chriſtianæ, *Quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* i. [i 1. Pet. 2. 21.] Id eſt ut inhærentes ipſius veſtigiis, perfectionem amplectamur majorem quàm fuerit in Scribis & Phariſæis. Inſuper, hac morte naturam elevavit humanam, quia homo deceptus fuit à diabolo, & homo eum vicit. Homo *per peccatum* † [† Rom. 5. 12.] deſtruxerat vitam, & cauſaverat mortem; ſic per hominem mors deſtructa eſt, & vita fuit reſtituta, *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* k. [k 1. Cor. 15. 57.] Ipſe Jeſus Chriſtus per mortem ſuam palmam retulit de peccato, & de Satana, & ſic omnes abſtulit obices, qui impedire poterant ne ipſum imitaremur in actionibus & virtutibus ipſius: propterea vult ut juſtitia noſtra ſit major perfectione Scribarum & Phariſæorum. Juſtitia Phariſæorum erat abbreviata & imperfecta, quia refrænabat opus, & non deſiderium; prohibebat manum, & non voluntatem; corpus, non autem cor; vetabat occidere, ſed non odiſſe, *Odio habebis inimicum tuum* l. [l Matth. 5. 43. ex Levit. 19, 18.] Opera exteriora tandem, ſed non pravas cogitationes: atqui Deus non ſolùm petit actiones exteriores, ſed etiam vult ut præbeamus ipſi cor & animam: propterea Pſalmiſta m [m Pſ. 102. 1.] dicebat, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.* Debemus autem facere omnes actiones noſtras tam interiores quàm exteriores propter amorem Dei, & attendere *à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis* n. [n Luc. 12. 1.] Juſtitia illorum erat apparens, ficta, & falſa; videbatur primo intuitu bona exteriùs, ſed interiùs hypocriſi infecta erat, & vanâ gloriâ mundi m: [m Matt. 23. 13, &c.] de nullo alio erant ſoliciti, niſi de exhibenda ſpecioſa apparentia ſanctitatis, & de aucupanda aura populari, & negligebant interius animæ ſuæ, quæ eſt *templum Dei* n. [n 1. Cor. 3. 16.] Ideò dicebat Pſalmiſta †, [† Pſ. 143. 12.] *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.* Id eſt, bona opera quæ faciebant Scribæ & Phariſæi, ut jejunia, eleemoſynæ, & orationes, erant ornata non ſecus ac templum, ut poſt alios explicat Lorinus o, [o Lorin. in Pſal. 143. 14.] dicens, quòd vertunt *Hieronymus & Auguſtinus in Speculo, Filiæ noſtræ, quaſi anguli ornati ad ſimilitudinem templi. Quod Trevetus exponit de filiabus pulchris & ornatis, ut ſint aptæ nuptijs: & viris comparationis eſſe, quoniam cùm in angulis, præſertim ſordes eſſe ſoleant, ſolent hi in templis præcipuè mundari, & ornari. Cancellarius Pariſienſis Greveus* o [o ex Grev. ſerm. 32.] *opera hypocritarum comparari vult filiabus ornatis, propter infirmitatem, diſſimulationem, ornatum exteriorem. Nam, ſicut fœminæ, ſunt infirmi, ut ex eorum liquet indignatione in falſa juſtitia, faſtu in arguendo, impatientiâ in reſpondendo: diſſimulant etiam, ſimulantque, & exteriorem ſolam ſpeciem virtutis oſtentant, ſimiles ſepulchris dealbatis* p, [p Matt. 23. 27.] *& ſterquilinio* q, [q ex Job 20. 7] *& Iezabeli, quæ ſterquilinium ipſo nomine ſignificat, ſtibio autem oculos depinxerat, caputque ornaverat, reſpiciens per feneſtram* r. [r ex 4. Regum. 9. 30.] Diebus feſtis anguli templorum teguntur aliquo tapete, & tunc anguli videntur ſpecioſi; ſed ſi auferatur tapes, apparebunt confeſtim in illis ſordes, & aranearum telæ: talis erat ſanctitas Scribarum & Phariſæorum, juſtitia illorum erat apparens ſed ſi quis propè accedebat ad eos, non inveniebat in illis niſi arrogantiam, ambitionem abominationes, & hypocriſim, *Per hypocriſim oſtendit ſe non talem, cùm pejor eſſe deprehendatur. Fallit enim, ut dum puniendus ſit, honore dignus appareat,* ait S. Ambroſius ſ, [ſ S. Ambr. in Rom. 2. 1.] loquens de hujuſmodi genere hominum, qui ſimiles ſunt hiſtrionibus. Hiſtriones in theatro conſtituti, repræſentant perſonam Regis, & illius præferunt inſignia, æquè ac veſtes; ſed inde egreſſi, in ſua priſtina remanent miſeria & indigentiâ: Scribæ & Phariſæi exteriùs apparebant ſancti, interiùs autem erant ſceleſti, ut

expro-

exprobrat illis Chriſtus, *Vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intùs autem pleni eſtis hypocriſi &*
t Matt. 23. 28. *iniquitate* t. Hiſtriones apparere volentes ſuper theatrum, ſuaſque ibi agere perſonas, buccinâ concinunt, ut homines in plateam congregent, & ibi omnibus ſe intuendos exhibeant: Scribæ & Phariſæi qui erant hypocritæ, eodem ſe gerebant modo, cùm peragendum habebant opus aliquod, ut uniuſcujuſque oculos & admirationes ad ſe traherent, non quærentes niſi gloriam mundi, volentes probi apparere coram hominibus, etiamſi coram Deo impii eſſent & ſcelerati, *Cùm facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis,*
u Matt. 6. 2 *ut honorificentur ab hominibus* u. Juſtitia igitur Scribarum & Phariſæorum deſtituta bonis erat operibus: & conſequenter oportet ut noſtra perfectior ſit illorum ſanctitate: multum loquebantur, & nihil agebant; docebant linguâ, & manu malè agebant; ſermonem de Deo habebant, & faciebant opera mundi; ex una parte vituperabant vitium, ex altera verò illud duabus ſuſcipiebant manibus, quod Legi contrariū eſt Evangelicæ: idcircò Filius Dei vult ut opera faciamus meritoria vitæ æternæ. Videmur autem poſſe nos dicere, quòd juſtitia Scribarum & Phariſæorum erat penitus humana, & videbatur inniti propriis ipſorum virtutibus, non autem fulciri miſericordiâ Dei, neque juſtitiâ & meritis Meſſiæ tunc præſentis. Si autem talis erat illorum fides, id eſt, ut crederent, ſe potuiſſe credere ex ſemetipſis, & per opera ſua ſummum
x Exod. 33 19. *Bonum* x, & quòd ipſis debita eſſet gratia abſque ulla dependentia à meritis Chriſti, graviter hallucinabantur, quia juſtitia hominis nihil eſt coram Deo, *Et facti ſumus ut immundus omnes nos,*
y Iſai. 64. 6 *& quaſi pannus menſtruatæ, univerſæ juſtitiæ noſtræ* y. Nec opera noſtra poſſunt eſſe meritoria, niſi fulciantur morte Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, æquè ac paſſione ejus. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine*
z Rom. 3. 24. & 25. *ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ* z. Apoſtolus aſſerit nos juſtificatos fuiſſe mediâ redemptione Salvatoris, qui ad expianda peccata noſtra *oblatus*
a Iſai. 53. 7. *eſt quia ipſe voluit* a. Atqui non ſumus nos participes juſtitiæ Jeſu Chriſti niſi per receptionem Sacramentorum, & per merita bonorum operum, quibus ſatisfactio, merita, & juſtitia Jeſu Chriſti tribuunt valorem: ideò concludendum eſt, quòd nullum bonum opus ſit meritorium coram Deo, niſi habeat merita Jeſu Chriſti. Erant Jerichuntinæ *aquæ peſſimæ*. Id eſt, amaræ, & dulces effici non poterant, donec Eliſeus *egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal. Sanatæ ſunt ergo*
b 4 Reg. 2 19. & 21. *aquæ* b. Omnia opera noſtra *aquæ peſſimæ ſunt*, & amaræ, ſine ſale Paſſionis Jeſu Chriſti nunquam hæ aquæ jucundæ forent; ſed mixtæ & conditæ Sanguine Salvatoris noſtri in Cruce effuſi, efficiuntur gratæ & ſuaves. *Hæc dicit Dominus, Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc, juxta verbum Eliſei* myſtici Jeſu Chriſti, *quod locutus eſt.*

Si autē verum eſt, Auditores, quòd nemo ſuā poſſit operari ſalutem, niſi juſtitia ſua ſit major quàm fuerit in Scribis & Phariſæis, qui erant hypocritæ, ſicut Dei Filius hodiè illis expro-
c ex Iſai. 29. 13. brat, *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias* c, *dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*: quid dicemus de illis, qui ſine juſtitia ſuam autumant operari ſalutem? Sic eſt: majorem Deus à nobis poſtulat perfectionem quàm fuerit in Scribis & Phariſæis: & tamen fatendum eſt quòd multa agerent, *Phariſæus ſtās, hæc apud ſe orabat, Jejuno bis in Sabbatho, decimas do*
d Luc. 18. 11. & 12. *omnium quæ poſſideo* d. Nihilominus ſi perfectio noſtra non eſt major ſanctitate eorum, nunquam felicitatem conſequemur: Immodica cæcitas! Ego neſcio quidnam ſperemus, videntes opera noſtra ſic imperfecta: manus habemus vacuas, & tamen expectamus mercedes; ſervimus carni & ſanguini, æquè ac mundo, & poſt hæc obſequia illis exhibita, æternam nobis pollicemur felicitatem. De nobis dici poteſt æquè ac de Phariſæis, nos eſſe hypocritas, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Et tamen nobis iſtâ blandimur cogitatione, quòd ſors noſtra futura ſit felicior, quam illorum fortuna. Vinum eſt remedium veneni, ſed mixtum veneno, efficit venenum pejus: aperiens enim poros, facit ut venenum faciliùs pervadat cor: virtus, ſeu devotio eſt antidotum contra peccatum, ſed ſi iſtud antidotum mixtum eſt veneno hypocriſis, noſtra eſt *inſanabilis fractura, peſſima plaga: curationum utilitas non eſt* e nobis. Et hæ virtu-
e Jer. 30. 12. & 13. tes apparentes, quæ plebis illudunt oculis, pejores ſunt veneno. Hypocriſis nihil eſt aliud niſi pietas picta: ſicut autem homo pictus, non eſt homo verus; ita de virtute noſtra dicendum eſt, ſi ficta ſit, & ſolas præ ſe ferat apparentias exteriores. Poſſumus autem jure merito comparare hypocriſim & juſtitiam arti & naturæ: ſicut enim natura incipit ab intùs, & inde perficit exterius, addens inſuper accidentia, & pulchritudinem, ars verò econtrà ſola accidentia ſubminiſtrat, ut pictor qui tantùm tribuit colores, & dimenſiones imagini hominis: ita ſe res habet de juſtitia vera, & de juſtitia ficta, quæ eſt hypocriſis. Illa perficit hominem interiùs, hæc verò ſolum colorem applicat ei exteriorem, ſpecioſas apparentias pietatis, quæ intuitus uniuſcujuſque attrahunt, & formant admirationes illorum omnium, qui ſe iſtis deludi ſinunt exterioribus & ementitis apparentiis.

Hæc veritas delineata nobis fuit à *decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviàm Sponſo, & Sponſæ: quinque autem ex eis erant*
f Matt. 25. 1, &c. *fatuæ, & quinque prudentes* f. Videtur nulla admittenda differentia inter illas decem: omnes vocantur virgines, omnes ſecutæ ſunt Chriſtum, omnes habebant ſuas lampades; ſed earum differentia in hoc eſt ſita, *Quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Iſtæ non ſolùm ſuas lampades habebant oleo inſtructas, & accenſas, ſed etiam vaſa ſua oleo repleta; illæ verò *non ſumpſerunt oleum ſecum*. Stultæ repræſentant nobis hypocritas, qui ſolas auras aucupantur populares, *Qui non ob Dei honorem, vitamque æternam bona agit, ſed propter laudes humanas, ſeu temporale emolumentum, meritò imprudens & ſtultus cenſetur*, ait Dionyſius Carthuſianus g.
g Dion. Carth. art. 40. in Matt. 25. 2 Hæc autem vaſa, quæ ſapientes habebant oleo repleta, ſunt hæc de quibus loquitur S. Paulus, *Aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* h. Et clariùs, *Habemus theſaurum iſtum in*
h Rom. 9. 21.
i 2. Cor. 4. 7. *vaſis fictilibus* i. Intelligitque per hæc vaſa cor noſtrum, cujus oleum & theſaurus eſt gratia Dei, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* k. Caveamus ne
k Rom. 5. 5. ſimus è numero virginum iſtarum fatuarum, quæ non ſunt ſolicitæ de ornando corde ſuo

gratiâ

Digitized by Google

gratiâ & verâ juſtitiâ; ſed potiùs conemur aſſimilari ſapientibus, & vaſa noſtra ſanctitate replere. Satagamus ne incurramus in hanc infamem comparationem, quam Iſaias *l* facit hypo-
l Iſai. 59. 5. critarum cum araneis, columbis, & urſis, *Telas araneæ texuerunt. Tela eorum non erunt in veſtimentum, neq; operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* Aranea texit telâ, quâ ſe imaginabatur operiendã, decepta eſt, cùm ſuam vidit telam diſſipatam: ſicut enim aranea ſua diſcindit viſcera ut iſtam texat telam; ita hypocritæ autumant ſe operiendos ſanctitate ſuâ apparenti, ſed hæc tenuis tela nõ operiet ipſos. Hanc elaborat telam aranea, ut in ea non grandes capiat beſtias, ſed aliquas muſcas, quarum ſanguinem ſugat; caveamus ne depravemus id omne quod intùs eſt, & illud ſugamus, deſerentes exterius integrum. *Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus: expectavimus judicium, & non eſt; ſalutem & elongata eſt à nobis.* Columba variis eſt ornata coloribus, non realibus, ſed apparentibus & cauſatis à lumine & ab opacitate ſecundùm diverſam illorum oppoſitionem radiis Solis: ne appareamus ornati his virtutibus apparentibus, quæ nõ ſunt niſi diſſimulatio & ficta juſtitia, & ne ſimiles ſimus huic columbæ deſtitutæ corde, ſeu interiori, *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor m.*
m Oſee 7. 11. Ideò diabolus nititur ei eripere cor, quod eſt principium vitæ: & ne deſtituti vitâ & corde, *ſimiles ſepulchris dealbatis* *n* ſimus. Et ne aſſimilemur urſo, qui diu in caverna ſua conſtitutus, ſæpè ſibi lambit pedes; id eſt, ne cõplaceamus nobis in operibus noſtris ſignificatis per manus & pedes, *Si vidi Solem cùm fulgeret, & oſculatus ſum manũ meã ore meo; quæ eſt iniquitas maxima o.* Cùm per oſculum manus ſignificetur vana complacentia, quæ deſumitur è propriis actionibus.

n Matt. 23. 27.
o Job 31. 26. &c.

Oculi hominum non ſunt ſicut oculi Dei, qui vivificant *p* magis quàm Sol intuitu ſuo, illi verò ſunt periculoſi more baſiliſci, & cauſa mortis iis, ſuper quos injiciuntur; ita ut cõfeſtim ac noſtra facimus opera ut conciliemus nobis aſpectus hominum, iſti intuitus ut baſiliſci nobis mortem inferant; nõ ſolùm autem oculi alieni, ſed & noſtri, inſtar baſiliſci qui ſeipſum occîdit per reflexionem intuitus ſui ſuper ſeipſum factam medio ſpeculo: caveamus ne nobis mortem inferant oculi noſtri per vanam complacentiam & reflexionem quam faciamus ſuper bona opera noſtra, &c. more Luciferi *q*. Soli Jeſu *Magi apertis theſauris ſuis obtulerunt munera, aurũ, thus, & myrrham r* intuenda: offeramus ei aurum eleemoſynarum, myrrham jejuniorum, & thus orationum puro motivo amoris ducti, abſque ullo intuitu propriæ complacentiæ: & ſic cùm juſtitia noſtra futura ſit major, quam fuerit in Phariſæis, merebimur intrare in paradiſum.

p Luc. 2. 64.
q Iſai. 14. 12. &c.
r Matth. 2. 1. & 11.

FERIA V. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: & dimiſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis. Luc. 4. 39. &c.

SAnata à Dei Filio ab illis, quibus *ſocrus Simonis tenebatur magnis febribus*, præ noſtris ponit oculis imaginem eorum, qui ob cauſas leviſſimas ſeſe diſpenſant ab exercendis operibus virtuoſis, & ſe à deſidia ſinunt abripi. Angebant hanc mulierem febres importunæ, quæ nobis delineant febres malignas quæ noſtram inquinant animam, ſicut illæ fœminæ illius infirmæ corpus exagitabant immodicè, *Febris una ſubinde gignit aliã & aliã; ſic unum vitium parit aliud & aliud: nam acedia parit gulã, gula luxuriã, invidiam, &c. Deniq; febre peſtilente laborat Hæreticus; hecticâ & lentâ otioſus & acedus; quotidianâ guloſus; tertianâ inconſtans; quartanâ luxurioſus; tumidâ ſuperbus;*
a Corn. in Matt. 8. 15. *ſitibundâ avarus*, ait Cornelius *a*, in hoc conveni-
b Dion. Carth. art. 11. in Luc. 4. 39. ens cum Dionyſio Carth. *b* dicente, *Spiritualiter per vetulã febricitantẽ deſignatur quæcumq; anima vitiis & paſſionibus, quæ animarum graviſſimæ febres ſunt, inveterata, ad quã cùm Chriſtus per pietatis ſuæ opẽ, ſeu gratiæ infuſionẽ acceſſerit, mox curatur, & Chriſti ejuſq; ſervis obſequitur, ſicut ait Apoſtolus c,*
c ad Galat. 5. 13. *Per charitatẽ ſervite invicẽ.* Sed notate, ſi placet, diligentiam hujus mulieris cõfeſtim miniſteriũ ſuum exhibentis obſequioſum Chriſto pro ſanitate ab eo ſibi impenſa, *Et continuò ſurgens miniſtravit illis, id eſt, Chriſto, & cõmenſalibus ejus, tanquã grata de beneficio ſanitatis ſibi tã miraculosè collato, & valdè læta, eos quoq; quibus miniſtrabat ſpectaculo lætificans tam jucundo.* Hanc eandem circumſtantiam promptæ diligentiæ hujus fœminæ ſanctæ obſervat cum Carthuſiano idem Cornelius, dicens poſt S. Matthæum, *Et tetigit manũ ejus, & dimiſit eã febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis. Continuò, ait Lucas, ſcilicet eodẽ inſtanti, quo Chriſtus eam tetigit, nõ tantùm curata eſt à febri, ſed ita valida effecta, ut ſurgeret, & Chriſto cũ Petro & ſociis ad menſam accumbenti miniſtraret, nimirum ſanitate receptâ ſapienter uſa eſt, non ad otium, ſed ad Chriſti ſanantis obſequium. Tropologicè. Cùm aliquo animæ morbo & vitio laboras, Chriſtum adi & invoca, ut ſanet te, faciatque ut ſanatus non otioſè vivas, ſed ſeduló ei ſervias.* Huic ſalutari adhærentes monito imploremus divinum ejuſdem Dei Filii Spiritum, ut non permittat ut vivamus in otio & in deſidia, ſed econtrà ut conſentiamus gratiæ ipſius, quæ ſemper eſt operoſa, & quæ initium præbuit myſterio Incarnationis *d*, æquè ac ſaluti no-
d Luc. 1. 38. ſtræ ſtatim poſt hæc verba, *Ave Maria*.

Sic operationem cum eſſe natura concinnavit, ut impoſſibile ſit ut unum ſubſiſtat ſine altero, cùm eſſe creatum ſit propter actionem, & actio ſit formata ad conſervandum & perficiendum eſſe, quod ipſam producit. Trito fertur axiomate quòd *operari ſequitur eſſe*. Natura deſidiæ & otii inimica, omnibus deſignat actibus exercitium virtuti ipſorum cõſonum, & nullum in ſuis ſtatibus patitur individuum, quantòmvis ſit illud infirmum, quod non operetur. Plures aliæ maximæ claritatem huic conciliant axiomati, & ſunt veluti tot illius probationes & argumenta: forma enim, quæ eſt eſſe compoſiti, eſt principium actionum: non eſt ergo mirum ſi mutuam ſibimetipſis præbent manum, & commercium mutuum ineunt adinvicem, & reciprocè ſe ſequantur, cùm ex eodem promanent principio, & in ſua origine unica & ſimplex ſint unitas. Prætereà, Nihil eſt in mundo advertere, quod non dirigatur ad aliquem ſcopum, quia

Deus qui agit per cognitionem, ſapientiâ ſuâ opera ſua ad finem ipſis conſonum ordinat, ut ait Salomon, eum alloquēns, *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti* e. *Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt* f, addit S. Paulus, confirmans ſententiam Salomonis, ut exponit Dionyſius Carthuſianus g dicens, *Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt, id eſt ſapienter & rationabiliter inſtituta. Omnia namq; in menſura, numero, & pondere conſtituit Deus. Denique, Sapientia attingit à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit univerſa ſuaviter* h. *Ad ſapientem enim pertinet ordinare.* Atqui actio eſt primus finis illic, & motus, ſeu tendentia ad attingendum ultimum finem, qui eſt terminus ſtabilitatis, ad quem unumquodque propriis fertur inſtinctibus, *Eorum quoq;, quorum eſt opus, opera ipſius eſſe gratiâ conſtat*, ait Ariſtoteles i. Oportet igitur neceſſariò ut actio ſequatur eſſe, ut attingi poſſit ipſius finis ultimus. Univerſæ aſpirant creaturæ ad perfectionem, quæ conſtituitur per actum, non autem per potentiam, cùm ſit pro compertiſſimo, quòd ſubſtantiæ, & omnes aliæ virtutes nobiliores ſunt, cùm ſunt formatæ, quàm cum adhuc ſunt in expectatione; frumenta ſunt incõparabiliter ditiora, in horreo recõdita, quàm dũ vireſcunt in agro; pulli roſtro percutientes, perfectiores ſunt, quàm ſi in ovis ſuis adhuc eſſent cõcluſi; & facultates noſtræ digniores ſunt & clariores, cùm ipſarum actio eſt in integritatem elaborata, quam dum in ſua eſt incluſa capacitate, ut in ſuo frumentum germine, & pullus in ovo, è quo debet excludi. Proptereà imperfectiones concupiſcens excludere natura, actiones in mediã promit lucem, & vult ut eſſe comitem individuam & inſeparabilem ſibi ſociet actionem.

e Sap. 11. 21.
f Rom. 13. 1.
g Dion. Carth. art. 17. in Rom. 13. 1
h ex Sap. 8. 1.
i Ariſt. l. 2. de cœl. c. 3 text. 17.

Magnus iſte Artifex, qui eſſentias diverſificat per proprietates, ſua conſilia tantâ diſpoſuit ſapientiâ, ut ſpecies unaquæque ſingulares præ ſe ferat virtutes ad agendum & faciendum in hoc mundo id, quod nullus alius poteſt aggredi. Sic eſt induſtria aranea, ut omnibus textoribus veluti bellum indicat ad texendam telã tenuiorem & exiliorem, quàm ipſa ordiatur & perficiat, materiem ei texendæ opportunã è viſceribus ſuis miniſtrando. Apis quantùm ad digerendos flores in mel, & ad educendas expreſſiones ex omnibus herbis ſuper omnes eminet ac prævalet empiricos, æquè ac in fabricandis cellulis ſuis & ſcpibus artem excedit cæmentariorum noſtrorum omnium architectorum. Formica diligentiâ ſuâ perfectam edocet œconomiam, & Sapiens k ad tyrocinium ſcholæ ejus, pigros mittit, *Vade ad formicã ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiã: quæ cùm nõ habeat ducem nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Philomela concinens regulariter ſecundùm inſtinctus ſuos, nunquid nõ regulam præſcribit ad quam ſe exigant omnes noſtri muſicæ candidati, nedum tamen iſtorum aliquis artificio ſuo æquiparari poſſit coocantui naturali hujus aviculæ? Aſtra inanimata, elementa, licèt ſimpliciſſima, habent proprietates, quæ ſunt inſtrumenta ad agendum, & ornamenta gloriæ, quibus ipſa Deus inſtruere voluit ac decorare, ut nihil foret otioſum, & ut unumquodque ſuppoſitum nobilitaret eſſe ſuum per actionem, quæ illius manifeſtet ac propalet excellentias.

k Prov. 6. 6

Si verò noſtras evehamus cogitationes cœlum versùs, videbimus ibi Angelos actioni vacantes non intermiſſæ: & ſicut actio eſt finis rerum corporearum; ſic felicitas ſubſtantiarum ſpiritualium eſt ipſarum opus, cùm habeant pro objecto gloriæ Divinam Bonitatem, cognitionem & dilectionem illius, quæ faciunt fruitionem, & ſunt ipſarum actio & formalis beatitudo, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* l. Imò verò Deus, qui eſt veluti menſura omnium entium, nunquid non eſt operatio ſua, agens ad intrà & ad extrà per voluntatem & per directionem, per ſe, & per creaturas ſuas providentiæ ſuæ miniſtras? Ita ut actiones noſtræ ſint effectus virtutis ejus magis quàm noſtrarum productiones potentiarum. Dixit in Evangelio m *Ieſus, Pater meus uſque modò operatur.* Id eſt, Patrem ſuum agere ſine intermiſſione, æquè ac abſque labore: ſic cooperari debemus actioni illius, *Et ego operor.* Alioquin ſi in nobis ſit eſſe ſine actione, magnâ operiemur confuſione.

l Joan. 17. 3.
m Jo. 5. 17

Individuum quod à ſuæ declinat ſpeciei rectitudine, eſt veluti monſtrum in natura, ad ultimas orbis uſque regiones probroſè aſportandum: piger igitur, qui contra propenſiones generales omnium entium ad actionem, & contra particulares induſtrias hominis rationalis, qui *naſcitur ad laborem, & avis ad volatum* n; torpet otio, & vitam tranſigit brachiis, ut dicitur, in crucis modum complicatis, deſidiæ indulgens, monſtrum eſt inter viventes, & certum eſt ipſum eſſe indignum hujuſmodi eſſe quod inutiliter ipſe profligat in otio: non eſt ampliùs homo niſi chimericè, & ſolam habet apparentiam eſſe, cùm ſit ſine actione, cùm eſſe verum agat ſecundùm proprietates naturæ ſuæ inſertas. Hinc invehar in pigritiam inimicam actionis, & oſtendam vobis Primò quædam ſymbola pigrorum, quæ ad vivum vobis illos delineabunt. Secundò, Monſtrabo vobis ſtatum miſerum, ſeu ruinam deſidioſorum deplorandam.

n Job 5. 7
Diviſio.

Propheta Oſee o deplorat ſtatum Iſraelis, prævidens infortunium ejus, ſub ſymbolo nubis aridæ; ſub qua præ noſtris ponit oculis deſidioſi & pigri hominis imaginem, *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Ubi obſervate ſi placet, Textus connexionem, Populus calamitate oppreſſus recurrit ad clementiam Dei, *In tribulatione ſua manè conſurgent ad me.* Deus ad liberandum populum ſuum mittit Verbum ſuum, quod vivificare debet mundum agentem extremum agonem, & deſcendere inſtar roris paradiſi, & more pluviæ opportunæ effuſæ tempore ingentis ſiccitatis ſuper terram ariditate dehiſcentum, *Et veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ*, ait populus iſte. Sed ad quid hæc *miſericordia veſtra*, reſpondet huic populo Deus, ſi rebellio veſtra influentias illius à vobis avertit imbris? Cui bono pluvia cadens ſuper lapides ingratitudinis veſtræ? Idem de ea accidit ut de nebulis matutinis, quæ imbrem promittunt abundantem, & terminantur in ſiccitatem, *Quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Idem eſt ac diceret, gratias eſſe ſine effectu propter obſtinationem noſtræ voluntatis. Literalis *ſenſus eſt, quaſi dicat: Quid faciam vobis, ô Hebræi? obſtinati enim eſtis in veſtris ſceleribus, nec pia mea monita & inſpirationes in mentem admittitis: licèt enim aliquando aliqua pietatis & miſericordiæ in proximos egentes, & mi-*

I. Pars.
o Oſee 6. 4 &c.

Digitized by Google

& miſeros vos tangat cogitatio & ſe .ſus, tamen is inſtar nubu & roris matutini, qui ſtatim ad ortum & calorem Solis evaneſcit, ſubitò præterit & pertranſit. Quaſi dicat, Pietas & miſericordia veſtra inconſtans eſt, inſtabilis & evanida. Ita Chald. Rupert. Lyran. Vatabl. & Arias. Secundò, *Alij hîc accipiunt miſericordiam Dei, non Iudæorum, quaſi dicat: Ego Deus cuperem veſtri, ô Iudai, miſereri, idque aſſiduè & continuò: ſed vos hanc meam voluntatem & miſericordiam veſtrâ nequitiâ diſpellitis, æque ac ventus ſubitò diſpellit nubes, & Sol oriens ſubitò ſorbet rorem. Ita S. Hieron. Theoph Hugo, & Ribera,* dicit Cornelius *p*. Vel, ſi vultis, *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra,* &c. Juda idem eſt ac confeſſio, aut laudatio; & Ephraim non eſt aliud quàm frugifer: hæc ſunt epitheta Chriſtiani, cujus vita, debet eſſe continua *laus* q Dei; & exercitium, progreſſus ordinarius *de virtute in virtutem* r. Attamen per puſillanimitatem mentium noſtratum otio & pigritiâ torpentium, noſtra *miſericordia quaſi nubes matutina.* Id eſt, actiones noſtræ perfectiſſimæ ſunt nebulæ auroræ, quæ nullo conſiſtunt modo, & in ſiccitates reſolvuntur: languor enim pigritiæ tepefacere fervorem satagens, inutiles reddit omnes actiones noſtras, & comparabiles illis nubibus aquæ expertibus, quæ ſunt ſymbolum pigri, de quibus loquitur S. Judas ſ, *Nubes ſine aqua.*

p Corn. in Oſee 6. 4.
q Pſ. 33. 2.
r Pſ. 83. 8.
ſ Judæ v. 12.

Pigritia nõ eſt niſi puſillanimitas ad conſentiendum ſuavitatibus gratiæ, languor in faſtidiũ vertens exercitium virtutum. Illam ad vivum nobis delineant *nubes ſine aqua quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuoſa, bis mortuæ, eradicata.* Sicut enim *nubes ſine aqua*, primos ſequuntur motus caloris, qui ſublevat vapores elementi ipſarum, & diſſipantur ab eodem calore accreſcente: ita otioſi & pigri ſanctis cientur motibus, bona cõcipiunt deſideria exercendorũ bonorum operum; ſed cùm agitur de manu iiſdem operibus per praxim applicandâ, quaſi deliquium perpetiuntur mentis præ puſillanimitate intolerabili, in hoc ſimiles mulieribus prægnantibus, quæ ſuos cõcipiunt quidem fœtus, ſed eos non poſſunt eniti & parere, cùm infirmitas renum illarum hujusmodi fœtus ad ultimam perducere non poſſit maturitatem & perfectionem. *Venerant filij uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi*, ait Iſaias t de animabus illis puſillanimis & effœminatis, quæ nullo pollent vigore ad enitendum ſanctum aliquod deſiderium illudque perducendum ad opus bonum uſque. *Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam* u. Manus otioſi aſcellæ ſuæ ab ipſo ſubmittitur, & licèt ipſe comedere concupiſcat, tamen perit ſame, nedum illam præ deſidia ori ſuo applicare velit: ponente enim Deo præ manibus cooperationis illius omnes theſauros cœleſtes, illorum ipſe ſibi non conciliat merita, eò quod manum ſuam operi applicare renuat; ſic *nubes*, quæ ordinariè ſunt matres abundantiæ, ſunt *ſine aqua*. Quia pigris ſunt ſymbolum indigentiæ ipſorum.

t Iſai. 37. 3.
u Prov. 19. 24.

Arbor autumnalis nihil præ ſe fert niſi folia: tale eſt deſiderium pigri, quod ſemper eſt abſque ullo fructu. *Arbores autumnales.* Quæ apud Cornelium x ex Græco *vocantur arbores frugiperdæ, id eſt, eò quòd ſuos fructus corrumpant, & nil niſi corruptum & marcidum producant. Vnde Arabicus vertit: Arbores corruptorũ fructuum. Tropologicè Hugo, Arbores autumnales, ait, ſunt acedi & pigri; qui ſerò, tarde, & pigrè Deo ſervire incipiunt, ideòque nil ad maturitatem perducunt, ſed ſuperveniente hyeme, id eſt, tentatione & adverſitate, eorum ſtudium & opus emoritur.* Nonne ecce viva imago pigritiæ, quæ corrumpit omnia bona opera ante collectionem meritorum & mercedum? Obſervamus in natura, quòd arbor florens autumno, moritur hyeme, quia librum dimittens, & florem emittens, dilatat poros trunci, quem frigus immodicũ pervadit, penetrat, & lædit: idem fortè obſervaveritis de pigritia, tarda eſt illa ad florendũ: differt enim piger bonis incumbere operibus uſque ad autumnum ſenectutis; & cùm ad hyemem mortis pervenerit, privatur otio ſeu copiâ eorundem peragendorum, æquè ac vitâ deſtituitur. Charitas eſt omnium germen virtutũ, & propenſio maximè eſſentialis proprietatũ ejus eſt indeſinenter operari, *Signũ amoris non eſt in affectione animi, ſed in ſtudio bonæ operationis*, ait S. Greg. y. Amor eſt ſicut ignis, ſemper in actione, æque cito amittit eſſe ac exercitiũ, & pigritia quæ eſt generalis ſuſpenſio omnium actionum bonarum, eſt profectò diſſoluta ab hac radice, *Arbores eradicata.* Et duplicem perpetitur mortẽ, *Bis mortua.* Mortem, inquam, præſentem, & futuram; temporalẽ, & æternam, *Anagogicè primò moritur anima per peccatũ z, quo gratia quæ eſt vita animæ, deperit; ſecundò moritur cùm truditur in gehennã. Hæc enim eſt mors ſecunda* a, ait idem Cornelius. Cùm enim ſit arbor fructu deſtituta, ex ea paratur infallibiliter lignile ad ardendum in inferno. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur* b.

x Corn. in Judam v. 12.
y S. Greg. l. 2. c. 2. in 1. Reg. 4.
z ex Ezech. 18. 4 & 20.
a ex Apoc. 20. 14.
b Matth. 3. 10.

S. Bonaventura c malignitatẽ hujus vitii novis deſcribit cõparationibus, *Cõparatur paralyſi, quæ facit membra arida & impotentia; ſic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum, & membra omnia ad laborem pœnitentiæ ſuſtinendum.* Et ſic facultates omnes noſtræ ut paralyticæ, & pigritiâ ligatæ, ſunt impotentes ad benefaciendum. *Adonibezec ſeptuaginta Reges amputatis manuũ ac pedum ſummitatibus* eorum truncaverat: ſed *ſicut* fecerat, *ita reddidit Deus* d illi. Talis eſt tyrannis pigritiæ. Primus actus tyrannicæ dominationis ejus eſt præcidere manus & pedes omnibus ſubditis ſuis, ne bonis incumbant operibus, & ne ad felicitatem procedant.

c S. Bon. in Diæt. tit. 1. de Peccat. c. 7.
d Judic. 1. 7.

Torpedo piſcis genus qui limo merſus occultat ſe, & piſces ſuprà natantes torpentes facit, ut ait Calepinus e, exhalat neſcio quid dormitorium, quod ſequens filum, cùm piſcis iſte hamo capitur, arripit manum piſcatoris, eam torpere facit, æquè ac prædam deſerere, *Accipitur & proſequitur, torpore, ſive ſtupore.* Pigritia nobis iſtam malignam imprimit qualitatem, iſto artificio à bono nos avertens peragendo: ſi enim vitium impugnare velimus, æquè ac virtutis praxi incumbere, confeſtim in noſtras illabi facit animas vanos timores, qui ab ejus removent nos exercitio; ecce torpor ſeu ſtupor à malitia illius cauſatus, *Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet* f. Et, *Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum* g.

e Calepin. in Diction. v. Torpedo, citans Plinium l. 9. c. 42.
f Prov. 19. 15.
g Prov. 15. 19.

Minatus eſt alias Deus Iſraëlitis, *ad torrentem ſalicum eos* i captivos ducendos. Secundùm literam, iſte torrens eſt fluvius Euphrates ſalicibus circundatus. Juxta moralitatem S. Hieronymi k, eſt ſymbolum loci ſterilis. Sed ſecundùm S. Bonaventuram l, illæ ſalices ſunt receptus pigrorum, quæ non habent niſi umbram ſine fructu, *Comparatur acedia ſalicibus, quæ ſunt ar-*

i Iſai. 15. 7.
k S. Hier. l. 5. in Iſai. 15. 7.
l S. Bonav. loco ſup.

boret infructuoſa, & ſolùm faciunt umbram: ſit acedioſi & otioſi nullum faciunt fructum, ſed ſolam umbram diabolo & refrigerium. Unde dicitur de diabolo, Circundant eum, id eſt, diabolum, ſalices infructuoſa m ex Job 40.17.
m. Parùm eſt pigro ut eſſet inutilis mundo, niſi etiam ei eſſet pernicioſus: ſed ſicut aqua torpens corrumpitur, vermes generat ac buſones, vapores emittit contagioſos, & totum vicinum depravat aërem, ſic otium ſeu pigritia omne producit vitiorum genus.

II. Pars.
n Jer. 48.9 &c.
Jeremias *n* cautam præſtabit cauſam meam, & reſpondendo pro me, perſequitur, ſicut & ego, vitium iſtud, dum in perſona Moab, ſtatum exprimit miſerum & ruinam deplorandam deſidioſorum, *Dixit Dominus, Date florem Moab, quia florens egredietur: & civitates ejus deſerta erunt, & inhabitabiles. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* Vel, *negligenter*, cùm *ita vertant LXX.*
o Com in Jer. 48. 10 &c.
apud Cornelium *o* qui ait, *Sed idem ſignificant: miles enim, vel ſervus, qui negligenter opus à Duce, vel hero præceptum peragit, fraudulenter agit: defraudat enim herum ſuo jure & lucro.* Qui expoſitor varios affert Interpretes hunc Textum diverſimodè explicantes, alios per *florem Moab* intelligentes proſperitatem, quæ fuit cauſa excidii illius. *Sic ſegetem nimia ſternit ubertas: ſic rami onere franguntur. Sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas: idem animis quoque evenit, quos immoderata rumpit felicitas*, ait Seneca *p*.
p Senec. Epiſt. 39.
Unde ibi *à Caſtro ſic explicat, Quaſi diceret, Coronis floridis & odoribus, ô Moab, te & tuum funus adorna, quia in Chaldæa ſepeliêris & moriêris. Solent enim divites coronis & omni pompâ ſuorum funera exornare. Unde Syrus & Arabicus vertunt, Date coronam Moab, quia deſtructione deſtruetur, & omnes civitates ejus in deſertum erunt præ inopia incola.*

Sed adhærens conceptui meo prævio, dico quòd per *florem Moab* intelligi poteſt flos arborum autumnalium, quæ ſunt ſigna mortalitatis, & emblema pigritiæ. Sequela Prophetæ conciliat veritatem propoſitioni meæ, *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Vel, *fraudulenter.* Tranſlatio negligentiæ ad fraudem innuit nobis, pigrum non ſolùm eſſe inutilem, ſed etiam malitioſum. Unde citatus ab eodem Cornelio, *præclarè Ariſtides hymno in Jovem, ignavia, ait, in rebus Divinis eſt nefaria.* Pigritia enim quæ eſt otioſa quoad bonum, fœcunda eſt ad producendum malum. Ideò proſequitur Propheta, *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requievit in fæcibus ſuis, nec tranſfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abijt: idcircò permanſit guſtus ejus in eo, & odor ejus non eſt immutatus.* Super quod ait Cornelius; *Comparat Moabitas vino, terram eorum dolio, pacem & abundantiam rerum fæcibus, mores eorum ſapori & odori vini. Quaſi diceret, Sicut vinum, præſertim forte, quale eſt in regionibus calidis, quandiu in ſuis reſidet fæcibus, ſuum fortem, auſterum, & fæculentum ſaporem retinet, & odorem; ſed ut eum mutet, & fiat purius, ſuavius & delicatius, de vaſe in vas aliud transfunditur:* ſic piger, verus Moabita torpet in fæce naturæ corruptæ, & cùm nullam afferat diligentiam ad purificandum vinum affectuum ſuorum, eoſdem ſemper depravat per propenſiones ſenſuum ad diſſolutionem, nec in eo eſt niſi ſapor & odor peccati, quia nullam impendit operam ad conciliandas ſibi virtutes, *Nec tranſfuſus eſt de vaſe in vas, idcircò permanſit guſtus ejus in eo.* Naſcimur inter-
q Epheſ. 2. 3.
ra iniquitatis, *Eramus naturâ filij iræ q.* Transferendum eſt iſtud vinum è dolio, in quo pravum *ſaporem retinet & odorem.* Tranſplantanda eſt arbor iſta inclinationum animalium in affectus virtuoſos. Piger iſti renuit ſociari mutationi. *Nec tranſfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abijt: idcircò permanſit guſtus ejus in eo, & odor ejus non eſt immutatus.* Propterea cùm in pravis ſuis perſeveret ſectandis habitibus, nec in bonam emendatæ vitæ velit ſeſe recipere frugem per diligentiam deſidiæ oppoſitam, mirum non eſt ſi *in peccato r* ſuæ moriatur diſſolutionis r Joan. 8. 21.
& pigritiæ.

Terra inculta, ſentibus operitur; aqua quæ non fluit, putreſcit; ferrum, quod ad opus non inſumitur, æruginem contrahit; veſtimentum in ciſta incluſum, à tinea roditur; ſi verò otium depravat indumenta, foſſilia, imò verò ipſa elementa, quale nocumentum inferet mentibus noſtris creatis ad exercendas actiones digniores quàm ſint communes naturæ operationes? *Arcum frangit intenſio, animũ remiſſio*, ait proverbium. Et Sapiens, *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totũ repleverant urtica, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat ſ.* Cùm enim neglexiſſet ſ Prov. 24. 30. & 31.
culturam agri ſui opportuno tempore peragere, propterea idem ager non produxit ipſi niſi ſentes inutiles; & maceriam cingentem & defendentem eundem agrum ab incurſionibus animalium, æquè ac hominum, in terram torrentes projecerunt. Sed facultates ſpirituales, quæ ſunt chariſſima animæ rationalis poſſeſſio, majus ſuſcipiunt detrimentum ab otio & à pigritia, niſi virtutis exercitio & praxi applicentur: & inclinatio naturalis inde naſci facit vitiorum corruptionem, & ſentes pravarum conſuetudinum. In œconomia omnia definiuntur à tempore, *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt univerſa ſub cælo. Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum eſt t.* Una tempeſtas projiciendis in t Eccl. 3. 1 & 2.
terram ſeminibus eſt opportuna, altera putandis viribus, alia verò colligendæ meſſi conſona, ſicut & alia vindemiæ peragendæ congruens; ſi verò temporis præterlabi ſinatis occaſionẽ, veſtra vobis ad deſiderium ſuccedere non poſſunt negotia, nec ullum ex iis fauſtum polliceri valetis vobis exitum. Niſi vulneri tempore congruo remedia applicentur proficua, plaga convertitur in apoſtema, & infirmo necem infert: niſi ſale condiantur carnes tempeſtate conſentaneâ, ſcatent illæ confeſtim vermibus & putredine. Quidnam igitur ſibi polliceri poteſt piger, cùm tempus laboris ſic pretioſum miſerabili profliget ipſe modo? Proculdubio meſſis ejus nihil ipſi coacervabit niſi ſpinas & tribulos; vindemia illius nõ erit ipſi niſi muſtum putridũ, & merces ejus niſi ſupplicium intolerando ipſius otio infligendum. *Uſquequò piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Et veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus u.* Expergiſcere u Prov. 6. 9. &c.
deſidioſe à ſomno lethargico pigritiæ tuæ, alioquin paupertate imperêris, & miſeriâ obruêris deplorabili, ut dicit tibi Salazar *x* poſt Salomo- x Salaz in Prov. 6 9. &c. n. 67. & 72.
nẽ, & illius Interpretes, *Satis jam pigritia datũ eſt, excitare tandẽ, expergiſcere, & ad laborem capeſſendũ te compara. Nec aũ dormies, aut manus ad dormiendũ conferes, cùm velociſſimi inſtar viatoris, ſeu curſoris aderit tibi ſubitò penuria & indigentia. Et paupertas ſicut vir armatus invadet te tanto impetu, ut illius declinare ictũ, & ab ipſa te defendere haud poſſis.* Sic Propheta ſupradictus tuam declarans negligentiam per deſidiam Moab, qui ſuũ profligat vinũ,

eo

Digitized by Google

eò quòd illud non transfuderit ex uno vaſe in alterum, *Nec transfuſus eſt de vaſe in vas*, confeſtim ſubdit ſupplicium ejus, quod omnibus pigris applicabimus. *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam ei ordinatores, & ſtratores laguncularum, & ſternent eum, & vaſa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident: & confundetur Moab.* Hæc eſt juſta pœna deſidioſis debita, ſi ſecretum Prophetæ noverimus intelligere. Ubi obſervabitis obiter, pigrum à bonis immunem non eſſe deſideriis; ipſe perſæpè proponit, ſed ſua nunquam ad exitum perducit conſilia. Hæc deſideria non ſunt vera, ſed ſolæ velleitates, ut ita dicam, & dicere poteſt intuitu pigritiæ ſuæ id, quod S. Paulus *y* dicebat reſpectu concupiſcentiæ, ſeu fomitis innati, *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio.* Licèt alio ſenſu id enunciaverit Apoſtolus. *Vult, & non vult piger z.* Virtutem amat, ſed abhorret ab ejus praxi, *In deſideriis eſt omnis otioſus*, ait S. Hieronymus *a*. Et Salazar *b* dicit quòd eadem omnino verba *LXX.* habent, *In deſideriis eſt omnis otioſus. Quod perinde eſt ac ſi dicat, Piger, ac ſocors in deſideriis, atque votis rerum ſiſtit, nec ulterà ad vota perficienda pergit.* Quod dilucidat ipſe Salomon *c* aliquantò pòſt, *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari: totâ die concupiſcit & deſiderat.* Omnes otioſi concupiſcunt, & cùm nunquam laborem ſuis ſocient deſideriis *d*, ideò ſemper ſunt miſeri. *Ita ut perinde ſit*, exponit inter alias interpretationes idem Salazar *e*, *Deſideria occidunt pigrum, ac ſi dicat, ipſum mirum in modum premunt, occidunt, enecant: tantoperè ipſum urgent, ut illum (liceat ſic dicere) ad necem ſibi inferendam adigant. Concinit cum hâc interpretatione locus alter Genes. Vbi ſic Rachel ad Iacob, Da mihi liberos alioquin moriar. Vide impotentiam deſiderii. Græcus Iſidorus, aliàs Peluſiota locum iſtum ſic edifferit. Ac proinde graviſſimo mœrore correpta Rachel ſe vim ſuæ vitæ allaturam minabatur, niſi pareret. Da enim mihi liberos, inquit, alioquin mortem mihi ipſi conſciſcam. Ergo ad eundem modum de verbis præfatis decernere licet. Deſideria occidunt pigrum. Id eſt, ipſum tantâ vehementiâ incitant, ut ſibi nonnunquam mortem moliri & machinari faciant per deſiderii ac votorum impotentiam. Nam cùm ſolus labor habendi deſideria complere valeat, malunt tamen emori, quàm ſe exercere. Subdit. Totâ die concupiſcit & deſiderat.* In quo ſimilis eſt mulieribus prægnantibus quæ nunquam pariunt niſi abortivos; aut militibus pictis ſuper aulæa ſeu tapetes, qui ſtringentes enſem, minitantur ictum, quem tamen non infligunt; cùm proponat ſemper deſidioſus agere, & nihil unquam agat, ſolo contentus præſenti deſiderio, quandiu opus in futurum reſervat tempus. Sed idem ei accidet quod illi qui tardiùs quàm par eſſet, ſuas paravit lagunculas, ſeu phialas, eæ conterentur antequàm vinum ſuſcipiant; ſpe ſuâ piger fraudabitur, & cùm operari diſtulerit ad horam mortis uſque, abripietur imparatus, & deſtitutus tempore quo ſua ad exitum imaginabatur conſilia ſe perducturum, æquè ac bona deſideria, *ſternent eum, & vaſa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident.*

y Rom. 7.18
z Prov. 13.4
a S. Hier. epiſt. 4. ad Ruſtic. n. 16
b Salaz. in Prov. 13. 4 n. 12
c Prov. 21. 25. & 26
d Eccl. 14. 14
e Salaz. in Prov. 21. 25. n. 106. & 107. citans Iſidor. Peluſiot. Epiſt. 274. poſt Gen. 30. 1

Maledicit Evangelium *f* mulieribus quæ ultimis erunt gravidæ temporibus, *Væ prægnantibus in illis diebus.* Non enim fœtus ſuos perducent unquam ad maturitatem. Hæc eſt maledictio vibrata in pigritiam, quæ concipit, & non vult parere per executionem boni deſiderii niſi mortis ipſo articulo. *Væ* tibi piger: aborieris enim & bonum deſiderium tuum, futurum eſt confuſio tua, *Et confundetur Moab.* Abſalonis *adhæſit caput quercui g* capillis ſuis. Tu verò manebis ſuſpenſus bonis propoſitis & conſiliis tuis, propriis punitus deſideriis veluti capillis: nam, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum h, *ſpiritualiter, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ.* Infernus eſt bonis plenus deſideriis, paradiſus verò nonniſi bonas agnoſcit operationes, *quæ ſi bonæ & charitativæ fuerint, non carebunt beatitudinis præmio*, ſubdit confeſtim idem Carthuſianus, loquens de iiſdem cogitationibus, & affectionibus ſuper hæc verba, *Et capillus de capite veſtro non peribit.* Satage ergo ne vel ullus *capillus de capite* tuo pereat, incumbendo actioni ſine morâ, ut deſideria tua adimplens, illorum poſſis mercedem tibi conciliare, & dici de te poſſit cùm labori vacaveris, ut quietem merearis, *Vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos* i. *Id eſt, ampliùs non laborent, nec affligantur; ſed ab omni fatigatione, pœnâ, adverſitate, & tædio ceſſent, liberi & immunes ſint cùm ad patriam venerint: in quâ æternam quietem & pacem, quæ omnem ſenſum exuperat* k, *plenamque beatitudinem ſortiuntur: In paucis enim & modico tempore vexati, in multis perpetuò feliciter diſponentur* l. *At verò ſecundùm Haymonem, quia poſt opus ſequitur operis merces, opera Electorum ipſos ſequi dicuntur; quoniam præmium ſuorum operum conſequuntur*, ait idem Carthuſianus *m*. Dicebat alias *Ieſus, Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari* n. Quibus verbis innuit nobis, ut laboremus tempore vitæ præſentis, nedum expectemus tempus mortis, in quâ non erit ampliùs tempus laboris capeſſendi, ſed colligendæ meſſis: ut docet etiam nos S. Paulus cum ipſius commentatore eodem Carthuſiano o. *Bonum autem, id eſt, opus virtutis facientes, non deficiamus, id eſt, nequaquam ceſſemus, nec tepeſcamus. Non enim coronatur niſi qui legitimè certaverit* p. *Et, Qui perſeveraverit in finem, ſalvus erit* q. *Tempore enim ſuo, id eſt horâ divinæ retributionis. Videlicet cùm ab omni culpâ & pœnâ fuerimus abſoluti, ſive in hâc vitâ, ſive in purgatorio, metemus, id eſt, æternam gloriam recipiemus, non deficientes, id eſt, finem non habituri præmii tanti, nec plus appetituri quàm dabitur. Ergo dum tempus promerendi habemus, id eſt, quandiu durat hæc vita præſens, operemur bonum ad omnes, id eſt, omnibus, quantùm poſſibile eſt, benefaciamus (ſicut generalis exigit charitas) corporalia ſeu ſpiritualia bona noſtra eis communicando.*

f Matth. 24. 19
g 2. Reg. 18. 9
h Dion. Carth. art. 44. in Luc. 21. 18
i Apoc. 14. 13
k Ex Philipp 4. 7
l Ex Sap. 3. 5
m Dion. Carth. art. 15. in Apoc. 14. 13
n Joan. 9. 3. & 4
o Dion. Carth. art. 6. in Gal. 6. 9. & 10
p Ex 2. Timoth. 2. 5
q Matth. 24. 13

Jeremias noſter, qui nihili vult oblivíſci in Moab, eorum quæ pigritiam ſpectant, conſequenter ait, *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium ejus contritum eſt, ait Dominus. Contrivi Moab ſicut vas inutile, ait Dominus. Pavor, & fovea, & laqueus ſuper te, ô Habitator Moab, dicit Dominus.* Quaſi diceret, quòd omnes vires illius ſunt exinanitæ, univerſæ ſpes ejus confuſæ, & ipſe ſit inſtar vaſis contriti non valentis aliquem liquorem continere; quòd timor falſam ſequatur illius præſumptionem, præcipitium ſit terminus curſus inconſiderati illius, & funis patibularis ſit deliciarum ejus finis. Ad te, ô piger, dirigitur ſermo iſte: Spem tuam diſtuliſti ad laborandum ipsâ mortis horâ, & Deus pœnitentiæ peragendæ tibi vires auferet, *Brachium ejus contritum eſt.* Tu renuis gratias tibi liberaliter oblatas, & intendis eas acceptare ultimo tempore quod reſervas converſioni tuæ faciendæ; & non cogitas quòd Deus tunc illarum ſuſpendet influentias, & conſide-

rabit animam tuam *ſicut vas inutile*, quod ipſe confringet ut hoc indignum gratiis. Magna cæcitas otioſorum! *Pavor, & fovea, & laqueus ſuper te, ô habitator Moab.* Præſumptio tua, ô piger, mutabitur in horrorem, ſpes tua in præcipitium, & bonum deſiderium tuum in deſperationem inſtar Rei, qui fune alligato collo ducitur ad ſuſpendium: ſic vivens in otio, morieris contra ſpem tuam miſeriis & calamitatibus oppreſſus, & excidêris non ſecus ac *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, & in ignem* r mittêris fornacis inferni, ut inutilis.

r Matth. 3.10

Dixiſti Domine, & ſic eſt; quòd tempus præſens, ſit tempeſtas laboris, & tamen illud piger profligat inutiliter, *Tempus faciendi, Domine, diſſipaverunt Legem tuam* ſ. Incognitus t *prævaricatorum arguit malitiam, quia ſcilicet in judicio omnia arguent, & accuſabunt peccatores, quòd in tempore præſentis vitæ, quod ſcilicet eſt tempus faciendi, ſicut poſt judicium erit tempus ſecundùm facta recipiendi, ipſi noluerunt facere ſecundùm Legem Dei, ſed illam diſſipaverunt, id eſt, eam contempſerunt.* Piger vult invertere tempeſtates, & reſervat laborem uſque ad mortem, quæ erit tempus quietis & otii, *Venit nox, quando nemo poteſt operari* u. Velle colligere tempore ſeminandi, & ſerere tempore metendi; non ſic definivit Deus œconomiam temporis, *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui* x. Tempore mortis amittit unuſquiſque memoriam Dei, & juſtâ Dei providentiâ ſic diſponente, qui oblitus eſt Dei vivens, obliviſcitur ſaluris ſuæ moriens. Unde diſcere debet piger ſalutem ſuam in diſcrimen non adducere eò uſque.

ſ Pſ. 118. 126
t Incognit. in Pſ. 118. 126
u Joan. 9.4
x Pſ. 6.6

Hunc detegit abuſum Jeremias y, *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium. Quaſi diceret*, ait Cornelius z; *Putabam, ô Domine, quòd ſemper me tuâ manu & ope juvares, uti promiſiſti, & ecce in hâc plagâ, & perſecutione, cùm maximè ope indigeo, me deſeris. Ita Chald. LXX. Pagnin. & Vatabl. Hebræa ad verbum pathetica ſunt, ſic enim habent: Eſſendo eris mihi; ô Deus, tanquam fons mendax? Id eſt, An falles ſpem meam, quam in tua ope defixeram, ſicut fons mendax fallit eos, qui in eo ſpem ſui potùs repoſuerant?* Ecce miſeria pigri, ad mortem ipſe curſu veloci properat, ibi ſperat ſe bibiturum aquas gratiæ, & origo illarum aruit quantùm ad ipſum: Deus juſtè illud ipſi ſubtrahit auxilium, cùm piger præ ingratitudine intolerabili illud recuſaverit in vitâ ſuâ: Deus deridet morientem, qui ipſum vivens contempſerat, *Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia* a.

y Jer. 15.18
z Cornel. in Jer. 15. 18
a Prov. 1. 24. &c

Quid agendum eſt ad præveniendum periculum hic manifeſtum? Illud nos idem Jeremias b ſtatim edocet, *Propter hoc hæc dicit Dominus: ſi converteris, convertam te, & ante faciem meam ſtabis. Senſum ergo eſſe quaſi dicat*, ait idem Cornelius †: *Si, ô popule, à peccatis tuis converteris, ego viciſſim convertam te, id eſt, in gratiam meam te reponam, & ante faciem meam ſtabis, id eſt, proſequar te omni favore, libenter videbo.* Quod innuit, applicandam eſſe manum operi, vincendam pigritiam, laborandum cum diligentiâ, ſi aliquo modo beatitudinem velimus participare. *Negotiamini dum venio*, ait nobis Chriſtus. Ne ſcilicet veniam gratiæ ab eo nobis commiſſam, habeamus *repoſitam in ſudario*. Et ſi ſolvere non poſſimus ipſi *pecuniam*, quam ſi poſuiſſemus *ad menſam, veniens cum uſuris utique illam* ipſe exegiſſet, interficiendos nos præcipiat *ante* c ſe hic morte animæ d, & in inferno morte gehennæ: *Hæc enim eſt mors ſecunda* e.

b Jer. 15. 19
† Cornel. in Jer. 15. 19
c Luc. 19. 13 &c
d Ezech. 18.4. &c
e Apoc. 20.14

Hortatur nos Salomon f ut negotiemur ad acquirendum cœlum tantâ diligentiâ, quantâ negotiantur mercatores ad comparandas ſibi divitias, *Si quæſieris ſapientiam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies.* Sed heu! *Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſuâ ſunt* g. Adhæreamus igitur conſilio ejuſdem Salomonis h, *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum: ut poſteà ædifices domum tuam.* Ædificare debemus æterna tabernacula, & ideò paranda ſunt ea quæ eis conſtruendis ſunt conſona, quadrandi lapides, & diſponenda ligna, ut in templo Salomonis i. Jeroſolymis k enim ordinantur tantùm lapides, & locus aſſignatur ac merces bonis operibus. Hæc cogitatio ſtuporem & torporem auferet à pigritiâ noſtrâ; & ſic *id, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus in nobis* l operabitur.

f Prov. 2. 4. & 5
g Luc. 16. 8
h Prov. 24.27
i 3. Reg. 5. 17. & 18
k Apoc. 21. 2. &c
l 2. Cor. 4.17

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Ieſus venit in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo, &c. Joan. 4. 1. &c. ex Gen. 48. 22.

NAtura quæ nonniſi vix ad ſubeundas diſponere ſe poteſt mortificationes, faſtidit ſemper ad ſe appropinquantes perpetiendæ anſas tolerantiæ, cùm ſuas omnes conſtituat delicias in illis quæ corpori blandiuntur, & finis laborum illius jugiter faciat initium voluptatum ipſius, & motivum gaudiorum ipſius. Sic S. Chryſoſtomus, iſtud os aureum propter eloquentiam ſuam Feriâ ſextâ Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ, qualis eſt hodie, verbum divinum ſuo annuncians populo Antiocheno, ſpeciale legebat oblectamentum & gaudium extraordinarium ſuper fronte omnium Auditorum ſuorum, qui immodicâ erant perfuſi conſolatione, eò quòd ad mediam perveniſſent Quadrageſimam, ad dimidium perveniſſent curſum ſuum in tranſigendâ Quadrageſimâ, quæ eſt tempus pœnitentiæ, auſteritatis, & tolerantiæ: idem lego hodiernâ die ſuper vultibus veſtris, videns quòd in peregrinatione hujus ſanctæ Quadrageſimæ, ad finem illius inclinamor, labor tranſit momentaneus, & merces illi debita nobis tandem rependetur æterna, *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æter-*

æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non
a 2.Cor. 4.17. & 18
videntur, æterna ſunt a. Sed ſicut peregrinus longâ itineratione fatigatus præclarum aliquem fontem quærit, in quo ſuos refrigeret ardores, unum vobis aperio iſtis matutinis horis, ſed fontem vitæ æternæ, qui non eſt alius niſi Jeſus Chriſtus, *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Virgo ſacratiſſima rivus eſt fœcundus ſpecioſæ iſtius o-
b Cant.4. 12.& 15
riginis, *Fons ſignatus, puteus aquarum viventium* b. Prædives eſt illa aquis gratiæ, quas copioſè diſtribuit ipſa iis omnibus, qui illâ ſuſcipiendâ ſe dignos exhibent: ſic ipſa illius in ſe ſuſcepit omnimodam plenitudinem, cùm *ingreſſus Angelus, ad*
c Luc.1.28
eam dixit, Ave c *Maria.*

Sicut Deus eſt ſolus, qui magnitudinem cognoſcat animæ; ita ipſe ſolus eſt qui illius pretium ſciat, æquè ac ejus valorem. Sic eſt: illam tanti æſtimat ut in gratiam unius ſolius ex illis tantum peregerit, quantum pro omnibus ſimul ſumptis;
d Galat.2. 19.& 20
& pro univerſis illud fecerit, quod pro unâ ſolâ: *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me* d, ait S.Paulus de ſe. *Sicut & Chriſtus dilexit nos, &*
e Ephes. 5.2
tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis e, dicit idem Apoſtolus. Nemo eſt qui de iſtâ debeat ambigere veritate. Oportet autem, Auditores, ut meam vobis ingenuè fatear infirmitatem. Perſæpè ſtupore, æquè ac admiratione fui commotus ex conſideratione præcepti quod mandavit Deus Prophetæ Oſee, & primo intuitu juxta captum exiguæ mentis meæ, mihi viſum fuit illud nõ ita bene inſtitutum, nec ſic rectæ rationi conſonum. *Obſecro Do-*
f Dan.9.4
mine Deus magne & terribilis f, ignoſce mihi ſi metiri præſumam inſcrutabiles conſiliorum tuorum abyſſos plumbo infirmatum mearum cognitionum, cùm S.Paulus *ſecus pedes Gamaliel*
g Act.22.3
eruditus juxta veritatem paternæ Legis g; & qui *raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ*
h 2.Cor. 12,4
non licet homini loqui h; de incomprehenſibilibus ſapientiæ tuæ arcanis cogitans, exclamet, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis*
i Rom.11. 33.& 34. ex Iſai.40. 13.
conſiliarius ejus fuit i? Vocat igitur Deus Prophetam, & ait illi, quòd ipſe velit ipſum in Matrimonio collocare. Ha! reſpondet illi Oſee, quòd Propheta, qualis ego ſum, uxorem ducat? Nequaquam, Domine: benè mihi eſt conſtituto in honoratâ continentiâ, quam colo. Nequaquam, ait Deus. Volo te in Matrimonio fœminæ jungere, & intendo ut vadas ſolicitatum mulierem ad ducendam eam tibi in uxorem Deus ita vult, & ideò oportet ut ita fiat. Cùm ergo Domine ſic tibi placeat, quamnam intendis mihi ſociare uxorem? num aliquam honeſtam dominam, è progenie bonam famam præ ſe ferente ortam? Nequaquam ait Deus, ſed mulierem fornicariam, & proſtitutam, & per totam civitatem ab omnibus ut talem agnitam. Ha! Domine, dicit illi Oſee, Jeremias ſpecioſam prætexit excuſationem ne vadat annunciatum verbum tuum, dicens, *A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia*
k Jer.1.6 Iſai.6.5
puer ego ſum k. Iſaias verò allegat quòd *pollutus labiis* l ſit: ego verò Propheta è præclara ſtirpe progenitus cò me deprimam ut mihi infamem deſponſem mulierem? Ha! Domine, habeto me excuſatum ſi placet, fœdus illud meæ famæ officeret immodicè: ſi eximiis eſſet illa prædita qualitatibus, aut ſaltem dives, non ita difficilè hujuſmodi conſentirem propoſitioni. Nequaquam ait Deus. Non habet illa niſi corpus ſuum, & infamiam ſuam; volo autem ut eam ſolicites, & illam tibi deſponſes, *Sume tibi uxorem fornicationum & fac filios fornicationum.* Obedit Propheta,
m Oſee 1.2
Et abiit, & accepit Gomer m.

n S.Hier. in Proœm. in Oſee.
S. Hieronymus n ait, Deum nihil unquam peragere ſine causâ, cùm ſibi ſemper felices proponat fines; & illud, quod ipſe facit, ſemper nos ducat ad notitiam alicujus ſacri myſterii nobis priùs incogniti: licèt autem ſupradicta hæc omnia præmiſerim more oratorio, quantùm ad difficultatem quam præ ſe ferre videbatur Oſee ducendæ hujuſmodi uxoris fornicariæ, dicit tamen ſanctus iſte Doctor, *Oſee audiens à Domino: Accipe uxorem fornicariam; non frontem rugat, non mœrorem pallore teſtatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonſtrat: ſed pergit ad lupanar, & ſcortum ducit ad lectulum. Hæc igitur audientes, quid poſſumus reſpondere niſi illud Propheticum? Quis ſapiens & intelliget iſta? intelligens & cognoſcet ea* o?
o Ex Pſ. 106.43
Unde & nobis dicendum eſt cum David: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ p. *Ut intro-*
p Pſ.118.18
q Ex Cant. 1.4
ducat nos Rex in cubiculum ſuum q, *& velamen quod ante oculos Moyſi poſitum fuit* r *in lectione veteris Te-*
r Ex Exod. 34.33.& 34
ſtamenti, tollat à nobis. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus ſ, *Omnia in figurâ contingebant illis: ſcripta ſunt*
ſ 1.Cor. 10.11
autẽ ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum devenerunt. Oſee nihil aliud ſonat niſi Salvator, cùm Oſee, Joſue, & Jeſus ſub diverſis nominibus eandem præ ſe ferant ſignificationem: Oſee igitur repræſentat Salvatorem animarum noſtrarum, qui ſibi vult deſponſare infamem peccatricem, Samaritanam, eam dotare; illamque ad ſe trahere lenociniis ſuis; hæc autem Samaritana eſt anima peccatrix; Jeſus amore illius ducitur, eam vult ſibi deſponſare, ideò illam ſolicitat ad præbendum ſibi conſenſum ſuum, ut cum ipsâ Matrimonium ineat ſpirituale per gratiam quæ illius peragit unionem & conſummationem:
Diviſio
Videbitis igitur Primò proſecutiones hujus Matrimonii ſpiritualis. Secundò Matrimonium quod peragetur.

I.Pars.
Dei Filius ut venator divinus non venit in hunc mundum niſi ad venandas & aucupandas animas eâdem curâ, eâdemque ſolicitudine, quam venator adhibet ad apprehendendâ prædam ſuam: *exivit à Patre, & in mundum* t *venit;*
t Joan. 16.28
poſt hæc venit Ieſus in Iudæam terram u. Judæi il-
u Joan. 3.22
lum cogunt diſcedere ex eâdem Judæâ: ex illâ igitur egreditur, in quâ Judæi ipſius præſentiâ frui non merebantur, *Ieſus reliquit Iudæam, & abiit in Galilæam: oportebat autem eum tranſire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Ubi idem Patriarcha Jacob ſuos erat ſolitus paſcere greges, ubi libertas effrænis regnare conſueverat, & ubi vitia explicaverunt vexilla ſua, ita ut inter Judæos dicere alicui, Samaritane, idem eſſet ac dicere inter nos, Maure, Turca, & Barbare: in cujus veritatis fidem, Jeſu Chriſto altàs *Iudæi dixerunt, Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu* x? Venit igitur divinus iſte *Sol*
x Joan. 8.48
juſtitiæ Chriſtus Deus noſter y, derelictâ Judæâ, quæ
y Eccleſia ex Malach.4.2
propiria & favorabilia contemnebat ipſius lumina, ſuos explicatum radios in hâc Provinciâ Samariæ, & effectum eam fertilem fœcunditate benignatum influentiarum ſuarum: ipſe *quaſi fluvius Dioryx, & ſicut aquæductus de paradiſo, Hortum plantationum* z totius orbis rigaturus, exi-
z Eccli. 24.41.& 43
ens, repulſus è Judæâ, in qua fluere cœperat, quid

ageret

aget? Numquid non hæ ſpecioſæ aquæ ſe recipient eò, unde exierant? Nequaquam, ſed irrigatum venient Samariam; & terra ſterilis Samaritanæ hoc proficuo potietur privilegio.

a Gen. 3. 23. &c.

Poſtquam primum Adamum *emiſit Dominus Deus de paradiſo voluptatis* a propter peccatum: ſecundus Adam exit è paradiſo ob exterminandum peccatum, ad lucrandam animam, ad devinciendam illam ſibi, ad faciendam eam prædam ſuam, & ſibi ipſam deſponſandam, ipſe eſt finis ejus, hoc eſt conſilium ipſius, & motivum maximorum conatuum illius, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum* b. Qui animæ amore ducitur. Recenſetur ab Ezechiele c quædam *ſpecies electri, id eſt, de medio ignis.* Quod Calepinus d ait, *Eſt quoddam metalli genus, quod ex parte quadam auri & argenti commiſtione conficitur*, dicente Plinio, *Aurum, in quo quinta argenti portio eſt, electrum vocatur.* S. Gregorius e verò verba Prophetæ explicans, dicit, *Quid electri ſpecie niſi Chriſtus Ieſus Mediator Dei & hominum* f *deſignatur? Electrum quippe ex auro & argento eſt. In electro dum aurum argentumque miſcetur, argentum ad claritatem creſcit, aurum vero à ſuo fulgore palleſcit. Illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio, naturæ Divinitatis unita eſt natura noſtra, in qua adunatione humanitas in majeſtatis gloriam excrevit, Divinitas vero à ſuo fulgoris potentiâ humanis ſe oculis temperavit, per hoc quod humana natura clarior facta eſt, quaſi per aurum crevit argentum. Et quia Divinitas à fulgore ſuo noſtris eſt aſpectibus temperata, quaſi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis* g, *quæ in ſe manens innovat omnia* h, *ſicuta ut eſt, novum apparere voluiſſet fulgore ſuo nos incenderet potiùs quàm renovaret: ſed claritatem ſuæ magnitudinis temperavit noſtris oculis Deus, ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam noſtra infirmitas per ejus ſimilitudinem in ejus luce clareſceret, & per acceptam gratiam* i, *ut ita dicam, ſuæ habitudinis colorem mutaret. Quaſi electrum ergo in igne eſt Deus factus homo in perſecutione.* Sicut autem electrum exiens ex igne, ſcintillas emittit, & per aërem volitat; ita ſpecioſum hoc Electrum compoſitum ex auro Divinitatis, & ex argento humanitatis, id eſt, Salvator exiens *à Patre, & in mundum* † veniens, quomodo volat per aërem, è cœlo in terram? *Exultavit ut gigas ad currendam viam: à ſummo cœlo egreſſio ejus. Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* k? E paradiſo venit in Judæam, *in civitatem Galilææ* l, in uterum Virginis: inde in Bethlehem, ubi Mater ſua *reclinavit eum in præſepio* m. E Judæa cum Joſepho *seceſſit in Ægyptum* n. Ex Ægypto rediit in Judæam in templum o; è templo *venit Nazareth* p civitatem Galilææ. Deinde *Venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem ut baptizaretur ab eo. Baptizatus autem Ieſus confeſtim* q *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* r. E deſerto ad prætorium Pilati, *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas.* E prætorio ad montem Calvariam, *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt. Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* E monte Calvariâ ad Crucem, *Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum* ſ. Hodiernâ verò die poſtquàm *reliquit Iudæam, venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* Si conſideratio unius ſolius animæ, ſi amor quo Deus illam proſequitur, tantis illum ciet affectibus, ha quid non aget omnium hominum cogitatio? Si unica ſcintilla tantum facit conatum in tormento bellico, ut inde ipſa vel natura tremore concutiatur; quid ageret, ſed quid non ageret, ſi illud fornax impelleret? Ha! Auditores, ſi noſtrarum Salvator animarum tanto ducitur zelo, ſi ita immodico ardet amore erga mulierem infamem, proſtitutam, & indignam, quam ipſe ſuis proſequatur affectibus, quid non aget pro univerſo orbe, pro omnibus Electis? Quidnam inducit eum ad tantùm currendum? Quid eſt quod impellit illum ad tantum laborem capeſſendum? Amore profectò ducitur, & ecſtaſi. Sic eſt: Divinus ille Oſee deſponſare ſibi vult Samaritanam, quæ eſt tota cauſa fatigationis ipſius, *Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Quid ſibi vult iſtud faſtidium? Amore captus eſt Chriſtus, & ejus amor laborem & fatigationem ejus producit. *Erat Amnon amicus, nomine Ionadab filius Sammæ fratris David, vir prudens valde: qui dixit ad eum, Quare ſic attenuaris macie, fili Regis, per ſingulos dies? Dixitque ei Amnon, Thamar ſororem fratris mei Abſalom amo* t. Si interrogetur *Ieſus fatigatus ex itinere*, quare variis diſcerpatur cogitationibus, reſpondebit, Samaritanam amo, ſed amore ſacro, *Sedebat ſic ſupra fontem.* Et *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum* u, poſtquam vulneratus eſt, ut ſuum mediis aquis ardorem refrigeret; ita Jeſus Chriſtus amoris jaculis perforatus, *ſedebat ſic ſupra fontem.* Specioſum ſitum! Ibi expectabat Samaritanam, quæ erat cauſa fatigationis ipſius, æquè ac amoris ipſius.

S. Auguſtinus x perveniens ad hunc Evangelii hodierni locum, exclamat, *Iam incipiunt myſteria!* Si verò Jeſus Chriſtus ducturus erat homines ex arbore Crucis, *Schola ipſius in terrâ eſt, & ſchola ipſius Corpus ipſius eſt: propter te laſſatus ad puteum ſedit; propter te in ligno pependit*, ait idem S. Auguſtinus y: id quod legere debet juxta iſtum puteum, non minus continet myſterium. Legere cœpit in Cruce *à ſextâ horâ uſque ad horam nonam* z. Cùm autem legit *ſupra fontem, hora erat quaſi ſexta.* Id eſt, meridiana. Quando legit in Cruce, mulier aderat, *Mulier ecce Filius tuus* a. Cùm legit *ſupra fontem, venit mulier de Samariâ.* Quando legit in Cruce, eò anguſtiarum redactus erat, ut *non haberet ubi caput ſuum* b reclinaret: cùm legit in fonte, *fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Quando legit in Cruce, *dixit, Sitio* c. Cùm legit in fonte, & *venit mulier de Samaria haurire aquam, dicit ei Ieſus, Da mihi bibere.* In Cruce denegatur ei gutta aquæ, *Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus* d. Et in fonte *dicit ei mulier Samaritana, Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* In Cruce *noluit bibere* e. In fonte noluit manducare, *Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes, Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Cruci ſuffixus in monte Calvariâ ait Patri ſuo, *Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* f. Hic verò iſtam exequitur pariter voluntatem, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* In monte Calvariâ *diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.*

a Gen. 3. 23. &c
b Dan. 9. 24
c Ezech. 1. 4
d Calepin. in Diction. v. Electrũ, citans Plin. lib. 32. c. 4
e S. Greg. hom. 2. in Ezech. 1. 4
f Ex 1. Timoth. 2. 5
g Ex Malach. 3. 6
h Ex Sap. 7. 4
i Ex Joan. 1. 14
† Joan. 16. 28
k Pſ. 18. 6. & 7
l Luc. 1. 26. &c
m Luc. 2. 7
n Matth. 2. 14
o Luc. 2. 43
p Luc. 2. 51
q Matth. 3. 13. & 16
r Matth. 4. 1
ſ Joan. 19. 1. &c
t 2. Reg. 13. 3. & 4
u Pſ. 41. 2
x S. Aug. tract. 15. in Jo. 4. 6
y S. Aug. tract. de Diſcipl. Chriſtian.
z Matth. 27. 45
a Joan. 19. 26
b Matth. 8. 20
c Joan. 19. 28. ex Pſ. 68. 22
d Joan. 19. 29
e Matth. 27. 34
f Hebr. 10. 9. ex Pſ. 39. 7. & 8

[g Matth. 26.56] ſunt g. In fonte verò, *diſcipuli ejus abierant.* In [h Joan. 19. 34] cruce *exivit aqua h de latere ejus.* In fonte autem pollicetur aquam eâ conditione ut efflagitetur, *Si ſcires donum Dei, petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* Quænam præclariores inveniri poſſunt convenientiæ? Amor duxit eum in Cru- [i Iſai. 53.7] cem, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* i. *Dilexit nos, &* [k Apoc. 1.5] *lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* k. Et idem amor perduxit illum in hunc locum. In Cruce erat amans peccatorum, quorum converſionem adhuc ſolicitat: hîc verò amore ducitur Samaritanæ, quam vult convertere. In Cruce docet: hîc verò lectiones exhibet auſcultandas. In Cruce homines agnoſcunt ejus Divinitatem, *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius* [l Matth. 27.54] *Dei erat iſte* l. Hîc verò mulier publicat eum eſſe Meſſiam, *Dicit ei mulier, Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Dicit ei Ieſus, Ego ſum qui loquor tecum.* In Cruce lucratur latronem, *Et dicebat ad Ieſum, Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradi-* [m Luc. 23. 42. & 43] *ſo* m. Hîc verò conciliat ſibi mulierem proſtitutam, *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier.* In Cruce latro palam confitetur eum Dei Filium, *Domine,* &c. Hîc verò Samaritana proclamat eum Chri- [n Dan. 9.25] *ſtum* n in Lege promiſſum, *Mulier abiit in civitatem, & dicit illis hominibus, Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* In Cruce fuerit Dimas operatur ſalutem, hîc verò Samaritana ſuam agit converſionem: in Cruce Chriſtus patitur, hîc autem emanet patiendo, *Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.*

Duas præcipuas invenio cauſas fatigationis illius. Prima eſt iter magnum & difficile, quod ipſe percucurrit ob admirabilem noſtræ redemptionis executionem, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Illud iter ipſe peregit currendo à ſinu Patris in uterum Virginis, ut jam dixi, quod eſt nota amoris, *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo e-* [o Pſ. 18.6] *greſſio ejus* o. Deinde, *In ſimilitudinem hominum fa-* [p Philipp. 2.7.] *ctus, & habitu inventus ut homo* p, *ipſe iter faciebat per civitates & caſtella prædicans & evangelizans* [q Luc. 8.1] *Regnum Dei* q, tribus annis ultimis, quibus *in ter-* [r Baruch 3.38] *ris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* r. Secunda & præcipua cauſa fatigationis ejus, quæque majorem cauſabat illi laborem, erat enormitas & gravitas peccatorum noſtrorum, quæ ipſe ſuis impoſuit humeris ab inſtanti conceptionis ſuæ, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo,* ait S. Pau- [ſ 2. Cor. 5.21] lus ſ. *Id eſt, Sacrificium pro peccato factum eſt. Peccatũ oblatum eſt, & deletum eſt peccatum. Fuſus eſt Sanguis Redemptoris, & deleta cautio debitoris. Ipſe eſt Sanguis* [t Ex Matt. 26.28] *qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum* t, [u S. Aug. ſe. m. 4. de Verb. Dom. c. 5] explicat S. Auguſtinus u. Cùm cautam præſtitiſſet cauſam noſtram, pro nobis omnibus ſolvit, *Attritus eſt propter ſcelera noſtra* x. Offenſæ noſtræ [x Iſai. 53.5] cauſaverunt ei omnes hos labores, ut ipſemet queritur de nobis ſingulis, *Servire me feciſti in pec-* [z Iſai. 43. 24] *catis tuis, præbuiſti mihi laborẽ in iniquitatibus tuis* z.

Nihil in mundo gravius peccato, *Iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me,* ajebat [a Pſ. 37.5] David a de ſe. Sic autem grave eſt ut neque mare, neque terra, neque cœli poſſint illud ſuſtinere; ſed è contra ſuccumbant oneri ejus. Sufferre non poteſt mare Jonam peccatorem; ſtatim enim ac Ionas invênit navem euntem in Tharſis, & deſcendit in eam ut iret in Tharſis à facie Domini, *Dominus miſit ventum magnum in mare; & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri. Et nautæ tulerunt Ionam, & miſerunt in mare* b. *Et præ-* [b Jon. 1. 3. &c.] *paravit Dominus piſcem grandem ut deglutiret Ionã: & erat Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Cùm autem non poſſet cete ita rude fruſtum digerere, *evomuit Ionam in aridam* c. Ægyp- [c Jon. 2. 11 & 12] tios, qui erant ſymbola peccatorum, *operuit mare. ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementi-* *bus* d. Terra, etiamſi ſolida, ſuſtinere non poteſt [d Exod. 15.10] gravitatem peccati; convictis illius Core, Dathã & Abiron, *confeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos* e. Imò verò [e Num. 16. 31. &c] *cæli, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt* f, certum eſt [f Job 37. 18] non potuiſſe ſuſtinere Luciferum, qui cecidit *de cœlo, ad infernum in profundum laci* g detractus [g Iſai 14. 12 & 15] cum omnibus ſuis aſſeclis.

Sed res inaudita! Filius Dei, qui geminos orbis polos ſuis ſuſtinet humeris ut divinus Atlas *Portans omnia verbo virtutis ſuæ* h; quique *appendit tri-* [h Hebr. 1.3] *bus digitis molem terræ* i; cùm noſtra ſuis humeris [i Iſai 40. 12] impoſuit peccata, vix ea deferre potuit à *præſe-* [k Luc. 2.7.] *pis* k Bethleemitico uſque ad montem Calvariam, *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem. hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ locus* l. Imò verò nonnihil difficilè illa tulit in [l Matth. 27.32 & 33] *montem Olivarum. Et cùm proceſſiſſet paululùm, procidit in terram* m. Ita ſub iſto ſudabat pondere. [m Marc. 14.27 & 35] Heu quantam exercent adversùs illum homines ſævitiam! *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* n. *Ieſus ergo fatigatus ex itinere.* Evangeliſta [n Hebr. 6.6] tempus ſpecificat. *Hora erat quaſi ſexta.* Id eſt, meridiana, quod ipſe agit, ut oſtendet nobis zelum & ardorem, quo Dei Filius ſatagebat operari converſionem iſtius Samaritanæ! Multum laborem hauſit ut conciliet ſibi cõſenſum hujus mulieris, deſponſare ſibi vult Samaritanam; omnia peragit, nulla res eſt, quam ipſe non inſinuat ut affectus ejus lucretur, *Hora erat quaſi ſexta.* Amor labores reddit ei faciles, *Amanti nihil difficile.* Idem Evangeliſta o loquens de negatione Petri, [o Joan. 18.18] ait, *Quia frigus erat.* Quaſi diceret, cor iſtius Apoſtoli fuiſſe inſtar glaciei cõſtrictum, quoad amorem Domini ſui. Et ſermonem habens de proditione Judæ, dicit, *Erat autem nox* p. Ut oſtenderet [p Joan. 13.30] nobis denſes tenebras quibus erat obvolutus hic proditor in peccato ſuo. Hanc calefactum venit Chriſtus Samaritanam horâ meridianâ, *Hora erat quaſi ſexta.* Quâ ardores ſui ed extremum evecti erant apicem. Quis enarrare poſſet omnes inventiones amantis? *Notas facite in populis adinventiones ejus* q. Videte inventiones Filii Dei, [q Iſai 12.4] qui amore ducitur Samaritanæ. Sed quare Salvator tantum inſumit laborem ad conciliandum ſibi conſenſum Samaritanæ? Illum nondum adipiſcetur. *Grandis enim illi reſtat via* r. Am- [r 3. Reg. 19.7] pliorem compelletur ipſe ſudorem fundere, & hæc mulier multùm reſiſtet, antequàm illi ſuum conſenſum præbeat; erit illa pertinax, averſatricem ſe veluti faſtuoſam exhibebit, ut huic proprium eſt ſexui, intuite ſe ſolicitatam: Dei Filius igitur patientiam præ ſe debet ferre, quâ æquo ſuſtineat animo deſpectus, quibus illa faſtidire videbitur amorem ipſius. A ſuâ non deſiſtit Jeſus proſecutione, quia amans eſt.

Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem ſ. [ſ Ezech. 24.1. &c.] *Fili hominis, Hæc dicit Dominus Deus, Pone ollam, pone, inquam, & mitte in eam aquam. Et rubigo ejus*

nec exivit de eâ. Pone quoque eam ſuper prunas vacuam, ut incaleſcat, & liquefiat æs ejus; & conflctur in medio ejus inquinamentum ejus, & conſumatur rubigo ejus. Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de eâ nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis: ſed nec mundaberis priùs, donec quieſcere faciam indignationem meam in te. Idem planè eſt de corde peccatorum, cor æneum eſt, peccato inquinatum, Deus vult illud purgare, multum impendit laborem ad illud mundandum; & tamen iſtud cor ſemper remanet ſordidum; *Væ ollæ, cujus rubigo in eâ eſt, & rubigo ejus non exivit de eâ.* Idem omnino eſt ac cùm ſtatuarius ſculpere vult Cherubinum, aut Seraphinum ſuper lapidem, aut ſuper æs; & marmor, aut æs reſiſtit illius ſcalpro, illudque repellit; ita nos repellimus Filium Dei, qui ſculpere vult imaginem virtutis in animabus noſtris; reſiſtimus ei, & impedimus quin ſuorum ſortiatur effectum conſiliorum, *Fruſtra conflator conflavit; malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos* r. Cùm aliquod aurifex purgare vult metallum, ut illud ad egregium opus aliquod peragendum inſumat, illud in ignem projicit, flabellis illud exufflat, ut ipſum emolliat, poſteà illud ſuperimponit incudi, & illud tandem repetitis iterùm malleorum ictibus contundit; ſi autem poſt inſumptum laborem multum, felicem ſortitur conſiliorum ſuorum exitum, immodicâ perfunditur conſolatione & incredibili exultat gaudio, ratus laborem ſuum appoſitè inſumptum: ſi verò è contrà nihil proficiat primâ vice, illud dènuò in ignem projicit, magiſque illud flabellis exibilat, iterùm illud ſuper incudem tudite percutiens: quòd ſi poſt hæc omnia, opus ipſius non eſt perfectum, idem pluribus vicibus reiterat, & reficit: ſi autem advertat, ſe nihil omnino proficere, illud præ deſpectu projicit, cùm ad nihil utile eſſe poſſit, indignatus ex eo, quòd labor ſuus ſit profligatus: idem peragit Deus erga nos, ſuis ſufflat Inſpirationibus, quibus nos vocat ad ſe; *Vocavi* u. Nos tribulationibus quaſi malleis contundit, *Ego quos amo, arguo, & caſtigo* x, Et accendit nos beneficiis, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei* y? Si autè iſtud omne inutile eſt, ſi ſemper obſtinati ſumus in peccato, tunc deſerit ipſe nos, videns ſe nihil propter nos penitus proficere, *Multo labore ſudatum eſt.*

r Jer. 6. 29. & 30
u Prov. 1. 24
x Apoc. 3. 19
y Iſai. 5. 4

II. Pars

Sed quare Filius Dei tantum inſumit laborem, & ſic immodicam exhaurit fatigationem? Ha! Auditores, poſtquàm primus Adam vetito *de fructu comedit, & emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis*, eò quòd tranſgreſſus eſſet mandatum ipſius, cujus excuſſit jugum, ut non ampliùs dependeret niſi à ſe metipſo, oportuit (& hæc eſt juſta pœnitentia crimini ipſius impoſita) ut in *ſudore vultus* ſui veſceretur *pane* z ſuo. Ita ſecundus Adam egreſſus è paradiſo cœleſti, præ exceſſu amoris, ut lucraretur panem ſuum; qui alius non eſt niſi animarum ſalus, ut ipſe proteſtatur hodie, *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me*: multùm ſudare debet, & laborare. Quid igitur mirum eſt ſi iſtis cietur affectibus? Amans effectus eſt Samaritanæ, & cum ea Matrimonium vult inire ſpirituale. Sed ſi, ſecundùm Philoſophos ad hoc, ut ametur aliquid, oportet ut pulchritudo & bonitas, quæ ſunt cauſa propter quam in eo nobis debemus complacere, in illo inveniantur, *Pulchrum & bonum ſunt objectum voluntatis*: & juxta Ariſtotelem a, *Pulchrè Veteres id eſſe bonum pronunciarunt, quod omnia appetunt*: Et, *Pulchrum & bonum convertuntur*, ut docent iidem Philoſophi, & meliùs patet ex eo, quod ait ſanctus Antiochus b, loquens de Deo, *Superbonum, pulchrum, auguſtiſſima Divinitas*: quid pulchri, & quid boni in hac Samaritana, in iſta infami, quæ habuit *quinque viros; & nunc quem* habet, *non eſt vir* ipſius, ut inducat Dei Filium ad capeſſendum tantum laborem? Ipſa eſt cauſa propter quam *Ieſus fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Quia *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Nimis ſe deprimit Dei Filius, ut deſponſare ſibi velit proſtitutam. Ha! exclamemus ad Deum cum Pſalmiſta c, *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi!* Quàm mirabilis eſt *Sapientia* d Dei! Non agit Deus ſicut nos, cùm ab aliqua revertimur itineratione, in ciſtis noſtris collocamus res pretioſas, quas attulimus, & deſerimus viles & contemptibiles, quas nihili æſtimamus: Deus è contrà accipit abyſſos, id eſt, peccatores, & peccatrices, *Ponens in theſauris abyſſos* e. *Id eſt, peccatores faciens lapides pretioſos per pœnitentiam. Potens eſt Dominus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ* f. *Ferrum de terrâ tollitur: & lapis calore ſolutus in æs vertitur* g, exponit Hugo Cardinalis h. Sumimus nos id quod pretioſiſſimum eſt & optimum in navi, & deſerimus mare; Deus verò è contrà ſumit res viles & abjectas, id eſt, peccatores & peccatrices, quibuſcum vult Matrimonium inire ſpirituale in perſonâ Samaritanæ.

a Ariſt. l. 1. Ethic. c. 1
b S. Antioch. homil. 1. de Fide.
c Pſ. 137. 4
d Sap. 7. 24
e Pſ. 32. 7
f Ex Matt. 3. 9
g Ex Job. 28. 2
h Hugo Card. in Pſ. 32. 7.

Triplex datur Matrimonii genus, corporale, ſpirituale, & divinum. Matrimonium corporale conſiſtit in unione duorum corporum in eâdem carne, *Erunt duo in carne unâ* i. Spirituale ſitum eſt in unione ſpirituum, cùm certum ſit ſanctiorem eſſe hanc unionem k, quàm corporum. Divinum verò, Dei cum anima per gratiam & unionem fidei, *Sponſabo te mihi in fide* l. Triplex admittitur unio in Chriſto à Theologis, unio hypoſtatica m, unio animæ cum corpore n, & unio capitis cum membris ſuis o. Unio hypoſtatica nullam unquam pertulit, nec ullã ſuſtinebit unquã ſeparationem, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, unio corporis & animæ fuit morte diſſoluta p. Sed unio capitis cum membris ſuis, majori fuit conſtricta vinculo per mortẽ ipſius, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ, ut illam ſanctificaret* q. Illius non poteſt ſuſtinere diviſionem, quæ per ſolũ fit peccatum r. Ideò ſudat, laborat, nec ullam capeſſit requiem ad operandã juſtificationẽ peccatoris in perſonâ Samaritanæ, poſt quam currit, & cum qua divinum vult inire Matrimonium. *Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Ecce divinus iſte Oſee expectat præ ſuavi inquietudine juxta puteum prædam ſuam, ſiti æquè ac calore æſtuans; *Hora erat quaſi ſexta. Venit mulier de Samariâ haurire aquam.* Et ecce confeſtim iſte *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* ſ ſuos effundit radios; & ſuas immittere vult influentias ſuper terram incultam hujus peccatricis. En igitur Samaritana accedit ad Deum ſuum, adit Meſſiam, qui ipſam ſacrâ expectat impatientiâ ad cumulandam ipſam gratiis ſuis. Quânam perfunditur felicitate Samaritana, videre eum, qui paradiſum conſtituit præſentiâ ſuâ, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* t! Ecce Samaritana intuitus ſuos

i Gen. 2. 24. & Matt. 19. 5. & Marc. 10. 8 & Ephes. 5. 31
k Matth. 1. 16
l Oſee 2. 20
m Joan. 1. 14
n Ibid.
o Epheſ. 1. 22. & 23
p Joan. 19. 30
q Epheſ. 5. 25. & 26
r Iſai. 59. 2
ſ Eccleſia ex Malach. 4. 2
t 1. Petr. 1. 12

Digitized by Google

ſuos projicit ſtupote attonita ſuper hanc faciem divinam Salvatoris, qui immittebat in cor ipſius flammas amoris, quæ ipſam inducebant jam ad conſentiendum inſpirationibus ipſius, nedum poſſet ipſa ferè ampliùs reſiſtere ſuavibus ipſius lenociniis : Jeſus Chriſtus enim, Virgo Deipata, & Moyſes præ vultibus ſuis quaſdam ferebant notas majeſtatem redolentes, & omnium reverentias ipſis concilianres. Ecce igitur embo, Divinus hic Oſee & Samaritana. Uter ipſorum inceprurus eſt ? Videtur Salvator debere incipere ſolicitate hanc mulierem infamem ad ineundum ſecum Mattimonium, ut illa ſuum præbeat ipſi conſenſum; perhibere illi teſtimonium ſui amoris etga eam, & manifeſtate illi conſilia ſua, cùm ad ipſum ſpectet prævenite animam peccatricem *in benedictionibus dulcedinis* u gratiarum ſuarum. *Tardiùs ſiquidem ei videtur peccatori veniam dare, quàm ipſi peccatori accipere. Sic enim feſtinat abſolvere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plùs eum cruciet paſſio miſeri, quàm ipſum miſerum compaſſio ſui*, ait ſanctus Auguſtinus x. Salvator incipit, *Dicit ei Ieſus, Da mihi bibere.* Hs ! Auditores, excuſatum me Salvator habebit, ſi ipſi placet, atti amotis exercendi eſt inidoneus; incipit petendo, proculdubio nihil proficint, & infallibiliter ab eâ deſpicietur : adeundus eſt iſte ſexus cum donis & muneribus. Petit ergo Chriſtus à Samaritanâ : ſed quid ? Calicem aquæ. At eſtne Salvator in tantam redactus neceſſitatem ut efflagitet aquam, quæ ubertim ſolet effundi? Exiſtimabit illa eum eſſe mendicum, qui indiget vel uno aquæ calice. Si vult Salvator ut ſuæ ibi ritè ſuccedant proſecutiones, videtur debere præcipere Angelis ſuis, quorum *millia millium* y miniſtrant ipſi, ut ipſum comitentur, ut cognoſcat hæc mulier, quòd ipſe eſt *Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati* z ipſius. Et tunc illa ſuum præbebit conſenſum, tot ineſcata lenociniis, quæ ſunt fortiſſima vincula quæ corda alligant ab ipſo momento, quo oculi liberum aperuerunt iis introitum, & hoc matrimonium divinum peragetur.

u Pſ. 20. 4

x S. Aug. l. de Spirit. & Anim. c. 6

y Dan. 7. 10

z Eſth. 13. 11

Sed quis conciliare ſibi poteſt notitiam adinventionum, quibus Deus utitur ad lucrandas animas ? *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Notas facite in populis adinventiones ejus* a. Aliis ipſe offert, & ab aliis ipſe efflagitat. Signum manifeſtum, quòd ſponſalia Dei fient cum animâ, hoc eſt, ſi illa libenter det, *Igitur puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam : & illa reſponderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum : ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac* b, dicebat Eliezer. Iſaac fuit figura Jeſu Chriſti: ecce realitas : idem dico, Manifeſtiſſima nota ſponſalium ineundorum inter Deum & animam, eſt dare, id eſt, oportet ut ſuum det anima conſenſum, *O mulier, ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* Sufficit ut concutramus cum gratiâ, quæ nos vocat ad ſanctificationem, & tunc Matrimonium inibit Deus nobiſcum : ſuam nobis offert gratiam, ſolumque noſtrum efflagitat concurſum ut fiat hæc unio ſacra, & iſtud matrimonium ſpirituale, & divinum.

a Iſai. 12. 3, & 4

b Gen. 24. 14

Dicamus hinc, Auditores, reſpondete gratiæ quæ nos vocat, Deus ſtat præ foribus cordis noſtri, ubi pulſat, invitat nos; ſi noſtrum velimus ipſi præbere conſenſum, pollicetur ſe nuptias celebraturum nobiſcum, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* c. Ne recuſemus hunc honorem, hoc totum pendet à nobis decus, ſufficit ut velimus, hæc eſt tota gloria, quam nobis conciliare poſſumus, tota Trinitas veniet congratulatum nobis, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* d. Solum à nobis exigit conſenſum noſtrum ad peragendum iſtud matrimonium, præ ſe bonam illius ineundi ferens voluntatem, *Sponſabo te mihi in ſempiternum* e. Noſtrum expectat ultimum conſilium, ſolicitat nos ut ipſi pandamus aditum ad affectus noſtros; Ha! ne ſimus pertinaces, noſtras æquanimiter ſuſtinere non poteſt reſiſtentias, quæ diſplicent ipſi qui ſuo vult honorare nos connubio, *Spiritum nolite extinguere*, conſulit nobis ſanctus Paulus f. Ecce *vox Dilecti pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea : quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium* g. *Eſt caput Chriſti, Deus* h. *Spiritualiter, capilli ſunt cogitationes, affectionesque animæ* i Chriſti : ros innuit gratias & favores ipſius : caveamus ne dicamus more Sponſæ inurbanæ Canticorum u, *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* ? Sed quid accidit ? *Ille declinaverat, atque abierat.* Ha! Auditores, Deus pulſat fores cordis noſtri ſuis inſpirationibus, ſolicitat nos ut ipſi apetiamus, ſi nolimus ei aperire, relinquet *Iudæam, & in Galilæam* abibit, & experiemur eum in nos ſic minas intentantem, *Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* l. Ineamus igitur inſtar Samaritanæ, Matrimonium cum Deo in hoc mundo per gratiam, & in altero ſeculo per gloriam.

c Apoc. 3. 20

d Joan. 14. 23

e Oſee 2. 19

f 1. Theſſal. 5. 12

g Cant. 5. 2

h 1. Cor. 11. 3

i Dion. Carthuſ. art. 44. in Luc. 21. 18

k Cant. 5. 3. &c.

l Matth. 21. 43

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. V. MARIÆ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Luc. 1. 28. &c.

OBſeſſâ Samariâ à Rege Syriæ, & deſperante ſe ab illâ obſidione poſſe unquam liberari, Samaritani *quatuor viri leproſi cùm veniſſent ad principium caſtrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt: ſiquidem Dominus ſonitum audire fecerat in caſtris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi. Surrexerunt ergo, & fugerunt, & dereliquerunt tentoria ſua. Igitur leproſi illi dixerunt ad invicem: Hæc dies boni nuntii eſt. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare, ſceleris arguemur* a. Dies hodierna Annuntiationis beatiſſimæ Virginis Mariæ, *dies boni nuntii eſt.* Iſtius diei felicitas in hoc eſt ſita, quòd Deus venit in caſtra, & deſcendit in terram ad præbendum nobis auxilium. *Dies* fortunata quoad Mariam: dicitur enim illi, *Ecce concipies in utero, & paries filium* b. Sed *dies* boni auguris quantùm ad nos : nam Maria *ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis* c. Myſte-

a 4. Reg. 7. 3. &c

b Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14

c Apoc. 21. 3

rium hujus *boni nuntii* ſitum eſt in ho. verbo, *Ave*, quod eſt verbum vitæ, oppoſitum huic verbo *Vale*, quod eſt verbum mortis, ut refert hiſtoria de Fulvio: cùm enim depoſitum ſecretum maximi momenti ſuſcepiſſet a Cæſare, qui honorabat ipſum affectibus ſuis, & ipſe præ imprudentiâ illud revelaſſet uxori ſuæ, & hæc detexiſſet id Imperatrici, & iſta retuliſſet hoc Sponſo ſuo, tantâ efferbuit irâ Imperator, ut veniens ſequenti die Fulvius more ſolito exhibitum reverentiam majeſtati illius, audiverit præ ſtupore eundem Cæſarem dicentem ſibi, *Vale Fulvi*. Quod cùm audiviſſet Fulvius, de ſe actum fuiſſe ratus eſt. *Vale* infortunatum quod dicebatur illis, qui ad ultimum erant damnati ſupplicium. Uſque nunc nihil fuerat in mundo niſi vale, ſed vale mortis, iræ & vindictæ: ſed hodiernâ die Archangelus nobis affert *Ave* proficuum vitæ & gratiæ, cùm Mariæ *dixit, Ave Maria*.

Præcepit aliàs Deus Moyſi erigendum ſibi tabernaculum, in quo poſſet ipſe in medio ſui habitare populi, *Facient mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum, juxta omnem ſimilitudinem*

d Exod. 25 8.&9

tabernaculi quod oſtendam tibi d. Natura humana non habens unde poſſet altiùs elevari quàm per unionem cum naturâ divinâ in eodem ſuppoſito, eligit hodiernâ die uterum ſacratiſſimæ Virginis ut divinum tabernaculum, erga quod unusquisque reverentiâ debet affici, & in eo proficue invenire vitam, quæ in illo ſuum mox eſt collocatura domicilium, ut nobis ſalutem afferat. Si autem tempore Patriarcharum *Iacob vidit*

e Gen. 28. 10.&c

in ſomnis Dominum innixum ſcalæ e: inde proculdubio voluit Deus nobis innuere, ſe deſcenſurum aliquando in ſcalam ſinus Virginis ſanctiſſimæ, ut illic ſeſe noſtrâ indueret carne, ſicut ipſemet hoc confirmat, *Exivi à Patre, & veni in mun-*

[illegible]an.

dum f. Et, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo* g. Nolite igitur

g Joan. 3. 13

ampliùs dicere Chaldæi, quòd Deus non deſcenderit ad nos per iſtam ſcalam, cùm dixeritis aliàs, *Excepto diis, quorum non eſt cum hominibus con-*

h Dan. 2. 11

verſatio h. Tu verò Salomon ne quæſo dicas deinceps, *Ergone putandum eſt, quòd verè Deus habitet*

i 3. Reg. 8. 27

ſuper terram i? Cùm dixerit Baruch k de eo, *Hic*

k Baruch. 3. 36. &c

Deus noſter adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Et cùm id quod dicebat Moyſes tempore ſuo, de tabernaculo, cujus interventu cum ſuo Deus familiariter converſabatur populo, *Non eſt alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus*

l Deut. 4. 7

noſtris l: Hoc idem verè poſſit dici hodie de Virgine ſanctiſſimâ, *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod*

m Matth. 1. 23. ex Iſa. 7. 14

eſt interpretatum, Nobiſcum Deus m. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre) plenum gratiæ*

n Jo. 1. 14

& veritatis n. Et ſicut iſte Filius Dei, æquè ac Mariæ, eſt origo fontalis totius gratiæ, *Quia gra-*

o Joa. 1, 17

tia per Ieſum Chriſtum facta eſt o: ita etiam communicat illam beatiſſimæ Virgini Matri ſuæ, replens eam abundantia gratiarum, *Ave gratiâ plenâ, Dominus tecum*. Quod inducit me ad oſten-

Propoſitio

dendum vobis, Mariam eſſe originem gratiarum. Attendite ſi placet, dum incipio.

Deus unicum tantùm habet Filium quem ideo unicè diligit, cùm in omnibus ipſi ſit æqualis, ut ipſemet Filius ait, *Ego & Pater unum ſu-*

p Joan. 10.

mus p. *hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti* q. Sed non vult ut iſte Filius ſit ita ſuus, ut

q Dion. Carth. art. 27. in Joan. 10. 30

non ſit etiam Mariæ; nec vult ut ſint duo Filii, unus ipſius Dei, & alter Mariæ; ſed ut idem qui eſt Filius Dei in unâ perſonâ, ſit etiã Filius Genitricis ſuæ in eâdẽ perſonâ. Pater æternus ait de ſe, ipſo puncto indiviſibili æternitatis ſuæ beatæ, loquens Filio ſuo, quem generat fœcunditate divinæ mentis ſuæ, intuitu adorandarum perfectionum ſuarum, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* r. Quaſi diceret ei, Cùm

r Pſ. 109. 3

in principio cælum, & terram ſ, & cæteras creaturas è nihilo produxerim in tempore; te ipſum

ſ Gen. 1. 1. &c

genui ex propriâ meâ ſubſtantiâ in æternitate. Et cùm dicat ei ex tunc æternitatis, *Filius meus es tu: ego hodie genui te* t: Virgo beatiſſima poteſt e-

t Pſ. 2. 7

tiam illi dicere, *ubi venit plenitudo temporis* u, *Fi-*

u Galat. 4. 4

li x. Et ſi Filius Dei eſt origo fontalis gratiæ; Maria, quæ eum ſuſcipit hodie, debet etiam eſſe

x Luc. 2. 48

origo gratiæ, cùm videamus hodie in illâ completum miraculum, cujus meminit Scriptura y,

y Eſth. 10. 6

Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit. Iſte *parvus fons* eſt ſanctiſſima Virgo Maria: ſuas quippe trahit aquas è magnâ origine fontali, quæ eſt Jeſus Chriſtus Filius ſuus, abundantiam ſuarum effudit aquarum ſuper totam terram, & ſuas communicans gratias, cùm eſſet *parvus fons, crevit in fluvium*. Quomodo? *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Ecce *fons parvus*. Deinde, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* z.

z Luc. 1. 48

Ecce, *qui crevit in fluvium*. Si autem videre velitis convenientiam iſtius fontis B. Virginis cum tabernaculo Moyſis, aut cum templo Salomonis, obſervandum eſt, in tabernaculo fuiſſe *labrum æneum cum baſi ſuâ ad lavandum* a, ſeu *mare*

a Exod. 30. 18

æneum b in templo Salomonis, in quo lavaban-

b 1. Paral. 18. 8

tur hoſtiæ in ſacrificium præſentandæ: cùm Virgo ſacratiſſima eſſet piſcina repræſentata per hoc *labrum æneum* tabernaculi Moſaici, aut per iſtud *mare æneum* templi Salomonici, oportebat ut hæc divina Hoſtia, quæ ſacrificanda erat *pro*

c Epheſ. 5. 2

nobis Deo in odorem ſuavitatis c; priùs lavaretur in piſcinâ ſacrorum viſcerum ipſius, quia quatenus Deus, quia *Spiritus eſt Deus* d, *id eſt ſpiritualis, incor-*

d Joan. 4. 24

poralis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens

e Dion. Carth. art. 11. in Joan. 4. 24

ſeparata e; non poterat lavari. Sed dicamus, quòd iſte *parvus fons in Lucem, Solemque converſus eſt*. Id eſt, in Chriſtum, qui eſt *Sol juſtitiæ* f. Quia illum

f Malach. 4. 2

concepit, & peperit, ut concinit ei Eccleſia, *Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*. Deinde, *Et in aquas plurimas redundavit*. Cùm enim hauſiſſet de origine fontali aquas gratiarum, illas ipſa effudit ut alia origo ab illâ derivata ſuper omnes homines.

Amplè declarat nobis S. Joannes g œconomiam hujus originis, aut iſtius fontis, ſive hujus

g Apoc. 12. 1

Solis, cùm ait, *Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus & in capite ejus corona Stellarum duodecim*. Super quod ait Cornelius h loquens de Beata Virgine, *Ipſa eſt*

h Corne. in Apoc. 12. 1. citans S. Bonav. in Spec. B. Virg. c. 8. & S. Bern. ſer. de verb. Apoc.

ſignum magnum: quia, ut ait S. Bonaventura, Ipſa eſt quâ majorem Deus facere non poſſet: majorem mundum facere poſſet Deus: majus cælum facere poſſet Deus: majorem matrem, quàm Matrem Dei non poſſet facere Deus. Et paulò poſt dicit, *S. Bernardus per Solem accipit Chriſtum, hæc applicans B. Virgini, In te, inquit, manet Sol Chriſtus, & tu in eo & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ majeſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris*. Obſervant Naturales, quòd heliotropium talis eſt naturæ ut Solem ſemper ſequatur,

Digitized by Google

tur, circumquaque vertatur, & quòd hoc intuitu continuo Sol ei perfectè ſuam imprimat imaginem, & illud ſibi ſimile reddat: ſi autem hic planeta materialis poteſt imprimere virtutem ſuam tali flori, eò quòd ipſum continuè intueatur, quid non aget *Sol juſtitiæ* i [i Malach. 4. 2.] præ ſe ferens virtutem, quæ *non habet finem* k [k Baruch 3. 25], erga B. Virginem, quæ aperiens ipſi hodie ſinum ſuum, invenitur tota *amicta Sole* ex aſpectu ipſius continuo? Cur iſte *Sol* Divinitatis non meliùs formabit imaginem gratiæ in anima Genitricis ſuæ, quàm Sol materialis ſuam imprimere poſſit imaginem heliotropio? Et quare B. Virgo illuſtrata Divinis claritatibus gratiarum Filii ſui, non effundet eas ubertim ut ſpecioſa origo ſuper animas noſtras? *Cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron & filij Iſraël cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere* l [l Exod. 34. 29. & 30]. Ad quod alludit S. Paulus m [m 2. Cor. 3. 18], dicens, *Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Sed quis eſt iſte flos qui intuetur continuè Solem, niſi beatiſſima Virgo Maria? *Ego flos campi* n [n Cant. 2. 1]. Super quod de Ponte o [o De Ponte l. 4. in Cant. 2. 1. exhort. 22] ait, *Etſi communior & veroſimilior Patrum ſententia, verba iſta: Ego flos campi, attribuat Sponſo, ea de ſeipſo proferenti: tamen S. Ambroſius, S. Gregorius Nicænus, ac alij Doctores, ea Sponſæ de ſeipſa loquenti accommodant.* Et ſic illa applicare poſſumus & nos beatiſſimæ Virgini Mariæ, quæ non ſolùm eſt Sponſa Chriſti, ſed etiam ipſius Genitrix. Ipſa eſt verum heliotropium, ut ipſamet fatetur, *Dilectus meus mihi, & ego illi* p [p Cant. 2. 16.]. Et, *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus* q [q Cant. 7. 10.]. Et, *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem* r [r Cant. 2. 4.]. Ubi in Hebræo legitur, *Vexillum ejus ſuper me.* In quo fit alluſio civitati devictæ, ſuper qua victor ſuum explicat vexillum. Virgo ſanctiſſima victa fuit amore, *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum, ut nuncietis ei quia amore langueo* ſ [ſ Cant. 5. 8]. Et in Hebræo dicitur, *Quia ægra amore ego.* Et LXX. legunt, *Vulnerata charitatis ego ſum.* Sic ipſa eſt victrix amore, *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa* t [t Cant. 4. 9]. Quale prodigium eſt iſtud? *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole.* Fœmina diſſipaverat omne genus humanum u [u Gen. 3. 6]; nunc autem *mulier* eſt in cœlo. Fœmina pro ſymbolo inconſtantiæ defert Lunam ſub capite; & modò *mulier* illam habet infra pedes ſuos. Fœmina fuerat cauſa tenebrarum peccati; nunc verò *mulier amicta Sole* tota eſt, imò verò Solem ipſum in ſuis includit viſceribus. Fœmina ſeſe privaverat ſocietate Angelorum, & nunc eſt *in capite* mulieris *corona ſtellarum duodecim.* Duodecim ſigna zodiaci ſunt duodecim domus Solis. Scriptura ſacra aſſerit, quòd *planſtrum venit in agrum Joſue Bethſamitæ, & ſtetit ibi* x [x 1. Reg. 6. 14.]. Ideſt, quòd Arca Dei requievit Bethſames, quæ interpretatur, domus Solis. *Signum magnum* eſt Filius Dei requieſcens hodiernâ die in Virgine ſacratiſſima, quæ eſt iſta domus Solis, aut potiùs veluti totus mundus, cujus terra eſt ſoliditas humilitatis ejus, mare latitudo charitatis illius, cœlum altitudo contemplationis ipſius, Sol ſplendor intelligentiæ ejus, Luna claritas puritatis ejus, arcturus ſeptem gratiæ, aut ſeptem dona Spiritus ſancti y [y Iſai. 11. 2 & 3.], & ſtellæ ornamenta aliarum omnium virtutum. Sed quare dicimus mundum? dicamus potiùs cœlum, cùm ipſa illud in ſinu ſuo deferat, ut concinit ei Eccleſia z [z Eccleſia ex 3. Reg. 8. 27.], *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.*

Non ſolùm autem Virgo beatiſſima eſt domus Solis, ſed etiam fons Solis: ideò in hoc admirabilis fuit Divina *Sapientia* a [a Sap. 7. 24], quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* b [b Sap. 8. 1.]; quæ decrevit, quòd diſtribuente Joſue terram promiſſionis duodecim tribubus Iſraël, *Sors filiorum Juda per cognationes ſuas iſta* fuerit, nimirum, quòd extenſa fuerit uſque *ad aquas, quæ vocantur Fons Solis* c [c Joſue 15. 1. &c.]. Quòd ſi Maria ob excellentem dignitatem gratiarum ſuarum, quarum ipſa eſt origo in magnum commodum noſtrum eſt cœlum; ipſa eſt etiam terra, & terra ſolidiſſima humilitatis, *Benedixiſti Domine terram tuam* f [f Pſ. 84. 2.]. Super quod ait Lorinus g [g Lorin. in Pſ. 84. 2.], *Sine dubio benedicta terra debet dici Maria, quam ſalutavit Angelus benedictam, & per quam conſecuti ſumus largiſſimam benedictionem benedicti fructus ventris ejus* h [h ex Luc. 1. 42.]. Et, quod majus eſt, ipſa eſt veluti centrum terræ, unde ipſa ſuas fluere facit gratias ſuper omnes lineas circumferentiæ ſuæ, ut origo fœcunda, *Deus noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ* i [i Pſ. 73. 12]. Lorinus k [k Lorin. in Pſ. 73. 12.] dicit, *Medium terræ, ubi facta eſt ſalus, eſſe myſticè Virginis uterum.* Prodigium ſanè fuit illud admirabile, quòd ſtatim ac *Joſue dixit, Sol contra Gabaon ne movearis; ſtetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei* l [l Joſue 10. 12. & 13.]. Sed *ſignum magnum* magis, quòd *Sol juſtitiæ* ſiſtat in hoc cœlo Virginis, non aliquot horis, aut die una, ſed novem menſibus, ut reddat eam originem fœcundam gratiarum illuſtrans illam jugiter Divinis luminibus ſuis, illuminans intellectum ejus, accendens voluntatem ipſius Divinis ſuis ardoribus, & efficiens ut evadat ipſa prodigium mirabile omnium chariſmatum, ut illa ſuper nos effundat. Prodigioſum ſanè fuit illud, quando *in horologio Achaz, retrorſum reverſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat* m [m Iſai. 38. 8 ex 4. Reg. 20. 11]. Sed in horologio myſtico Virginis ſacratiſſimæ, Verbum Divinum tranſivit ad decimam uſque lineam naturæ humanæ, & dereliquit novem ordines Angelorum: *Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit* n [n Hebr. 2. 16.]. Mirabile quòd in paſſione Domini, materialis *obſcuratus eſt Sol* o [o Luc. 23. 45.]. Ideſt, per interpoſitionem Lunæ, ut docet S. Dionyſius p [p S. Dion. epiſt. 7. ad Polycarp. ad convicia Apollophe], de Apollophane Polycarpum alloquens, *Dic autem ei: Quid dicis de defectu facto in cruce Salvatoris? Ambo enim apud Heliopolim tunc præſentes & coadſtantes, inopinabiliter Soli Lunam incidentem videbamus: non enim erat conventûs tempus. Et rurſus ipſam à nona hora uſque ad veſperam* q [q ex Matt. 27. 45.] *ad Solis diametrum ſupernaturaliter reſtitutam. Rememora autem, quòd eclypſim ipſam ex Oriente vidimus inchoatam, & uſque ad ſolarem terminum venientem, poſteà regredientem, & rurſus non ex eodem & defectum & repurgationem, ſed è contrario ſecundùm diametrum factam. Talia ſunt ejus temporis ſupernaturalia, & ſoli Chriſto (qui eſt omnium cauſa) poſſibilia, qui facit magna & mirabilia, quorum non eſt numerus* r [r ex Job 5. 9.]. Sed in hoc cœlo Virginali *Sol juſtitiæ* ſ [ſ Malach. 4. 2.] eclypſi ſuffuſus eſt interventu noſtræ naturæ mortalis. Sol ſiſtit triginta diebus, aut circiter in ſingulis ſignis: Jeſus Chriſtus autem permanſit ducentos & ſeptuaginta dies circùm circà in ſigno ſanctiſſimæ Virginis, quæ eſt vera domus Solis. Quis autem audeat dicere, quòd conſequenter ipſa non ſit origo gratiarum? tantum abeſt ut ullâ unquam fuerit ipſa peccati vel minimi labe inquinata.

Digitized by Google

t Pſ. 77. 69

Huic veritati teſtimoniũ perhibet Pſalmiſta t, dicens, *Ædificavit ſicut unicornis ſanctificium ſuum in terra.* Ut intelligatur iſtud, obſervandum eſt id, quod dicunt Naturales, nimirum, quòd cornu hujus animalis eſt ſaluberrimum contra venenum ſerpentium, quia *Dipſas, ſerpentis genus viperæ ſimile, à δίψα ſitis dictum, ſuo enim morſu humorem omnem conſumens, ſitim maximam*

u Calep. in Dictionar. v. Dipſas.

inducit u, cùm inſtar ignis conſumentis ſuo ſoler inficere veneno aquas fontium, quas alia animalia, & homines hauſturi eunt: ſed unicornis antequàm bibat, cornu ſuum aquis immergit, & illas à veneno purgat: *Unicornu* cœleſtis, unicus Filius Patris æterni,

x Pſ. 109. 7.

de torrente in via x *bibit*, id eſt, de aqua mortalitatis noſtræ, quia omnes morimur, *& quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur* y. Sed illam potavit aquam in utero Virginis ſanctiſſimæ, de qua dicitur, *Fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus* z.

y 2. Reg. 14. 14.
z Cant. 4. 12. & 13

Sed priùs cornu Divinitatis ſuæ ejecit à Virgine omnem infectionem & omne venenum ſerpentis infernalis, non quòd ipſa realiter iſtam contraxerit infectionem: ſed quia ex debito, prout ipſa erat pars noſtræ naturæ humanæ, & filia Adæ, *in quo omnes peccaverunt* a; debebat ipſa contrahere hoc venenum, niſi ab eo fuiſſet præſervata gratiâ ſpeciali.

a Rom. 5. 12.

Si enim legibus cavetur, quòd cùm Imperatrix ſit ſubdita legibus à viro ſuo pronunciatis, à quarum obſervantia tamen eſt immunis Imperator, eò quòd illas condiderit: hæc Imperatrix frui poterit privilegiis, quibus ipſi gratificari voluerit ſponſus ſuus ſuper obſervantiam earundem legum: quis ambigere poſſet, quòd *Dominus omnium* b, qui immunis eſt ab omni lege (ex natura enim ſua expers eſt omnis peccati, ut ait ille Pſalmiſta, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* c) non conceſſerit eandem gratiam Genitrici ſuæ, quæ eſt *tota pulchra, & macula non eſt in* † ea, quam Imperator ſuæ concedere poteſt ſponſæ? Alii legunt, *Ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra.*

b Eſth. 13. 11.
c Pſ. 5. 5.
† Cant. 4. 7.

Si autem alium ſenſum myſticum requiritis, qui oſtendat Mariam eſſe originem gratiarum, audite Incognitum d. *Myſticè per unicornium intellige Gentiles ſuperbos, per partum Virginis ad fidem Chriſti converſos. Natura enim unicornu, ut ait Gregorius, eſt quòd iſto modo capitur. Nam puella virgo proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille, omni ferocitate depoſitâ, caput deponit, ſicque ab eis, à quibus capi quæritur, repentè velut enervis invenitur, & capitur. Sic & de populo Gentili, qui cornu geſtavit in fronte, ſcilicet ſuperbiæ, deſpiciens Deum, ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus captus fuit, dum propoſuerunt ſibi virginem puellam, ſcilicet, Virginem Mariam, quæ ei ſinum ſuæ gratiæ aperuit, & ſtatim omni ferocitate dimiſſâ, per fidem Chriſti captus fuit.*

d Incogn. in Pſ. 77. 69.

Quòd ſi Virgo ſanctiſſima eſt iſtud horologium myſticum, in quo Divinitatis *retrorſum reverſus eſt Sol decem lineis* e: quomodo non fuerit ipſa ſemper Solem intuita? Alia ſunt horologia quæ intuentur Orientem, alia Meridiem, & alia Occidentem. Id eſt, Alii ſanctificati fuerunt in ventre matrum ſuarum, ut Jeremias, ſicut ait illi Deus, *Priuſquàm te formarem in utero, novi te: & antequàm exires de vulva, ſanctificavi te* f. Et S. Joannes Baptiſta, *Et factum eſt: ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus* g. Alii circa Meridiem, ut *mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* De qua *Ieſus dixit, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* h. Alii veſpere, ut bonus latro in cruce, qui dicebat ad Ieſum, *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum* i.

e Iſai. 38. 8 ex 4. Reg. 20. 11.
f Jer. 1. 5.
g Luc. 1. 41
h Luc. 7. 37. &c.
i Luc. 23. 42.

Quibus omnibus temporibus Sol ſuit aliquandiu antequam eos intueretur: ſed Virgo Maria fuit horologium ſacrum, quod ſemper eſt intuitus Divinus iſte *Sol* ab Oriente uſque ad Occidentem, & ſic ne vel ullo momento fuit ipſa privata aſpectu ejus, neque conſequenter unquam peccati tenebris obvoluta, ſed econtrà ſemper gratiis repleta. Quòd ſi etiam ipſa fuit ſemper *amicta Sole* k: inferendum eſt, in ea nullam fuiſſe umbram peccati, ſed vice verſâ illam fuiſſe fœcundam gratiarum originem. Cùm Sol intuetur nos ex una parte, projicimus umbram in alteram partem; & cùm aſpicit nos ex uno latere, umbram convertimus in alterum latus: ſed cùm circumquaque Sole cincti ſumus, tunc nulla eſt in nobis umbra: idem dicendum eſt de beatiſſima Virgine gratiarum origine, *Mulier amicta Sole.*

k Apoc. 12. 1.

Hoc ſignificatum nobis fuit ab initio mundi, cùm *ait Dominus Deus ad ſerpentem, Ipſa conteret caput tuum* l. Secundùm aliquos, caput iſtud ſerpentis eſt caput diaboli apparentis ſub forma ſerpentis: atqui caput ſerpentis eſt peccatum originale, quia fuit origo omnis peccati: Maria igitur contrivit *caput ſerpentis* m. Quia libera fuit ab omni peccato, cùm ſit origo gratiarum. Alii per hoc caput ſerpentis intelligunt totam virtutem ſeu potentiam diaboli, quia tota fortitudo ſerpentis ſita eſt in capite ipſius: quòd ſi conteratur ſerpens in aliis corporis ſui partibus, & caput remaneat ſanum, illuc totam ſuam colligit fortitudinem: ſic Maria contrivit *caput ſerpentis*, id eſt, totam fortitudinem diaboli, ita ut hic nullâ viguerit adversùs ipſam. Sanè conterimus aliquam corporis partem huic ſerpenti in Baptiſmo per juſtificationem renati *ex aqua & Spiritu ſancto* n. Sed non confringimus illi caput, quod ad ſolam pertinet Virginem ſanctiſſimam: ſerpens iſte ſemper aliquam præ ſe fert potentiam adversùm nos, in quibus aliquæ ſunt funeſtæ peccatorum reliquiæ, ut dicebat S. Paulus o de ſe, *Ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem legi peccati.* Quod non eſt in Maria, in quam peccatum nunquam ingreſſum eſt, cùm ſemper fuerit ipſa gratiarum origo. Propterea mirum eſt quòd poſtquàm *Deus Adæ dixit, In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem revertêris, vocavit Adam nomen uxoris ſuæ, Eva: eò quòd mater eſſet cunctorum viventium* p. Sed quomodo vivorum poterat illa eſſe genitrix omnium, quæ erat jam mortua? Ha! Adam ſpiritu prophetico loquebatur de Maria ſecunda Eva, quæ debebat eſſe Genitrix JESU Chriſti, qui eſt vera *vita* q, & eſſe origo gratiarum, & eas communicare fidelibus.

l Gen. 3. 14. &c.
m Eccleſia
n Joan. 3. 5
o Rom. 7. 25.
p Gen. 3. 14. &c.
q Jo. 14. 6

Non immeritò Virgo ſacratiſſima ait de ſe, *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis* r. Obſervant Naturales, quòd flos vineæ pellit ſerpentes, ita ut ad ipſam non audeant accedere: ſic ſerpens infernalis nunquam auſus eſt accedere ad florem odoriferum B. Virginis, quæ fuit ſemper origo gratiæ. Dicunt præterea, quòd vinum quod offerebatur aliàs idolis, debuerat extrahi è vinea quæ nunquam tonitruo fuiſſet impetita, & prope quam nemo fuiſſet unquam ſuſpenſus; & cujus palmites nunquam percuſſi fuiſſent aliquo pede vulnerato: B. Virgo eſt hæc vinea, *Ego quaſi vitis*, Racemus ejus eſt Jeſus Chriſtus,

r Eccl. 24. 23.

Botrus

Botrus Cypri Dilectus meus mihi ſ. Id eſt, vinum, quod poſt ſacrificium crucis t offertur diebus ſingulis vero Deo u: quomodo igitur hæc vinea, è qua vinum iſtud eductum eſt, percuſſa fuiſſet tonitruo, id eſt peccato, quod inſtar tonitrui occidit animam x, & partem ſolidiſſimam interioris, relinquens exterius integrum, & absque ullo vulneris ſigno? Quomodo autem aliquis prope eam ſuſpenſus fuerit? Hoc fieri non potuit. Inſuper, Addunt quòd non licebat offerre Deo vineam, quæ benè non fuiſſet putata & purgata: ſed quàm munda erat hæc vinea myſtica, cùm eſſet origo gratiarum. Deinceps, Affirmant quòd ſit quædam ſpecies vineæ, nomine Sterpita, quæ recenſetur ſemper intueri Solem, & ad illum converti: talis fuit B. Virgo, quæ habuit in ſe id, quod Deus dederat Adæ in ſtatu innocentiæ, nimirum, *Quòd Deus fecerit hominem rectum* y; Cùm convertiſſet illum ad ſe per juſtitiam originalem. Undè inferri poteſt, illam eſſe originem gratiarum, nedum peccatum in ea unico vel momento habitaverit, cùm illam jugiter ab inſtanti primo conceptionis ſuæ Spiritus ſanctus gratiis ſuis repleverit.

Sic ipſa eſt *tota pulchra, & macula non eſt in* z *ea*; ſed ita ſpecioſa, ut prima ejus gratia ſuperaverit gratias omnium aliorum Sanctorum. Et hoc declaravit nobis S. Joannes a, cùm dixit; *Et Luna ſub pedibus ejus.* Sicut & hoc horologium, de quo ſuprà, quod habebat declinationes Solis, per quas repræſentatur nobis retrogreſſus Verbi Divini; (quod eſt *Sol juſtitiæ* b) & ſimul ſublimitas & magnitudo gratiarum, quibus B. Virgo cumulata fuit à dilectiſſimo Filio ſuo Jeſu Chriſto. Luna ſignificat mundum myſticum Eccleſiæ, ita ut, cùm *Luna ſub pedibus ejus* ſit, ipſa ſuperet omnem gratiam quæ eſt in mundo; cùm ipſa ſit origo fœcunda, è qua gratia fluit ſuper mundum. Cœlum Empyreum hujus mundi, ſunt Apoſtoli, *Cœli enarrant gloriam Dei* c. Ut docet S. Gregorius d ſuper hæc verba Job, *Spiritus ejus ornavit cœlos. Quos cœlos, niſi eos, de quibus ſcriptum eſt? Cœli enarrant gloriam Dei. Quos tunc ornavit Spiritus, cùm replevit* e. Primum mobile ſunt Patriarchæ f, cœlum cryſtallinum Prophetæ g, firmamentum ornatum ſtellis Doctores, *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* h. Sol eſt poteſtas Eccleſiaſtica, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis* i. Luna eſt poteſtas ſecularis, *Regem honorificate. Servi, ſubditi eſtote in omni timore Dominis* k. Septem planetæ ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti l; aut ſeptem Sacramenta m. Duo poli ſunt humanitas & Divinitas Jeſu Chriſti, ſuper quos hæc rota gyrat machina, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* n. Duodecim ſigna Zodiaci ſunt duodecim articuli fidei o. Lapides ſunt firmitas Eccleſiæ, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* p. Montes ſunt Superiores ſpirituales & temporales. Agri ſunt ſubditi. Elementa, ſi vultis adhuc, ſunt Sacramenta. Aves ſunt contemplativi, *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſe ſuper ſe* q. Piſces ſunt pœnitentes r. Beſtiæ ſunt paſſiones ſ. Foſſilia ſunt varietas doctrinæ Eccleſiæ, *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* t. Nubes ſunt figuræ veteris Legis u, *Hæc autem omnia in figura contingebant illis* x. Fulgura ſunt *ſigna & prodigia multa* y. Tonitrua ſunt Concionatores, *Locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas* z. *Id eſt, univerſi Prædicatores, præſertim Apoſtoli, atque eorum diſcipuli* a. Pluvia eſt gratia Divina, & influentia Angelorum, *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ* a. *Id eſt, Spiritus ſancti gratiam, quæ voluntaria dicitur: quia ſine meritis datur ſolâ Dei voluntate*, ait Incognitus b, poſt Gloſſam. *Et Luna ſub pedibus ejus* c. Pedes ſignificant omnes res quæ ſunt inferiores, ita ut dicere quòd *Luna ſub pedibus* Mariæ fuerit, idem ſit ac dicere, quòd id quod ipſa habet infimum, tangit id quod eſt ſupremum in cæteris puris creaturis, & quòd prima & minima gratia, quam ipſa poſſedit, exceſſit maximas gratias omnium aliarum, & ſic quòd illarum ſit origo, non agnoſcat ſupra ſe niſi Deú, cùm omne id, quod non eſt Deus, ſit infra illam, cùm ipſa ſola plus contineat gratiarum quàm omnes creaturæ ſimul.

Et hoc eſt quod S. Joannes d voluit nobis innuere per has duodecim ſtellas, quibus caput illius erat coronatum, *Et in capite ejus, corona ſtellarum duodecim.* Iſtæ ſtellæ duodecim repræſentant nobis omnes Beatos: Spiritus enim felices comprehenduntur in novem choris Angelorum; & alij Sancti continentur in tribus ſtatibus, aut in tribus agminibus, de quibus *Ieſus locutus eſt in parabolis. Alia ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum* e. Sive intelligeret virgines, continentes, & conjugatos. Sive loqui vellet de contemplativis, de activis & de mixtis. Sic B. Virgo habebat pro ornamento capitis ſui duodecim ſtellas, quia ipſa erat origo per quam gratia ſuper omnes fluxit creaturas. Habebat illa in ſe quidquid eſt amoris in Seraphinis, ſcientiæ in Cherubinis, firmitatis in Thronis, fortitudinis in Dominationibus, efficaciæ in Poteſtatibus, æquitatis in Virtutibus, majeſtatis in Principatibus, intelligentiæ in Archangelis, & obedientiæ in Angelis f; quidquid fuit fidei in Patriarchis g, ſpei in Prophetis h; charitatis in Apoſtolis i, conſtantiæ in Martyribus k, ſapientiæ in Confeſſoribus, abſtinentiæ in Anachoritis, temperantiæ in continentibus, fortitudinis in Religioſæ vitæ Cultoribus & Cultricibus; puritatis in Virginibus, ſolicitudinis in conjugatis, fidelitatis in Rebecca l, pulchritudinis in Rachele m, pietatis in Anna matre Samuelis n, prudentiæ in Abigail o, & in Thecuitide p, Sapientiæ in Eſthere r, & magnanimitatis in Judith ſ.

Et ut omnia unico concludamus verbo, ſufficit ut conſideremus id, quod ait S. Bonaventura t ſuper hæc verba Salomonis u, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam.* Quaſi diceret, quòd B. Virgo eſt illud mare; & quòd ſicut *Deus congregationes aquarum appellavit maria* †; ita congregatio omnium gratiarum eſt Maria. Virgo ſanctiſſima eſt hoc mare, & fluvii ſunt diverſitates gratiarum, quæ ingreſſæ ſunt in eam, quæ illarum eſt origo, cùm earum ſuſceperit ipſa plenitudinem, ut ipſamet fatetur, *In plenitudine Sanctorum detentio mea* x. Non ſolùm autem ſuperavit illa omnes Sanctos, ſed incomparabiliter, & abſque ulla proportione, quia ipſa fuit *mulier amicta Sole* y. *Et thronus ejus ſicut Sol* z. Id eſt, ſicut thronus Dei, ita ipſa claritatibus & radiis Solis circumcincta fuit, ut fuerit ipſa ſicut alter Sol, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum* a. *Quia ſcilicet*

ſ Cant. 1. 13. t Jo. 19. 18. u Matt. 28. 20. x Ezech. 18. 4. & 20. y Eccl. 7. 30. z Cant. 4. 7. a Apoc. 12. 1. b Malach. 4. 2. c Pſ. 18. 1. d S. Greg. l. 17. Mor. c. 16. in Job 26. 13. e ex Act. 1. 2. &c. f Gen. 17. 4. g Exod. 4. 13. h Dan. 12. 3. i Hebr. 13. 17. k 1. Petr. 2. 17. & 18. l Iſai. 11. 2. & 3. m Jo. 3. 5. & Act. 8. 17. & Jo. 6. 48. &c. & Luc. 13. 3. & Jac. 5. 14. & Jo. 20. 22. & 23. & Epheſ. 5. 31. & 32. n Jo. 17. 3. o Hebr. 11. 6. p Matt. 16. 18. q Thren. 3. 28. r Luc. 5. 38. ſ Pſ. 48. 13. & 21.

t 2. Petr. 1. 21. u Exod. 12. 3. &c. x 1. Cor. 10. 11. y Act. 5. 12. z Apoc. 10. 4. a Dion. Carth. art. 11. in Apoc. 10. 4. a Pſ. 67. 10. b Incogn. in Pſ. 67. 10. c Apoc. 12. 1. d Ibid. e Matt. 13. 1. &c. f Hebr. 1. 14. g Gen. 22. 3. &c. h Pſ. 83. 10. i Act. 5. 28. &c. k Act. 7. 59. &c. l Gen. 25. 20. & 21. m Gen. 29. 17. n 1. Reg. 1. 10. & 11. o 1. Reg. 25. 3. p 2. Reg. 14. 4. &c. r Eſth. 4. 16. ſ Judith. 13. 6. &c. t S. Bon. in Speculo B. Mar. c. 3. u Eccl. 1. 7. † Gen. 1. 10. x Eccl. 24. 16. y Apoc. 12. 1. z Pſ. 88. 38. a Pſ. 18. 6.

Digitized by Google

licet corpus ſuum in glorioſa Virgine collocavit: quando de ipſa Spiritus ſancti virtute carnem aſſumpſit, exponit Incognitus *b*. Si autem aſtra ſuum ſplendorem amittunt coram hoc Sole materiali, quidnon agere debent omnes Sancti coram Maria quæ *Solis nomine intelligitur in Scriptura ſacra propter multa*, quæ recenſet idem Incognitus *c*. Cùm ipſa ſit origo, per quam gratia effluxit ſuper illos præ effectu materoæ illius miſericordiæ.

b Incogn. in Pſ. 18. 6
c Idem ib.

Ipſa eſt hæc miſericors Rebecca, quæ habet *hydriam* ſuam plenam aquis gratiarum; nos verò ſumus Eliezeres ſervi Abrahæ, qui ſinguli ſuppliciter ab ea ſic expoſcentes, *Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua d*: invenimus in illa originem fœcundam, quæ nunquam areſcit. Ipſa eſt ſignum mirabile virginis collocatum inter leonem & libram: Filius enim ejus eſt ut Sol deſcendens à leone in virginem. Cum Sol eſt in ſigno leonis, ardentiſſimus eſt, & omnia comburit; ſed deſcendens in virginem, temperat calorem ſuum: ſic in Lege antiqua Deus erat veluti in ſigno leonis; ante Incarnationis myſterium ipſe erat *Dominum Deus exercituum f*. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum g*. Sed cùm hodie deſcenderit in virginem, in Mariam, *miſericors Dominus eſt, & miſerator h*. Ideò jure merito Maria vocatur columba, *Speciosa mea, Columba mea i*. Sicut enim columba emiſſa à Noë, *ut videret ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ; venit ad eum, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo **; quæ oliva eſt ſymbolum pacis & miſericordiæ: ita B. Virgo Maria ſuſcipit hodie hunc fortunatum *ramum olivæ*, iſtius *ave* pacis & reconciliationis: & id, quod iſtud *ave* fuit B. Virgini, hoc idem nobis fuit ramus pacificationis cum Deo. Vel potiùs dicamus, quòd B. Virgo eſt hæc olea, *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei k*. Obſervant Naturales, quòd, licèt quercus fortiſſima ſit ex natura ſua, tamen ſi inſeratur oleæ, ſuam confeſtim amittit fortitudinem, & tenera evadit: in veteri Fœdere Deus erat quercus dura iræ & rigoris, *Iratus Dominus l*. Sed confeſtim ac quercus iſta inſerta eſt oleæ uteri B. Virginis, ita mitis effectus eſt Dei Filius, ſic *Agnus n* fuerit nuncupatus ob manſuetudinem ſuam.

d Gen. 24. 46. & 43.
f Iſa. 6, 3.
g Pſ. 93. 1
h Jac. 5, 11.
i Cant. 2, 13. & 14.
* Gen. 8, 8 &c.
k Pſ. 51. 10
l Exod. 4. 14
m Matt. 11 29.
n Joan. 1. 29.

Sed id, quod præ cæteris obſervare debemus, eſt hoc quod ante nos obſervavit S. Ambroſius *o* de B. Virgine, quòd cùm tantis eſſet repleta gratiis, ut earundem gratiarum eſſet origo derivata ab eo, cujus *de plenitudine nos omnes accepimus p*, & cujus erat mox futura Genitrix, tamen illius ancillam ſe nominaret. Dicit ergo ſanctus iſte Doctor, *Denique, Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe Domini nominat, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem etiam debuit ipſa præferre.* Eodem non ſe gerebat modo Julia, quæ cùm eſſet Imperatoris filia, eò ſuperbiæ proceſſit, ut arrogantiæ illius exceſſum pater ipſius ſuſtinere non poſſet; & ſuæ ejuſdem correpta arrogantiæ diceret, quòd ſi pater ſuus non meminerat ſe fuiſſe Cæſarem, ipſa recordabatur ſe fuiſſe filiam illius, qui eſſet maximus Imperator: econtrà verò B. Virgo ait hodiernâ die, *Ecce ancilla Domini*. Quaſi diceret, Creator meus non meminit ſe eſſe Deũ; nec ego recordor quòd modò futura ſim Genitrix illius. Ex hac humilitate ortus eſt iſte timor, *Turbata eſt in ſermone ejus*. Cùm ſuper ſolis humilibus requieſcat Spiritus Dei, æquè ac ſuper metuentibus verba ipſius, ut ipſemet *dicit Dominus, Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos q*?

o S. Ambr. l. 2. in Luc. 1, 38
p Jo. 1, 16
q Iſa. 66, 2

Illud reſponſum, quo Angelo *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuū*: breve eſt, ut inde diſcant mulieres & puellæ parum loqui, & quòd preces ſuas comitari debet humilitas, et orationi B. Virginis ſocia fuit eadem humilitas, cùm ſcriptum ſit, *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit r*. Mulieres & puellæ, quæ conciliare ſibi volunt gratiam Dei, debent parùm loqui. Sed mirum non eſt ſi ex natura ſua ita garrulæ ſunt: materia enim oſſium, ex qua compoſitæ fuerunt *ſ*, ipſas excuſat: materia ſinuoſa, quæ efficit ut ipſæ ſint callidæ. Parùm debent illæ loqui, ſi ſapientes eſſe velint, *Mulier ſenſata, & tacita t*. Ideò Ægyptii repræſentabant eas cum vinculo in ore, & præ hac inſcriptione, *Tacita*. Ut edocerent eas ſobriè loqui. Propterea dicebat Sponſus Sponſæ loquens, *Sicut vitta coccinea labia tua u*. Sicut enim mulieres & puellæ capillos ſuos vittis colligunt; ſic illæ ſua colligere debent verba, loquendo parùm, ne gratia, quam habere poſſunt, pereat ob ſuperfluitatem ſermonis immodici. Aut, ſi velitis, *vitta coccinea*. Id eſt, coloris coccini, quod eſt ſymbolum charitatis, nimirum, ut non loquantur niſi ob utilitatem proximi, ſicut B. Virgo, quæ ter aut quater tantùm legitur locuta in Evangelio. Hodie Angelo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Et, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum.* Deinde Filio ſuo ſedenti *in templo in medio Doctorum. Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te x*. Tandem in nuptiis factis *in Cana Galilææ. Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent*. Et *Miniſtris, Quodcunque dixerit vobis, facite y*. Quòd ſi Maria eſt origo gratiarum, ſi eſt *gratiâ plena*: Imò verò verba ejus redundant gratiâ, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis z*: ita ut nullum poſſet ipſa defectum committere loquendo, quare mulieres & puellas non pudebit prolixos miſcere ſermones, ne dicam inhoneſtos?

r Eccl. 35, 21.
ſ Gen. 2, 22.
t Eccl. 26, 18.
u Cant. 4, 3
x Luc. 2. 46, & 48.
y Joan. 2. 1 &c.
z Pſ. 44. 3.

Sed conſideremus etiam, quòd Maria inventa eſt ab Angelo ſola in conclavi: quod edocet mulieres & puellas ut domi ſe contineant, nedum per compita & per plateas vagentur, ſi cuſtodire velint gratiam. Iſtam edocebant illos Antiqui ſolitudinem ſub emblemate teſtudinis, quæ rarò incedit, & cùm progredi tenetur, domum ſuam ſecum defert. Propter eandem rationem nolebant Ægyptii uxores ſuæ calceatæ incederent, ſed abſque calceis, id eſt, nudis pedibus, ut pudore ſuffuſæ ſic ſeſe domi continerent. Et S. Ambroſius *a* ſuper hoc, quòd Angelus Mariam invênit ſolam in conclavi, ait, *Diſce Virginem moribus, diſce Virginem verecundiâ, diſce Virginem oraculo, diſce myſterio. Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus vereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo ſalutatur: Diſce virgo verborum vitare laſciviam.* Imò Scriptura videtur corripere eas, quæ pietatis curſus ſuos prætexendo, huc & illuc

a S. Ambr. l. 2. in Luc. 1. 26.

luc vagantur; In eo quod Sponſus ait Sponſæ,
Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus.
b Cant. 4. 12. & 13. *Emiſſiones tuæ paradiſus* b. Quaſi diceret, quòd
ſi ſolitudinem colat, producet ipſa fructus di-
gnos paradiſo. Sed cùm ſolitudinem dereli-
quir, ipſa ait, *Quæſivi, & non inveni illum: vocavi, &*
non reſpondit mihi. Invenerunt me cuſtodes: percuſ-
ſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium
meum mihi c. Proficite ex hoc monito, & vobis c Cant. 5. 6. & 7.
gratiam & gloriam dabit Dominus d. d Pſ. 83. 12.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Joann. 6. 1. &c.

TEſtimonium ſacra Scriptura perhibet au-
thenticum, Dei Filium, qui *in terris viſus eſt,*
a Baruch 3. 38 *& cum hominibus converſatus eſt* a, quaſi peregri-
nando in terra, cùm dicat ipſemet, *Extraneus fa-*
ctus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris
b Pſ. 68. 9. *meæ* b: quatuor loca præ cæteris frequentaſſe,
ſed non abſque myſterio, ſcilicet deſertum,
navem, templum, & montem. *Ieſus ductus eſt*
c Matt. 4. 1 &c. *in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* c. Sed
ut illum expugnaret, & glorioſam de eo victo-
riam referret. *Aſcendente eo in naviculam, ſecuti*
d Matth. 8. 23. &c. *ſunt eum diſcipuli ejus* d. Cùm in eam ingreſ-
ſus eſſet ut ibi laboraret, & navigaret, & ſuo-
rum diſcipulorum fidem probaret. *Aſcendit Ie-*
e Jo. 7. 14. *ſus in templum, & docebat* e. *Factum eſt autem,*
exiit in montem orare, & erat pernoctans in ora-
f Luc. 6. 12. *tione Dei* f. *Poſt hæc, abiit Ieſus trans mare Gali-*
lææ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo
magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui
infirmabantur. Subiit ergo in montem Ieſus: &
ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Cùm ſublevaſſet ergo
oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima
venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus pa-
nes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans
eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpon-
dit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non
ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.
Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simo-
nis Petri. Eſt puer unus hic qui habet quinque panes
hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter
tantos? Accepit ergo Ieſus panes: & cum gratias
egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus; ſimiliter & ex pi-
ſcibus quantum volebant. Vt autem impleti ſunt,
dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperaverunt frag-
menta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleve-
runt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque
panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfue-
runt his qui manducaverant. Iſtud eſt miracu-
lum quod vires ſupergreditur naturæ, & à ſolo
Deo fieri poteſt: & cùm notitia hominum cæ-
ca maneat, & ignara in alta conſideratione ho-
rum mirabilium, imploremus favorem cœli, &
interceſſionem Mariæ, & dicamus ei, *Ave Ma-*
ria.

Illi qui ſancta perſcrutati ſunt myſteria, qui-
que in lucem voluerunt edere & contemplari
mirabilia, quæ Pater æternus operatus eſt in
gratiam JESU Chriſti Filii ſui, obſervaverunt
g Pſ. 2. 7. quòd iſte *Filius* g naturalis ejus per æternam ge-
nerationem, & ſimul *in ſimilitudinem hominum*
h Philipp. 2. 7 *factus, & habitu inventus ut homo* h *ubi venit pleni-*
i Galat. 4. 4. *tudo temporis* i; honoratus fuit ab eodem Patre
ſuo in tribus præcipuis punctis, in reſurrectione,
in aſcenſione, & in miraculis. In reſurrectione
honoravit illum Pater ſuus, cùm illum tertiâ
die è morte glorioſum ſuſcitaverit, *Deus Pa-*
trum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Ieſum, quem
vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati,
judicante illo dimitti, quem Deus ſuſcitavit à mortuis,
cujus nos teſtes ſumus k, dicebat ſanctus Petrus, k Act. 3. 13 & 15.
Iſraëlitas alloquens. Honore cumulavit illum
in aſcenſione, elevans illum ſuper omnes cho-
ros Angelorum, eumque collocans in dextera
ſua, *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ*
ejus, portansque omnia verbo virtutis ſuæ, ſedet ad
dexteram Majeſtatis in excelſis l. Illum decora- l Hebr. 1. 3
vit etiam miraculis, quia cùm hæc humanitas
eſſet conjuncta Divinitati per unionem hypo-
ſtaticam, Deus operabatur interventu hujus hu-
manitatis ut inſtrumenti conjuncti. Inde fie-
bat ut verbo ipſius, æquè ac ipſius tactu, mortui
reſurgerent, & infirmi ſanarentur. *Et cùm ejecta*
eſſet turba, intravit; & tenuit manum ejus: &
dixit, Puella ſurge. Et ſurrexit puella. Et circuibat
Ieſus omnes civitates, & caſtella, docens in Synagogis
eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans o-
mnem languorem, & omnem infirmitatem m. Illud
autem quod debet ſpecialiter obſervari, eſt, m Matt. 9. 25. & 35.
quòd iſtis miraculis non ſolùm corpoream im-
pertiretur ſanitatem, ſed etiam ſpiritualem,
quia *Dei perfecta ſunt opera* n. *Et ecce offerebant* n Deut. 32. 4.
ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Ieſus
fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remittun-
tur tibi peccata tua. Tunc ait paralytico, Surge,
tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſur-
rexit, & abiit in domum ſuam o. Propterea ipſe o Matt. 9. 2. &c.
ſuis dicebat diſcipulis, *Pater in me manens, ipſe*
facit opera p. Et Judæos alloquens, ajebat illis, p Jo. 14. 10
Si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cogno-
ſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Pa- q Jo. 10. 38
tre q. Quaſi diceret illis, Scitote, quòd ego non
facio hæc miracula ut purus homo; ſed quòd ea
operer virtute omnino Divinâ.

Obſervate autem, ſi placet, quòd illa opera
vocantur communiter miracula, quæ fiunt ali-
quando interventu Sanctorum, qualia fuerunt
ea quæ patrata ſunt manibus Moyſis r, Eliæ ſ, r Exod. 7. 10, &c.
Eliſæi t, Apoſtolorum u, Martyrum x, & ſ 3. Reg. 17. 22.
aliorum amicorum Dei. Aliquando mediis
corporibus mortuis Sanctorum, *Quidam autem ſe-* t 4. Reg. 4. 35.
pelientes hominem, viderunt latrunculos, & projece- u Act. 5. 10
runt cadaver in ſepulchro Eliſæi. Quod cùm tetigiſ- x Act. 6. 8.
ſet oſſa Eliſæi, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes
ſuos y. Aqua piſcinæ Probaticæ ſanabat in- y 4. Reg. 13. 21.
firmos, *Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt mo-*
tionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur
infirmitate z. *Virtuteſque non quaſlibet faciebat* z Joan. 5. 4
Deus per manum Pauli: ita ut etiam ſuper langui-

Digitized by Google

dos deferrentur à corpore ejus ſudaria vel ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam e-
a Act. 19. 11. & 12 *grediebantur* a. Aliquando miracula fiunt à Deo immediatè, ut fuerunt ea quæ operatus eſt Dei Filius in terra, quæ manifeſtant ipſius Divinitatem, *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei,*
b Jo. 10. 25 *hæc teſtimonium perhibent de me* b.

Evangelium hodiernum præ noſtris ponit oculis miraculum, quod JESUS Chriſtus operatus eſt, ſatiatâ maximâ multitudine populi ipſum ſecuti, admirandâ multiplicatione quinque panum hordeaceorum, & duorum piſcium; ideò Evangeliſta ait, *Cùm ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Unde ememus panes, ut manducent hi?* Ad duos præcipuos fines ordinariè Deus dirigit miracula. Aut ut oſtendat mundo ſanctitatem illorum hominum, qui propter meritum vitæ ſuæ exemplaris digni ſunt qui proponantur aliis ut prototypon imi-
c Gal. 3. 5 tandum, ut ait ſanctus Paulus c, *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis.* Aut ad confirmandum Evangelium ſuum, ſicut Apoſtoli miracula patraverunt, ut illis tanquam ſigillis authoritatem prædicationibus ſuis conciliarent, *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſi-*
d Act. 5. 12 *gna, & prodigia multa in plebe* d. Hodiernâ
Diviſio. verò die dicemus Primò, & jure merito, quòd Dei Filius ductus deſiderio inducendorum hominum iſtorum ad ſe ſequendum, eorumque convertendorum, & dicens *ad Philippum, unde ememus panes ut manducent hi?* vult eis dare notam Divinitatis ſuæ. Secundò verò, quòd ſpecialiùs ſuas eis exhiber intuendas perfectiones interventu iſtius miraculi, quo medio illorum neceſſitates ſublevat.

I. Pars. Tria, juxta Theologos, requiruntur ad cognoſcenda & diſcernenda vera miracula à falſis. Primum, quando natura ex ſemetipſa ad hunc pervenire non poteſt effectum, ut claudos erigere, cæcos illuminare, & mortuos ſuſcitare, & his ſimilia. Secundum, cùm fiunt propter utilitatem creaturæ, & non ob vanitatem. Tertium, ubi patrantur propter ædificationem fidei, & bonorum morum; non autem ob confuſionem mentis, aut ad cauſandum populo ſcandalum. Unde paret, quòd miraculum, quod operatur hodie Filius Dei in multiplicatione quinque panum, & duorum piſcium, ardens deſiderio inducendi iſtos homines ad ſe ſequendum, & convertendi illos, eſt verum miraculum, cùm captum ipſius ſupergrediatur naturæ. Iſtud fit miraculum propter converſionem & ſalutem iſtius populi, qui nondum agnoverat Divinitatem Chriſti. Perficitur propter ædificationem fidei, ut iſtos vocaret homines ad converſionem, & veram præberet illis notitiam ſancti Evangelii, & revocaret illos in ovile veræ Eccleſiæ, *Cùm ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat*, ut miraculum manifeſtius fieret, & inde, cùm, ſecundùm reſponſum Apoſtolorum, non adeſſet panis, illi inferrent notam infallibilem Divinitatis ipſius, quippe qui panem ipſis provideret. Volebat ut inde diſcerent, ſe fuiſſe verum Deum, cùm ſpectet ad Deum ſuarum habere curam creaturarum, eas alere, illiſque neceſſaria providere, juxta id quod ipſemet ait, *Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater ve-*
e Matth. 6. 31. & 32 *ſter, quia his omnibus indigetis* e. Aut, ſi velimus adhærere ſententiæ ſancti Chryſoſtomi, dicemus quòd, cùm *Jeſus dicit ad Philippum, unde ememus panes, ut manducent hi?* Hoc ideò ab illo petivit, ut inſtrueret illum fide, quia tunc hic Apoſtolus erat adhuc parùm rudis, & ſatis oſtendit cùm dixit ei, *Domine, oſtende nobis Patrem,*
f Joan. 14. 8. *& ſufficit nobis* f. Sic autem loquitur ſanctus
g S. Chryſ. hom. 41. in Jo. 6. 5. Chryſoſtomus g, *Propterea eum rogavit, ut magis appareret miraculum, & coactus confiteri penuriam, meliùs intelligeretur miraculi magnitudo, quàm ſi ſimpliciter id feciſſet.* Sed quis de Divinitate JESU Chriſti poſſet ambigere? cùm ipſe ſit idem, qui patribus ipſorum providit *man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem, uſquequò tangerent fines terræ Chanaan*
h Exod. 16. 35. *h.* Qui conſervavit Moyſen in monte Sinai, ubi Vir iſte eximius per *quadraginta dies, & qua-*
i Exod. 34. 28. *draginta noctes panem non comedit, & aquam non bibit* i. Qui pavit interventu corvorum Eliam *in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. Corvi deferebant ei panem, & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſpere, & bibebat de torrente*
k 3. Reg. 17. 5. & 6. k. Qui per Habacuc miraculosè providit *pran-*
l Dan. 14. 33. &c. *dium Danieli, qui in lacu leonum* l erat Babylone. Qui ſemetipſum conſervavit vivum, nedum ullum capeſſeret alimentum in deſerto, *Cùm*
m Matth. 4. 2. *jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* m. Qui deſcendit de cœlis inſtar panis ad ſatiandos omnes famelicos, ut ipſe ait, *Ego ſum*
n Jo. 6. 51. *panis vivus, qui de cœlo deſcendi* n. *Et famelici ſa-*
o 1. Reg. 2. 5. *turati ſunt* o. Tamen *reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.*

Examinantes Patres Poſitivi reſponſum S. Philippi, de eo loquuntur diverſimodè. Lyra-
p Lyran. in Jo. 6. 7. nus *p* ait, Apoſtolum iſtum illo tempore non diſcucurriſſe ita profundè de Divinitate Chriſti, dicens, *Iſte enim Philippus adhuc rudis exiſtens, non aſpiciebat ad ejus virtutem, quâ de aqua vinum*
q ex Joan. 2. 7. &c. *fecerat* q. *nec ad alia ſigna quæ frequenter fecerat.* Alii dicunt, eum ſic reſpondiſſe, ut ſuam oſtenderet penuriam, æquè ac Coapoſtolorum ſuorum, quippe qui non haberent ſatis pecuniæ, quâ tantæ multitudini neceſſaria providerent. Sed alii aſſerunt ſanctum Philippum appoſitè reſpondiſſe, cùm exiſtimaverit tunc ſe facere reſponſum conforme petitioni: non enim petivit ab eo Chriſtus, quomodo agendum eſſet, ut alimenta ſic ingenti multitudini providerentur: ſed quâ ratione poſſent emi panes tantæ multitudini reficiendæ apponendi, *Unde ememus panes ut manducent hi?* Si Dei Filius locutùs eſt de emendo, & non de providendo, appoſitè ergo *reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Sanctus Chryſoſtomus ait, ſanctum Andream in mente habuiſſe miraculum, quo Eliſeus juſſit appo-
r 4 Reg. 4. 42. &c. nendos *viginti panes hordeaceos centum viris; qui comederunt, & ſuperfuit* r. Sic verò ipſe loqui-
ſ S. Chryſ. hom. 41. in Jo. 6. 9. tur, *Puto autem, eum adductum Prophetarum miraculis: ut Eliſei ex panibus* ſ.

Si

Si conſideremus myſteria ſub iſtis quinque panibus, & ſub his duobus piſcibus abſcondita, intelligere poterimus per hunc numerum ſeptenarium ſeptem Sacramenta. Quinque panes repræſentare poſſunt nobis quinque Sacramenta particularia, Confirmationem *t*, Matrimonium *u*, Pœnitentiam *x*, Ordinem *y*, & Extremam unctionem *z*: & duo piſces alia duo Sacramenta, Baptiſmum *a*, & Euchariſtiam *b*. Baptiſma ut maximè neceſſarium præ omnibus, eſt oſtium aliorum: Euchariſtiæ verò Sacramentum eſt omnium aliorum nobiliſſimum. *Puer qui habet quinque panes, & duos piſces*, eſt Eccleſia, cùm eos diſtribuat ob ſalutem fidelium Chriſtianorum. Alii dicunt iſtos *quinque panes* ſignificare poſſe quinque ſenſus corporis noſtri, viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum. Dicit Evangelium eos eſſe *hordeaceos*. Quia ſicut hordeum eſt cibus beſtiarum; ita etiam ſenſus iſti ſunt beſtiis communes. Per *duos piſces* ſignificari intellectum & voluntatem. Et quòd *puer qui habet* illos, eſt homo, cui natura tribuit generatim univerſa quæ ſunt in mundo, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus; oves & boves univerſas; inſuper & pecora campi; volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* c. Alii per hos *quinque panes* intelligunt *quinque talenta* d, quæ Deus ut bonus Paterfamilias ſuis diſpenſat ſervis, ut eant *de virtute in virtutem* e, & æmulentur *chariſmata meliora* f. Primus panis ſignificat talentum ſapientiæ, *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ* g. Secundus panis talentum ſcientiæ, *Alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum*. Tertius panis talentum fidei, *Alteri fides in eodem Spiritu, Id eſt, conſtantiſſima certitudo de inviſibilibus, quæ in ſacra Scriptura præſupponuntur. Non ergo ſumitur fides hoc loco prout eſt virtus Theologica*, exponit Dionyſius Carthuſianus *h*. Quartus talentum miraculorum, *Alii gratia ſanitatum, operatio virtutum*. Quintus talentum prophetiæ, *Alii prophetia*. Per *duos piſces* intelligere poſſumus alia duo talenta. Per unum, diſcretionem mentium, *Alii diſcretio ſpirituum*. Per alterum verò facultatem utendi variis idiomatibus, eorundemque conſequenter exponendorum, *Alii genera linguarum, interpretatio ſermonum*. Ille autem *puer qui habet quinque panes, & duos piſces* iſtos præ manibus, eſt Chriſtianus, cui hæc dona diſtribuuntur propter ſalutem ſuam, & ob commodum Eccleſiæ, *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Id eſt, profectum Eccleſiæ. Datur enim talentum divini beneficii, ut expendatur utiliter, non ut abſcondatur ignaviter, ſecundùm quod ait Salvator, Negotiamini dum venio* i, exponit idem Carthuſianus k.

Sed nolite mirari ſi Evangeliſta dicat, quòd *ſequebatur eum multitudo magna*. Cùm alii ſequerentur illum allecti novitate miraculorum ejus; & illi erant curioſi. Alii intuitu proprii commodi, ut ſanarentur; & hi erant infirmi. Alii per gratiarum actionem, quia ſanati fuerant ab eo, & hi devoti erant. Alii ut calumniarentur eum, & detraherent actionibus illius, & hi erant Scribæ & Phariſæi. Alii propter raram doctrinam concionum ejus; & hi docti erant. Alii per fidem, & amorem, ut Apoſtoli. *Et ſequebatur eum multitudo magna*. Quod inducit me ad dicendum, triplex eſſe genus hominum ſequentium Dei Filium in hac vita. Alii ſequuntur eum cum fide ſine operibus, & hi ſunt mali Chriſtiani, qui profitentur ſe eſſe Chriſtianos, & tales non ſunt, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cùm ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi* l. Satis oſtendunt ſe eſſe ſceleſtus, ſeque ſuis invigilare commodis & propriis oblectamentis: ſuas habent conſcientias depravatas, cogitationes ſordidas & inhoneſtas: voluntas ipſorum ſemper eſt ad malum inclinata; judicium ipſorum damnat temeritate intolerabili juſtiſſimos & innocentiſſimos quoſque homines; & ipſorum cor eſt repletum vindictis, inimicitiis, perfidiis, & proditionibus; & ipſi veluti peſtes periculoſæ ſanctiſſimas quaſque inficiunt animas. Si eleemoſynas erogant, ideò ut ſuæ ſatisfaciant vanitati, & ambitioni, quaſi canentes *tubâ ante ſe, ſicut hypocritæ faciunt in vicis, ut honorificentur ab hominibus* m. Si orationi vacent, idcircò ut ſanctitatis famam ſibi concilient, *ſicut hypocritæ, qui amant in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus* n. Si ad ſacrum veniant templum, & ad concionem, huc non accedunt niſi præ conſuetudine, aut ut videant, vel ut videantur fortè propter privum finem. Si agatur de jejunando, de frequentanda Confeſſione, de ſuſcipienda ſacra Communione, de ſatisfaciendo mandatis Eccleſiæ; hæc exercitia ſacra ipſi differunt in aliud tempus, & forſan annos tranſigent integros quibus nec ad Confeſſionem, nec ad Communionem accedent, permanentes ferè toto tempore vitæ ſuæ in peccato, & ſæpiſſimè extremâ ægritudine laborantes, in qua, ut verum fatear, ſuam terminabunt vitam in pertinacia, & in infidelitate, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*. Alii ſequuntur JESUM Chriſtum cum fide & operibus, ſed non perſeverant, *Citò deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum* o. Non prius inceperunt cùm *contigit eis illud veri Proverbii* p, *Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti* q. Ab ipſo vel exitu è Confeſſione, & è Communione ſacra conſuetam depravatæ vitæ ſuæ priſtinæ denuò capeſſunt viam, obliti ſunt *Dei Creatoris* r ſui. Parùm eis prodeſt ut annuncietur illis verbum Divinum, aut ut ſalutaria præbeantur ipſis monita, ut ad pœnitentiam inducantur exercendam; quandiu durat concio, bonis aliquibus cientur motionibus & affectibus ſacris, ſed confeſtim ac è templo egreſſi ſunt, ſuam mutant voluntatem, & veluti beſtiæ in exceſſus prorumpunt immodicos, moribus ſuis naturalibus laxantes habenas: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſuâ* ſ. Et abeque ulla conſideratione omnibus ſe dedunt ſectandis abominationibus, quæ ſuarum jacturam animarum infallibiliter in ipſos invehent omnimodam. Alii adhærent veſtigiis JESU Chriſti, ſequentes illum cum fide, operibus, & perſeverantia: & hi ſunt veri & perfecti ſequentes, *Sequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto JESU* t. Hoc eſt planè ſequi JESUM CHRISTUM, ac illum ſemper habere in corde ſuo, benedicere illum *in omni tempore*, ita ut *laus ejus ſemper in ore* u ſit illius qui ipſum ſequitur per inviola-

t Act. 8. 17.
u Matt. 19. 5.
x Luc. 13. 3.
y Jo. 20. 22.
z Jac. 5. 14.
a Joan. 3. 5.
b 1. Cor. 11. 24. & 25.
c Pſ. 8. 8. & 9.
d Matt. 25. 15.
e Pſ. 83. 8.
f 1. Cor. 12. 31.
g 1. Cor. 12. 8. &c.
h Dion. Carth. art. 12. in 1. Cor. 12. 9.
i Luc. 19. 14.
k Dion. Carth. art. 11. in 1. Cor. 12. 7.
l Tit. 1. 16.
m Matt. 6. 2.
n Matt. 6. 5.
o Judic. 2. 7.
p ex Prov. 26. 12.
q 2. Petr. 2. 22.
r Deut. 32. 18.
ſ Gen. 8. 21.
t Philipp. 3. 12.
u Pſ. 33. 2.

tam Divinorum mandatorum illius obſervantiam.

Tenemur igitur ſequi perfectè Jeſum Chriſtum propter tres rationes. Prima eſt ob excellentiam ejus, quia quò aliquid eſt dignius & excellentius, eò magis eſt proſequendum: atqui Jeſus Chriſtus eſt excellentiſſimus omnium rerum quæ ſunt in toto mundo: oportet igitur ut illum ardore ſequamur immodico. Secunda eſt propter bonitatem illius, quia quò melius eſt objectum, eò magis eſt ſequendum & imitandum: cùm igitur bonum ſit objectum voluntatis, & Jeſus Chriſtus ſit *Bonus* x, *omne Bonum* y, *Bonitas* z eſſentialis, rectæ conſonum eſt rationi ut ſequamur illum. Tertia tatio ſumitur ex obligatione: certum enim eſt nos eſſe devinctos Deo, & ideò teneri nos illum ſequi & imitari, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* a per redemptionem. Prætereà, Quia per juſtificationem noſtra dimittit nobis ipſe peccata, cùm illorum pœnitentiam agimus, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* b. Tandem, Eò quòd per glorificationem noſtra corpora interventu ipſius glorificanda, *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ* c.

x Pſ. 118, 68.
y Exod. 33, 19.
z 4. Eſdr. 8, 36.
a Apoc. 1, 5
b 1. Joan. 2, 2.
c Philipp. 3, 20, & 21

II. Pars.

Illi qui intimà pervadunt Evangelii hodierni ſecreta, quique perfectam concupiſcunt ſibi cōparare notitiam deſiderii, quo ducebatur Jeſus Chriſtus, trahendarum ad ſe turbarum iſtarum, ſatisfaciendi eis, & neceſſaria illis providendi, obſervant in œconomia iſtius miraculi tres adorandas perfectiones, ſapientiam, bonitatem, & potentiam, manifeſtatas in hac multiplicatione quinque panum, & duorum piſcium. Primò providet his omnibus hominibus ipſum ſequentibus neceſſaria ad ſuſtentandam vitam ipſorum, *Diſtribuit diſcumbentibus*. Ecce ſapientia. Deinde illos ubertim ſatiat, *Vt autem impleti ſunt*. Ecce bonitas. Tandem efficit ut è ciborum reliquiis remaneant duodecim cophini repleti, *Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*. Ecce potentia. Addamus iſtis, & dicamus, quòd Salvator mundi voluit hoc miraculo oſtendere, quòd ipſe eſſet *Dominus omnium* d. Id eſt, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Ut Dominus naturæ, tribuit ea quæ ſunt neceſſaria, *Diſtribuit diſcumbentibus*. Ut Dominus gratiæ, illa præbet præ abundantia, *Impleti ſunt*. Et ut Dominus gloriæ, res effundit ſuperabundantes, *Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant.*

d Eſth. 13, 11.

Sed explicemus iſta clariùs myſteria. Evangeliſta ait, quòd ſuis diſcipulis dixit Ieſus, *Facite homines diſcumbere*. Deinde, quòd *accepit panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus*. S. Matthæus e, S. Marcus f, & S. Lucas dicunt, quòd *benedixit illis* g *Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* h.

e ex Matt. 14, 19.
f ex Marc. 6, 41
g Luc. 9, 16
h Hebr. 6, 20. ex Gen. 14, 18, & Pſ. 109, 4.

Doctores inquirentes rationem hujus benedictionis, dicunt ideò impenſam fuiſſe panibus à Chriſto benedictionem, ut oſtenderet, quòd omnes creaturæ ſunt bonæ in natura ſua, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* i. Et dilectæ à Deo, ut dicit ipſi Salonion k, *Diligis omnia quæ ſunt*. Vel, ſecundùm Pſalmiſtam l, *imples omne animal benedictione*. S. Chryſoſtomus m ait, ideò Chriſtum benedixiſſe panes, ut edoceret nos, agendas Deo gratias pro omnibus, quæ diſtribuit nobis, imò antequàm illis utamur. *Sed quid tandem cùm ſanaturus eſſet paralyticum* n, *cùm ſuſcitaturus mortuum* o, *cùm ſedaturus maris tempeſtatem* p, *non agit gratias, hic agit? Vt oſtendat ante cibum gratias agendas Deo.* Lyranus † dicit, *Vt oſtenderet, quòd talia non fiebant ab eo per dæmones magicâ arte.* Quia verba benedictionis ſunt à Deo, & non à Satana. Ego autem dicam, idcircò Jeſum Chriſtum ſuam panibus iſtis tribuiſſe benedictionem, ut homines iſti agnoſcentes ipſum verum Deum, Divinas ipſius admirarentur perfectiones, quibus iſtud operabatur miraculum. Idem Lyranus ait, hos panes multiplicatos fuiſſe præ manibus JESU Chriſti, *Accepit ergo Ieſus panes. Quia in manibus ſuis multiplicati ſunt.* Alii ſentiunt hoc eveniſſe in manibus Jeſu Chriſti, Apoſtolorum, & turbarum. Quæ omnia vera videntur, ut colligitur ex verbis iſtis ſancti Matthæi q, *Et dedit diſcipulis panes.* Quia multiplicati ſunt inter manus Jeſu Chriſti, cùm ponebat eos in gremio Apoſtolorum ſuorum. Inter manus eorundem Apoſtolorum, *Diſcipuli autem turbis*. Et inter manus turbarum, *Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.*

i Gen. 1, 31.
k Sap. 11, 25.
l Pſ. 144, 16.
m S. Chryſoſt. hom. 41. in Jo. 6, 11.
n ex Matt. 9. 2, &c.
o ex Luc. 7, 13, &c.
p ex Matt. 8, 24, &c.
† Lyran. in Jo. 6. 11
q Matt. 14, 19. & 20.

Quatuor operatus eſt Jeſus Chriſtus miracula, mutando ſpecies cibi & potûs, quæ ſingula habent ſua nomina propria. Primum vocatur converſionis, ſecundum congregationis, tertium multiplicationis, & quartum tranſubſtantiationis. Primum miraculum peregit ipſe cùm *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, aquam vinum factam* r. Ubi materia remanſit integra, ſolâ formâ mutatâ. Secundum miraculum congregationis ipſe patravit, cùm Apoſtoli, illius *in verbo* laxatis retibus, *concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt ſociis qui erant in alia navi ut venirent & adjuvarent eos; & venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur* ſ. Quam videtur congregationem prædixiſſe Oſee, *, dicens, *Piſces maris congregabuntur.* Ut exponit Cornelius †. Tertium miraculum multiplicationis ipſe fecit in deſerto, cùm *accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis, & diſcipuli dederunt populo: & comederunt omnes & ſaturati ſunt: & quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres* t. Quartum miraculum fuit tranſubſtantiationis, *Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine: hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem* u. Convertente enim JESU Chriſto panem in Corpus ſuum, & vinum in ſuum Sanguinem, accidentia panis & vini permanſerunt, nedum tamen ullo fulcirentur ſubjecto.

r Joan. 2, 8. & 9.
ſ Luc. 5, 5. & 6.
* Oſee 4. 3.
† Corn. in Oſee 4. 3
t Matth. 15. 36, &c.
u 1. Cor. 11, 24. & 25.

Sed forſan à me petetis, utrum ſit majus miraculum, aut iſtud quod operatur hodie

Dei

Dei Filius, aut illud quod peregit cùm convertit aquam in vinum. Reſpondeo cum Theologis, quòd ſi miraculum ſumatur quantùm ad potentiam Jeſu Chriſti, unum non poteſt dici majus altero Sed ſi attendatur ex parte formæ, miraculum converſionis aquæ in vinum fuit majus, quia eodem inſtanti forma aquæ mutata eſt in formam vini; in colorem, in odorem, & in ſaporem illius. Si verò conſideretur quoad materiam, miraculum hodiernum eſt majus, quia materia panis multiplicata fuit in tantâ quantitate, ut non tantùm quinque millia hominum ex eo pane multiplicato comederint, ſed & ex eo duodecim cophini ſuperfuerint.

Sed quomodonam factum fuit iſtud miraculum præ tantâ abundantiâ, ut non ſolùm iſti homines, qui ſeqnebantur Jeſum Chriſtum, hoc pane ab illo multiplicato ad ſatietatem uſque fuerint refecti, ſed etiam ex eo reliquiæ ſuperfuerint in tantâ quantitate? Ut intelligatur hoc myſterium, obſervandum eſt, ſi placet, quòd aliquid naturaliter quadruplici dilatari poteſt modo. Primo, dilatatione ut aurum induſtriâ eximii opificis in folia extenditur innumera. Secundo, rarefactione, ut ſi aqua bulliens in ollâ igni ſuperpoſitâ, effundatur extra ignem. Tertio, accretione naturali, ſicut animal augetur quantitate alimenti, quod ſumit. Quarto tandem, ſupplemento, ut cùm pannus diſſectus, multùm ſeſe extendit. Hoc ita ſuppoſito,

Dico Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum potuiſſe duobus modis hanc abundantiam operari. Primo, creatione, id eſt, nedum ſumeret panes, & piſces: valebat enim omnipotentiâ ſuâ creare tot panes, & tot piſces, quot ſufficere potuiſſent tanto ſatiando populo, ſicut de nihilo *in principio creavit cœlum & terram* x, &c. Et quemadmodum diebus ſingulis animas creat rationales; ſed ita non egit, quia iſtæ turbæ videre potuiſſent medium creationis quod eſt inviſibile: & forſitan populus iſte dixiſſet, quòd panis iſte fuiſſet miſſus è cœlo interventu orationum ipſius, non autem quòd fuiſſet ab illo creatus: ſicut orante Moyſe *factum eſt veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra: manè quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum* y. *Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo: cibaria miſit eis in abundantiâ. Et pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes; & ſicut arenam maris volatilia pennata* z. Secundo, hanc facere poterat Chriſtus abundantiam, id eſt, creans novas partes ſubſtantiæ ad ſimilitudinem iſtorum panum, & horum piſcium, quæ mutatæ fuiſſent in panes, & in piſces, & ſic multiplicatæ: aut efficiens ut aër vicinus converſus fuiſſet in panes, & in piſces; & ſic iſtæ ſubſtantiæ panum & piſcium fuiſſent auctæ, ſicut *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ* a, in gratiam viduæ Sarephtanæ. Et ſicut quotidie fit in agris, ubi videmus terram, aërem, & aquam converti in granum, in hordeum, & in frumentum, *Et cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.*

x Gen. 1. 1. &c.

y Exod. 16. 13

z Pſ. 77. 24. &c

a 3. Reg. 17. 16

Sed, Auditores ſi ſapientia, bonitas, & potentia Dei manifeſtatæ ſunt Judæis hoc eximio miraculo, quo *Jeſus, cùm juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis: & manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt: & tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos: manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis* b: quare dicere non poterimus, eandem ſapientiam, eandem bonitatem, & eandem potentiam æquè abundanter hodiernâ die manifeſtari? cùm iſtæ perfectiones in Deo ſint immutabiles: *Ego enim Dominus, & non mutor* c. Divinorum manifeſtationem attributorum iſtorum quotidianâ comprobare nobis licet experientiâ, intuitu gratiarum & favorum, quibus Deus diebus ſingulis homines cumulat ſapientiâ, & bonitate ſuâ, *Diſtribuit diſcumbentibus.* Et ſicut *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ut docet S. Dionyſius d & Deus eſt *omne Bonum* e ſummum; ita ipſe quotidie ſemetipſum ſuis communicat creaturis gratiis ſuis: præterea nos prævenit, non ſolùm quòd omnia creaverit propter obſequiũ noſtrum; imò verò nos conſervat, & ſingulis diebus tradit nobis id quod neceſſarium eſt ad ſuſtentandum vitam noſtram: & ut teſtimonium perhibeat bonitatis ſuæ, quæ *non habet finem* f, ut bonus Paterfamilias ſuas liberaliter diſtribuit gratias, ut retrahat nos ab affectibus iſtius mundi, & reducat nos in viam ſalutis Bonitas infinita Dei noſtri, ut det unicuique id quod eſt ipſi neceſſarium ad operandam æternam ſuam ſalutem! Si hodiernâ die illud magnum peragit miraculum multiplicationis panum & piſcium in gratiam Judæorum, ad trahendos illos ad ſe, eoſque convertendos, quanta diebus ſingulis in gratiam Chriſtianorum operatur mirabilia? Sed iſtis non contentus, primò dat omnibus generaliter gratiam prævenientem, quibus illos prævenit *in benedictionibus dulcedinis* g. Gratiam primam, quæ nos adjuvat, nos excitat, nos movet ad intendendum in viâ perfectionis. Gratiam præbet cooperantem iis qui bonorum vacant operum exercitio, *Et Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini* h. Illos ſanctificat, eos vivificat, ipſoſque capaces reddit vitæ æternæ; & videns illorum perſeverantiam in bono, tribuit eis gratiam finalem, gratiam conſummatam, quæ eſt perfectio & cumulus noſtræ felicitatis, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus* i.

b Matth. 14. 16 &c.

c Malach. 3. 6

d S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4

e Exod. 33. 19

f Baruch 3. 25

g Pſ. 20. 4

h Ezech. 36. 27

i Pſ. 83. 12

Adoremus igitur, Auditores, ſi placet, hanc bonitatem, & dicamus, quòd Chriſtiani qui lumine fidei ſunt illuſtrati, qui notitiam ſancti Evangelii ſuſceperunt; quique viderunt, & vident diebus ſingulis tot miracula, quæ non ſolùm ipſe Dei Filius operatus eſt, cùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* k: ſed etiam poſtquàm *ſurrexit* l, per Apoſtolos ſuos, Martyres, Cõfeſſores, Virgines, &c. indigni ſunt excuſatione, nec ſuam attribuere poſſunt infelicitatem & jacturam niſi pravæ ſuæ voluntati, infidelitati, & pertinaciæ. Idcircò jure merito de illis dicere poſſumus id, quod S. Paulus eloquitur de Philoſophis antiquis, imò verò potiori ratione, *Ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* m. Sed quàm admirabilis eſt idem Apoſtolus, cùm ait, *Prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt* n. Dicit igitur primò S. Paulus, *Prudentia carnis, mors eſt.* Iſtud eſt pro atheis, æquo liberioribus, impiis, & malis Chriſtianis, qui ſimiles ſunt Scribis & Phariſæis, qui credere noluni miraculis Chriſti, *Quidam autem*

k Baruch 3. 38

l Marci 16. 6

m Rom. 1. 20. &c

n Rom. 8. 6. & 8.

ex eis dixerunt, In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia o. Propriis adhærent ſententiis; omnia cognoſcere volunt myſteria fidei & miraculorum notitiâ naturali, & de omnibus reb⁹ ſupernaturalib⁹ judicium ferre fulti ſolis rationibus humanis; ab hâc prudentia carnali cauſatur ipſis interitus, labuntur in peccatum, in pertinaciam, æquè ac in rebellionem, *Ipſi fuerunt rebelles luminis, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* p. Et dato quòd (ex ſuppoſitione) Deus iterùm veniret in terram, & totidem miracula imò majora faceret, quàm peregit, non tamen illi crederent. Sed fideles Chriſtiani è contrà *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* q, vivunt in Deo, & ut veri filii Jeſu Chriſti credunt miraculis ejus, & præ ſe ferentes firmam fidem, vitam habent & pacem. *Prudentia ſpiritus vita & pax. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Caro omnia depravat, ipſa caro nos cæcitate percutit. Sed dicamus meliùs, Affectus noſtri carnales, commoda noſtra, vitia noſtra, voluptates noſtræ, & diſſolutiones noſtræ retrahunt nos à Deo, nos inimicos illius efficiunt, & cadere nos faciunt in errores, & in infidelitatem.

o Luc. 11. 15

p Job 24. 13

q 1. Cor. 10. 5

Conſiderate igitur, quæſo, bonitatem Dei noſtri, qui non ceſſat diebus ſingulis cumulare nos gratiis ſuis; miracula peragit ipſe propter commodum noſtrum: ſatiat hodiernâ die quinque millia hominum, quinque panibus, & duobus piſcibus; ſi iſtud fecit ipſe miraculum in gratiam Judæorum, dicam, ſed jure merito, eum peregiſſe majus miraculum, cùm mutavit panem in Corpus ſuum, & vinum in ſuum Sanguinem ad alendos nos ſpiritualiter: diſponamus nos mediâ bonâ & integrâ Confeſſione ad dignè ſuſcipiendum iſtum cibum ſalutarem, credamus miraculis ejus, ſatagamus, quantùm in nobis erit, reddere nos dignos gratiis, quibus ipſe paratus eſt cumulare nos in hoc mundo, ſicut etiam eſt diſpoſitus ſuam nobis communicare gloriam ſempiternam in altero ſeculo.

FERIA II. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam. Joan. 8. 3 &c.

VEritas eſt indubitata, & quæ nullam patitur contradictionem, quòd ſatius eſt actu cum Deo, quàm cum hominibus, cùm ſæpiſſimè Deus inde nobis vitam tribuat, & abſolutionem, unde homines damnant nos ad interitum. En probatio veritatis iſtius manifeſta in perſonâ mulieris infortunatæ in flagranti delicto adulterii deprehenſæ, propter quod mortem debet ipſa ſubire pronunciatam à Lege a, *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur & mæchus & adultera.* Hæc autem mors non eſt alia quàm lapidatio, ut inferendam prætendunt ei hodiernâ die *Scribæ & Phariſæi. Et dixerunt, Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In Lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare.* Non deſunt teſtes qui deponant adversùs eã, crimen illius eſt omnibus notorium, contentâ voce inclamat populus ut morti tradatur, non expectatur aliquid ampliùs, Domine, niſi ut ſuper hoc tuam pronuncies ſententiam, *Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum.* Sed quoniam Jeſus Chriſtus eſt *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* b ſe; & cogitationes præ ſe fert alias à pravis cogitationibus Scribarum & Phariſæorum, ut ipſemet ait per Prophetam c ſuum, *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum: non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus: quia ſicut exaltantur cœli à terrâ: ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris*: ideò miſericordiam exercet erga eam, & illam liberat à morte corporis, & præbet ei vitam animæ, quia *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia* d. *Quaſi dicat*, exponit Cornelius e, *Deus invocandus & magnificandus eſt, quòd opera ejus uſquequaque perfecta ſint, ita ut nullâ ex parte culpari, reprehendi, vel emendari poſſint, & ſpeciatim hoc opus. Et omnes viæ ejus, omnia opera ejus, ſunt judicia, id eſt, ſunt juſta & æqua.* Ut autem meliùs cognoſcere poſſimus exitum proceſſus iſtius, & ejus apices ac formulas, examinandæ ſunt nobis illius cauſæ: propterea imploremus auxilium cœli, interventu Matris gratiæ, cùm dæmonibus ſollicitantibus pronunciandum areſtum mortis adversùs naturam humanam convictam criminis extracti è communi Protoplaſto, *in quo omnes peccaverunt* f homines; ipſa procuraverit proferendam ſententiam vitæ in gratiam ejuſdem naturæ humanæ eo momento, quo *ingreſſus Angelus ad eam, dixit, Ave* g *Maria.*

a Levit. 20. 10

b Pſ. 85. 5

c Iſai. 55. 7, &c

d Deut. 32. 4

e Cornel. in Deut. 32. 4

f Rom. 5. 12

g Luc. 1. 28

S. Thomas h iſtam proponit quæſtionem, *Utrùm omnia peccata ſint paria.* Quod agit ut errorem convincat Stoicorum, qui id affirmabant, & ait, *Reſpondeo dicendum, quòd opinio Stoicorum fuit, quam Tullius proſequitur in Paradoxis, quòd omnia peccata ſunt paria, & ex hoc etiam derivatus eſt quorumdam hæreticorum error, qui ponentes omnia peccata eſſe paria, dicunt etiam omnes pœnas inferni eſſe pares. Et quantùm ex verbis Tullii perſpici poteſt, Stoici ducebantur ex hoc, quòd conſiderabant peccatum ex parte privationis tantùm, prout ſcilicet eſt receſſus à ratione, unde ſimpliciter æſtimantes, quòd nulla privatio ſuſciperet magis & minus, poſuerunt omnia peccata eſſe paria.* Suam videbantur confirmare ſententiam exemplo naucleri, qui culpâ ſuâ craſſâ & ſupinâ, aut affectatâ, ſi velitis, ſinit ut navis, quam dirigit, in ſcopulos impingatur, & miſerum perpetiatur naufragium, ſive auro ſit illa onerata, ſive paleâ, quia omnis culpa & malitia ejus ſita eſt in detrimento & naufragio quod permittit navi inferri. *Sed ſi quis diligenter conſideret, inveniet duplex privationum genus,* proſequitur S. Thomas. *Eſt enim quædam ſimplex & pura privatio, quæ conſiſtit quaſi in corruptum eſſe, ſicut mors eſt privatio vitæ, & tenebra eſt privatio luminis, & tales privationes non recipiunt magis & minus, quia nihil reſiduum eſt de habitu oppoſito, unde non minùs eſt mortuus aliquis primo die mortis, & tertio, vel quarto, quàm poſt annum quando jam cadaver fuerit reſolutum. Eſt autem alia privatio non ſimplex, ſed aliquid* re-

h S. Thomas 1. 2. q. 73. a. 2. citans Cicer. in Paradox. 3. cujus titulus eſt, Æqualia eſſe vitia.

retinens de habitu oppoſito. quæ quidem privatio magis conſiſtit in corrumpi, quàm in corruptum eſſe ſicut ægritudo quæ privat debitam commenſurationem humorum, ita tamen quòd aliquid ejus remaneat, alioquin non remaneret animal vivum. Hujuſmodi autem privationes recipiunt magis & minus ex parte ejus, quod remanet de habitu contrario; multùm enim refert ad ægritudinem, utrùm plùs vel minùs à debitâ commenſuratione humorum recedat. Et ſimiliter dicendum eſſe de vitiis, & peccatis: ſic enim in eis privatur debita commenſuratio rationis, ut non totaliter ordo rationis tollatur. Peccatum eſt iſtius naturæ, non privat nos abſolutè Deo ut formâ oppoſitâ, ſed ſolùm mediis idoneis & opportunis eidem conſequendo, qui eſt primum noſtrum *Principium, & Finis* i noſter ultimus. *Et idiò multùm intereſt ad gravitatem peccati, utrùm plùs, vel minùs recedatur à rectitudine rationis. Et ſecundùm hoc dicendum eſt, quòd non omnia peccata ſunt paria,* concludit S. Thomas. Sed quòd alia ſint aliis graviora. Ea quæ graviora ſunt, magis nos elongant à Deo, qui eſt *omne Bonum* † noſtrum ſummum, quàm ab eo nos removeant minora, ut Pilato *reſpondit Ieſus, Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* k, loquendo de Juda *Id eſt, graviùs peccat in me quàm tu, quoniam prima cauſa quæ alias movet, & provocat ad opera prava, plùs peccat quàm cauſa ſecunda & proxima*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *l*. Hâc veritate ſuppoſitâ,

i Apoc. 1. 8

† Exod. 33. 19

k Joan. 19. 11

l Dion. Carth. art. 45. in Joan. 19. 11

Statui vobis oſtendere, juxta ſenſum Evangelii hodierni, enormitatem peccati adulterii, quod poſt blaſphemiam & juramentum, eſt maximum omnium eorum quæ patrari poſſint in mundo. Magnum eſt propter perniciem quam infert animæ; ob deſtructionem quam invehit in corpus; ratione jacturæ bonorum fortunæ, & famæ; propter pœnas quas meretur, ob ruinam familiarum, infortunium Rerumpublicarum, funeſtos caſus qui diebus ſingulis contingunt ex ipſo, injuriam quæ irrogatur alteri parti in detrimentum Sacramenti Matrimonii, violando promiſſa cuſtodiendæ mutuæ fidelitatis: magnum denique, & maximum omnium peccatorum propter generalitatem ſuam, cùm vitium illud ita ſit univerſale hoc ſeculo corrupto quo vivimus. Inundavit *adulterium, & ſanguis ſanguinem tetigit* m. Et clariùs, *Adulteriis repleta eſt terra* n. Et aſſerere poſſimus præ omni veritate, quòd *dilatavit infernus os ſuum abſque ullo termino* o, ad deglutiendas has animas voluptatis captivas. Sed cùm habeamus in Evangelio noſtro accuſationem mulieris convictæ criminis iſtius, Primò examinandus eſt maturè proceſſus ejus quandiu gravitas criminis hujus cognoſcetur. Secundò audiemus pronunciari areſtum illius.

m Oſee 4. 2

n Jer. 23. 10

o Iſai. 5. 14

Diviſio.

I. Part.

Agitur hodiernâ die de condemnandâ muliere peccatrice, criminis iſtius reâ. Teſtes cum illâ compulſi, ſunt fide digni: crimen illius eſt notorium, zelo prætenſo cuſtodiendæ Legis Moſaicæ ducti *adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam*. Manifeſta eſt Lex, quæ illam damnat ad mortem, *Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare*. Mors infamis & ignominioſa hæc eſt, quæ jam ſatis oſtendit enormitatem criminis iſtius. Ut autem totam lucem veſtris oculis ſubjiciam, ut dicitur, de eo paulò accuratiùs volo vobis diſſerere, ut horrorem illius veſtris animis ingerere ſatagam.

Dico igitur, peccatum adulterii eſſe unum ex horribiliſſimis criminibus quæ perpetrari unquam poſſint. Adversùs illud, & ad ruinam illius moliendam armant ſe univerſæ Leges, divinæ, & humanæ. Lex Naturæ purgabat illud igne: confeſtim enim ac nuntiatum fuit Patriarchæ Judæ, *Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumeſcere, dixit Judas, Producite eam ut comburatur* p. Lex ſcripta de eo vindictam ſumſit, lapidibus illud obruendo, ut ſuprà recenſui. Hiſtoriam iſtius nobis ſubjicit Evangelium hodiernum in Lege Gratiæ, quæ, quamvis ſit Lex amoris, quem inſpirare ſatagebat Dei Filius diſcipulis ſuis, & in eorum perſonâ omnibus Judæis, *Mandatum novum do vobis. Ut diligatis invicem; ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem* q: non impedivit quin *Scribæ & Phariſæi* ream iſtius criminis damnandam ad mortem procurarent. Nolite autem, peccatores, blandiri vobis in peccatis veſtris; de vobis enim propter illa Deus pœnas expetet, & ita abhorret ab hoc crimine, ut illius ipſe velit eſſe Judex, ut graviùs ejus ſupplicium faciat experiri nos, *Adulteros judicabit Deus* r. Mulieres Spartiatæ alias ab hoc ſic abhorrebant peccato, ut illud exiſtimarent impoſſibile, ratæ quòd nemo auderet ipſum unquam committere, cùm vel ipſa bruta illud horrore proſequantur: propterea Lycurgus, magnus iſte Lacedæmoniorum, ſeu Spartiatarum Legiſlator cùm de omnibus locutus eſſet Legibus, & ſtatuiſſet pœnas & ſupplicia criminibus convenientia, nullam peregit iſtius mentionem, cùm in ſuum inducere non poſſet animum, quod peccatum ita turpe, & ſic thoro conjugali injurioſum inveniri poſſet inter homines.

p Gen. 38. 24

q Joan. 13. 34

r Hebr. 13. 4

O ſeculum perverſum & corruptum! ô tempus fæx temporum! ô mores depravatos & diſſolutos! *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer* ſ! Quàm flagitioſum eſt tempus iſtud, quo vivimus, ut vel ipſi Ethnici ſolo lumine rationis illuſtrati, majorem cuſtodiant puritatem quàm Chriſtiani! Heu deliquium ferè perpetior animi! Sanguineis hoc infortunium deflere vellem lacrymis. Infideles, quid dico infideles? imò vel ipſæ beſtiæ horrore proſequuntur iſtud crimen, & Chriſtianos non pudet illud perpetrare. Cœli ut quid nun deſiſtitis gyrare ſuper hæc capita impia? Ignis quare non deſcendis è ſphæra tua in concavo Lunæ ſitâ, ut vindictam de illis capeſſas, & eos in cinerem redigas? ſicut aliàs *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia* t. Terra cur non aperis ſinum tuum ad deglutiendos eos? quemadmodum olim cùm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſùs Dominum rebellaverunt: aperiens os* tuum devoraſti *Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* u. Uſquequò miſeri abutemini patientiâ Dei? qui *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* x. Quouſque contemnetis bonitatem & clementiam illius, qui miſeretur *omnium, & peccata hominum propter pœnitentiam* y diſſimulat? Uſquequò irritabitis eum horrore infamium commerciorum veſtrorum? Nonne creditis ſordes veſtras ei eſſe manifeſtas? *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* z. Nimirum, ut exponit Dionyſius Carthuſianus a, *Ad quem increatum Dei Sermonem, ſeu Filium, eſt nobis ſermo.*

ſ Jer. 2. 12

t Gen. 19. 24. & 25

u Num. 26. 9. & 10

x 2. Petr. 3. 9

y Sap. 11. 24

z Hebr. 4. 13

a Dion. Carth. art. 4. in Hebr. 4. 13

id

id eſt, ei tanquam Iudici nos aſtare, & rationem reddere oportebit. Annon ſcitis, eum ſecretiſſima & intima quæque loca pervadere, ut veſtrorum convincat vos criminum iſtorum, quæ ſic enormia ſunt, ut Patres primitivæ Eccleſiæ ambigerent utrùm illorum conſcios admitterent ad pœnitentiam in eâdem Eccleſiâ peragendam, ut docet S. Cyprianus b? *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in Provinciâ noſtrâ dandum pacem mœchis non putaverunt: & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt.*

b S. Cypr. epiſt. 52 al. 60. & 61

Obſervate autem, ſi placet, Dei Filium tanto horrore proſecutum fuiſſe hoc peccatum, ut, licèt permiſerit ſe inſimulandum gulæ, imò verò magiæ, & ſimilium, *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus* c: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia* d: Et, *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes* e? nunquam tamen voluerit ut vel minima haberetur de ſe ſuſpicio quantùm ad iſtum exceſſum, cùm ipſe ſit *Sanctus Dei* f. Id eſt, Puritas ipſa eſſentialis. Alia ferè omnia permiſit peccata patrari in collegio Apoſtolorum ſuorum, ſed ab illo iſtud penitus excluſit. Perpeſſus eſt ambitionem Jacobi & Joannis, cùm *acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo* g. Suſtinuit iram eorundem, qui ulciſci ſe volebant de Samaritanis, *Et miſit nuntios ante conſpectum ſuum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi. Et non receperunt eum: quia facies ejus erat euntis in Ieruſalem. Cùm vidiſſent autem diſcipuli ejus Iacobus & Ioannes, dixerunt, Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos* h? Et invidiam, quâ tabeſcebat unus ex iſtis adversùs alium qui miracula operabatur, *Reſpondens autem Ioannes dixit, Præceptor vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiscum* i. Permiſit avaritiam & furtum Judæ, *Quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat* k. Perfidiam ejus & proditionem, *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet* l. Negationem Petri, nam cùm miniſtri Pontificis *dixerunt ei, Nunquid & tu ex diſcipulis ejus es? negavit ille, & dixit, Non ſum* m. Sed Petri, quem ipſe jam conſtituerat Caput Eccleſiæ ſuæ, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* n. Incredulitatem Thomæ, *Dixerunt ei alij diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam* o. Et fugam omnium, *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt* p. Sed iſtud nunquam permiſit vitium, nec illud poteſt ſuſtinere, ipſe *qui paſcitur inter lilia* q. Semper dilexit ipſe homines puros & caſtos: teſtes ſunt affectus teneri, quibus proſequebatur *diſcipulum, quem diligebat* r. Super quod concinit Eccleſia in feſto illius, *Diligebat autem eum Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit. In Cruce denique moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commendavit* ſ.

c Matth. 11.19
d Luc. 11. 15
e Joan. 8.48
f Marc. 1. 24. & Luc. 4.34
g Matth. 20.20. & 21
h Luc. 9. 52. &c
i Luc. 9.49
k Joan. 12.6
l Matth. 26.14. &c
m Joan. 18.25
n Matth. 16.18. & 19
o Joan. 20.25
p Matth. 26.56
q Cant. 6.2
r Joan. 21. 20
ſ Ex Joan. 19.27

Quòd Chriſtus horrore proſecutus ſit iſtud crimen, mirum non eſt: ſed quòd dæmones illud fugiant, quis id crederet? niſi ipſi illud fuiſſent confeſſi cuidam mago, à quo cùm vocati eſſent, non venerunt ipſi, niſi poſt aliquantum tempus, & interrogati de cauſa hujus moræ extraordinariæ, reſponderunt ſe diſtuliſſe adventum ſuum propter fœtorē intolerabilem, quem ipſe mox patraverat. Ipſi diaboli ſic loquuntur, nos verò Chriſtiani ſiccine exigui æſtimamus corpus noſtrum, quod eſt *templum Dei* t, ut illud ita turpiter profanemus? *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos.* Ideò propter enormitatem hujus peccati puniendam, *egreſſi filij Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Iſraël viginti duo millia virorum* u. Et nonne adulterium Bethſabee fuit cauſa mortis viri ipſius, Uriæ x; ſicut & interitus filii ex iſto infami commercio orti? *Veruntamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc: filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Accidit autem ut moreretur infans* y. In pœnam ejuſdem adulterii patrati à Davide eodem cum ſupradicta Bethſabae, Deo ſic permittente, Amnon filius ipſius Davidis Thamar ſororem ſuam, *viribus prævalens oppreſſit, & cubavit cum ea* z. Abſalom interimendum præcepit hunc eundem fratrem ſuum, *Fecerat Abſalom convivium quaſi convivium Regis. Præceperat autem Abſalom pueris ſuis, Obſervate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis, Percutite eum, & interficite. Fecerunt ergo pueri Abſalom adversùm Amnon ſicut præceperat eis Abſalom* a. Propter eandem rationem pœnæ infligendæ adulterio ſupradicti Davidis, *miſit Abſalom exploratores in univerſas tribus Iſraël* b, &c. rebellando adversùs eundem patrem ſuum. *Ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſraël* c. In pœnam igitur hujuſmodi criminis permiſit Deus ut hæc omnia infortunia Davidi contigerint: re autem verâ peccatorum eſt omnium maximū, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero; & emundabor à delicto maximo* d. Quod ſic exponit Incognitus e, *Si mei, ſcilicet ſenſus corporales, non fuerint dominati, id eſt, ſupra rationem, quod ſcilicet fit, quando ratio ſubjicitur carni, & ſenſualitas ſpiritui dominatur, tunc nunquid immaculatus ero? Cogitabat enim Propheta, quòd oculi ſui fuerant ſupra rationem dominati, quando viſâ Bethſabee, concupivit, & commiſit adulterium.* Propterea idem David, ad Deum converſus, contritus, & pudore ſuffuſus intuitu peccati ſui, ſic eum exorabat, *Non dominetur mei omnis injuſtitia* f. Jure merito ſuum vocat adulterium omnem injuſtitiam: eſt enim adulterium contra Deum, contra Eccleſiam, contra proximum, contra Rempublicam, & contra ipſius authores, quibus maximam irrogat injuriam, præcipuè verò mulieribus. Sic eſt: mulieres, ſi ſciretis quantùm anxientur Concionatores ad quærendum remedium veſtro malo curando opportunum, & quàm immodicam inveniant difficultatem aperiendæ vobis januæ cœli, quod vobis eſt clauſum propter peccatum iſtud, ſanguineas ferè profunderetis lacrymas. Ego autem vobis annuncio hodiernâ die, quòd niſi ab his infamibus deſiſtatis commerciis exercendis, nunquam ſalutem veſtram operabimini, *Neque fornicarij, neque adulteri Regnū Dei poſſidebunt* g.

t 1. Cor. 3. 16. & 17
u Judic. 20.21. &c
x 2. Reg. 11.4. &c
y 2. Reg. 12.14. &c
z 2. Reg. 13.14
a 2. Reg. 13.27. &c
b 2. Reg. 15.10. &c
c 2. Reg. 16.22
d Pſ. 18. 14
e Incognit. in Pſ. 18.14
f Pſ. 118 133
g 1. Cor. 6.9

Ab

Ab iſto ſic abhorrebant Ægyptii vitio, ut ad ſugiendum ipſum, maluiſſent perpetrare homicidium, quàm adulterium committere. Exemplum nobis illius ſubjicit Scriptura in eo quod accidit Abrahæ, & filio ejus Iſaac, *Deſcendit Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi. Cùmque propè eſſet ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori ſuæ: Novi quòd pulchra ſis mulier: & quòd cùm viderint te Ægyptii, dicturi ſunt, Uxor illius eſt: & interficient me, & te reſervabunt. Et ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus propter Sarai uxorem Abram. Vocavitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? Quare non indicaſti, quòd uxor tua eſſet? Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjunx tua, accipe eam, & vade* h. Et, *Abiit Iſaac ad Abimelech Regem Palæſtinorum in Gerara. Qui cùm interrogaretur à viris loci illius ſuper uxore ſuâ, reſpondit, Soror mea eſt: timuerat enim confiteri, quòd ſibi eſſet ſociata conjugio: reputans, ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem. Cùmque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur, proſpiciens Abimelech Rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum jocantem cum Rebeccâ uxore ſuâ. Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt, quòd uxor tua ſit: cur mentitus es mihi, eam ſororem tuam eſſe? Reſpondit: Timui ne morerer propter eam. Dixitque Abimelech: Quare impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam de populo cum uxore tuâ, & induxeras ſuper nos grande peccatum* i. Re autem verâ peccatum iſtud ſic eſt enorme, & ita dimiſſu difficile, ut, cùm Deus præceperit varia ſibi offerenda ſacrificia in Lege veteri, juxta diverſitatem peccatorum, prohibuerit fundendum *oleum* k in ſacrificiis offerendis ſibi pro adulteris. Quare? Niſi quia cùm oleum ſit ſymbolum miſericordiæ, inde volebat innuere, quòd peccatum iſtud ita ſit immodicum, ut veniâ ſit penitus indignum; & quòd ſi ipſe illud ignoſcat, non priùs quam peractæ fuerint ingentes pœnitentiæ à reis illius, & à quibus ipſe graves pœnas experierit.

h Gen. 12. 20. &c
i Gen. 26. 1. &c
k Num. 5. 13

Sed quodnam remedium vitando huic ſcopulo accommodum? Philoſophi dicunt, *Sublatâ cauſâ tollitur effectus.* Mulieres, reſecate has libertates, has familiares converſationes, iſtas deambulationes, hujuſmodi conſabulationes, iſtos aſpectus, & hæc conſortia, quæ tantum malum in vos invehunt, infelices intuitus, qui ſunt ſomites & inſtrumenta adulteriorum. Ha, quàm meritò jure imitari deberetis Regem illum pœnitentem, qui cùm viſum ſuum non cuſtodiviſſet l, toties propter ipſum lacrymas fudit, dicens Deo, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam* m. Vos autem viri fugite à facie mulieris intuendâ *quaſi à facie colubri* n, Et, ut ait vobis ſingulis Poëta,

l 2. Reg. 11. 2. &c
m Pſ. 118. 136
n Eccli. 21. 2

Heu fugite inviſos ſcopulos, fuge littus amorum.

Nunquam ſecurus eſt theſaurus, qui intra ſe continet latronem: nec ovis ſecura quæ eſt propè lupum. Ille vinci vult, qui ſuo oſtium aperit inimico, *In quâ*, ait ſanctus Cyprianus o, loquens de fœminâ, *nihil eſt aliud, niſi quòd feriat proximantem, aculeus peccati facta eſt forma fœminea, & mortis conditio non aliunde ſurrexit niſi de muliebri ſubſtantiâ.* In fœminis totum eſt periculoſum, procul igitur ab illis recedite, ne ab illis comburamini: illæ enim ſunt ignes Sirenum, & veſtram molientur ruinam, Siren quædam ſpecioſa facie, inſidens acervo oſſium, quæ voluptas exiccaverat, adoleſcentem quendam ad amorem ſuum invitabat. Cui ille, recedens,

o S. Cypr. de Singularit. Clericor. 16

At me veſtigia terrent,

contentâ voce inclamabat. Cogitate de exitu, & reflectite vos ſuper æternitatem. Quia *Abſalom ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſraël* p: proptereà *accidit ut occurreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo; cùmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus cui inſederat, pertranſivit. Tulit igitur Ioab tres lanceas in manu ſuâ, & infixit eas in corde Abſalom: cùmque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum* q. Vos verò mulieres, manete domi, *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ* r. Occurſus veſtri ſunt occurſus baſiliſcorum ſolo intuitu mortem inferentium. Quàm ſedulò puritatem colebat Sara uxor Abrahæ, quæ noluit intereſſe ſocietati Angelorum, quos vir ſuus domum ſuam ſuſceperat ſub ſpecie peregrinorum, *Cùmque comediſſent, dixerunt ad eum, Ubi eſt Sara uxor tua? Ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt* ſ. Hoc documentum dirigitur ad vos, mulieres, ut complaceatis vobis in ſolitudine, non autem ut affectetis videri, & privatas foveatis amicitias. Auſcultate Tertullianum t ſingulas vos alloquentem. *Indue armaturam pudoris, circunduc vallum verecundiæ, murum ſexus tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Utinam mulieres ex iſta lectione utilitatem haurirent, & tanta non viderentur in familiis adulteria & infortunia, quæ eas deſolant. Mulieres mundanæ, imponite modum luxui veſtro, qui veſtram molitur perditionem. Interrogatus aliàs miles Spartiata, utrùm in civitate ſuâ eſſent adulteria, reſpondit, *Quomodo poſſet Sparta adulterium exiſtere, ubi divitiæ, luxus, & fucus ignominioſa cenſentur?* Diſcite mulieres cauſam ruinæ veſtræ, ut ei præveniendæ remedium applicetis congruum.

p 2. Reg. 16. 22
q 2. Reg. 18. 9. &c
r Pſ. 127. 3
ſ Gen. 18. 9. &c
t Tert. lib. de Virgin. Veland. c. 16

Ecce enormitas criminis, cujus convicta eſt hæc mulier, quæ adducitur hodie ad Chriſtum, ut ei jus dicat. *Adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei, Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio.* Ecce teſtes compoſiti cum illâ, ſolum pronunciandum ſupereſt areſtum, Lege fertur illam lapidandam eſſe, quod eſt ſupplicium adulteris commune, *In Lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare.* Jeſus in illam dicere debet ſententiam, *Tu ergo quid dicis?* Quàm graviter hallucinamini, Scribæ & Phariſæi. Nonne ſcitis id, quod ipſe perſæpè dixit? *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare* u. Ignoratiſne, eum eſſe miſericordem, & ideo dixiſſe? *Miſericordiam volo, & non ſacrificium* x. Et illum à nulla re ſic abhorrere, ac à ſanguine? *Nolo mortem impii* y. Non ſuccedet negotium ſicut intenditis, ſed in veſtram verget confuſionem, & in accuſatæ hujus mulieris commodum. Magnam præ te ferto fiduciam, miſera rea; copiæ tuæ ſacculares & inſtrumentariæ ſunt præ manibus Judicis miſericordis, ſpera

II. Pars
u Luc. 9. 56
x Matth. 9. 13. ex Oſee 6. 6
y Ezech. 33. 11

eum tibi futurum pium ac propitium ; & licèt Lex te damnet, & Synagoga ſe partem exhibeat contra te, & crimen tuum ſit notorium, confide quòd cauſa tua felicem ſortietur effectum. Illi Judici *Scribæ & Phariſæi dixerunt, Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum*; ſi condemnaret eam, inſimulando illum rigoris, aut injuſtitiæ, ſi contra Legem ageret; & ſic illum calumniari ut ejuſdem Legis prævaricatorem. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum* z. *Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terrâ. Cùm ergo perſeverarent interrogantes eum: erexit ſe, & dixit eis, Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterùm ſe inclinans, ſcribebat in terra.* Quærunt Doctores quidnam ſcriberet Jeſus. Reſpondet Lyranus †, *Dicunt aliqui, quòd ſcribebat idem quod priùs, ad oſtendendam majorem firmitatem ſententiæ. Alii dicunt, & meliùs, ut videtur, quòd ſcribebat eorum peccata; ut eos oſtenderet ineptos ad accuſationem hujus fœminæ.* Et, ut ait ſanctus Auguſtinus a ſuper hæc eadem verba, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, &c. Hæc vox juſtitiæ eſt. Puniatur peccatrix, ſed non à peccatoribus: impleatur Lex, ſed non à prævaricatoribus Legis.* Pudore ergo ſuffuſi, videntes quòd Filius Dei ſecretiſſima ipſorum detegeret crimina, illinc cœperunt diſcedere, *Audientes autem hæc, unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus: & remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans. Erigens autem ſe Jeſus, dixit ei, Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit? Quæ dixit. Nemo Domine. Dixit autem Jeſus, Nec ego te condemnabo.* Cùm mihi ſit *proprium miſereri ſemper, & parcere,* & meam *omnipotentiam parcendo maximè, & miſerando* b manifeſtare. *Nec ego te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Super quod ſanctus Auguſtinus ſic Chriſtum interrogat, *Quid eſt Domine? Faves ergo peccatis? Non planè ita. Attende quod ſequitur: Vade, deinceps jam noli peccare. Ergo & Dominus damnavit, ſed peccatum, non hominem. Nam ſi peccatorum fautor eſſet, diceret, Nec ego te condemnabo, Vade, & vive ut vis, de meâ liberatione eſto ſecura, ego quantùmcunque peccaveris, te ab omni pœnâ etiam gehennæ, & inferni tortoribus liberabo.* Præclarum areſtum, ſuavis ſententia, & miſericors judicium in gratiam hujus mulieris peccatricis.

z Prov. 21.30

† Lyran. in Joan. 8.8

a S. Aug. tract. 33. in Joan. 8. 7. &c

b Eccleſia.

Ha! Auditores, quàm felices ſumus nos, habentes Deum tantâ bonitate & miſericordiâ repletum, ut non poſſit niſi nobis benefacere, nec unquam contrarium peragere niſi quaſi invitus & veluti coactus intuitu criminum noſtrorum, quæ materiam ſuo modo miniſtrant fabricandis fulminibus juſtitiæ ejus, quæ eſt ipſi veluti extranea ; *Sicut enim in monte diviſionum ſtabit Dominus : ſicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur : ut faciat opus ſuum : ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo* c. *Quaſi diceret*, ut exponit Cornelius d, *Sicut in Baal Pharaſim* e, *quod ſignificat locum diviſionum, Deus pro Davide dejecit Philiſthæos, ibique Davidem victorem à Philiſthæis, dejectis & diſperſis diviſit & ſegregavit : ſic conſurget & ſtabit contra vos Dominus, ut vos diſpergat, dividat & diſperdat : & ſicut pro Joſue in valle Gabaon ſtitit ſolem* f, *& percuſſit Amorrhæos, non tam armis, quàm grandine & ſaxis è cœlo in eos dejectis ; ita pariter ipſe contra vos, quaſi adulteros & apoſtatas iraſcetur, atque iratus vos dejiciet, & percutiet. Ut faciat opus ſuum,* *opus à ſe decretum, ſcilicet vindictam & punitionem, ex gentibus ad peccata ; quod tamen opus non eſt proprium Deo, ſi ejus indolem & innatam bonitatem ſpectes, ſed alienum, & quaſi peregrinum ab eo, quia invitus & quaſi coactus ab impiis hoc facit. Sic cùm induxit diluvium orbi, fecit hoc tactus dolore cordis intrinſecus* g. *Sic puniturus gemit, dicens : Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis* h ! Sed quamvis verum ſit, quòd miſericordia Dei *non habet finem* i : ex eâ tamen capeſſere non debemus occaſionem offendendi ejuſdem Dei ſub ſpe conſequendæ ab eo veniæ peccatorum noſtrorum ; nec expedit ut ſimus *nequam, quia bonus* k ipſe eſt. Cavete autem, ô mulieres, ne exemplum hujus fœminæ criminis adulterii reæ, & libertate donatæ, efficiat vos audaciores ad perſeverandum in ſordibus veſtris ſub ſpe doloſa indulgendæ vobis illarum à Deo miſericordiæ: Scitote enim, quòd ex innumeris latronibus illum ſolum pro certo teneamus fuiſſe ſalvatum, qui *dicebat ad Jeſum, Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Jeſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* l. Sed iſte in cruce ſua purgavit crimina quamdiu Sanguis Chriſti adhuc ebulliebat, & miſericordiam expoſcebat à ſuo Patre æterno illi impertiendam: Et quòd inter tot peccatrices inſignes, unius miſertus eſt Magdalenæ, poſt peractam ab eâ peccatorum ſuorum pœnitentiam, *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata* m. Et alterius, putà Samaritanæ, quæ ideò abdicavit à ſe peccata ſua, *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier* n. Et è tot adulteris viventibus in mundo, ſoli adulteræ noſtræ pepercit. Jeſus non operatur ampliùs ſimilia miracula, quæ ita rara ſunt ac phœnix, qui non apparet niſi centenis annis ſingulis. Formidate igitur ne Deus loco gratiæ, quam vobis pollicemini, utatur rigore juſtitiæ ſuæ, quam perſæpè veſtris provocatis diſſolutionibus. Ubi ſemel cecidiſtis, non pendet ampliùs à vobis è lapſu veſtro reſurgere, ideò metuite judicia ejus. Si Chriſtus iſtam non condemnat mulierem, ideò quia *nemo condemnavit* eam. Efficite etiam ut nemo condemnet vos coram judicio Dei, & pro certo tenete, quòd ipſe non damnabit vos. Satagite ne *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo* o, diabolus accuſationes proponat adverſùm vos, ne vanitates veſtræ, luxus veſtri, ſordes & impuritates veſtræ, aſpectus veſtri obſcœni damnent vos; ne proximus veſter dicat teſtimonium contra vos propter malum exemplum à vobis ipſi exhibitum, & ne clamet contra vos ſicut clamaverunt *Scribæ & Phariſæi* adverſus *mulierem in adulterio deprehenſam*. Attendite ne Spiritus ſanctus condemnet vos, eò quòd violaveritis *templum* p ipſius. Curate ut conſcientia veſtra non accuſet vos, neque damnet vos, & ne boni Angeli deponant contra vos, eò quòd nolueritis obedire inſpirationibus ipſorum; & promitto vobis ex parte Dei, quòd ſinguli audietis ex ore Judicis veſtri, *Nec ego te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Quaſi diceret vobis ſingulis, In bonam emendatæ vitæ frugem vos recipite, *Pœnitentiam agite* q. Ite proſternite vos ante pedes Confeſſarii, cui ego dedi *claves Regni*

c Iſai. 28. 21

d Cornel. in Iſai. 28. 21

e Ex 2. Reg. 5. 20

f Ex Joſ. 10. 13

g Ex Gen. 6. 6

h Iſai. 1. 24

i Baruch 3. 25

k Matth. 20. 15

l Luc. 23. 42. & 43

m Luc. 7. 37. &c

n Joan. 4. 28. &c

o Matth. 25. 31

p 1 Cor. 3. 17

q Matth. 3. 2

r Matth. 16.19

Regni cœlorum r. Qui dicet vobis ſingulis in homine meo, *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Felices igitur illi, & illæ, qui merebuntur audire proferri ſibi areſtum ita ſuave, & propitium. *Intendant ergo qui amant in Domino manſuetudinem, & timeant veritatem: etenim dulcis & rectus Dominus* ſ. *Amas quòd dulcis eſt, time quòd rectus eſt. Tanquam manſuetus dixit, Tacui* t. *Sed tanquam juſtus, Nunquid ſemper tacebo? Miſericors & miſerator Dominus. Ita plane. Adhuc adde, Longanimis. Adhuc adde, Et multùm miſericors* u. *Sed time quod eſt in noviſſimo. Et verax* x. *Quos enim modò ſuſtinet peccantes, judicaturus eſt contemnentes* y. *Largitur tibi ſpatium correctionis, ſed tu plùs amas dilationem, quàm emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto: & hodiernum diem in malitiâ peregiſti, vel cras mutare. Semper expectas, & de miſericordiâ Dei tibi plurimum polliceris: quaſi ille qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam*, ait ſanctus Auguſtinus z.

ſ Ex Pſ. 24.8
t Iſai. 42. 14
u Ex Pſ. 101.8
x Pſ. 85.15
y Ex Rom. 2.4 &c
z S. Aug. tract. 33. in Jo. 8.11

Salvator adorande, *qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* a; conſerva mulieres honeſtas, ut perſeverantes in puritate *uſque in finem* b, ſalvæ ſint, & mercedem conſequantur virtuti ſuæ debitam. Si autem fortè in hâc concione inveniretur aliqua hoc vitio abominabili inquinata, *Obſecro Domine Deus magne & terribilis* c, *per viſcera miſericordiæ, in quibus viſitaſti nos, Oriens ex alto* d; ut eam digneris convertere, eique indulgentiam largiri, ſicut illam impendiſti mulieri adulteræ, dicendo ei, *Nec ego te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare* poſt acceptam gratiam meam in hoc mundo, ſi ſuſcipere velis gloriam meam in altero ſeculo.

a 1. Tim. 2.4
b Matth. 10.22
c Dan. 9.4
d Luc. 1. 78. ex Zachar. 3. 9. & 6.12

FERIA III. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

Nolite judicare ſecundùm faciem: ſed juſtum judicium judicate. Joan. 7. 24. &c.

HÆc eruuntur verba ex magnâ contentione ſeu diſceptatione quæ intervenit hodie in Evangelio noſtro inter Salvatorem noſtrum & Judæos ipſo feſto Tabernaculorum, *Iam autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat.* Cùm veniſſet Dei Filius Jeroſolymam, aliquot elabi permiſit dies, cùm nonniſi ſeptenario dierum concluderetur feſtum numero, expectans donec concurſus populi, & magnus adventantium numerus ſtetiſſet, *Id eſt, feſtivitate Tabernaculorum ſeptem diebus durante, jam pro mediâ parte elapſâ, videlicet quartâ die ejus. Sumitur ergo in iſto capitulo dies feſtus, non pro uno die duntaxat, ſed totalitate dierum ſolemnitatis iſtius,* ait Dionyſius Carthuſianus a. Et tunc prædicare cœpit in medio templi, ſed præ tantâ facundiâ, ut ſibi conciliaverit admirationem omnium Judæorum adinvicem præ ſtupore dicentium, Sub quonam eximio Magiſtro ſic ſublimia edoctus eſt, cùm literis non vacaverit humanis addiſcendis, nec ſcholas frequentaverit, & tamen Scripturam citet, & ſecretiſſima Theologiæ & Legis puncta tangat? *Et mirabantur Iudæi, dicentes, Quomodo hic literas ſcit, id eſt, Scripturas Legis, ac Prophetarum, cùm non didicerit eas ab homine?* exponit idem Carthuſianus. Qui addit, *Audierunt namque excellentiſſima documenta Chriſti, teſtimoniis Scripturarum firmata: & patuit eis, quòd ſcholas non frequentavit, neque ab hominibus inſtructus fuit, ideò mirabantur. Admiratio quippe conſurgit, cùm aliquid novi apparet, cujus cauſa neſcitur. Iſtud verò novum, atque inſolitum fuit, & neſcierunt quòd Ieſus eſſet ille, de quo Iſaias* b *Propheta prædixit, Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, &c. Latuit eos, quòd Ieſus eſſet Deus & homo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* c; *qui ſecundùm naturam aſſumptam accepit à Deo Trinitate omnium præſentium, præteritorum, ac futurorum plenam ſcientiam, ab Incarnationis principio. Veruntamen admiratio horum partim rudis fuit & increpabilis. Cùm enim vidiſſent plura ſigna per Ieſum fieri, quàm fecerunt Prophetæ, debebant attendere, quòd qui Prophetas docuit per inſpirationem internam, docuiſſet & Ieſum Chriſtum ſimiliter. Hinc eſt quòd Matthæus* d *& Marcus* e *referunt dixiſſe Iudæos, Vnde huic ſapientia & virtutes. Nonne hic eſt filius fabri? Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* Quaſi eis diceret, Debetis ſcire, Doctrinam meam non eſſe meam, ſed Patris mei, è quo illam hauſi ut ab origine meâ. *Eſt igitur ſenſus,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus, *Mea doctrina, hoc eſt, prædicatio Evangelica, quæ eſt mea, tanquam loquentis, ac recipientis, non eſt mea, tanquam à ſeipſo eam habentis. Chriſtus enim non ſolùm ſecundum naturam aſſumptam, ſed inſuper ſecundùm naturam divinam accepit à Patre quidquid habet, & eſt, putà eſſentiam, atque ſcientiam. Vel ſic, Mea doctrina, quæ eſt mea tanquam docentis, non eſt mea per ſtudium inſtructionis humanæ, quia per infuſionem eam accepi.* Ut autem vobis iſtam ſuadeam veritatem, ſcitote quia propriæ meæ non invigilo gloriæ, ſed gloriæ Patris mei promovendæ incumbo. Ille qui ſuis ſtudet commodis, & gloriæ ſuæ, proprio nutu verba promit: ſed ille qui ſua non intuetur commoda, & ſolam proponit ſibi Dei gloriam manifeſtare, nihil dicere poteſt, quod non ſit verum, cùm Deus ſit Ipſa *Veritas* f, nec ullo poſſit unquam modo honorari, ſi per impoſſibile mendacium locum inveniat in eſſentiâ illius, *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Operatur enim ex amore privato, non divino, & vanus eſt, ac ſuperbus. Vel ſic, Qui à ſemetipſo loquitur, hoc eſt ex proprio ſpiritu, non ex inſpiratione divinâ, propriam gloriam quærit, quàmvis prædicet vera ac ſancta,* addit idem Carthuſianus. *Qui autem quærit gloriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.* Huc ego veni, non ut honorem mihi conciliem facundiâ ſermonis mei, ſed ut declarem voluntatem Patris mei, in quo graviter hallucinamini, perversè judicantes, & intima cordis mei penetralia pervadere præſumentes, *Nolite judicare ſecundùm faciem: ſed juſtum judicium judicate.* Edocere vos deſidero, Auditores, quomodo ſit nobis procedendum in judiciis temerariis, poſtquàm Virginem ſalutaverimus Deiparam, *Ave Maria.*

a Dion. Carth. art. 19. in Joã. 7. 14. &c
b Iſai. 11.2
c Coloſſ. 2.3
d ex Matt. 13. 54. & 55
e ex Marc. 6. 2. & 3
f Joan. 14.6

Scriptura ſacra repræſentans pulchritudinem paradiſi tereſtris, obſervat, quòd *produxit Domi-*

g Gen. 2. 9

nus Deus de humo lignum ſcientiæ boni & mali g, cujus fructus non erant venenoſi, nec ſalutares; ſicut etiam nec ſapidi aut delicati, nec umbra ejus noxia, nec folia ejus peſtifera. Hinc dixit S. Auguſtinus h, *Quod ergo lignum eſſet, non eſt dubitandum: ſed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mihi autem etiam atque etiam conſideranti dici non poteſt quantùm placeat illa ſententia, non fuiſſe illam arborem cibo noxiam: neque enim qui fecerat omnia bona valdè* i, *in paradiſo inſtituerat aliquid mali: ſed malum fuiſſe homini transgreſſionem præcepti.* Comminiſcuntur Rabbini, illam arborem ſic fuiſſe vocatam, eò quòd per illam agnoſceretur bonum & malum, ut ait Cornelius k, *Iudæi fabulantur, Adam & Evam creatos eſſe ſine uſu rationis, quaſi infantes, ſed ex hac arbore accepiſſe uſum rationis, quo ſcirent bonum & malum.* Quicunque conſiderabit ſtatum Adami & Evæ in paradiſo terreſtri, manifeſtè errorem illorum deteget, ac fallacias: ſi enim producti fuiſſent Protoplaſti noſtri more infantium, quomodo præcepiſſet eis Deus ut liberos progignerent? *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram* l. Univerſarum cognitionum naturæ inſtructam habebat Adam mentem ſuppellectile; omnibus impoſuit nomina animalibus juxta ſingulorum qualitatem & proprietatem: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus* m. Quod oſtendit illos non fuiſſe productos inſtar infantium recenter natorum. Propterea Joſephus celeberrimus inter Authores Judæos, autumat iſtud eſſe commentum, & fabulam, & aliam invenit viam per quam hæc arbor dicatur ſecum invexiſſe facultatem dignoſcendi boni à malo: ait enim, Deum dediſſe proprietatem huic arbori ad agnoſcendam veritatem abſconditam. Videtur autem ipſe habere fundamentum ratione naturali fultum, nimirum, quòd alimentum multùm concurrit ad cognitionem, cui inſervit id, quod educitur è ſpiritibus animalibus, qui formantur è ſanguine puro, ſunt ſpiritus clari & luminoſi, quibus utens deinde anima, nobiliores poſteà formar operationes; unde fit ut illi qui cibis aluntur delicatioribus, ingenium præ ſe ferant ſubtiliorem. *Ioſephus cenſet, arborem hanc habuiſſe vim acuendi ingenium & prudentiam, indeque vocatam eſſe arborem ſcientiæ boni & mali. Idem ſenſerunt Ophitæ apud Epiphanium, qui pro Chriſto coluerunt ſerpentem* n, *eò quòd ipſe homini fuerit auctor adipiſcendi ſcientiam, cùm ei eſum ligni vetiti perſuaſit,* ait idem Cornelius o. Hoc tamen non habet fundamentum: ſi enim fructus iſtius arboris ſic eximiam ſecum tuliſſet cognitionem, nunquam Deus dixiſſet Adæ, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas* p. Quia non eſt inimicus felicitatis noſtræ, & ſic intellectus noſter magis fuiſſet illuminatus: & ego dico quòd iſti priores Rei potiùs fuiſſent miſericordiâ digni, quàm ſupplicio, cùm *de fructu illius* comederunt, cùm ſic ſatisfacere potuiſſent deſiderio ſciendi *bonum & malum* q, quod noſtris ſic eſt innatum affectibus. Præterea, Aliquâ perfuſi fuiſſent conſolatione medios inter dolores ſuos, interventu alimenti fructus iſtius; experimentaliter enim ſuarum didiciſſent notitiam miſeriarum, & ad illas æquanimiter ſeſe diſpoſuiſſent ſuſtinendas. Unde S. Auguſtinus credit, hanc arborem ſic fuiſſe vocatam per anticipationem, antequàm fuiſſet locutus Moyſes de peccato primi hominis: nullam enim habebat Adam notitiam mali ſpeculativam; ſed poſt peccatum inobedientiæ ſuæ, illius propriam habuit experientiam, re verâ miſeri effectus, cùm ad probandam illius obedientiam & inobedientiam, Deus illam arborem produxiſſet, ut docet S. Damaſcenus r, *In medio ipſius, id eſt, paradiſi regione, ſcientiæ arborem Deus plantaverat, ut obedientiæ & inobedientiæ hominis periculum quoddam fieret, eſſetque aliquid, quo utraque explorari atque exerceri poſſet.* Arbor igitur iſta non habuit iſtud nomen niſi per eventum infortuniorum quæ acciderunt Adæ. Sic autem loquitur S. Auguſtinus ſ, *Hinc eſt, quòd poſteaquàm mandatum Dei apertâ transgreſſione violarunt, ſcriptum eſt de illis: Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, quia nudi erant, & conſuerunt folia fici, & fecerunt ſibi campeſtria* t. *Aperti ſunt, inquit, oculi amborum, non ad videndum, nam & anteà videbant, ſed ad diſcernendum bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Unde & ipſum lignum, eò quòd iſtam faceret dignoſcentiam, ſed ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex eâ re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali. Expertâ enim morbi moleſtiâ, evidentior fit etiam jucunditas ſanitatis. Cognoverunt ergo quia nudi erant: nudati ſcilicet eâ gratiâ, quâ fiebat, ut nuditas corporis nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante* u *confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod feliciùs ignorarent, ſi Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent.*

h S. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 6

i Ex Gen. 1. 31

k Cornel. in Gen. 2. 9

l Gen. 1. 28

m Gen. 2. 19

n Ex Gen. 3. 1

o Cornel. in Gen. 2. 9. citans Joſeph. l. 1. Antiq. Judaic. c. 1. & S. Epiphan. hæreſ. 37

p Gen. 2. 17

q Gen. 3. 6. & 5

r S. Damaſc. lib. 2 de fid. Orthod. c. 11

ſ S. Aug. l. 14. de Civit. Dei c. 17

t Ex Gen. 3. 6. & 7

u Ex Rom. 7. 23

Eſto autem quòd hæc culpa videatur levis illis, qui res dumtaxat attendunt ſecundùm apparentias exteriores, hæc tamen illos ſpecialiter efficeret criminoſos: quia Deus exigens præſtandam ſibi obedientiam ab homine in teſtimonium dependentiæ ſui eſſe creati ab ipſomet Deo, rebellis efficitur mandatis ipſius, fructum edendo vetitum, *Oportebat autem ut homo ſub Domino Deo poſitus, aliunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum ſuum virtus eſſet ipſa obedientia, quam poſſum veriſſime dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate, primumque ipſe & maximum vitium tumoris, ad ruinam ſuâ poteſtate velle uti, cujus vitii nomen eſt inobedientia. Non eſſet ergo unde ſe homo Dominum habere cogitaret, atque ſentiret, niſi aliquid ei juberetur,* ait idem S. Auguſtinus x. Dulciores erant alii fructus in paradiſo terreſtri, quibus veſci licebat Protoplaſtis noſtris, ſed neſcio num malitiâ aut ambitione ducti, inſurrexerunt adversùs Dominum ſuum, violando mandatum ejus. Atqui prohibitio *de* non tangendo hoc *ligno ſcientiæ boni & mali*, renovatur & publicatur in mundo: proximus enim noſter eſt arbor iſta: prohibetur autem nobis ne ingredi præſumamus in notitiam cogitationum & actionum ejus: propterea oſtendere volo vobis quantùm delinquamus judicando temerariè de proximo noſtro, Primò Quia judicium iſtud officit honori Dei: Secundò, Quia eſt injurioſum proximo: Tertiò, Quia ignominioſum authori ſuo eſt.

x S. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 6

Diviſio.

I. Pars.

Ut autem ingrediamur ad probandum primum caput, ſcilicet, quòd judicium temerarium quod formatur de conſiliis proximi noſtri, obſit honori Dei, obſervandum eſt ex introitu diſcurſus iſtius, quòd ex omnibus rebus nihil eſt in creaturâ quod noſtræ non expoſuerit & reliquerit Deus curioſitati, & veluti in plateâ collocaverit publicâ quidquid eſt in orbe univerſo ad exercendam mentem humanam; deſeruerit ei cœlos, aſtra, elementa, & univerſas creaturas ſecundùm deſiderium ejus, ſibique ſolam reſer-

vave-

vaverit notitiam noſtrarum voluntatum & cordium noſtrorum, ut illorum eſſet Dominus, ſicut re verâ *Dominus omnium* y eſt; quam ipſis interdixerit dæmonibus, & Angelis. Iſtud eſt quod ſtupore Jeremiam z cit, eumque inducit ad dicendum, & petendum, *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* Inſcrutabilius eſt cor humanum abyſſis maris: conari & tentare poteſt quis mare, ſed cogitationes hominis ipſi ſoli ſunt cognitæ; nihil agnoſcitur præter labyrinthos in corde humano, & curioſi in eo perſcrutando naufragium mentis perpetiuntur, ſolus Deus illius ſibi notitiam reſervavit, ut ait S. Bernardus a, *Conſcientia hominis abyſſus multa. Sicut enim abyſſus exhauriri non poteſt, ſic & cor hominis evacuari a cogitationibus ſuis non poteſt, ſed continuâ volubilitate in eo volvuntur; mare magnum eſt, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus b. Sicut enim reptile latenter repit, & ſinuoſis fractibus huc & illuc deambulat; ita conſcientiam hominis venenata cogitationes intrant & exeunt, ut neſciat homo unde veniant, aut quò vadant. Hoc benè cognoverat qui dicebat: Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? quod ſcrutationem non recipit, nec cogitationem.*

y Eſth. 13. 11.
z Jer. 17. 9 & 10.
a S. Bern. tract. de Interior. Dom. c. 44
b ex Pſ. 103. 25

Sed quare dæmones & Angeli nihil habent videndum & agnoſcendum in intentionibus & cogitationibus noſtris? Quidnam mirabile in illis eſt, & æquè ſpeciale ut illius notitiam comparare ſibi non valeant Angeli? Si enim cogitationes noſtræ ſunt ſpirituales, puri ſpiritus, quales ſunt dæmones & Angeli, illarum cognitionem poſſent ſibi aſcribere: ſi cogitationes iſtæ ſunt finitæ & limitatæ, non deberent illæ effugere cognitionem Angelorum, quia illorum notitia eſt magis elevata quàm ſint cogitationes noſtræ. Quòd enim actus voluntatis noſtræ ſint liberi, hoc ſolùm innuit qualitatem, quæ deſignat originem, è qua procedunt, & ideò nulla videtur eſſe ratio propter quam dæmones & Angeli noſtras perſcrutari videantur non poſſe cogitationes, & intentiones.

Omiſſis multis, quæ ſuper hoc quæſito dici poſſent, aſſero, rationem, propter quam dæmones & Angeli noſtras non poſſunt cognoſcere cogitationes & intentiones, eſſe, quia non habent capacitatem naturalem earum cognoſcendarum: *Hinc Scholaſtici in materia de Angelis docent, Angelos non poſſe naturaliter præſentes (multò minùs futuras) hominum cogitationes, & intentiones cognoſcere, niſi voce, aut ſigno prodantur*, ait Cornelius c. Non quòd Deus renuat illis concurſum ſuum; ſi enim illarum facultate vigerent cognoſcendarum, & Deus illis ſuum ſubtraheret auxilium, hoc eſſet extraordinarium: res eſt ordinaria igni quòd comburat; ideò credimus quòd urat, hoc eſt, quia ei Deus ſuum præbet adjutorium ad producendas operationes ſuas: ſi igitur hæc cognitio naturalis eſſet Angelis, miraculum foret continuum, ſi Deus illis ſuum recuſaret concurſum: ſed ratio fundamentalis eſt, quia mens eorum non habet neceſſitatem antecedentem ad producendum illud lumen. Præterea. Deeſt illis ſpecies, quæ eſt imago repræſentativa objecti. Ut potentia aliqua agat, non ſufficit ut ipſa ſit bene diſpoſita, ſed oportet ut objectum in facultatem mittat aliquam ſpeciem, cujus interventu ſuam producat operationem. Et ideò duo requiruntur ad producendam cognitionem, primum, illud lumen, hæc acies ſpeciei; ſecundum, aliqua ſpecies objecti: atqui Angeli non habent iſtam ſpeciem: & conſequenter impoſſibile eſt ut ſuas producant cognitiones. Verum quidem eſt, illos habere omnes ſpecies rerum naturalium, & quòd confeſtim ac illæ productæ ſunt extra cauſas ſuas, illas vident intuitivè, agnoſcunt motus cœlorum, periodos aſtrorum, eclypſes Solares & Lunares centum annis antequàm accidant, nedum quantùm ad unum [illegible]cipiantur momentum. Quoad res naturales, nihil præterlabitur illorum cognitiones; ſed non habent ſpecies rerum poſſibilium, nec ſpecies intelligibiles cogitationum & intentionum noſtrarum, quia iſtæ non continentur in ordine & ſerie rerum naturalium; ipſæ ſunt in ſtatu rerum moralium, ſicut etiam voluntas noſtra, & illuc uſque ſuas non extendunt illi cognitiones: hoc autem dico non ſolùm de voluntate, ſed etiam de cogitationibus & intentionibus quæ pertinent ad ordinem voluntatis, cum libertas ſit in intellectu: cogitatio igitur eſt in ordine morali, quia habet libertatem, & ab ea pendet: & ideò dico, Angelos noſtras cognoſcere non poſſe cogitationes.

c Corn. in Jer. 17. 10.

Sed quare Deus renuit illis iſtam ſpeciem? Ratio iſtius in promptu eſt; Propter infortunia quæ acciderent, ſi homines, aut dæmones conciliare ſibi poſſent notitiam cogitationum & intentionum noſtrarum: homines enim mutuâ ſe internecione delerent, quia viderent prava conſilia, & odia in ſuorum cordibus inimicorum: ſic paterent indignationes & affectus oppoſiti inter viros & uxores. Propterea inconcinnè peteret quis ut feneſtra aperiretur circum cor hominis, ut celebris eſt apologus, *quem inter alios refert Lucianus; Momum reprehendiſſe Vulcanum, quòd non feneſtratum pectus hominis feciſſet, quo ejus cogitata planè viderentur*, ait Cornelius d. Si enim daretur hujuſmodi feneſtra, per quam intima pervaderentur, non poſſent homines inter ſe converſari, nec aliquo modo in publicum prodire. Deinde, Si dæmones noſtras cognoſcerent voluntates, omnia everterent in conſcientiis noſtris. Ecce prima ratio propter quam nec iſti, nec illi habent ſpecies; ſed ſolus Deus noſtrarum ſibi reſervavit notitiam cogitationum.

d Idem ibi citans Lucianum Hermot.

Sed ſecunda ratio, propter quam corda noſtra ſunt hominibus abſcondita, eſt, Quia homo abſolutum ſuper ſuas actiones habet dominium, quia ſupremâ à Deo donatus eſt libertate, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi* e. Unuſquiſque poteſtatem habet obſerandæ domus ſuæ, & auferendarum ciſtarum ſuarum quòcumque voluerit, nedum in eam poſſit aliquis ingredi, aut rationem petere, quare arcas ſuas ipſe aliò transferat, niſi fortè Rex, aut aliquis alius ab eo miſſus: aliquo enim jure viget Rex ſuper domos veſtras, & ſuper bona veſtra ratione poteſtatis ſupremo ipſius dominio annexæ: ita in nobis eſt cor noſtrum tenere abſconditum, nedum in illud ſuam præſumat aliquis inferre curioſitatem, niſi Deus, qui eſt *Rex Regum, & Dominus dominantium* †. Qui imperium ſuper voluntates veſtras habet abſolutum, à quo omnino pendetis: ipſe veſtrorum habet clavem cordium, *Homo enim videt ea quæ parent,*

e Eccl. 15. 14. & 18.
† 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.

f 1. Reg. 16. 7

Dominus autem intuetur cor f. Et poteſt, cùm ipſi placet, agnoſcere ea quæ in iiſdem peraguntur cordibus; & iſtud ipſe ſibi reſervavit jus ut ſpecioſiſſimum ſuæ Regiæ dignitatis inſigne: cùm enim homo ſe abſcondit in abyſſo cordis ſui, Divinitatem exhibet venerabilem, quia latere poteſt homines & dæmones, & non Deum, qui unico intima cordis noſtri penetralia momento pervadit, *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus. Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* g. Quod appoſitè ad rem noſtram explicat ſic Dionyſius Carthuſianus h, *Vivus eſt enim Sermo, id eſt, Verbum, ſeu unigenitus Filius Dei. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo* i. *Et efficax, id eſt, omnipotens, prout Sapiens ait: Dum medium ſilentium tenerent omnia, omnipotens Sermo tuus Domine à regalibus ſedibus veniens* k. *Et rurſus idem, Omnium enim eſt Artifex omnem habens virtutem, omnia proſpiciens* l. *Et penetrabilior, id eſt, acutior omni gladio ancipite, id eſt, ex utraque parte acuto. Non enim poteſt gladius tam intimè corpori imprimi, quam intimè Filius Dei dilabitur omnibus rerum eſſentiis. Cùm namque ſit verus Deus, omnia penetrat, implet, & continet, eſtque intimior omni rei quàm ipſa, aut pars ejus ſibi. Et pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, id eſt, tam intimus homini ut inter ſenſualitatem & rationem diſcernat. Vel per animam & ſpiritum eadem hominis forma ſignatur. Quæ dicitur anima quantùm ad vires ſenſitivas, & ſpiritus quantùm ad vires intellectivas. Tanta eſt autem perſpicacitas Verbi Dei, ut diſtinguat animam ſecundùm partem ſenſitivam, à ſeipſa ſecundùm partem intellectivam. Compagum quoque & medullarum, id eſt, ſubtiliſſima quæque corporis interiora perſpicit & diſtinguit. Compages autem ſunt juncturæ corporis nervis colligatæ. Medullæ verò intra oſſa incluſa ſunt. Et hic Sermo, Verbum, ſeu Filius Dei eſt diſcretor, id eſt, dijudicator & cognitor cogitationum non ſolùm earum quæ ſunt in virtute cognitiva organica, ſed & earum quæ ſunt in potentia intellectiva inorganica. Et intentionum cordis, id eſt, ordinationum finalium. Deus quippe non ſolùm inſpicit cogitationes, ſed cernit ad quem finem quælibet cogitatio ordinetur à cogitante. Vnde Iob* m *dicit: Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, id eſt, omnia ſine exceptione manifeſta ſeu nota ſunt conſpectui Filii Dei. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit* n. *Omnia autem nuda, id eſt, intimè certa & ſine velamine patula, & aperta ſunt oculis ejus, id eſt, menti ejus Divinæ, imò & Animæ Chriſti omnia creata ſunt cognita. Ideò ſcriptum eſt, Oculi Domini multò plùs lucidiores ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum. Domino enim Deo antequàm crearentur, omnia ſunt cognita* o. *Ad quem increatum Dei Sermonem, ſeu Filium eſt nobis ſermo, id eſt, et tanquam Iudici nos aſtare, & rationem reddere oportebit.*

g Hebr. 4. 12. & 13
h Dion. Carth. art. 4 in Hebr. 4. 12 & 13
i ex Joan. 5. 29.
k ex Sap. 18. 14. & 15.
l ex Sap. 7. 21. & 23.
m Job 42. 2.
n ex Joan. 5. 20.
o ex Eccl. 23. 20. & 29.

Hâc doctrinâ ſuppoſitâ, videte quàm multùm obſint honori Dei illi qui temerariè judicant de cogitationibus & intentionibus proximi ſui. Deus reſervavit ſibi judicium, & homines uſurpare præſumunt jus & authoritatem illius, & communicare poteſtati ejus. Nunquid non hoc eſt inaudita impudentia ac inſurgere in poteſtatem illius, Prophetæ ſibi partes & officia vendicare, & homines judicare? Iſtud eſt ſedere in tribunali juſtitiæ ejus contra omnem æquitatem, & proprium Dei jus ſibi arrogare, *Qui autem judicat me, Dominus eſt*, ait S. Paulus p, inſolentes iſtos alloquens. Et ſtatim ſubdit, *Itaque nolite ante tempus judicare: quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Quod ſic ad propoſitum noſtrum explicat idem Carthuſianus q, *Qui autem judicat me, id eſt, ad quem pertinet abſolutè judicare de ſecretis cordis mei, Dominus eſt, qui ſolus novit corda humana: nam & Pater omne judicium dedit Filio* r. *Itaque nolite ante tempus extremi judicii judicare judicio diffinitivo de ſecretis & dubiis, maximè aliorum, quoadusque veniat Dominus ad judicium, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, id eſt, peccata occulta faciet manifeſta, ponendo ea in lumine cognitionis, quemadmodum ait, Nihil occultum quod non ſciatur* ſ. *Et manifeſtabit conſilia cordium, an bona & juſta fuerint, an non, prout per Iſaiam* t *proteſtatur, Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio ut congregem.*

p 1. Cor. 4. 4. & 5.
q Dion. Carthus. 4 in 1. Cor. 4. 4. & 5.
r ex Joan. 5. 20
ſ ex Matth. 10. 26. & ex Marc. 4. 22. & ex Luc. 8. 17.
t Iſai. 66. 18.
II. Pars.

Dico ſecundò, quòd judicium temerarium eſt maximè injurioſum proximo, eripiens ei honorem & famam ipſius. Et ratio iſtius eſt, Quia omnes ſubditi alicujus ſtatus reſervantur coram Judicibus, qui aſſignati ſunt ad cognoſcendum de eorum cauſis; unusquisque habet ſuum diſtrictum, diœceſim, juridicatum, præfecturam Provinciæ ſpecialem, propterea inſtituta ſunt municipia, præfecturæ & diœceſes, ut ibi judicetur unusquisque juxta qualitatem & conditionem ſuam. Videmus enim quòd ſervi domeſtici Regis judicentur à prætorianis Judicibus: quòd materiæ beneficiales tradantur diſcutiendæ magno Conſilio: quòd præfectura equitum, ſeu comitatus ſtabuli cognoſcit de capturis & aliis hujusmodi quæ inter viros militares in caſtris peraguntur: quòd maris præfectura, ſeu forum maritimarum controverſiarum verſetur circa capturas quæ fiunt in mari; ita ut Judices ſint determinati ad judicandum juxta differentes cauſas, & ſecundùm perſonarum qualitates: & Magiſtri equitum, ſeu Præfecti equitatui in Gallia judicantur à ſuprema Curia Pariſina: velle igitur educere Reos è præfectura, coram qua jus dicere habent, eosque transferre in aliam, cui non ſubjacent, iſtud fieri non poteſt niſi authoritate Regiâ. Nunquid profectò ſi placet, magnæ temeritatis non inſimulandus eſſet Judex ſubalternus præfecturæ alicujus, ſi contra Magiſtrum equitum, ſeu Præfectum equitatui in Gallia, juridicè procedere attentaret, & ſi inquiſitionem faciens ſuper vitam ejus, decretum capitis adversùs illum ferret? Quid diceretur de hoc auſu temerario? Nunquid non laceraretur decretum, ab illo editum? Nonne ad mulctam condemnaretur hic inſolens, eò quòd ipſemet condemnaſſet hominem, ſuper quem nullâ vigebat juriſdictione? Atqui iſtud idem eſt, quod peragitis, Auditores, cùm judicatis de cogitationibus & intentionibus proximi veſtri: illum enim educitis è præfectura ad aliam, cui non ſubjacet; evellitis eum è tribunali Dei, ut trahatis illum ad tribunal humanum, coram quo nullum jus tenetur dicere: magnam igitur irrogatis ei injuriam: diſponitis enim vos ad judicandum illum, nedum videtis proceſſum actionum ejus; ut hypocritum, ut perfidum, ut impudicum condemnatis eum; ecce modus procedendi à juſtitia & jure alienus. Auſcultate igitur Dionyſium Carthuſianum u edo-

u Dion. Carth. a. 1. 9. 10 ... 24.

edocentem vos quomodò in judiciis hujuſmodi procedere debeatis, *Nolite judicare ſecundùm faciem ſuperficialiter, ſecundùm ſolam apparentiam, ſecundùm, ignà incerta, ſecundum ſenſum exteriorem. Tale namq; judicium ſæpiùs fallit. Sed juſtum judiciũ judicate hoc eſt, judicando diſcernite, ac proferte, judicando ſecundùm rationem informatam prudentiâ, regulatam juſtitiâ, procedentem ſecundùm ordinem juris, & veritatem rei diligenter penſantem. Præcipit ergo Chriſtus ut judicemus eo modo quo Iſaias x prædixit de ipſo, Non ſecundùm viſionem (inquit) oculorum judicabit, neq; ſecundum auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia. Quod igitur in Matthæo y ait Salvator, Nolite judicare, ut non judicemini, dictum eſt de judicio inordinato, videlicet uſurpatorio, ſuſpicioſo, perverſo. Deniq; ad rectitudinem ſeu veritatem judicij exiguntur, Ut procedat ex lumine rationis, non ex impetu paſsionis. De hoc multa dicuntur in libro Iob, ut eſt illud, Nunquid ſapiens reſpondebit, quaſi in ventum loquens, & implebit ardore ſtomachum ſuum z? Et illud, Quid perdis in furore animam tuam a? Et, Reſpondete abſq; contentione b. Paſsiones quippe actum rationis impediunt. Ut judicium ordinetur ad bonum ejus qui judicatur. His itaq; obſervatis erit judicium verum, veritate juſtitiæ; & doctrinæ, hoc eſt æquum & ſapientiale.*

x Iſai. 11. & 4.
y Matt. 7. 1
z Job 15.
a Job 18. 4
b Job 6. 29.

Præterea, injuſtitia, quam perpetratis, cùm cor proximi veſtri perſcrutari ſatagitis abſque probatione evidenti, & ſine ſufficienti ratione, in eo eſt ita, ut auferatis ab eo famam illius, quam cuſtodire ei tenemini; & tamen unicus vel intuitus, aut riſus ejus modicus inducet vos ad judicandum, illum eſſe vitæ profligatæ hominem: & licèt crimina ejus eſſent vera, ea tamen ſunt incognita hominibus, coram quibus illum infamatis, cùm judicio veſtro temerario detractionem annectitis, in quo maximam irrogatis illi injuriam quantùm ad honorem ejus, & immodicam vobis infertis ignominiam, æquè ac nocumentum, cùm hæc & illud in genere ſuo ſint peccatum lethale.

III. Pars.

Hinc videre debetis, judicium temerarium eſſe authori ſuo ignominioſum. Illi qui facilè judicia formant temeraria, obnoxii ſunt pudori, qui ex eo ſequitur: iſtud autem motivum deberet illos retinere à formandis hujuſmodi judiciis: quia illi qui in ſuis temerarii ſunt judiciis, non ita ſanâ vigent mente: homines ſapientes lentè procedunt in modo agendi quantùm ad judicandum; imò verò antequam judicent, volunt audire Partes ſemel & iterùm, ne decipiantur, ſibimetipſis diffiſi, eò quòd tot & tantæ inveniantur fallaciæ in rebus hujus ſæculi, ut vel Sapientiſſimi circa eas errent: in hoc adhæremus Deo, qui licèt notitiam habeat infinitam & intuitivam omnium rerum, ut ſuprà fusè inventum eſt, ita tamen lentè proceſſit, cùm pœnas de infamibus civitatibus Sodoma & Gomorrha voluit capeſſere, Abrahæ dixit itaq; Dominus: *Clamor Sodomorũ & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo utrùm clamorem qui venit ad me opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam* c. Super quod Cornelius d ait, *Ex hoc loco Concilium Lateranenſe* e *monet Iudices, ne facilè accuſationibus credant, ſed ut lentè & maturè tactas Dei examinent & inquirant, antequam Reum condemnent: nam, ut ait Seneca* f, *Veritatem dies aperit, poteſtq; pœna dilata exigi, exacta revocari non poteſt. Idem cuiq; faciendum, ne facilè accuſatoribus, vel detractoribus credat. Eſt enim puſilli animi citò iraſci, & credere rumoribus. Sæpè enim ſiniſtra rumoris malignitas dat initium, credulitas incrementũ. Deus, inquit Philo* g, *dicitur adviſendum deſcendere, qui omnia priuſquàm fiant providet manifeſtiſſimè ut doceamur, ne quis homo de abſentibus, & futuris & incertis putet ſe poſſe conjecturã facere, ſed prius maximè proſpicere debet, uſque cùm certus potiùs quàm fallax auditus, teſtis adhibendus eſt.* Et S. Gregorius h exponens illa verba Iob *Et cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam ait: Deus, tum omnia illi nuda & aperta ſint, mala Sodomorum punivit non audita, ſed viſa. Hinc S. Chryſoſt. commendat Prælatis, ne aliquid definiant propter ſolos vulgi rumores. Noli, inquit, ex ſuſpicione tua judicare, antequàm diſcas utrùm res ita ſe habeat, neq; aliquem culpa: ſed potiùs Deũ imitare, qui ait, Deſcendam, & videbo. Notus eſt Theodoſii Imperatoris lapſus in præcipitata ſententia & cæde Theſſalonicenſium, cujus cum. monitu S. Ambroſij, poſteà adeò pœnituit: Davidis circa Miphiboſeth* i. Imò verò tantùm abeſt ut cùm pergeret Deus ſumptum pœnas de Sodoma & de Gomorrha, dixerit ei Abraham, In civitatibus illis, Domine, juvenes impudicos, & iniquitates deprehendes inauditas; ſed econtra enixè rogavit eum ut illis hujuſmodi execrabilia condonaret facinora, *Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino. Et appropinquans ait: Nunquid perdes Iuſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta Iuſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quinquaginta Iuſtos, ſi fuerint in eo? Abſit à te, ut rem hanc facias, & occidas Iuſtum cum impio, fiatque Iuſtus ſicut impius, non eſt hoc tuum qui judicas omnem terrã: nequaquam facies judicium hoc, &c* k. Super quod idem Cornelius l ait, *Unde de eo ſubdit Moyſes. Abraham adhuc ſtabat (in oratione, ut addit Chaldæus) coram Domino: eum enim orat Abraham uſq; ad finem capitis, ut Sodomæ parcat.*

c Gen. 18. 20. & 21.
d Corn. in Gen. 18, 21.
e Conc. Lateran. ſec. c. de Inquiſition.
f Sen. l. 2. de Ira.
g Philo de Confuſio. Linguar.
h ex S. Greg. l. 19 Mor. c. 14. in Job 29. 16.
i ex 2 Reg. 16. 4. &c. & ex 2. Reg. 19. 27 &c.
k Gen. 18 22. &c.
l Cornel. Gen. 18. 22.

Ex hac autem veritate ſic benè ſtabilita in mentibus veſtris, eruamus duo remedia ad inſtructionem noſtram conducentia. Quantùm ad prius, intueamur conſcientiam noſtram, non autem alienam: magna quippe eſt differentia inter cor & faciem: cùm judicatis temerariè de proximo veſtro, intuemini conſcientiam veſtram, & in ea diſcutienda quid pejus invenietis, quam reperiatur in aliena: *Quàm autem perverſum ſit illiuſmodi de alio judicare, innoteſcit ex plurimis locis Epiſtolarum Pauli, ſiquidem fatetur, dicens, Inexcuſabilis es ô homo omnis qui judicas. In quo enim alium judicas, teipſum condemnas* m. *Et alibi* n *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum?* *Itaq; nolite judicare, judicio uſurpatorio, temerario, ſuſpicioſo, vel de incertis & cæteris modis inordinatis jam dictis. Ut non judicemini judicio reprobationis à Deo, tanquam tranſgreſſores præcepti de non judicando. In quo enim judicio judicaveritis, id eſt, ſecundùm qualitatem meriti vel demeriti veſtri, quod incurritis judicando benè vel malè, judicabimini à Deo, qui reddet unicuiq; quod meretur. Si ergo temerariè judicatis, ipſa temeritas veſtra vobis nocebit, voſque damnabiles faciet. Et ſi rectè judicatis, rectitudo veſtra vobis proficiet,* ait Dionyſius Carthuſianus o.

m ex Rom. 2. 1
n Rom. 14. 4.
o Dion. Carth. art. 15. in Matth. 7. 1. & 2.

Quandiu mox futura Samuelis mater *Anna loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur; æſtimavit eam Heli temulentam, dixitque ei, Uſquequò ebria eris? digere paulìſper vinum quo mades. Reſpondens Anna, Nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini* p. Etiamſi Scriptura fidem faciat, quòd

p 1 Reg. 1. 13. &c.

Iob erat vir ſimplex & rectus, ac timens Deum. & recedens à malo; & quòd non eſſet *ei ſimilis in terra* q: tamen poſtquàm *egreſſus Satan a facie Domini percuſſit Iob ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem ejus: qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio*: *tres amici* r illius exiſtimaverunt eum flagirioſum hominem, & ideò propter ſcelera ſua a florenti ſua fortuna ſuper ſterquilinium in miſeriam inauditam redactum à Deo, qui pœnas de criminibus ejus capeſſeret, *Reſpondens autem Eliphaz Themanites dixit, Nunc venit ſuper te plaga* ſ. Super quod Bolducius t ait, *Plaga eſt pœna peccati, quæ ventre dicitur eo prorſus modo, quo inciſio apoſtematis debitè & opportune facta à Chirurgo ventre dici poteſt. Nempe inflammatur in modico pars corporis, inflammatio ſenſim ſimul cum apoſtemate augeſcit in dies, donec ad maturitatem veniens pus inciſione erumpit. Sic aliquis tentatur ardore libidinis, ira, avaritia, quorum affectuum frequentatis actibus tandem fit, ut in anima à planta pedis uſque ad verticem non ſit ſanitas*: *eò quòd vulnus, & livor, & plaga tumens* u. *Cæleſtis tandem accedit Chirurgus, qui cùm videt completam eſſe malitiam* x. *lanceola puncturâ vehementis alicujus ægritudinis, vel afflictionis cuſpide pungit conſcientiam, quæ ſimul cum lacrymis per Confeſſionem, magnam ſaniei copiam effundit peccatorum.* Et tamen Deus hæc mala non immiſerat ſuper Job niſi ad exercendam patientiam ejus, & ad illum conſequenter *gloriâ & honore* y in æterna felicitate coronandum. Quod profectò oſtendit magnam differentiam inter cor & faciem, & quòd illi cauteriatam haberent conſcientiam, cùm eam Anna & Job haberent ſanam.

Poſterior inſtructio, quam debemus hinc educere, eſt charitas, quia, ſecundùm Apoſtolum z, *Charitas non cogitat malum.* Interpretatur illa omnia in bonam partem, oculos præ ſe fert columbæ, puros, ſimplices, & innocentes, quales aſſerit Sponſus eſſe oculos Sponſæ ſuæ, *Oculi tui columbarum* a. Super quod de Poore b introducit Dilectum ſic alloquentem Sponſam ſuam, *Videntur mihi oculi tui pulchri, ſicut columbæ ſimplices, fœcunda, ac amoris & concordiæ ſymbolum præ ſe ferentes, quoniam ſimplici & puro corde, magnoque amoris affectu me intuiti, & contemplati ſunt, ac inſuper fœcundi, ardentes pepererunt affectus & deſideria, ut ab aliis etiam viderer, & diligerer ſicut à te.* quandiu illorum actiones, cogitationes, & intentiones favorabiliter interpretata es. Hos oculos impertitur charitas animæ: non poteſt charitas oculos præ ſe ferre niſi amoris & benevolentiæ. Iſtis utamur oculis ad intuendum proximum noſtrum, ad judicandum de actionibus, cogitationibus, & intentionibus ejus, conſiderantes quòd *ad imaginem Dei factus eſt* c. *Pretio magno* d emptus fuit, nimirum ſuis *à peccatis in Sanguine* e Chriſti lotus eſt. Et licèt aliquibus obnoxius ſit defectibus, hoc impedire non debet quin honoremus eum, non propter defectus illius, ſed ob excellentias, quas aliunde in eo obſervamus. Juxta tritum proverbium, unusquisque alios æſtimat ſibi ſimiles. Virtutis amantes credunt alios virtute præditos & flagirioſi imaginantur univerſos alios eſſe criminoſos. Nero, qui non videtur editus in lucem niſi ut evaderet opprobrium & ignominia naturæ, perhibetur dixiſſe ut plurimùm, Illi, quos videris modeſtiam præ ſe ferre, ſunt hypocritæ; virtutem oſtentant ementitam, ut ſua tegant crimina: & ille *animalis homo non* percipiens *ea quæ ſunt Spiritus Dei*: *ſtultitia enim illi* erat, *& non intelligere* f poterat, imaginabatur non poſſe ſervari caſtitatem: licèt verum ſit, quòd *ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum* g. Alienas diſſimulat culpas charitas: ſi illæ ſe manifeſtent, excuſat ipſa eas, quantùm poteſt, & ait, Illud eſt humanæ imputandum infirmitati: ſi Deus ſuis nobis non auxiliaretur gratiis, unusquisque noſtrûm in majora impingeretur ſcelera. Judicemus de omnibus ſincerè, ut Deus ſuæ participes nos faciat gratiæ, & aliquando gloriæ ſuæ.

q Job 1.1. &c.
r Job 2. 7. &c.
ſ Job 4. 1. & 5.
t Bolduc. Capuc. in Job 4.5.
u ex Iſai. 1. 6.
x ex 1. Reg. 20. 7.
y Pſ. 8. 6.
z 1. Cor. 13. 4. & 5.
a Cant. 4. 1.
b De Pont. lib. 7 in Cant. 4. e. Exhort. 1. §. 3.
c Gen. 1. 26.
d 1. Cor. 6. 20.
e Apoc. 1. 5.
f 1. Cor. 2. 14.
g Matt. 19. 12.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate: & interrogaverunt eum diſcipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Ieſus, Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Joan. 9. 1. &c.

JUxta judicium Spiritus ſancti vita & mors pari incedunt greſſu, *Dominus mortificat, & vivificat* a. Ambæ ex eodem oriuntur principio, *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen* b. In Deo viva eſt origo vitæ, quæ vivificat omnia, quæ vivunt, Filius verò ipſius eſt ipſamet vita, *Ego ſum Vita* c, ſicut ab ipſo eſt lumen gloriæ, cujus interventu & auxilio videbimus tandem aliquando *lumen* increatum, unum, æquale, & idem ac lumen ipſius, ad quod nunc accedere non poſſumus, cùm cognitio, quam modò habemus illius, non ſit niſi in ænigmate, & quaſi ex transverſo velaminis, ac quaſi adminiculante ſpeculo præ reflexione veræ fidei, quæ eſt donum procedens ex eodem ipſius lumine, illuſtrans animas noſtras radiis ſplendoris ipſius infiniti d, qui nobis aliquando revelabitur facie ad faciem, ut illum contemplemur ad votum, interventu luminis gloriæ, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* e. Lumen autem oculorum, ſeu viſus tanti eſt momenti, ut quis in extremam ſe redactum eſſe exiſtimet miſeriam, qui eo planè orbatus eſt. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video* f? Quânam perfundi poſſum conſolatione, poſt amiſſum lumen oculorum meorum? aiebat deſolatus ſenior Tobias. Sed tandem hoc infortunium ſoli competit corpori. Poteſt quis orbari oculorum lumine, & ſubtili ingenii acie pollere, ritè ratiocinari, eſſe peritus ſcientiarum, & animum præ ſe ferre apprimè illuminatum. Lumen animi majoris eſt momenti, quam ſit lumen corporis, cùm foveatur illud gratiâ, quâ Maria erat jam repleta, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a 1. Reg. 2. 6.
b Pſ. 35. 10.
c Joan. 14. 6.
d Baruch 3. 25.
e 1. Cor. 13. 12.
f Tob. 5. 12.

Mundus

Mundus in ſignificatione ſua univerſali eſt nomen æquivocum, quod multas res ſignificat. Plures autem mundos invenio, mundum Archetypum, qui eſt primus mundus; ſeu mundũ Divinum, qui eſt fœcundus intellectus Dei omnium rerum interiorum ſicut & exteriorum Opifex. In illo mundo Pater æternus infinitâ ſuîipſius cognitione, & ſupremarum omnium ſuarum perfectionum, quæ eſt actio immanens, pro-

g Pſ. 44. 2.

ducit *Verbum* g ſuum, ut ſpecioſum lumen de lumine ſplendenti, *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, ut concinit Eccleſia. Pater & Filius ut unicum principium unitum voluntate ſuâ

h Joan. 15 26.

producunt *Spiritum* h ſanctum. Ad extra primus ille mundus alium producit mundum, putà An-

i Gen. 1. 3

gelicum i, mundum totum purum in natura, in ſubſtantia, & in operationibus ſuis. Operatio autem Dei nobiliſſima ad extrà eſt Reſpublica ſpirituum beatorum in cœlo. Tertius mundus eſt elementaris, qui quatuor complectitur ele-

k Jo. 1. 10.

menta, *Mundus per ipſum factus eſt* k. Quartus tandem mundus, eſt id, quod vocamus hominem, microcoſmus, parvus mundus, qui in ſumma continet quidquid eſt in aliis mundis; in quo omnes qualitates diſſymbolæ inveniuntur unitæ. Habet quippe eſſe cum lapidibus, vegetabile cum plantis ſenſum cum animalibus, intelligen-

l Matt. 25. 34. &c.

tiam cum Angelis, & æternitatē l cum Deo m.

m Dan. 13 42.

In hoc autem mundo quamplures ſunt cæci, loquor etiam de Chriſtianis, de quibus dicitur, *Di-*

n Joan. 3. 19.

lexerunt homines magis tenebras, quàm lucem n. *Et*

o Joan. 1. 5

lux in tenebris lucet o. Ipſe eſt mundus, quem Dei Filius excommunicat, & orationibus ſuis

p Jo. 17. 9.

privat, *Pro eis rogo, non pro mundo* p, cujus anima

r 1. Jo. 5. 19

eſt malitia, *Totus mundus in maligno poſitus eſt* r. *In*

ſ Lyran. in hunc loc.

malo igne concupiſcentiæ, ait Lyranus ſ. Cujus ſupremus dominus eſt diabolus *Princeps hujus mun-*

t Jo. 12. 31

di t. Qui mundus cæcus eſt. Cauſæ autem hujus cæcitatis ſunt tres, *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, &*

u 1. Joan. 2. 16.

ſuperbia vitæ u. Videamus hujus cæcitatis ſpiritualis cauſas & remedia, in tribus partibus hu-

Diviſio.

jus diſcurſus.

I Pars.

Infelicitatum omnium, quibus affici poſſit corpus, maxima eſt cæcitas, quia per hanc impotentiam videndi anima eſt veluti captiva in medio ſui ipſius, cùm eâ non polleat poteſtate hauriendæ voluptatis ex jucunda & multigena diverſitate objectorum luminoſorum, quæ natura produxit ut ipſius inſervirent deliciis. Quin imò ipſa eſt veluti mortua aliquo modo; quia cùm non poſſit recipere in ſe objecta & ſpecies, quæ paſcendæ ſubſerviunt imaginationi, incapax ipſa eſt quæ exerceat hanc operationem vitalem. Quid autem aliud eſt, non poſſe perfungi actionibus ſuis vitalibus, niſi habere eſſe privatum eo omni, quod requiritur ad hunc effectum producendum? Sicut vita terminatur ad oculos; ſic ab oculis mors ipſa incipitur. Si enim, ſecundum Medicos, *cor eſt primum vivens, & ultimum moriens*; ſic dicere debemus, oculos eſſe ultimos viventes, & primos morientes. Hoc evidenter patet in catellis, qui aliquando ſtatim poſt nativitatem nondum habent palpebras oculorum apertas, unde videre poſſint. Nunquid autem non dicitur, cùm infirmus aliquis claudit oculos, vicinus eſſe ipſe capulo, & ad mortem veloci curſu appropinquare?

Sed quid prodeſt deplorare infortunium ita exigui momenti, & quod ita parùm attinet ad animam rationalem, quæ eſt præcipua pars totius noſtri compoſiti? Defleamus potiùs infelicitatem cæcitatis ſpiritualis ipſius, quæ eò magis hominem afficit, quò magis ſpiritus eſt ſupra corpus elevatus. Hæc ipſa ſiquidem eſt, propriè loquendo, quæ ipſam animam efficit captivam, & ei eripit libertatem; hæc ipſa eſt, quæ vitam animæ adimit, aut ſi ſinit ut ipſa vivat, tunc vivit ipſa anima quidem, ſed vitam tranſigit nobilitate ſuâ indignam, & vitam, quam habet cum animalibus communem. Intellectus eſt animæ id, quod oculus eſt corpori; iſte eſt nobiliſſima totius corporis pars; ille verò pars totius animæ præſtantiſſima; ipſe eſt ſuprema potentia, & Regina omnium facultatum ſpiritualium. Infortunium autem re verâ eſt deplorandum, quòd, ſicut hæc infelicitas eſt omnium maxima, ita & eſt omnium maximè communis. Et ratio iſtius eſt: Quia temperamentum rerum nobiliſſimarum eſt maximè exquiſitum, & ut ſic deſtructu facillimum.

Lux eſt res omnium mundi totius ſpecioſiſſima, gratiſſima, & maximè neceſſaria, cùm ipſa ſit quæ res inaurat, illas manifeſtat, eisque decus ac maximum ſplendorem affert. Lumen beatificum, quod appellamus gloriæ, reperitur in cœlo; ipſum eſt, quod elevat intellectum noſtrum ad videndum Deum. Lumen eſt neceſſarium ad renovationem hominis; ad juſtificationem ipſius requiritur gratia, quæ diſſipat omnes ipſius tenebras. Idcircò convertebantur aliàs Catechumeni in Orientem, & dum catechizabantur, dicebatur eis, *Eratis aliquando tenebræ,*

x Epheſ. 5. 8.

nunc autem lux in Domino x. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis* y. Et ſicut à

y Rom. 13 12.

principio mundi creavit Deus lucem z, eundem

z Gen. 1. 3

obſervat procedendi modum in juſtificatione peccatoris. Ideò ſacer Textus loquens de converſione Sauli, ait, *Subitò circumfulſit eum lux de*

a Act. 9. 3

cœlo a. In Sacramento Baptiſmi ſuſcipimus hoc

b Joan. 3. 5

lumen in ſpecioſis illis aquis b, in quibus gratiæ vivere incipimus; ſumus autem veluti hi piſces qui moriuntur extra aquam, quia cùm non habeant pulmones, nullam habent reſpirationem, & ſic vivere non poſſunt extra aquam. Chriſtiani ſunt ſicut iſti piſces, & de Saulo dici-

c Act. 9. 18

tur, *Ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ* c. Neceſſarium eſt ergo lumen, quod nos illuminet, cujus defectus non poteſt nobis eſſe niſi maximè noxius. Interea ſi petatur à me, unde proveniat tanta cæcorum multitudo, ut de illis re

d Eccl. 1. 14.

verâ poſſit dici ac de ſtultis, *Stultorum infinitus eſt numerus* d.

Dico primam cauſam cæcitatis ſpiritualis eſſe eandem, quæ corpoream cauſavit cæcitatem Tobiæ ſenioris. Refert enim de eo ſacer Textus

e Tob. 2. 10, &c.

e, *Contigit autem ut quâdam die fatigatus à ſepultura, veniens in domũ ſuã, jactaſſet ſe juxta parietem, & obdormiſſet, & ex nido hirundinũ dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretq; cæcus*, amittendo viſum, qui eſt fruitio rerum omniũ, quas in univerſa natura ſit reperire, amabiliſſima, cùm verum ſit idem eſſe ac planè mortuum in mundo, ac vivere medias inter tenebras æquè denſas ac ſpiſſæ ſunt ſepulchri tenebræ, quæque non minùs videntur funeſtæ ſpiritibus, quam infauſtæ ſint ipſæ corporibus lumine orbatis. Scriptura e autem ſacra reddens ratio-

e Tob. 2. 12. &c.

nem hujus cæcitatis, quâ percuſſus fuit vir ſanctus iſte Tobias, ait, *Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplũ patientiæ ejus, ſicut & S. Job. Nam ſicut beato*

Iob inſultabant Reges f; *ita iſti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus; dicentes; Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas?* Hæc probatio, erat Tobiæ nota prædeſtinationis, character curatum Dei de ſalute ipſius ſoliciti, & imago amoris inviſibilis, qui ſe exhibere non poterat inſpiciendum, niſi oculos ipſius eruendo, & ipſum cæcum efficiendo. Adorabat amabilem Tobias manum Domini ſui, qui ipſum cæcitate percuſſerat, & in ſeipſo ſuſcitabat paſſiones Job, ut exemplo ſancto ſuo ad debitum revocaret obſequium Deo exhibendũ corda illorum, qui ægro & iniquo ferunt animo infortunia, quæ ipſis accidunt, nec ea ſuſcipiunt ut notas juſtitiæ aut amoris Dei. Et ſic de illo poſſet dici id, quod dicitur de cæco Evangelii noſtri: *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Neq; hic peccavit; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Idem planè eſt iſtud, quod evenit hodiernâ die omnibus ferè hominibus. Exiguũ ſtercus eſt cauſâ cæcitatis illorum. Inquirite, ſi placet, à S. Paulo, quid ſentiat ipſe de argento, de auro, de dignitatibus, de officiis publicis, ac de cæteris præclaris, quæ homines tanti æſtimãt; & ſane ipſe ſtatim reſpondebit vobis; *Omnia arbitror ut ſtercora* g, ſe reputare divitias temporaneas, voluptates ac delicias, honores ac ambitus mundi nõ ſecus ac ſtercus, quod incidens in oculos hominum, eos ita excæcat, ut ampliùs cœlum non poſſint intueri, nihil ampliùs videant præter terram. Non poteſt enim quis eodem tempore cœlum ac terram intueri, cæci ſunt, *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium* h. Sed quisnam eſt *Deus hujus ſeculi*?

Marcion apud S. Chryſoſtomum qui citatur à Cornelio à Lapide i, docebat quendam eſſe Deum juſtum, non tamen bonum, qui eſſet author hujus ſeculi. S. Chryſoſtomus, S. Anſelmus, Theodoretus, & Theophilactus dicebant, ipſum eſſe Deum verum, qui excæcavit mentes infidelium hujus ſeculi; ſeu, Deum verum Authorem hujus ſeculi, qui excæcavit mentes infidelium. Manichæi aſſerebant, ipſum eſſe diabolum, qui erat opifex hujus mundi, & omnium rerum corporearum. Oecumenius autem & S. Thomas ajebant, ipſum eundem eſſe diabolum, qui eſt Deus hujus ſeculi, id eſt eorum, qui vivunt ſeculariter juxta ſeculi maximas innocentiæ & ſanctitati Chriſtianæ oppoſitas; non creatione, inquiebant illi, ſed ſuâ perverſitate, exemplo, imperio, & ſuggeſtione. Ideò enim non vocat Deum Apoſtolus, ſed alienando Deum ſeculi, id eſt, ſecularium, qui temporalia & caduca præferunt cœleſtibus & æternis bonis. Tandem S. Thomas k appoſitè ad propoſitum noſtrum concludit, Deum hujus ſeculi eſſe mammona, opes, divitias, ac pompas, in quibus homines ſeculares juxta ſeculi regulas viventes, conſtituunt ſuum ultimum finem, & ſummum bonum ſuum, ſecundùm id quod ait idem Apoſtolus, *Quorum Deus venter eſt* l. Proprium commodum, ſeu immoderatum deſiderium habendi per fas, perque nefas, eos excæcavit. Ipſum quippe Deus eſt, cui obediunt omnia, & cui exhibentur adorationes ſummæ duntaxat Dei majeſtati debitæ m. Quis enim eſt Deus mundi, niſi argentum, aurum, opes, & divitiæ? Omnia obediunt auro, nihil eſt quod non fiat intuitu hujus metalli, quod pudore ſuffunditur æquè ac pallore, quaſi ipſum pudeat, videns ſe ſic inquiri,

ex Job c. 4. & ſeqq.
g Philipp. 3. 8
h 2. Cor. 4. 4.
i Corn. in hunc loc.
k Ibid.
l Philipp. 3. 19
m Exod. 20. 5

eùm ſe veluti indignum exiſtimet, ut ad ipſum poſſidendum ita ardenter anhelemus. Divitiæ igitur, quæ ſunt ſtercus, maximam excæcant hominum partem, *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium*. Quod probatur ex eo, quod videmus in Luna, quæ fit obſcûra & tenebroſa. Certum eſt enim aſtra & ſtellas recipere lumen ſuum à Sole; cùm igitur terra opponitur inter Solem & Lunam, tunc Luna nõ ſuſcipiens ampliùs influentias nec lumen Solis, efficitur obſcura ac tenebroſa hâc interpoſitione. In creatione *fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, & luminare minus* n. Ipſum *luminare majus* eſt Sol, qui communicat; & *luminare minus* eſt Luna, quæ recipit. Atqui per terræ oppoſitionem inter hæc duo evenit eclypſis. In recreatione entium tempore Incarnationis Verbi Divini, *Ubi venit plenitudo temporis* o, *fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, & luminare minus.* Ipſum *luminare majus* eſt Jeſus Chriſtus, unde venit in nos omnis abundantia totius gratiæ, & totius gloriæ; *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* p. Omnes Sancti fuerunt veluti aſtra & parva luminaria, quæ illuſtrata ſunt radiis hujus Solis juſtitiæ, *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol juſtitiæ* q. Fuerunt *luminare minus*; ſicut & ipſa fides, quæ tenebroſa eſt in ſeipſa: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* r. Et, *Videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate* ſ. Intuemur tantùm ex transverſo ſpeculorum, & ex interpoſitione terræ intellectus noſter eſt obſcuratus, & in tenebris jacet. Hoc *luminare minus*, quod recipiebat lumina ab hoc Sole divino, qui eſt *luminare majus*, ut ipſum cognoſceret, ipſum ignorat, & ipſius parvas & exiguas habet cognitiones; terra divitiarum eſt ipſi obſtaculo ne videat. Imò verò ipſi Philoſophi, qui creaturis uti debebant tanquam ſcalâ, quâ ad cognitionem Creatoris aſcenderent, iisdem creaturis productis ab eodem Deo, exhibuerunt adorationes, quæ ſoli ſummæ majeſtati Divinæ debebantur, ut ait Apoſtolus u, *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum.* Ac ſi diceret S. Paulus, ut obſervat Cornelius à Lapide: Hi Philoſophi & ſapientes mundi præ nimia cæcitate mutaverunt *glorioſum Divinitatis nomen, & adorationem, quam* vero *Deo exhibere debebant, in imaginem hominis non naturalem, ſed arte factam* ad ſimilitudinem hominis; quaſi innuens his verbis, ut dicunt & ſentiunt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius x, hos Philoſophos adoraſſe *idola* loco veri Dei. Id eſt, *Avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus* y. Avari ſunt idololatræ, toti terræ dediti ſunt, nedum intueantur cœlum, aut cognoſcant Deum, res ve ſalutis ſuæ.

Obſervat Evangeliſta z, Zachæum Principem publicanorum, & teloneatium publicum cupiiſſe videre Dei Filium, nec potuiſſe, *Et quærebat videre Ieſum quis eſſet: & non poterat.* ratio iſtius eſt, Quia *& ipſe dives.* Ob nimi ſolicitudines ſeculi, cogitationesque terrena *Homo de terra, terrenus* a. Et, *Si me quæritis, ſi*

b Jo. 18. 8. *tebus abiis* b. Negligenda ſint hæc omnia, ut poſſideatur Deus. *Et ipſe dives.* Hæc eſt cauſa, propter quam *Zachæus videre Ieſum non poterat.* Diviniæ ſunt obſtacula & oppoſitiones inter Deum & hominem, *Homo terrenus*, terræ adhærens, Deum videre non poteſt.

Sed quodnam remedium curandæ huic cæcitati applicandum? Illud ſane, quod præbuit junior Tobias patri ſuo ad medendum cæcitati ipſius. Obvium quandam habuarat ipſe piſcem
c Tob. 6. 2. &c. immanem c, à quo parùm abfuit quin devoratus ipſe fuerit. Præcepit autem ipſi Raphaël Archangelus, qui ipſum comitabatur in via, ut illum apprehenderet, eum exenteraret, ejusque cor, fel, & jecur reſervarat, quæ omnia antidoti & remedii loco eſſe poſſent: *Exentera hunc piſcem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta utiliter.* Dicens ipſi imprimis, jecur iſtius piſcis pollere qualitatibus ſecretis, & vigere virtute eximiâ ad curandos eos, qui viſu orbati eſſent, aut à nativitate, aut alio quolibet infortunio; *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Idipſum planè eſt, Auditores, quod à vobis agendum eſt: Exenterate hunc piſcem, qui vellet vos devorare, qui veſtram machinatur ruinam, hoc maledictum propriom commodum, dividite ipſum, *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi quid aliquid defraudavi, reddo quadruplum* d. Oportet ut,
d Luc. 19. 8. more Zachæi, nimiam evacuetis hanc ſuperfluitatem per fas aut per nefas acquiſitam, reſtituendo; ſinatisque hauriri ſanguinem è nimia iſta repletione, quæ oculos veſtros excæcat; ut comburatis hoc fel igne ſanctæ charitatis &
f Matt. 22. 37. & 39. ſacri amoris Dei, & proximi f, ex quo collyrium componatis, & eo oculos veſtros inungatis, & tunc ſanitati priſtinæ reſtituemini. Si hoc autem vobis nimiùm videtur difficila, adhibete remedium, quo oſus eſt Dei Filius erga cæcum natum Evangelii noſtri, *Fecit lutum ex ſputo.* Conſiderata quidnam ſint divitiæ, & deprehendetis eas eſſe terram flavam primis Solis radiis excoctam; honores, dignitates, hæc omnia vanitatem. Tranſeunt hæc oniverſa. Proponite vobis meliora in futurum; & deinde præ generoſo deſpectu conſpuite ſuper omnia
g Philipp. 3. 8. illa vana, & dicite cum Apoſtolo, *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam* g.

Si verò antequàm finem imponam huic primæ parti, ſcire velitis aliam originem, aut cauſam hujus corporeæ cæcitatis accidentariam, non ſecus ac cæcitas Tobiæ evènit illi ex accidenti; Dicam vobis, illam provenire è juſtitia, quæ aliquando oculos decernit excæcandos ad punienda crimina, quæ ille, cui eruendi ſunt oculi, perpetravit. Videtur
h 4. Reg. 25. hoc apertè in Scriptura h ſacra de Sedecia Rege Jeruſalem excæcato, juſſu Nabuchodonoſor Regis Aſſyriorum. Et in Hiſtoriis profanis refertur, tribus nobilibus viris, qui quietem publicam interturbabant, perpetuas fovebant ſeditiones, imò verò conſpiraverant in patriæ ruinam, apprehenſis, in punitionem criminum ſuorum, effoſſos fuiſſe oculos, ut diſcerent ſe fuiſſe indignos qui beneficio luminis fruerentur. Deus eodem ſe ge-
i Pſ. 68. 24. rit modo, *Obſcurentur oculi eorum ne videant* i. Abſtracto enim ab ipſis cœleſti lumine, oculi intellectus ipſorum ſic obſcurabuntur & excæcabuntur propriis affectibus pravis, ut nolint impoſterùm videre & agnoſcere clarum ſacri Evangelii lumen, ſed perpetuâ ſint permanſuri percuſſi cæcitate. Cùm igitur vult Deus aliquem caſtigare peccatorem, eumque plectere pœnâ, quam merita ſunt ipſius facinora, quibus in Divinam inſurrexerit majeſtatem, excæcat intellectum illius, eripitque illi lumen rerum cœleſtium, denegando illi non gratiam ſufficientem, quam largitur omnibus & ſingulis hominibus (quidquid obganniant Hæretici) ſed gratiam efficacem, k Hebr. 12. 15.
cùm dicat ſanctus Paulus k, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* Non ait Apoſtolus, ne cui deſit gratia Dei, ſed, *ne quis deſit gratiæ Dei.* Quia Gratia Divina offertur omnibus & ſingulis hominibus, loquor de ſufficienti, licèt ex ipſis multi non accipiant efficacem, quippe qui ſufficienti conſenſum ſuum tribuere renuunt. Sanctus Thomas l autem ait, quòd *cæcitas mentis eſt quadam pœna* peccati. l S. Th. 2. 2. q. 15. a. 1. ex Iſai. 6. 10.

Et ſicut remedium proficuum huic origini, ſeu cauſæ accidentariæ cæcitatis corporalis, non eſt aliud niſi ſubmiſſio præbita legibus Politicis, & obedientia exhibita earum decretis: ita remedium ſalutare ac neceſſarium ad ſanandam hanc cæcitatem ſpiritualem, illiusque originem, cauſamve exhauriendam, eſt ſi ſubmittamus ſpiritum noſtrum decretis nobis à Deo noſtro pronunciatis, quæ à nobis perfectam exigunt reſignationem, & completam obedientiam Divinis ipſius diſpoſitionibus exhibendam.

Secunda cauſa cæcitatis corporeæ eſt tam externa, quàm interna. Externa oritur ex illo II. Pars.
Philoſophorum pronunciato, *Vehemens ſenſibile lædit ſenſum.* verb. gratiâ, cùm quis nimis fixè ac attentiùs quàm par ſit, Solem intuetur, qui nimiâ temeritate & curioſitate ipſum inſpicientes oculos percutit cæcitate, quam ipſe cauſat ſplendidiori lumine, nec proportionem habente cum debiliori hominum viſu; ita ut hæc cæcitas non ſit attribuenda defectui luminis, ſed potiùs nimio lumini objectorum, quæ excedentia temperaturam oculorum, ipſam deſtruunt; quandiu in ſe oculi eorundem ſpecies ſuſcipiunt. Narrant autem Hiſtoriæ, quòd cùm aliàs milites ingentis exercitus per dies tres aut quatuor, totidemque noctes viam peregiſſent nivibus recenter dilapſis opertam, lumine oculorum orbati ſunt, & cæcitate percuſſi præ nimia albedine. Eò verò crudelitatis proceſſiſſe perhibetur Dionyſius Tyrannus, ut infelices & miſerandos quoſdam homines in ſubterraneis locis ac in ſepulchris per duos aut tres annos integros juberet includendos, quibus tranſactis eoſdem illinc educendos, & maximæ luci aſpiciendæ præciperet opponendos: cùm autem natura tranſire non poſſit ab extremo ad extremum, quin medium prætereat, neque poſſent illi tantam ſuſtinere violentiam, ſtatim excæcabantur. Nimia albedo, nimiumve lumen eſt cauſa cæcitatis, ſicut & privatio luminis. Cauſa interna procedit ex abundantia humorum, quæ deducit vapores craſſos, & nebulas, ipſamque potentiam viſivam obſcurat, quippe quæ nimiùm impotens ſit quæ tenebras ipſas perforet, quæ majus aut minus afferunt oculis

impedimentum. prout ipſæ magis aut minùs ſunt denſæ; unde fit ut alii ſummiſſo utantur viſu, alii verò vigeant perſpicaci. Sic ſecunda cauſa cæcitatis animæ eſt tum externa, tum interna. Externa, cùm nimis intimè ſacra perſcrutari volumus myſteria, quæ puram exigunt ſimplicitatem, & non curioſitatem; cùm ii qui ſubtiliorem præ ſe ferunt aoimi vivacitatem, ſolo præſumunt naturali infirmæ rationie ſuæ lumine irradiati penetrare illud Eſſe incomprehenſibile m, putà Deum, ſicut & ſupernaturalia fidei noſtræ myſteria, quæ infinito excedunt modo captum intellectus ipſorum, cæcitate ſtatim percutiuntur: quia infirmitas intellectus ipſorum ſuſtinere non poteſt magnitudinem & ſplendorem prægrandium horum myſteriorum, *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria* n. Oritur prætereà ex exceſſu & nimio affectu, quo quis adhæret pecuniæ, unde corrumpitur temperies rationis, & ſic de aliis objectis terrenis, quæ homines hujus ſeculi nimio proſequuntur affectu, quæ ipſorum rationem evertunt, qualia ſunt honores, voluptates, divitiæ, ſpecies corporea, *quæ me ſeduxit, quia invênit ferè habitantem in oculo carnis meæ*, dicebat aliàs, ſtatum vitæ ſuæ medias inter diſſolutiones tranſactæ deplorans, ſanctus Auguſtinus s. Ipſe eſt ſtatus infortunatus peccatorum; oculos habent ſed obſcuratos fumo ſuperbiæ & ambitionis, caligine circunfuſoe præ nimio ſplendore argenti & auri: hoc planè excedit infirmitatem & captum oculorum & intellectus ipſorum, & cæcitate ipſos percutit. Interna provenit ex abundantia humorum. Sic interna animæ cæcitas oritur ex deordinatione affectuum & appetituum immoderatorum, qui ei dominantur; *Concupiſcentia oculorum* †. Concupiſcunt oculi quidquid vident, ſeu potiùs, cor eſt in oculis, & oculi deferunt ad cor: *Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*, aiunt Philoſophi. Probatæ vitæ homines ac juſti non habent cor in bonis collocatum terrenis, nec bona caduca cordi adhærentia; divites ſunt quoad effectum, pauperes verò quantùm ad affectum. Jacturam Eva ſuiipſius eſt perpeſſa propriis oculis, & ſuorum omnium ruinam machinata poſterorum, *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comêdit* p. Vidit ipſa fructum arboris *ſcientiæ boni & mali* q fuiſſe pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave; nimium luminis ac ſplendoris, quo ipſa perfuſa fuit, ipſam cæcitate percuſſit. Davidem aliàs nimia circunfulſit lux, orbatusque fuit ipſe ſtatim viſu, innocentiâ, & ſanctitate; ita ut de ſeipſo dicat, *Et lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum* r; ſe ſuorum lumen amiſiſſe oculorum. id eſt, ſe orbatum fuiſſe luce intellectus ſui, nec illâ ampliùs ſplenduiſſe ſpirituali luce, quâ illuminabatur antea in omnibus viis ſuis, ſed coactum eſſe prætentare iter manibus medias inter tenebras erroris, ignorantiæ, & peccati; quod evênit ipſi mediâ luce, cùm *accidit ut ſurgeret de ſtratu ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus Regiæ: viditque mulierem ſe lavantem, ex adverſo, ſuper ſolarium ſuum* ſ, quæ propriæ cauſa fuit ruinæ. Vix eam fuit intuitus, cùm ſtatim radius luminis caligine offudit oculos ipſius, pluraque vidit erumpentia ex corde

m 4 Eſdr. 8. 21.

n Prov. 25. 27.

s S. Aug. l. 3. Conf. c. 6. ex Prov. 9. 13. &c.

† 1. Jo. 2. 16.

p Gen. 3. 6

q Gen. 2. 17.

r Pſ. 37. 11.

ſ 2. Reg. 11. 2. &c.

Bethſabee fulgura ac fulmina, quàm parturire poſſint denſiſſimæ nubes medios inter turbines, cùm dirumpuntur: ita ut Bethſabee, quæ de nihilo minùs cogitabat, quàm de Davide, primos emiſerit ardores, qui animam Regis combuſſerunt, & rationem ejus excæcarunt eò uſque, ut cùm famam ipſe abſtuliſſet ab uxore, vitam quoque viro illius eripuerit, & ideo ſcripſerit ipſe *Epiſtolam ad Ioab* Generalem exercitus ſui Ducem, *per manum Uriæ* ipſius viri Bethſabee, quâ præcipiebat ei ut eundem poneret *Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum prælium* eſſet, *ut* facto primo ab hoſtibus impetu, derelictus ipſe Urias, ab iiſdem hoſtibus *percuſſus* interiret. Verùm enimverò ſicut voluntatibus Regum nunquam reſiſtitur, & eorum ordinationes ſunt decreta indeclinabilia, expoſuit Joab Uriam cuidam loco, ubi ſciebat ipſe aggredientium vires fuiſſe magis collectas ac unitas, & ubi primo congreſſu occiſus eſt ab hoſtibus Urias, cui morienti viam ad ſecundam vitam aperuerunt, & trophæum ipſi in tumulo recondito erexerunt, cùm morte glorioſâ occubuiſſet æquè ac innoxiâ. Ita verum eſt quòd nimium luminis caligine offudit oculos miſerandi hujus Principis, & eum excæcavit.

Heu! quotquot peſſum eunt, cùm ſpecioſa intuiti fuerint objecta? Oculi ſunt veluti ignes, inſtigatores, & nuncii impuritatis. Ex oculis enim pergitur ad imaginationem, ex imaginatione ad cor, & ex corde ad delectationem, & ad conſenſum. Nimium ſplendoris ac luminis excæcat, & cœli aſpectum eripit, ut loquitur Propheta t de ſenibus illis infamibus, qui caligine ſunt offuſi, & excæcati præ nimio ſplendore ſpeciei innoxiæ caſtæ Suſannæ, *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum.* Remedium autem opportunum huic ſecundæ cæcitati corporeæ eſt uti conſpiciliis, & præ oculis habere colorem viridem, qui viſum reparet diſſipatum; & quemdam calorem requiſitum ad conſervationem temperiei oculi. Sic fides debet eſſe loco conſpiciliorum animæ, ex quorum tranſverſo videat ipſa myſteria Religionis noſtræ difficillima & maximè ardua. Spes ſubminiſtrare debet viride, quod ipſam vivificet. Charitas autem calorem, qui conſervet hanc temperaturam ſpiritualem animæ erga Deum, proximum, & ſeipſam.

t Dan. 13. 9. &c.

Dicere igitur debet homo, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* u. Et meminiſſe iſtius, *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te* x. Sancta quædam virgo ſpecioſa ut Sol, cujus oculi radiabant non ſecus ac aſtra duo, cùm didiciſſet inſanum quemdam adoleſcentem oculorum ipſius amore captum, eos ſibi effodit. Sed quid egerant ſpecioſi illi oculi? Innoxii erant, ſi aliquem læſerant, non erant ipſi conſcii criminis, ſed amens ille amaſius ſibi ipſi vulnus inflixerat malitiâ ſuâ, & tamen puella illa ſibi eos effodit oculos. Puellæ æquè ac mulieres, ſi oculi veſtri vos ſcandalizant præ nimio lumine, eruite illos, damnate eos ad mortificationem. per eos ſiquidem mors & peccatum intrant in animas, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam* y. Infideles ipſi ſunt & pravi nuncii in relationibus ſuis, dicite, *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Seu auſcultate conſilium, quod præbet Chriſtus cæco nato,

u Job 31. 1.

x Matt. 18. 9.

y Thren. 3. 51.

Vade,

Vade, lava in natatoria Siloë. Id eſt, in pœnitentiâ, cujus aquæ clarè faciunt videre; *Abii, lavi, & video.*

III. Pars. Tertia cauſa cæcitatis corporalis oritur ex intemperie cerebri, ex obſtructione nervorum opticorum, quia clauſus eſt meatus, per quem deducitur & tranſit humor cryſtallinus, quandoquidem illo ſavente oculi percipiunt objecta veluti ex transverſo vitri aut cryſtalli; qui humor cryſtallinus, cùm non ſit in proprio loco, efficitur videre non poſſint oculi. Sic tertia cauſa cæcitatis ſpiritualis eſt intemperies animæ, quæ eſt pars ſuperior hominis; & id quod cerebrum eſt corpori; intemperies in deliciis, in convivils, & in voluptatibus ſordidis, idem ſunt animæ, cauſa nimirum cæcitatis ſpiritualis ipſius, obſtructionis facultatum ipſius; intellectus, in cognitione rerum animalium, quæ meatum claudunt ad res ſpirituales cognoſcendas; voluntatis, in amore illicito rerum prohibitatum & viſibilium, quæ ſunt reſpectu animæ id quod ſunt nervi intuitu oculorum, qui ſunt meatus ſpirituum: quæ res prohibitæ impediunt ne fides transferatur ut humor cryſtallinus, ex cujus transverſo noſtra penetremus myſteria, cujus translationis defectus eſt cauſa cæcitatis Hæreticorum & impiorum ortæ ex ſuperbiâ, extinctionis bonarum motionum, inſpirationum, luminum interiorum. Tertia igitur cauſa cæcitatis ſpiritualis hominum procedit ex vanitate, *Superbia vitæ.*

Conſtat autem ex iis omnibus, quæ diximus, plura eſſe cæcitatis genera: Aut à nativitate, ſicut eſt cæcitas hominis iſtius, cujus meminit Evangelium hodiernum, *Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate.* Aut cùm palpebræ ſunt inter ſe colligatæ, & invicem adhæreſcentes, & humores corrupti. Aut alio quovis caſu non præviſo. Vel præ juſtitiæ decreto. Seu præ exceſſu diſſolutionis. Omnes homines ſunt cæci nati, oriuntur omnes cum notis rebellionis veluti abortivi, ſtatim conſcii criminis ac concepti z, & ut ait S. Bernardus, *De parentibus illis venio, qui me antè fecerunt damnatum, quàm natum* a. Alii ſunt qui palpebras habent colligatas, & humores corruptos, qui non vident ſpecioſam & ſplendentem diem Evangelii & gratiæ, quales ſunt infideles & Ethnici, de quibus ſingulis poſſumus dicere, *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Quid autem fecimus nos magis Deo, quàm fecerint illi, ut naſceremur inter mediam ac plenam Evangelii lucem? Alii ſunt cæci propter commiſſum aliquem exceſſum, ſicut fuit ille, qui maluit oculis orbari, quàm lautis quibuſdam cibis privari. Hoc eſt peccatum carnis, quod hebetat, & rationem excæcat. Alii tandem ſunt cæci, ex aliquâ cauſâ internâ aut externâ, aliquove alio ex caſu cæcitate ipſorum proveniente; & hi ſunt cæci vanitate, quæ excæcavit primum Angelum in cœlo, qui periit in peccato ſuo, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci* b. Et primum hominem in paradiſo terreſtri, *Eritis ſicut dii* c. Hæc vanitas adverſatur Deo, quia ſuperbia ſtabilire vult plures deos. Quid magis Deo adverſari poteſt? cùm hoc ſit Deum exinanire. Inſuper, Contraria eſt vanitas rationi, quoniam propria præſumptio excæcat, ut aſſerit ſanctus Paulus de antiquis Philoſophis, *Quia obſcuratum eſt inſipiens cor eorum* d.

z Pſ. 50. 7 ex Job 14. 4
a S. Bern. lib. Medit. c. 2
b Iſai. 14. 14. & 15
c Gen. 3. 5. &c
d Rom. 1. 21

Vanitas igitur excæcat. Sed propter quid gloriaris Domine? Eò quòd nobilis ſis? Ha! Sanguis tuus eſt ejuſdem coloris cujus eſt ſanguis ignobilis. Habemus omnes eumdem Patrem, ex Adamo omnes nos orti ſumus e. Tu verò, Domina, ob quam rem jactas te? Ob pretioſas veſtes tuas? Ha! ipſæ ſunt notæ rebellionis noſtræ, & operimentum vulneris noſtri, cùm in ſtatu innocentiæ & juſtitiæ primi Parentes noſtri incederent nudi f. Gloriaris ob decòrem tuum? Quis autem tibi dixit hoc? Alii quippe aſſerunt te eſſe ſpecioſam; alii verò te eſſe deformem contendunt; *Mendaces filii hominum in ſtateris* g. Quid autem ſunt hæc omnia, nobilitas, magnitudo, ſpecies, &c? *Præterit enim figura hujus mundi* h. Hæc omnia non ſunt niſi lutum, applicate hoc lutum oculis veſtris, *Fecit lutum ex ſputo.* Hanc veritatem ſeriò perpendite, hoc collyrio inungite oculos mentis veſtræ, & proculdubio ſanabimini, illuminabitur anima veſtra in hoc mundo gratiâ, & in altero gloriâ ſempiternâ.

e Gen. 4. 2. &c
f Gen. 2. 7. &c
g Pſ. 61. 10
h 1. Cor. 7. 31

FERIA V. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Ibat Ieſus in civitatem, quæ vocatur Naim. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. &c.
Luc. 7. 11. &c.

Miracula, quæ operabatur Chriſtus Dei Filius in hoc mundo propter noſtram ſalutem, æquè ac ob manifeſtationem gloriæ Patris ſui, magnificabant bonitatem & potentiam ipſius, quarum utraque *non habet finem* a. Succeſſus illorum fuerunt feliciſſimi. Confeſtim ac ipſe exivit è ſtagno Genezareth, *factum eſt, cùm eſſet in unâ civitatum, & ecce vir plenus leprâ, & videns Ieſum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum, dicens, Volo: Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo* b. *Ambulans autem Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit illos. Illi autem relictis retibus & Patre, ſecuti ſunt eum. Et circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni: & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo* c. *Et aſcendens in naviculam transfretavit, & venit in civitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et ſur-*

a Baruch 3. 25
b Luc. 5. 12. & 13
c Matth. 4. 18. &c

d Matth. 9. &c

gens, ſecutus eſt eum d. *Et præteriens Jeſus, vidit hominem cæcum à nativitate: expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Miſſus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns* e. *Et factum eſt: deinceps ibat Jeſus in civitatem quæ vocatur Naim. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait, Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Sed maximum omnium miraculorum illius eſt, cùm ipſe noſtras ſuſcitat animas à morte peccati ad vitam gratiæ, quâ Mater ipſius ſanctiſſima fuit repleta, cùm illam ſic ſalutavit Archangelus, *Ave Maria.*

e Joan. 9. 1. &c

Inter myſteria fidei noſtræ nullum invenio difficilius myſterio reſurrectionis noſtræ; ſicut aliunde nihil reperio quod nos conſuletur magis quam iſta ſpes videndi corpora noſtra extremis temporibus animabus noſtris denuò unita. Myſterium iſtud eſt omnium difficillimum, quia illud rationes pervadere non poſſunt humanæ. Philoſophia illuc uſque non poteſt attingere, cùm ipſa dicat, *A privatione ad habitum non datur regreſſus.* Quòd illud, quod corruptum fuit, non poſſit reproduci; & quòd illud quod fuit, nequeat ampliùs eſſe idem naturaliter. Theologi ſuam ingenuè fatentur inſcitiam hoc in occurſu, & totus ipſorum recurſus eſt ad fidem, & dicunt cum Job, juxta verſionem Eccleſiæ f, *Credo quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum: & rurſum circundabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meũ: Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Et ſicut iſtud myſterium ſoli innititur fidei, ita ampliorem nobis affert conſolationem: nam, ſicut ait ſanctus Paulus g, *Si in hâc vitâ tantùm, in Chriſto ſperantes ſumus: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium* h. *quoniam quidem per hominem mors* i: *& per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* k. Quod ſic explicat ad propoſitum Dionyſius Carthuſianus l, *Si in hâc vitâ tantùm, in Chriſto ſperantes ſumus, id eſt, ſi ſolùm confidimus per Chriſtum conſequi bona in hâc vitâ præſenti, & non potiùs vitam æternam in animâ & corpore: miſerabiliores, id eſt, infeliciores ſumus omnibus hominibus, non Chriſtianis, qui in hâc vitâ præſenti ſuis fruuntur deliciis. Nos verò nec in præſenti, nec in futuro gaudebimus, imò tantò miſerabiliores eſſemus, quantò graviora plura propter fidem & Chriſtum ſuſtinuerimus. Nunc autem, id eſt, ne prædicta inconvenientia concedantur, veritas ita ſe habet, videlicet quòd Chriſtus reſurrexit à mortuis, qui eſt primitiæ, id eſt, primitivus vel primus dormientium, hoc eſt, mortuorum: qui dormientes dicuntur, quoniam Chriſto jubente faciliter & integrè quaſi de ſomno reducentur ad vitam. Horum dicitur Chriſtus primitiæ, quoniam primus tempore, & propriâ virtute ſurrexit, loquendo de dormientibus in fine ſæculi ſuſcitandis. Aliqui tamen pauci antè Chriſtum ſurrexerunt, quorum ipſemet tres ſuſcitavit* m. *Unde de Chriſto legitur in Apocalypſi* n, *Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum. Quandoquidem per hominem, ſcilicet Adam primum noſtrum parentem mors naturæ & culpæ ingreſſa eſt* o *genus humanum, propter originale peccatum illius; & per hominem, id eſt, Chriſtum, hoc eſt merito paſſionis ejus erit reſurrectio mortuorum, qui immutabuntur* p. *Potentior eſt enim Chriſtus ad reparandum, quàm Adam ad diſtruendum. Et ſicut in Adam, id eſt, in prævaricatione Adæ, omnes moriuntur incurrendo originale peccatum, & moriendi neceſſitatem, eò quòd peccatum illius traducatur in poſteros: ita & in Chriſto, id eſt, in virtute & merito Chriſti, omnes vivificabuntur in reſurrectione futurâ, & vitam gloriæ conſequentur omnes Electi, imò meritum Chriſti omnino in ſe ſufficiens eſt, ut omnes ſimpliciter per ipſum beatam reſurrectionem ſortiantur.* Et idem Apoſtolus q conſolaturus Theſſalonicenſes, qui jacturam incurrerant hominum, quos valdè diligebant, ſcribit illis, *Nolumus vos ignorare, Fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quòd Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo.* Ut edoceat nos in perſonâ Theſſalonicenſium, quòd ſicut ſuſcitatio ſequitur ſomnum, ita, cùm mortui vocentur dormientes, nota infallibilis eſt, eos aliquando ſuſcitandos eſſe, & ſurrecturos è ſepulchro. Sic Chriſtiani gaudio debent exultare, conſiderantes mortem eſſe tranſitum ad poſſidendam vitam æternam. Sed videamus Primò, quòd reſurrectio iſtius adoleſcentis repræſentat nobis reſurrectionem à morte peccati ad vitam gratiæ. Secundò, quòd nobis figurat reſurrectionem corporum noſtrorum extremis temporibus agendam.

f Eccleſia ex Job 19. 25. &c

g 1. Cor. 15. 19. &c

h Ex Apoc. 1. 5. & ex Coloſſ. 1. 18

i Ex Gen. 3. 6. & ex Rom. 5. 12

k ex Rom. 6. 23

l Dion. Carth. art. 15. in 1. Cor. 15. 19. &c

m ex Matt. 9. 25. & ex Luc. 7. 14. & ex Joan. 11. 43. & 44

n Apoc. 1. 5

o ex Sap. 2. 24

p ex 1. Cor. 15. 52

q 1. Theſſ. 4. 12. & 14

Illi qui attentiùs mortem iſtius adoleſcentis perpenderunt, obſervavère, quòd homo per peccatum duplicem incurrit mortem. Una eſt corporea, nimirum quæ intuetur corpus, Adæ *Dominus Deus præcepit, dicens, Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* r. Licèt enim confeſtim mortuus non fuerit Adam, ac vetito iſto *de fructu comêdit* ſ: ſtatim tamen traditus eſt in manus carnificum mortis, nimirum, famis, ſitis, & laborum. Altera mors eſt mors animæ, de quâ dicitur, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* t. Hæc autem mors cauſata fuit à culpâ, eamque incurrit Protoplaſtus noſter illico ac divinum tranſgreſſus eſt mandatum. Ut autem Jeſus perfectum ſe exhiberet hominis Reparatorem, *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat* u: poſtquàm *dixit Centurioni, Vade: & ſicut credidiſti, fiat tibi: & ſanatus eſt puer in illa hora* x à paralyſi, quâ laborabat abſque ullâ ſpe ſanitatis unquam recuperandæ: quia multi iſtud calumniari potuiſſent miraculum; eò quòd ſingulis diebus obſerventur infirmi, à Medicis derelicti, convaleſcere, & in priſtinam reſtitui ſanitatem deperditam; ſuſcitat hodiernâ die hunc adoleſcentem, qui *efferebatur*, ut omnibus oſtendat potentiam ſuam, & ſe eſſe Deum verum, quippe qui vitam corpori præbens, poſſit vitam animæ tribuere per juſtificationem, ut illam reverà tribuit ei, quia *Dei perfecta ſunt opera* y.

r Gen. 2. 17. &c

ſ Gen. 3. 6

t Ezech. 18. 4

u Luc. 19. 10

x Matth. 8. 13

y Deut. 32. 4

Sed ut huic veritati concilietur tota lux ſua, obſervandum eſt id quod ait Salomon z, *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum.* Hæc prima inſultatio mortis naſcentis è corruptione, & triumphantis de immortalitate, non fuit ſine admiratione. Hæc eſt etiam admiratio Evangeliſtæ noſtri, *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* En unigenitus naturæ, quæ omnia in lumbis ſuis defert individua: unigenitus Dei, inſignitus imagine ejus interentia corporalia, *Ad imaginem quip-*

z Sap. 2. 23. & 24

a Gen. 9. 6

quippe Dei factus eſt homo a. En unicum Monarcham mundi, qui dominatur omnibus creaturis, *Gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* b: natum ad immortalitatem, & morientem propter inobedientiam ſuam; deſtinatum ad vivendum cum Angelis, & collocatum à morte in loco vermium, *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes* c. Vivere potuiſſet in mundo quandiu voluiſſet: mutare enim debebat elementum ad ſuum beneplacitum, & volare in cœlum, cùm noluiſſet ampliùs manere in terrâ, & violentiâ abripitur in tumulum, cùm ſolùm ſe in theatro vitæ exhiberet intuendum. Omnia ſubjecta erant voluntati ejus, & omnia auferuntur ab eo contra voluntatem ſuam à morte, quam tantâ ſupplantare poterat facilitate, & quæ ipſum tanto furore excipit. Quis non deploret infelicitates ejus? Et quis non admiretur hæc prodigia? *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.*

b Pſ. 8. 7. & Gen. 2. 28

c Iſai. 14. 11

Mors proſternens in terram Protoplaſtum noſtrum hâc primâ inſultatione, eripuit illi coronam ipſius, & abſtulit ab eo dominium quo univerſis imperabat creaturis, & conſequenter nos conſtituit ſubditos ſuos, concilians ſibi jus diſponendi perſonas & vitas noſtras prout ipſi placuerit, nedum poſſit aliquis deinceps cum ipſa de iſto jure acquiſito contendere, *Regnavit mors ab Adam* d. Hanc veritatem luce ipsâ clariorem quotidianâ comprobamus experientiâ, cùm nihil ſit quod leges crudelis iſtius non ſubeat, illique morem non gerat, eò vel maximè quòd morbi, violentia, & ſenectus conſiliis iſtius ſanguinariæ faveant ad machinandam ruinam noſtram, & ad inferendum nobis interitum. Senectus conſumit humorem primigenium & naturalem, nedum inveniatur aliqua planta, quæ vaſtitates ab eâ cauſatas contra eum reparet. Morbi alterant temperamentum, nec ulla ſupereſt induſtria, cujus interventu ad priſtinum redeat illud ſtatum. Et omnia elementa morti ſavent, noſtræ vitæ violentiam inferendo: ita ut impoſſibile ſit ut quis à mortis ſævitiâ declinet, *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* e. Armate vos audacter equites, ut præliemini cum morte. *Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors: & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ* f. Hæc mors omnes vos ſuâ falce ſuccîdet, &, ut ait Thecuitis: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur* g. Hæc crudelis cæco impetu, ſine diſcrimine metet vos ſicut herbam agri. Scientiæ nullam habent vocem, quæ mitigatam illi perſuadeat; nullas habet illa aures, quibus ſupplicantium orationes exaudiat; divitiæ ſunt inutiles ad hoc ut quis cum eâ fœdus inire queat & compoſitionem; finis illius in eo ſitus eſt ut diſſipet, & non ut theſaurizet, blanditiæ vanæ ſunt ad flectendam eam, ab illarum memoriâ ipſa abhorret, & delicias convertit in fœtores; regiæ poteſtates reſiſtere non poſſunt rabiei illius, quæ ſupremo agit modo, & Regibus dominatur majori inſolentiâ, quam illorum ſubditis, cùm vita Magnatum pluribus ſit expoſita ſubeundæ ipſius periculis, quàm vita plebeiorum.

d Rom. 5. 14

e Hebr. 9. 27

f Apoc. 6. 8

g 2. Reg. 14. 14

Verum eſt, quòd immortalis per gratiam, ſuccubuit puſillanimiter debilitati mortis, quæ nihil erat ab initio: ſed ille, *qui ſolus habet immortalitatē* h per naturā, triumphabit de illius potentiâ jam victrice de univerſo orbe. Et iſte eſt triūphus vitæ contra mortem, per reſurrectionem à morte peccati ad vitam gratiæ. Ita ſentiunt Doctores, reſurrectionem iſtius adoleſcentis repræſentare nobis reſurrectionem ſpiritualem animarum noſtrarum peractam à Jeſu Chriſto, *Opera namque Chriſti perfecta fuerunt, quemadmodum Moyſes* i *teſtatur, Dei perfecta ſunt opera. Hinc creditur, Chriſtum adoleſcentem iſtum etiam ſpiritualiter ſuſcitaſſe, hoc eſt, à vitiis emundaſſe, ſi quæ habuit. Quòd ſi in mortali peccato deceſſit, magnificentior fuit ſuſcitatio iſta, eò quòd animam de pœnis inferni abſtraxit, ad quas tamen tunc nondum adjudicata fuiſſet,* ait Dionyſius Carthuſianus k. Obſervate autem, ſi placet, quòd, ut jam dixi, totum genus hominum erat mortuum ante incarnationē Filii Dei: decretum enim mortis pronunciatum fuerat in paradiſo terreſtri adverſus omnes homines in perſonâ Protoplaſti noſtri, cùm *Dominus Deus præcepit ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* l. Confeſtim autem ac primus iſte Parens tranſgreſſus eſt mandatum Domini ſui, dum de *fructu comēdit* m hujuſmodi prohibito, omnes illius poſteri, criminis illius communicavêre, *In quo omnes peccaverunt* n, *non actualiter, ſed virtualiter, originale peccatum incurrendo, quod eis imputatur in culpam, in quantùm aliquo modo erant in primo Parente, & idem cum ipſo. Erant autem in ipſo ſicut in primo principio generationis humanæ. Et ſicut multa membra ſunt in uno corpore, & multa individua in una ſpecie, ſic quodammodo omnes eramus in primo Parente ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, ſeu materialem propagationem. Porrò originalis juſtitia ſic data erat primo Parenti, ut transfunderetur in poſteros. Ideò primo Parente hâc juſtitiâ deſtituto, poſteri ejus juſtè privantur eâdem, nec tamen ſit eis injuria, quia nec primo Parenti, nec eis iſta juſtitia naturaliter debebatur aut competebat: ſed nec beatifica viſio Dei, quâ merebantur privari propter hujus juſtitiæ privationem,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus o. Ubi obſervabitis expoſitionem allatam à Cornelio p ſuper verba ſupradicta. *Morte morieris. Id eſt, mortis certè ſententiam, & neceſſitatem incurres. Unde Symmachus vertit, Mortalis eris. Nota, Minatur hîc Deus Adæ inobedienti mortem, non tantùm corporis, & temporalem, ſed & animæ ſpiritualem, & æternam in gehennâ, eamque certam & infallibilem: hoc enim ſignificat hæc geminatio Morte morieris: id eſt, certiſſimè morieris. Adam ergo peccans quoad corpus mox mortis neceſſitatem, quoad animam verò actu & reipsâ mortem incurrit.* Atqui cùm Filius Dei exivit *à Patre, & in mundum* q venit; natura humana, quæ eſt hæc mater deſolata, ipſum adiit lacrymis perfuſa, videns charos filios ſuos ſingulis momentis efferri: idem Dei Filius *miſericordiâ motus* intuitu miſeriarum noſtrarum, deſcendit è cœlo in terram, appropinquat *portæ civitatis* hujus mundi, & videns bellum continuum & ruinam omnimodam ſupradictorum filiorum, ſolo ductus miſericordiæ ſuæ motivo, accedit ad feretrum in quo jacebat adoleſcens elatus, ſemetipſum facit hominem, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* †. Noſtram ſibi deſpondet naturam, manum defert ſuper feretrum, & ſuper adoleſcentem defunctum elatum, quem ad vitam reſuſcitat ſpiritualem, ut ait Euſebius Emiſſenus r, *Tangit loculum, & mortuum ſuſcitat,*

h 1. Tim. 6. 16

i Deut. 32. 4

k Dion. Carth. art. 17. in Luc. 7. 14

l Gen. 2. 15. &c.

m Gen. 3. 6

n Rom. 5. 12

o Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5. 12

p Cornel. in Gen. 2. 17.

q Joan. 16. 28

† Philipp. 2. 7

r Euſeb. Emiſſ. Fer. 5. Dom. 4. Quadrag.

dum

dum ſua viſitationu attactu ad pœnitentiam hominem reducit. Jeſus Chriſtus iſto tactu repræſentat nobis converſionem peccatoris ad amplectendum pœnitentiæ exercitium: illum tangit afflictionibus, miſeriis, & tribulationibus, ut ſuſcitet eum à morte peccati ad vitam gratiæ, *Ego quos amo, arguo & caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age* ſ.

ſ Apoc. 3.19
Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus t, *Ego quos amo, putà Electos & Bonos arguo per me &*
t Dion. Carthuſ. 4. in Apoc. 3.19
Vicarios meos, verbis, & caſtigo verberibus, ſeu adverſis, ne quid mali in eis remaneat. Cùm ergo hos taliter tractem, quantò magis tu imperfectus debes hac cum gratiarum actione gaudenter recipere, tanquam animæ medicinam: Hinc Spiritus ſanctus monet, Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, & ne deficias cùm ab illo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit: &

u ex Prov. 3.11.&12
quaſi pater in filiis complacet ſibi u. *Et alibi* x, *Beatus homo qui corripitur à Domino. Hinc ait Apoſtolus* y,
x ex Job 5.17
Si extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri, & non filii eſtis.
y Hebr. 12.8
Itaque graviſſima Dei ira ac ultio eſt, dum peccatorem proſperari atque ad libitum peccare impunè permittit: quemadmodum de reprobis ait in Pſalmo z,
z Pſ.80.13
Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis. Æmulare ergo, id eſt, Bonos ſequere: juxta illud, Æmulamini bonū in bono ſemper a.
a Ex Galat.4.18
Et iterùm, Æmulamini chariſmata meliora b. *Et pœnitentiam age, quòd huc uſque tam negligens extitiſti.*
b 1. Cor. 12.31
Nam & ego paratus ſum tibi ſuccurrere. Per iſtum igitur tactum filii Dei, *tetigit loculum*, intelligere poſſumus labores hujus vitæ, qui nobis ſunt ſuſtinendi quandiu ſumus in hâc ſuſpiriorum valle, juxta illud verbum Job c, *Manus Domini tetigit me*. *Id eſt, flagellum Dominus non penitus deſtruxit me*, ait Hugo Cardinalis d. Hoc tactu Dei Filius iſtum adoleſcentem à morte ad vitam ſuſcitat, loquelam illi reſtituit deperditam, & reddit eum genitrici ipſius, *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.*

c Job 19.21
d Hugo Card. in Job 19.21

Obſervat Evangeliſta, quòd *Ieſus miſericordiâ motus ſuper* matrem iſtius adoleſcentis, aliquam præbens ei ſpem conſolationis, *dixit illi, Noli flere.* Sed quid, Domine? vis ne prohibere fletus & lacrymas, quæ præ ſe ferunt affectum naturalem doloris, quo parentes anguntur ex jacturâ charorum liberorum? Defleri poteſt interitus improborum, quia morientes habere non poſſunt fruitionem vitæ æternæ: ſed non eſt proprium Chriſtianis flere mortuos, qui ſuſcitati à morte peccati ad vitam gratiæ mediis Sacramentis, quæ ipſi ſuſceperunt ante mortem ſuam, ſuſcitandi ſunt ad vitam gloriæ. Propterea huic matri afflictæ *Ieſus dixit, Noli flere.* Sed cur non lacrymabitur illa? cùm jure merito debeat ipſa fletus edere. Ideò fortaſſis, quia ſciebat Chriſtus, quòd ſi adoleſcens iſte vixiſſet, fuiſſet flagellum ad cruciandam ipſam in ſenectute ipſius; aut potiùs dicamus, quòd voluit illam certam reddere de ſalute iſtius filii ipſius, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius* e.
e Sap. 4.11
Sed mirabilis eſt S. Ambroſius f, cùm
f S. Ambr. lib. [illegible] Luc. 7.13.
reſpondet, *Flere prohibetur eum, cui reſurrectio debebatur.* Quia Dominus debebat eum ſuſcitare, & impedire ne efferretur in ſepulchrum; & per hanc ſuſcitationem delineare nobis reſurrectionem animæ noſtræ à morte peccati ad vitam gratiæ, quæ fit per juſtificationem, quæ eruit animas noſtras è ſepulchro criminis, in quo jacebant illæ miſerabiliter.

Super quod non poſſum quin meam ingenuè
g Job 3.21.& 22
fatear admirationem, cùm audio Job g comparare ſepulchrum theſauro, dicendo, *Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum: gaudentque vehementer, cùm invenerint ſepulchrum.* In quo videtur alludere Vir iſte eximius conſuetudini Indorum, qui recenſentur ſepeliiſſe Reges ſuos cum coronis aureis, ornatis lapidibus pretioſis, in capite; & ſuos nobiles cum annulis aureis in digito; & ſic multos ſepeliiſſe theſauros cum mortuis ſuis: ſed deterendo ſordes iſtas, & hos fœtores, dicamus quòd Job præfatis verbis vult nobis innuere, quòd ſepulchrum ſit theſaurus, cùm in hoc theſauro inveniatur bonū inæſtimabile reſurrectionis à morte peccati ad vitam gratiæ, propter memoriam quam ſepulchrum iſtud nobis ſubminiſtrat mortis, quæ efficit ut noſtros corrigamus exceſſus, conſenſum præbeamus emendandæ vitæ, & mereamur interventu gratiæ juſtificationem animarum noſtrarum: ſicut enim venenum & morſus viperæ ſanatur pulvere ejuſdem viperæ, ut ait Lactantius r, *Viperam ferunt exuſtam, in cineremque di-* r Lactant. lib. 1. de Ira Dei. c.13
lapſam mederi ejuſdem beſtiæ morſui: quod innuit, venenum ſanari alio veneno: ita præſentiſſimum contra mortem remedium eſt memoria ejuſdem mortis, & jugis cogitatio illius, cùm ejus recordatio diſponat nos ſæpè cum gratiâ ad juſtificationem animarum noſtrarum per mortificationem quam amplectimur, ut in tumulo divinæ dilectionis lateamus præ deſpectu terrenorum, ut ait S. Gregorius ſ, *Sicut enim ſepulchrum* ſ S. Greg. lib. 5. Mor. c. 3. in Job 3.22
locus eſt, quo abſconditur corpus; ita divina contemplatio quoddam ſepulchrum eſt mentis, quo abſconditur anima. Quaſi enim huic adhuc mundo vivimus, cùm mente in eum foris vagamur: ſed mortui in ſepulchro abſcondimur, cùm mortificati exterius, in ſecreto interna contemplationis celamur. Qui ergo mortem quærit, gaudet dum ſepulchrum invenit: quia qui mortificare ſe appetit, valdè ad inventam requiem contemplationis hilareſcit: ut extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra ſinum ſe intimi amoris abſcondat. Sed heu! quot mortuos videmus in hâc civitate, eò quòd nolint reſurgere per juſtificationem, & præbere ſuum conſenſum voci Filii Dei vocantis ipſos per gratiam ſuam, & dicentis ſingulis ex ipſis, *Tibi dico, ſurge.* Et qui nolentes cogitare de morte, nec educere ex illius memoriâ motiva emendationis & converſionis, verè mortui ſunt morte peccati. Quot circumquaque deambulant, qui tamen quaſi in feretro efferrentur, immobiles ſunt, nedum alicui bono operi incumbant, ut ſuarum mereantur juſtificationem animarum. Vultis ne reſurgere? Deſerite peccata veſtra, & reſurgetis ad vitam gratiæ; & glorioſi eritis extremis temporibus.

Illi qui intimum & myſticum penetrare voluerunt ſenſum reſurrectionis adoleſcentis iſtius, II. Pars.
dicunt, eam prætereà nobis ſignificare reſurrectionem generalem corporum, & quòd illud quod obſervavit Chriſtus in hâc reſurrectione, idem obſervabitur in reſurrectione generali corporum ipſo extremi judicii die. Quantum ad tempus, quo fiet hæc reſurrectio generalis, illud erit, quo appropinquabit *Ieſus portæ civitatis hujus mundi*, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes* t Matth. 25.31.& 32
gentes t. Quia mundus nihil eſt aliud niſi civitas mundana; & tunc Dominus noſter appropinquabit denuò ad iſtam civitatem, id eſt, tunc cùm generalis omnium corporum fiet reſurrectio prope ingreſſum *portæ civitatis* hujus, quoniam olim

olim judicia fiebant ante portas civitatum, *Apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam judicii* u. Et, *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ* x.

u Deut. 21.19
x Prov. 31.23

Examinemus igitur ea quæ peraguntur in hâc reſurrectione. Deſolatam conſolaturus eſt adoleſcentis iſtius matrem Ieſus. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam*, hæc tria peragit. Primò, *Tetigit loculum.* Secundò, *Et ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Tertiò, *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Iſtud eſt totum quod debet fieri in reſurrectione generali. Primò enim, Fiet congregatio omnium cinerum. Secundò, Iſti cineres congregati organizabuntur. Tertiò, Peractâ organizatione à Domino noſtro, quælibet anima ſuo corpori unietur. Iſtæ tres actiones non ſolùm à Domino noſtro fient, ſed etiam ab Angelis: ibi enim ſuam habebunt Angeli vocem, æquè ac Jeſus Chriſtus ſuam, *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi* y. Super quod ait Dionyſius Carthuſianus z, *Quoniam ipſe Dominus Chriſtus in juſſu, id eſt, actuali imperio, quo mortuorum reſurrectionem jubebit, & in voce Archangeli, id eſt, factâ à ſeipſo, qui eſt magni conſilij Angelus* a, *Angelorumque Princeps, de quâ ait apud Ioannem* b, *Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Vel in voce Archangeli, id eſt, Michaëlis, qui eſt Princeps & Cuſtos Eccleſiæ: qui Deo jubente dicturus eſt, Surgite mortui, venite ad judicium. Multi autem Angelorum miniſterium exhibebunt circa mortuorum reſurrectionem, cineres colligendo, ſuſcitando, ad locum judicij deferendo, magnum quoque terrorem terribili voce impiis incutiendo. Propter quod legimus, Mittet Angelos ſuos cum tuba* c. *Unde jam ſubditur, Et in tuba Dei, id eſt, cum prædicta voce Archangeli, vel imperio Chriſti, quæ nomine tubæ deſignantur, quoniam altè & clarè ſonabunt. Vel propter ſimilitudinem tubæ corporeæ, per quam Iudæi congregabuntur ad conſilium, commovebuntur ad prælium, vocabuntur ad feſtum* d. *Similimodo hâc tubâ reſurgentes congregabuntur ad conſilium*, [illegible]*, ad prælium, orbis quoque terrarum pugnabit contra inſenſatos* e, *& ad ſolemnitatem æternam. Deſcendet in propria perſona atque viſibili forma de cœlo Empyreo, juxta illud, Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt* f. *Et mortui qui in Chriſto ſunt, id eſt, qui interim in Chriſto per mortem quieverunt, reſurgent primi.* Colligent igitur Angeli cineres noſtros, ſive in ventum projecti fuerint, ſeu circumquaque diſperſi. Sed ſecunda actio, quæ ſe tenet circa diſponenda & organizanda corpora, fiet à Domino noſtro; & hoc eſt quod repræſentatur in hoc adoleſcente, in eo quod dicitur, *Et tetigit loculum.* Dicere poſſem, quòd iſtud, *tetigit loculum*, repræſentat nobis paſſionem & mortem ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti in Cruce, *ubi crucifixerunt eum* g. Sicut autem Propheta Eliſeus ſuſcitaturus filium mortuum Sunamitidis, ſuper cubile ejuſdem pueri *aſcendit* h: ita Dominus noſter aſcendere voluit ſuper cubile Crucis, eique ſuffigi, ut hoc ſuſcitare nos poſſet modo, *Tetigit loculum.* Præſertim autem dico hoc faciendum mediâ organizatione oſſium. In quo eximiam invenio convenientiam inter creationem & reſurrectionem generalem. Creaturus enim Deus hominem, illum *formavit de limo terræ* i. Univerſa creavit Deus unico verbo ſuo, *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt* k. Sed creans hominem, applicuit ei manum ſuam; ut innuatur, quòd id, quod fecit Deus in creatione hominis, idem faciet ipſe in reſurrectione generali, quando non inſumet ſolum verbum ſuum, ſed applicabit manum ſuam, & organizabit oſſa illius.

y 1. Theſſal. 4.16
z Dion. Carth. art. 4. in 1. Theſſ. 4.16
a Ex Iſai. 9.6. juxta LXX.
b Ex Joan. 5.28
c Matth. 24.31
d Ex Num. 10.2. &c
e Ex Sap. 5.21
f Apoc. 1.7
g Joan. 19.18
h 4. Reg. 4.33. & 34
i Gen. 2.7
k Pſ. 148.5

Poſtquam *Ieſus tetigit loculum, hi qui portabant, ſteterunt.* Sed quare ſtetêre iſti feretri portitores? Myſterium eſt, quod nobis aperit differentiam quæ erit inter reſurrectionem hujus adoleſcentis & reſurrectionem generalem corporum; quia *defunctus efferebatur* à quatuor portitoribus, qui ſunt quatuor qualitates contrariæ; ſed in reſurrectione generali nullus ampliùs erit portitor, quia iſtæ qualitates contrariæ non erunt ampliùs, eò quòd tunc corpus mortale efficietur immortale.

Poſt organizationem corporum Dominus noſter dicet, *Surge.* Ingredietur denuò anima corpus ſuum, & illud rurſus animabit. *Ieſus ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Ut oſtendat omnipotentiam ſuam. S. Petrus ſuſcitavit, ſeu erexit, ſed non iſto modo; propterea claudo non dixit, *Tibi dico, ſurge*, authoritate abſolutâ, ſed ei *dixit, In Nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge* †. At præpotentiâ & authoritate *Ieſus ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Sed aliquid obſervo mirabilius in reſurrectione iſtius adoleſcentis, in eo quòd cùm ſuſcitatus fuit, non dixit Evangeliſta, Reſedit adoleſcens, ſed, *Reſedit, qui erat mortuus.* Ut oſtendat, quòd ſi moriamur juvenes, aut ſenes, tamen reſurgemus *omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* l. *Hoc eſt, in ea ætate reſurgemus, qua Chriſtus conſummatus atque occiſus eſt, ſcilicet in anno trigeſimo tertio*, ait Dionyſius Carthuſianus m. Ideò non dixit, Revixit qualis fuerat, ſed, *Reſedit, qui erat mortuus.* Seu, ad dicendum, quòd priùs erat mortalis, & quòd poſt reſurrectionem generalem futurus eſt immortalis: & ita hæc mortalitas generat & producit immortalitatem, *Et reſedit qui erat mortuus.*

† Act. 3.6
l Epheſ. 4.13
m Dio. Carth. a. 4 in Epheſ. 4. 13

Prodigium inſolitum noſtris oculis Scriptura n ſacra ſubjicit intuendum, *Mortuus eſt Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno. Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Ingenuè fatendum eſt, quòd hic occurſus fuit favorabilis & accommodus huic defuncto, cùm vitam reſtitueret illi priſtinam, cùm jam eſſet mortuus: ſed dicamus aliquid magis ad propoſitum, & ſimilius miraculo, quod peragit hodie *Ieſus cùm appropinquaret portæ civitatis* Naim. Ille cùm tetigiſſet *oſſa Eliſei, revixit homo.* Hic verò *Ieſus tetigit loculum, Et reſedit, qui erat mortuus.* Si verò oſſa arida Prophetæ mortui ſatis fuerunt potentia ad ſuſcitandum illum hominem defunctum; quantò potiori ratione caro viva Jeſu Chriſti poterit dare vitam, non ſolùm mortalem, ſed etiam immortalem. *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* o. *Id eſt, pro ſpirituali vivificatione hominum viatorum in mundo degentium. Ad hunc enim finem ut à morte culpæ ac miſeria eriperemur, vitamque gratiæ & gloriæ conſequeremur, dedit Chriſtus Corpus ſuum in Cruce in pretium, & in Sacramento in edulium, atque remedium. Quotidie quoque dat panẽ iſtum pro vita noſtra,*

n 4. Reg. 13.20. & 21.
o Joan. 6. 51

hoc eſt, ad hoc ut in vitâ gratiæ roboremur ac perficiamur. Veruntamen non eſt ſic intelligendum quod ait, pro mundi vitâ, quòd per receptionem hujus Sacramenti vita gratiæ in homine inchoetur, imò qui ſine vitâ gratiæ ad hoc Sacramentum accederet, ampliùs moreretur in animâ, reuſque fieret Corporis Domini *. *Cùm enim Sacramentum iſtud ſit cibus ſpiritualis, ideò ſicut cibus corporalis non datur, nec prodeſt niſi viventi vitâ naturæ: ſic cibus hic ſpiritualis non convenit, nec proficit, niſi viventi vitâ gratiæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *p*. Quod autem eſt mirabile, in hoc eſt ſitum, quòd iſte adoleſcens ſuſcitatus *cœpit loqui*. Verum autem eſt, quòd confeſtim ac reſurrexerimus, incipiemus loqui ad reddendam rationem Deo omnium actuum, cogitatuum, & ſermonum noſtrorum, imò verò otioſorum & inutilium quorumcunque, ut ait ipſe, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* q. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij* r. Et ſic hæc reſurrectio non erit niſi pro judicio extremo, ad nos remunerandos, vel ad nos condemnandos. Aut dicamus, ſi velitis, quòd iſtud, *cœpit loqui*, repræſentat nobis reſurrectionem Juſtorum, quæ fiet propter gloriam ipſorum, & ideò dicitur, *Cœpit loqui*. Tunc enim loquentur, & linguas habebunt ad laudandum Deum, & ad reddendas ei gratiarum actiones pro eo quòd ipſos in domicilio felicitatis æternæ collocaverit; cùm impii è contra ſint reſurrecturi ut ad ignes damnentur æternos, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam* ſ.

a Ex 1. Cor. 11, 27

p Dion. Carth. art. 18. in Joan. 6. 51

q Act. 10. 42

r Matth. 12. 36

ſ Matth. 25. 46.

Conſideremus, ſi placet, reſurrectionem iſtius adoleſcentis, quæ eſt imago reſurrectionis generalis corporum, quæ fiet ipſo extremi judicii die. Sed obſervemus, quæſo, quòd *Jeſus tetigit loculum*, ad illum ſuſcitandum. Eodem ſe gerit ipſe modo diebus ſingulis ad nos ſuſcitandos, diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* t. Et, *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* u. Sed heu! quàm tarum eſt hodiernâ die viſu converſiones iſtae. Tangit nos, tangit feretrum noſtrum, quod eſt corpus noſtrum, afflictionibus, tribulationibus, & miſeriis; ſed heu! corda noſtra ſic ſunt indurata, & ita alligata voluptatibus & deliciis hujus mundi qui nos decipit lenociniis ſuis, ut vocati, renuamus omnes divinas inſpirationes *x*, ita ut quandiu ſanitate & proſperitate gaudemus, vita nobis videatur immortalis.

t Sap. 11. 24

u 2. Pet. 3. 9

x Prov. 1. 24

Ha! Auditores, juventus nobis blanditur, bona & divitiæ nos ſeducunt, honores caduci noſtra corda attrahunt; & ſpes quam habemus diu vivendi, eripit nobis cogitationem & memoriã mortis Perpendite; obſecro, id quod fuiſtis, & id quod futuri eſtis; ſeriò conſiderate quidnam ſuperſit vobis ex omnibus oblectamentis, quibus diffluxiſtis à tempore quo eſtis in mundo, & auſcultate id quod ait Job y, *Quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent, Vbi eſt?* Totus iſte mundus, & omne quod in eo eſt, oblectamentum, voluptas, aurum, argentum, theſauros, honor, pompa, *quaſi ſterquilinium in fine perdetur*. Nihil eſt ampliùs niſi fœtor, *Et qui eum viderant, dicent, Vbi eſt?* Illi *qui eum viderant* Principem, Monarcham, Dominum N. gloriâ mundi, deliciis, voluptatibus, & omni bonorum copiâ affluentem, *dicent, Vbi eſt?* Jacet in tumulo, corroſus à vermibus, *quaſi ſterquilinium*. Hi *qui eum viderant* juvenem in flore ætatis ſuæ conſtitutum, generoſum, & magnanimum ita ut cœlo bellum indicere videretur æquè ac terræ, *dicent, Vbi eſt?* In ſepulchro reconditus eſt, fœtore ſcatens intolerabili, *quaſi ſterquilinium*. Iſti *qui eum viderant* decôrem, id eſt, ſpecioſam aliquam puellam, aut mulierem adoratam ab inſanis amaſiis more divinitatis, *dicent, Vbi eſt?* Quid autem eſt de eximiâ iſtâ pulchritudine, quæ rapiebat corda inſipientum? *quaſi ſterquilinium*, facta eſt ipſa præda vermium, *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes* z. Non habetur ampliùs ſermo de eâ, ipſa eſt fœtor, cadaver, & omnium ſordium congeries. Ita verum eſt, quòd eſt *homo putredo, & filius hominis vermis* a.

y Job 20. 7

z Iſai. 14. 11

a Job 25. 6

Ecce, Auditores, finis voluptatum & oblectamentorum mundi. Mors abripit omnia: univerſos ipſa metit homines, magnos & parvos, divites & pauperes, juvenes & ſenes, doctos & ignaros, & cujuſcunque conditionis ii denique ſint: & cùm experientiâ quotidianâ hanc veritatem comprobemus, imitemur hanc bonam matrem, defleamus mortem animæ noſtræ, quæ eſt unica filia noſtra mortua per peccatum, pœnitentiam agamus inſtar Magdalenæ *b*; fleamus peccata noſtra, & exeamus ab occaſionibus illorum, ſicut *egreſſus foras Petrus flevit amarè* c trina[illegible]egationem ſuam, ut reſurgamus aliquand[illegible] Jeſu, & dicamus ei, Adorande Salvator, verum eſt, quòd ut miſeri peccatores, mortui ſumus per peccatũ in hâc ſuſpiriorum valle; ſupplices exoramus te more adoleſcentis iſtius, ut ſuſcites nos ſanctis inſpirationibus tuis, obſecramus te per lacrymas noſtras, & per dolorem quo pœnitet nos peccaſſe: largire nobis, quæſumus, gratiam tuam, ut per reſurrectionem à morte peccati, poſſimus reſurgere ipſo judicii extremi die ad vitam gloriæ æternæ conſequendam.

b Luc. 7. 37. & 38

c Luc. 22. 62. &c

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum ejus, &c. Joan. 11. 1. &c.

a Prov. 17. 17

VOlens Salomon *a* cognoſcendos exhibere nobis veros amicos, quos maximi ducere debemus in omnibus & ſingulis occurſibus, præſertim verò mediæ inter anguſtias à vita noſtra inſeparabiles in hac miſeriarum valle, ait, quòd eos diſcernemus in iiſdem tribulationibus, quæ nos ſunt impeſituræ, in quibus illorum fidelitatem probabimus, cùm ille, qui nomen veri amici ſibi aſciſcit, ſemper & ubique debeat diligere. *Omni tempore diligit qui amicus eſt: & frater in anguſtiis comprobatur.* Hoc nomine, fratris, intelligit nomen amici: & in Hebræo, loco verbi iſtius, *comprobatur*, ponitur iſtud, *naſcetur*. Quaſi diceret, quòd ſicut infans naſcitur

me-

medios inter dolores partûs: ſic amici naſcuntur inter anguſtias affllictionum, & currunt ad auxilium impendendum amicis ſuis, cùm miſeriis & adverſitatibus opprimuntur, & fugiunt tempore proſperitatis, nedum imitentur hirundines quæ è noſtris recedunt regionibus appropinquantibus rigoribus hybernis, & ad noſtras redeunt oras accedente vernâ tempeſtate, ut jucunditate & ſuavitate regionis potiantur. Ideò Hugo Cardinalis *b* ait in hunc locum, *Omni tempore adverſitatis, & proſperitatis diligit qui amicus eſt re, & nomine. Vera enim amicitia junctura eſt animorum amantium ? non continuatio, vel contiguatio; ſed mixtura, quæ non patitur aliquid permixtorum tangi, quin totum tangat. Et frater in anguſtiis comprobatur ſicut olla in igne. Unde Seneca, Hoc habet boni adverſitas, quod amicos probat.* Dei Filius ſe verum amicum exhibet, ſuſcitando Lazarum, *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado ut à ſomno excitem eum.* A morte revocando etiam animas noſtras per gratiam ſuam, quâ replevit Matrem ſuam, cùm ſalutavit illam Archangelus, dicens ei, *Ave Maria.*

b Hugo Cardin Prov. 17. 17

Repræſentat nobis S. Lucas *c* differentiam, quam obſervare debemus inter veros & falſos amicos, de quibus eſt quæſtio, propoſitâ nobis hâc parabolâ. *Quis veſtrûm habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quod ponam ante illum? & ille deintùs reſpondens dicat, Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Primus hic amicus, qui ſurgit horâ indebitâ ut charitativè & benevolè excipiat hunc amicum extraneum, qui dignatus eſt ipſum venire viſitatum, quique ivit quæſitum ea, quibus illum exciperet juxta illius meritum pro poſſe ſuo; verus eſt amicus, qui præſertim manifeſtatur *mediâ nocte* adverſitatis, quâ alter ſurgere noluit, qui propterea eſt figura amicitiæ falſæ hujus mundi, quæ ſuorum obliviſcitur amicorum in ſtatu neceſſitatis & anguſtiæ poſitorum. Quoniam, ut ait Hugo Cardinalis d, *Eſt amicitia fortuna, quæ in tempore proſperitatis diligit, in adverſitate deficit: de quâ Eccleſiaſticus, Eſt amicus ſecundùm tempus, & non permanebit in tempore tribulationis. Seneca: Sicut ingreſſus eſt, ſic exibit. Auguſtinus: Periculoſum eſt amicum fieri cum eo, à quo neceſſe habet ſeparari.*

c Luc. 11. 5. &c

d Hugo Card. in Prov. 17. 17, ex Eccli. 6, 8

Umbra ſequitur eos, qui incedunt die clarâ, quique illuminati ſunt luce: ſed non apparet juxta eos qui obſcurâ ambulant nocte medias inter tenebras: cùm Sol proſperitatis illuminat, plures apparent umbræ falſorum amicorum; ſed ſtatim ac involuti ſumus tenebris affllictionis, iſtæ diſparent umbræ,

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Sic enim vocabant Antiqui falſos iſtos amicos commenſales; hæc enim conſuetudo erat apud eos recepta, ut, cùm aliquis invitatus fuerat ad aliquod convivium ab aliquo è propinquis, aut amicis ſuis ad cuſtodiendam amicitiam, aut fovendam ſocietatem, liceret hujuſmodi invitato ducere ſecum ad convivium aliquem ex amicis, & iſte vocabatur Umbra. Et ille appoſitè locutus eſt, qui dixit, *Amicus certus in re incertâ cernitur.* Id eſt, medias inter tenebras affl ctionis, & ipsâ nocte anguſtiarum agnoſcitur. Dominus noſter Jeſus Chriſtus erat unus ex his veris amicis, *Cum ipſo ſum in tribulatione* e. Et ideò non eſt mirum ſi ambæ Lazari ſorores Martha & Magdalena certæ de hâc verâ amicitiâ, non ſint ſolicitæ de exorando Filio Dei ut veniat inviſum fratrem ſuum extremâ infirmitate laborantem, ratæ quòd ſatis eſſet ut ipſæ monerent eum ſtatûs, in quo poſitus erat ipſarum frater, per epiſtolam *dicentes, Domine, ecce, quem amas infirmatur.* Quia cùm ſcirent eum fuiſſe verum amicum, exiſtimabant fratrem ſuum in neceſſitate conſtitutum, ab eo non derelinquendum, præſertim cùm ageretur de vitâ, aut de morte illius. Si autem Jeſus Chriſtus verus eſt amicus, quare patitur ut ſit *languens Lazarus*, & infirmitate oppreſſus, ſicut & ut ſorores ejus affllictione ſint affectæ? Et videntur iſtæ æquè ac ille poſſe reſpondere ei illud, quod reſpondit Gedeon Angelo; nam ubi *apparuit ei Angelus Domini, & ait, Dominus tecum virorum fortiſſime; dixit ei Gedeon, Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia* f? Si Dominus iſtam tanto proſequitur amore familiam, cur eam affl ctione derelinquit oppreſſam, præſertim verò Lazarum leshiferâ laborantem infirmitate? Permittit Primò, ut Lazarus infirmetur, ad oſtendendum quòd affllictiones ſint diſpoſitiones ad juſtificationem. Secundò, Sinit ut moriatur, quò eum ſuſcitans manifeſtet in reſurrectione illius maximum omnium miraculorum ſuorum.

e Pſ. 90, 15

f Judic. 6, 12, & 13

Diviſio.

I. Pars.

Permittit Deus ut Juſti & Boni affllictionibus impetantur & anguſtiis, ut præbeat eis occaſionem promovendæ gloriæ ſuiipſorum, confundendi diaboli inimici ſui, & operandæ juſtificationis animarum ſuarum. Præcepit aliàs Alexander Magnus ut libertate donarentur captivi omnes, quos ſuæ ſubjecerat ditioni, excluſis ſolis Thebanis, quibus ob nuntium illud importunum affllictis unus è ſapientiſſimis illorum, qui erant libertatis privilegio fruituri, dixit: Nuntium illud nobis eſt injurioſum, & vobis glorioſum, cùm vos ſolos formidet Magnus Alexander, nihil autem vereatur à nobis. Si autem ſapiens iſte vir imputavit captivitatem Thebanorum formidini, quam de illis conceperat Alexander: ita dæmon ſuos omnes inſumit conatus ad tenendos Juſtos (Deo ſic permittente) vinculis affllictionum conſtrictos, quia eos formidat; ſciens quòd affllictiones inducunt eos ad recurrendum ad Deum; & ſunt eis diſpoſitiones ad operandam juſtificationem ſuam. Sed non ita ſe gerit intuitu peccatorum, quos conſiderat ut ſuos, quos non formidat, & quos diſponit ſicut ipſi placet.

Divina ergo *Sapientia* g, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* h, permittit ut nos affllictiones impetant, ut immodicâ æſtuemus ſiti convertendi nos ad ipſam, ſecundùm quod S. Auguſtinus i, explicans hunc locum Davidis loquentis Deo, *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*, docet, multitudinē laborū, quibus opprimimur, multiplicare in nobis ſitim erga Deum, dicens, *Ubique fatigatio eſt, ubique laſſitudo, ubique corruptio. Attendentes qualem nobis ſpem reſurrectionis promittat Deus* k, *in iſtis omnibus multiplicibus defectionibus noſtris ſitimus illam incorruptionem: & ſic caro noſtra multipliciter ſitit Deo. In iſta Idumæâ, in iſto deſerto, quàm* mul-

g Sap. 7. 24

h Sap. 8. 1

i S. Aug. in Pſ. 62, 6

k 1 ad Cor. 15, 53

non poteſt eſſe ſine gratia: ergo infuſio gratiæ eſt neceſſaria ad juſtificationem peccatoris, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Liberum arbitrium Secundò ad eam eſt neceſſarium, quia Deus voluit, & vult ut omnes creaturæ operentur ſecundùm eſſe ſuum, naturamque quam illis indidit in earum productione. Lumen ipſe præbuit Soli, calorem igni, & motum cœlis. Ignis operatur calore, Sol lumine, & cœli agũt motu. atqui cùm *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimi-*
r Gen. 1. 27. *litudinem ſuam* z. dedit ei liberum arbitrium, *Deus ab initio conſtituit hominem. & reliquit illum in manu conſilij ſui. Ante hominem vita & mors: bonum*
ſ Eccl. 15. 14. & 18. *& malum; quod placuerit ei, dabitur illi* ſ. Ut ergo conſequatur effectum juſtificationis, oportet ut operetur motu liberi ſui arbitrii; & motus iſte debet eſſe cum fide formatâ charitate,
t Galat. 5. 6. quia *fides per charitatem operatur* t. Tertiò, Neceſſaria eſt ad juſtificationem deteſtatio peccati, quia peccator in converſione ſua approximat
u Hebr. 11. 6. ad Deum mediâ fide, *Credere enim oportet accedentem ad Deum* u. Oportet ergo ut per voluntatem deteſtetur & oderit peccatum, *Iniqui-*
x Pſ. 118. 163. *tatem odio habui, & abominatus ſum* x. Quartò, Remiſſio peccati requiritur ad juſtificationem, quia ubicumque operatur cauſa prima, ibi effectus invenitur: ubi eſt Sol, ibi eſt lumen; ubi eſt ignis, ibi eſt calor; ubi eſt glacies, ibi eſt frigus. Effectus gratiæ Dei eſt peccata remittere. Imò verò dico, quòd ſi conſideremus infirmitates naturæ, malitiam peccati, & vires gratiæ, inveniemus impoſſibile eſſe, ut homo probatæ vitæ elevet ſe ad meritum, niſi adjuvetur favoribus cœli, & gratiâ Dei, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſuf-*
y 2. Cor. 3. 5. *ficientia noſtra ex Deo eſt* y. Veritatem iſtam cõ-
z Jo. 15. 5. firmat ipſe Chriſtus, dicens, *Sine me nihil poteſtis facere* z. Homo poteſt quidem ſe præcipitare ex ſemetipſo in puteum, aut in foveam; ſed ex ſemetipſo inde exire non poteſt: peccatum eſt fovea profunda, & periculoſa abyſſus, in quam poteſt homo ſe projicere, ſed inde non valet deinde remeare. Cùm lapſus eſſet David in adulterium cum Bethſabee, & in homicidium adversùs virum ejus, dicebat *De profundis clamavi*
a Pſ. 129. 2. *ad te Domine, Domine exaudi vocem meam* a. Su-
b Incogn. in Pſ. 129. 2. per hoc Incognitus *b* ait, *Profundum dicitur peccatum, quia ad profundum ducit infernum. Verumtamen in infernum detraheris in profundum laci* c.
c Iſai. 14. 15. Et Poëta,

Facilis deſcenſus averni:
Sed revocare gradum, ſuperaſque aſcendere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Homo poteſt ſemetipſum interimere, ſed non poteſt ſeipſum ſuſcitare, & ademptam propriis manibus vitam ſibi reſtituere, ſic *homo occidit quidem per malitiam animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ*
d Sap. 16. 14. *recepta eſt* d. Liber eſt homo, antequam in deordinationem labatur peccati, ſed poſtquàm conſenſum præbuit peccato, & lapſus eſt in hanc abyſſum, inde non poteſt exire abſque auxilio gratiæ. Iſtud autem opus ſic eſt mirabile, ut S.
e S. Aug. tract. 72. in Jo. 14. 12. Auguſtinus *e* aſſerat, hanc juſtificationem eſſe miraculum inſignius quàm ſit creatio cœli & terræ. *Ut ex impio juſtus fiat, proſus majus hoc eſſe dixerim, quàm eſt cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terra.* Ratio iſtius evidens eſt, Quia contradictio reperitur in juſtificatione
f Prov. 1. 24. &c. peccatoris, *Vocavi, & renuiſtis* f, &c. Sed nulla eſt reluctantia in creatione mundi, *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* g. Con g Pſ. 148. 5
trarietas autem eſt id, quod affert difficultatem agenti; & ubi nulla eſt oppoſitio, & nullum impedimentum, omnia ſunt facilia: & Philoſophia docet nos, quòd ſi fieri poſſet motus in vacuo, fieret ille in inſtanti, quia in vacuo nulla eſt contrarietas, nec aliqua reſiſtentia: ſed in reparatione peccatoris innumeræ inveniuntur reluctantiæ, ideò hæc illius juſtificatio eſt diffi-
cillima; & S. Thomas *b* ait, *Quatenus impij juſtificatio terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis, quod eſt maximum bonum, eatenus ipſum quoque juſtificationis opus maximum eſſe certum eſt.* h S. Th. 1. 2. q. 113. a. 9. in concl.

Quàm devinctus eſt peccator Deo, quòd impium Deus convertat ad ſe mediis afflictionibus, ipſum juſtificet, & præbeat ipſi gratiam ſuam! Sed heu quanta Chriſtianorum ingratitudo! quam exigui ducunt inſpirationes ejus! eas ſpernunt, & nedum in meliorem emendatioris vitæ ſe recipiant frugem, diſſolutionibus habenas laxant; & nedum convertantur interventu tribulationum, induratur, & ſtringitur eorum *cor quaſi malleatoris incus* i contra ictus i Job 41. 15.
malleorum, quibus ipſi percutiuntur; & nedum in ſemetipſos revertantur, diſſipabunt ſe effræni libertate in omnia objecta innocentiæ contraria: tandem ut *rebelles luminis* k, & obſtinati in k Job 24. 13.
peccatis ſuis, languebunt ut Lazari in pravis ſuis conſuetudinibus, in infirmitate ſua ſpirituali, nedum ſatagant ad ſanandas animas ſuas quærere Medicum, quem *languens Lazarus* monendum curat, ut ſibi reſtitutum veniat corpoream ſanitatem; & veluti deſperantes, & ita traditi *in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt* l, diu perſeverabunt in cubili ſordium ſua- l Rom. 1. 28.
rum, nedum confiteantur, aut communicent; & totam refundent vitam ſuam ad vanitates, ad avaritiam, ad inſequenda bona temporalia, & ad explendas voluptates ſuas. Poſt hæc mirabimini ne ſi ſuarum non ſuſcipiant ſanitatem animarum, nedum aliquod ſumant levamen ab ægritudine, quâ ſpiritualiter cor eorum opprimitur?

Miſerandi infirmi, qui jacetis in lecto diſſolutionum & deordinationum veſtrarum, imitamini hunc languentem noſtrum Evangelicum, qui monendum ſatagit Medicum ad recuperandam corpoream ſanitatem; eodem gerite vos modo; vocate Medicum ſpiritualem, per vivam fidem *accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur* m; ſed veſtrarum m Pſ. 33. 6
ſuſcipietis curationem animarum. Hanc præ vobis bonam ferte voluntatem deſerendarum pravarum conſuetudinum veſtrarum; recurrite ad hunc cœleſtem Medicum, implorate gratias ejus, ſuſcipite præ aviditate motiones ſacras, & inſpirationes internas; quibus præveniet *vos in benedictionibus dulcedinis* n, ſi velitis juſtificati, & n Pſ. 20. 4.
à ſpiritualibus veſtris infirmitatibus ſanari. Ipſe nos ad eas invitat ſuſcipiendas, dicens, *In charitate perpetuâ dilexi te: ideò attraxi te, miſerans* o, o Jer. 31. 3
ut tibi meas communicem gratias. Macte igitur animo peccator, *Ecce, non eſt abbreviata manus Domini ut ſalvare nequeat, neq; aggravata eſt auris ejus ut non exaudiat* p. Eâdem eſt *accinctus potentiâ* † nunc, quâ viguit ab æterno; nec in p Iſai. 59. 1 † Pſ. 64. 7.
eo minor eſt modò charitas, quàm fuerit in illo ex tunc: permiſit ut fuerit *languens Lazarus amicus* ſuus, imò verò quòd *mortuus* fuerit, ſed ideò ut ſuſcitaret eum: poterit quidem te ſuſci-

convenientiam haberet cum extremis, id eſt, ut probationes exhiberet Divinitatis Jeſu Chriſti, quod ſit per reſurrectionem Lazari, quæ eſt maximum omnium miraculorum illius; quod patet ex circunſtantiis miraculi, quæ nobis oſtendunt eum Deum & hominem ſimul.

Ieſus ergo ut vidit plorantem Mariam Magdalenam æquè ac ſororem ejus Martham propter obitum Lazari fratris ſui, *& Iudæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & dixit, Ubi poſuiſtis eum?* Illo eodem modo, quo Protoplaſti noſtri *cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, & abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi; vocavit Dominus* [a Gen. 3. 8. & 9.] *Deus Adam, & dixit ei, Ubi es tu?* Sed quid? nunquid non ſciebat Deus ubinam eſſet uterque? Non latebat ipſum locus in quo erat tam iſte, quàm illa, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis* [x Hebr. 4. 13.] *ejus* x. Sed ideò ſic iſtum, & illas interrogabat, ut innueret, ſe non cognoſcere peccatores (quorum iſti erant ſymbolum) ſcientiâ approbationis. Seu dicamus, iſtud eſſe verbum compaſſionis, ſicut mater aliqua videns filium ſuum mari immerſum, & ſolos extremos ejus intuens capillos, contentâ voce inclamat, Heu, fili mi! ubi es? Aut ſi adverteus eum patibulo alligatum, diceret carnificibus, Ubi poſuiſtis eum? Vel, ſi vultis, eſt verbum admirationis, *Ubi poſuiſtis eum?* Quid agitis Dominæ meæ? Dei Filium ad lacrymas fundendas inducitis. Sed quid? Iſte idē Dei Filius prohibebat Matri viduæ illi è civitate Naim, cujus *defunctus efferebatur filius*, & quem ipſe ſuſcitavit, ne ploraret, *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit il-* [y Luc. 7. 12. &c.] *li, Noli flere* y. Nihilominùs *& lacrymatus eſt Ieſus* idem. Ha! ipſe lacrymas emittit, ut oſtendat ſe eſſe verum hominem. Si enim Alexander Magnus videns fluere ſanguinem è corpore ſuo vulnere ſauciato, credidit ſe fuiſſe verum hominem; quis non judicabit quòd Jeſus Chriſtus ſit verus homo, videndo quòd fundat lachrymas, quæ ſunt veluti ſanguis cordis? Si autem cùm *lacrymatus eſt Ieſus*, oſtendit ſe verum hominem, ſic cùm *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras*, per hunc magnum clamorem, & per hanc vocem elevatam manifeſtavit ſe verum Deum, & adimplevit id, quod dixerat, *Quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij* [a Jo. 5. 28.] *Dei* a, *qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non* [b Rom. 4. 17.] *ſunt, tanquam ea quæ ſunt* b. Non ſolùm *lacrymatus eſt Ieſus* ob mortem amici ſui, ſed quia reſtituturus erat ei vitam calamitoſam, & repoſiturus eum in triremi, è qua jam fuerat per obitum liberatus. Sic commenti ſunt Poëtæ, Prometheum, qui ſecundùm fabulam dicitur homines formaſſe è luto, idem lutum miſcuiſſe lacrymis ſuis, præ compaſſione quâ afficiebatur erga eum, videns eum ingredi miſerias, quibus futurus erat obnoxius. Sed dicamus Chriſtianiùs, quòd *non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro* [c Hebr. 4. 15.] *ſimilitudine abſq; peccato* c. Id eſt, quòd Chriſtus noſtris eſt compaſſus miſeriis, quas induit, excepto peccato *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt* [d 1. Pet. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.] *dolus in ore ejus* d. Et ſecluſâ ignorantiâ, *Vivus eſt enim Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſq; ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis* e. [e Hebr. 4. 12.] Verum quidem eſt, Animam beatam Jeſu Chriſti potuiſſe immergere exceſſui gloriæ ſuæ omnes infirmitates naturæ; ſed magis expedivit, ut ſuſpendente ipſâ influentiam iſtam glorioſam, Corpus ejus noſtris communicaverit pœnis & paſſionibus, ad meliùs verificandam realitatem naturæ humanæ, *Neq; enim in quo verum erat hominis corpus, & verus animus hominis, falſus erat humanus affectus*, ait S. Auguſtinus f. [f S. Aug. li. 14 de Civ. c. 9.] Si ex effectibus judicatur de principio, oportebat ut ex humanis affectibus colligeretur in Chriſto realitas naturæ humanæ unitæ naturæ Divinæ.

Loquens Salomon g de oculis Sunamitidis, [g Cant. 7. 4.] ait illi, *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Per hanc Sunamitidem intelligere poſſumus modò humanitatem Jeſu Chriſti. Oculi ſunt ſecluſorium naturale liquoris, qui reſolvitur in lacrymas; ſicut piſcinæ ſunt ſecluſorium ſordium & inquinamentorum civitatis. Sed quare ſunt Chriſti *oculi ſicut piſcinæ in Heſebon?* Nihil aliud innuitur per Heſebon, niſi ſupputatio rationalis, *Favet interpretatio S. Hieronymi, ac Ambroſii, dicentium Heſebon ſignificare cogitationes; piſcinaſque in Heſebon indicare in rationalibus cogitationibus abundantiam*, ait De Ponte h. [h De Ponte l. 9. Exhortat 14. §. 2 in Cant. 7. 4.] Ut ſciat unuſquiſque quòd piſcina oculorum ejus nunquam aperuit cataractam lacrymis, niſi prævià rationabili cogitatione & ſupputatione. In nobis accidit ſicut in piſcinis, quæ inflantur ſubitò ex acceſſu torrentium & pluviarum, & confeſtim inundant; ſic enim calamitates inopinatæ inducunt nos ad lacrymas involuntarias, quæ ſunt præſagium defectus noſtri; ſed in Chriſto ſunt *oculi piſcinæ in Heſebon*, & lacrymæ ejus ſicut in fonte ſignato i, [i Cant. 4. 12.] cùm nunquam præveniant deſideria ejus, nec effundantur niſi juxta menſuram voluntatis ejus. Si autem diſcerni potuit motus iſte rationabilis medias inter occaſiones, *Propter quod & Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum, extra portam paſſus eſt* k *cum lacrymis* l, [k Hebr. 13. 12.] is apparuit in reſurrectione Lazari, in quo rationabiliter *lacrymatus eſt Ieſus.* [l Hebr. 5. 7.] Oportet ergo, Auditores, ut ſi lacrymas fundamus in morte propinquorum, & amicorum noſtrorum, eæ ſint *ſicut piſcinæ in Heſebon.* Id eſt, ut dirigantur motu & cogitatione ſeu ſupputatione rationali. *Filius unicus*, quem plangebat vidua Naim, erat *adoleſcens* m. [m Luc. 7. 12. &c.] Iairo *unica filia erat ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur* n. [n Luc. 8. 42.] Lazarus autem noſter erat ætatis perfectæ. Iſti tres erant divites & nobiles. Filium viduæ Naim, qui *defunctus efferebatur, turba civitatis multa* comitabatur. Puella illa ſuſcitata, erat filia Principis Synagogæ. Lazarus autem erat Dominus Bethaniæ. Jeſus Chriſtus prohibuit parentibus utriuſque ne flerent, quia cùm adhuc adoleſcentes eſſent, immunes eſſe poterant à peccatis, quæ ſola animam exponunt periculis, quaſi diceret eis, quòd uterque *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus: aut ne fictio deciperet animam illius* o. &c. [o Sap. 4. 11. &c.] Cùm tamen lacrymaretur ipſe pro viro ætatis perfectæ, qui in hoc ſtatu erat ſymbolum peccatoris; & quòd ſic non eſſet deflendum in propinquis noſtris niſi peccatum, & non ploranda jactura corporum, aut præſentiæ eorum. Quoad autem id quod ſpectat ad nos, conſideremus, quòd Dei Filius vocans è tumulo Lazarum quatriduanum, eum ſuſcitat, quòd Lazarus obedit voci ejus, etiamſi

jam

Digitized by Google

jam fœteret, quandiu nos fœtentiores vitiis noſtris, tenuimus auſcultare vocem Chriſti, qui loquitur nobis organo Concionatorum. Audiamus vocem ejus, & habebimus gratiam ejus, & aliquando gloriam illius.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Joan. 8. 46. &c.

INquiſitio vitæ & morum ita eſt neceſſaria ad regimen univerſi orbis, ut Jeſus Chriſtus *ipſe, qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuo-* a Act. 10. 42.
rum a, non dedignetur ſe juſtificare, permittens ſe præſentari tribunali Scribarum & Phariſæorum inimicorum ſuorum. Et ideò appoſitè locutus eſt ille Philoſophus, qui ſalutare præbens monitum alicui ex amicis ſuis, qui ægritudine oculorum laborabat, cuique multa proponebantur remedia iiſdem ſanandis, aut ſaltem dolori illorum mitigando accommoda interventu pulverum, aut cauteriorum, perſuadere illi conatus eſt ut deinceps uteretur conſpiciliis invidiæ, ex quorum transverſo à longè videret minutiſſima & exiliſſima quæque objecta: ſic non ambegit Dei Filius permittere ſe impeteodum calumniis oris ex invidia inimicorum ſuorum, nolens ipſe melius excipi, quàm ſuos excipiendos permiſerit amicos. Jeremias prædicebat Regi Juda Sedeciæ, & incolis Jeruſalem, mala quæ ipſis erant eventura, ut ad Dominum converterentur; nedum autem hæc ſalutaria præ gratiarum actione ſuſciperent monita, econtrà illum carceri tradiderunt, & multas irrogaverunt ei injurias b. *Iob erat vir ſimplex &*
b Jer. 32. 2. &c. *rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* c. Ta-
c Job 1. 1. men non renuit ſuſtinere judicium aliquorum hominum, qui ipſum dirè exceperunt, *Nunc venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus*
d Job 4. 5. *es* d, &c. Verum quidem eſt, quòd Job ſic exceptus fuit ab amicis ſuis: ſed Jeſum Chriſtum,
e 1. Pet. 2. 22. ex Iſai. 53. 9 *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* e, perſequitur invidia inimicorum ſuorum,
f Joann. 1. 14. etiamſi *plenum gratia* f, quæ replevit Matrem ipſius ad hæc verba, *Ave Maria.*

Sex præcipuas invenio propoſitiones exaratas in Prophetis de adventu Meſſiæ. Prima eſt, Quòd facturus eſſet multa miracula, *Ipſe Liberator atque Salvator, faciens ſigna & mirabilia* g. Se-
g Dan. 6. 27. cunda, Quòd futurus eſſet Rex ſpiritualis, *Ecce*
h Zach. 9. 9. *Rex tuus veniet tibi Iuſtus & Salvator* h. Tertia, Repleodom eum ſapientiâ, & ſcientiâ, *Requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, & ſcientiæ* i. Quar-
i Iſai. 11. 2. ta, Eum redempturum mundum à peccato, *In ſcientia ſua juſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos,*
k Iſai. 53. 11. *& iniquitates eorum ipſe portabit* k. Quinta, Illum futurum pauperem & abjectum, *Ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium a-*
l Zach. 9. 9 *ſinæ* l. Et ſexta, Eum futurum purum & inno-
m Dan. 9. 24. centem, *Vngatur Sanctus ſanctorum* m. Ideò digito demonſtrans eum *Ioannes, ait, Ecce Agnus Dei,*
n Joan. 29. *ecce qui tollit peccatum mundi* n. Hodiernâ verò die videns ipſe invidiam & malitiam Judæorum, ſuam propalare volens innocentiam, antequàm mortem oppetat, duas iſtas facit prodire in palàm propoſitiones magnanimas, unitè reſervatas ſibi vero Deo & homini, *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Priorem, Ad manifeſtandam innocentiam ſuam. Poſteriorem verò, Ad confirmandam veritatem doctrinæ ſuæ. Quæ ambæ propoſitiones erunt geminæ diſcurſus iſtius par- Diviſio.
tes.

Hæc maxima eſt veriſſima, quâ fertur, quòd I. Pars.
omnes propoſitiones quæ perſuadendæ ſunt ut veræ mentibus noſtris, probantur duobus modis præcipuis; aut viâ inductionis, aut viâ demonſtrationis; & tunc propoſitio ſic probata, manet certiſſima, admiſſa, & ab omnibus approbata. Hoc poſito pro comperto, dicam, iſtam propoſitionem à Chriſto allegatam, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* his duobus probari modis. Primò, inductione, quia totus curſus, quo Jeſus Chriſtus fuit viator in mundo iſto, *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* o; in tria o Baruch 3. 38.
præcipua dividitur puncta, in conceptionem, in vitam, & in mortem. Dicamus igitur audacter Jeſum Chriſtum fuiſſe immunem à peccato in conceptione ſua, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* p. Vita illius fuit ſine peccato, p Matth. 1. 20.
ut dixi ſuprà, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* q. Quia gratiâ plenus exhibuit q 1. Petr. 2. 22. ex Iſai.
ſe ſpeculum ſanctitatis, & exemplum virtutis in 53. 9
jejuniis r, *in oratione* ſ, in humilitate t, *& in* r Matt. 4. 2.
laboribus à juventute u ſua uſque ad mortem.
Quam innocens pertulit ad delenda peccata no- ſ Luc. 6. 12
ſtra, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates no-* t Matt. 15. 29.
ſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: oblatus eſt, u Pſ. 87. 16.
quia ipſe voluit. x Iſai. 53. 5. & 7.

Poſſet quis mirari, videns Filium Dei dicentem Judæis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* ſe hominum judicio ſubjicere. Sed admiratio illius ceſſabit, ſi conſideret, quòd quia in hunc mundum *venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* y; exhibens ſe impeccabilem, y Luc. 19. 10.
oſtendebat ſe verum ipſorum Redemptorem. Prætereà, Voluit ſe judicio illorum ſubmittere, ad ſervandum ordinem juſtitiæ: cùm enim Judex judicavit proximum ſuum, aliorum ſe debet judicio ſubmittere in occurſibus juſtis. JESUS Chriſtus ſe Judicem exhibuerat in templo contra Scribas & Phariſæos volentes *mulierem in adulterio deprehenſam lapidare; Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra, Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat* z. In quo illos omnes judicavit peccatores, *Alij* z Jo. 8. 3. &c.
dicunt, quòd ſcripſit eorum peccata, ut propria peccata videntes erubeſcerent, ait Dionyſius Carthuſianus a. Hodiernâ verò die ſe illorum judicio a Dion. Carth. art. 21. in Jo. 8. 6.
ſubjicit; ſed ſuam manifeſtat eis innocentiam, quam coacti ſunt ipſi confiteri tempore paſſionis ipſius. Nam cùm *videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum:* non auſi ſunt illi reſpondere, quòd eſſet innocens. *At illi dixerunt,* quaſi confirmantes verba Judæ,
Quid ad nos? tu videris b. Deinde, *Pilatus* ſeriò b Matt. 27. 3. & 4.
exa-

examinatis omnibus accuſationibus allatis adverſùs eum à Judæis, *dicit eis, Ego nullam invenio in eo cauſam* c. In cujus innocentiæ illius ſignum, *acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à Sanguine Juſti hujus: vos videritis* d. Dimas, ſeu bonus latro, jam jam convertendus ad eum, iſtud innocentiæ illius perhibuit teſtimonium, *Nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit* e. Quin imò, licèt Ethnicus, *videns Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Verè hic homo juſtus erat* f.

c Joan. 18. 38.
d Matt. 27. 24.
e Luc. 23. 41.
f Luc. 23. 47.

Inſuper hæc propoſitio prior, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* probatur mediâ demonſtratione. Quicumque eſt impeccabilis per naturam, nullius convinci poteſt peccati: JESUS Chriſtus fuit impeccabilis per naturam, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* g. Ergo nullius inſimulari poterat peccati. Ubi magnam invenio differentiam inter impeccabilitatem Jeſu Chriſti, & impeccabilitatem quæ perhibetur fuiſſe in aliis Sanctis aliquibus. Jeſus Chriſtus fuit impeccabilis per naturam; Sancti verò impeccabiles fuerunt per gratiam ſpecialem. Jeſus Chriſtus non poterat peccare naturaliter: Sancti autem peccare poterant ſaltem venialiter. Proptereà eſt obſervandum, plures eſſe ſphæras cœleſtes, & eas duplicem motum habere, motum violentum, & motum naturalem. Motus violentus eſt quando illæ abripiuntur à primo mobili, qui eſt ab Oriente in Occidentem. Motus autem naturalis, cùm eædem ſuos peragunt curſus intra tempus determinatum, & hic motus eſt ab Occidente in Orientem. Primum mobile etiam habet unicum motum, qui eſt ab Oriente in Occidentem, qui eſt illi naturalis: ita Sancti qui confirmati fuerunt in gratia in hac vita, & qui vocantur cœli, ut docet S. Gregorius h, dicens, *Benè dicitur, Spiritus ejus ornavit cœlos: quia Prædicatores ſancti niſi promiſſa Paraclêti dona perciperent* i, *nullo fortitudinis decore claruiſſent*: duos habebant motus. Violentus erat ille qui procedebat à gratia Dei, quæ movebat ipſos ad benè agendum, & conſervabat eos ſine peccato, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* k. Naturalis verò, qui erat inclinatio ad peccatum, & concupiſcentia, quæ nondum in illis extincta, eos inducere poterat ad peccatum: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* l. Ecce duo motus, violentus, & naturalis; unus gratiæ, alter naturæ; unus qui aggreditur, alter qui vincit: Jeſus Chriſtus igitur, qui eſt ſimilis primo mobili, nullum unquam habuit motum naturæ & concupiſcentiæ, ſed ſolum motum violentum, ita ut non poſſet peccare ullo modo.

g Pſ. 5. 5.
h S. Greg. l. 17. Mor. c. 18. in Iob 26. 13.
i ex Act. 2. 1, &c.
k 1. Cor. 15. 10.
l Gen. 8. 21

Præterea, Ieſus Chriſtus erat impeccabilis ratione perſonæ ſuæ, quia peccatum non eſt proprium naturæ, ſed perſonæ: perſona Ieſu Chriſti erat Divina, non humana; ideò impeccabilis erat. Secundò, Hæc impeccabilitas educitur è fruitione, quia Anima Ieſu Chriſti erat beata, & fruebatur jugiter clarâ viſione Divinæ Eſſentiæ; & ſic non poterat illa peccare, ſicut nec peccare poſſunt Beati. Tertiò, Hæc impeccabilitas fulciebatur gratiâ, quia Humanitas Ieſu Chriſti habebat in ſe totius gratiæ plenitudinem, cùm ipſe illius eſſet Author, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* m. Et ita peccare non poterat. Quarta ratio eruitur è Redemptione: Cùm enim mundum redempturus eſſet à peccato, *talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* n.

m Jo. 1. 17
n Hebr. 7. 26.

Hanc ſpecioſam præ ſe ferens ſanctitatem, ipſe facit id, quod agebat alias Apelles, qui ſic eximius pictor erat ut omnes imagines ſuas rigidiſſimorum quorumlibet cenſorum examini ſubjiceret, cùm ita ſuæ peritus eſſet artis, ut in illis nullum defectum commiſiſſet, in quo ſuam magnificabat induſtriam: Ieſus Chriſtus eſt *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* o: *eſt imago Dei inviſibilis* p. In hanc imaginem Spiritus ſanctus totam ſuam inſumpſit ſapientiam, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* q. Hæc imago ſic benè elaborata, hodie ſeſe exponit ſubeundæ ſuorum cenſuræ inimicorum, etiamſi ita ritè ſit concinnata, ut Sponſa eam admirata dicat, *Dilectus meus candidus, & rubicundus: electus ex millibus* r. Præbet Sponſa Divinitatis ejus ſigna, cùm ait, *Candidus. Candor eſt enim lucis æternæ* ſ. Et humanitatis illius, cùm dicit, *Et rubicundus*. Sive quia formatus eſt è puriſſimo ſanguine Virginis ſanctiſſimæ; ſive quia noſtras omnes induit infirmitates, ſi excludatur peccatum, *Qui peccatum non fecit* t. Et ignorantia, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* u. Sive, *Rubicundus* præcipuè, cùm ſuffixus fuit Cruci, cujus vexillum explicat Eccleſia hoc ſacro tempore Paſſionis, ad quam tendebat Abraham, ut ipſemet Dei Filius ait hodie Iudæis, *Abraham Pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.* Sicut exponit Maldonatus x poſt aliquos Patres, *Figuras alii alias afferunt. Pleriqne illam Iſaac, quem Abraham ipſe ſacrificavit, qui cùm expreſſa morituri pro nobis Chriſti figura fuerit, non dubium, quin in ea tanquam in ſpeculo diem Chriſti conſpexerit. Ita Chryſoſtomus, Ammonius, Leontius, Theophylactus, & Euthymius.* Quæ paſſio fuit illi repræſentata in eo, quòd *levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio* y. Quo ariete repræſentatur nobis Divinitas: unde Abraham videns filium ſuum liberatum, & arietem loco illius ſacrificatum, *appellavit nomen loci illius, Dominus videt. Vnde uſque hodie dicitur, In monte Dominus videbit.* Vocavit Patriarcha locum illum, *Dominus videt*, in præſenti: & deinde, *Dominus videbit*; intentus ad immolationem veri Arietis, ut Agni Ieſu Chriſti, qui ſacrificandus erat ſuper eodem monte, ut ait Cornelius z.

o Hebr. 1. 3
p Coloſſ. 1. 15.
q Matth. 1. 20.
r Cant. 5. 10.
ſ Sap. 7. 26
t 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9
u Coloſſ. 2. 3. & 9.
x Maldon. in Jo. 8. 56
y Gen. 22. 13, &c.
z Corn. in Gen. 22. 3.

Hic autem advertite, ſi placet, obſervationem Ruperti a dicentis, voluiſſe Deum ut Abraham ad immolandum ſibi proprium filium Iſaac ſeſe diſponeret; ut deinceps immolatio Filii ſui Divini non attribueretur puræ miſericordiæ, ſed alicui titulo adſcriberetur juſtitiæ, & ut hoc actu admirabili, ipſemet Deus Pater ſeſe aliquo modo videret obſtrictum ad tradendum Filium ſuum in mortem pro nobis; cùm homo diſpoſitus fuiſſet ſacrificare ipſi filium ſuum, *Quæſivit miſericors Deus capitulum in homine, per quod poſſet juſtè debitor ipſe teneri. Quæſivit, inquam, ab homine unigenitum ſibi filium immolari, ut ſuum ipſe Filium juſtâ viciſſitudine deberet homini.* Ideò poſt iſtam actionem, *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi,* &c. Quaſi diceret, ſe aliquo modo obſtrictum ad cumulandum ipſum benedictionibus ſuis.

a Rupert. in Gen. 22. 2, &c.

Sed ne mors iſta videretur attribui Filio Dei ob peccata ſua, quæ nulla erant, cùm eſſet Ionocentia ipſa, ſed ſolùm propter ooſtra, quæ ipſe veniebat expiatum, ideò vocatur *Candidm & Rubicundm*. Dicitur *Candidm* ob innocentiam ſuam, [b Hebr. 4. 15.] cui ſanctus Paulus *b* conciliat authoritatem, dicens, *Habemm Pontificem teutatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Cùm Apoſtolus ait, *Pro ſimilitudine*, ecce *Rubicundus*. In quo alludit ad *ſerpentem aneum*, quem *fecit Moyſes, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur* c. [c Num. 21. 8. & 9.] Serpens ille noo erat realis, ſed ſine veneno erat, & ſanabat eos, qui ipſum intuebantur, à morſibus ſerpentium: ita Chriſtus [d Rom. 8. 3] *in ſimilitudinem carnis peccati* d, erat ſine veneno peccati, & tameo ſanabat à peccato.

[e Iſai. 53. 7] Idem nos edocet Iſaias *e* myſterium, cùm loquens de Meſſia, ait, *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet.* Per agnum maſculum intelligenda eſt Divinitas plena fortitudine & virtute, de qua non poteſt dici, quòd ad carnificinam perducta ſit, quia eſt impaſſibilis, *Non accedet ad te malum,* [f Pſ. 90. 10] *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* f. [g Iſai. 53. 7] Sed ſolùm quòd *non* aperuit *os ſuum* g, Si enim aperuiſſet os ſuum, nunquam Judæi aut milites apprehendere Jeſum potuiſſent, nec ſuſtinere fortitudinem vocis ipſius, quippe qui vel ad iſtam vocem ſolam, *ut dixit eis, Ego ſum, abie-* [h Jo. 18. 6.] *runt retrorſum, & ceciderunt in terram* h. Sed per ovem, quæ eſt fœmina, intelligenda eſt illius humanitas infirma, quæ docta eſt *ad occiſionem*. Quia mortuus eſt ut homo, ut nobis flammas amoris ſui communicaret, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem* [i Epheſ. 5. 2.] *& hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* i. Ut purgaret peccata noſtra innocentiâ ſuâ: ſicut enim ferrum ex natura ſua terreſtre & frigidum, projectum in fornacem, fit totum igneum; ita natura noſtra projecta in fornacem Divinitatis: [k Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24.] *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* k: quæ Divinitas eſt fornax puriſſima, hæc natura noſtra (inquam) efficitur tota pura, & à ſuis purgatur omnino ſordibus.

Jure ergo merito ſuis dicit JESUS inimicis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sicut re verà [l Sap. 7. 24] in hoc mirabilis apparuit Dei *Sapientia* l, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit o-* [m Sap. 8. 1] *mnia ſuaviter* m: ut is qui debebat eſſe omnium virtutum Prototypon, ſuam univerſis intuendam exhiberet innocentiam, antequàm mortem oppeteret. Intereà dicite mihi, Auditores, ſi placet, Si ſanctiſſimi quique ſe juſtificare [n Pſ. 142. 2.] non poſſunt coram Deo, ut dicit ei David *n*, *Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*: Et, *Si dixerimus quoniam peccatum non habe-* [o 1. Jo. 1. 8] *mus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* o; Et ſi *ſunt juſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm* [p Eccl. 9. 1] *amore, an odio dignus ſit* p: Si illi qoi continuis vacant exercitiis jejuniorum, vigiliarum, orationum, eleemoſynarum, macerationum, & aliorum hujusmodi bonorum operum, de ſua certi non poſſunt eſſe ſalute: ſi illi qui nocte [q Prov. 24. 16.] & die pœnitentiam agunt, non audent aſſerere [r 1. Cor. 4. 4.] ſe eſſe in ſtatu gratiæ, quis præſumet dicere? *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cùm certum ſit, quòd *ſepties cadet Iuſtus* q. Et ſanctus Paulus *r* dicat de ſe, *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Quantâ igitur percuſſi ſunt illi cæcitate, qui nimiùm de ſeipſis præſumunt, qui pietatem ſuam ventilant, æquè ac exercitia ſua ſpiritualia, cùm noſtra natura ita diſpoſita ſit ad labendum in peccatum, ut perſæpè bona opera miſta ſint hypocriſi, & amore proprio. Sanè dicere poſſumus, quòd illi ſunt ſicut ille *Phariſæus*, qui *ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri* ſ. Tantâ [ſ Luc. 18. 11.] ferebatur ſui ipſius præſumptione ut ſe juſtum diceret coram Deo: nec tamen ſuam videbat ſuperbiam; ſolo repletus erat vento ambitionis, & fumo vanitatis: nedum autem juſtus eſſet, econtrà criminoſus erat coram Deo: eodem ſe gerunt Chriſtiani modo, ita ſunt hodie perſpicaces in perſcrutandis culpis proximi ſui, ut illum judicent criminum conſcium; & tamen noo advertunt, quòd ipſi quotidie in nova labantur peccata. Ad ſolum Deum pertinet iſtam facere propoſitionem, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cùm ipſemet dicat, *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam* t. *Id eſt, nullum peccatum* u. Sed ut ex [t Joan. 14. 30.] illa proficiamus, examinemus conſcientias noſtras, ingrediamur noſmetipſos, & videamus u- [u S. Aug. l. 13. de Trinit. c. 14.] trùm conſcii ſimus; ſumamus remedium ſalutare, quod eſt Confeſſio *x*: & poſt efflagita- [x Jac. 5. 16] tam à Deo peccatorum noſtrorum indulgentiam, oportet ut noſtras agnoſcamus infirmitates, [y Luc. 17. 10.] dicentes Deo, *Servi inutiles ſumus* y. Et ut aperiamus oculos, æquè ac aures, radiis & ſono [z 1. Reg. 3. 9.] Divini verbi ejus, dicendo ei, *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus* z.

[II. Pars.] Dei Filius poſt exhibitam Judæis innocentiam ſuam, nititur eos convincere rationibus, & conatur eos ſic convertere, ideò poſteriorem hanc facit eis propoſitionem, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Noſtras omnes aſſumpſerat infirmitates excluſis igoorantiâ, & peccato, ut jam dixi ſuprà, quia veniens perfunctum officio Redemptoris, & lotum *nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* a; ipſemet ab omni debe- [a Apoc. 1. 5.] bat immunis eſſe peccato; & cùm futurus eſſet Doctor noſter, qualem Pater æternus promiſerat *eum Præceptorem Gentibus* b; non expedie- [b Iſai. 55. 4] bat ut ignarus eſſet, quia ignorantia & crimen deſpectum invehunt in eum, qui alios docere aggreditur: ideò ſic argumeotatur præ inimicis ſuis, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ad hoc propoſitum obſervant Philoſophi, quòd primum objectum oculorum eſt lumen, & primum objectum intellectus eſt veritas: JESUS Chriſtus erat lumen oculorum intellectuale, *Ego ſum Lux mundi* c. Et veritas [c Jo. 8. 12.] mentium humanarum, *Ego ſum Veritas* d. Ju- [d Io. 14. 6.] dæi videre nolebant iſtam lucem, ſed malebant tenebris ſuffundi, *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant* [e Jo. 3. 19.] *enim eorum mala opera* e. Iſtam nolebant audire veritatem, *Non poteſtis audire ſermonem meum* f. Ita ut cæcitate mentis eſſent percuſ- [f Joann. 8. 43.] ſi: ideò dicebat eis Jeſus, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Quaſi ſignificaret illis, quòd determinatum fuerat, quòd *ſuper omnia vincit veritas* g. Et conſequenter quòd [g 3. Eſdr. 3. 12.] ipſi eſſent cæci: quaſi diceret eis: Non latet vos, quòd ſummus Sacerdos veſter Aaron indutus veſte ſuâ pontificiâ deferret præ ſuo pectore rationale, in quo exarata erant hæc duo verba, Doctrina, & Veritas, *Pones in rationa-*

li ju-

ſi judicij Doctrinam, & Veritatem, qua erunt in pectore Aaron h. Quod Patres veſtri acceptaverunt, & honore, æquè ac fide proſecuti ſunt: ego autem qui ſum *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* i: & præ ore meo defero *Doctrinam, & Veritatem*; veſtras non potero devincire mihi mentes? Non vultis credere mihi, qui non ſolùm ſum amicus ſapientiæ, ſed ipſa *Sapientia* k. Qui non tantùm diligo veritatem, ſed ipſa *ſum Veritas*. Ubi obſervabitis, ſi placet, immodicam ſapientiam Chriſti, qui volens illos convincere, facit illis argumentum eductum è principio communi, quod eſt veritas. Eodem deinceps ſe geſſit ipſe modo coram Pilato, cùm ſuam probaturus innocentiam, dixit ei, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omne qui eſt ex veritate, audit vocem meam* l. Ratio iſtius eſt, Quia nullum invenitur principium univerſalius mentibus noſtris, quàm ſit veritas; nec aliquid eſt quod potiùs hominum malitiam convincat, quàm eadem veritas, *Non poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate* m. Ideò trito fertur proloquio, *Amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas*. Quia, ut modò dixi, *Super omnia vincit veritas*.

h Exod. 28. 30.
i Pſ. 109. 4. ex Gen. 14. 18.
k Sap. 7. 24.
l Jo. 18. 37.
m 2. Cor. 13. 8.

Sed obſervate, ſi placet, quòd tria ſunt neceſſaria ad hoc ut veritas benè ſuſcipiatur. Primùm, Oportet ut ille qui eam docere aggreditur, vitam præ ſe ferat irreprehenſibilem, & bonis motibus ſit inſtructus: alioquin enim indignus eſſet qui veritatem enunciaret. Præterea, Requiritur ut illud, quod ipſe annunciat, ſit verum, & non falſum, ut inducat auditores ſuos ad præbendam ei fidem. Tandem, Expedit ut auditores ſint boni, & benè diſpoſiti ad ſuſcipiendam hujuſmodi veritatem, quæ ipſis proponitur; non autem improbi, increduli, & pertinaces. Teſtimonium intemeratæ vitæ ſuæ, & innocentiæ ſuæ certum Judæis præbuerat Dei Filius, dicens eis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Oſtendit eis veritatem doctrinæ ſuæ, proponens illis hoc argumentum, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ut autem illos convincat propriæ incredulitatis, & pertinaciæ, ipſe ita concludit, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Quæ verba ſic explicat Dionyſius Carthuſianus n, poſtquàm expoſuit immediatè præcedentia, *Qui ex Deo eſt per prædeſtinationem æternam, per gratiæ reformationem, per bonitatis Divinæ imitationem, verba Dei audit, non ſolùm auribus corporis, ſed etiam mentis, id eſt, verba Divina libenter audit, memoriter tenet, diligenter adimplet; quemadmodum ait Pſalmiſta* o, *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et rurſus, Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti* p. *Hinc ſcriptum eſt, Ego manſuetus ad audiendum verbum Dei* q. *Et iterum, Sit omnis homo velox ad audiendum* r. *Propterea vos non auditis verba Dei auribus interioribus, id eſt, humiliter, reverenter, affectuosè non recipitis verba Divina quæ loquor, quia ex Deo non eſtis modo prætacto.*

n Dion. Carth. art. 23. in Jo. 8. 47.
o Pſ. 118. 11.
p Pſ. 118. 72.
q Eccl. 5. 13.
r Iac. 1. 19.

Eſſe Dei intelligitur duplici modo, interiori, & exteriori. Ad intrà intelligitur de duabus perſonis Divinis, Verbo, & Spiritu Sancto, quia Pater non eſt à quo. Verbum eſt à Patre per viam intellectus & ſimilitudinis, & hæc productio vocatur generatio, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te* ſ. Et idem Filius dicit Iudæis, *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum* t. Et Spiritus Sanctus eſt a Patre & Filio per viam voluntatis, quæ eſt ſedes amoris, & vocatur ſpiratio, aut proceſſio, ut ait idem Filius, *Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* u. Eſſe exterius, aut ad extrà, eſt in creaturis. Aliæ autem ſunt in Deo per creationem, & per glorificationem, ut boni Angeli, qui creati, x, & glorificati y fuerunt à Deo. Aliæ per creationem, & per conſervationem z, ut ſunt omnes creaturæ corporeæ, quæ creatæ ſunt ab eo a, & conſervantur in ſpecie, aut in individuo. Aliæ per creationem, & *ſimilitudinem* c, ut homo, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* d. Aliæ per ſimilitudinem, & *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in Sanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum* e. Ut ſunt boni & mali Chriſtiani, qui præter hanc *imaginem & ſimilitudinem* Dei quam ſuſceperunt, renati ſunt *ex aqua & Spiritu Sancto* f in Baptiſmo. Et aliquæ aliæ per redemptionem, & prædeſtinationem, & hæ ſunt Electi, *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* g. Ideò ſanctus Ioannes h ait, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Iſti ſunt filii Dei, qui audiunt verbum meum: ſed vos, ô Iudæi, qui eſtis ſanguis & caro, renuitis audire veritatem quam annuncio vobis, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Re autem verâ ſicut dicimus, hoc eſſe ſignum prædeſtinationis ac audire libenter Dei verbum, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*: &, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud* i: ita manifeſtum eſt ſignum reprobationis ac illud negligere, & nolle illud audire, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Ratio iſtius eſt, quia fides eſt principium amoris Dei, *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit* k. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti* l. Et conſequenter fatendum eſt, eos, qui habent fidem, & qui ſunt veri amici Dei, libenter audire verbum Dei: econtrà verò illos, qui ipſum contemnunt, non eſſe amicos Dei, & ideò eſſe filios reprobationis. Licèt autem effectus prædeſtinationis ſoli Deo ſit cognitus, *Ego ſcio quos elegerim* m: tamen inter plures prædeſtinationis notas à Doctoribus aſſignatas hæc eſt una è præcipuis ac libenter audire verbum Dei, & ſinere ſe duci à Spiritu ejus, *Quicumq; Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei* †.

ſ Pſ. 2. 7.
t Ioan. 7. 29.
u Io. 15. 26.
x Gen. 1. 3.
y Apoc. 12. 7.
z Act. 17. 28.
a Gen. 1. 5. &c.
c Gen. 1. 27.
d Gen. 9. 6.
e Rom. 3. 24. & 25.
f Joan. 3. 5.
g Rom. 8. 29.
h Jo. 1. 13.
i Luc. 11. 28.
k Hebr. 11. 6.
l Rom. 10. 17.
m Joan. 13. 18.
† Rom. 8. 14.

Verbum Dei nos generat, nos reformat, & nos conſervat. Generat nos: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Apoſtolus n dicit, *Voluntariè.* Id eſt, per ſolam gratiam ſuam, non propter noſtra merita; liberalitate ſuâ, amore ſuo, non præ neceſſitate. *Voluntariè*, quia conſenſus noſter requiritur ad hoc, *ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Id eſt, inter corporales ipſius creaturas habeamus primatum, quibus non ſolùm per dona gratiæ, imò & per dona naturæ præferimur*, ait Dionyſius Carthuſianus o. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei* p. Ideò Deus dixit nobis, *Ego dixi: Dii eſtis* q. Quia ſemen producit fructum ſimilem ſibi: ſemen iſtud eſt gratia & verbum Dei. *Illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus*

n Jac. 1. 18.
o Dion. Carth. art. 2. in Jac. 1. 18.
p 1. Petr. 1. 23.
q Pſ. 81. 6.

r Jo.10.35 *dius eſt* r. Deinde, Nos reformat: fideles com-
parantur catulis urſæ, *Occurram eis quaſi urſa ra-*
ſ Oſee 13. 8. *pta catulis* ſ. Tandem, Conſervat & nutrit nos,
t Matt. 4. 4. ex Deut. 8. 3. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod*
procedit de ore Dei t, Verbum Dei ſic eſt neceſſa-
rium, ut dicat idem Dei Filius, *Si quis ſitit, veniat*
u Jo.7.37. *ad me, & bibat* u. Ut doceat nos, quòd ipſum eſt
animæ noſtræ alimentum, roborat nos contra
tentationes, & conſervat nos in gratia. Ideò
S. Joannes pœnitentiam in ſolitudine prædi-
x Jo.1.23 ex Iſai.40.3. cans, *ait, Ego vox clamantis in deſerto* x. Id eſt, *Ego*
vox, quæ annuncio verbum Dei; & ecce hodi-
ernâ die Jeſus Chriſtus dicit, *Qui ex Deo eſt, verba*
Dei audit. Nimirum, quòd illi qui ſunt filii Dei,
& prædeſtinati, libenter audiunt verbum Dei:
ſicut enim ille qui cibos appetit, & in iis dele-
ctatur, oſtendit ſe præ ſe ferre bonam valetudi-
nem; ita qui eſurit diſcurſus ſpirituales, mani-
feſtè indicat bonam animæ ſuæ diſpoſitionem;
& ſic ſe eſſe è numero Electorum. Ut autem o-
ſtendatur, quòd audire libenter verbum Dei ſit
nota prædeſtinationis, hoc ipſemet Pater æter-
nus commendat, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus,*
b Matt.17 5. *in quo mihi benè complacui: ipſum audite* b. Au-
ſcultate Filium meum, quem mitto ad vos ut
c Jo.6.63. Concionatorem, cujus *verba ſpiritus & vita ſunt* c.
Quippe quæ ſunt cauſa vitæ, & ſuſcitant animas
quæ ſunt in ſtatu peccati mortiferi. Quod mani-
feſtè nobis oſtendit, quòd libenter audire ver-
bum Dei, ſit ſignum prædeſtinationis, cùm hoc
pariturum ſit nobis vitam æternam. Et hoc
d Ezech. 37.4.&c. prædixerat Ezechiel d: nam ubi ipſe dixit, *Oſſa*
arida audite verbum Domini; ingreſſus eſt in ea ſpiri-
tus, & vixerunt: ſteteruntq; ſuper pedes ſuos exerci-
tus grandis nimis valdè.

e Apoc. 8. 13. S. Joannes e audivit *vocem unius aquilæ vo-*
lantis per medium cæli, dicentis voce magnâ: Væ, væ,
væ habitantibus in terra. Hæc aquila ſignificat
homines ſpirituales, qui ſurſum volant ſuper
homines habitatores terræ, ut docet S. Ambro-
f S. Ambr. de fuga ſeculi / de Abrah. c.7. ſius f, *Corporales enim delectationes & illecebras*
hujus ſeculi non vincit niſi mens quæ fuerit ſpiritalis
adhærens Deo, & ſe totam à terrenis ſeparans. De-
flexio omnibus capitur. Unde Ioannes ait, Væ habi-
tantibus in terra. Non utique omnes homines com-
prehendit, qui tunc vitæ hujus curſum conficerent
(ſunt enim & in terris poſiti, quorum converſatio in
g ex Philipp.3.20. *cælis eſt* g) *ſed vos quos terrenæ converſationis affe-*
ctus, ac hujus ſeculi vicerit gratia. Hæc aquila tri-
plex annunciat eis infortunium. *Væ* pœnæ in
acquirendo. *Væ* timoris in conſervando. *Væ*
doloris in amittendo. Seu, *Væ* impudicis. *Væ*
avaris. *Væ* divitibus. Quod idem eſt quod di-
h Jer. 22. 29. xit Jeremias h, *Terra, terra, terra audi verbum*
Domini. Tandem, Terra & lapides ſumuntur
pro avaris. Territorium verè ſaxeum, in quo
ſemen Dei non poteſt creſcere, *Alia autem ceci-*
derunt in petroſa, ubi non habebant terram multam:
& continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudi-
nem terræ: Sole autem orto æſtuaverunt: & quia
i Matt. 13 5.& 6 *non habebant radicem, aruerunt* i. Quia hujuſmo-
di homines auditâ concione videntur velle cõ-
verti, ſed ſtatim animum deſpondent, & bona
conſilia ſua ad nihilum redigunt.

k S. Greg. hom.18.in Evang. S. Gregorius k ait ad hoc propoſitum, qua-
tuor eſſe genera hominum, quorum alii nolunt
audire Dei verbum, ſed ſuas obturant aures in-
l Pſ.57, 5. ſtar *aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas* l, di-
cens, *Sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure cor-*
poris percipere dignantur. Tales erant, & ſunt
adhuc hodie Judæi, & Hæretici inimici Evan-
gelii, & iſtis ait hodie Jeſus, *Propterea vos non au-*
ditis, quia ex Deo non eſtis. Alii audiunt verbum
Dei, ſed illorum cor eo non tangitur; ingredi-
tur tale verbum per unam aurem illorum, &
exit ex altera, *Et ſunt nonnulli, qui hæc quidem cor-*
poris aure percipiunt, ſed nullo ea mentis deſiderio
complectuntur. Tales ſunt mali Chriſtiani, qui
pergunt ad concionem, ſed nullo inde mentis
affectu bono moventur, quia verbum Dei faſti-
diunt propter peccatum ſuum; & de his loqui-
tur Chriſtus, dicens, *Si quis audierit verba mea, &*
non cuſtodierit, ego non judico eum m. Ille audiet m Jo.12. 47
verbum Dei, & non exequetur illud, talis non
erit è numero Prædeſtinatorum, quod innuunt
hæc verba ſequentia Dionyſii Carthuſiani n, *Ego* n Dion. Carth.art. 32.in Jo. 12.47.& 48.
non judico eum nunc in primo meo adventu judicio
condemnationis. Non enim veni ut judicem mundum,
ſed ut ſalvificem mundum. Qui ſpernit me, & non ac-
cipit verba mea: habet qui judicet, id eſt, condemnet
eum tempore ſuo. Deinde, *Et ſunt nonnulli, qui li-*
benter verba Dei ſuſcipiunt, ita ut etiam in fletibus
compungantur, ſed poſt lacrymarum tempus ad iniqui-
tatem redeunt. Hi profectò verba Dei non audiunt,
qui hæc exercere in opere contemnunt, proſequitur
S. Gregorius. Ratio iſtius eſt, Quia non perſeve-
rant in bonis conſiliis ſuis, & finitâ die termina-
tur ipſorum bona voluntas, *Qui cùm audierint,*
cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non ha-
bent: quia ad tempus credunt, & in tempore tenta-
tionis recedunt o. Ultimi illud audiunt, audito o Luc.8.13
illo, moventur aliquo bono affectu, & illud exe-
quuntur, & tales ſunt boni Chriſtiani, *Hi ſunt*
qui in corde bono & optimo audientes verbum reti-
nent, & fructum afferunt in patientia p. Hinc S. p Luc.8.15
Gregorius ait ibidem, *Si enim ipſe verba Dei au-*
dit, qui ex Deo eſt, & audire verba ejus non poteſt quiſ-
quis ex illo non eſt: interroget ſe unuſquiſq; ſi verba
Dei in aure cordis percipit, & intelliget unde ſit. Peto
autem nunc à vobis, Auditores. In quonam or-
dine iſtorum collocari vultis? Non in primo,
quia infideles & Hæretici in eo ſunt. Non in
ſecundo, quia illum ſibi vendicant mali Chri-
ſtiani. Non in tertio, quoniam eum illi qui
Chriſtiani tantùm ſunt apparenter, occupant.
Ergo in quarto, qui eſt illorum qui audiunt, gu-
ſtant, & exequuntur verbum Dei, de quibus E-
vangelium noſtrum ait, *Qui ex Deo eſt, verba Dei*
audit. Honorandum eſt igitur & diligendum
verbum Dei, cùm inſtar mallei conterat lapi-
des cordium induratorum, *Nunquid non verba*
mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens pe-
tram q? Vocat Deus verbum ſuum ignem ad q Jer.23. 29.
inflammandos Bonos, & malleum ad conteren-
dos improbos. Malleus eſt neceſſarius ad tra-
ctandas res duras: ita verbum Dei eſt requiſi-
tum ad tractanda corda indurata, *Vox mallei in-*
novat aurem ejus r. Quia ſuavis hæc vox verbi r Eccl.38. 30.
Dei animas devotas oblectatione perfundit.
Verbum iſtud aliud eſt, quàm eſſet virga Moy-
ſis, *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle vir-*
gam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus,
& loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.
Tulit igitur Moyſes virgam: cùmque elevaſſet ma-
num, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ
largiſſimæ. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron,
Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram
filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram ſ Num.20. 7.&c.
quam dabo eis ſ.

Verbũ Dei, ut dixi ſuprà, eſt cibus, qui ut ſor-
tiatur perfectionem ſuã & finem ſuũ conſequa-
tur, debet primò mandi in ore, deinde tranſire in
ſtoma-

ſtomachum, denique digeri. Suſceptio hujus verbi conſiſtit in auribus, ſicut in ore, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Stomachus eſt fides, ut autem proficiat, digeri debet in corde; *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur* t. Et Salomon u ait, *Tria ſunt quæ benè gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum: gallus ſuccinctus lumbos: & aries: nec eſt rex qui reſiſtat ei.* Referunt Naturales, quòd gallus ſit inimicus baſiliſci, & quòd cantus illius iſti mortem inferat: ideò illi qui pergunt in Africam, dicuntur illuc deferre gallos, eoſque aſſuefacere ad ſæpè cantandum, ut ſic baſiliſcos fugent, aut eos interimant: ſed, quod peius eſt, gallus iſte qui inimicus eſt hujus ſerpentis, perhibetur producere in ſe quoddam fruſtum carnis, aut exiguum ovum, quod efficitur baſiliſcus peior primis: Reges, Principes, Magiſtratus, Prælati, Superiores, Prædicatores ſunt galli, qui legibus, decretis, & cantibus ſuis exterminare debent vitium: ſed væ illis, qui debentes illud eliminare, formant in ſe ovum mali exempli, cùm verùm ſit, quòd

t Rom. 2.13
u Prov. 30.24.& 30

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Saul erat gallus inimicus divinationum & ſuperſtitionum; poſteà produxit in ſe ovum, & ad illas recucurrit x: ita de Prælatis, Superioribus, & Prædicatoribus, qui pravis ſuis exẽplis omnia deſtruunt, *Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris* y, &c. De quibus dici poteſt, ſicut dixit Iſaac: *Vox quidem, vox Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau* z. Dixi vobis ſuprà, quòd ſummus Sacerdos *in rationali judicii doctrinam & veritatem in pectore* a ſuo deferret. *Id eſt, illuminationem atque perfectionem* b. Ut diſcant Prælati, Sacerdotes, Concionatores, &c. non ſolùm illuminare verbis ſuis, ſed inflammare etiam bonis exemplis ſuis. Præterea, Summus Sacerdos deferebat in fronte *laminam de auro puriſſimo; in quâ opere cælatoris, Sanctum Domino,* ſculptum erat: & illius *rationale judicij, quatuor ordines lapidum* c pretioſorum habebat. Prælati, &c. non ſolùm debent habere notitiam Dei, eamque docere alios, ſed etiam lucere debent virtutibus; ut illis aperiant viam veritatis, eiſque pandant aditum ad gloriam.

x 1. Reg. 28.3.& 8
y Rom. 2.21
z Gen. 27.22
a Exod. 28.30
b Cornel.
m Exod. 28.30.
c Exod. 28.15.&c.

FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Joan. 7.34.

SI præſentia Præſidis ſedentis in tribunali juſtitiæ, ſtipati Conſiliariis indutis veſtimentis rubeis, jam jam reum aliquem ad ſupplicium capitale damnaturi, & inflicturi ei pœnam ſcelerum quorum conſcius inventus fuerit ac convictus, tanto percellit terrore eos qui huic interſunt judicio, ut, licèt iſti innocentes ſint, eum tamen abſque timore intueri non poſſint; quantò potiori ratione præſentia illius, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* a, terrorem incutiet animæ, cùm jam jam à ſuo ſeparanda erit corpore, & redditura *rationem villicationis* b ſuæ: & omnibus hominibus, extremis temporibus, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo* c? Cùm illud tempus ſit futurum tempus juſtitiæ, niſi tempore præſenti conciliemus nobis miſericordiam Dei mediâ pœnitentiâ, quam peragamus viventes, aut pœnas noſtris debitas peccatis luamus in purgatorio, & pervenire poſſimus eò, quò pervênit Dei Filius poſt Paſſionem ſuam; quâ pœnitentiâ deficiente, ſolus impœnitentibus reſervatur infernus præ decreto divinæ juſtitiæ, *Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus d, *Vbi ego ſum nunc ſecundùm Divinitatem, videlicet in ſummo cælo, in ſinu Patris* e. *Vel, Vbi ego ſum, hoc eſt, ubi poſt Paſſionem mox ero, videlicet ad dexteram Dei, vos non poteſtis venire propter peccata veſtra: tamen per gratiam meam, ſi pœnitentiam veram egeritis, venietis illuc, & eritis mecum* beneficio gloriæ, quæ eſt conſummatio gratiæ, quæ meam replevit Matrem, cùm *Angelus ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

a Act. 10.42
b Luc. 16.2
c Matth. 25.31. &c.
d Dion. Carth. art. 20. in Jo. 7.34
e Ex Joan. 1.18
f Luc. 1.28

Tria inducunt hominem ad obſervandas Principis ſui leges. Primum eſt amor, quo erga ſuum afficitur Principem, quia labores amantium non ſunt oneroſi, ſed è contrà delicioſi, ut videre eſt in iis qui venantur, aut piſcantur præ oblectamento ſingulari. Secundum eſt ſpes mercedis promiſſæ. Tertium verò eſt ſupplicii timor. Jeſus Chriſtus qui eſt *Dominus omnium* g, & *Dominus noſter* h, volens ut Leges, quas inſtituit, & publicavit hominibus verbis i & exemplis k, fideliter ab illis obſerventur, & intuitus quòd præ ingratitudine intolerabili eas non adimplerent præ amore l, nec intuitu mercedis m, quam eis pollicetur poſt illarum obſervantiam, aut ſaltem delinquerent circa aliquid ejuſdem obſervantiæ quoad illas, his duobus motivis addit tertium timoris, minitans flammas æternas n illis qui eas non eſſent obſervaturi, aut ſaltem flammas temporaneas purgatorii o iis, qui non forent adimpleturi id omne, quod integram earum reſpicit obſervationem.

g Eſth. 13.11
h Pſ. 8.2
i Exod. 20.1.&c.
k Act. 1.1
l Matth. 22.37.& 39
m Matth. 19.17
n Matth. 25.46
o Malach. 3.3 & Matth. 5.26.& 27

Deus erat immodicè exacerbatus, cùm ab ipſo *Lucifer ad infernum in profundum laci* p detractus eſt cum ſociis criminis ejus conſciis: cùm *pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo, & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium* q. Et cùm *fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus* r. Sed hæc judicia particularia erant ſuavia, comparata judicio univerſali, quando omnes eſt judicaturus creaturas rationales. *Diluvium* ſ univerſale aliquam præ ſe tulit convenientiam cum judicio generali futuro; ſed tamen cum aliquâ differentiâ, eò quòd in illo aliquis illuxit radius miſericordiæ, quia eradicatis omnibus arboribus impetu aquarum diluvii, ſola remanſit oliva, (quæ eſt ſymbolum miſericordiæ) firma cum radicibus ſuis: dum enim *Noë dimiſit columbam ex arcâ, illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Intellexit ergo Noe, quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram* t. Ut diſcerent homines, Miſericordiam divinam nunquam fuiſſe extinctam diluvio divinæ iræ, *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis* u. Deus non punit ſemper juſtitiâ ſuâ purâ, quæ non ſit aliquando miſta miſericordiâ. Sic caſtigat animas pur-

p Iſai. 14.15.& 15.
q Gen. 19.24.& 25
r Exod. 14.27
ſ Gen. 7.17.&c.
t Gen. 8.6.&c.
u Habac. 3.2.

purgatorii juſtitiâ miſtâ miſericordiâ, ut videbitis in priori parte diſcurſus iſtius. Divisio. Sed plectat juſtitiâ ſuâ purâ die judicii univerſalis reprobos, qui proficuè uti noluerint auxilio gratiarum ipſius, *Et ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Ut monſtrabo vobis in poſteriori parte.

I. Pars. Magna admittitur differentia inter ignem qui noſtris inſervit uſibus in terrâ quam habitamus, & ignem purgatorii. Ignis noſter non poteſt manere deorſum, ſed ſemper aſcendit ſurſum ad centrum ſuum; cùm ignis purgatorii maneat ſemper ſub terrâ. Noſter non ſolùm torquet, ſed etiam conſumit & devorat; alter verò cruciat, ſed non conſumit. Noſter ignis urit æqualiter omnia; ignis autem purgatorii comburit animas juxta earum diſpoſitionem. Noſter denigrat, & fumo ſuo inquinat eos qui ad ipſum accedunt propiùs quàm par ſit; ignis verò purgatorii animas mundat & decòrat ſecundùm hæc verba Iſaiæ x. x Iſai. 4. 4 *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicij, & ſpiritu ardoris.* Licèt autem verba iſta intelligant aliqui Doctores de Baptiſmo, innixi iis quæ dicebat S. Joannes Baptiſta de Chriſto, y Matth. 3. 11 *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni* y: *Quid ergo per ignem intelligitur? Puto quòd charitatis fervor, de quo Chriſtus dicit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* z? z Luc. 12. 49 *Chriſti namque Baptiſmus ordinatur ad divinæ charitatis perfectionem atque fervorem. Propter quod Lex Evangelica* a Ex Joan. 13. 35 *appellatur Lex amoris* a, *& gratiæ* b: b Ex Joan. 1. 17 *baptizabit ergo vos in Spiritu ſancto, & igni, id eſt, baptizando charitatem in vobis accendet*, ait Dionyſius Carthuſianus c d Dion. Carth. art. 6. in Matt. 3. 11. Attamen S. Auguſtinus d d S. Aug. lib. 20. de Civit. c. 25. ex Malach. 3. 2. &c. & ex Iſai. 4. 4 ea explicat de purgatorio, ſeu de judicio, quo plectit animas in eo detentas, poſtquàm eodem ſenſu expoſuit verba ſequentia Malachiæ, *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens. Et quis ſuſtinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit ut aſpiciat eum? Quia ipſe ingreditur quaſi ignis conflatoris, & quaſi herba lavantium. Et ſedebit conflans, & emundans ſicut aurum, & ſicut argentum, & emundabit filios Levi. Et fundet eos ſicut aurum & argentum, & erunt Domino offerentes hoſtias in juſtitiâ. Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Ieruſalem. Et accedam ad vos in judicio. Ex his quæ dicta ſunt, videtur evidentiùs apparere in illo judicio quaſdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur: Quis ſuſtinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit ut aſpiciat eum? quia ipſe ingreditur quaſi ignis conflatoris, & quaſi herba lavantium, & ſedebit conflans & emundans ſicut aurum & ſicut argentum, & emundabit filios Levi, & fundet eos ſicut aurum, & ſicut argentum: quid aliud intelligendum eſt. Dicit tale aliquid & Iſaias: Lavabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu judicii, & ſpiritu combuſtionis. Filios autem Levi, & Iuda & Ieruſalem, ipſam Dei Eccleſiam debemus accipere, non ex Hebræis tantùm, ſed ex aliis etiam Gentibus congregatam.*

Sed quænam convenientia inter lavare & ignem? Lavare eſt effectus aquæ, & non ignis. Quia cùm ignis, ut dixi modò, inquinet fumo ſuo, & denigret eos qui ad ipſum æquo propiùs accedunt, proprium eſt igni purgatorii, animas in ipſo detentas efficere ſpecioſas, purificando eas à maculis & ſordibus peccatorum ipſarum *in ſpiritu judicij*. Quoniam cùm Deus caſtigat nos in hâc vitâ, amore nos excipit paterno præ ſuavitate. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim filius quem non corripit pater* e? e Hebr. 12. 6. & 7 Sed in purgatorio *in ſpiritu ardoris*. In quo juſtitia ejus apparet miſta miſericordiâ, cùm ibi purificet animas ut eas dignas reddat quæ citò in gloriam intrare poſſint. Seu, *In ſpiritu judicij*. Id eſt, non in furore, & ſine conſideratione cauſæ, ſed cum judicio, & poſt exactam peccatorum diſquiſitionem; quia ſolo furore caſtigat reprobos in inferno, non autem animas purgatorii, licèt iſtæ non ſint immunes ab ira ejus, quandiu eas conſiderat ut *vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam* f. f Rom. 9. 23 Ut dicebat Deo David g, g Pſ. 6. 2 *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Licèt non deſint qui terminos iſtos furoris, & iræ confundant, ut ait S. Auguſtinus h; h S. Aug. in Pſ. 6. 2 *Quoniam furor plus videtur eſſe quàm ira, poteſt movere cur illud quod eſt mitius, id eſt, correptio, cum eo poſitum eſt quod eſt durius, id eſt, cum furore. Ideò variè Codices habent. Nam in aliis priùs invenitur ira, deinde furor: in aliis priùs furor, deinde ira.* Anima fidelis non ſolùm timet furorem, ſed etiam abhorret ab irâ, quia licèt juſtitia ſit miſta miſericordiâ in purgatorio, hoc tamen non impedit quin ira ſit brevis furor, & quo minùs purgatorium ſit infernus temporaneus, ſicut ipſe infernus eſt æternus. Quidam dicunt, iram eſſe inſtar canis, qui quantùmvis iratus ſit, audit tamen vocem Domini ſui, etiamſi ei perfectè non obediat; ſic ira auſcultat aliquo modo rationem, quæ ipſi interdum moderationem affert; ſed furorem eſſe veluti feram, quæ nulli morem gerit Domino, nec ullo poteſt coerceri fræno: cùm enim homo eſt furioſus, idem eſt ac dicere, eum non uti ratione, & ſuis habenas laxaſſe paſſionibus & pravis affectibus: ideò Deus caſtigat animas purgatorii *in irâ* ſuâ cum juſtitiâ miſtâ miſericordiâ; ſed punit reprobos *in furore* ſuo cum juſtitiâ purâ, ut dicam modò, & ut dicit Deus ipſe per Moyſen, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima* i. i Deut. 32. 22 Propterea Cornelius k ait, k Cornel. in Deut. 32. 22 *Ignem hunc dici in furore Domini: quia auctor illius eſt furor Domini, id eſt, voluntas & firmum propoſitum puniendi impios modo horribili & inaudito, qualem ſuggerere ſolet furor. Itaque cùm ejus effectus omnem furorem æquet, & etiam ſuperet, meritò furor dicitur.*

Alii aſſerunt, quòd Deus tripliciter indignatur adversùs homines, aut ſicut Pater adversùs filium ſuum, aut velut Dominus contra ſervum ſuum, aut ut Judex contra reos. In iſta vita ira Dei adversùs homines, eſt veluti Patris; in purgatorio ut Domini; & in inferno ut Judicis. Primam iram comitatur miſericordia, *Iratus es, & miſertus es nobis* l. l Pſ. 59. 3 Secunda poteſt mitigari, & re verâ mitigatur, cùm in eâ juſtitia ſit miſta miſericordiâ, *Mitigaſti omnem iram tuam, avertiſti ab irâ indignationis tuæ* m. m Pſ. 84. 4 Tertia verò damnat abſque ſpe ullâ revocandi decreti. Pater corripiens filium ſuum, experitur ictus quos infligit filio, æquè ac ipſe filius, qui eos ſuſcipit. Dominus punit ſervum ſuum ut rem quæ ad ipſum pertinet. Sed Judex ſe gerit adversùs reum ſicut circa rem alienam. Deus caſtigat nos in hâc vitâ quaſi invitus. In purgatorio punit animas ut rem ſuam juſtitiâ plenâ miſericordiâ. Et in inferno cruciat reprobos ut res alienas, quæ ad ipſum non pertinent. Pater caſtigat filium ſuum præ amore, ut inducat illum ad ſe recipiendum in bonam emendatæ vitæ frugem. In purgatorio plectit Deus animas juſtitiâ miſtâ miſericordiâ propter honorem ſuum, ut eas dignas efficiat quæ ad divinæ admittantur participationem gloriæ, In inferno verò torquet impios, ut ibi ſeveram

exer-

exerceat juſtitiam ſuam, & reddat *unicuique ſecundùm opera ejus* n. Ideò non ſine myſterio Iſaias dixit ſuprà, *In ſpiritu ardoris*. Non quòd intendat ſignificare, quòd ignis purgatorii ſit ſpiritualis; ſed quòd ardor qui comburet animas, erit ſpiritualis. Suppoſito enim eo quod inquiũt Philoſophi, *Quidquid recipitur, in modum recipientis recipitur*, licèt anima, quæ eſt ſpiritualis, ſeparata à corpore ſuo, comburatur igne per voluntatem Dei; tamen hæc qualitas, qoam ipſa ſuſcipit, non poteſt eſſe corporea, ſed ſpiritualis: unde inferendum eſt, quòd, licèt in purgatorio juſtitia ſit miſta miſericordiâ, in eo tameo pœnæ futuræ ſint horribiliſſimæ, cùm virtus operandi procedat à forma, quia cùm materia ex ſeſe nullam actionem habeat, ſubjectum nihil aliud poteſt agere niſi eam ſuſcipere, & pati.

n Rom. 2. 6

Sancti Patres aſſerunt, tormenta purgatorii eſſe multò majora univerſis hujus mundi laboribus, imò verò ipſo martyrio. Et S. Bernardus o ait, ibi negligentias noſtras eſſe purgandas ad centuplumuſque, & ad ultimum uſque minutum reddendas, *Volat irrevocabile tempus, & dum creditis vos cavere pœnam iſtam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgabilibus locis, centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur uſque ad noviſſimum quadrantem* p. Sed quomodo? Quâ ratione verificare poterimus doctrinam Theologorum, qui dicunt quòd *Deus punit citra condignum?* Id eſt, minùs quam quis mereatur. Quonam pacto ſubſiſtere poſſet juſtitia Dei, ſi exigeret ipſa centies magis quàm ipſi debeatur? cùm S. Joannes q loquens de anima damnata, dicat, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Quomodo exigetur ab anima, quæ eſt in purgatorio, quod eſt locus juſtitiâ & miſericordiâ miſtus, non ſolùm id, quod ipſa merita fuerit, & quod ipſa commiſerit negligentiarum in exhibendo obſequio ſuo Deo, ſed centies plus ultra id, quod ipſa debet ex juſtitia? Nonquid non iſtud videtur adverſari æquæ rationi, ſicut & juſtitiæ, cùm vindicta non debeat quantitatem criminis excedere, ſed è contra habere cum eo proportionem? Ut iſti fiat ſatis ſolvendæ difficultati, obſervandum eſt, quòd poteſt quis peccare voluntariè præ deliberatione purâ abſque ullâ tentatione præcedente; ſicut qui jejunium infringeret, fame nullo modo cruciatus, nec ciborum ſuavitate allectus, nec propter aliquam ſublevandam infirmitatem; aut præ infirmitate, ut qui fame laboraret, & dulcedine eduliorum attractus, ad illud violandum induceretur: licèt autem voluptas poſterioris iſtius ſit major violando jejunium, & comedendo, oblectamento prioris, qui nullo modo fame anxiatus, nec alimentorum lenociniis ineſcatus, jejunium ſolvit; iſte tamen qui peccavit præ deliberatione voluntariâ, cùm magis offenderit quàm alter, qui peccavit præ infirmitate, *centupliciter* eſt puniendus in purgatorio. Et hoc modo mihi videtur intelligendus præfatus S. Bernardi locus.

o S. Bern. ſerm. in Obitu Humbert. Monach.

p ex Matt. 5. 27

q Apoc. 18. 7

Sed non obſtantibus tot & ſic enormibus ſuppliciis, quæ patiuntur animæ in hoc juſtitiæ loco, ibidem tamen illuceſcit miſericordia in eo quòd immodicâ perfunduntur ipſæ conſolatione propter certitudinem gloriæ ſuæ proximæ. Propterea S. Joannes r loquens de cœleſti Jeruſalem, ait, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* Dum *ſervivit Iacob pro Rachel ſeptem annis, videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*, quo proſequebatur hanc filiam Laban futuri ſoceri ſui, ita ut ad eam plenè poſſidendam fuerit *ſerviens apud eum ſeptem annis aliis* ſ, qui erant illi ſuaves ob eandem rationem amoris quo afficiebatur erga eandem Rachel, quæ fuit laborum ipſius merces. Pœnæ, quas ſuſtinent animæ purgatorii, videntur illis *pauci dies præ amoris magnitudine*, quo afficiuntur erga Rachel, quæ erat figura gloriæ, qoam citò ſperant ſe poſſeſſuras per divinam miſericordiam. Affligebantur Apoſtoli cùm faſtidioſos de Morte ſuâ coram ipſis habebat Chriſtus ſermones, *Audiſtis quia ego dixi vobis, Vado* t. *Id eſt, per paſſionem ſecundum humanitatem à vobis recedo ad modicum tempus*, exponit Dionyſius Carthuſianus u. Ut autem eos conſoletur, ſtatim ſubjungit idem Chriſtus hoc quod explicat ad propoſitum noſtrum idem Carthuſianus. *Et venio ad vos. Id eſt, citò poſt reſurrectionem vos denuò viſitabo. Si diligeretis me dilectione purâ, ſpirituali, & perfectâ, qualis non eſt dilectio veſtra ad me, ſed eſt pro magnâ parte ſenſualis & naturalis: unde & Spiritum ſanctum non poteſtis recipere niſi à vobis receſſero; gauderetis utique, quia vado ad Patrem per Paſſionem, id eſt, congratularemini mihi propter glorificationem Corporis, quam acquiro per Mortem: quoniam moriendo, mereor mox reſurgere, glorificari in Corpore, ad cœlos aſcendere, ad Patris dexteram reſidere. Quàmvis ergo de paſſione ſecundùm ſe acceptâ non ſit gaudendum, tamen inquantùm eſt cauſa tantæ felicitatis, eſt utique cauſa & materia lætandi.* Si autem Chriſtus dicebat iſtud, ipſe qui nullam expectabat gloriam eſſentialem (cùm eam poſſideret ab inſtanti ſuæ Incarnationis, & Anima ipſius fuiſſet beata ex tunc, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* x; nec eâ deſtitutum gloriâ fuerit Corpus ipſius niſi præ miraculo) ſed ſolam gloriam accidentalem ejuſdem Corporis ſui; quantò libentiùs iſtæ perpeti debent animæ pœnas divinæ Juſtitiæ, cùm illæ debeant ipſis conciliare non ſolam gloriam accidentalem, ſed & gloriam eſſentialem interventu Divinæ Miſericordiæ mixtæ juſtitiâ, cùm extremo judicii die juſtitia futura ſit pura abſque mixtione miſericordiæ æquè ac in inferno.

r Apoc. 21. 27

ſ Gen. 29. 20. &c.

t Joan. 14. 28

u Dion. Carth. art. 36. in Joan. 14. 28

x Coloſſ. 2. 9

S. Paulus y. ait, *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus z, *Omnes nos, id eſt, homines univerſos, bonos ac malos manifeſtari, id eſt, publicè repræſentari, ſeu apparere oportet vel in judicio particulari, ſtatim poſt mortem, vel in judicio univerſali in die noviſſimo, vel potiùs in utroque ante tribunal Chriſti, id eſt, coram Iudice Chriſto, ſeu ante diſtrictam judiciariam ejus poteſtatem, ut referat unuſquiſque, id eſt, reportet propria corporis, id eſt, debitam mercedem, videlicet pœnam, vel gloriam pro actibus per corpus operatis, ſeu tempore corporalis vitæ exhibitis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum geſſit. Sub peccato autem commiſſionis, includitur peccatum omiſſionis: quia & arbor quæ non facit fructum bonum, in ignem mittetur* a; *etiamſi malum non geſſit* b, abſque ulla exceptione, & per juſtitiam puram immunem à miſericordia. Rebecca geminos unico enixu parturivit, *Qui primus egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatumque eſt nomen ejus Eſau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcircò appellavit eum Iacob.* Iſti gemini in utero ejus reperti qoalitatibus æquè ac indumentis naturalibus diſcrepabant, cùm ſcriptum ſit de illis, *Major ſerviet mino-*

II. Part. y 2. Cor. 5. 10

z Dion. Carth. art. 5. in 2. Cor. 5. 10

a ex Matt. 3. 10

b ex Luc. 13. 7

c Gen. 25. 23. &c ri c. Sicut & quòd eſſet *Eſau homo piloſus*, & *lenis* d Jacob. De iiſdem Deus Rebeccæ *reſpondens* d Gen. 27. 11
ait, Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit. Extremis temporibus cùm dicet Dei Filius, *qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* e; e Act. 10. 42
Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallem Ioſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes f: ex eadem valle exibunt *duæ gentes, & duo populi* quaſi ejus *ex ventre dividentur, populuſque populum ſuperabit*. Inde, inquam, egredientur Juſtus & peccator, ſed valde differentes ab invicem, *Tunc Juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum* g. Impii verò *interfecti projicientur, & de cadaveribus eorum aſcendet fœtor. Quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion* h. Quânam perfundentur conſolatione tunc Electorum animæ æquè ac corpora! Profectò non ſecus ac fratres & ſorores dicent præ gaudio, *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum* †. Sicut è contrà quàm immodico furore & ingenti rabie eiebuntur animæ reproborum, cùm oportebit ut uniantur denuò corporibus horribiliſſimis, quæ tunc ipſis iterùm præſentabuntur, ut illa informent, & infelicem ac æternam cum illis invitæ ineant ſocietatem!

f Joel. 3. 12
g Matth. 13. 43
h Iſai. 34. 3. & 8
† Pſ. 132. 1

Sedente igitur Chriſto in tribunali juſtitiæ, impii dicent *montibus & petris; Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab irâ Agni* i. *Videlicet Chriſti ſecundùm naturã aſſumptam, in qua judicium exequetur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. S. Joannes Evangeliſta visâ per ſolam repræſentationem majeſtate hujus Judicis, deliquium ferè paſſus eſt animi, & ait, *Ego Ioannes converſus vidi ſeptem candelabra aurea: & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem Filio hominis, veſtitum podére, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ: & oculi ejus tanquam flamma ignis: & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat: & facies ejus ſicut Sol lucet in virtute ſua. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens, Ego habeo claves mortis & inferni* l. Vultus iſte ſplendens repræſentat majeſtatem ejus: oculis iſtis ſcintillantibus innuitur ignis iræ ejus; clavibus interitus & inferorum denotatur illius authoritas; ſed præſertim per gladium utrimque acutum, ſeveritas oſtenditur nobis juſtitiæ ejus nullâ miſericordiâ mixtæ. Deferebat aliàs Deus gladium, ſed femori appenſum, & in vagina ſua concluſum, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum Potentiſſime* m. Sed tunc deferet illum præ ore, quod etiam ſignificat decretum formidabile, quod ipſe pronunciabit abſque miſericordiâ adversùs reprobos, *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hoſtibus meis* n, ait Deus. Fulmen generatur ex exhalationibus quæ aſcendunt è terra; ita ira Juſtitiæ divinæ producitur ex exhalationibus peccatorum hominum; aſcendendo enim è terra ſurſum, producunt fulmen gladii divini, quem Deus vibrat abſque miſericordiâ ſuper reprobos, qui videbunt faciem ejus irâ accenſam; cùm hæc facies ſit apparitura unicuique talis, qualis is qui eam intuebitur, invenietur in ſemetipſo. Proptereà comparatur hæc facies ſpeculo, quod perfectè repræſentat vultus eorum, qui ad ipſum ſe exigunt. Miſericordes intuebuntur in hoc ſpeculo faciem miſericordiâ plenam; ſed immites in illo experientur vultum miſericordiæ expertem. Quædam videntur imagines, in formam undarum ſculptæ, quæ ex una parte agnum repræſentat manſuetum, ex altera verò intuendum exhibent leonem rugientem & furioſum: talis eſt futura facies Filii Dei die ultimâ judicii: videbitur ipſe ut *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* o, à Juſtis, quos *ſtatuet quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris* p ſuis collocatos, terrebit ipſe inſtar leonis, *Leo rugiet, quis non timebit* q? De miti facie Chriſti dicitur, *Averte faciẽ tuam à peccatis meis* r. De terribili verò, *Ne projicias me à facie tua* ſ. Illa ſplendet miſericordiâ, *Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri* t. Hæc verò eſt tota tenebroſa, *Aſcendit fumus in ira ejus* u. Illa eſt plena radiis gratiæ, *Facies tua plena eſt gratiarum* x. Hæc verò flammis eſt accenſa, *Et ignis à facie ejus exarſit* y. Illa ſalutem tribuit, *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus* z. Iſta autem deſtruit, & mortem infert, *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* a. Illa eſt deſiderabilis omnibus, talemque eam videre concupivit Moyſes, dicens Deo, *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam* b. Hæc autem terribilis, *Avertente te faciem, turbabuntur* c. In hâc vitâ erant *oculi ejus ſicut columba* d. Id eſt manſuetudine repleti. Sed tunc *oculi ejus tanquam flamma ignis* e erunt ſic ardentis ut omnes aquæ dolorum effundendæ à reprobis, illum non ſint extincturæ, cùm non ſit ampliùs futura tunc tempeſtas dulcedinis, ſed iræ. Vel, ſi malitis, nunc non debemus intueri oculos illius ut flammam igneam, ſed aſpiciendi ſunt à nobis *oculi ejus ut lampas ardens* f. In quâ oleum miſericordiæ ita temperat flammam juſtitiæ, ut unica gutta lacrymarum veræ pœnitentiæ poſſit illam extinguere, ut ipſemet teſtatur, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt; omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor* g. Sed tunc erunt *oculi ejus tanquam flamma ignis*. Quia tunc non eſt futurum ampliùs tempus ſuavitatis, ſed iræ & juſtitiæ puræ.

i Apoc. 6. 16
k Dion. Carth. art. 7. in Apoc. 6. 16
l Apoc. 1. 9. &c.
m Pſ. 44. 4
n Deut. 32. 41
o Joan. 1. 29
p Matth. 25. 33
q Amos 3. 8
r Pſ. 50. 10
ſ Pſ. 50. 13
t Pſ. 66. 2
u Pſ. 17. 9
x Eſth. 15. 17
y Pſ. 17. 9
z Pſ. 79. 4
a Pſ. 33. 17
b Exod. 33. 13
c Pſ. 103. 29
d Cant. 5. 12
e Apoc. 1. 14
f Dan. 10. 6
g Ezech. 18. 21. & 22

Vidit illum S. Ioannes *veſtitum podêre* h. Id eſt, veſte Sacerdotali albâ, lineâ, ad talos uſque pertingente. Super hoc Cornelius i ait, *LXX, ubi nos legimus, Vir veſtitus lineis* k, *vertunt, veſtitus podêre*. Veſtis Jeſu Chriſti fuit ſemper à Doctoribus uſurpata ut ſymbolum membrorum ipſius myſticorum, id eſt fidelium, quia *Deus, Dominus noſtri Ieſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ipſius* l. Quæ ideò diviſa eſt in quadruplicem partem, *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem unam* m. Ut innueretur, quòd Lex Evangelica annuncianda eſſet per quatuor orbis regiones, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* n *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum* o. Quæ proptereà ſciſſa non fuit, ad denotandam unitatem Eccleſiæ, quæ *una eſt columba, perfecta* p, & dilecta Chriſti. S. Joannes addit, juxta id quod interpretantur LXX. hanc veſtem ſacerdotalem fuiſſe confectam ex lino, quod eſt materia maximè diſpoſita ad concipiendum ignem: verendum ergo maximoperè eſt ne ignis concipiatur in hac veſte, cùm Judicis iſtius *oculi tanquam flamma ignis* futuri ſint. Vidit igitur illum S. Ioannes *veſtitum podêre*, ſeu veſte ſacerdotali: ultimo namque die ſecundum exercebit officium Sacerdotis, quod in ſacrificando ſitum eſt: nam quoad primum in intercedendo conſiſtens, illud idem ipſe nunc obit, *Advoca-*

h Apoc. 1. 9. & 13
i Cornel. in Apoc. 1. 13
k Ezech. 9. 2
l Epheſ. 1. 27. &c
m Joan. 19. 23
n Pſ. 18. 5
o Joan. 19. 23. & 24
p Cant. 6. 8

voca-

vocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum q. Sed intuitus quòd ingratitudo noſtra nos indignos eſſe, efficit, ut ipſis primis perfunctus fuerit muniis in gratiam noſtri, exercitium aggredietur ſecundum, nempe Sacerdotis, cui proprium eſt præparare lignile, & comburere victimam, quæ eſt peccator, ſuper quod ab eo ignis accendetur æternus, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum* r.

q 1. Joan. 2. 1
r Matth. 25. 41

Ante Judicium præcedet Crux, *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo* ſ. Crux, inquam, reſervata more virgæ Aaronis in Arcâ Fœderis in memoriam rebellium Iſraëlitarum, ut *dixit Dominus ad Moyſen, Refer virgam Aaron in tabernaculum Teſtimonii, ut ſervetur ibi in ſignum rebellionis filiorum Iſrael* t. Reſervabitur Crux ad confundendos eos, de quibus loquitur S. Paulus u, *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti*. Illi inſtar fratrum Ioſeph clamabunt, *En Sanguis ejus exquiritur* x. Id eſt, contra nos, qui ita ſæpè nobis Filium Dei y iſtum æquè ac Cruci iſti fiximus peccatis noſtris. Tunc videbimus à Jeremia viſam *virgam vigilantem*, cō̃ viſam in *ollam ſuccenſam* z. Et Aaronis *virgam in colubrum* a. Id eſt, quòd Crux quæ erat refugium miſerorum, futura tunc eſt illorum ſupplicium, Propterea Daniel b ait, *Vidi Arietem cornibus ventilantem contra Orientem, & contra Occidentem, & contra Aquilonem & contra Meridiem: & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque ſecundùm voluntatem ſuam, & magnificatus eſt.* Iſte *Aries*, qui excutiet quatuor mundi partes: vel, ſi vultis, hic *Agnus Dei*, de quo loquitur Evangeliſta c, mutabitur in *Arietem*. Hoc enim habet proprium aries, ut obſervant curioſi rerum naturalium indagatores, ut dormiat ſex menſibus ſuper uno latere, & ſex menſibus reliquis ſuper altero latere: Jeſus Chriſtus quieſcit nunc ſuper latere dextro miſericordiæ ſuæ; ſed tunc dormiet ſuper latere ſuæ juſtitiæ: tunc excitabitur *tanquam dormiens, Dominus, tanquam potens crapulatus à vino* d. *Et re verâ ſic putantibus Deus dormit, & eſt tanquam ebrius alienus, ſed talibus poſteà excitatur, tanquam dormiens, & per ſomnum confortatus, & tanquam crapulatus à vino. Secundùm enim Naturales, homines poſt ebrietatem ſurgentes à ſomno, ad iracundiam ſunt faciles, & ad actus fortitudinis exercendos magis potentes. Hæc ergò omnia ad ſimilitudinem hominum dicuntur de Deo, quia ipſorum peccata valenter*, ait Incognitus e, puniet, quæ priùs diſſimulaverat *propter pœnitentiam* f. Et pejus illis accidet, quàm evenerit Cham filio Noë; nam cùm Noë *bibens vinum, inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo*, & hoc *vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata*, & præ deriſu nuntiaſſet *duobus fratribus ſuis foras evigilans Noë ex vino, cùm didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis* g. Jeſus Chriſtus dormit nunc in cœlo, *inebriatus* vino amoris ſui, quandiu impii derident nuditatem ejus in Cruce, eamdemque Crucem deſpiciunt; ſed die judicii evigilabit, & vibrabit abſque miſericordia adversùs eos hoc decretum maledictionis, *Diſcedite à me maledicti*, &c.

ſ Matth. 24. 30
t Num. 17. 10
u Philipp. 3. 18
x Gen. 42. 22
y Hebr. 6. 6
z Jer. 1. 11 & 13
a Exod. 7. 10
b Dan. 8. 4. & 3
c Joan. 1. 29
d Pſ. 77. 65
e Incognit. in Pſ. 77. 65
f Sap. 11. 24
g Gen. 9. 20. &c
h Matth. 25. 41

Ergo *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ* i, repræſentatam per eum, quem *fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, qui habebat ſex gradus: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde* k. Iſtæ *duæ manus* habent ſingulæ leonem, ut ſignificetur, quòd utrimque veritas juſtitiæ ibi eſt æqualiter formidabilis. nam è latere manus dextræ *ſi juſtus vix ſalvabitur; impius & peccator ubi parebunt* l? Sanè à latere manus ſiniſtræ condemnabuntur præ edicto juſtitiæ nullâ miſericordiâ mixtæ, *Duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde*, erunt duodecim Apoſtoli, quibus *Ieſus dixit, Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël* m. Sedebunt circum Judicem non ſecus ac Conſiliarii circum Præſidem. *Et ſeparabit eos ab invicem ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris* n. Separando illos, ſicut colliguntur *zizania, & alligantur in faſciculos ad comburendum, triticum autem in horreum* o Domini congregatur. De Electis reprobi dicent *tunc, Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus* p. Tunc in Electis videbitur adimpletum illud, *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate* r. Id eſt, Eccleſia triumphans Juſtorum inſtar Reginæ ſedebit ad dexteram Judicis, induta veſte immortalitatis.

i Matth. 25. 31
k 3. Reg. 10. 18. &c.
l 1. Petr. 4. 18
m Matth. 19. 28
n Matth. 25. 32
o Matth. 13. 30
p Sap. 5. 3. &c.
r Pſ. 44. 10

Reprobis ſic ſeparatis ab Electis, examinabit Jeſus Chriſtus accuſationes dæmonum adversùs peccatores, contra quos clamabunt voce contentâ, *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum* ſ. *Iudica illos Deus* t. Tunc verificabitur id quod vidit ſanctus Joannes, *Et vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni. & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum* u. Tunc libros conſcientiarum, qui in hoc mundo ſic erant clauſi x, manifeſtè legent omnes homines,

ſ Pſ. 9. 18
t Pſ. 5. 11
u Apoc. 20. 12
x Jer. 17. 9

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur y.

y Eccleſia.

Igitur tunc *beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata* z. Id eſt, Sacramento veræ Pœnitentiæ. Peccatis omnium hominū ſic apertis, Judex pronunciabit decretum, & *dicet his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Et his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus* *. Et tunc deſiderium Davidis adimplebitur, *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes* a. Ecce Juſti in gloriâ, & reprobi in flammis æternis inferni præ decreto juſtitiæ ſine ulla mixtione miſericordiæ, *Et ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.*

z Pſ. 31. 1
* Matth. 25. 34. & 41
a Pſ. 54. 16

Sed relinquamus iſtos reprobos in flammis æternis, quibus jam cruciantur à judicio ſuo particulari, & quibus in æternum cruciabuntur poſt judicium generale, quod erit expers miſericordiæ, *Iudicium enim ſine miſericordia, illi qui non fecerit miſericordiā* b. Indigni ſunt hi miſericordiâ & cōpaſſione, cùm divinis abuſi fuerint gratiis; & convertamus cogitationes & affectiones noſtras erga animas gementes in flammis temporaneis purgatorii, & conemur miſerias eorum noſtris

b Jacob. 2. 13

ſublevare ſuffragiis, eas è pœnis ipſarum educere bonis operibus noſtris, & ſic eis viam ad gloriam pandere. Tria nos inducunt ad ſublevandã proximi noſtri neceſſitatem. Primum eſt ipſa neceſſitas, cùm illa eſt magna; ideò mendici ſua nobis detegũnt vulnera ut nos inducant ad compatiendum ipſis, & ad ſublevandas ipſorum miſerias auxiliis noſtris. Secundum eſt dignitas & meritum perſonæ, cui ſuccurrere volumus: libentiùs enim charitatem erogamus hominibus probis, in aliqua dignitate conſtitutis, cognatis, & amicis, quàm incognitis & alienigenis. Tertium eſt honor, ſicut & utilitas & emolumentum, quæ unusquisque ex hujuſmodi auxilio impenſo proximo ſuo ſibi polliceri poteſt.

Animæ purgatorii in magnâ conſtitutæ ſunt neceſſitate auxilii ſuſcipiendi; ipſæ ſemetipſas juvare non poſſunt. Si mendicus robuſtâ vigens valetudine, ſtipem deprecetur, reſpondetur ei, ut labore neceſſaria vitæ fovẽdæ ſibi comparet, ſi autem infirmus ſit, aut ita impotens ut laborare non valeat, libenter erogatur ei eleemoſyna: viventes, imò verò mendici vocari poſſunt robuſti quantùm ad bona ſpiritualia, quia ſibimetipſis auxiliari poſſunt exercitio bonorum operum; ſed animæ purgatorii ſemetipſas juvare nequeunt, & ideò noſtrum implorant auxilium: & cùm vulgò dicamus intuitu pauperum, *Non paviſti occidiſti*: potiori debemus dicere ratione de animabus purgatorii, *Nõ ſuccurriſti, combuſiſti*.

Prætereà, Meritum & dignitas perſonarum id exigunt: iſtæ enim animæ ſunt ſanctæ: miſeremur Principis è Regia progenie orti, cùm intuemur eum ad miſeriam redactum; iſtæ animæ electæ, in purgatorio detentæ, Reginæ ſunt, & Spõſæ Jeſu Chriſti; quomodo igitur illarum non miſerebimur? Cùm in certamine multi mortui ſunt, & quamplures permanſerunt vulnerati, illi qui ſani remanent, curam ſatagere debent eorum qui infirmi ſunt, & vulnerati, & mortuos ſepelire: ſic commendatur Alexander Magnus: eò quòd præcepiſſet ſepelienda mortuorũ corpora, & applicandum vulneratorum plagis apparatum; è contrà verò milites oderant Lycurgum, qui recenſetur nullam juſſiſſe ſuſcipiendam commilitonum ipſorum in prælio occiſorũ curam. Iſtæ animæ purgatorii in vitâ ſuâ præliatæ ſunt nobiſcum contra naturæ noſtræ hoſtes, & de illis glorioſam retulerunt victoriam, ſed vulneratæ è certamine exierunt, & ſtatim ac conſolidata fuerint illarum vulnera, triumphum agent ipſæ in cœlo; quare igitur non conabimur earum plagis apparatum applicare proficuum, ut noſtrorum interventu ſuffragiorum citiùs ad gloriam perveniant æternam? Præter quã quòd pro comperto eſt, plures ex animabus iſtis eſſe è numero propinquorum, & amicorum noſtrorũ, qui tantum laborẽ inſumpſerunt ad comparãda nobis bona quæ poſſidemus; quique for ſan flammis cruciantur purgantibus, eò quòd nimiũ fuerint ſoliciti de coacervandis nobis divitiis; quomodo ergo poterimus earũ obliviſci? cùm dicat S. Paulus c, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam nõ habet, fidem negavit, & eſt infidelis deterior.* [c 1. Tim. 5.8] Refert Plutarchus de quodam Cimone Duce Athenienſi, quòd cùm pater ejus ære alieno onuſtus, fuiſſet mortuus, & nollent ſinere creditores ejus ut priùs tumulo mandaretur, quàm ipſis fuiſſet factum ſatis quantùm ad ſibi debita, ipſe Cimon ſe carceri æquo animo mancipaverit, ut patri ſuo honor ſepulturæ exhiberetur. Ethnicus erat ille, & pater ipſius nihil ipſi reliquerat præter debita ſolvenda; quantò potiori ratione debemus nos ſuccurrere animabus propinquorum noſtrorũ, qui debent quidẽ aliquid ſolvere juſtitiæ Dei; ſed qui tamẽ divitias nobis reliquerunt, ita ut nonnulli præ ingratitudine eas negligamus.

Tandem, Honor & utilitas noſtra ad impendẽdum eis auxilium nos inducunt. Liberandõ populum Iſraël ſatagens à Rege Aſſuero interventu Reginæ *Mardochæus, mãdavit Eſther, dicens, ne putes quod animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis ſi enim nunc ſilueris, per aliã occaſionẽ liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis* d. [d Eſth. 4. 13. & 14] Orare debemus pro animabus purgatorii intuitu honoris & emolumenti noſtri; quia pro illis orantes, memorabimur *noviſſima* noſtra, *& in æternum non* e peccabimus. [e Eccli. 7.40] Deinde, Applicantes eis noſtra bona opera, earum conciliabimus nobis interceſſiones ad Deum, cùm ad gloriam pervenerint.

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Joan. 7.37. &c.

NEſcio equidem utrùm Salomon aliàs cogitationum ſuarum veluti copiam fecerit Filio Dei, quem prævidebat ipſe ſpiritu Prophetico converſaturum aliquando nobiſcum, ut prædiceret ea, quæ peragenda forent in hâc familiari converſatione; ſeu an velut unus è majoribus ipſius voluerit illi præbere longo tempore ante adventum ipſius, monitum aliquod ſalutare, quo ſe exhiberet veluti directorem actionum ipſius. Quidquid ſit, ait ipſe, eum, qui oblaturus eſt calicem aquæ frigidæ homini ſitienti, de ipſo ſitiente benè meriturum, & eò magis, quò de magis longinquâ ſitiens ipſe venerit regione, *Aqua frigida animæ ſitienti, & nuncius bonus de terrâ longinqua* a. [a Prov. 25.25] Hodierna die Salvator mundi, faſſus veritatẽ hujus propoſitionis, proficuum iſtud obſequium vult hominibus exhibere, dicẽs omnibus ſine ulla exceptione, ſe, ſi aliquis ſitierit, daturũ ipſi unde ſitim extinguat, & ideò oportere duntaxat ut ſitiens ad ipſum accedat, ut ab ipſo refrigerantes aquas hauriat. Neſcio, Auditores, de quonam potu loquatur nobis Dei Filius cùm dicit, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Sed ſi verum eſt id, quod nos docet Sponſa ſacra, aſſerens ſe fuiſſe applicatam ſugendis uberibus Dei, quæ meliora vino ipſa deguſtavit, *Meliora ſunt ubera tua vino* b; [b Cant. 1.1] faſtidiri re verâ eſſemus nos delicatiſſimi, ſi nollemus audire, & ſi oblatum nobis à Salvatore donũ acceptare renueremus. Agitur tantùm de agnoſcenda ſiti, qua æſtuamus; habet enim ipſe omne liquorum genus, quibus omne genus ſitis extinguat, & ſicut omniũ liquorũ optimus eſt gratia, petamus eã ab ipſo, interventu Matris ipſius, quæ illius jã plenitudinẽ hauſerat eo momento, quo dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

Præcipuum nominum, quæ meliùs ſignificant boni-

c Pſ.41.1. & 2 bonitatem divitiarũ, aut divitias bonitatis Dei, eſt nomen fontis, quod Pſalmiſta c ipſi attribuit, dicens ei; *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Et Moyſes d *d Num. 20.6* ante David. *Aperi Domine eis theſaurum tuum fontem aquæ vivæ.* Sicut enim fons ſemper fluit, & fluens non ſolùm exhibet abundantiam aquarũ ſuarum, ſed etiam intuentes quoſcunque invitat ad hauriendas ac potandas aquas ſuas ſine menſura; æquè enim ipſe plenus eſt atque fœcundus, cùm ex ipſo quis hauſit aquas, ac plenus erat antea; ſic Deus noſter eſt origo nunquam exhaurienda, è qua fluunt ſemper nova bona, & novæ bonitates; ditiſſima, quæ poſſit ea communicare; optima, quæ velit ea effundere: & ſicut *e Baruch 3.25* hæ divitiæ & hæ bonitates ſunt infinitæ e, ſic dedit homini duas facultates huic duplici infinitati reſpondentes. Ut reſpondeat homo infinitæ bonitati ipſius, dedit Deus huic eidem cordi ſitim, quæ non eſt minùs infinita; & quãtùm Deus *f Rom. 10.12* eſt *dives* f, tantùm cor hominis eſt capax quod diteſcat; quantùm Deus eſt *bonus* g, tantùm cor *g Pſ.118. 68* hominis ſitit, ut hanc infinitam deguſtet bonitatem. Inde factum eſt ut cor hominis vocetur à *h Eccli. 42.18* Salomone h abyſſus, *Abyſſum, & cor hominum inveſtigavit.* Cùm Deus ſolus, & nullus alius, poſſit intimè pervadere & ſcrutari cor hominis, *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor* i. Et ſicut abyſſus *i Jer.17.9. & 10* eſt puteus nullum habens fundum, quæ abyſſus nunquam poteſt repleri, quidquid in ipſam jaciatur; ita cor hominis tale eſt, ut ipſi non poſſit ſatisfieri, nec ipſum repleri valeat qualibet re, nec omnibus ſimul rebus limitatis aut finitis, nec ulla res alia poſſit adæquari huic abyſſo niſi fortè altera abyſſus. Hinc Propheta k intui- *k Pſ.41.8.* tus convenientiam quæ eſt inter cor hominis & magnitudinem Dei, dixit, *Abyſſus abyſſum invocat, in voce cataractarum tuarum.* Videtur ipſe obſervaſſe duas ſitulas idoneas hauriendæ aquæ è puteo quarum ubi elevatur una, ſtatim deprimitur altera, ſed præ hac convenientia, quà altera quæ eſt vacua ſe deprimendo vocet alterum quæ eſt plena, & ipſam invitet ad aſcenſum; & altera quæ eſt plena, aſcendendo vocet alteram, quæ eſt vacua, & ipſam invitet ad deſcenſum, ut repleatur ſicut ipſa. Sic Deus & homo ſunt duæ ſitulæ, harum una eſt plena, altera verò vacua. Sola autem differentia, quæ eſt inter Deum & hominem ac ſitulas, in eo ſita eſt, ut menſurã habeant ſitulæ limitatam, cùm Deus & homo ſint abyſſus illimitata. Quidquid ſit, una *abyſſus abyſſum invocat* alterã. Deus præ plenitudine ſua vocat hominẽ, ut ſe repletum veniat; homo verò præ inanitate ſua Deũ vocat, ut ipſum veniat repletum. Verùm enim verò nulla eſt capacitas ſicut capacitas ipſius. Oculis ſatisfit Solis lumine & coloribus, horũ enim duntaxat ſunt capaces; auribus ſono; odoratui, odoribus; tactui, corporibus; & guſtui, ſaporibus; õnes creaturæ corporeæ ſitim ſuã habent limitatã intra terminos circũferẽtiæ alicujus objecti materialis & ſenſibilis; ſed cor hominis ſatiari non poteſt niſi Deo ipſo. Teſtis eſt Alexander Magnus, qui cùm evaſiſſet totius orbis Monarcha, non erat tamen contentus, ſed adhuc cupiebat ut alii ſimiles forent orbes, aut majores, quippe qui ſe idoneũ ſatis judicaret qui eos poſſideret, & illorũ gubernacula ſuſtineret. Sed graviter hallucinabatur ipſe, credẽs poſſeſſionem decem millium orbiũ, ſi tot fuiſſent, ex-

tinctu iam fore penitus ſitim ardentem, quâ ipſe æſtuabat, nam ita ſitiiſſet re verâ poſteà, ac ſitiebat ipſe antea, quia ſemper infinitè fuiſſet vacuus, quoadúſque replevſſet cor ſuum eo, qui eſt infinitè dives, qui eſt Deus. Idcircò præ nominibus, quibus appellari voluit linguâ hebraicâ, eximiũ *l Exod. 6.3* eſt illud, quo vocatur Saddai l, id eſt, ſufficiens, cùm præter illum nullus ſit ſufficiens, poſſitque ſatisfacere ſiti cordis noſtri. Dei Filius qui apprimè callebat hanc convenientiam, vocat unũquemq; ad fontem ſuum, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Hoc ſubminiſtrat mihi anſam oſtendendi vobis in priori parte hujus diſcurſus, ordinem, quem Deus obſervat ut extinguat ſitim noſtram, *Diviſio* & repleat vacuũ cordis noſtri & animæ noſtræ, abundantiâ aquarum ſuarum: In poſteriori verò parte videbimus impotentiam quæ eſt in creaturis, quâ ſiti noſtræ ſatisfaciant.

I. Pars. Videtur Salvator de ſiti, quâ æſtuamus, ambigere, cùm ait, quòd ſi quis ſitiat, accedat ad ipſũ qui eſt fons, cùm jam dixerimus unumquemque ſitire, & nos perpetuâ ſiti ardere, ſic vacuum eſt cor noſtrum, & repleri concupiſcit. Pervadite, ſi velitis, univerſum mundum ab extremo ad extremum, neminẽ invenietis qui non ſitiat aliquo modo, & qui aliquid non deſideret. Videtur mihi potiùs debuiſſe dicere Dei Filius, *Venite ad me omnes*, cum Evangeliſta m. Vel cum Propheta n, *m Matth. 11.28* *Omnes ſitientes venite ad aquas*: Ego enim ſum fons *n Iſa.55.1.* vivus, nedum petat, an quis ſitiat. Ha! Auditores, hæc ſunt duo juſtificationis noſtræ ſecreta. Ad bibendum duo requiruntur; priùs ſitire oportet, deinde ad fontẽ accedere convenit. Sitite, quantùm volueritis; ſi fontem non adeatis, nunquam bibetis; Accedite ad fontem, niſi ſitiatis, bibere noletis. Deus noſter eſt verus fons. Ut eo ſatiemur, oportet eum deſiderare & inquirere, oportet ſitire ſalutem noſtram, & accedere ad originem, è qua manat iſta ſalus, ſicut ipſe ait per Prophetam ſuum, *Omnes ſitientes venite ad aquas.*

Ipſe eſt enim fons vivus, qui ſic vocatur, quia ipſe vitam præbet animæ, vitam autem quæ diſferta vita corporis, eò quòd vita corporis ſuſcipitur, nec tamen agnoſcitur, nec deſideratur, eamque Deus nobis largitur ſine auxilio ac concurſu noſtro. Sed poſtquàm illam accepimus, ſi agatur de habenda ſecundâ vitâ, quæ eſt vita animæ, oportet eam deſiderare & velle, & induſtrias adhibere requiſitas ad ipſam recipiendam. Opus eſt quidem ut proponatur nobis ipſa, & præbeatur nobis ipſius notitia, nobiſque provideat Deus ſubſidia ac media, quibus eam inquiramus; ſed tamen curam tenemur nos inſumere ſpecialem, omneſque noſtras operas in medium afferre, quibus comparemus nobis hanc ſecundam vitam, quæ ſita eſt in gratia Dei, quod clarè innuit ac manifeſtat Concilium Tridentinum o, *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt.* Ait, *liberè* *o Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ex Rom. 10. 17* & voluntariè debere nos accedere ad Deum præ vera ac viva apprehenſione rerum, quas ipſe nobis proponit, & præ deſiderio earum habendarum ardentiſſimo.

Ratio iſtius ea eſt, quam affert Apoſtolus p, *Hilarẽ enim datorẽ diligit Deus.* Et Pſalmiſta, *Voluntariè ſacrificabo tibi* q. Propoſitio eſt generalis õnibus, *p 2. Cor. 9. 7. ex Eccli. 35. 11* *q Pſ.53. 8.* manifeſtatio theſaurorũ ipſius eſt univerſalis, apertura fontis ipſius vaſtas habet circũquaq; ex-

ten-

r 1. Tim. 2.4 tenſiones, *Omnes homines vult ſalvos fieri* r. Sed non ſolùm id vult Deus, ſed etiã requirit, ut illud velint homines, ut agnoſcam' quàm valdè ipſo indigeemus, & ut juxta hanc notitiẽ ipſum adeamus, ſemper enim ipſe paratus eſt ſuas nobis diſtribuere gratias. Si autem ſcite velitis quonam pacto ſe gerat in hac diſtributione, mementote fontis alicujus, quem fortè aliàs vidiſtis in ædibus nobilis alicujus Viri; videbitis in ateâ, aut in horto manantem fontem opere prædiviti ac curioſo elaboratum, aquam verò totam elabentem in concham, pergentem per vias ſecretas & ſubterraneas in plura loca domus, ut refrigeret aulas inferiores, & alia loca, in quibus æſtivâ tempeſtate diutiùs manetur; inde verò eandem aquam deductam in coquinam, & in omnes officinas domus, quibus poteſt ipſa inſervire; & præter hæc omnia apetiri eidem equæ canalem in vico inſervientem commodis e utilitati pauperum; & illorum omnium, qui non converſantur cum domeſticis; & omnem hanc originem, quæ labebatur tota ac integra in primam concham, quæ erat in erea, aut in horto, diſtributam ae fluentem per vias ſeeretas, adeuntem cætera domus loca, etiamſi nullus locus ex illis eam cum tante ſuſcipiat abundantia. Inde autem intelligere poteritis quonam pacto Sapientia æterna,
ſ Prov. 8.26 quæ *librabat fontes aquarum* ſ, ponderet, & metiatur aquas, quas ipſa vult diſtribuere; quomodo, inquam, Deus communicet has aquas nunquam exhauriendas gratiæ ſuæ homini, quem vult ipſe juſtificare. Primò ponit gratiam in ejus animâ veluti maximè capaci, ſicut in atea & loco magis aperto hujus domus, in qua Spiritus
t S. Thom. 1.2. quæſt. 110. a. 4. in corp. ſanctus vult habitare, & ritè (ut ait S. Thomas t, *Effuriam ipſam animæ ſubjectum gratiæ eſſe*) ponit gratiam in ſubſtantia animæ; nam ſicut hæc eſſentia animæ eſt origo totius vitæ naturalis hominis; ita gratia Dei eſt origo & principium totius vitæ ſpiritualis & ſupernaturalis hominis. Et ex hoc fonte originali hæc aqua gratiæ labitur in primam facultatem ſeu potentiam animæ quæ eſt intellectus, in qua potentiâ Spiritus ſanctus erigit fontem tribus tubis concinnatum, fide nimirum, prudentia, & ſcientia, qui vocatur
u Cant. 4.12 *fons ſignatus* u, id eſt, obfirmatos ſignaculo Dei; quia intellectus in operationibus ſuis innititur veritati & authoritati verbi Dei, *Si veritatem di-*
x Joan. 8.46 *co vobis, quare non creditis mihi* x? Præterea, Fides dicitur *fons ſignatus* ſigillo Dei, quia equæ ipſius ſunt puriſſimæ & nitidiſſimæ, & nullatenus immiſtæ notitiis humanis errori obnoxiis ae falſitati; *fons ſignatus*, ac clauſus: propoſitiones enim ejus ſunt obſcuræ, & non apertæ vel evidenti demonſtrationi, vel experientiæ, vel viſioni claræ illius, qui eas pronunciavit.

Sicut enim quædam ſunt aquæ extillatæ ita ſubtiles ac delicatæ, ut ſemper debeant ipſæ eſſe obturatæ, ſi verò tantiſper aperiatur vas, in quo ipſæ contioentur, ſtatim ipſæ ſuum exhalent ſpiritum; ita fides, quæ eſt veluti expreſſio ac extillatio verbi Dei, eſt ite ſubtilis ac delicata, ut, niſi claudatur ipſa in obſcuritate, ſi tantillum videat ipſa luminis ac diei, totum ſpiritum ſuum ſtatim amittat, & univerſum ſuum meritum, ut
y S. Greg. hom. 26. in Evang. eit S. Gregorius y, *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Et quia fides docet hominem factum propter gloriam Dei, & oſtendit media convenientiora, quorum interventu poſſit ipſe ſibi gloriam cœleſtem comparare; ex hoc fonte, qui erat in intellectu, hæc aqua gratiæ labitur in voluntatem, in quâ format ipſa alium fontem duabus fiſtulis concinnatum, ſpe nimirum, & charitate; fontem, qui ſalit in vitam æternam, quam homo & ſperat, & diligit, ut verificetur illud effatum Filii Dei, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei; fiet in eo fons aquæ*
ſalientis in vitam æternam †. Nam ſicut ipſe ſperat vitam æternam; ſic opera egit congrua, quorum adminiculo ſibi viam ad eam pandat poſſidendam. † Joan. 4. 13. & 14
Et quia ille qui amat aliquod bonum, jure merito veretur ne illud amittat, inde originem deſumit ſuam alius fons timoris, qui prætervet hominem ne labatur in aliquod periculum mortis, quod non poteſt eſſe niſi peccatum, *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis* z. z Prov. 14.27
Et ex his omnibus fontibus, qui ſunt in nobiliſſimis animæ partibus, hæc gratia Dei format alios fontes minores in inferioribus domi partibus, nihilominùs neceſſarios, nimirum in appetitu iraſcibili, & in concupiſcibili, qui ſunt veluti ipſæ officinæ & coquinæ domus, qui ſunt dona *fortitudinis* a, temperantiæ, & alia ſimilia, a Iſai. 11. 2
quæ reſtrænandis inſerviunt concupiſcentiæ motibus animalibus, elationibus iræ & ſuperbiæ, & aliis affectibus humanis & carnalibus. Tandem, Ut exhibeatur hæc anima domus quæ congruè & quaſi condignè ſuſcipiat Spiritum ſanctum habitantem in ipſa, exigit ipſa hos omnes fontes, & iſtas diſtributiones factas gratiarum, nimirum iſtam aquam ſupernaturalem. Sed ut fœcundior etiam ac celebrior efficiatur ipſa, expedit ut inſuper extra domum ſint canaliculi, per quos hæc gratia communicetur extraneis & egenis, qui ſunt omnes proximi noſtri, *Deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas divide* b. Non ſufficit plures habere gratias domi b Prov. 5.16
& intùs, ſed illæ ſunt communicandæ vicinis. Quomodo autem? Bono exemplo rectorum operum externorum exhibendo hominibus, *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt* c. Oportet igitur ut hæc gratia, ſeu hæc aqua myſtica ex intellectu de- c Matth. 5.16
fluat, & communicetur ad linguam uſque, & cognitionem inde hauſtam ſive ſcientiâ, ſive fide, ſive experientiâ edoceatur à nobis proximus, *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ* d. Et, *Fons vitæ, eruditio poſſidentis* e. d Prov. 18.4
Quod Gloſſa ordinaria ſic explicat, *Quia ille Prædicator ſuis auditoribus vias vitæ aperit, qui exercet ipſe quod prædicat.* Eſt enim fidem habere vivam & e Prov. 16.22
integram ac agere quod aliis dicitur ac prædicatur. *Si impiger fueris, veniet ut fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te* f. Et quia non ſolum agen- f Prov. 6.11
dum eſt bonum, ſed etiam eſt delendum & purgandum malum jam patratum; è duobus his fontibus, qui erant in voluntate, nimirum amore & timore, oriuntur ſpecioſiſſimi & gratiſſimi alii duo ex oculis fontes, qui ſunt lacrymæ, quæ effunduntur ad expianda peccata, fontes qui deſiderabantur à Propheta g, *Quis dabit capiti meo* g Jer. 9.1
aquam? & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte.

Hæc autem omnia, Auditores, nonne ſunt fontes mirabiles, qui decoram ac prædivitem miro modo efficiunt animam? Scitote autem eos non habere niſi unicam primam originem, putà bonitatem Dei, quæ ſic eſt abundans, ſicque ipſius ita prodiga (ſi ita loqui fas eſt) ut ipſa continuè invitet homines ut ad ipſam accedant, & hauriant ex abyſſis ipſius tantum aquæ, quantum ipſi voluerint; tot gratias, quot agnoſcent ipſi

ipſi futuras ſibi utiles ac proficuas. Sed mementote me dixiſſe, eum non invitare niſi eos, qui ſitierint. *Omnes ſitientes venite ad aquas* †. Sed nunquid non omnes ſitiunt? At nonne unusquisque indiget gratiâ Dei? *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei* h. Fames eſt omnibus peccatoribus, ſed illâ fame non eſuriunt, ita ut intuentes ſe redactos in miſerandum peccati ſtatum, dicere poſſint Deo, Domine, tempore illo, quo in peccatis verſamur, & ſumus ſine te, fames nobis eſt, ſed cùm hæc nobis ſit fames, iſtâ fame non eſurimus. Mirabile dictu, Auditores, ac difficile intellectu, quomodo illis ſit fames, & illâ fame non eſuriant. Notanda eſt differentia inter hæc duo verba, eſurire, & fameſcere. Poſterius ſignificat habere famem, id eſt, quempiam habere opus ac neceſſitatem ſumendi cibi, quo ipſe ſuſtentet ſuum corpus. Prius verò innuit in aliquo deſiderium manducandi, & in eo guſtum ad hunc effectum ritè diſpoſitum. Vultisne igitur videre quomodo iſta ſint res duæ differentes? Certum eſt in ſtatu innocentiæ, antequàm primi Parentes noſtri peccaſſent, nullam fuiſſe famem: omnes enim pœnæ ac anguſtiæ inceperunt poſt peccatum i; fames autem eſt earundem maxima & graviſſima, ut ait S. Baſilius k, *Fames humanarum calamitatum caput exiſtit*. Imò verò earum omnium moleſtiſſima; aliæ enim ſpeciem aliquam admittunt levaminis, & diuturnitate temporis minuuntur, ſed nullam fames conſolationem ſuſcipit, & quò diutiùs perſeverat, eò magis augetur. Nulla igitur erat fames in ſtatu innocentiæ, & tamen in eo ſtatu Parentes noſtri comedebant, unius quippe fructûs ipſis erat uſus prohibitus l, & ſine dubio manducabant ipſi præ orexi ſeu aviditate jejunâ; alioquin enim fuiſſet ipſis comeſtio potiùs pœna, quàm privilegium, & ſic appetentia & comeſtio non ſunt eadem res. Quin imò videbitis diebus ſingulis infirmum pereuntem defectu cibi, quia cùm faſtidio cibi ducatur, & non appetentiâ illius, nullum poteſt alimentum ſumere, ſic debilitatur corpus, ſic liberè tunc dicere poteſtis, hunc hominem perire fame; ſic non tam moritur ille morbo, quam defectu alimenti neceſſarii ipſi ſuſtentando. Neceſſitas hæc cibi ſumendi vocatur fames, ſed quia deſtitutus eſt orexi ſeu appetentiâ, non poteſt ipſe comedere, ut expellat hanc famem, & ſic fames & appetentia non ſunt eadem res. Cauſa autem iſtius eſt, quia duo ſtomachus obit munia. Primò enim appetit ac digerit alimentum ſibi miniſtratum ad alendum hominem. Secundò defectu alimenti ſemetipſum deſtruit ac rodit, non ſecus ac lapis molaris, qui motu continuo ſeipſum conſumit, niſi ſubminiſtretur ipſi aliquid, quod ipſe molat, & circa quod operetur. Defectu prioris exercitii ſtomachus dicitur laborare orexi; id eſt, homo qui nihil habet cibi, quem digerat, dicitur habere orexim ſeu appetentiam, & cùm non ſatisfaciat huic orexi, inde ſequitur fames, quæ eſt paſſio ſeu neceſſitas capiendi cibi, occaſione cujus ſtomachus ſemetipſum rodit ac conſumit; ſicut ramus arboris mortuæ non valens ampliùs haurire ſuccum & primum humorem è trunco, qui viriditatem ipſius conſervabat, paulatim areſcit, ac moritur. Videtur autem Propheta m voluiſſe dicere quid ſimile, *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*. Sic ſi damnetur homo ad mortem in carcere oppetendam fame, non dicetur ipſe mortuus orexi, hæc enim orexis eſt potiùs amica naturæ, veluti appetens cibum, qui conſervet individuum perſonæ; ſed dicetur ipſe mortuus inediâ & defectu cibi. Hoc autem eſt, quod ego voco famem.

† Iſai. 55. 1.
h Rom. 3. 23.
i Gen. 3. 16, &c.
k S. Baſil. conc. in Fame & Siccit.
l Gen. 2. 17. & 16
m Pſ. 101. 5.

Hinc intelligitis quid velint peccatores innuere, cùm conſtituti in deplorando peccati lethiferi ſtatu, & indigentes gratiâ Divinâ, non multùm ſatagunt ut eam inquirant, & ſibi comparare illam valeant. Fames nobis eſt, aiunt illi, ſed illâ fame non eſurimus; famem præ nobis ferimus, ſed deficit nobis orexis. Quaſi dicerent, Gratia Dei nobis eſt neceſſaria veluti alimentum ſuſtentandæ animæ noſtræ conſonum, ſine quo areſceret anima noſtra; ſed non eſt orexis, ſeu deſiderium ſuſcipiendæ in nos hujus gratiæ. Econtrà verò ii ſunt *beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, quæ non eſt aliud niſi gratia Dei; *quoniam ipſi ſaturabuntur* n. Pſalmiſta, conformiter ad hoc, dixit Deo, ſæpè ſe eſuriiſſe cibos cœleſtes, *Replebimur in bonis domus tuæ* p, & ſitiiſſe fontes gratiæ, *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* q; & ſibi fuiſſe famem ſolam ciborum corporeorum, ſed ita parum orexis ac appetentiæ, ut non recordaretur eorum ſumendorum, quin econtrà jejunio ſe maceraret, *Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum* r. Econtrà verò peccatores in ſtatu peccati ſui deflentes miſeriam ſuam, proteſtantur ſe ſic allectos ab objectis terrenis, & voluptatibus ita deditos, ut, quàmvis indigeant ipſi gratiâ Dei, defectu cujus conſumuntur ipſi fame, anima tamen ſua nullum habeat cibum, aut nullè vitam ſpiritualem, quin imò langueat peccatis, nec recordetur Dei, ſeu nec illû eſuriat; fames ipſi eſt, ſed non appetentia; neceſſitatem præ ſe ferat, ſed non deſiderium adjuvandæ hujus neceſſitatis. Maximam ergo habent neceſſitatem alimentorum gratiæ Dei; & tamen ipſorum appetentia ardentiſſima eſt deliciarum ſenſuum. Non illos vocat ad fontem ſuum Dei Filius, quippe qui indigni ſunt qui inde aquas hauriant, cùm eas non appetant, *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me* ſ. Sed quàm ritè S. Joannes hanc lectionem auſcultaverat, quippe qui, cùm ſic ſitiret gratiam Dei, & audacter reſpondiſſet Domino ſuo, ipſum ſicut & fratrem ipſius interroganti, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Poſſumus* t: & ſciret, quòd ad hauriendas ipſius aquas, admovendum eſſet os fonti, cùm eſſet cum Chriſto in cœna, applicuit ſe ſuaviter pectori Dominico. Sed putatiſne quòd ipſe *erat recumbens in ſinu Jeſu* u, ut ibi dormiret? Nequaquam; ipſe enim erat in menſa, & potiùs indigebat potu, ſic *fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit* (ait Eccleſia) è quo ſuaviſſimos hauſit liquores veritatis æternæ, & gratiæ Spiritus ſancti. Sic etiam fuit ipſe deinde fons vivus doctrinæ & gratiæ, ſicut ipſe promiſerat iis omnibus, qui in Dominum eſſent credituri, & ad eum acceſſuri, *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* x. Et, *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* y. Quod ipſe appoſitè explicuit de Spiritu ſancto, & de ipſius gratia, *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* z:

n Matt. 5. 6.
p Pſ. 64. 5.
q Pſ. 41. 2.
r Pſ. 108. 24.
ſ Eccl. 24. 26.
t Matt. 20 22.
u Joan. 13. 23.
x Jo. 7. 38.
y Jo. 4. 14
z Jo. 7. 39.

Si verò modò videmus diſtributionem gratiæ Dei factam interventu variorum tuborum, unde oſtendatur pulchritudo & diverſitas fontium ipſius, non erit abs te ut tantiſper immoremur in prima origine hujus gratiæ, quæ formatur in

 ſubſtan-

ſubſtantia animæ noſtræ, ut videamus præcipuos effectus, quibus poſſit ipſa inſervire, juxta ipſius comparationem cum aqua. Si enim aqua his tribus præcipuè ſervit, nimirum abſtergendis ſordibus a panno, vel a linteo, fœcundandis plantis & arboribus, & extinguendæ ſiti; gratia Dei mirum in modum tres iſtos operatur effectus. Quoad primum, appoſitè de ipſo loquitur Propheta Ezechiel *a*, diſſerens de Baptiſmo Chriſti, qui eſt Baptiſmus aquæ & Spiritus ſancti *b*, quia Spiritus ſanctus id agit planè in animabus noſtris, quod aqua elementaris in noſtris facit corporibus, ait igitur Deus per Prophetam ſuum, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Obſervate, ſi placet, hoc verbum, *Effundam*, quod ſignificat magnam largitatem & prodigentiam, quâcum Spiritus ſanctus ſuas communicat gratias. Iſaias *c* autem majori diſſerens facundiâ, aſſerit eos qui ſcripti ſunt in libro Jeruſalem cœleſtis, futuros Sanctos, *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem laverit de medio ejus, in Spiritu judicij, & Spiritu ardoris.* Quæ verba SS. Patres intelligunt de effectu, quem operaturus erat in animabus prædeſtinatis, Baptiſmo, abſtergens eas a peccatis venialibus, quæ Propheta vocat *ſordes*, & à peccatis mortalibus, quæ nominat *ſanguinem*, juxta modum loquendi Scripturæ; & appellat Spiritum ſanctum Spiritum *judicij*, quia Baptiſma abſtergens culpam ab animabus noſtris, hâc ſingulari dæmonem privat prærogativâ. Vocat Spiritum ſanctum Spiritum *ardoris*, quia ipſe inflammat animas noſtras igne amoris ſui. Unde patet gratiam Spiritus ſancti pollere primâ qualitate aquæ propriâ, quæ ſita eſt in lavandis & abſtergendis ſordibus. Sed ipſa id agit meliori & utiliori modo, nam cùm aqua lavat corpus aut veſtem, ei non impertitur colorem, aut decôrem; nam ſi veſtis erat candida, permanet ipſa candida; aqua verò tantùm abſtergit maculas, quæ ipſi adhærebant veſti, quam relinquit aqua, ut ipſa veſtis erat anteà; ſed Spiritus ſanctus balneo gratiæ ſuæ non ſolùm deſerit animas nitidas & ſpecioſas, ut ipſæ erant anteà; ſed inſuper addit ipſis novum candorem, & recentem decôrem. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor*; ecce animæ lotæ & nitidæ; *lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* d, ecce incrementum novi decôris. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es* e. Repetitio, quæ duplicem explicat candorem a gratia productum. Præterea, Aqua lavans pannum, aut linteamen, illud conſumit, & infirmius illud reddit; ſed gratia Dei quò magis animæ applicatur, eò magis eam reficit, & illi vires addit, *Licèt is qui foris eſt, noſter homo, corrumpatur; tamen is, qui intùs eſt, renovatur de die in diem* f.

a Ezech. 36. 25.
b Jo. 3. 5.
c Iſai. 4. 4.
d Pſ. 50. 8.
e Cant. 4. 1.
f 2. Cor. 4. 16.

Secundus effectus aquæ eſt ut fœcundet terram, & faciat eam germinare plantas & fructus, qui effectus perfectiſſimè reperitur in gratia Spiritus ſancti; anima enim ſine hac aqua gratiæ eſt veluti ager ſterilis, privatus aquis & irrigatione, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* g. Sed ſtatim ac gratia incipit labi in animam, in ea oriuntur novæ plantæ, & ſpecioſi fructus, *Fructus autem Spiritus eſt charitas gaudium pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas* h. Ubi obſervate, ſi placet, proprietatem ſimilitudinis. Nam ſicut aqua accommodat ſe naturæ & conditioni plantarum, ita ut cum ficu producat ficus, cum vite germinet racemos; ita Spiritus ſanctus accommodat ſe captui & naturæ uniuſcujuſque, nedum aliquam inferat coactionem aut violentiam primo ullius temperamento; ita ut viſuri ſitis alios melancholicos; alios hilares; alios cultores ſolitudinis; alios, quorum deliciæ ſitæ ſunt in frequentandis circulis; alios zelo accenſos, more alterius Eliæ i, qui ſtatim de patraris ſceleribus vellent referre vindictam; alios mites & pacificos inſtar Davidis k, qui operirent omnia libentiſſimo animo, & omnibus parcerent; alios agreſtes ut Amos *l*; alios balbos ut Moyſen *m*; alios magnos aulicos ut Iſaiam *n*; alios eloquentes ut Aaronem *o*, & S. Paulum *p*. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult* q. In hoc autem agnoſcitur fœcunditas hujus Divini Spiritus. Hæc eſt ſecunda proprietas aquæ. Sed eſt & aliquid aliud, nam ſi aqua obviam habeat arborem, quæ ſit arida ac mortua, ipſa non dat ei vitam. Sicut enim ipſa vitam non habet, ſic nec vitam largiri poteſt. Sed gratia Spiritus ſancti, etiamſi inveniat animas noſtras aridas ac mortuas, eas ipſa ſuſcitat, & reviteſcere facit; ideò vocatur *fons aquæ vivæ*; quia cùm ipſa in ſe habeat vitam, ſic & vitam largiri poteſt *Spiritus eſt qui vivificat* r. Eccleſia autem in Symbolo Miſſæ concinit, *Credo in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem.*

g Pſ. 142. 6.
h Galat. 5. 22.
i 3. Reg. 18. 40. &c.
k 1. Reg. 24. 8. &c.
l Amos 8. 1.
m Exod. 4. 10.
n Iſai. 38. 1 &c.
o Exod. 7. 1
p Rom. 1. 1. &c.
q 1. Cor. 12 11.
r Joan. 6. 64.

II. Part.

Sed tertium effectum aquæ, qui magis facit ad rem noſtram, qui conſiſtit in extinguenda ſiti, hæc gratia ſancti Spiritus ſic feliciter producit, ut ipſe ſolus poſſit integrè ſitim animarum noſtrarum extinguere; & ideò David ardenti ſiti æſtuans, hunc unicum ſibi proponebat fontem, *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* †, ne audiret hoc opprobrium, quo Deus invehitur in populum ſuum, *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Aſſyriorum ut bibas aquam fluminis* ſ? Ipſæ ſunt aquæ hujus mundi turbidæ ſicut aquæ Ægypti, & tranſitoriæ ſicut fluvii Aſſyriorum, qui tranſeunt uno vel momento. Si ſitimus, ſitire ſanè debemus aquam bonam, ſuavem liquorem, & potum qui guſtui ſatisfaciat noſtro, qui non eſt aliud niſi aqua Spiritus S. ſeu gratia, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*

† Pſ. 41. 2.
ſ Jer. 2. 18.

Id prædixerat Iſaias t, *Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Ac ſi diceret, Iſte potus nullo poteſt æſtimari pretio; ſi autem illum intenderetis emere, omnes theſauri creati non eſſent ei ſolvendo; ſed ſi non habetis unde illum ematis auro vel argento, venite tamen, ſed venite velociter; nam eum emetis & ſolvetis ſolâ veſtrâ diligentiâ, ſicut ille qui currit in ſtadio, & qui accipit bravium, dicitur illud lucratus ac meritus, ſed quomodo? Deditne aliquid pro eo ſibi comparando? Nequaquam; ſed propoſitum fuerat hoc bravium illi, qui priùs ipſum eſſet comprehenſurus, agebatur tantùm de diligentia & de veloci curſu ut ipſum comprehenderet. Velocitate igitur ac diligentiâ bravium meritus eſt. Sic ij, qui non habent unde emant gratiam meam, ait Dei Filius, qui nulla habent merita, nec ulla bona opera, non deſinant proptereà venire; ſi enim præ ſe ferant diligentiam & deſiderium conſequendæ hujus gratiæ, eam à me impetrabunt gratis, *Qui non habetis argentum,*

t Iſai. 55. 1.

pro-

properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac. Sed obſervate Deum ipſos invitare ad aquas, & poſteà dicere *Comedite vinum & lac*, ut ſignificetur gratia Dei ſatiare poſſe animas noſtras, quia ipſa omnium perfectionem continet rerum; ipſa eſt cibus & potus; vocamini ad aquam, & deinde dicitur vobis ut comedatis; & licèt invitemini ad aquas, poteſt tamen vobis dici ut comedatis lac, & bibatis vinum; gratia enim hæc omnia poteſt præſtare, ſicut malum granatum & racemus quæ ſimul potantur & comeduntur. Differt hæc aqua ab aquis mundi, quæ perfectiones ſuas habent limitatas, & ideò non poſſunt ipſæ ſatiare; ſi enim vobis ineſt aliquid, deeſt vobis aliud; ſi divitiis affluitis, bonâ famâ non vigetis; ſi hominum eſtis bonam exiſtimationem adepti, infirmâ utimini valetudine; aurum enim quod habemus, non poteſt nobis eſſe argentum; vinum non poteſt nobis eſſe panis; Deus autem totum nobis eſt.

Quanta eſt hominum cæcitas, qui tanto ardore proſequuntur terrena hujus mundi objecta, quæ cùm ſint caduca ac brevia, non poſſunt ipſos niſi brevibus perfundere voluptatibus, & qui deſerunt Deum, qui ſolus poteſt ipſos ſatiare! Quanta eſt ſtultitia hominum, qui non conſiderant ſitim ſuam eſſe inextinguibilem, ſicut & capacitatem animarum ſuarum eſſe infinitam, nec poſſe repleri niſi infinitâ *u* ſuavitate & bonitate, *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate x?* Quò inaniæ proceſſiſtis ut ematis cibos leves, & deſeratis panem ſolidum, qui vos ſuſtentet? ut laboretis ſine intermiſſione, ſicut agitis, nec tamen habeatis unde ſatietis animam veſtram, nec ſitim extinguatis ipſius? *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Accedite ad me, & invenietis non ſolùm alimenta vobis neceſſaria, ſed etiam voluptates incomparabiles, & unde ſaginetis animas veſtras ſubſtantiâ Divinâ. Eſtne aliquis inter vos qui non ſit expertus ſalſitatem potionum hujus mundi, & amaritudinem aquarum, quas cato vobis affert, ipſarum inquinatarum deſiderium ſic ardens vobis imprimens? Non crederetur vobis contrarium aſſerentibus. Sed inveniatne aliquis in aliqua harum hujus mundi aquarum perfectam & integram ſuavitatem, qui non obvias habuerit amaritudines magis intolerabiles, quàm gratæ fuerint ſuavitates, quas inde hauſerit? Non adhiberetur fides vobis id negantibus. Sed credetur Salomoni, cùm loquens de ſapientiâ, aut de ſcientiâ, quam ipſe hauſit in fonte vitæ, *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis y*, ait, ſe cum iſto liquore hauſiſſe omne genus bonorum & voluptatum, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa z.* Re enim verâ nulla res eſt æquè contenta ac anima quæ eſt in gratia Dei. Verum quidem eſt bonum eſſe bibere in exiguis rivis, quando quis ſitit, ſed melius ſemper eſt bibere in ipſâ origine; ſtatim enim ac aqua ex ipſâ exit origine, poteſt ipſa facilè depravari, ſeu quòd tranſeat per terram impuram, ſeu quòd ipſa fuerat expoſita Soli, qui ipſam calefecerit, ſeu quòd turbida effecta ſit, injectis in ipſam aliquibus ſordibus, ſeu quòd ipſam tetigerit beſtia aliqua venenoſa, ſeu aliquo alio accidenti; ſi verò bibatur ipſa in origine, totam ſuam habet puritatem & ſuavitatem. Omnia bona & voluptates univerſæ hujus mundi emanaverunt à Deo *a* veluti rivi ex origine. Omnes homines ſitiunt, alii honores, alij divitias, alij voluptates *b*, &c. Sed omnes neſciunt bibere ibi ubi oportet. Invenitur quidem aliquod oblectamentum inter creaturas, quæ ſunt rivi; ſed ſi inſpiciatur origo, nulla eſt comparatio; nam rivi ſunt corrupti, calores immodici concupiſcentiæ corruperunt voluptates, beſtiæ venenatæ avaritiæ veneno affecerunt divitias, ſuperbiæ & invidiæ impuritates perverterunt honorem & virtutem, infinitæ tandem ſordes ita depravaverunt has aquas, quæ proceſſerunt ex hoc magno fonte gratiæ Dei, ut ſapientes in iis non ſint ampliùs immoraturi, ſed rectà perrecturi ad originem, quæ eſt gratia Dei; ipſa enim totam continet rivorum bonitatem, nec illorum impuritatibus communicat. Cur ergo ad illam non pergitis? Video vos dicturos mihi, velle vos eam adire; credo. Sed ſimiles vos eſtis illis imaginibus acu elaboratis in tapetibus, in quibus videtur homo pedem ſubici ephippiario applicare, qui tamen nunquam aſcendit ut equo inſideat. Velletis gratiam Dei, pedem habetis ſubici ephippiario ſeu fulcro equeſtri innixum, ſed nunquam aſcenditis. *Sic currite ut comprehendatis c. Si quis ſitit, veniat ad me*, mediâ fide, ſpe, charitate, & bonis operibus, *& bibat*, & impertiat ipſi gratiam meam in hoc ſeculo, & gloriam meam in altero mundo.

u Baruch 3. 25.
x Iſai. 55. 2 & 3.
y Eccl. 1. 5
z Sap. 7. 11
a Jac. 1. 17
b 1 Jo. 2. 16.
c 1. Cor. 9. 24.

FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Loquor vobis: & non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis. Joann. 10. 25. &c.

SIc ingens eſt Dei liberalitas, & ita immodica dilectio illius erga nos, ut excipiens ipſe nos præ ſuavitate Patris, ſuas ubertim nobis offerat gratias in hac vita, vocando nos inſpirationibus ſuis ad operandam ſalutem noſtram, ut ex bono uſu ad quem inſumpturi ſumus motiones ipſius ſactas, introducat nos in fruitionem gloriæ ſuæ æternæ, præ exceſſu miſericordiæ ſuæ, quæ *non habet finem a*. Cùm conſilium ipſius in ſalvandis univerſis hominibus ſit tantum, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire b.* Manifeſta eſt nota reprobationis, nolle audire Dei verbum, ut exprobrabat ejusdem Dei Filius Dominicâ præcedenti Judæis, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis c.* Sicut eſt ſignum prædeſtinationis, illud libenter audire. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit d.* Quemadmodum Virgo ſanctiſſima humiliter auſcultavit idem verbum Dei annunciatum ſibi ab Angelo, qui reverenter *ingreſſus, ad eam dixit, Ave e Maria.*

Mirum non eſt ſi aliqui homines curioſitate ducti

a Baruch 3. 25.
b 1. Tim. 2. 4.
c Jo. 8. 47.
d Ibid.
e Luc. 1. 28.

ducti, ſicut & ambitione & ſuperbiâ intolerabili, ſuarum incurrerunt jacturam animarum, ſeſe in abyſſum hæreſis cæco præcipitantes impetu; quia metiri præſumpſerunt ulnâ abbreviatâ infirmitatis mentium ſuarum abditiſſima quæque Divinitatis arcana; & intima pervadere fidei noſtræ myſteria, rati ſe potuiſſe illa rationibus purè humanis & naturalibus cognoſcere: quod induxit S. Paulum f admonendos omnes fideles ad captivandas mentes ſuas ad credendum fide cæcâ id omne quod determinatum fuit ab Eccleſia directa à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*, ut ait S. Petrus g. *In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti.* Præſertim verò quantùm ad prædeſtinationem æternam, circa quam tria præcipuè invenio verba exarata in Scriptura ſacra. Primum eſt dilectionis, *In charitate perpetua dilexi te* h. Secundum eſt electionis, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem* i. Tertium verò prædeſtinationis, *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum* k. Et hæc tria ſpectant ſpecialiter Bonos & Juſtos: ita ut illos, quos Deus dilexit ab æterno, etiam ipſe elegerit; & prædeſtinarit pariter eos, quos elegit. Et ſicut prædeſtinatio concernit amorem æternum; ita reprobatio reſpicit damnationem æternam, *Iacob dilexi; Eſau autem odio habui* l. *Id eſt, reprobavi. Diligere Dei, eſt velle alicui bonum conferre. Odire verò, eſt gratiam juſtè ſubtrahere. Quoniam ergo Deus prædeſtinavit Iacob, ideò dilexit eum ab æterno, præparans ei gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Ex oppoſito autem dicitur Eſau odiſſe*, ait Dionyſius Carthuſianus m. Et ſic tam prædeſtinatio quàm reprobatio ſunt æternæ, & infallibiles in voluntate Dei. Prædeſtinatio quantùm ad finem ſuum, eſt præparatio gloriæ; reprobatio verò eſt diſpoſitio pœnarum: & ſicut prædeſtinatio denotat præparationem meritorum, quæ ſunt media conſequendæ gloriæ æternæ accommoda; ita reprobatio monſtrat apparatum peccatorũ, quæ pandunt aditum ad pœnas. Prædeſtinatio autem & reprobatio in iſto differunt articulo, quòd præſcientia meritorum non eſt præcisè cauſa prædeſtinationis, *Non ex operibus, ſed ex vocante* n. Quia non ob ſolum meritum bonorum operum noſtrorum; ſed totum hoc pendet à voluntate illius qui trahit nos ad ſe, ut exponit idem Carthuſianus o, *Non ex operibus, id eſt, non propter præcedentia merita, ſive demerita. Sed ex vocante, id eſt, ex gratia Dei vocantis.* Sed præſcientia peccatorum eſt ratio reprobationis quantùm ad pœnam reproborum: ita ut ſtatuat Deus præmiari Bonos propter merita ipſorum & bona opera miſericordiâ ſuâ; & caſtigare improbos propter peccata ipſorum, *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum* p. Unde ſequitur, quòd, cùm Deus cognoſcat per ordinem omnes electos & prædeſtinatos ad gloriam; ita cognoſcat omnes reprobos, & univerſos qui deſtinati ſunt ad infernum, quique propriâ culpâ pereunt, non cooperantes gratiæ Divinæ, quæ vocabat ipſos ad ſalutem. Quod inducit me ad oſtendendum vobis, Quare, cùm omnes homines vocati fuerint ad ſalutem, inter eos tamen ita paucos invenire ſit electos.

f 1.Cor.10 5. — g 2.Petr.1 21. — h Jer.31.3 — i Epheſ. 1. 4. — k Epheſ.1. 5. — l Rom.9. 13. ex Malach.1.2. — m Dion. Carth. art. 13. in Rom.9.13 — n Rom. 9. 12. — o Dion. Carth. art. 13. in Rom.9.12 — p Oſee 13 9. — Propoſitio

Ad intelligentiam iſtius propoſitionis, ſciendum eſt, quòd prædeſtinatio quatuor continet. Primum eſt electio, ſecundum eſt vocatio, tertium eſt juſtificatio, quartum verò glorificatio. Continet illa electionem, quia prædeſtinatus primò eligitur, deinde vocatur. Complectitur vocationem, quia vocatur, poſteà juſtificatur. Comprehendit juſtificationem, quoniam juſtificatur, deinceps glorificatur. Includit tandem glorificationem, quoniam hæc eſt ultimus ſcopus prædeſtinationis, *Quos præſcivit, & prædeſtinavit: quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit* q. Prætereà, Prædeſtinatio quatuor habet terminos, Prædeſtinantem, Prædeſtinatos, medium, & finem. Prædeſtinans eſt Deus, qui in ſua æternitate cognovit intellectu ſuo, & ſtatuit voluntate ſuâ ut aliqui gloriam conſequerentur æternam. Prædeſtinati ſunt quidam numerus Electorum determinatus, qui creſcere non poteſt, nec minui. Medium eſt gratia congrua conſequendæ gloriæ; quæ eſt finis, quem Deus tribuit Electis poſt iſtius vitæ mortalis tranſitum.

Circa hoc dicunt Theologi, quòd ille qui eſt prædeſtinatus, eſt electus, & dilectus à Deo. Veritas hæc fulcitur ſermone S. Pauli r dicentis, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Quem ſic ad propoſitum noſtrum explicat Dionyſius Carthuſianus ſ, *Elegit nos, id eſt, præ aliis multis, ſeu reprobis ad æternam beatitudinem præordinavit, in ipſo, id eſt, in Chriſto, ſeu per Chriſtum. Ita ut Pater & Chriſtus (ſeu Filius) imò & cum eis Spiritus ſanctus ſint unus Elector, ſicut unus Creator. Vnde Chriſtus teſtatur, Ego ſcio quos elegerim* t. *Et rurſus, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos* u. *Elegit ergo nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, hoc eſt, ab æterno, quæ electio ex dilectione proceſſit.* Tota maſſa Adæ corrupta fuit, *Proptereà ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* x: ſic etiam debebamus omnes damnari in Adamo: ſed Deus miſericordiâ ductus, ut Dominus abſolutus, & nemini debitor, elegit aliquos ex iſta maſſa corrupta, alios verò non: atqui manifeſtavit ipſe illis, quos elegit, effectus miſericordiæ ſuæ; iis verò, quos deſeruit, oſtendit effectus juſtitiæ ſuæ rectæ & integræ, *Annon habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam* y. *Id eſt, præordinavit, & condidit ad conquirendam beatitudinem ſempiternam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus z. & ſtatim ait, *In his verbis declarat Apoſtolus (quantum ab homine capi poteſt, vel ſcire expedit) quæ ſit communis ratio prædeſtinationis, & reprobationis Divinæ. Quippe, ut Salomon ait, Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus* a. *Et, Fecit Deus opera ſua, ut timeatur* b. *Ex quibus eluceſcit, quòd Deus propter ſeipſum finaliter omnia fecit, videlicet ut ſua perfectio in creaturis appareat, ſicque ex conſideratione earum Deus glorificetur, ametur, ac timeatur. Ad perfectionem autem Divinæ Naturæ, præcipuè pertinent miſericordia & juſtitia. Opera autem miſericordiæ faciunt Deum amabilem, opera verò juſtitiæ reddunt eum terribilem. Vtraque tamen faciunt eum glorioſum, & honorandum. Vt ergo Divina perfectio reluceret in eis ſub ratione miſericordiæ, prædeſtinavit Deus nonnullos, quibus ſolâ pietate præparavit gratiam viæ, & gloriam patriæ. Volens quoq; relucere in creaturis ſuam juſtitiam, quoſdam reliquit, quos dicitur reprobare, quod, ſecundùm*

q Rom. 8. 29. & 30. — r Epheſ. 1. 4. — ſ Dion. Carth. art. 1. in Eph. 1. 4. — t Jo. 13.18 — u Jo. 15.16 — x Rom. 5. 12. — y Rom. 9. 22. &c. — z Dion. Carth. art. 13. in Rom. 9. 23 — a ex Prov. 16.4 — b ex Eccl. 3.14

Augu-

c ex Prov. 16,4. d ex Job 21,30

Auguſtinum, eſt nolle miſereri. Unde Salomon c ait, *Fecit Deus impium ad diem malum.* Et alibi dicit Scriptura d, *In diem perditionis ſervatur impius, & ad diem furoris ducetur. Veruntamen quoniam bonitas atq; perfectio Dei excellentiùs repræſentatur, ac ſplendet tam in Electis quàm reprobis, ideò Prædeſtinati, ſpecialiter facti dicuntur ad gloriam Dei: juxta illud Iſaiæ* e, *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.*

e Iſai. 43,7

Deus videt in ſeipſo ab omni æternitate omnia. Videt Bonos, videt reprobos. Intuetur oculo, aut ſcientiâ approbationis Bonos, ut eos qui ſalvabuntur; & intuetur oculo, aut ſcientiâ reprobationis malos, ut illos qui damnabuntur. Vidit Petrum, vidit & Judam, antequàm Petrus & Judas exiſterent: prævidit quòd S. Petrus, qui erat prædeſtinatus f, ſalutem ſuam conſequeretur; & quòd Judas, qui erat reprobatus, pœnas æternas incurreret g. Hæc prædeſtinatio nihil habet temporale, ſed eſt pura miſericordia Dei, ut aiunt Theologi, *Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi.* Id eſt conſilium, quo Deus ſtatuit ab æterno uti miſericordiâ erga eos qui peccaverunt in Adamo, *Nullum enim æternum impeditur ab aliquo temporali*, ait S. Thomas h. Sicut etiam nullum temporale poteſt eſſe cauſa æterni: ſic bona opera prævīſa, non ſunt cauſa prædeſtinationis; ſed ſunt veluti rationes, propter quas voluntas Dei non eſt irrationabilis in ſalvandis nobis: ita ut voluntas rationabilis Dei utatur tantâ miſericordiâ ut velit ut operemur, id eſt, ut vacemus operibus quæ poſſint nos à peccato retrahere, & hoc eſt quod ait S. Petrus i, *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Hoc poſito,

f Matt. 16,17. g Matt. 27,3, &c. h S. Th. 1. p. q. 23. a. 8. i 2. Petr. 1,10.

Patres Eccleſiæ laboraverunt immodicè ad ſciendum numerum Prædeſtinatorum, ut declararent hæc verba Jeſu Chriſti dicentis, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi* k. Quare, cùm omnes vocaverit Deus homines, exigui tamen inter illos reperiantur prædeſtinati, *Multi autem ſunt vocati ad nuptias militantis Eccleſiæ; pauci verò, reſpectivè loquendo, videlicet comparatione Prædeſtinatorum, ſunt electi ad nuptias Eccleſiæ triumphantis, de quibus in Apocalypſi* l *legitur, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*, ait Dionyſius Carthuſianus m. Ideò aliqui dixerunt, tot futuros Prædeſtinatos, quot ceciderunt Angeli è cœlo Empyreo, quia ſedes, quæ vacuæ permanſerunt, ajunt illi, repleri debent ab Electis; ita ut, juxta hanc opinionem, numerus Electorum æquari debeat tertiæ parti Angelorum, quia tertia pars iſtorum ad flammas præcipitata eſt æternas, *Et ecce draco magnus, & cauda ejus trahebat tertiã partem ſtellarum cœli.* Id eſt, Angelos rebelles, criminis ſui conſcios, ut innuunt verba ſequentia, *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbē: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* n. Ego verò malo dicere, quòd numerus Prædeſtinatorum mortalibus eſt incognitus, quia illius notitia ſoli Deo reſervatur, *Cognovit Dominus qui ſunt ejus* o. *Hoc eſt, Deus Prædeſtinatos ſuos æternaliter cognoſcit, ſcriptos in libro vitæ* p, *eosq; conſervat & approbat*, ait Dion. Carth. q. Cui ſeſe conformans Eccleſia, concinit, *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus Electorum in ſuperna felicitate locandus.* Ratio iſtius eſt. Quia ſicut ſcire non poſſumus eos qui ſunt prædeſtinati; ita nec ſcire valemus quiſnã ſit illorum numerus. Ideò jure merito ait Chriſtus, *Multi ſunt vocati*, &c.

k Matt. 22,14. l Apoc. 19,9. m Dion. Carth. art. 26, in Matth. 22,14. n Apoc. 12,3, &c. o 2. Tim. 2,19. p ex Apoc. 21,27. q Dion. Carth. art. 2, in 2. Tim. 2,19

Sed explicemus iſtud clariùs, Auditores, ſi placet, & dicamus, quòd Deus omnes homines vocat, *Multi ſunt vocati.* Ipſe venit non ſolùm pro aliquibus, ſed etiã pro omnibus univerſaliter redimendis, ut ipſemet exponit in parabola Evãgelica r, *dicens, Simile factũ eſt Regnum cœlorũ homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterùm miſit alios ſervos, dicens, Dicite invitatis, Ecce prandiũ meum paravi, tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autẽ neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam: alius verò ad negotiationẽ ſuam. Rex autẽ cùm audiſſet, ait ſervis ſuis, Ite ergò ad exitus viarum: & quoſcunq; inveneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, Bonos & malos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.* Iſte Rex eſt Pater æternus, Sponſus eſt Filius ejus; Sponſa quæ quæritur ei, eſt ſacra Humanitas; Spiritus S. hoc peregit Matrimonium, quippe qui ſic ſtrictè ſociavit Verbum Divinum naturæ humanæ in unitate perſonæ ut ex duabus naturis unica reſultet perſona ſ: ſervi qui vocaverunt ad nuptias, ſunt Prophetæ, Apoſtoli, & Cõcionatores, *In omnẽ terram exivit ſonus eorum* t. Et invitari ad nuptias, eſt vocari ad Regnũ cœlorũ.

r Matt. 22,2, &c. ſ Matth. 1,20. t Pſ. 18,5.

Vocat igitur Deus omnes homines, aut per ſe, aut organo Miniſtrorum ſuorum, Concionatorum, &c. ſuas mittit ad nos ſanctas inſpirationes, & dat nobis media neceſſaria ad operandã ſalutem noſtram, *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te, miſerans* u. *Quia amor ſum*, ait Hugo Cardin. x, *vinculum eſt, quo nos attrahit. Trahit enim nos ſurſum charitas: quia machina mentis, vis eſt amoris. Trahe me poſt te* y. *In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis* z. *Vincula Adæ ſunt tribulatio, paupertas, vilitas; in quibus poſiti, trahemur ad Dominum. Vincula charitatis ſunt beneficia, quæ nobis largitur, tam naturæ, quàm gratiæ, quàm gloriæ. Et hic triplex funiculus quàm difficilè ſolvitur* a: *maximè per beneficium ſuæ Incarnationis, & Paſſionis nos traxit. Unde, Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* b. *Hi ſunt panni, per quos ſubmiſſos in funiculis Jeremias tractus eſt de lacu* c. Deus igitur omnes homines amat æternâ dilectione, & ſolâ ſuâ miſericordiâ illos attrahit, & vocat, ecce vocatio, *Multi ſunt vocati.* Id eſt, *omnes.* Ut patet ex parabola prædicta, in qua Rex ille parabolicus repræſentans Patrem æternum, *miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias.* Id eſt, quòd Pater æternus miſit Filium ſuum interventu miniſtrorum ſuorum, æquè ac per ipſum, vocatum Judæos, & Gentiles, & omne genus nationum ad notitiã ſuam, ut fusè exponit Dionyſius Carthuſ. d. dicens, *Et miſit Deus Pater ſervos ſuos priores Prophetas ac Patres, videlicet, Moyſen, Aaron, Samuelẽ, vocare invitatos, id eſt, populum Iſraël, quem Deus per Legẽ & varia beneficia invitavit ad credendum in Chriſtum, ad præſtolandum & appetendũ ejus adventum. Unde loquitur Petrus, Omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps nuntiaverunt dies iſtos* e, *videlicet tempus Incarnationis, Paſſionis, & Gratiæ Chriſti. Ad nuptias, id eſt, ad credendum futuram Chriſti Incarnationẽ, & ad incorporationẽ Eccleſiæ. Unde Jacob teſtatus eſt, Salutare tuum expectabo Domine* f. *Et nolebant venire, id eſt, credere, & laudabiliter vivere, ſecundùm documenta ſervorum iſtorum. Judæi etenim penè ſemper pro maxima parte fuerunt rebelles: propter quod Stephanus ait, Durâ cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri* g. *Iterùm, id eſt, poſteà miſit Deus Pa-*

u Jer. 31,3. x Hugo Card. in Jer. 31,3. y Cant. 1. z ex Oſee 11,4. a ex Eccl. 4,12. b ex Joan. 12,32. c ex Jer. 38,11. d Dion. Carth. art. 36, in Matth. 22,3, &c. e ex Act. 3,24. f Gen. 49,18. g ex Act. 7,51.

tor alios ſervos, id eſt, poſteriores Prophetas, ſive Apoſtolos, alioſq; Christi diſcipulos, dicens, Dicite invitatis, putà Judæis, quibus primò prædicatio Regni exhibita eſt, Ecce prandium meum paravi, id eſt, Incarnationis myſterium perfeci, Sacramentum Euchariſtiæ per Chriſtum inſtitui, diverſa S. Scripturæ alimenta propoſui, Sapientia quoq; ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, h ex Prov. 9. 5. & 2. *& poſuit menſam* h. *Tauri mei, & altilia occiſa. Per tauros atq; altilia deſignantur ſpiritualia fercula, utpote ſolidus cibus perfectorum, lactis potus parvulorum, ſermo ſapientiæ, quem loquitur Paulus* i *inter perfectos; & ſermo ſcientiæ, quo non judicavit ſe aliquid ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* k; i ex 1. Cor. 2. 5. k ex 1. Cor. 2, 2 *vel doctrina præceptorum & conſiliorum. Et omnia parata, id eſt, cœleſtium gratiarum chariſmata, Spiritus S. dona, & quidquid ad ſalutem exigetur, jam per paſſionem & meritum Chriſti vobis diſpoſita ſunt, imò & offeruntur, quatenus de plenitudine ejus omnes* † † ex Joan. 1. 16 *accipiatis. Venite ad nuptias Chriſti præfatas, adhærendo ei ut Capiti* l, l ex Epheſ. 1, 22 *& per charitatem efficiamini unus cum eo Spiritus* m. m ex 1. Cor. 6 17. *Illi autē neglexerunt venire, alijs occupati, & beneficia Dei parvipendentes, cui contradicit Apoſtolus* n, n ex 1. Timot. 4. 14. *Noli negligere gratiam Dei. Pauciſſimi enim Judæorum conſenſerunt Apoſtolis, Propter quod ait Dominus, Quis cæcus, niſi ad quos, ſervos meos miſi? Quis ſurdus, niſi ſervus Domini* o? o ex Iſa. 42. 19. *Tunc Rex ait ſervis ſuis, Chriſti Apoſtolis, atq; diſcipulis cæteris. Nuptiæ quidem paratæ ſunt, id eſt, Chriſti Incarnatio facta eſt, conjunctio Chriſti cum Eccleſia inchoata eſt, affluentia gratiæ jam parata eſt, & cætera Chriſti myſteria ſunt completa. Sed qui invitati erant, id eſt, Judæi primò vocati, non fuerunt digni ad nuptias gratiâ operante perduci, propter ſuam rebellionem & incredulitatem, quemadmodum in Actis Apoſtolorum* p p ex Act. 13. 46. *loquitur Paulus, Repuliſtis verbum Dei, & indignos vos judicaſtis vitæ æternæ. Ite ergo ad exitus viarum. Ad literam, miſit Deus Apoſtolos ad exitus viarum, id eſt, ad terminos ultra vias, & loca Judææ, dicens, Ite in mundum univerſum* q. q ex Marc. 16. 15. *Et quoſcumq; inveneritis, vocate ad nuptias, id eſt, omnibus gentibus prædicate, & Chriſto eas incorporate: ut impleatur illud Pſalmographi* r, r Pſ. 71. 17 *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Et egreſſi ſervi ejus in vias, id eſt, ad Gentium diſperſiones ac ſemitas, congregaverunt, id eſt, ſpiritualiter collegerunt, in fide & Eccleſiaſtica unitate, vel ad Chriſtum converterunt omnes quos invenerunt, Bonos & malos, non ſimpliciter omnes, quia non omnes obediunt Evangelio* ſ, ſ ex Rom. 10. 16. *nec omnium eſt fides, ſed quoſdam de omni genere hominum, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum.* Et hoc ſenſu intelligenda ſunt ſuprà allata Apoſtoli t t 1. Tim. 2 4. verba, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Id eſt, aliquos è qualibet natione, ex omni ſexu, ut Judæos, Ethnicos, Turcas, &c. quia *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* u. u Pſ. 18. 5. Quod Theologi exponunt aliter de illius voluntate antecedente, & non de voluntate conſequente; vel aliter, de ejus voluntate ſufficiente, ſed non de efficaci voluntate: aut alio modo, de voluntate conditionata, & non de voluntate abſoluta.

x Calepin. in Diction. v. Apodes. Ad hoc propoſitum notat Calepinus x cum Naturalibus, quòd ſunt *Apodes aves quædam, ex genere hirundinum, ita dictæ quòd careant uſu pedum; volant plurimùm, nidificant in ſcopulis, atq; in editioribus domibus. Quies eis niſi in nido nulla: aut pendent, aut jacent.* Si autem aliquando terræ adhærent, ibi manent, nedum volatum denuò poſſint reſumere è ſemetipſis; quia carentes uſu pedum, non poſſunt ſe in aërem extollere, & in terra jacent, donec ab aliquo vento propitio ſurſum ſubleventur in aërem; & tunc ipſæ cooperantes huic impreſſioni ſibi datæ à vento priſtinum ſuum recipiunt volatum: eodem modo ſe res habet de nobis in mundo iſto, hic jacemus proſtrati in terram à peccato veluti apodes, è nobiſmetipſis ex hoc miſero ſtatu non poſſumus reſurgere, niſi Deus bonitate & miſericordiâ ſuâ educturus nos è peccato, mittat ad nos ventum propitium ſanctarum inſpirationum ſuarum, qui ſuavi violentiâ veniens in corda noſtra, ea movet, impellit, excitat; & elevat cogitationes noſtras, & affectus noſtros in aërem Divini amoris. Atqui hæ primæ motiones & impreſſiones, quas Deus nobis præbet, fiunt in nobis, ſed ſine nobis: illæ enim improvisò veniunt, nedum de illis cogitaverimus, aut cogitare potuerimus, ut oſtendat nobis deſiderium, quod ipſe habet convertendi nos, & vocandi nos, *Non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei* y. y Rom. 9. 16. *Id eſt, non in poteſtate hominis volentis, eſt velle aliquid meritoriè, nec eſt in poteſtate hominis currentis, ſeu operantis, meritoriè operari, ſed utrumque dependet & oritur ex miſericordia & gratia Dei* z. z ex Jo. 15 5. *Cùm enim finis creationis noſtræ ſit ſupernaturalis, ſcilicet viſio Dei per ſpeciem, non poſſumus velle, cogitare, vel facere aliquid meritorium hujus finis ex puris naturalibus, ſed inceſſabili gratiâ indigemus. Non ergo aliquid de viribus noſtris præſumamus, ſed ſemper cum profundiſſima humilitate ad Divinæ Pietatis gratiam properemus, dicentes ſinguli Deo, Trahe me poſt te* d. d Cant. 1. 4. *Nam & Chriſtus ait, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum* e, e ex Jo. 6. 44. exponit Carthuſianus f. f Dion. Carth. art. 13. in rom. 9. 16 Deus vocat nos ab ipſis natalitiis noſtris; vocavit ab initio mundi omne genus nationum. In Lege naturæ, *Miſit ſervos ſuos* Patriarchas g. g Gen. 6. 13, &c. In Lege ſcripta, *Iterùm miſit alios ſervos* omnes Prophetas *h*. h Exod. 3. 10, &c. In Lege Evangelica, Ipſemet in *propria venit* i. i Jo. 1. 11 Et poſt ſe, ſuos *miſit* Apoſtolos, & Concionatores. *Et dixit eis, Euntes in mundum univerſū, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò nō crediderit, condemnabitur* k. k Marc. 16 15. & 16 Tandem, Ipſe nos omnes vocat, *Loquor vobis, & non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocē meā audiunt; & ego cognoſco eas, & ſequūtur me, & ego vitā æternā do eis.*

Conſiderate, ſi placet, Petrum in peccato trinæ negationis ſuæ torpentem ipsâ nocte Paſſionis Domini ſui; non ampliùs ipſum pœnitebat peccati ſui, ac ſi nunquam ipſe cognoviſſet Dominum ſuum, quem coram ancillâ *negavit, dicens, Mulier, non novi illum* l. l Luc. 22, 57. &c. Proſtratus erat hic Apoſtolus inſtar apodum, nec unquam à peccato ſuo ſurrexiſſet, niſi *gallus* m m Matth. 26, 75. ut inſtrumentum Divinæ Providentiæ aures ipſius, cantu ſuo percuſſiſſet. *Et converſus Dominus, reſpexit Petrum.* Charitas Divina ſalutarem ſuper eum projecit intuitū, qui inſtar ſagittæ dilectionis hoc tranſfodit cor lapideum, quod conſequenter tantas emiſit aquas, ut dicat Evangeliſta n, n Luc. 22, 61, & 62. *Et egreſſus foras Petrus flevit amarè* inſtar illius ſilicis percuſſi à Moyſe in deſerto, è quo *egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ* o. o Num. 20 11. Apoſtolus in hoc ſtatu nobis repræſentat homines mundanos torpentes in voluptatibus ſuis: vocantur à Deo *ad nuptias, & venire* p p Matt. 22 3. nolunt; & ita parùm de illo cogitant, ac ſi nullam unquam illius notitiam habuiſſent: vocantur omnes, ſed heu vocationem Dei nihili faciunt, *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium*

ſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis p. Deus vocat nos diebus ſingulis beneficio gratiarum ſuarum, excitat nos quandiu canere facit gallum inſpirationum ſuarum; ſed iſtos omnes motus ſacros reſpuimus, & inſtar upodum proſtrati in peccatis noſtris, permanemus in ſceleribus noſtris, *Et in peccato* q *noſtro morimur* infallibiliter, eò quòd non fuerimus cooperati motibus ſacris, quos Deus quotidie nobis offert, imò verò momentis ſingulis, dicens, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* r.

Ulteriùs progredior, & dico, quòd Deus, qui omnes vocat homines, tria præbet illis donorum genera. Alia ſunt naturalia quæ ipſe tribuit omnibus, qualia ſunt vita, corpus, anima, & alimenta. Alia ſunt gratuita, quæ ipſe ſpecialiter indulget aliquibus, ut ſunt divitiæ, dignitates, & ſcientiæ. Et alia ſunt æterna, cujus generis ſunt gratia efficax, & gloria æterna, quæ dona ipſe impertitur Bonis & Juſtis, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus* ſ. Et iſti vocantur Electi, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi* t. Hic Electorum numerus erit exiguus, comparatus numero damnatorum; & pro comperto eſt, quòd ſi temeratius aliquis Divinorum iſtorum perſcrutari vellet rationem judiciorum, in iis tantum ſplendorem deprehenderet, ut illo oppreſſus, remaneret cæcus, & abſque cognitione, *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria* u. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit? O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?* ait S. Paulus x. Sic homo non debet petere à Deo, quare major futurus ſit numerus damnatorum, quam Electorum, quia voluntas Dei eſt libera, abſoluta, & independens. Et hoc eſt quod ipſemet Jeſus ait, *Duo erunt in agro; unus aſſumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in mola; una aſſumetur, & una relinquetur* y. Hæc Divina diſpoſitio eſt *tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cujus cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus* z. Quia nulla datur ratio, propter quam à Deo *unus aſſumetur ad gloriam, & alter relinquetur ad pœnam* a.

Velletiſne exemplum clarius & manifeſtius exemplo populi Judaici, quem Deus diligebat, & à quo ſpecialiter ipſe agnoſcebatur in veteri Fœdere? *Notus in Judæa Deus* b. Sic eſt, Auditores; ſic diligebat Deus Hebræos, ut propter illos Regna deſtrueret, lanceas contereret, & ignominioſè hoſtiles cuneos fugaret, *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum* c. Et quem populum ſic eximiis honorabat S. Paulus d titulis, & ita ſpecioſis prærogativis, *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* Et qui vocabatur per excellentiam à S. Petro e, *Regale Sacerdotium, gens ſancta.* Et in quo tandem ſe idem Deus incarnavit, *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem* f. Et tamen hic populus fuit tandem reprobatus, & Gentiles fuerunt electi, ut ipſiſmet Judæis prædixit Chriſtus, *Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* g. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus h ad propoſitum, *Ideò dico vobis, quòd auferetur à vobis, exigente & operante Divinâ Juſtitiâ, Regnum Dei, id eſt, Regnum Eccleſiæ militantis, Regnum quoque cæleſte: & dabitur genti per Apoſtolorum prædicationem credenti. Facienti fructus ejus, id eſt, opera virtuoſa, per quæ ad Regnum Dei pertingitur.* Et *quæ in Scriptura* i *præcipiuntur, Fructus autem Spiritus eſt; charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, &c.* Proptereà debemus exclamare, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus* k! Et hoc eſt quod nobis repræſentatur in parabolâ prædictâ, in quâ *Rex ait ſervis ſuis, Nuptiæ quidem paratæ ſunt: ſed qui invitati erant, non fuerunt digni: ite ergo ad exitus viarum: & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.* Iſti autem fuerunt Gentiles vocati ad fidem propter indignitatem Judæorum, ſicut iiſdem Judæis *conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ: ecce convertimur ad Gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium; ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ* l. Imò & ipſe Chriſtus ait, *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meã audient, & fiet unum ovile, & unus Paſtor* m.

Quod autem ſtupore percellit nos, & noſtras ſerias exigit conſiderationes, eſt, quòd Deus non deſinit proptereà in lucem educere hos miſeros homines, etiamſi prævideat ab æterno, eos æternam jacturam ſuam incurſuros; quod eſt ſecretum Divinæ Providentiæ, cùm melius ſit eſſe cum aliquo defectu, quam non eſſe abſolutè. Ut autem iſtud intelligatur, conſideranda ſunt duo in damnato, natura, & culpa. Natura quæ eſt à Deo, eſt bona; ſed culpa quæ oritur à malitiâ hominis, eſt mala: atqui Deus non vult deſiſtere creare hanc naturam, quæ eſt bona ex ſe, etiamſi prævideat quòd culpâ futurâ illius erit mala. In quo ſuam manifeſtat Deus libertatem, & juſtitiam ſuam. Oſtendit libertatem ſuam n, creando hanc naturã; & intuendam exhibet juſtitiã ſuam, puniendo hanc culpam o. Prætereà, Illos creat, ut Beati recipiant gaudium accidentale, videndo juſtitiã quæ exercebitur adversùs inimicos Dei, *Lætabitur Juſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatorũ* p. Inſuper, Beati agnoſcent miſericordiam Dei, eò quòd ipſos eripuerit è flammis æternis, quibus addixit reprobos, ut dixit ſuprà S. Paulus q *Quòd ſi Deus volens oſtendere irã, & notam facere potentiam ſuã, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitũ, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quod clarè intuendam nobis exhibet veritatem hujus propoſitionis, quòd plurimi vocabuntur, ſed quòd pauciſſimi eligentur. At propriâ culpâ ſuâ homines damnabuntur, quia *Deus & Pater omnium* r univerſalis, omnibus tribuit gratiam, & media operandæ propriæ ſaluti accommoda: ſed aliqui hujuſmodi gratiæ deſpectum ſpecioſâ prætexunt excuſatione, alij verò, quòd idem eſt, ſuum præbere nolunt conſenſum voci Divinæ, quæ ipſos vocat ad ſalutem, *Loquor vobis, & non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Vultiſne hanc veritatem experientiâ comprobare? Ingredimini in voſmetipſos, ſi placet, & attendite ſedulò, quoties Deus ſuis corda veſtra tetigit inſpirationibus ad inducendos vos, ſive ad peragendam bonam Confeſſionem, aut ad accedendum ad ſacram Communionem, vel ad aliquod bonum opus exercendum: conſiderate quonam dolore anxiemini,

p Prov. 1. 24. & 25.
q Jo. 8. 21.
r Apoc. 3. 20.
ſ Pſ. 83. 12.
t Matt. 22. 14.
u Prov. 25. 27.
x Rom. 9. 19. & 20. ex Iſai. 45. 9.
y Matt. 24. 40. & 41.
z Sap. 5. 10.
a Dion. Carth. art. 39. in Matt. 24. 40.
b Pſ. 75. 2.
c Pſ. 75. 4.
d Rom. 9. 4.
e 1. Petr. 2. 9.
f Rom. 1. 3.
g Matt. 21. 43.
h Dion. Carth. art. 35. in Matth. 21. 43.
i Gal. 5. 22. & 23.
k Rom. 11. 33.
l Act. 13. 46. & 47. ex Iſai. 49. 6.
m Joan. 10. 16.
n Pſ. 134. 6.
o Matt. 25. 41. & 46.
p Pſ. 57. 11.
q Rom. 9. 22. & 23.
r Epheſ. 4. 6.

ni, eò quòd Deum offenderitis; quomodo remorſus conſcientiæ vos cruciet, nec ullam vobis quietem indulgeat: omnes iſtæ motiones ſacræ, tot ſunt vocationes & gratiæ, quibus prævenit
ſ Pſ. 20. 4. vos Deus *in benedictionibus dulcedinis* ſ. Sed heu miſeri homines! eas deſpicitis, & illarum contemptū ementito aliquo colore operitis, ne illis geratis morem. Fœnerator hanc allegabit excuſationem, Tractandum eſt mihi aliquod negotium die feſto, non poſſum intereſſe Miſſæ; recipienda ſunt fœnora mea, tradenda eſt pecunia; ineundus eſt contractus. Impudicus dicet,
r Luc. 14. 20. *Non poſſum* r adire Confeſſionem, quia deſerenda eſſent infamia mea commercia, & dimittenda hæc mea concubina. Et mulier vanitati dedita aſſeret, ſibi otium non ſuppetere ad audiendum ſimul Sacrum, & ad ſe induendam, & ornandam, ut placeat amaſio ſuo, cum quo ſecretas & familiares fovet amicitias in contemptum viri ſui, contra quem ipſa clamat, ut ipſam ſinat vivere ad nutum ſuum.

Ecce, Auditores, omnes homines iſti vocantur, Deus alloquitur illos inſpirationibus ſuis, *Loquor vobis*. Sed infelices iſti præbere nolunt cōſenſum voci ipſius interiori, *Et non creditis*. Malunt torpere in ſordibus ſuis, perſeverare in diſ-
u Joan. 8. 21. ſolutionibus ſuis, & vivere & mori *in peccato* u ſuo, quàm ad Deum converti. *Ideò ſubditur, Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis, id eſt de numero Electorum, videlicet pij, innocentes, & ſimplices: non enim omnium eſt fides, ſed Electorum duntaxat, quàmvis non omnes credentes ſint Electi. Omnes tamen viatores electi ſunt credentes, quoniam ſine fide*
x ex Hebr. 11. 6 *impoßibile eſt Deo placere* x, *& teſte Iſaia* y, *Qui*
y Iſai. 21, 2 *incredulus eſt, infideliter agit. Propterea in Actis ſcri-*
z ex Act. 13, 48. *pſit Lucas* z. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitā æternam*, ait Dionyſius Carthuſianus
a Dion. Carth. art. 27. in Jo. 10. 25. a. Vultisne autem videre, quomodo culpâ noſtrâ nos ipſi jacturam noſtram moliamur? Auſcultate eundem Carthuſianum paulò pòſt dicentem, *Quòd prædeſtinatio non eſt ex meritis noſtris, ſed reprobatio eſt ex noſtris demeritis: ideò reprobatio non eſt cauſa per ſe & immediata non credendi, ſed propria culpa. Eſt tamen ſignum & cauſa per accidens non credendi, quemadmodū gubernatoris abſentia, eſt cauſa ſubmerſionis*. Propterea ait Deus, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis*
b Prov. 1. 24, &c. *advenerit* b. Et, *Quoties volui congregare filios tuos,*
c Matt. 23 37. ex 4. Eſdr. 1, 30 *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti* c?

Vultisne autem hanc veritatem experientiâ
cōprobare? Voce ſuâ vocat Deus Saulum, *Saule,*
Saule quid me perſequeris d? Eâdem voce ſuâ vo- d Act. 9. 4, &c.
cat Judæos, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat* e. e Jo. 7. 37.
Sed videte malitiam, Saulus conſenſum præbet voci Dei, *Domine quid me vis facere*? Et ſalutem ſuam operatur. Judæi verò renuunt morem gerere voci Dei vocantis ipſos ad converſionem, & ideò damnationem æternam incurrunt. Deus ait Saulo, *Quid me perſequeris?* Et miniſtris miſſis
à Principibus Sacerdotum, *Quem quæritis* ſ? Sau- ſ Jo. 18. 4.
lum proſternit in terram, *Et cadens in terram*. Retrorſum etiam convertit prædictos miniſtros, *Vt*
dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum g. Sed ut per- g Jo. 18. 6.
tinaces non ſuſceperunt gratiam, ſicut illam econtrà recepit Saulus. Dei Filius cæcitate percuſſit Saulum, *cùm iter faceret ut appropinquaret Damaſco: apertiſque oculis nihil videbat*. Cæcitate etiam percuſſit Salaminæ Elymam Magum quærentem *avertere Proconſulē à fide. Et confeſtim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat*
qui ei manum daret h. Sed iſte Magus non ſuſce- h Act. 13. 8, &c.
pit gratiam Dei, ſicut illam econtrà admiſit Saulus. Ideò damnationem ſuam incucurrit. Videtis igitur quomodo numerus Electorum futurus ſit exiguus, & quòd defectus provenit ſemper ex prava noſtra voluntate, & ex abuſu gra-
tiæ Dei, *Perditio tua Iſraël: tantummodò in me au-* i Oſee 13. 9.
xilium tuum i.

Niſi pœnitentiæ incumbatis, Auditores, niſi cooperemini gratiæ, quam offert vobis Deus, niſi reconciliemini ei, eritis è numero reproborum: & niſi præ vobis feratis *veſtem nuptialem* bonorum operum, vobis continget id, quod ſupradictus parabolicus *tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium*, loquens de eo, qui præſumpſerit intrare ad nuptias, deſtitutus veſte nuptiali, per quam innuuntur opera charitatis. Macti igitur animo, Auditores, veſtram haurite utilitatem è minis iſtis, quandiu tempus vobis manet peragendæ pœnitentiæ; firmiter ſtatuite in bonam deinceps emendatæ vitæ vos recipere frugem, abrenunciare omnibus impedimentis mundanis, diſſolvere vos ab affectu erga univerſa objecta terrena, ut evehere poſſitis mentes veſtras ad poſſidenda aliquando bona æterna, ut ſitis de numero Electorum: & ideò ſinguli dicite mecum, Deus meus, uſque nunc tuas inſpirationes contempſi; ſed modò polliceor tibi me vacaturum pœnitentiæ peccatorum meorum, & cooperaturum me gratiis tuis, quantùm erit in me, ut tandem tuâ perfrui poſſim gloriâ ſempiternâ.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Dilexit multùm, Luc. 7. 47. &c.

a Eccl. 1. 2 APprimè locutus eſt, cùm *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes* a: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Cùm certiſſimum ſit, univerſa eſſe vanitatem, præter diligere *Deum ex toto corde, &*
b Matt. 22 37. *in tota anima, & in tota mente* b. Et diligi ab illo
c Jer. 31, 3 *in charitate perpetua* c, Et in tempore, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*
d Epheſ. 5. 2. *oblationem & hoſtiam Deo in odorē ſuavitatis* d. Quicumque autem eò non pervenit, profectò infelix eſt in hac vita, & in altera: quiſquis verò illuc
accedit, & ibi immoratur, ſanè beatus eſt in hoc ſeculo, & felix erit in futuro, *Hæc eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem*
miſiſti Ieſum Chriſtum e. *Tamen inquantùm con-* e Joan. 17. 3.
templatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atq; fruitione perfecta eſt, ſubdit
Dionyſius Carthuſianus f. Habeat quis virtu- f Dion. Carth. art. 41. in Jo. 17, 3
tes morales & ſupernaturales in ſupremo gradu, in quo omnes homines, imò verò univerſi Angeli
illas

illas poſſidere poſſunt; ſi præ ſe non ferat amorem Dei; omnes iſtæ virtutes erunt vacuæ & i-
g 1. Cor. 13. 2 nanes. Hanc ingenuè fatetur S. Paulus g veritatem, *Si charitatem non habuere, nihil ſum.* Diligendum eſt igitur, aut moriendum: ardendum eſt uno è duobus iſtis ignibus, aut igne amoris Dei in hoc mundo, aut igne inferni in altero ſeculo; *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter pe-*
h Luc. 13. 3 *ribitis* h. Has omnes propono veritates intuitu ſacræ Amaotis Jeſu Chriſti Magdalenæ, quam Eccleſia in memoriam noſtram revocat; & quæ, ut teſtatur Evangelium noſtrum, *dilexit multùm.* Ut diſſeram vobis de dilectione Amantis Divini erga hanc Amantem ſacram. Sed ut dignè loquamur de hoc amore divinitùs humano, & humanitùs divino; recurrendum eſt ad cœleſtem Amorem, qui cùm ſit Amor in ſinu Sanctiſſimæ
i Joan. 15. 26 Trinitatis, qui unit Patrem Filio i; ligans præ
h Galat. 4. 4 amore *ubi venit plenitudo temporis* h. Divinitatem cum humanitate, conjunxit Jeſum cum Ma-
i Eccli. 24. 24 riâ, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* i, eo mo-
k Luc. 1. 28. & 38 mento quo *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* k *Maria.*

Maximum infortuniorum omnium, quæ jure ſucceſſionis hæreditavimus à Protoplaſtis noſtris, poſtquàm uterque Deo morem gerere re-
l Gen. 3. 6 nuens, *de fructu comedit* l prohibito; eſt ignorantia. Maxima pars eorum quæ ſcimus, eſt minima illorum quæ ſcire deberemus, & quæ nihilomi-
m Rom. 11. 20 nùs ignoramus. Adam volens *altum ſapere* m, cùm *non plùs ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere*
n Rom. 12. 3 *ad ſobrietatem* n debuiſſet; aurem præbens ſerpenti, qui *dixit ad mulierem, Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum* o: & ideò ſcire plus volens
o Gen. 3. 5 quàm par eſſet, effecit ut nihil modò nos ſcimus: verùm enim verò tota ſcientia noſtra ſiſtit ad extrà, nedum unquam ingrediatur intrà: ni-
p Gen. 3. 7 hil habemus præter *folia* p cum Protoplaſtis noſtris, ut operiamus nuditatem noſtram, & ignorantiam noſtram, ſed nunquam penetramus intra medullam arboris: ſcimus taliter qualiter proprietates rerum, ſed illarum neſcimus eſſentiam & naturam. Sed ſi poſſumus fateri nos ignaros alicujus rei, nec poſſe ritè nos cognoſcere naturam illius, ſanè hujuſmodi confeſſio ignorantiæ noſtræ debet attendi circa naturam amoris, cùm effectus illius ſint ſupra id omne quod de ipſo poſſumus concipere, tantum abeſt ut ipſum valeamus exprimere. Ideò appoſitè loquebatur ille, qui dicebat de amore, Amor eſt neſcio quid: qui venit neſcio unde: & fit neſcio quomodo. Si autem hoc dicitur de amore humano, quid non debet dici, ſed potiùs, quid non poteſt dici de Amore divino, qui Deus eſt? juxta
q Joan. 21. 20 ta *diſcipulum, quem diligebat Ieſus* q. *Deus Chari-*
r 1. Joan. 4. 16 *tas eſt* r. Ut exponit Dionyſius Carthuſianus, *Non pro eodem accipitur Charitas modò & paulò an-*
ſ 1. Joan. 4. 7 *tè, quando dictum eſt, Charitas ex Deo eſt* ſ. *ibi enim accipitur pro charitate creatâ, infusâ: hic verò pro Charitate increatâ, qua Deus eſt: qui dicitur Charitas,*
t Ex Sap. 7. 24 *ſicut & Sapientia* t. *Nec credendum, quod charitas, quâ immediatè Deum & proximum diligimus, ſit Charitas increata, ſeu Spiritus ſanctus* †. Ideò non in-
† Dion. Carth art. 6. in 1. Joan. 4. 16 tendo vobis dicere naturam illius in ſequelâ diſcurſus hujus, ſed ſolùm exhibere vobis ejus miracula erga Magdalenam, quam Jeſus dilexit amore obligante, amore affligente, & amore
Diviſio. præmiante. Obligationes amoris, afflictiones propter amorem, & mercedes amoris, materiem exercendis attentionibus veſtris in triplici parte diſcurſus iſtius ſubminiſtrabunt.

I. Pars. Dei Filius amans ſalutis animarum noſtra-
u Hebr. 5. 7 rum *in diebus carnis ſuæ* u, quibus *in terris viſus eſt,*
x Baruch 3. 38 *& cum hominibus converſatus eſt* x ut *Meſſias* y Ju-
y Joan. 4. 25 dææ, & Salvator mundi, multa operatus eſt miracula, *Cùm autem deſcendiſſet de monte, ſecuta ſunt eum turba multæ: & ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens, Volo. Mun-*
z Matth. 8. 1. &c *dare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus* z. Multas contulit gratias, *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade*
a Matth. 9. 2. &c *in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuã* a. Et multas elegit animas, quas attraheret ad ſe, *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et*
b Matth. 9. 9 *ſurgens ſecutus eſt eum* b. Sed electio exquiſitiſſima amoris ipſius, digniſſimum objectum favorum ipſius, & copioſiſſima effuſio gratiarum ipſius debet attendi penes Magdalenam: ideò propter eam maximum miraculorum ſuorum
c Joan. 11. 43. &c operatus eſt, ſuſcitans à mortuis Lazarum c fratrem ejus, indulgens lacrymis ejus maximum operum miraculoſorum ſuorum, quaſi voluiſſet, quòd maximus ſplendor potentiæ ſuæ intuendum exhiberet maximum amorem ſuum; & quòd frater reciperet in corpus ſuum maximum effectuum ſuorum miraculoſorum ſuper corpora; Soror verò ſuſciperet in animam ſuam maximum miraculorum ſuorum ſuper corda. Amor Jeſu Chriſti obligans, reſtituens vitam corpoream Lazaro: ſed abſque ullâ comparatione magis devinciens, vitam indulgens ſpiritualem Magdalenæ.

Quandiu converſabatur Dei Filius in terrâ, ibi præbebat ſe intuendum ut Deum abſcondi-
d Iſai. 45. 15 tum, ut prædixerat ei Propheta d, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* Sed ibidem
e Joan. 1. 14 etiam repræſentat eum nobis Evangeliſta e ut Deum revelatum & detectum, *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus.* In hâc qualitate duas præ ſe ferebat naturas, unam divinam & inviſibilem, alteram verò humanam & viſibilem: & ſicut *ad imaginem Dei fa-*
f Gen. 9. 6 *ctus homo* f, è duabus compoſitus eſt ſubſtantiis, unâ ſpirituali, & alterâ corporali; ita homo Deus conſtat è duobus iſtis entibus, uno divino, & altero humano; uno creato, & altero increato; uno viſibili, & altero inviſibili; uno viſibili oculis noſtris mortalibus, altero inviſibili vel ipſis intelligentiis Angelicis, niſi eleventur ad gloriam. In hoc ſtatu iſte divinus Opifex duo peragere voluit miraculorum genera; alia interiora ſoli proſpectui Angelorum; alia verò exteriora & ſenſibilia viſui hominum. Suſcitans Lazarum, voluit ut frater deferret in corpore ſuo maximum miraculorum ſuorum exteriorum & ſenſibilium: & convertens Magdalenam, voluit ut ſoror portaret in animâ ſuâ unum è maximis miraculis ſuis interioribus & inviſibilibus peractis operatione ſecretâ & inviſibili divini Spiritus ſui ſuper cor illius amans: ut miraculum reſurrectionis fratris, invidiam, æquè ac ſtuporem pareret hominibus, *Quidam autem*
g Joan. 11. 46. & 47 *ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi conci-*
h Dion. Carth. art. 28. & 29. in Joan. 11. 46. & 47 *lium, & dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit* g? Quod ad propoſitum ſic explicat Dionyſius Carthuſianus h, *Hoc intelligi poteſt ſic, Quidam autem ex ipſis, id eſt, alii à prædictis creden-*

tibus, putà increduli, qui fuerunt de numero Iudæorum viſitantium Mariam & Martham, abierunt eodem die ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus, malâ intentione, ut ſolicitarent eos contra Ieſum, & tantum miraculum offuſcarent. Collegerunt ergo, id eſt, *ob id quòd audierunt Ieſum ſuſcitaſſe Lazarum quatriduanum, Pontifices, qui authoritate & ſcientiâ eminebant, & Phariſæi (qui religioſiores putabantur) conſilium, hoc eſt, ſeipſos & cæteros Conſiliarios convocaverunt in unum, & dicebant conquirendo adinvicem, Quid facimus, hoc eſt, quid incumbit vel reſtat nobis ad agendum in tanto negotio? Quia hic homo (quem ex contemptu & invidiâ proprio nomine exprimere non volebant) multa ſigna facit, etiam plura quàm Moſes* i, *Elias* k, *& Eliſeus* l. Et ut miraculum converſionis ſororis, lætitiâ & admiratione vel ipſos perfunderet Angelos, ut ipſemet ait, *Dico vobis, Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* m. Amor Jeſu Chriſti obliganoultra id omne quod dici poteſt, imò verò concipi!

i Ex Exod. c.7. & ſequent.
k ex 3. Reg.17. 23
l ex 4 Regum 4.35
m Luc. 15.10

Quandiu in terris ſua Chriſtus operabatur mirabilia, intuens plures homines, obtutibus oculorum ſuorum quaſi tot lenociniis eos ad ſe trahebat, *Ambulans autem Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum* n. *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eũ* o. *Et præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate. Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloe, (quod interpretatur Miſſus,) Abiit ergo, & lavit, & venit videns* p, ſuſcipiens ab eo interventu luti lumen corporis; & beneficio gratiæ etiam lumen animæ, quia *Dei perfecta ſunt opera* q. Sed poſt conſideratas præ admiratione omnes iſtas actiones inſolitas, ingenuè fatendum eſt, quòd iſte *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* r, æquè ac miſericordiæ, ſuaviſſimos gratiæ ſuæ radios vibravit in Magdalenam, & quòd in illâ magnificatæ ſunt ab eo ipſius *miſericordiæ antiquæ* ſ, æquè ac novæ, trahendo illam à morte ad vitam, à vanitate ad veritatem, & ab amore ſeculi & creaturarum ad amorem cœli & Creatoris, à quo aberraverat ipſa; exhibendo ſe huic mulieri, *quæ erat in civitate peccatrix*, viam & veritatem, & vitam, ſicut ipſemet ait, *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita* t.

n Matth. 4.18.&c
o Matth. 9.9
p Joan. 9. 1.&c
q Deut. 32.4
r Eccleſia ex Malach. 4.2
ſ Pſ.88.50
t Joan. 14.6

Ecce effectus admirabiles miſericordiæ Dei, cùm bonitatis illius *abyſſus abyſſum invocat* u miſeriarum noſtrarum: nam Dei *judicia abyſſus multa* x. Eò quòd ipſius *Sapientia* y *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* z. Iſtud eſt *opus* a illius, & effectum brachii ejus, ac elevare thronum gloriæ ſuæ & magnificentiæ ſuæ ſuper theatrum infirmitatum noſtrarum; unico inſtanti è peccatrice facere pœnitentem; è vaſe *in contumeliam*, poſtquàm illam *emundaverit ab iſtis* ipſius ſordibus, *vas in honorem ſanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum* b. E ſpeculo impuritatis formare ſpeculum, aut potiùs miraculum pœnitentiæ; mutare fulgura oculorum ejus in pluviam ſalutarem, quæ lavet iniquitates ejus, abſtergat ſordes illius, deprimat ventos vanitatis ejus, & extinguat flammas concupiſcentiæ ipſius: & ex iiſdem oculis, unde non exibant niſi ignes & flammæ, eruere aquam vitæ, quæ accendat in illâ ignem amoris divini, qui aſcendat ad flammas ſic elevatas, ut appareant magnæ præ oculis divinæ Majeſtatis, *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Et Ieſus converſus ad mulierem, dixit Simoni, Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Iſtud prædixiſſe videtur Pſalmiſta c, dum ait, *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit.* Super quod Incognitus d dicit, *Sic iſtum verſum exponit Ricardus, dicens: Educens nubes ab extremo terræ, Terra noſtra extrema, peccata infima, & opera abjecta. A tali extremitate nubes producitur, quia ex turpitudinis recordatione caligo confuſionis generatur. Sed hæc nubes dum mentem obnubilat, contra concupiſcentiæ æſtus, quaſi contra Solis ardorem refrigerium præſtat. Nam qui peccaſſe ſe meminit, & ſe peccaſſe erubeſcit, quantò plùs de præterito dolet, tantò plùs de futuro ſe exhibet cautiorem. Fulgura in pluviam fecit. Ante fulgura nubes producitur, & iterùm fulgura pluvia ſequitur. Nubes, caligo confuſionis: fulgur, terror Majeſtatis: pluvia, fletus compunctionis. Ex recordatione namque turpitudinis, & divini terroris formidine mens concutitur.*

u Pſ.41.8
x Pſ.35.7
y Sap.7.24
z Sap.8.1
a Habac. 3.2
b 2.Tim. 2.20.&21
c Pſ.134.7
d Incognit. in Pſ. 134.7

Sed quid eſt quod ait de illâ Salvator? *Dilexit multùm.* Nemo eſt qui de hoc ambigat. Quin imò nimis amavit illa, ſed mundum, & inſanias ejus: magis amavit illa quàm par eſſet, ſeculum, & illius vanitates: immodico proſecuta eſt ipſa amore carnem ſuam, & creaturas: & hoc amore nimio ſunt ab eâ nimia ſcelera perpetrata. Nequaquam, ait Salvator. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Amor verè magnus, cùm talis æſtimetur ab eo qui ipſa *Charitas eſt* c. Et ipſa *Supereminens Magnitudo* d. Amor profectò ingens à principio ſuo, cùm ille qui *omnia in menſurâ, & numero, & pondere* e diſpoſuit, quique præ manibus ſuis habet *pondus Sanctuarii* f, ponderans hunc amorem, non dicat, quòd amet, ſed quòd amavit, & *dilexit multùm*. Amor certè immodicus, cùm maximi ducatur ab illo, præ quo univerſæ mundi magnitudines ſunt minus quàm ſit atomus, *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce, inſulæ quaſi pulvis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei* g. Amor, cujus vel unicum momentum majoris eſt valoris quàm ſit ſeculum integrum vanitati impenſum. Utinam, Auditores, utinam curſus vitæ noſtræ æquiparari poſſet uni ex amoribus iſtis; & poſt annos prolixæ vitæ tranſactæ inter labores inſeparabiles ab infirmitate naturæ noſtræ, communicare poſſemus alicui è gradibus amoris hujus, & noſtram perficere converſionem præ hâc ſanctâ & glorioſâ circunſtantiâ, quâcum hæc Amans ſacra ſuam incæpit, conſenſum præbens vitæ bonæ, in emendatam ſe recipiens frugem, reformans mores ſuos, & diſſolutionibus ſuis ſcandaloſis, æquè ac criminoſis limites præfigens: & jure merito dicere de nobis poſſet ſingulis Dei Filius, ac de illâ, *Dilexit multùm.* Si enim illa *dilexit multùm*; ideò quia *Deus (qui dives eſt in miſericordiâ) propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit* eam, *& cùm peccatis*

c 1.Joan. 4.16
d Epheſ. 1.19
e Sap.11. 21
f Levit. 5.15
g Iſai. 40. 15.&17

Digitized by Google

eſſet mortua, illam *convivificavit in Chriſto (cujus gratiâ eſt ſalvata) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu*, æquè ac ſuper illam, Auditores. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem (& hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt) non ex operibus, ut ne quis glorietur* h. Deus igitur in illâ ſuas magnificavit miſericordias, ut oſtenderet quantùm poſſit gratia ſua, cui cooperatur vera pœnitentia. Sed obligatio iſtius refundi debet in illum, *qui cœpit in eâ hoc opus bonum* i dilectionis, & illud auxit: invanùm enim fudiſſet illa lacrymas, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat, Deus* k. Imò verò qui & ipſum perfecit, *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate* l. *Id eſt, ex ſuâ voluntate benignâ, non propter merita veſtra*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m poſt Apoſtolum, è quo n ſequentia affert etiam verba. *Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis.*

h Epheſ. 2.4. &c
i Philipp. 1.6
k 1. Cor. 3.7
l Philipp. 2.13
m Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 2.13
n ex 2. Cor. 3.5

II. Pars

Ille appoſitè locutus eſt qui vocavit amorem *Semen dolorum*. Quaſi diceret, quòd ſtatim ac amorem ſuſcipimus, poſſumus tunc dicere, nos habere in nobis ſemen dolorum, quos ſuo tempore colligemus. Inde alius dixit, loquens de eodem amore, *Dum tangit, angit; pungit, ut ungit.* Quòd nimirum amor ſtimulet nos, quandiu nos decipit; & pungat nos eo ipſo, quo nobis blanditur, ut nos mordeat. Statim enim ac ingreſſum præbuimus alicui affectui in cor noſtrum, videmur ſeminaſſe gaudia; ſed lacrymæ, quibus hæc irriganda erunt, parient nobis dolores; quia confeſtim ac aliquis ſuum nobis communicavit amorem, tenemur participare omnia, quæ illum ſpectant: ſi autem hoc verum eſt in amore humano, potiori ratione verum erit in Amore divino. Quod induxit quendam ad dicendum, quòd amor eſſet magus; alludens ad id quod refertur de quibuſdam magis, qui veneficiis ſuis quaſdam faciunt imagines cereas ad ſimilitudinem eorum, quos odio proſequuntur: nam ſtatim ac iſti aliquem committunt exceſſum ſuper has imagines cereas, effectus hujuſmodi exceſſûs experiuntur illi qui per tales imagines cereas repræſentantur. Eodem ſe gerit amor modo: occidit nos in perſonis alienis, & aliquando ſeparatis à nobis. Huic veritati teſtimonium perhibet hiſtoria ſanè crudelis peracta in perſonâ cujuſdam amaſiæ: cùm enim eſſet in conſortio trium è ſuis amaſiis, & quartus ſuperveniens, zelo inſano ductus, violaſſet non minùs leges amoris, quàm humanitatis, & cor ipſius transfodiſſet non telo amoris, ſed ictu mortis; cecidit in terram ipſa mortua, quandiu unus ex aliis interiit ſimul cum ipsâ, ſecundus gladium ſuum evaginavit ad ulciſcendam mortem ejus, & tertius cucurrit ad ſubſidium, Sed inter eos omnes ille ſolus qui mortuus eſt cum illa, veritatem amoris ſui præ cæteris exhibuit: ille quippe cor ſuum habebat in corde amaſiæ ſuæ, quo perforato, perforatum fuit etiam cor iſtius amaſii: & illi qui amore uniti fuerant in vitâ ſuâ, in interitu ſuo non ſunt ſeparati. Ecce amor humanus.

Scriptura ſacra loquens de Amore divino inter Jeſum Chriſtum qui eſt *Deus dilectionis* o, & Mariam ipſius Genitricem, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* p, ait, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* q. Pro certo tenet Maria, quòd *unus militum* qui *lanceâ latus* r Filii ipſius aperiet, ipſam ſit vulneraturus in animâ mucrone ejuſdem lanceæ. Iſte Filius nunc impaſſibilis ſ, & glorioſus, teſtatur ſe pati perſecutionem in perſonâ Chriſtianorum, ſicut aliàs dixit Saulo, *Saule, Saule quid me perſequeris* t? Et ſe eſurire, & ſitire, in perſonâ amicorum ſuorum, ſicut ipſe exprobrabit *cùm venerit in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, his qui à ſiniſtris* ipſius *erunt. Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum* u. Iſtud omne nobis oſtendit, quomodo amor, quo Jeſus obligavit & devinxit ſibi Magdalenam, eſt amor affligens; quia ut vera Amans Jeſu, participavit omnes dolores Dilecti ſui, inde iſtorum manifeſtans verborum veritatem, *Quoniam dilexit multùm.*

o 2. Cor. 13.11
p Eccli. 24.24
q Lucæ 2.35
r Joan. 19.34

ſ Pſ. 90.10
t Act. 9.4.
u Matth. 25.31. &c.

Hîc exclamare poſſum cum Prophetâ x, conſiderans dolorem Magdalenæ, *Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te filia Ieruſalem?* Sanè non valeo meliùs comparare dolorem ejus quàm dolori ſanctiſſimæ Virginis, de qua S. Hildephonſus y ait, *Quòd ſi gladius uſque ad animam pervênit, quando ad crucem* z *ſtetit fugientibus Apoſtolis* a, *cùm videret Dominum pendentem: etiam pluſquàm Martyr fuit: quia in animo non minùs amoris, quàm mucronis eſt intùs gladio verberata. Parata enim ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei Genitrix jure pluſquàm Martyr Mater eſt, quæ nimio amore vulnerata, Teſtis extitit Salvatoris.* Et Arnoldus Carnotenſis b. *Omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum pariter offerebant Deo; hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis. Et quod in carne Chriſti agebant clavi & lancea* c, *hoc in ejus mente compaſſio naturalis, & affectionis maternæ anguſtia.* Horum omnium rationem reddit Amedeus d, dicens, *Torquebatur magis quàm ſi torqueretur in ſe, quia ſupra ſe incomparaliter diligebat id unde dolebat.* Idem proportionabiliter dicere debemus de Amante ſacrâ. *Stabant autem juxta crucem Ieſu Mater ejus, & Maria Magdalene* e. Et fateri, quòd amor ejus fuit amor affligens, & quòd pluſquam Martyr fuit, æquè ac Mater Jeſu. Martyres in ſolo ſuo paſſi ſunt corpore; hæc autem perpeſſa eſt in corde ſuo. Non judicemus humanitùs de re ita ſublimi, nec exiſtimemus hunc dolorem ſimpliciter humanum & naturalem.

x Thren. 2.13
y S. Hildephonſ. ſerm. 2. de Aſſumpt.
z ex Joan. 19.25
a ex Matth. 26.56
b Arnold. Carnot. de Laud. Deipar.
c ex Joan. 19.18. & 34
d Amed. hom. 5. de Virgine, citat. à Calamat. Sabbat. Dom. Paſſ.
e Joan. 19.25

Sed comparatum jam dolorem iſtum Dilectæ cum dolore Matris, audebo ne æquiparare dolori ipſius Dei? Non me latet, dolorem non accedere ad Divinitatem, ut aſſerit ei Pſalmiſta f, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Tamen alibi Scriptura g dolorem attribuit Deo, *Tactus dolore cordis intrinſecùs.* Et ſicut, cùm omne quod eſt in Deo, Deus ipſe ſit, fuit in Deo exemplum doloris infiniti aliquo modo, quia Deus *non habet finem* h: auſim dicere ferè quòd dolor Magdalenæ convenientiam habeat cum hoc dolore, cùm omnibus conſideratis, dolor ejus exceſſerit limites humanitatis, cùm ipſa pertulerit plus quàm pati poſſet. S. Hieronymus i de dolore Matris Jeſu in morte ejus loquens, ait, *Quot læſiones in corpore Filii, tot vulnera in corde Matris: clavi quibus corpus Chriſti pendebat in cruce, & cor Virginis crucifixum habebant. Et ideò ejus dilectio ampliùs fortis, quàm mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Idem dico de Magdalenâ, ac de Mariâ Matre Jeſu: imò ulteriùs progredior in gratiam utriuſque, *Unus militum lanceâ latus aperuit* Chriſti: ſed poſtquàm *inclinato capite tradidit ſpiritum* k. Et ideò lancea militis non perforavit animam Jeſu, quæ receſſerat è corpore ipſius: ſed tunc adimpleta eſt

f Pſ. 90.10
g Gen. 6.6
h Baruch. 3.25
i S. Hier. citat. à Calamat. Sabb. Domin. Paſſ.
k Joan. 19.34. & 30

pro-

l Luc. 2. 34. & 35 propheria quâ *Simeon dixit ad Mariam Matrem ejus, Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* l. Magdalena erat Amans Jeſu, ipſe Jeſus hoc dixit. *Dilexit multùm* Et, ſicut vulgò dicitur. *Anima plùs eſt ubi amat, quam ubi animat.* Et, *Fortis eſt ut mors dilectio* m. m Cant. 8.6 Atqui lancea Longini non perforavit animam Salvatoris, ſed cor Amantis illius, æquè ac Matris ejus, *Stabant autem juxta crucem Ieſu,* &c.

Dicamus ad concludendam iſtam ſecundam partem, quòd quò objectum dignius eſt, eò major amor eſt, & quò amplior eſt amor, eò ingentior eſt dolor in compaſſione, & in ſeparatione ab illo quod amatur. Iſtud omne invenîtur ſed præ excellu ſuper monte Calvariâ. Nunquam fuit, nec unquam erit objectum amoris dignius Jeſu, & Jeſu patiente præ amore, quippe qui *oblatus* n Iſai. 53.7 *eſt, quia ipſe voluit* n. Quod autem magis auget & amorem, & dolorem, eſt quòd hæc paſſio terminatur ad eripiendum nobis Jeſum. Præterea, Inter omnes diſcipulos Jeſu, & ſanctas mulieres Amantes illius. *Stabant autem juxta crucem Ieſu, ſoror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene* (non loquor de Mariâ Genitrice illius: cum nemine enim comparationem illa ingreditur) non erat anima fidelior & conſtantior quoad amorem, Magdalenâ; nec inter peccatores terræ cor nobilius & magis diſpoſitum ad ſuſcipiendas impreſſiones amoris cœleſtis, quàm erat cor Magdalenæ: tempus autem huic impreſſioni ſuſcipiendæ opportunius, erat tempus paſſionis & crucis Jeſu. Crux erat thronus & triumphus amoris Jeſu: ibi amor triumphat de ipſo Jeſu & triumphare vult de hâc perfectâ Amante: ibi triumphat de Domino ſuo, redigens eum ad mortem, non impotentiâ perſonæ: illa enim eſt divina, ſed poteſtate amoris, cui Deus ipſemet cedere non renuit. Hâc eâdem potentiâ ipſe triumphat de Amante, faciens eam vivere & mori ſimul, vivere autem & mori præ amore. Ad ima igitur crucis, in quâ Chriſtus moritur, & cui Magdalena adhæret, & ubi amor Jeſu regnat & triumphat, Magdalena ſuſcipit fortem & novum impreſſionem amoris; ſed hic amor eſt dolor, & hic dolor eſt amor, amor & dolor ſimul: & hoc mirum non eſt: iſtud convenit naturæ & circunſtantiis rerum præſentium: amor præ ſe fert colores objecti ſui, & nihil reſpirat niſi ſimilitudinem: amor igitur Jeſu debet præ ſe ferre
o Pſ. 10.4 colores Jeſu. Si Jeſus eſt *in cælo* o, amor ejus cœleſtis eſt; & Scriptura p ait, *Noſtra autem conver*
p Philipp. 3.20 *ſatio in cælis eſt* Si eſt in cruce, amor ejus crucifixus eſt. & S. Ignatius q Martyr hoc amore vul-
q S. Ignat. epiſt. 10. ex Galat. 6. 14 neratus dicebat, *Meus amor crucifixus eſt.* Si Jeſus eſt vulnere, & dolore oppreſſus, hic amor eſt vulnerans, & doloroſus: atqui Jeſus *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, ait Iſaias r, qui re-
r Iſai. 53. 5. & 3 præſentat nobis eum, *Virum dolorum.* Sic amor Jeſu plenus eſt vulneribus, & doloribus, & totus transformatur in dolorem in corde Magdalenæ. Non eſt res inuſitata huic animæ, & amori ejus, ut ſit in dolore: amor ejus *in domo Phariſæi,* ab ipſis *lacrymis cœpit.* Et continuat in lacrymis
ſ Joan. 19. 25 & in dolore, ſtando *juxta crucem Ieſu* ſ. Sed *in domo Phariſæi*, dolor hujus animæ erat ſuper ſemetipſam; ſtando autem *juxta crucem Ieſu,* lacrymæ & dolores ipſius habent dignius objectum: ibi deflebat ipſa peccata ſua; hic verò ſuas effundit ipſa lacrymas ſuper Jeſum morientem, & cor ipſius dolore vulneratur intuitu dolorum, æquè ac vulnerum ejuſdem Jeſu, & jacturæ Jeſu quam ipſa debet incurrere. Dolor iſte ſic eſt ſublimis, ut, ſicut hæc anima eſt incomparabilis in amore, (excluſâ tamen Matre Jeſu) ſtando *juxta crucem Ieſu,* ibi collegerit plus amoris & doloris quàm quælibet alia: & hæc eſt una ex excellentiis ejus ut ſit prima in amore, in cruce, & in dolore intuitu ejuſdem Jeſu Dilecti ſui.

Sed ſicut maximi labores maxima merentur III. Pars
præmia, maximi dolores maximas conſolationes, & maximi amores maximas compenſationes; Hæc omnia peregit Jeſus erga Magdalenam. S. Thomas t loquens de independentia t S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4
divinæ Potentiæ, quærit num dentur in naturâ effectus ita excelſi perfectione poſſibili, aut ita convenientes divinæ hujuſmodi Potentiæ, ut impoſſibile ſit ei ut excellentiores illis producat. Suæ reſpondet ipſe quæſtioni eximiâ diſtinctione, dicens, quòd ſi compararemus effectum potentiæ Dei, evidenter inveniemus, quòd nullus ſit effectus in univerſitate creaturarum ita perfectus in propriâ eſſentiâ ſuâ, ut Deus perfectiorem eo non poſſit alium facere, quia omnes effectus orbis ſunt finiti in entibus ſuis, & Dei potentia *non habet finem* u. Ita ut producere poſſit u Baruch 3.25
effectum, qui habiturus ſit meliores perfectiones in eſſe ſuo, quæ præcedentibus non fuerint communicatæ. Sed, ait S. Thomas, ſi compararemus potentiam Dei perfectioni aliquorum effectuum in ſuo proprio genere, id eſt, ratione alicujus particularis circunſtantiæ, quam habent, aut ex objecto ſuo, aut quia requirunt illam in genere ſuo, & quia ſunt tales: ipſe reſpondet, quòd dari poſſint; imò verò quòd dentur effectus ita excellentes & perfecti in ſuo genere perfectionis, ut ſint perfectionis infinitæ, ita ut, nedum irrogetur injuria divinæ Omnipotentiæ, dici poſſit, quòd ipſa non poſſit alios facere perfectiores eis in hoc eodem genere. Ad hujus autem veritatis probationem tres allegat effectus in univerſo ita perfectos ut Deus alios perfectiores illis in ſuo genere non poſſit producere. Iſti autem effectus ſunt incarnatio Verbi divini x, dignitas ſuper- x Joan. 1.14
eminens Matris Dei y, & gloria Beatorum z. y Matt. 1. 20. & 25
Sic autem ait, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo; & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei;* z Joan. 17.3
& beata Virgo ex hoc, quòd eſt Mater Dei; habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus. Et ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo. Explico me. Videte igitur (omiſſis dignitate supereminenti divinæ Maternitatis, & gloriâ Beatorum) quomodo in genere unionis hypoſtaticæ impoſſibile eſſet Deo ut faceret unionem perfectiorem eâ, quam ipſe jam peragit in perſonâ Filii ſui; quia dignitas unionis iſtius ſumitur ex excellentiâ perſonæ, cui natura humana unita eſt: atqui ſi inveniri poſſet unio perfectior iſtâ, ſequeretur dari aliquam perſonam perfectiorem Deo. ſed ſicut eſt impoſſibile Deo facere ut ſit aliquid perfectius divinis perſonis, ita impoſſibile eſt ut faciat unionem & incarnationem perfectiorem eâ, quæ jam ab ipſo peracta eſt. Ubi obſervate, ſi placet, meos terminos: dico enim perfectiorem; non autem, æqualiter perfectam: quia docet me Theologia, quòd ſi perſona Patris, aut perſona Spiritus ſancti vellent ſe incarnare, incarnatio eorum eſſet æquè perfecta ac incarnatio Filii. Et quòd præterea ſi eædem tres divinæ perſonæ vellent incarnari, aſſumentes eandem individuam naturam humanam, hæc incarnatio non haberet ampliorem perfectionem

eſſen-

Digitized by Google

eſſentialem & intenſivâ (ut terminis utar Theologicis) quàm habuerit illa, quæ jam effecta eſt perſonâ Verbi; licèt negari non poſſit, quin incarnatio trium perſonarum haberet ſupra illam quæ jam peracta eſt, perfectionem extenſivam, quæ conſiſtit in ſulâ pluralitate perſonarū; non autem in aliqua perfectione eſſentiali: unde concludi non poterit, quòd iſte modus incarnationis foret perfectior & infinitior altero.

Videtis quomodo amor Dei noſtri operans myſterium incarnationis, exhauſit aliquo modo omnipotentiam ſuam (ſi mihi fas ſit ita loqui) *Fecit potentiam in brachio ſuo* a. Sed videtur mihi hic amor hodiernâ die ulteriùs progredi. Magdalena teſtimonium perhibet amoris ſui erga Jeſum, cùm dolore contrita intoitu peccatorum ſuorum, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus*. Videte nū Dilectus ipſius copioſam ipſi non impenderit mercedem ob exhibitum ſibi ab ipſa ſic jucundum obſequium; confeſtim efficitur ipſius Advocatus, cauſam ipſiꝰ amplectitur adversùs Phariſæum, & panegyrim ipſius concinnat, amorem ipſius evehendo præconiis, *Quoniam dilexit multùm*. Magdalena tribuit lacrymas Dilecto ſuo ad lavandos ipſius *pedes*. Et hic dilectus dabit ipſi Sanguinem ex iiſdem pedibus ad lavandam ipſam *à peccatis in Sanguine ſuo* b eodem. Magdalena diligit Jeſum, & ambulat *in dilectione; ſicut & Chriſtus* idem diliget eam, *& ſemetipſum pro eâ* tradet *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* c. Ut tribuat ei vitam ſpiritualem, quod eſt aliquid magis ac mori, quàm hominem fieri, meâ quidem ſententiâ, cùm Deus ſit immortalis, ut ait S. Paulus d, *Qui ſolus habet immortalitatem*.

Maria tota dedita eſt Jeſu Dilecto ſuo *in domo Phariſæi* e. Bethaniæ, ubi *ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius* f. Iterùm Bethaniæ, ubi *accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Ieſu, & extersit pedes ejus capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti* g. In monte Calvariâ ubi ſtabat *juxta crucem Ieſu* h. In ſepulchro, *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans* i. Sēper prima, ſemper proxima Domino ſuo, quem non deſerit ipſa. *Tunc quando diſcipuli omnes relicto eo fugerunt*: cùm *Petrus negavit* k eum, Magdalena ſemper ſtat: ſed cùm ipſa fuerit ultima in deſerendo Dilecto ſuo; ideò prima *vidit Ieſum ſtantem* l, ſuſcitatum à morte. Quærit ipſa eum mortuum, & illum invenit viventem: & in præmium hujus amoris, Dilectus ipſius palàm publicat, quòd hæc *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, contempta à Phariſæo m, redargutа ab Apoſtolis n, & liberata à ſeptem dæmoniis & à peccato, prima præ ſanctis mulieribus, imò verò præ Apoſtolis videre meruit ipſummet Jeſum Chriſtum glorioſè reſuſcitatum, *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia* o. Quaſi diceret Evangeliſta, quòd Jeſus ingrediens vitā ſuam novam, vitam glorioſam & immortalem, exhibuit primum actum exteriorem hujus vitæ divinæ obſervatum in Scripturâ, actum iſtum, inquam, viſitationis & honoris erga ſuam fidelem Amantem. O amor præmians! O prærogativa gratiæ, favoris, & amoris Jeſu erga Magdalenam! O privilegium ſingulare, & penitus obſervabile, & ideò obſervatum à Spiritu ſancto, qui dictavit Evangelium! Liceat mihi hic dicere, hanc prærogativam favoris exhiberi excellentiæ & prærogativæ amoris, cùm prima viſitatio, primusque favor debeantur amori maximo, & dolori vehementiſſimo. Salvator quærit *Simonem, Andream, Iacobum, Ioannem* p, *& Matthæum* q, & Samaritanam *fatigatus ex itinere* r. Multi quærunt Salvatorem, at non præ amore, ſed præ neceſſitate ſ; ad videnda ejus miracula, & ad ſuſcipiendam ab eo ſanitatem t; atqui Magdalena non quærit niſi eum, & illum præ amore quærit, *Pondus meum, amor meus, eo feror quòcunque feror* u. Sic ipſa meretur prima mercedes & præmia iſtius amoris, quatenus ipſa prima *vidit Ieſum ſtantem*, & reſuſcitatum ad vitam immortalem: & prout prima *venit annūncians diſcipulis, Quia vidi Dominum* x.

Invenio in Scripturâ, quòd prima perſona, quam Jeſus viſitavit in vitâ ſuâ novâ, & in hoc ſtatu gloriæ ſuæ, fuit Magdalena, *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ* y. Quòd primum verbum, quod ſacrum illius os protulit, directum eſt ad Magdalenam, *Mulier quid ploras* z? Et quòd primum nomen, quod pronunciavit, fuit nomen Mariæ Magdalenæ, *Maria*. Adorande Salvator, cùm naſceris in ſpeluncâ Bethlehemiticâ, reclinatus *in præſepio* b, primos quidem projicis intuitus oculorum tuorum mortalium ſuper ſanctiſſimam Genitricem tuam, ſed illam non alloqueris, nec pronuncias nomen ejus, quod eſt idem nomen Mariæ, etiamſi hoc nomen in perſonâ ejus conſecratum ſit innocentiæ & Maternitati divinæ, & eminentiæ gratiæ, quæ nullam habebit unquam ſimilem: ſed cùm renaſceris è ſepulchro, primitui aſpectus, prima tua verba diriguntur ad Magdalenam; nomen quod pronuncias primum, eſt nomen Mariæ, ſed nomen conſecratum in perſonâ ejus, amori, & pœnitentiæ.

Siſtamus hic, Auditores, & adoremus prærogativas & gratias, quibus Deus Magdalenam cumulavit, ſicut & nos in perſonâ illius conſideremus quòd Jeſus Chriſtus *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* c. Ait Tertullianus d, quòd Deus formans corpus hominis è luto, & illud quaſi præ manibus ſuis tenens, Spiritu ſuo animatum, intuebatur in ideis ſuis æternis corpus ſuum deformatum, & occiſum, in eo ſtatu, in quem deinceps redactum fuit in cruce. *Quodcunque limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus*. Ut innueret nobis, quòd hoc corpus deſtruendum erat propter ſalutem hominum: quod efficit ut Deus nobis ſit totus amore addictus, cùm deſtructus, & mortuus fuerit propter nos. Propterea toti debemus eſſe ei dediti, tribuere illi cor noſtrum, ut agnoſcamus amorem, qui illum immolavit propter cōmoda noſtra; cùm iſte amor compenſari non poſſit niſi amore reciproco, qui præ gratiarum actione nos illi addicat. Iſtud à nobis ſingulis exigit, ut teſtemur ipſi hanc actionem gratitudinis, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* e. Illud mihi debes, retrahe illud ab hâc muliere, ab iſtâ infami creaturâ quæ illud uſurpavit; illud non debes niſi mihi: ſi illud à te efflagito, ideò quia tibi cor meum priùs tribui, & cor tuum mihi non potes tenuere, niſi conſcius efficiatis maximæ ingratitudinum omniū. Quid egit illa creatura propter te, ut illi præbeas cor tuum, & mihi illud deneges? Et ideò *præbe, fili mi, cor tuum mihi*. Et ego dabo tibi meam *gratiam & gloriam* f.

a Luc. 1. 51
b Apoc. 1. 5
c Epheſ. 5. 2
d 1. Tim. 6. 16
e Luc. 7. 37
f Luc. 10. 39
g Jo. 12. 3
h Joan. 19. 25
i Joan. 20. 11
k Matth. 26. 56. &c
l Joan. 20. 14
m Luc. 7. 37. &c
n Matth. 26. 8. & 9
o Marc. 16. 9
p Matth. 4. 18. &c
q Mat. 9. 9
r Ioan. 4. 6. &c
ſ Ioan. 6. 26. &c.
t Matth. 8. 1. &c
u S. Aug. l. 13. Confeſſ. c. 9
x Ioan. 20. 14. & 17
y Marc. 16. 9
z Ioan. 20. 15
a Ioan. 20. 16
b Luc. 2. 7.
c Apoc. 1. 5
d Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 6. ex Gen. 2. 7
e Prov. 23. 26
f Pſ. 83. 12

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retrò ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat, Luc. 7. 37. &c.

ETiamſi verum ſit, diabolum perſæpè fuiſſe uſum miniſterio mulierum ad operandas multas clades, ut audietis in progreſſu diſcurſûs iſtius: tamen Jeſus Chriſtus, qui *in hoc apparuit ut diſſolvat opera diaboli* a, eaſdem adhibuit mulieres ut inſtrumenta ad operanda omnia bonorum genera. Sanè ſuadente diabolo *b* mulier fuerat morſus cantharidum, ictus ſcorpionum, & caro venenata viperarum: ſed illam inſumpſit Dei Filius ad exercitium ſplendidiſſimorum virtutis operum; & ſic deinceps effecta eſt alæ & pedes cantharidum, quarum ſuccus *in venas ingreſſus, venenum interimit* c. Scorpiones contriti, quorum oleum ſanat vulnera, iiſdem vulneribus applicatum; & caro viperæ converſa in theriacam. Ideò S. Chryſoſtomus *d* ait, *Ut ad virtutem mulier, ita ad malitiam plurimùm poteſt.* Satan adhibuit mulierem ad inferendam mortem mundo *e*: Jeſus Chriſtus è contrà inſumpſit aliam fœminam, glorioſam Virginem Mariam ad dandam hominibus *vitam* f. Si Satan uſus eſt uxore Putipharis contra Joſeph, ut eum carceri mancipandum ſatageret *g*; Deus è contrà deſtinavit caſtam Suſannam ad confundendam impuritatem duorum ſenum, qui ſuper famam ejus attentare præſumpſerant *h*. Si diabolus ſuſcitavit Dalilam contra Samſonem in diſpendium Iſraëlitarum, & in Philiſthæorum tripudium *i*; Deus vice verſâ adhibuit Judith contra Holofernem *k*, & ſuo victoriam dedit populo *l*. Si dæmon inſumpſit Bethſabee ad eripiendum cor Davidi *m*; Deus è contrà adhibuit Abigail ad liberandum virum ipſius Nabal à morte *n*. Si Satan uſus eſt uxore Job, ut tentaret in deſperationem inducere eundem Job *o*; Deus è contrà ſuſcitavit Eſther *p*, quæ liberavit populum ſuum *q*. Si tandem machinante diabolo, Salomonis *depravatum eſt cor per mulieres* r: Deus è contrà hodie utitur Magdalenâ ad reformanda corda peccatorum obſtinatorum. Ideò ab omni tempore Deus iſtum ſic honoravit ſexum, ut ex eo eduxerit Matrem unici Filii ſui; licèt mulieres fuerint inſtrumenta, quibus uſus eſt diabolus ad producenda innumera infortunia. Et inde infero, quòd ſicut propter hunc mundum materialem *fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti* ſ: ita in mundo myſtico Eccleſiæ *fecit duo luminaria*, & illa ambo educta è duabus fœminis, Mariâ Virgine ſanctiſſimâ, & Mariâ Magdalenâ. Illam *fecit luminare majus, ut præeſſet diei* innocentiæ; hanc verò *luminare minus, ut præeſſet nocti* peccati, illuminando peccatores per converſionem ſuam ad gratiam, quâ illa erat jam repleta, cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* t *Maria.*

a 1. Joan. 3.8
b Gen. 3. 1. &c. & Rom. 5. 12.
c Calepin. in Diction. v. Cantharis.
d S. Chryſoſt. hom. 60. in Jo. c. 10
e Gen. 3. 1. &c. & Rom. 5. 12
f Joan. 10. 10
g Gen. 39. 7. &c
h Dan. 13. 23. &c
i Judic. 16. 19. &c.
k Judith. 8. 1. &c
l Judith. 13. 10. &c
m 2. Reg. 11. 2. &c
n 1. Reg. 25. 18. &c
o Job 2. 9. &c
p Eſth. 7. 3. &c
q Eſth. 16. 1. &c
r 3. Reg. 11. 4
ſ Gen. 1. 16
t Luc. 1. 28

Interrogatus aliàs Pythagoras, quænam eſſet differentia inter Philoſophos & alios homines: reſpondit, quòd vita humana ſimilis eſſet theatro Athenarum, quò homines turmatim pergebant ex omnibus mundi regionibus, ſed diverſis ducti intentionibus, alii curioſitate, alii conſuetudine, alii deſiderio ibi conciliandi ſibi honoris, alii ad vendendas ibidem merces, alii ut ibi exercitiorum artis militaris periti efficerentur, alii verò ut obſervarent ibidem actiones præclaras quæ ibi patrarentur, ut hujuſmodi ſe conformarent prototypis: & dixit Philoſophos fuiſſe ſimiles his ultimis, quatenus in hoc theatro generali mundi attentè contemplantur id, quod in eo agitur, ut ei vitam ſuam conforment: Chriſtiani omnes divinam profitentur Philoſophiam, ideò in primitivâ Eccleſiâ longum pallium deferebant, ut antiqui Philoſophi, *Grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcunt* u. Nobis eſt jugiter dimicandum contra hoſtes irreconciliabiles, mundum, diabolum, carnem, & appetitus noſtros, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* x. Ideò Chriſtianus non ſolùm debet contemplari hoc theatrum, ut ibi edoceatur bonos mores, ſed ut ibidem diſcat præliari. Hoc nobis repræſentatur exemplo Magdalenæ, quæ modò eſt victrix, modò eſt proſtrata a concupiſcentiâ ſuâ; nunc eſt vulnerata ad mortem uſque obeundam, nunc autem reſurgit gratiâ ſpeciali. Quod inducit me ad oſtendendum vobis Primò mirabilia cõverſionis ejus. Secundò, quòd ipſa ſervire facit juſtificationi ſuæ id omne, quod inſervierat proſtitutioni ipſius.

u Tert. l. de Pallio c. 6
x Job 7. 1
Diviſio.

Converſio peccatoris *y* eſt mirabilis; ſed mirabilior eſt converſio peccatricis, & etiam mirabilior peccatricis publicæ, & in vitiis ſuis inveteratæ. *Ecce.* Verbum iſtud oſtendit magnitudinem juſtificationis: ſi enim maximum operum Dei eſt creatio *z*, & maximum miraculorum Chriſti, eſt reſurrectio mortuorum *a*, & maximum beneficiorum Dei eſt Incarnatio *b*, juſtificatio *c* convenientiam habet cum iſtis omnibus, & ea ſuperat aliquo modo. Quoad reſurrectionem mortuorum, Tertullianus *d* vocat eam coronam miraculorum Chriſti. Dei Filius tres mortuos ſuſcitavit *e*: juſtificatio verò convenit cum iſtis tribus: peccatum enim eſt mors animæ, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* f. Ideò juſtificatio eſt illius reſurrectio. Propterea Pythagorici eos reputabant mortuos, qui ab ipſorum ſecta recedebant, & ut darent notas iſtius mortis, erigebant eis epitaphia ſuper columnas; quantò ergo potiori ratione ille verè reputabitur mortuus qui deſeret ſocietatem Dei, & Angelorum? Sed reſurrectio animæ mortuæ per peccatũ, peracta per juſtificationem, multùm ſuperat reſurrectionem quantùm ad vitam corporalem, cùm certum ſit, quòd convertere verbo Dei peccatores, majus eſt miraculũ quàm ſuſcitare mortuos: in quo non eſt cur miremur, cùm anima corpore ſit excellentior. Et ideò S. Gregorius *g* ſuper hæc verba Job, *Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis*, ait, mortem corporis comparatã morti animæ, vocari umbram mortis, nõ autem mortem, quia anima ſeparatur à carne, quæ caro eſt umbra, *Per umbram mortis oblivio debet intelligi, quia ſicut mors interimit vitam, ita oblivio extinguit memoriam.*

I. Pars.
y Matth. 9. 9
z Gen. 1. 1. &c
a Ioan. 11. 43
b Galat. 4. 4. & 5
c 1. Cor. 6. 11
d Tert. l. de Reſurrect. Carn. c. 53
e Matth. 9. 25. &c & Luc. 7. 14. &c & Ioan. 12. 43. &c
f Ezech. 18. 4 & 20
g S. Greg. lib. 4. Mor. c. 10. in Iob 3. 5

vitam Quia ergo apoſtata Angelus æternæ oblivioni traditur, umbrâ mortis obſcuratur. Dicatur igitur: Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis, id eſt, ſic eum erroris ſui cæcitas obruat, ut nequaquam ulteriùs ad lucem pœnitentiæ per divini reſpectus memoriam reſurgat. Quaſi diceret, quòd ratio propter quam reſurrectio animæ major eſt reſurrectione corporis, eſt, quia caro reſuſcitatur, ut iterùm moriatur; cùm anima reſurgat per juſtificationem, ut in æternum vivat. Præterea, Opus illud eſt mirabilius, ſi conſideretur id quod Jeſus fecit ſingulis ex his tribus mortuis à ſe ſuſcitatis. Suſcitaturus enim filiam Principis Synagogæ, ſolùm extendit manum ſuam, *Tenuit manum ejus* h, &c. Sed volens noſtras animas ſuſcitare, duas expandit *manus in cruce*, ait Cornelius i. Ad vitam revocaturus filium viduæ Naim, ſolùm *tetigit loculum* k. At intendens animabus noſtris vitam reſtituere ipſemet poſitus eſt in monumento l. Educturus Lazarum è tumulo ad vitam, *lacrymatus eſt, clamavit voce magnâ* m. Sed noſtras ſuſcitaturus animas, *cum clamore valido, & lacrymis* n, *emiſit ſpiritum* o.

h Matth. 9.25. &c
i Cornel. in Iſa. 65. citans Theodor. & Forer.
k Luc. 7.14 &c.
l Joan. 19. 42
m Joan. 11. 35. &c
n Hebr. 5.7
o Joan. 10.30

Ecce mulier. Quantam habet convenientiam juſtificatio cum creatione, quæ eſt maximum operum Dei. In creatione mentio fit iſtius verbi, *Ecce. Ecce ego creo cœlos & terram* p. Sed juſtificatio creationi præeminet: licèt enim in utrâque productio ſit e nihilo, cùm peccatum nihil ſit, ſicut peccator q, juſtificatio eſt altera recreatio, cùm nulla ſit cauſa meritorum in peccatore: magna eſt enim differentia inter agentia, ſive naturalia, ſive artificialia & Deum: nam cùm illa requirant ſubjectum circa quod operentur, Deus non indiget ſubjecto circa quod opus ſuum exerceat, & hoc in juſtificatione, *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit* r. *Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia* ſ. Et S. Auguſtinus t ſuper hæc verba Chriſti, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet:* ait, *Quæ opera niſi ut ex impio juſtus fiat? Prorſus majus hoc eſſe dixerim, quàm eſt cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo, & in terrâ. Et cœlum enim & terra tranſibit* u: *prædeſtinatio autem, id eſt, eorum quos præſcit, ſalus & juſtificatio permanebit.*

p Iſa. 65. 15
q Pſ. 14.4. & Pſ. 72 22 & S. Aug. tract. 1 in Joan. 1.3
r Tit. 3.5
ſ Rom. 11.6
t S. Aug. tract. 72. in Joan. 14. 12
u ex Matt. 24.35

Cùm incarnatio Verbi ſit maximum beneficiorum Dei, & in hoc ſita ſit, quòd Filius Dei fiat Filius hominis; quantam habet cum hâc incarnatione juſtificatio convenientiam, cùm in juſtificatione ille qui filius eſt hominis, & diaboli, fiat filius Dei. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus* x. Et, *Quid hâc poteſtate altius? quid hâc altitudine ſublimius, in quâ creatus quiſque efficitur filius Creatoris* y? Vincit hæc Incarnationem aliquo modo, in quâ *Deus homo factus, id quod erat permanſit, & quod non erat aſſumpſit* z. Hic verò peccator non eſt ampliùs filius hominis, & ſervus diaboli, ut erat priùs: *Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus* a.

x 1. Joan. 3.1
y S. Greg. 1. ſuper Ezech. hom. 6
z Eccleſia ex Joan. 1.14
a Galat. 2.20

Secundum mirabile eſt, quòd mulier juſtificatur, *Ecce mulier.* Cùm mulieres ſint cauſæ multorum malorum, Iſraëliticus *fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverūt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederant, & adoraverunt deos earum* b. Et Salomonis *depravatū eſt cor per mulieres, ut ſequeretur deos alienos* c. Mirabile, quòd in Scriptura mulier fortis quæratur, nec niſi difficilè inveniatur, *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus* d. Et Eſdras e dicit, *Fortiores ſunt mulieres.* Sed hoc mihi videtur intelligendum, quantùm ad malefaciendum, *Brevis omnis*

b Num. 25.1. & 2
c 3. Reg. 11.4
d Prov. 31.10
e 3. Eſdr. 3.12

malitia ſuper malitiam mulieris f. Hæc malitia apparuit in primâ illius inſtitutione: formaturus enim eam, *dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* g. In Hebræo legitur, *Tanquam coram eo.* Et apud Cornelium h, *E regione, vel, ex adverſo ejus.* Id eſt pro eo, & contra eum: verbum enim Hebræum ſignificat duo contraria. Primò, *Tanquam coram eo.* Ut oſtendatur, quomodo uxores debeant ſubjici viris ſuis. Sic in notam iſtius ſubjectionis, *Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus* i. Sic aliàs ſervi deferebant nomen Domini ſui in ſignum dependentiæ. Sic *Sara obediebat Abrahæ, Dominum eū vocans* k. Non ſicut uxores hujus temporis, quæ viros ſuos vocant, Cor meum, &c. Secundò, *E regione, vel, ex adverſo ejus.* Prout ille, quæ præbere illi debebat auxilium, tetendit ei inſidias l. Ideò cùm diabolus eripuiſſet omnia Job m, reliquit tamen illi uxorem ipſius, ratus quòd cùm illa eſſet fortior, ita futura ſibi eſſet auxiliatrix ad vincendum hunc invincibilem, *Dixit autem illi uxor ſua, Benedic Deo, & morere* n. Perſuadere ei nitens ut Deum blaſphemaret, & ſic moreretur ſpiritualiter & corporaliter ſimul.

f Eccli. 25.26
g Gen. 2.18
h Corneli in Gen. 2.18
i Gen. 2.19
k 1. Petr. 3.6. ex Gen. 18.12
l Gen. 3. 6
m Job 1. 24 &c
n Job. 2.9

Tertium mirabile eſt, quòd hæc converſio eſt mulieris, *quæ erat in civitate peccatrix.* Id eſt, quæ habebat in ſe omnia vitia, *De qua ejecerat ſeptem dæmonia* Chriſtus, ait S. Marcus o. Qui numerus ſeptenarius ſumitur in Scripturâ pro univerſali, quaſi diceret Evangeliſta, quòd illa eſſet receptus omnium vitiorum, & univerſorū dæmonum, cùm eſſet inſtrumentum, quo utebatur diabolus ad profligandas animas. Diabolus eſt ſimius Dei, & cunctorum operum ejus: atqui Deus volens ut ſimus boni interiùs, & exteriùs, *providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus* p; inſpirat nobis ut caſtè vivamus; diabolus verò è contrà depravare conatur interius noſtrum, æquè ac exterius. Saltem mundus ſolitus eſt dicere, *Si non caſtè, ſaltem cautè.* Sed diabolus neutrū ex iſtis, efficiens ut ii, qui ſe dedunt mulieribus, quibus ipſe utitur tanquam inſtrumentis ad profligandas ipſorum animas, omnem timorem Dei & hominum amittant, *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt* r. Et, *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere* ſ.

o Marc. 16.9
p Rom. 12.17
r Iſai. 3. 9
ſ Jer. 3.3

Illæ ſunt ſcopulus deplorandus, ad quem impinguntur viri, & ad quem alliſi ſunt Semſon t, David u, & Salomon x. Propterea in Lege y antiquâ mulieres impudicæ lapidabantur: cùm enim eſſent veluti putei periculoſi, *Fovea enim profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena* z: in quem puteum cùm lapſus eſſet David, dicebat Deo, *De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam* a: & cùm putei, qui ſunt in magnis viis, lapidibus cumulari ſoleant, ne forte quis in illos labatur; mirum non eſt, decretum fuiſſe in Lege antiquâ lapidandas perſonas adulterii conſcias, & lapidibus cumulandas, ut declinaretur è caſu qui fieri poſſet in hujuſmodi puteos infames. Et licèt in veteri Lege punirentur æqualiter vir *mœchus & adultera* b mulier: nihilominùs fatēdum eſt, quòd viri graviùs peccent quàm mulieres, cùm ſint viciniores Deo, quia ſunt veluti capita mulierum, & quoniam previis ſuis exemplis inducunt mulieres ad patrandam hanc diſſolutionem effræniori libertate. Ideò, quia *eſt caput mulieris, vir* c:

t Judics 16.19
u 2. Reg. 11.4.&c
x 3. Reg. 11.1.&c
y Levit. 20.10
z Prov. 23.27
a Pſ. 129.1
b Levit. 20.10
c 1. Cor. 11.3

Eee 2 ipſi

ipſi viri majori digni ſunt punitione, quò magis
ad ipſos pertinet vincere mulieres virtute, &
illas exemplo dirigere ſalutari. Sed ſi peccatum
iſtud gravius eſt in viris; eſt etiam ignominioſius
in mulieribus, quatenus ipſæ ſuam inhonorant
familiam, & progeniei ſuæ notam infamiæ inu-
runt: aut quia ſordibus ſuis thorum violant con-
jugalem: præcipuè verò quoniam peccatum i-
ſtud omnino eſt oppoſitum virtuti, quæ mulieres
maximè condecet, nimirum pudicitiæ.

Res inuſitata! Samaritanæ tantùm *dicit Ieſus,*
Quinque viros habuiſti: & nunc quem habes, non eſt
tuus vir. Et ſtatim ipſa ſuæ civitatis *dicit homini-*
bus, Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia,
d Joan. 4. *quæcunque feci* d. Chriſtus fuerat ei locutus de
18. & 29 ſolâ impuritate ipſius, & ait illa, eum dixiſſe ſibi
univerſa quæ ipſa feciſſet; quia confeſtim ac
tangitur fama mulieris, dicendo quòd ſit impu-
dica, idem eſt ac dicere cuncta de illâ, *Omnis mu-*
e Eccli. *lier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabi-*
9. 10 *tur* e. Vitium illud non eſt negligendum, cùm
nullum ſit vitium, quantùmvis exiguum, quod
non creſcat, ſi negligatur. Hoc repræſentatur
nobis per gramen, quòd ubi incipit creſcere, fa-
cilè eradicatur; ſed diu derelictum in terrâ, in
eam ita profundas fodit radices, ut vix illinc e-
radicari poſſit, quin ibi remaneant aliquæ partes
earundem radicum. Præterea, Si collocetur in
aliquo vaſe teſteo, inde educitur abſque ullo la-
bore à principio; ſed cùm radices creverunt, ita
intimè adhærent huic vaſi fictili, ut inde erui
non poſſint quin confringatur tale vas: idem di-
cendum de voluptatibus quæ capiuntur in pec-
catis; eradicantur facilè ab animâ à principio,
ſed cùm radices earum creverunt, ſic intimè
pervadunt animam, ut illinc niſi vix avelli non
poſſint, *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſe-*
f Prov. *nuerit, non recedet ab ea* f. Niſi fortè adjutus gra-
22. 6 tiâ ſpeciali, & fortitudine ſupernaturali. Imò ve-
rò hoc peccatum ſic intimè animam illabitur, ut
neceſſariò infringendum ſit vas, ut evellantur
radices ejus, aut ſaltem concutiendum: & hoc
eſt, quod Deus agit adversùs peccatores, quos
impetit flagellis adverſitatum, *Ego quos amo, ar-*
g Apoc. *guo & caſtigo* g. Ut eripiatur ex animabus eo-
3. 19 rum id, quod priùs ex illis facilè fuiſſet avulſum:
flagellat hæc vaſa teſtea, de quibus S. Paulus
h 2. Cor. ait h. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.*
4. 7

Hinc inferimus difficultatem converſionis ſi-
milium hominum, & mirabilia converſionis
i Galat. 1. Magdalenæ, *Ut cognovit,* &c. Sicut & S. Pauli i,
15. & 16 qui ait de ſe, *Cùm autem placuit ei qui me ſegrega-*
vit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam,
continuò non acquievi carni & ſanguini. Cùm Iſraë-
liticum *urgebant Ægyptii populum de terrâ exire ve-*
lociter, tulit populus conſperſam farinam antequàm
fermentaretur; coxeruntque farinam quam dudum de
Ægypto conſperſam tulerant; & fecerunt ſubcineri-
k Exod. *tios panes* k. Sic cùm agitur liberari à ſervitute
12. 33. &c peccati, non eſt differendum, fugiendæ ſunt oc-
caſiones, & eſt velociter properandum ad Mare
l Exod. rubrum l Sacramentorum, *& in deſertum* m Pœ-
14. 22
m Exod. nitentiæ n. Sunamitis omnes adhibuit diligen-
15. 22 tias poſſibiles, ut citò adiret Eliſeum, qui ſuſci-
n Luc. 13. taret filium ipſius mortuum, & ideò viro ſuo *ait,*
3. & 5 *Excurram uſque ad hominem Dei. Qui ait illi, Quam*
ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calendæ, ne-
que Sabbathum. Quæ reſpondit, Vadam. Nec mihi mo-
o 4. Reg. *ram facias in eundo* o. Jure merito hæc mater
4. 21. &c propetabat *ad hominem Dei.* Quia *mortuus erat* fi-
lius ejus unicus: cùm unica filia noſtra, id eſt, ani-
ma noſtra mortua eſt per peccatum, *Anima quæ*
peccaverit, ipſa morietur p, recurrendum eſt *ad* p Ezech.
hominem Dei. Ad Deum interiùs, & ad Sacerdo- 18. 4. & 20
tes exteriùs per Confeſſionem q. *Ut cognovit* q Jacob.
quòd Ieſus accubuiſſet. Non adivit Magdalena Dei 5. 16
Filium ſtantem, nec ſedentem, ſed obſervavit
cùm recumberet, juxta morem Judæorum illius
temporis, qui comedebant recumbentes: acceſ-
ſit ergo illa ad Jeſum accumbentem, quia ſtans,
punit. S. Stephanus *vidit Ieſum ſtantem* r. Quaſi r Act. 7.
vellet ulciſci injuriam huic Protomartyri irro- 55. &c
gatam. Sedens, judicat, *Cùm venerit Filius hominis*
in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſ Matth.
ſuper ſedem majeſtatis ejus ſ. Et quia peccator 25. 31
non quærit Deum ut ab eo puniatur, aut judice-
tur, ideòque debet ei dicere, *Non intres in judi-*
cium cum ſervo tuo t: ſed ut inveniat miſericor- t Pſ. 142. 2
diam: propterea Magdalena acceſſit ad Jeſum
recumbentem, quod repræſentat nobis miſeri-
cordiam ejus. Idcircò ipſa dicere poterat, *Dum*
eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem
ſuum u. Sed quemnam *odorem* effudit? *Odorem* u Cant.
honeſtatis, timoris, & pudoris, *Stans retro ſecus pe-* 1. 11
des Domini, &c. Sicut autem ſigna impudentiæ
quæ perſonæ proſtitutæ præ fronte deferunt,
ſunt notæ propriæ impudicitiæ; ita è contrà ini-
tium caſtitatis & continentiæ eſt pudor, *Poſt-*
quàm convertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquàm o-
ſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, &
erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ
meæ x. Pudor homines commendat, *Rebecca* x Jer. 31.
conſpecto Iſaac, tollens citò pallium ſuum operuit ſe y. 19
Ideo debet mulier velamen habere ſupra caput propter y Gen. 24.
64. & 65
Angelos z. Magdalena *ut cognovit, quod Ieſus ac-* z 1. Cor.
cubuiſſet in domo Phariſæi, illuc pergit in habitu 11. 10
modeſto, & ibi ſervire facit juſtificationi ſuæ id
omne quod inſervierat proſtitutioni ipſius.

Quis poſſet in animum inducere, quòd mu- II. Part
lier quæ crimine ſuo a occluſerat oſtium para- a Gen. 3. 6
diſi, ita ut deinceps nemo poſſet illum ingredi;
aſſecta ſit modò janua illius; & quòd lux proce-
dat ex eâ, quæ tenebras attulerat? Antiqui lau-
dibus evexerunt aliàs fœminas ob tres ſingula-
res prærogativas, propter fortitudinem, ut De- b Judic. 4.
boram b; ob fidelitatum amoris, *Sicut Sara obe-* 4. &c
diebat Abrahæ, Dominum eum vocans c. Et pro- c 1. Petr.
pter ſapientiam, ut Thecuitidem d. Hæ inve- 3. 6. ex
niuntur in Magdalenâ. Fortitudo, quia Gen. 18. 12
d 2. Reg.
14. 4. &c

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia.

Quod Magdalena egit per converſionem ſuam.
Fidelitas amoris, *Remittuntur ei peccata multa,*
quoniam dilexit multùm. Et ſapientia, faciendo id
omne quod erat requiſitum ad veram conver-
ſionem, & ad illam aſſumendo quodcunque ip-
ſius inſervierat diſſolutionibus. Jacob ablaturus
à patre ſuo benedictionem, *acceſſit* ad eum indu-
tus veſtimentis odore perfuſis, ſine quibus bene-
dictionem intentam non obtinuiſſet: ſicut re ve-
râ *ſtatim ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam,*
benedicens e Iſaac, conceſſit ipſi quæcunque cu- e Gen. 27.
piebat. Magdalena volens ſuſcipere remiſſio- 27. &c
nem peccatorum ſuorum, adit Jeſum Chriſtum,
verum Patrem Chriſtianorum, ut ab illo impe-
tret benedictionem. Mutatio Jacob attulit odo-
rem cœleſtium unguentorum, quam *ſtatim ut ſen-*
ſit Chriſtus, hanc impertitus eſt ipſi Magdalenæ
mutatæ benedictionem. *Remittuntur tibi peccata.*
Attulit alabaſtrum unguenti, &c. Videtur egiſſe
Mag-

Magdalena inſtar Inquiſitorum fidei, qui invenientes aliquem typographum impreſſiſſe aliquem librum contra bonos mores, aut contra fidem, non ſolùm eum puniunt, ſed etiam comburendum decernunt librum, imò verò igni tradendos charectêres, quibus prælo mandatus fuerat: ſic Magdalena intuite ſe abuſam unguentis, capillis, & oculis ſuis contra Deum, & proximum, hos omnes comburit charactêres anteactæ vitæ ſuæ igne ſacræ dilectionis, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Aut ſicut jubente Deo, Moyſes, vel de mendato il-

f Exod. 37 1. g Exod. 38 8.

lius, *Beſeleel f fecit labrum aneum cum baſi ſua de ſpeculu mulierum* g: Ut ſacrificaretur Deo id, quo Divina Majeſtas fuerat offenſa, mutando in gratum ſactificium id, quod priùs vanitati inſervierat: ita Magdalena ſumit unguenta ſua, & omnia ſua inſtrumenta peccati & impuritatis, & convertit ea in jucundum ſactificium, cùm *attulit alabaſtrum*, &c. Ipſa ſacrificat illi pulchritudinem ſuam, quæ eſt detrimeotum eburneum, quatenus ſi hinc delectat, illinc rationem ex.æcat; & ſi ex una parte ſuavirer intrat in oculos corporis, ex altera inficit animam veneno, ſicut viperæ, quæ prodeuntes in lucem, diſcindunt viſcera matris ſuæ. Illa eſt buccina muta, clamans ſine voce, loquens ſine verbo, delectans abſque eloqueotia, dirigens & convertens huc & illuc abſque fræno quoſcumque

h Zach. 11 7, & 10

voluerit. Zacharias h vocat *Decôrem*, *Funiculum*, *& Virgam*. Funiculus eſt, quia ſic ligat homines ſtrictè, ut fortioribus conſtringi non poſſint vinculis; quoniam ligat corpus, cor, & animam: ſicut enim funibus trahitur quidquid eſt fortiſſimum; ita funiculus decôris fortiſſima ad ſe attrahit corda. Virga eſt percutiens uſque ad educendum ſanguinem, imò ad inferendam mortem. Hoc patet in Dalila adversùs Samſonem, *Vocavitq; tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim*

i Judic. 16, 19, &c.

ab eo fortitudo diſceſſit i, &c. Ecce ictus iſtius virgæ in Hebræo, ubi legitur, *Cœpit affligere eum.* Id eſt, iſtâ virgâ.

Alii dicunt, pulchritudinem eſſe illum, quem tenebat *Cherubim, flammeum gladium atq; verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* k. Sicut enim

k Gen. 3. 24.

ille erat gladius, ignis, & volans: ita pulchritudo eſt gladius perforans cor & animam. *Ignis eſt*

l Job 31. 12.

uſq; ad perditionem devorans l. Et volans, quia conſumit illa quidquid habet obvium. Alii aſſerunt, eam eſſe ſicut *aquas de Mara, eò quòd amara*

m Exod. 15 23.

eſſent m. Quid amarius pulchritudine? Hoc eſt quod Noëmi ait, *Ne vocetis me Noemi* (*id eſt pul-*

n Ruth 1. 19. & 20

chram) *ſed vocate me Mara* (*id eſt amaram* n.) Illa, eſt laqueus omnibus hominibus. Si retia piſcatorum illaqueent parvos piſces, non poſſunt capere magnos: ſi autem concludant magnos, non poſſunt ſiſtere parvos: ſed laqueus decôris omnes irretit homines, magnos & parvos. Conſecrat Magdalena Sponſo ſuo hunc decôrem, & quidquid habebat ipſa pretioſum. Et quia erat ipſa fœtida propter vitia ſua infamia, *accepit li-*

o Jo. 12. 3.

bram unguenti nardi piſtici pretioſi o. Id eſt, unguentum odoriferum. Et quoniam ardebat ipſa igne amoris profani, *attulit alabaſtrum* ex natura ſua frigidum, in refrigerium. Et quia ipſa ſuperba erat & impudens, capit ipſa nardum, quæ eſt herba humilis & depreſſa.

Hic videmus id in Magdalena adimpletum,

p Rom. 6. 19.

quod deinceps ſcripſit S. Paulus p, *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Cùm *lacrymis cœpit rigare pedes Ieſu*, mutando oculos ſuos organa iniquitatis in inſtrumenta veræ pœnitentiæ. Et conſequenter hic renovatur miraculum, de quo Pſalmiſta q ait, *Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Mirabile viſu oculos, qui fuerant inſtar fornacis ardentis, circumquaque projicientes flammas vivas amoris impudici, mutatos in duos præclaros *fontes aquarum* lacrymarum. Diabolus fabricaverat in hac fornace ardenti oculorum ejus inſtrumenta totius iniquitatis: Chriſtus autem gratiâ ſuâ totum hunc extinxit ardorem. Hic exclamare poſſumus ad Deum cum eodem Pſalmiſta r, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Quaſi diceremus ei ſinguli, Non poſſum projicere oculos conſiderationis meæ ſuper me, aut ſuper membra mea, quin ſtatim admiratione ciear, videns mirabilia tua, & abyſſum ſcientiæ tuæ ita mirabilis in compoſitione eorum. Tamen negari non poteſt, quin præ omnibus membris corporis, oculi ſint admirabiliſſimi, & optimè elaborati; & ita nobis chari, ut volentes aliquid exprimere nobis charum, ſtatim illud comparemus oculis noſtris, aut eorum pupillis; eòuſque ut Scriptura exprimere intendens providentiam Dei erga Juſtos, dicat, quòd cuſtodiat illos ut oculos ſuos, vel ut pupillas ſuas, *Cuſtodi mè ut pupillam oculi* ſ. Et, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* t.

q Pſ. 113, 8
r Pſ. 138, 6
ſ Pſ. 16. 8.
t Zach. 2. 8

Res inuſitata id quod ait Jeremias u, *Aſcendit mors per feneſtras noſtras.* Id eſt, ſenſuum noſtrorum, præſertim verò oculorum noſtrorum. Sed quodnam ſecretum naturæ eſt iſtud? cùm verum ſit, quòd *cor eſt primum vivens, & ultimum moriens.* Econtrà verò oculi ſunt ultimi viventes, & primi morientes, ut videmus in iis qui extremum vitæ agonem ſuſtinent, qui amittunt virtutem primò & exercitium oculorum. Hoc innuit, quòd in morte ſpirituali peccati, oculi ſunt prima janua, & occaſio mortis peccati, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam* x. Sed quale furtum? Anima eſt imago Dei; *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* y. Si ſuffurari poſſent Deum, id agerent, ſed cùm non poſſint, deprædantur *animam*, quæ eſt imago illius. Sed licèt oculi ſint janua ad omnia vitia patranda, tamen meliùs ſunt impuritatis fomites,

u Jer, 9. 21
x Thren. 3. 51
y Gen. 9. 6.

Oculi ſunt in amore duces.

Viſus eſt prima occaſio impudicitiæ, prima armatura luxuriæ: oculi ſunt lenones, quibus mediis diabolus noſtras profligat animas. Proptereà antiqui dederunt Cupidini Deo amoris, arcum cum ſagittis, volentes nobis innuere, quòd hic arcus ſignificat viſum, duo illius extrema notant duos oculos, & funiculus nervum opticum: ſicut enim tendendo, & ſolvendo funiculum, vibratur ſagitta: ita jeculum viſus emittitur à nervo optico. Sed quales ſagittæ ſunt tales aſpectus! Venenatæ ſunt illæ, nec niſi vix ab anima erui poſſunt, aut à cogitatione.

Audiſtis modò detrimenta quæ proveniunt è pulchritudinibus: ſed illæ non nocent, niſi aſpiciantur: tunc enim eæ ſunt præcipitium apertum, & venenum paratum iis qui ipſas intuentur, ſicut *Naphtha, bituminis flos tenuiſſimus, cui tanta eſt cum igne cognatio ut flamma tranſiliat in eam undequaq; viſam* z. Vel dicemus, quòd pulchritu-

z Calepin. in Diction. v. Naphtha, citans Plin. l. 2. c. 105.

do eſt ignis vivus & calidus, & oculi iſtud bitumen; & quòd ſtatim ac intuentur iſtum ignem, accenduntur, & ignem concipiunt. Ideò con-
a Eccl. 9, 8 ſulit nobis Eccleſiaſticus a. *Averte oculos tuos à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam.* Ex hoc enim intoitu concupiſcentia accenditur ut ignis. Et ſicut Baſiliſcus ita eſt venenoſus, ut ſolus illius tactus, aut halitus areſcere faciat plantas; ita baſiliſco pulchritudinis mulierum, plantæ puritatis arent tam in eo qui intuetur, quam in illa quæ aſpicitur. Imò hæc pulchritudo pejor eſt baſiliſco: baſiliſcus enim non occidit niſi eos qui ipſum intuentur, non autem ſeipſum; cùm econtrà iſte baſiliſcus pulchritudinis aſpectus, ſibi ipſi mortem inferat. Ideò refertur de Scipione, quòd cùm cepiſſet Carthaginem, nunquam ſuos oculos ſuper ullam ſiſtere permiſerit mulierem; Ne aliquid virginitatis, aut integritatis (inquiebat ipſe) derivaretur in oculos ſuos. Quod eſt documentum ad Chriſtianos directum: ſi enim Ethnicus ſic de ſua ſolicitus fuit cuſtodienda puritate; quid non egere debent Chriſtiani, præſertim verò adoleſcentes & juvenes, ne labantur in diſſolutiones, quæ ſequuntur ex his aſpectibus inordinatis? Hic baſiliſcus pulchritudinis occidit omnes eos qui ipſum aſpiciunt; mulier proſtituta mortem animæ infert iis qui ſuper ipſum ſuos injiciunt oculos; imò pejor eſt baſiliſco, qui tantùm occidit cùm intuetur, non autem cùm aſpicitur: licèt enim baſiliſcus etiam mortuus ſerpentes pellat, ut obſervant Naturales, propter quod Ægyptii appendebant eos in templis ſuis; non poteſt tamen eos fugare, cùm tantùm eſt pictus: ſed baſiliſcus iſte pulchritudinis ita venenoſus eſt, ut etiam pictus mortem inferat; eò uſque ut Philoſophi Morales prohibuerint imagines impudicas nudatam mulierum, quia earum aſpectus, imò ſola picture, vel etiam cogitatio necem ir-
b Eccl. 9, 9 rogat. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt* b. Ideò jure merito *reſpiciens uxor* Lot Sodomam, & homines impudicos ut laqueos concupiſcen-
c Gen. 19, 26, &c. tiæ, *poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis* c. Ita hic aſpe-
d S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 6. ctus diſplicet Deo. Unde S. Ambroſius d dixit, *Qui non reſpexit, evaſit: quæ reſpexit, non potuit evadere.* Non eſt mutata in ignem, ut videbatur convenire, cùm converſa fuiſſet ad ignem materialem, qui comburebat Sodomitas; & ad ignem internum concupiſcentiæ; ſed in ſal, ut præſervaremor exemplo illius: ſicut enim oves purgantur ſale; ita purgare debemus animas noſtras & oculos noſtros à tali labe, ſale talis
e Pſ. 118, 37. ſtatuæ, & talis exempli. Sic David e dicebat Deo, *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Et
f Job 31, 1 Job f, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quia oculi ſunt maximà vicini cogitationi, ita ut vix illi inveniri poſſint ſine iſta. Ideò Magdalena non adhibuit ſolos oculos ſuos, *lacrymis pedes* Jeſu rigando; ſed etiam os ut organum mentis, & cogitationis, *Et oſculabatur pedes ejus.* Hæc non ſunt oſcula perfida Judæ proditoris, cui *Jeſus dixit, Juda, oſculo Filium hominis tradis* g. Oſcula impudica deſtru-
g Luc. 22, 48. ont pudicitiam, quæ comparatur liliis, *Dilectus*
h Cant. 6, 1 *meus deſcendit in hortum ſuum, ut lilia colligat* h. Hortus iſte eſt Eccleſia, in qua ſunt varii flores, Patriarcharum, Prophetarum, &c. Radices lilii ſunt candidæ, factæ in formam cordis: ibi primò eſt radix, inde exit caulis exilis, & tan-
i 1. Tim. 3, 2. dem flos: & hoc intendit S. Paulus i, volens *mulieres pudicas.* Primò corde, ecce radix alba lilii; cogitatione, & ecce caulis; & opere in toto corpore, manifeſtando hanc eximiam virtutem, & ecce flos: ſicut enim pulchritudo lilii perit, irrigata vino; ita nihil magis adverſatur huic virtuti quàm vinum, *Nolite inebriari vino, in*
quo eſt luxuria k. Deinde, Sicut ſolus tactus facit k Epheſ. 5, 18.
ut areſcant lilia, & odorem ſuum amittant; ita tactus ſe habet reſpectu puritatis.

Iſtud eſt quod agit Magdalena, effundens lacrymas oculorum ſuorum, qui fuerunt veluti ſpecula accendentia corda illorum, qui ipſos intuebantur oculos, quique mutantur modò in aquas refrigerii, & in rivos lacrymarum. Iſti oculi, qui fuerant veluti cœlum, in quo audita fuerant perſtrepere tonitrua, & viſa micare fulgura Cupidinis; & altare, in quo offerebantur ſacrificia tali idolo; ſunt nunc cœlum gratiæ, & virtutis, & altare in quo vero Deo offeruntur ſacrificia. Ita ſe geſſit David, dicens Deo, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam* l. Sed quid? perpetraverantne l Pſ. 118, 136.
oculi adulterium cum Bethſabee, & homicidium Uriæ viri illius m? Nequaquam. Sed fue- m 2. Reg. 11, 2. &c.
runt veluti primum oſtium, & prima arma adulterii, & homicidii. Ideò, *Exitus aquarum*, &c. Quia ſoli oculi expiare poſſunt peccatum quod commiſerunt. Id quod alii ſenſus non poſſunt facere, hoc ipſi exequuntur lacrymis. Non ſolùm autem delent peccata quæ ipſi cõmiſerunt, aut quæ procedunt ab ipſis, ſed deinde mittunt lacrymas ad omnia alia membra ad purgandas ipſorum maculas, quod iſti ſenſus non poſſunt peragere. Hæ autem lacrymæ ſic ſunt efficaces, ut, ſi in terram more pilæ projiciantur, eleventur in cœlum ante Deum, & veniam impetrent, clamantes ſine voce, *Neque taceat pupilla oculi tui*
n. Ipſarum efficacia in hoc eſt ſita, ut miſericor- n Thren. 2, 18.
diam conſequantur, *indulgentiam ipſius, fuſis lacrymis impetremus* o. Oculi mirabiles, loquentes ſi- o Eccleſia.
ne lingua, delectantes abſque eloquentia Deũ, & Angelos, cùm voces illorum ſint fletus! *Auribus percipe lacrymas meas* p. Si autem effunden- p Pſ. 38, 13
dæ ſunt lacrymæ, ideò ut expientur vitia omnium aliorum ſenſuum, præſertim oculorum, & impuritatis: licèt enim in quolibet vitii genere ſacrificium offeratur diabolo, non tamen datur ei aliquid ſubſtantiæ noſtræ, ſicut in impudicitia: ideò S. Paulus q ait, *Qui fornicatur, in* q 1. Cor. 6, 18.
corpus ſuum peccat. Ut expietur igitur tale crimen, tribuendum eſt Deo aliquid ſubſtantiæ noſtræ, & hoc ſitum eſt in lacrymis: ideò jure merito Magdalena uberes effundit lacrymarum rivos, cùm Deo offerre debeat ſacrificium eò gratius, quò jucundiorem præſentaverat oblationem diabolo diviſione carnis ſuæ.

Tandem, Suos inſumit ipſa capillos, cogitationum ſuarum ſymbola, *Capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ* r. *Et capillis capitis ſui ter-* r Dion. Carth. art. 44 in Luc. 21, 18.
gebat. Quales laquei, capilli mulierum ad irretiendos homines! *Judith* ſ *diſcriminavit crinem* ſ Judith 9, 1
capitis ſui t. Ut ſuis capillis intertextis more t Judith 10, 3
retium illaquearat Holofernem, cùm nihil ſit fortius armis iſtis. Sic obſeſſâ Carthagine, mulieres præciderunt ſibi capillos, quibus in funes concinnatis abſtulerunt ab hoſtibus tormenta bellica: diabolus obſidens civitatem animæ noſtræ, volens eam vincere, nihil fortius invenit capillis noſtris. Hæ mulieres ita comptæ non poſſunt meliùs comparari quàm templis Ægyptiorum: ſicut enim illorum porticus nunquam ſatis benè ornatæ erant, quantamvis pictores ad

ea

ea ornanda induſtriam adhiberet, licèt intùs nihil eſſet præter bufones canes, feles, leones, aut diabolum, quos adorabant ibi ut Deos ſuos; ita hæ ſtructuræ in fronte mulierum videntur eſſe alterum cœlum delapſum in terram; hæc pulchritudo, aut naturalis, aut ementita, aut mutuata, videtur imitari Angelos in forma humana; iſti oculi, hæ manus, hi capilli plures irretiunt homines, quàm retia piſcatorum illaqueent piſces. Sed trahite velum; tunc non videbitis in corde earum niſi bufonem, canem, leonem, &c. conformiter ad vitium beſtiis iſtis ſignificatum. Docet nos S. Paulus *u*, quantùm exceſſus iſte diſpliceat Deo, *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe; & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretiosâ.* Sed quare? Quia omne tempus, quod impendere debebant in obſequium Dei, & in curam domûs, ipſæ aſſumunt ad ſe ornandas. Idem ferè ait S. Petrus *x*, loquens de ornamento mulieribus neceſſario, *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Sed quàm longè ab hoc moderato cultu hodie diſtant mulieres. Audiant S. Cyprianum *y* ipſas ſingulas poſt S. Paulum mudò citatum, ſic alloquentem, *Locupletem te dicis, & divitem; ſed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum juſto fine moderandum, ſuâ voce præſcribit.*

[*u* 1. Tim. 2. 9. — *x* 1. Petr. 3. 3. — *y* S. Cypr. tract. de Diſciplin. & habitu Virg. n. 34]

Magdalena Domini ſui *pedes capillis capitis ſui tergebat.* Ut oſtenderet, quòd deinceps ipſa vellet eſſe pœnitens publica; ſicut deinceps Concilia decreverunt, ut pœnitentes publici capillos ſuos haberent raſos, ſine quo pœnitentia ipſorum non eſſet perfecta, nec valida; ita ut tempore illo, quo vigebat hæc conſuetudo, videre hominem raſum, idem eſſet ac credere, illum fuiſſe Clericum, aut Monachum, aut pœnitentem publicum: ſic Magdalena evadere vult pœnitens publica, Domini ſui *pedes capillis capitis ſui tergendo, poſtquàm illos ſuis lacrymis cœpit rigare.* Vel ipſa hanc inſumit ceremoniam, ut abrenunciet mundo, & evadat odoramentum illius, bono exemplo ſuo, & converſione ſuâ. Si autem S. Paulus *z* vivere volebat in mundo inſtar crucifixi, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: Magdalena ſe gerit eodem modo, & in notam iſtius mortis myſticæ, ſuos projicit capillos ante Chriſtum, & adimplet id, quod deinceps dixit idem Apoſtolus *a*, *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Et tota Provincia noſtra fidem facit, quòd ipſius *converſatio in cœlis b* fuit magis, quàm in terris. Iſto etiam uſa eſt ipſa modo, aut ut daret ſigna periculorum, à quibus ipſa declinaverat. Aliàs illi qui liberari à naufragio, ad portum feliciter appellebantur, præcidebant ſibi capillos, quos Deo Liberatori offerebant: Magdalena enavigaverat mare hujus mundi procelloſum, & ſcatens ſcopulis voluptatum: ideò antiqui fingebant, Deam Venerem exiiſſe è mari; cùm in mari non inveniantur tot guttæ amaræ, quot inveniuntur amaritudines in mari voluptatum hujus mundi. Quænam igitur non evaſerat ipſa pericula? In gratiarum ergo actionem, capillos ſuos offert Liberatori ſuo. Vel iſtam adhiber ceremoniam, ad eam invitata exemplo antiquorum, qui ponebant capillos mortuorum ſuorum ſuper ſepulchris ipſorum, in ſignum mortis ipſorum: Magdalena volens mori mundo, ſibi, diabolo, peccatis anteactis, ut tota vivat Deo, in notam talis mortis myſticæ, ſuos Deo capillos conſecrat. Seu hâc ceremoniâ vult ipſa ſe Deo dedicare inſtar virginum Veſtalium, quæ in notam ſuæ perpetuæ oblationis præcidendos ſibi ſatagebant capillos, & appendebant eos in arbore, cui nomen erat Lethon, id eſt, oblivio: quid mirom ſi Magdalena ſuos appendat capillos in arbore Jeſu Chriſto, cùm verè ſit idem Salvator Lethon, quo terrenorum obliviſcimur? *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus c.* Quod deinceps egerunt plures vitæ Religioſæ Cultores, & Cultrices. Ideò ipſa ſe deſtinat ad obſequium Dei, & ad pœnitentiam, faciens ſervire juſtificationi ſuæ id omne, quod ipſa adhibuerat ad proſtitutionem ſuam. Sed ſi illam imitati ſumus in diſſolutionibus ejus, Auditores; ſequamur eam in converſione & in pœnitentia ipſius: & Filius Dei dicet nobis ſingulis, *Remittuntur tibi peccata.* Et *gratiam, & gloriam dabit d* nobis.

[*z* Galat. 6. 14. — *a* 1. Cor. 7. 31. — *b* Philipp. 3. 20 — *c* Luc. 14. 33. — *d* Pſ. 83. 12]

DOMINICA PALMARVM.

Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. 5. &c. ex Iſai. 62. 11. & ex Zach. 9. 9.

MActi animo, Auditores, depreſſas erigite ſpes veſtras, æquè ac mentes veſtras: ſuum non vult ampliùs Deus ingreſſum ad nos facere per oſtium juſtitiæ vindicantis, ſed per januam miſericordiæ benefacientis, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Præ ſe ipſe non fert ampliùs faciem leonis, cui comparavit eum aliàs Propheta Amos *a*, ſub qua non poterat niſi timorem & tremorem incutere, *Leo rugiet, quis non timebit?* Sed faciem agni, ſub quâ nobis illum repræſentat Evangeliſta S. Joannes *b*, *Ecce Agnus Dei.* Non vocatur ipſe ampliùs, *Deus ultionum Dominus. Deus ultionum c.* Nec *Dominus Deus exercituum d.* Sed *Deus pacis e.* Non ſedet ipſe ampliùs *ſuper Cherubim f.* Nec currus ejus trahitur ampliùs ab equis ipſo vento velocioribus, cùm non ambulet ampliùs *ſuper pennas ventorum g.* Unde innui nobis poteſt velocitas illius in puniendo, *Dicuntur enim venti habere pennas metaphoricè propter velocitatem curſus*, ait Incognitus *h*. Nec ampliùs accedit *ad vos in judicio*, nec eſt *Teſtis*, id eſt, Judex *velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt i ipſum.* Sed eſt *ſedens ſuper aſinam & pullum* leniè incedentes, ut miſereatur *omnium, peccata hominum propter pœnitentiam k* diſſimulans. Nolite vobis eum repræſentare quaſi ipſe ſit alter *Benadab Rex Syriæ l*, qui conatur ingredi cum intentione occidendæ Jezabelis, & totius progeniei impii Regis Achab: ſed potiùs ut bonum Samuelem,

[*a* Amos 3. 8. — *b* Joan. 1. 29. — *c* Pſ. 93. 1. — *d* Iſai. 6. 3. — *e* Iſai. 9. 6. & Hebr. 13. 20. — *f* Pſ. 79. 2. — *g* Pſ. 103. 3 — *h* Incogn. in Pſ. 103. 3. — *i* Malach. 3. 5 — *k* Sap. 11. 24. — *l* 3. Reg. 10. 1, &c.]

qui ingreditur per portam extraordinariam Jeroſolymas, *tollens vitulum de armento in manu, & dicens, Ad immolandum Domino veni.* Cujus *eſt ingreſſus pacificus, cornu olei* m deferens in altera manu ſua, quo inungat Davidem, id eſt, animam ſanctam, *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* n. Ingreditur ergo per portam extraordinariam, cùm porta ordinaria ipſius eſſet porta juſtitiæ. Per hanc portam ingreſſus eſt, cùm rebellem Adamum *emiſit de paradiſo voluptatis* o. Cùm intravit in mundum per diluvium, *Factumque eſt diluvium quadraginta diebus* p. Et quando *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia* q. Hodiernâ verò die ingreditur per portam miſericordiæ: ideò vocatur *Rex manſuetus.* Et ut hic tollit *in manu* una victimam ſuam, quæ eſt ſancta Humanitas ſua, quam traditurus eſt *pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* r. Propereà dicitur ei, *Hoſanna Filio David. Id eſt, ſalvifica* ſ. Et in altera manu *cornu olei*, quod eſt ſymbolum miſericordiæ. Dicamus ei igitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini* ut Princeps miſericordiæ, cujus ſplendores admirabimini, poſtquam Miſericordiæ Genitricem ita ſalutaverimus, *Ave Maria.*

m 1, Reg. 16, 2, &c.
n 1, Reg. 13, 14.
o Gen. 3, 23
p Gen. 7, 17.
q Gen. 19, 24. & 25.
r Epheſ. 5. 2.
ſ Dion. Carth. art. 35. in Matt. 21, 9

Eccleſia ſancta hodiernâ die duo feſta celebrat valdè differentia juxta ſententiam hominum; ſed quæ ſunt una & eadem res ſecundùm intentionem Dei, & ipſiuſmet Eccleſiæ. Primum, eſt triumphus JESU Jeroſolymis, qui eſt ſcriptis exaratus in Evangelio, quod ipſa concinit. Secundum, eſt ignominia ejuſdem Jeſu in monte Calvariæ, quam ipſa pronunciat in lectura Paſſionis t illius. In primo, Judæi procedunt obviàm JESU, eumque ſuſcipiunt Jeroſolymas præ magno applauſu, & honore: in ſecundo verò, *Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſſi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi.* In primo, Honoratur à diſcipulis ſuis, & ab omni populo, ingrediens Jeroſolymam; *ſedens ſuper aſinam & pullum.* In ſecundo autem, *Diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt.* Judæi *expuerunt in faciem ejus; & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Chriſte: quis eſt qui te percuſſit? Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi. Jeſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* In primò, *Plurima turba straverunt veſtimenta ſua in via*, ut ſuſciperent eum præ magnificentia: in ſecundo verò, Ipſe exuitur veſtibus ſuis ut confuſione operiatur: quin imò *poſtquàm crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes.* In primo, Offeruntur illi palmæ: in ſecundo autem, *Milites Præſidis poſuerunt arundinem in dextera ejus.* In primo, *Alij cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.* In ſecundo verò, Iidem *milites Præſidis plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus.* In primo, *Benedictus in nomine Domini* vocatur: in ſecundo verò, maledictionibus obruitur, *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua; & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebant, Alios ſalvos fecit: ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* In primo, *Rex* Jeroſolymorum vocatur: in ſecundo autem, *Reſponderunt Pontifices, Non habemus Regem, niſi Cæſarem* u. In primo, Salvator mundi & Meſſias vocatur, *Hoſanna filio David.* Et in ſecundo, Ut malefactor habetur, nedum ut Meſſias, cùm ſeipſum ſalvare non poſſe exiſtimetur, *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens, Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos* x. Tamen licèt hæc duo Feſta videantur ita differentia in ſemetipſis, & æquè differentia ac differentes ſunt, aut fuerunt Judæorum, & Gentilium mentes in his duobus occurſibus; volo vobis oſtendere quòd ſint una & eadem res; quia in illis duabus Solemnitatibus Eccleſia edocta à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* y, vult nobis cognoſcendum exhibere Meſſiam in Lege z promiſſum propter duas rationes, quæ diſcurſus iſtius ſeriem texent. Prima eſt, propter dominium ſupremum quod ipſe præ ſe fert in Feſtis Jeroſolymorum, & Calvariæ. Secunda eſt, ob qualitatem Regis, quam capeſſit in utroquè.

t Matth. c. 26, & 27.
u Joan. 19. 15.
x Luc. 23. 39.
y 2, Petr. 1. 21.
z Gen. 49 18.
Diviſio.

I. Pars.

Prima hæc eſt ratio, quæ probat propoſitionem meam, quòd in feſto hodierno, & in ſolemnitate Calvariæ, Eccleſia nobis cognoſcendum exhibere velit Meſſiam in Lege promiſſum; & quòd in utraque celebritate ſummum habeat ille dominium ſuper omnes creaturas. Scriptum eſt de Meſſia, quòd ipſe dominaturus ſit cœlo, & terræ, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra* a. Et, *Domini eſt terra, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo* b. Et quòd ipſe ſceptra & diademata Magnatibus diſtribuat, æquè ac Judicibus authoritatem præbeat ſupremam, *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* c. Apparet ipſe hodiernâ die in hoc triumpho Jeroſolymitano cum hoc imperio ſupremo ſuper omnes creaturas, præcipit hominibus, qui nobiliſſimi ſunt præ omnibus creaturis, *Tunc Jeſus miſit duos diſcipulos, dicens eis, Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.* Quippe qui *Dominus omnium* ſum, *nec eſt qui reſiſtat majeſtati* d meæ. Ubi tria hic obſervo. Primum, eſt obedientia diſcipulorum. Secundum, eſt teſtimonium quod Jeſus perhibet ſuiipſius, ſe eſſe Dominum univerſorum. Tertium, eſt facilitas proprietarii iſtorum animalium, qui ſtatim ac audivit illos loqui de Jeſu, reſtituit ei id, quod ab illo ſuſceperat. Verbis iſtis, *Ite in caſtellum*, &c. oſtendit ipſe dominium quod ipſa habet ſuper homines; ſed illud meliùs manifeſtat per hæc ſequantia, *Turba autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna Filio David.*

a Matt. 28 18.
b Pſ. 23, 1
c Prov. 8, 15, & 16.
d Eſth. 13, 11.

Populus qui præcedit, ſunt Patriarchæ, Adam, Noë, Abraham, Lot, Iſaac, Jacob, &c. Prophetæ, ut Moyſes, David, &c. Reges, ut Salomon, &c. Pontifices, ut Aaron, &c. Populus qui ſequitur, ſunt Apoſtoli, Evangeliſtæ, diſcipuli, Martyres, Cõfeſſores, Virgines, & omnes Chriſtiani, qui credunt in eum: quorũ alij ſunt ſummi Pontifices, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Sacerdotes; alij verò ſunt Imperatores, Reges, Principes, Nobiles, & plebeii, *Mundus totus poſt eum abijt*, ait S. Joannes e. Et ante illum David f, *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus.* Ecce quoad eos qui præcedunt. Quo-

e Jo. 12, 19
f Pſ. 75, 2

ad

ad illos autem qui ſequuntur, ecce, *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra* g. Sed dicamus meliùs cum ſancto Gregorio h, turbam præcedentem eſſe Iudæos, ſequentem verò eſſe Gentiles, *Præceſſit Iudaicus populus, ſecutus eſt Gentilis: & quia omnes Electi, ſive qui in Iudæa eſſe potuerunt, ſive qui nunc in Eccleſia exſtunt, in Mediatorem Dei & hominum* i *crediderunt, & credunt, qui præeunt, & qui ſequuntur, Hoſanna clamant. Ab ipſo enim ſalutem & priores quæſierunt, & præſentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini conſitentur. Quoniam una ſpes, una fides* k *eſt præcedentium, atque ſequentium populorum.* Ecce quomodo, juxta S. Gregorium, omnes homines, Iudæi & Gentiles agnoſcunt ſupremum dominiũ ejus, vocant eum Salvatoré, & concentu voce illum proclamant Meſſiam.

g Pſ. 8. 2.
h S. Greg. l. 2, ſup. Ezech. hom. 17
i ex 1. Tim 2, 5
k ex Epheſ. 4, 5

Secundò, Animalia ſubjiciuntur imperio ejus, cùm ea facit inſervire triumpho ſuo, *ſedens ſuper aſinam & pullum.* Et in hoc apparatu Ieroſolymas ingreditur. Vel dicamus, ſi vultis, cum Dionyſio Carthuſiano l, *Myſticè per caſtellum deſignatur totus hic mundus, parvus virtute, magnus pravitate: per modum caſtelli contra Deum, murus impietatis, duritiá cordis, ſeu obſtinatione munitus, in quem Chriſtus miſit diſcipulos ſuos, dicens, Ite in mundum univerſum* m, *in quo Apoſtoli invenerunt aſinã alligatam, id eſt, Synagogam, ſeu populum Iudæorum; & pullum, id eſt, Gentilitatem, eratque uterque populus funibus vitiorum obſtrictus. Quoniam tamen Synagoga ſuper ſe tulit onera legis, jugum utique (teſte Petro) graviſſimum* n *ideò deſignatur per aſinam ſubjugalem. Gentiles verò ſine ſervitio legis & fide Dei viventes laſcivi ac vagi ſignificantur per pullum indomitum à nemine ſubjugatum. Voluit ergo Chriſtus utrumque animal ſibi adduci, quia præcepit Apoſtolis, ut utrumq; converterent populum, dicens, Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ* o. *Sedit quoq; ſuper utrumq; animal, quoniam utrumque populum ſibi ſubjecit per fidem, & cultum Divinum. Primò tamen ſedit aſinæ, quoniã primò venit, & diſcipulos miſit ad convertendos Iudæos: quemadmodum Paulus ait, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei* p. *Cùmque diſcipuli adduxiſſent aſinam & pullum ad Ieſum, eum deſuper ſedere fecerunt, quia cùm convertiſſent quoſdã Iudæos, & Gentiles innumerabiles, ſubjecerunt eos imperio Chriſti, ut ejus præceptis parerent. Prædictis inſuper conſonat quod in Geneſi* q *Iacob ait Iudæ filio ſuo de Chriſto, Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad vineam, ò fili mi, aſinam ſuam. Quòd enim hoc ad literam de Chriſto dicatur, patet, ex eo quòd immediatè præmiſit, Non auferetur ſceptrũ de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.*

l Dion. Carth. art. 35, in Matth. c. 12, &c.
m ex Marc. 16, 15.
n ex Act. 15, 10.
o Act. 1, 8.
p Act. 13. 46.
q ex Gen. 49. 11, & 10.

Tertiò, Arbores dominio illius ſubjacent, præbitis illi ramis ſuis, *Alij autem cædebant ramos de arboribus.* Palmæ & oliva impenſes fecerunt hujus triumphi, & quaſi agnoſcerent beneficia, quæ ab eo ſuſceperunt, ſolvunt illi tributum. Quin imò entia vitæ expertia, in hac cathegorie collocata, qualia ſunt veſtes, quarto tributo ſolvendo ei non ſunt imparia, *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via.* Ut quatuor ordines naturæ, primus hominum, ſecundus animalium, tertius plantarum, & quartus eorum quæ ſolum habent eſſe, & ſimplicem exiſtentiam, ut indumenta, agnoſcant dominium Ieſu in hoc triumpho. Si verò Meſſias debebat habere pro nota hoc imperium univerſale; nunquid Ieſus apertè non declarat dominio ſuo, ſe eſſe Meſſiam promiſſum in Lege? Si autem Phariſæi ita ſunt imprudentes, ut velint hunc triumphum interturbare, & populo ſilentium imponere, æquè ac diſcipulis ejus, illis ipſe ait, *Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt* r.

r Luc. 19, 40.

Videamus nunc quomodo ipſe ſuam declarat qualitatem Meſſiæ ſuper Cruce per imperium, quod ipſe ſuper omnes habuit creaturas, ut duorum iſtorum concipere poſſimus unionem myſteriorum, quæ die hodiernâ celebrat Eccleſia. Nunquid non verum eſt quòd imperium ſupremum oſtendit ipſe ſuper homines, cùm mutavit cor Centurionis, & carnificum ac perſecutorum in corda agnorum? *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Verè hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorũ qui ſimul aderãt ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur* ſ. Nunquid non ex latrone fecit unum ſanctum, ita ut ipſi diceret? *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum* t. Et nonne enim militum, qui *lanceâ latus ejus aperuit* u; *Cæſarea in Cappadocia* x martyr illius effectus eſt? Super arbores, cùm crux, quæ erat arbor infamiæ (*Quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno* y) mutata fuerit ab eo in arborem honoris: *Benedictum eſt enim lignum, per quod fit juſtitia* z. Et id quod odio erat toti mundo, nunc diligatur, & adoretur in univerſo orbe. Super Solem, quem eclypſi ſuffudit, *Et obſcuratus eſt Sol* a. Et ſuper lapides, quos contrivit, æquè ac ſuper terram, quam tremore concuſſit, *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt* b. Tandem, Verum eſt, eum poſſe dicere, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* c. Nimirum, ſe manifeſtaturum ſupremum dominium ſuum ſuper univerſa: ſi cognoſcendum exhibeat ſuum imperium, ſuam declarabit qualitatem Meſſiæ, cùm Meſſias iſtam præ ſe laturus ſit qualitatem. Concludamus igitur hanc rationem, quòd Jeſus in triumpho Jeroſolymorum & in triumpho Calvariæ, qui videntur eſſe ſic differentes, etiamſi ſint una & eadem res, oſtendere voluit in hoc utroque ſtatu, gloriæ, & infamiæ, ſe verum Meſſiam.

ſ Luc. 23, 47. & 48.
t Luc. 23, 42, &c.
u Joan. 19. 34.
x Martyrolog. Rom. 15. Martii.
y Deut. 21. 23.
z Sap. 14. 7.
a Luc. c. 23. 45.
b Matt. 27. 52.
c Joan. 12. 32.

Sed ſi ipſe Meſſias eſt, & ita ſupremum præ ſe ferat dominium, ut audiſtis, quare indiget pullo & aſinâ in hoc triumpho? Ingenuè fateor, Auditores, quòd Ieſus, *quem conſtituit hæredem univerſorum* d Pater æternus, ex ſemetipſo nullâ re indiget, ut ei illi Pſalmiſta, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* e. Sed *Dominus his opus habet* ob bonum noſtrum, & propter ſatisfactionem noſtram. Sicut Sol indiget aëre ad illum illuminandum, fonteque horti ad eum irrigandum; Ita Ieſus indiget nobis ut nobis faciat bonum, ut nos luminibus ſuis illuſtret, & gratiis ſuis nos irriget. Sic eſt, Auditores: *Dominus his opus habet.* Id eſt, indiget hoc pullo, ſeu aſello, qui alligatus eſt crimine ſuo; hâc aſinâ, quæ ſenuit ſub jugo peccati, ut utriuſque ſalutem operetur. Saulus erat pullus ſeu aſellus indomitus, perſequens fideles, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* f, &c. Et licèt *vir Iudæus, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis* g: tamen ignorabat Dominum ſuum, ut ipſe fatetur, *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate* h. Deus igitur tangit illum, *Et ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem di-*

d Hebr. 1, 2.
e Pſ. 15, 2.
f Act. 9, 1. &c.
g Act. 22, 3.
h 1. Tim. 1, 13.

Digitized by Google

centem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? Et i-
dem Deus præcipit Ananiæ ut eum ſolvat, &
ex eo faciat vas ſanctificationis, *Dixit autem ad
eum Dominus, Vade, quoniam vas electionis eſt mihi i-
ſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regi-*
i Act.9, 3, &c. *bus, & filiis Iſraël* i. Magdalena erat aſina, quæ
ſenuerat in peccato, *Et ecce mulier, quæ erat in ci-*
k Luc. 7, 37. *vitate peccatrix* k. Detulerat ille jugum omni-
l Marc.16, 9. um criminum, quippe *de qua ſeptem dæmonia* l
ejicit Dominus, quo ſeptenario numero univer-
ſitas cunctorum innoitur ſcelerum, quorum erat
ipſa captiva, Ieſus illam diſſolvit, & eam efficit
ſanctam Amantum, ut ipſe hanc *converſus ad mu-
lierem, dixit Simoni, Remittuntur ei peccata multa,*
m Luc. 7, 44, & 47. *quoniam dilexit multùm* m. Quare? *Quia Domi-
nus his opus habet.* Peccator, ſi ſenuiſti in vitio
tuo, ne deſpondeas animum, aſina ſolvitur ſic-
ut & pullus, & Ieſus utitur utroque: ſi tuum
defleas peccatum (ut omnibus Deus conſulit
n Ezech. 18, 21. &c. per Ezechielem n peccatoribus, *Si impius ege-
rit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus
eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea & fecerit ju-
dicium & juſtitiam; vitâ vivet, & non morietur:
omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non re-
cordabor; in juſtitia ſua quam operatus eſt, vivet:
Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus
Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?*)
Si agas pœnitentiam, ſi cædas *ramos* vitiorum
o 1.Petr. 5, 6. tuorum, ſi te humilies *ſub potenti manu Dei* o; ſi
te proſternas in terram, ut proteraris ab homi-
nibus, ſicut conculcant hodie Judæi ſtrata *veſti-
menta in via*: ſi deferas in corde tuo Ieſum, ſic-
ut illum aſina ſuper dorſum ſuum deferebat,
profectò de te dicetur, ſicut de aſina & de pullo,
Dominus his opus habet. Ad manifeſtandam igitur
per hunc triumphum qualitatem Meſſiæ, dic il-
li cum iſta turba, *Hoſanna filio David.* Oſtende
me eſſe è dominio tuo ſupremo: & quòd ego
te agnoſcam ut Regem. Et hæc eſt ſecunda qua-
litas Meſſiæ.

II. Pars. Secunda eſt iſta ratio quæ probat propoſitio-
nem meam, quòd in triumpho hodierno, ſicut
& in triumpho Calvariæ, Ieſus ſe cognoſcen-
dum exhibuerit ut Meſſiam, quia in utroque tri-
umphavit ut Rex, quod eſt unum inſigne, æquè
ac una qualitas Meſſiæ, juxta prophetiam Za-
p Zach. 9, 9. chariæ p, *Ecce Rex tuus veniet tibi Iuſtus, & Salva-
tor, ipſe pauper aſcendens ſuper aſinam, & ſuper
pullum filium aſinæ.* Clarè deſcribit hic Prophe-
ta triumphum Ieſu prout Regis inſidentis aſi-
næ, & pullo. Evangeliſta noſter eum ſequitur,
& eadem ferè profert verba, *Dicite filiæ Sion, Ecce
Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinã, &
pullũ filiũ ſubjugalis.*

Non me latet, Auditores, multos Doctores
crediſiſſe, quòd Jeſus Chriſtus eſſet Rex: ſed
ſcio etiam illos aſſeruiſſe, quòd regnum illius
eſſet purè ſpirituale, non temporale. Quia in-
quiunt. Regnum temporale comitari debent di-
vitiæ, honores, innumera ſtipatio cuſtodum
corporis Regii, & Aulicorum, & potentiſſimi
exercitus ad tuendos Status ipſius, & ad devin-
cenda alia Regna: hæc autem omnia non ha-
bebat Filius Dei; econtrà ad magnam erat re-
dactus ipſe paupertatem (quæ Reges reddit
contemptibiles) ut ipſe fatetur, *Vulpes foveas
habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis*
q Matt. 8, 20. *non habet ubi caput ſuum reclinet* q. Et Eccleſia-
r Eccl.9, 16. ſtes r ait, *Sapientia pauperis contempta eſt, &
verba ejus non ſunt audita.* Econtrà verò, dicit i-
ſ Eccl. 12, 4. dem Eccleſiaſticus ſ, *Dives injuſtè egit, & fremet,
pauper autem læſus tacebit.* Nunquam manibus
pauperum commiſſa ſunt ſceptra in Rebuspu-
blicis benè moratis. Reſpublica Romana dice-
bat, *Curia pauperibus clauſa eſt.* Reſpublica Athe-
nienſis nolebat ut pauperes regiminis habenas
moderarentur: & Solon perhibetur expuliſſe
eos è Senatu, veritus ne avaritia & neceſſitas
perniciem molirentur Reipublicæ. Eodem ſe
gerebat modo Carthago: & Hebræi, quando
erant pauperes, admittere tenuebant principa-
tum, ſceptra, & diademata, *In domo mea non eſt
panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me*
Principem populi t. Eò quòd, dicunt illi Docto- t Iſai. 3, 7.
res, paupertas hominem efficiat contemptibi-
lem, & regimine reipublicæ indignum. Non eſt
aliquid certius, Ieſum Chriſtum fuiſſe paupe-
rem. Ipſe ſuam ingenuè fatetur paupertatem
per Prophetam ſuum. *Ego autẽ mendicus ſum, &*
pauper u. Et, *Pauper ſum ego, & in laboribus à ju-* u Pſ. 39, 18.
ventute mea x. Et per Apoſtolum y ſuum, qui x Pſ. 87. 16.
ait de ipſo, fideles alloquens, *Propter vos egenus* y 2. Cor 9. 8.
*factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſ-
ſetis.* Evangeliſta z ipſius, cautâ præſtat hanc ve- z Luc, 2, 6 & 7.
ritatem ab ipſius introitu in mundum, introdu-
cens Angelum nativitatem hujus regis pauperis
his terminis annunciantem paſtoribus, *Et hoc vo-
bis ſignũ, Invenietis infantẽ pannis involutũ, & poſitũ
in præſepio.* Quaſi diceret, Ecce nota, quâ præbeo
vobis cognoſcendi Meſſiæ, ſola paupertas: ſta-
tus enim miſeriæ, ad quẽ reperietis eum redactũ,
faſciis cõſtrictum, & pro cunis ſolum præſepe
habentẽ vobis notitiã illius exhibebit. Tota vi-
ta Ieſu Chriſti fuit continua paupertas: quando
naſcitur, ſtabulum alienum eſt illi loco baſilicæ
regiæ; & eleemoſynæ, quas ſuſcipit à paſtorib9,
neceſſitates ſanctiſſ. Genitricis ipſius ſublevant.
Si ſuã fovere velit vitam, oportet ut *mulier quadã*
Martha nomine, illũ in domũ ſuã a excipiat. *Et in-* a Luc. 10, 38.
greſſus domum Phariſæi b diſcumbat. Et aliàs apud b Luc. 7, 36.
Zachæũ publicanũ comedendi ergo, nedũ tamẽ
ab illo eſſet invitatus, divertat, *Et dixit ad eũ, Za-
chæe, hodie in domo tua oportet me manere. Et exce-*
pit illũ gaudens c. Si velit Ieroſolymas ingredi c Luc. 19, 2, &c.
præ triompho, oportet ut inſideat aſinæ, quæ e-
rat deſtinata ad obſequium pauperum. *Poſtquàm
autẽ crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus,*
ſortẽ mittentes d miniſtri Pilati, relinquentes eum d Matt. 27, 35.
nudum; ut edoceamur, eum fuiſſe potiùs ſpolia-
tum vitâ, quàm paupertate. Ratiocinemur au-
tem ſuper hoc, & dicamus, quòd, ſi paupertas
adverſetur regiæ dignitati temporaneæ, eique
eſt oppoſita, Ieſus Chriſtus non debeat eſſe Rex
temporalis.

Sed (veniâ illorum Doctorum dixerim) aſſe-
ro cum Zacharia prædicto, Regiam dignitatem
Jeſu Chriſti conſtitutam fuiſſe in paupertate, *Ec-
ce Rex tuus veniet tibi Iuſtus & Salvator, & ipſe pau-
per.* Imò verò excellentiam Regiæ dignitatis i-
pſius conſiſtere in ipſius paupertate. Ipſe dici-
tur natus è Genitrice paupere, ſed non conſide-
ratur ortus ab ea ut à Matre ditiſſima omnium,
quippe quæ ſola pretioſum virginitatis theſau-
rum cuſtodire potuerit cum Maternitate præ
cæteris fœminis, ſicut ipſa *dixit ad Angelum, Quo-*
modo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco e. e Luc. 1, 34.
Queruntur homines, quòd ipſe naſcatur fragilis,
quòd accipiat *natus communem aerem, & in ſimi-
liter factam* decidat *terram, & primam vocem ſimi-*
lem omnibus emittat *plorans*, ſicut Salomon filius f Sap. 7, 3, & 5.
ejus avus dixit, licèt filius Regis, qui ſubdit:

Nemo

Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Sed non adverterunt, quòd, cùm *Virgo peperit Filium ſuum primogenitum* g: ipſe egrediens ex utero Genitricis ſuæ, non franget ſigillum virgineum hujus portæ, de qua Ezechiel † ait, *Porta hæc clauſa erit.* Et ideò præ ſe ferat ſubtilitatem, quæ eſt qualitas corporum glorioſorum. Aſpiciunt reclinatum *eum in præſepio* h. Sed non meminerunt, cunas Cæſarum, Alexandrorum, & Regum noſtrorum putrefactas eſſe, & ab omnibus deſpectas; quando præſepe Jeſu Chriſti eſt incorruptibile, & conſervatur Romæ in Eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris, ibique ſuſcipit reverentias Principum, & Regum. Paupertas igitur Chriſti non poteſt ipſi qualitatem Regiam eripere, cùm paupertas ejus ſit magis adorabilis, quàm ſint univerſæ totius orbis divitiæ adorabiles.

Secundam proponunt illi rationem, & dicunt, quòd, ſi Jeſus Chriſtus eſſet Rex, aut talis eſſet titulo donationis, aut jure ſucceſſionis, aut mediâ electione, aut interventu armorum. Non eſt Rex per donationem, cùm nemo Regnum illi tribuerit. Neque per ſucceſſionem: ſanctiſſima enim Virgo, cujus ipſe Filius eſt, non erat Regina, etiamſi è ſtirpe Regia ipſa fuiſſet orta i. Neque per electionem: non enim apparet, quòd ipſe fuerit electus Rex; ſed econtrà ubi Judæis dicit Pilatus, *Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices, Non habemus Regem, niſi Cæſarem* k. Et, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* l. *Hoc eſt, Ieſus iſte non eſt Meſſias in Lege* m, *& Prophetis* n *promiſſus. Unde apud Ioannem dicitur, Non habemus Regem, niſi Cæſarem. De quibus à Daniele* o *legitur prophetatum, Non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt,* ait Dionyſius Carthuſienus p. Neque jure armorum, quia ipſe eſt *Princeps pacis* q. Et in Nativitate ſua publicandam ſatagit ab Angelis pacem, *Et in terra pax* r. Et ante mortem ſuam, ipſe legat pacem eandem, dicens, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* ſ. Sed (pace Doctorum iſtorum dixerim) hi non attenderunt, quòd Pater æternus dederit illi Regnum t omnibus iſtis titulis, donationis, ſucceſſionis, electionis, & armorum. Illud dedit ei per donationem, cùm ipſe dicat illi, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam* u. Chriſtus eſt Rex per ſucceſſionem, *Dabit illi Dominus Deus ſedem Patris ejus* x. Rex eſt per electionem: hodie enim eligitur Rex, ut concinit Eccleſia *Benedictus qui venit in nomine Domini. O Rex Iſraël.* Et cùm *plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via,* hoc modo Judæi confitentur ſe ſpoliare ſeſe Regiâ dignitate, eamque transferre in Jeſum; quia pallium in Scriptura eſt ſymbolum regiæ dignitatis; ideò cùm *ait Samuel ad Saul, Non revertar tecum, quia projeciſti ſermonem Domini, & projecit te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſraël: & converſus eſt Samuel ut abiret; ille apprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel, Scidit Dominus Regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te* y. Et quando *factum eſt, ut Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inveniret eum Ahias Silonites Propheta in via, opertus pallio novo; apprehendens Ahias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam, Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël, Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus* z. Si pallium eſt ſymbolum regiæ dignitatis, populus Hebræus dans pallia Jeſu Chriſto, eligit eum Regem ſuum. Eſt etiam

g Matth. 1. 23. & 25. ex Iſai. 7. 14.
† Ezech. 44. 2.
h Luc. 2, 7.
i Matt. 1. 1. &c.
k Joan. 19. 15, & 15.
l Luc. 19, 14.
m ex Gen. 49. 18.
n ex Dan. 9. 24, &c.
o Dan. 9. 26.
p Dion. Carth. art. 42. in Luc. 19, 14.
q Iſai. 9. 6.
r Luc. 2, 14.
ſ Jo. 14. 27.
t Hebr. 1, 2.
u Pſ. 2, 8.
x Luc. 1, 32.
y 1. Reg. 15, 26, &c.
z 3. Reg. 11, 29, &c.

Rex jure armorum: ideò de illo dicit Iſaias a, *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Quod S. Auguſtinus b exponens, ait, *Tunc Chriſtus principatum ſuper humerum habuit, quando crucem ſuam admirabili humilitate portavit. Non incongruè crux Chriſti ſignificat principatum. Nam per ipſam & diabolus vincitur* c, *& totus mundus ad Chriſti notitiam vel gratiam revocatur.* Et S. Paulus d, *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Ecce igitur Jeſus Rex jure donationis, ſucceſſionis, electionis, & armorum. Audite inſtitutionem ejus ad Regiam dignitatem, & illum ſic loquentem, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra* e. Quaſi diceret, Ego ſum Rex cœli, & terræ. In cœlo, Angeli obediunt mihi, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* f? Et in terra, univerſæ creaturæ mihi morem gerunt. Spiritus Angelici obediunt Jeſu, cùm veniunt miniſtratum illi eſurienti in deſerto, *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei* g. Sed priùs inclinatum adoraverunt *eum in præſepis. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* †. Sol obedit illi, cùm eſt ei loco veſtimenti ſuper monte Thabor, *Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol* h. Et cùm ſuper monte Calvaria *obſcuratus eſt* i. Homines obediunt ei, cùm clamant, *dicentes, Hoſanna Filio David.* Ipſe eorum linguas movet, & hanc præbet cordibus illorum inclinationem. Animalia illi morem gerunt, cùm deferunt illum præ triumpho Jeroſolymas. Plantæ, cùm ſuos tradunt *ramos*, quibus ſternatur via. *Petræ,* cùm in morte ipſius *ſciſſæ ſunt. Et monumenta,* cùm *aperta ſunt* k. *Mortui,* cùm *reſurgunt* l. Et diaboli, cùm *exibant dæmonia à multis, clamantia, & dicentia, Quia tu es Chriſtus Filius Dei* m. Ita verum eſt, quod ſceptrum ejus circumquaque extendatur ſuper omnes creaturas.

Vultiſne videre Regni illius excellentiam? Illud ſuperat excellentiâ omnia Regna mundi, quia Eccleſia quæ eſt regnum ejus, *dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarũ* n. Præterea, Vincit illa duratione, quia eſt æternum, cùm omnia alia ſint caduca. Regnũ Perſarum, & Medorum non eſt ampliùs: Regnum Græcorum finem accepit: Regnum Romanorũ diviſum eſt: ſed regnum Jeſu Chriſti eſt æternũ. *Suſcitabit Deus cœli Regnum quod in æternũ nõ diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autẽ & conſumet univerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternũ* o. *Quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & Regnũ ejus in generationẽ & generationẽ* p. Inſuper, Potentia aliorum regnorum nõ eſt niſi infirmitas, cõparata poteſtati Jeſu Chriſti: nõ enim habent reges poteſtatem niſi ſuper corpore, & ſuper bona noſtra: Jeſus autem viget poteſtate ſuper animas noſtras, *Timete eũ qui poteſt & animã, & corpus perdere in gehennã* q. Deinceps, Excellit fortitudine, cùm regnum Principum poſſit armis aboleri, & Alexãder Magnus aliès omnia diademata ſuo diademati univerit: ſed Chriſtus de omnibus triumphat. Regnum iſtud aliis tandem regnis præeminet legibus, quia leges Jeſu (id eſt, articuli fidei) quæ juſtiſſimæ ſunt, nec poſſunt alterari cõſuetudinibus contrariis, neque novis legibus, quia ille qui eas inſtituit, eſt *Sapientia* r, *& Veritas* ſ, *omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* t: utiles ſunt, cùm nos doceant in cœlum: delectabiles, quo-

a Iſai 9. 6.
b S. Aug. ſerm. 71. de Temp.
c ex Hebr. 2, 14.
d Hebr. 2, 9.
e Matt. 28, 18.
f Hebr. 1, 14.
g Matth. 4, 11.
† Luc. 2, 7. &c.
h Matth. 17, 2.
i Luc. 23, 45.
k Matt. 27, 51.
l Matt. 11, 5.
m Luc. 4, 41.
n Pſ. 71. 8.
o Dan. 2, 44.
p Dan. 4, 31.
q Matt. 10, 28.
r Sap. 7, 24.
ſ Joan. 14, 6.
t Hebr. 4, 13.

quoniam ſqui nos faciunt quiete conſcientiæ: &
honeſtæ, eò quòd ſint matres virtutis moralis &
Chriſtianæ.

Sed vultis ne rationes, quæ inducant vos ad
credendum Jeſum Chriſtum Regem? Prima fũ-
datur ſuper unionem hypoſtaticã, quæ naturam
noſtram evexit ad eſſe perſonale Dei, & effecit
eã dignam quæ imperaret creaturis omnibus in
cœlo, & in terra, *Vt in nomine Ieſu, omne genu fle-*
u Philip. 2, 10. *ctatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* u. Se-
cunda eſt, quia ipſe eſt Redemptor mundi, *Dile-*
xit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo
x Apoc. 1, 5. x. Sanguis ejus pretium eſt redemptionis no-
ſtræ: ſi redemit nos, non ſumus noſtri, ut dicit
y 1. Cor. 6, 19, & 20. nobis S. Paulus y, *Non eſtis veſtri. Empti enim eſtis*
pretio magno. Si non ſumus noſtri, ſumus ergo
ſubjecti illi; ſi ſumus dediti ei, ipſe eſt noſter Do-
minus; ſi ipſe eſt noſter Dominus, eſt etiam Do-
minus & Rex omnium creaturarum, cùm om-
nes creaturæ ſint in homine, & omnes deſtinatæ
ad obſequium hominis. Angeli ſunt cuſtodes e-
z Pſ. 90, 11. jus, *Angelis ſuis mandavit de te* z, &c. Cœli ſunt
illius œconomi, quippe qui ſingulis diebus ei ſu-
as diſtribuunt influentias; Sol eſt ipſius Luci-
fer; Luna eſt ejus ancilla, cùm dirigat mundum
hunc inferiorem, qui illius domus eſt. Tertia eſt,
a Rom. 8, 16, & 17. quia ipſe eſt Rex jure hæreditatis, ut Filius na-
turalis Dei. Si enim *ſumus filii Dei: ſi autem filii;*
& hæredes a: quia Pater æternus adoptavit nos
in filios: nonne dicemus Jeſum Chriſtum eſſe
b Hebr. 1, 2. jure naturæ *hæredem univerſorum* b? Si hæres
eſt, debet habere Regnum illius, quod non mi-
nùs eſt extenſum quàm totus mundus, *Rex regũ,*
c 1. Tim. 6, 15. & Apoc. 19, 16. *& Dominus dominantium* c. Quarta eſt, quoniam
ipſe eſt Rex jure meriti, eò quòd illud meritus
d Philipp. 2, 7. ſit, *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens* d.
Meruit igitur qualitatem Domini, ſi merces hu-
militati ipſius debet convenire: ſi enim Deus
impendit Mariæ mercedem Maternitatis Filii
ſui, cùm humiliavit ſe coram ipſo, dicens, *Ecce*
e Luc. 1, 38. *ancilla Domini* e: propter quod dixit S. Ambro-
f S. Ambr. l. 2, in Luc. c. 1, 38. ſius f, *Vide humilitatem, ancillã ſe dicit Domini, quæ*
Mater eligitur: ecce enim ancilla Domini, apparatus
officii eſt: ipſe debet dediſſe Filio ſuo qualitatem
Regis, cùm *formã ſervi* accepit, æquè ac qualita-
tem. Quinta eſt, quia debebat habere omnia
privilegia, quæ conceſſa fuerunt hominibus,
g Rom. 8, 29. cùm ipſe eſſet *Primogenitus in multis fratribus* g. A-
dam habuit imperium totius mundi, *Faciamus*
hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã: &
præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, u-
h Gen. 1, 26. *niverſæque terræ* h. Et poſteri ejus eâdem fruun-
tur prærogativâ, *Et terror veſter ac tremor ſit ſuper*
cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli,
cũ univerſis quæ moventur ſuper terrã: omnes piſces
i Gen. 9, 2. *maris, manui veſtræ traditi ſunt* i. Ieſus autem qui
eſt Primogenitus illorum, inferior eſſet fratri-
bus ſuis natu minimis: & ille qui majus habet
meritum, minus ſuſciperet præmium: & *ipſe qui*
k Iſai. 43, 25. *iniquitates* fratrum ſuorum delet *propter* k ſe,
illarum pœnam fertet. Iſtud non eſt rectæ juſti-
tiæ conſonũ, oportet ut juſtitia Dei, quæ eſt in-
violata, ſceptrum tribuat Ieſu, qui illud meritus
eſt.

Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem
in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die de-
ſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus l. Cer- l Cant. 3, 11.
tum enim eſt, quòd Ieſus ſit Rex, & dominium
habeat ſupremum ſuper omnes creaturas, *Dici-*
te filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſe-
dens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. Ipſe
eſt Rex in hoc triumpho ſuper monte Calvariæ,
cùm vel inimici ejus hoc declarent, *Scripſit au-*
tem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat
autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum m. m Joan. 19, 19.
Et paulò antè cùm idem *dixit ei Pilatus, Rex es tu?*
Reſpondit Ieſus, Tu dicis: quia Rex ſum ego n. Si i- n Joan. 18, 37.
pſe Rex noſter eſt, nos ſumus ſubditi ejus; & ad
illum ſpectat imperare, noſtrûm verò eſt illi o-
bedire. Præcipit nobis ut leges ipſius obſerve-
mus, ut adoremus ipſum o, ac diligamus ipſum o Exod. 20, 3, &c.
ex tota corde, in totâ anima, & in tota mente. Et
proximum ſicut p nosmetipſos. Judicate utrùm ſitis p Matt. 22, 37, & 39.
obedientes, aut inobedientes. Si præceptis illius
morem geritis, Auditores, ipſe mercedem vobis
impendet æternam, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva*
mandata q. Si autem *ipſi rebelles lumini,* neſcire q Matt. 19, 17.
volueritis *vias ejus; nec reverſi per ſemitas ejus* r r Job 24, 13.
fueritis; iſte *Rex manſuetus, ſedens ſuper aſinam, &*
pullum filium ſubjugalis hodie; aliquando ſedebit
ſuper thronum qui juſtitiam judicat, & parabit *in*
judicio thronum ſuum ſ, ut de puſillanimitatibus & ſ Pſ. 9, 5, & 9.
ingratitudinibus veſtris pœnas æternas expe-
tat. Utilitatem igitur haurite ſinguli ex ejus ad-
ventu: *oã venit tibi.* Id eſt, ad ſalvãdos vos. Dicite
audacter, *Hoſanna Filio David, Id eſt, obſecro ſalva* t. t Dion. Carth. art. 35, in Matt. 21, 9.
Deprimite hos proceros *ramos* arboris vanitatis,
quæ non ſinit ut agnoſcatis vos; humiliate vos
coram eo, ſternite veſtra *veſtimenta in via.* Id eſt,
Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, &
induentes novum eum qui renovatur in agnitionem,
ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum u. Præ ve- u Coloſſ. 3, 9, & 10.
ſtris ferte manibus palmam triumphi de vitiis
veſtris, & ramũ olivæ, quæ eſt ſymbolum pacis
cum inimicis veſtris, & ſignum miſericordiæ
erga pauperes. Si hoc modo hodiernâ die iſti in-
terſitis triumpho, profectò dicere poteritis, *Be-*
nedictus qui venit in nomine Domini. Et, *Filia Sion,*
Ecce Rex tuus venit tibi. Ut ducat intellectum tuũ
ad bonum, & voluntatem tuam avertat à malo.
Ut *Rex, venit tibi,* ad exigendum à te tributum,
non argenti, nec auri, ſed fidei, ſpei, charitatis, &
aliarum virtutum. Solve igitur tributum Domi-
no meo: crede in eum, ſpera in illum, & dilige
ipſum *ex tote corde tuo, & in tota anima tua, & in*
tota mente tua x. Et dic ei tũ populo iſto, *Benedi-* x Matt. 23, 37.
ctus qui venit in nomine Domini. Salvator adorãde,
cùm velis ut celebremus hodie duplicem ſole-
mnitatem, Ieroſolymorum, & Calvariæ; & in
utraque apparueris ut Meſſias præ dominio ge-
nerali quod exhibuiſti ſuper omnes creaturas;
& ut Rex; utramque exerce qualitatem ſu-
per nos, cùm dominio tuo ſimus ſubjecti, ſolve
hos aſellos & iſtas aſinas à vinculis peccati, ut
dicere poſſimus, *Benedictus qui venit in nomi-*
ne Domini: Hoſanna in altiſſimis.

Amen.

FERIA

FERIA II. MAIORIS HEBDOMADÆ.

Ieſus ante ſex dies Paſcha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Ieſus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha miniſtrabat, Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Ieſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti. Joan. 12. 1. &c.

SPiritus ſanctus loquens organo illius Regis, qui *magnus effectus, omnes Sapientiâ qui fuerunt in Ieruſalem a* præceſſit, maximi ponderis & momenti verbum enunciat, *Da Altiſſimo ſecundùm datum ejus, & in bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum. Quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi* b. Quod ſic exponit Cornelius c, *Da Altiſſimo ſecundùm datum ejus (id eſt, ſecundùm quod tibi dedit, juxta opes à Deo acceptas, ut ſi multum acceperis, multum Deo offeras; ſi parùm, parùm) & in bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum. Ita Roman. Quaſi diceret, Bono, id eſt, læto oculo & vultu fac oblationem ſecundùm quod invenit manus tua, id eſt, prout potes, & ſecundùm facultates tuas. Sic facere pro offerre & ſacrificare ſæpè ſumitur in Levitico* d, *& alibi. Quin & apud Poëtam,*

a Eccl. 1.16
b Eccli. 35.10. & 13
c Cornel. in Eccli. 35.12. & 13
d Ex Levit. 14. 19

Cùm faciam (id eſt, ſacrificabo) vitulas pro frugibus, ipſe venito.

Tigurina nervosè vertit, Munera des Altiſſimo pro munificentiâ ipſius. Quaſi diceret, Eſto munificus in Deum erga te adeò munificum, ac quantùm ipſe in te, tantùm tu in ipſum eſto munificus. Quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi. Duplicem dat cauſam & ſtimulum ad lætam & liberalem oblationem. Quaſi diceret; Offer tua hilariter & liberaliter Deo, primò, quia ipſe tuus, & omnium eſt Dominus e, *qui tibi tua omnia dedit, & rurſus eadem à te jure ſuo exigit. Secundò, quia cùm ipſe ſit liberaliſſimus, non ſinet ſe à te liberalitate vinci, ſed ſi in ipſū ſis liberalis, ipſe in te viciſſim longè erit liberalior, ac pro uno quod ipſi offers, retribuet tibi ſeptem, id eſt, multipliciter. Septenarius enim eſt ſymbolum multitudinis, plenitudinis, & univerſitatis, uti fusè hîc oſtēdit Rabanus. Oblationes ergo offerentem ditant.* Sed ſi oporteret ut redderemus Deo id omne, quod ab eo ſuſcepimus, ad extremas uſque miſeriæ redigeremur anguſtias, & impotentia noſtra conſcios nos redderet ingratitudinis, quæ eſt univerſitas omnium improperiorum quæ conjici poſſunt in hominem, ac exprobrare ei, ipſum eſſe ſuſceptorum immemorem beneficiorum, & ingrati animi labe laborare. Quis autem noſtrûm tot reddere poſſet favores & beneficia, quæ à liberali manu Dei ſuſcepimus, & pro quibus immortales tenemur illi rependere gratiarum actiones? Iſtud in noſtrâ non eſt ſitum poteſtate. Quàm multùm ſumus ei devincti, quippe *qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum qui aliquando non populus; nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam; nunc autem miſericordiam conſecuti* f. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus g ad propoſitum noſtrum, *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum, id eſt, de caligine ignorantiæ & peccati atque perfidiæ, ad ſplendorem fidei, lucemque gratiæ ac virtutum vos tranſtulit, imò ad lumen gloriæ & ad increati Luminis* h *ſui (quod ipſe eſt, qui lucem habitat inacceſſibilem* i) *beatiſſimam viſionem invitavit. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei, id eſt, ante converſionem veſtram ad fidei veritatē, fuiſtis non populus Dei ſecundùm præſentem juſtitiam: quia non pertinuiſtis ad Deū per charitatē & gratiam, ac debitā ſubjectionem, ſed averſi fuiſtis ab eo, & ratione peccati attinebatis diabolo, cujus membra ac miniſtri fuiſtis. Qui non miſericordiam conſecuti, id eſt, ante converſionem veſtram nondum fuiſtis adepti miſericordiam hanc magnam, quâ facti eſtis membra & milites Chriſti* k. *Nunc autem miſericordiam conſecuti, id eſt, gratiosè à Deo vocati, & converſi. Donum enim Dei eſt, non ex operibus* l. *Iſtud ex Oſea* m *ſumptum eſt, ubi Dominus ait; Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Quod & Paulus* n *de Gentilium converſione allegat, quia de eâ ad literam loquitur Oſeas Propheta.* Obſtrinxit nos ergo multùm Deus, eo quòd nos vocaverit ad profeſſionem Religionis Chriſtianæ, & ad lucem Evangelii ſui, & ad hoc opus eximium converſionis noſtræ à Gentilitate ad Chriſtianiſmum inſumpſerit maximos amicos ſuos, Martham, Magdalenam, & Lazarum, qui venerunt nobis prædicatum primas ſaluti noſtræ operandæ opportunas veritates. Præ totâ Galliâ, Provincia noſtra hoc ſingulari potita fuit privilegio; ipſaque præ maximâ reverentiâ ſanctas cuſtodit eorum reliquias. *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum* o. Sed multò magis aliam amabat Mariam, cùm immodico amore illius ductus exiverit *à Patre, & in mundum* p venerit; ita ut ipſe *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* *, præ amore factus ſit Filius unigenitus illius, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* †. Quæ *peperit Filium ſuum primogenitum; & vocavit nomen ejus Ieſum* q, aliquanto tempore poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* r *Maria.*

e Ex Eſth. 13.11
f 1. Petr. 2.9. & 10
g Dion. Carth. art. 4. in 1. Petr. 2.9. & 10
h Ex Pſ. 35.10
i ex 1. Timoth. 6.16
k ex 1. Pet. 1.3. &c
l ex Epheſ. 2.8
m ex Oſeæ 2.24
n ex Rom. 9.25
o Joan. 11.5
p Joan. 16.28
* Joan. 1.18
† Eccli. 24.24
q Matth. 1.25
r Luc. 1.28

Tres à Philoſophis Moralibus recenſentur conditiones opportunæ fovendæ veræ amicitiæ, quæ eſt ſuaviſſimum totius vitæ bonum, ſimilitudo, converſatio, & reciprocatio. Similitudo, id eſt, quædam humorum & affectuum ſympathia, & ſicut naturaliter noſmetipſos diligimus, & magis quàm quidquid aliud, inde fit ut magis amemus id, quod magis nobis aſſimilatur, ideò communi venditatur proloquio, *Similitudo eſt cauſa amoris.* Sicut autem non amamus res, quas non cognoſcimus, & voluntas noſtra non fertur ad objecta incognita, juxta iſtud axioma Philoſophicum, *Nihil volitum, niſi præcognitum:* Deus ipſe vult ut amor, quo ipſum diligimus, ſit amor cognoſcens, & non cæcus, *Diliges* ſ. Quaſi diceret, *Eliges*, quod verbum ſupponit notitiam. Proptereà Chriſtus ſuos alloquens Apoſtolos, ait illis, *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis* t. Super quod S. Ore-

ſ Matth. 22.37
t Joan. 15. 15

u S. Greg. hom. 27. in Evang.

Gregorius u dicit, *Q ia ſunt omnia qua audivi à Patre ſuo .qua nota fieri voluit ſervis ſuis,ut eos efficeret amicos ſuos;niſi gaudia interna charitatis.niſi illa feſta ſuperna patria,qua noſtris quotidie mentibus per aſpirationem ſui amoris imprimit? Dum enim audita ſupercœleſtia amamus,amata jam novimus: quia amor ipſe notitia eſt.* Atqui non cognoſcimus meliùs quàm per converſationem & communicationem, quæ eſt ſecunda qualitas quæ requiritur à Philoſophis Moralibus ad amicitiam veram: nec enim ulla eſt alia ratio propter quam quis ametur,niſi quòd amet,ut dicitur, *Si vis amari,ama.* Quin imò Deus ipſe iſtam nos praxim edocet, *Ego diligentes me diligo* x. *Id eſt,erga illos, qui me ardentius adamont, ſic me gero quaſi redamatrix, quia illis me facilem,& familiarem prabeo,* ait Salazar y, loquens de divinâ Sapientiâ,& ſimul innuens tertiam qualitatem amicitiæ,quæ eſt reciprocatio. Et ſtatim ſubdit, *Et ſanè id ſapientia,& honeſtati proprium eſt ut his,qui illam amore & deſiderio ardent, ſeſe quodammodò amicè inſinuet , ita ut nullam in illâ parandâ difficultatem experiantur.* Et ideò mihi non placet opinio antiquorum quorundam Philoſophorum aſſerentium nullam dari poſſe veram amicitiam inter magnos & parvos. Hæc erat Philoſophia Ethnica, ſed ecce Philoſophia Chriſtiana, & illi prorſus oppoſita, cùm Deus per myſterium Incarnationis nos verè diligat *Qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit,formam ſervi accipiens,in ſimilitudinē hominum factus & habitu inventus ut homo* z. Et ſicut *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* a: Præſertim verò cum Martha, Maria, & Lazaro b: ita idem *diligebat Ieſus Martham,& ſororem ejus Mariam,& Lazarum* c. Propterea dum ipſe *Ieſus ante ſex dies Paſcha venit Bethaniam,ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Ieſus ; fecerunt autem ei cœnam ibi;& Martha miniſtrabat ; Lazarus unus erat ex diſcumbentibus cum eo.* quandiu *Maria accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi & unxit pedes Ieſu,& exterſit pedes ejus capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti.* Et ideò oſtendere vobis volo amorem Jeſu erga Lazarum,id eſt,qualitates & charactêres hujus amoris. Deinde reciprocationem amoris Lazari erga Jeſum , in utraque parte iſtius diſcurſus.

x Prov. 8.17

y Salaz. in Prov. 8.17 n. 148

z Philipp. 2.6.& 7

a Baruch. 3.38

b Luc. 10. 38.&c

c Joan. 11.5

Diviſio

I. Pars

Sicut adoramus in Jeſu Chriſto vero Deo & vero homine duas naturas in eodem ſuppoſito, quatenus *Verbum caro factum eſt* d; naturam divinam,& naturam humanam: ita in eo duas agnoſcimus voluntates, voluntatem divinam, & voluntatem humanam. In Chriſto igitur ſunt duæ naturæ, duæ voluntates , & conſequenter duo amores, amor Divinus, & amor Humanus. Amor divinus eſt is,quo Deus intra ſe diligit ſemetipſum,diligit Verbum ſuum,quod ipſe producit per actum intellectus ſui, *Dominus dixit ad me,Filius meus es tu:ego hodie genui te* e. Pater & Filius mutuo ſe diligentes amore, ſpirant Spiritum ſanctum qui eſt terminus dilectionis ipſorum, *Cùm venerit Paraclêtus,quem ego mittam vobis à Patre , Spiritum veritatis,qui à Patre procedit* f. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus g, *Pro hoc quod Chriſtus aſſerit , Quem ego mittam vobis,oſtendit quòd Spiritus ſanctus ab ipſo procedat. Non enim uni divinarum perſonarum competit dare , vel mittere aliam ſecundùm naturam divinam , niſi ratione originis,ſeu authoritatis ad illam: ideò nunquam legitur Pater miſſus à Filio , vel Spiritu ſancto , ſed è contrà. Non itaque congrueret Filio mittere Spiritum ſanctum, niſi eſſet in Filio authoritas reſpectu Spiritus ſancti,videlicet niſi à Deo emanaret.Quod verò adjicit à Patre,accipi poteſt dupliciter. Primò ſic, quem mittam vobis à Patre, quaſi à Fonte, de quo profluit Spiritus ſanctus : vel,quem procedentem à Patre,mittam vobis. Secundò ſic, quem mittam vobis à Patre,hoc eſt, virtute divinâ,quam ſuſcepi à Patre,à quo habeo quòd Spiritus ſanctus procedit à me proceſſione æternâ , & mittitur à me miſſione temporali. Spiritum veritatis, hoc eſt,Spiritum meum,qui ſum Veritas* g, *& Sapientia* h *Patris. Qui à Patre procedit,Hoc addit Salvator,ne putaremus, quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus,eò quòd dixit,Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio , non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantùm ſunt unus in naturâ & voluntate.Eſt namque Spiritus ſanctus Amor. Amor verò eſt germen,atque proceſſio voluntatis.Quemadmodum ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis* i, *non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita,ſed ut ſunt unus Deus in eſſentiâ,ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator:ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio,per id,in quo idem ſunt, ſcilicet, per voluntatem,propter quod ſunt unus Spirator,unus Fons,unuſque Principium Spiritus ſancti.* Ad extrà Deus omnes amat creaturas, *Diligis omnia quæ ſunt* k. Id eſt, *Omnes res à te creatas,quæ à te ſuum eſſe acceperunt* , ait Cornelius l. Et aliquantò pòſt addit, *Ex hoc loco & ſimilibus patet , in Deo verum & propriè dictum eſſe actum amoris,quo non tantùm amat ſeipſum, ſed & omnia creata,præſertim Angelos,animas,& homines, & Sanctos,* & Electos,quos diligit ab æternitate, *Quos præſcivit & prædeſtinavit: quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit* m. Naturaliter diligebat propinquos ſuos,amabat illos amore & affectu naturali, & amore ſupernaturali in Deo, & propter Deum. Hoc amore *diligebat Ieſus Lazarum* n amicum ſuum. Amabat eum fortiter & potenter amore benefico & devinciente. Omnes res amat, ſed amiciſſimas & familiariſſimas diligit amore benevolentiæ, & cùm illum *in charitate perpetua* o ab æternitate dilexerit , diligit eum etiam *ubi venit plenitudo temporis* p. Diligit eum amore forti, *Quem ſuſcitavit Ieſus. Ieſus ergo ante ſex dies Paſcha,* ait Dionyſius Carthuſianus q poſt Evangeliſtam noſtrum, *id eſt,Sabbatho ramis Palmarum, quod fuit ſex diebus ante primum diem feſti Paſchæ inſtantis (incepit enim feſtivitas Paſchæ,feriâ quintâ ſequenti ad veſperas, duravitque diebus ſeptem) venit Bethaniam , ubi fuerat, id eſt, pro tunc habitavit, præſenſque fuit Lazarus paulò antè mortuus , ſed nunc vivus , vel ubi fuerat Lazarus mortuus* r, *& in loco, quo obiit, quem ſuſcitavit novem diebus , vel circiter ante reditum iſtum in Bethaniam. Suſcitaſſe enim creditur Lazarum quindecim diebus ante diem Paraſceves, in quo occiſus eſt. Fecerunt autem ei cœnam ibi , quia fortaſſe tardè intravit, Ioannes non dicit,à quibus,& in quâ domo facta ſit Chriſto hæc cœna : ſed quoniam ſequitur ,Martha miniſtrabat,& Lazarus unus erat ex diſcumbentibus: Origenes aſſeruit cœnam iſtam Chriſto exhibitam in domo Marthæ,ab ipſâ Marthâ,ſororeque ejus,ac Lazaro. Sed hoc tenendum non eſt,quoniam apud Matthæum* ſ *& Marcum* t *maniſeſtè deſcribitur,quòd cœna præſens (in quâ Maria fudit unguentum ſuper Ieſum) facta ſit in domo Simonis leproſi , qui tamen pro tunc non erat leproſus : ſed à Chriſto antè curatus. Fecerunt ergo habitatores Bethaniæ,ſcilicet Simon & ejus familia cœnam ibi, id eſt, in domo Simonis,Ieſu,& Martha miniſtrabat. Quamvis enim invitata fuerat ad conveſcendum,tamen propter reverentiam Magiſtri ſui,de quo dixit : Ego credidi,quia tu es Chriſtus Filius Dei* u, *maluit miniſtrare,& fortè propter prudentiam ſuam rogata fuit à Simone,*

d Joan. 1.14

e Pſ. 2.7

f Joan. 15.26

g Dion. Carth. art. 38. in Joan. 15.26

g ex Ioan. 14.6

h ex Sap. 7.24

i ex Gen. 1.1.&c

k Sap. 11. 24

l Cornel. in Sap. 11. 24

m Rom. 8. 29.& 30

n Io. 11.5

o Ier. 31.3

p Galat. 4.4

q Dion. Carth. art. 30. in Ioa. 12.1.&c

r ex Ioan. 11.14

ſ ex Matt. 26.6.& 7

t ex Marc. 14.3

u Ioan. 11.27

mane, ut diſponeret negotia domêſtica, quantùm ad menſæ proviſionem. Eſt quoque conſuetudo, ut amici interdum miniſtrent in domibus familiaritatis amicorum & conſanguineorum, præſertim dum magni & multi hoſpites adſunt. Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus (*id eſt, manducantibus*) *cum eo, hoc eſt, cum Ieſu. Sedit enim in eâdem menſâ cum Chriſto, & fortè ad latus ejus, in ſignum amoris, & præteriti ſigni commendationem, aliorumque conſolationem. Voluit autem Chriſtus primò intrare Bethaniam, antequàm ingrederetur Ieroſolymam, ut memoria ſuſcitationis Lazari renovaretur, & Iudæi undique ad ipſum confluerent, occaſione Lazari aſpiciendi: ſicque Dominus Ieſus die ſequenti cum ſolemniſſimâ proceſſione turbis ex omni parte vallatus intraret Ieruſalem, tanquam*
x ex Zach. 9.9 *verus Rex Iſraël, prout Zacharias* x *prædixit. Item ad conſolationem Mariæ, Marthæ, ac Lazari, qui de ejus receſſu paulò antè non mediocriter triſtabantur.*

Neſcimus quomodo Deus Martham, Mariam Magdalenam, & Lazarum Judaiſmi *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum* y. Id eſt,
y 1. Petr. 2.9 Evangelii. De hâc vocatione non loquuntur Evangeliſtæ. Aliqui Doctores credunt, quòd S. Martha ſoror Magdalenæ & Lazari, fuerit illa *mulier*, quæ *erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari:* & quæ *acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti* Jeſu, *& confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus:* & de quâ *ait Ieſus, Quis eſt qui me tetigit? Tetigit me aliquis: nam & ego novi vir-*
z Luc. 8. 43. &c. *tutem de me exiiſſe* z. Re autem verâ Rex Clodoveus cùm eſſet Taraſci, ubi requieſcunt reliquiæ S. Marthæ, recenſetur interceſſionibus ejus è fluxu ſanguinis curatus, & ideò in memoriam hujus beneficii S. Marthæ interventu à Deo ſuſcepti hanc civitatem quibuſdam donaſſe favoribus; & aliquando mulieres fluxu ſanguinis laborantes, ab hujuſmodi ſanantur infirmitate interceſſionibus ejus.

Duo miracula operatus eſt Chriſtus in domo vel in familiâ Marthæ; juſtificationem Magdalenæ ſororis ejus, cùm dixit *ad illam, Remittuntur*
a Luc. 7. 48 *tibi peccata* a. Et reſurrectionem Lazari fratris illius, quando *magnâ voce clamavit, Lazare veni*
b Joan. 11. 43. & 44 *foras: & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus* b. Sanata enim Martha ab infirmitate ſuâ corporeâ, ſuſcepit ſanitatem ſpiritualem animæ ſuæ, quia Chriſtus impendendo ſanitatem corporis, impertiebatur pariter & ſanitatem animæ, nam
c Deut. 32.4 *Dei perfecta ſunt opera* c. Martha igitur convertit ex tunc ſororem ſuam Magdalenam, & fratrem ſuum Lazarum; & Deus eſt uſus Marthâ tanquam inſtrumento ad trahendum ad ſe Lazarum, æquè ac Magdalenam. Duo igitur patravit Dei Filius miracula in domo Marthæ, miraculum amoris, & miraculum potentiæ. Miraculum amoris: intuitu enim Lazari, propriam in diſcrimen adduxit Chriſtus vitam, *Ut ergo audivit quia infirmabatur, dicit diſcipulis ſuis, Eamus in Iudæam iterùm. Dicunt ei diſcipuli, Rabbi, nunc quære-*
d Joan. 11. 6. &c. *bant te Iudæi lapidare: & iterùm vadis illuc* d? Sed nihil intereſt. Amor Jeſu eſt potens & generoſus, & ait, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo*
e Luc. 12. 49 *niſi ut accendatur* e? Iſte eſt ignis, qui ardet in Seraphinis, qui agere facit Jeſum propter amicum ſuum Lazarum, nedum mortem formidet. Amor cæcus eſt, nec agit intuitu proprii commodi. Semetipſum igitur libenter morti oppetendæ Chriſtus exponit. Primum donum amoris eſt, ut quis ſemetipſum tradat: Chriſtus amans Lazarum, ſe totum impendit in ejus commoda. Miraculum amoris inſuper: Anima enim Salvatoris beata fuit ab inſtanti Conceptionis ipſius: comprehenſor erat Chriſtus quantùm ad Animam, etiamſi viator eſſet quoad humanitatem; ideò ab hoc inſtanti fruebatur clarâ viſione
Dei f. Anima ipſius erat immunis à paſſionibus, f Joan. 17.3
quæ ſunt oppoſitæ felicitati, quales ſunt triſtitia, faſtidium, turbatio, &c. *Neque luctus, neque dolor erit ultra* g. Si verò per impoſſibile dolor & tri- g Apoc. 21.4. ex Iſai. 25.8
ſtitia invenirentur in cœlo, tunc non eſſet paradiſus; hæc ſociari non poſſunt huic ſtatui felicitatis; ideò Chriſtus cùm eſſet comprehenſor, contriſtari non poterat niſi præ miraculo, quod egit, cùm Lazarum ſuſcitaturus, *infremuit ſpiritu,*
turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt h. Contriſta- h Joan. 11. 33. & 34
batur non formaliter, ſed affectivè, habebat enim affectus veri amici, qui novit compati afflictionibus ſororum lacrymantium obitum fratris ſui. Secundum miraculum in gratiam Lazari, eſt miraculum potentiæ. Hæc potentia manifeſtata eſt in circumſtantiis reſurrectionis, Lazarus fœtebat
jam: quatriduanus enim i *erat*. In aliis reſurrectio- i Joan. 11. 39
nibus ſolo utebatur verbo, ut ſuſcitans filiam Principis Synagogæ Capharnaum, *Puella, tibi di-*
co ſurge k. Vel tactu æquè ac verbo, à morte re- k Marc 5.41
vocans filium viduæ Naim, qui *defunctus efferebatur. Tetigit loculum, & ait, Adoleſcens, tibi dico, ſur-*
ge l. Hic verò *infremuit ſpiritu, turbavit ſeipſum,* l Luc. 7. 12. &c.
& lacrymatus eſt Ieſus, Et ait, Tollite lapidem. Quod eſt alia circumſtantia potentiæ ipſius, ut illi qui futuri erant ſpectatores hujus miraculi potentiæ, videntes cadaver Lazari, ſuæ convincerentur incredulitatis. Et quamvis haberet potentiam ſuſcitandi illum, non præcepit tamen lapidi, ut ſuam melius manifeſtaret potentiam. *Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare veni fo-*
ras m. Sicut aliquantò pòſt in Cruce *clamavit* m Joan. 11.43
voce magnâ n. Ne circumſtantes cauſam igno- n Matth. 27.46
rantiæ prætenderent, & monerentur potentiæ hujus miraculi, & hujus miraculi potentiæ, *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & ma-*
nus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata o. A- o Joan. 11.44
mor fidelis qui nunquam deſerit Lazarum in vitâ, in morte, & poſt mortem: non ſolùm in proſperitatibus, ut amores mundi, de quibus dicitur,

Donec eris felix multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Dilexit eum ſemper, & à longè & pròpè, æſtatè & hyeme, non ſicut amici mundi, *Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comproba-*
tur p. Neque ſicut Apoſtoli ipſius, qui *non unâ* p Prov. 17.17
horâ vigilare cum ipſo potuerunt, ſed *omnes relicto*
eo, fugerent q. Veram præ ſe ferebat Jeſus ami- q Matt. 26. 40. & 56
citiam, amorem beneficum & devincientem. Triplicem dederat vitam Lazaro. Vitam naturalem, cùm feciſſet eum naſci è nobili progenie. Vitam gratiæ, quâ illum *de tenebris vocavit in ad-*
mirabile lumen ſuum r. Id eſt, Evangelii. Et vi- r 1. Petr. 2.9
tam gloriæ, quâ fruitur in cœlo. Ecce amor Jeſu Chriſti, ſeu charactêres & qualitates amoris ipſius erga Lazarum.

Sed quia, ut ait Dionyſius Carthuſianus ſ, ſ Dion. Carth. art. 30. in Joan. 12. 1
Myſticè, Lazarus qui interpretatur adjutus à Domino, hoc eſt, ſpiritus rationalis à morte peccati per gratiam ſuſcitatus. Unus eſt ex diſcumbentibus cum Ieſu, qui
non vult mortem peccatoris t, *ſed ovem perditam &* t ex Ezech. 18. 23
inventam imponit humeris ſuis gaudens u: *ubi enim* u ex Luc. 15.5
abundavit iniquitas, ſuperabundat & gratia x; ideò x ex Rom. 5.20

talis

talis in alibes virtuoſis epulatur cum Chriſto. Conſequenter cùm ut ſic ſit figura peccatoris, hanc priorem partem concludo, dicens, quòd quantùmvis quis ſit magnus peccator, nunquam tamen de amore Dei & de ejus miſericordiâ deſperare debet.

[y Matth. 18.23. &c.] Rex ille parabolicus Evangelii y, *qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis*, hujuſmodi rationem incepit ab eo qui debebat ipſi plus, *Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus qui debebat ei decem millia talenta.* Quare hoc? Ratio iſtius eſt, ait Euſebius Emiſſenus z, [z Euſeb. Emiſſ. in Dom. 22. poſt Pent.] *Vt cæteri intelligerent quantam ſpem habere potuiſſent.* Id eſt, ut illi qui minus debebant, animo non exciderent. Hoc erigit ſpem peccatorum puſillanimorum, & aperit eis januam veniæ, intuitu amoris Dei, & miſericordiæ ejus, *Si ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus tuus, & aſſumet atque introducet in terram quam poſſederunt patres tui, & obtinebis eam* a. [a Deut. 30. 4. & 5] Cornelius b [b Cornel. in Deut. 30.4. & 5] vertit ex Hebræo, *Ad extremitatem.* Et ſubdit, *Adde, Loquitur Moyſes de ſtatu Legis & Judaiſmi, eo enim ſtante, promittit eis reditum in Judæam ſi pœnitentiam agant: jam autem hic ſtatus, cùm Judaiſmus per Chriſtum eſt abolitus.* Et ideò dicamus, quòd ſi extremis convertamur à peccatis ad Deum, introducemur in terram viventium c. [c Pſ. 26. 13. & 141. 6.]

Sponſus diſcedentem pauliſper à præſentiâ ſuâ Sponſam ſic alloquitur, *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* d. [d Cant. 6.12] Quare tot vicibus eam vocat, cùm unicâ vice ſufficeret eam vocare, cùm decus æquè ac commodum ſe totum teneret ex parte Sponſæ? *Quater dicunt revertere* (ait de Ponte e, [e De Pont. lib.9. in Cant. 6.12 exhort. 8. parag. 1] loquens de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto) *quia perfectam undequaque deſiderant converſionem, & omnibus numeris abſolutam, ut recedat, ſicut ait S. Bernardus* f, [f ex S. Bern. ſer. 3. ex Parvis.] *ab omni ſuperbiâ, imò ab omni peccato cordis, oris, operis, & habitus ſeu omiſſionis; ſub his enim omnia includuntur, quia omnia gravia peccata tenetur odio habere, qui indulgentiam cupit obtinere: impium enim eſt, dimidiam à Deo expectare veniam.*

Poſtquàm Apoſtoli *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis: alii irridentes dicebant, Quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus, locutus eſt eis, Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia* g, [g Act. 2.4. &c.] Sed quare Spiritus ſanctus venit potiùs horâ tertiâ, quæ eſt nona ſecundùm nos? & ſub linguis igneis potiùs quàm ſub aliâ figurâ? Tres Evangeliſtæ h [h Matth. 27.45 & Luc. 23. 44. & Joan. 19.14. & 18] aſſerunt, Jeſum Chriſtum fuiſſe crucifixum horâ meridianâ: S. Marcus i [i Marc. 15. 25] verò horâ nonâ ſecundùm computum noſtrum, *Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum.* S. Auguſtinus k [k S. Aug. l. de Conſenſ. Evangeliſt. c. 13 ex Joan. 19.6] ait, utrumque eſſe verum, quia carnifices patibulo eum alligaverunt horâ meridianâ. Judæi verò crucifixerunt eum linguis ſuis horâ nonâ, *Illi ſucclamabant, dicentes* (*Crucifige, crucifige eum.*) *Tunc intelligitur fuiſſe hora tertia.* Tamen crucifigendo eum horâ nonâ, ſi pœnitentiam agere voluiſſent, Spiritus ſanctus deſcendit eâdem horâ ut impertiretur eis veniam blaſphemiarum ipſorum.

David l [l Pſ. 89. 3. & 4] intuitu criminum ſuorum, divinâ fultus miſericordiâ, ait Deo, *Ne avertas hominem in humilitatem.* Quaſi ei diceret, Parce homini, & ne ſinas ut in ſuis permaneat miſeriis. *Et dixiſti, Convertimini filii hominum.* Petitio mea eſt juſta, ſuppoſito quòd voces peccatores ad indulgendam illis miſericordiam. Deinde ſubdit, *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præterit?* Ac ſi diceret; quòd multa ſecula integra comparata æternitati Dei, non ſint niſi velut momentum. Sed quænam connexio verborum iſtorum, *Et dixiſti, Convertimini,* &c. cum iſtis, *Quoniam mille anni,* &c? Idem eſt ac ſi diceret, quòd peccator non debet animum deſpondere, nec excidere ſpe dilectionis & miſericordiæ Dei ſibi conciliandæ, quia ſi ſuorum ipſum verè pœniteat peccatorum, etiamſi divinam offendiſſet Majeſtatem ſceleribus ſuis per ſpatium mille annorum, totum iſtud tempus futurum eſt quaſi non fuerit, ſic efficax eſt pœnitentia ad impetrandam nobis noſtrorum veniam criminum, & ad educendos nos è morte peccati ad vitam gratiæ, inſtar Lazari ab interitu ad vitam revocari.

Scriptura ſacra ait, *Factum eſt poſtquàm mortuus eſt Rex Saul, ut David reverteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg* m. [m 2. Reg. 8.1] Ubi ipſemet David occidendum præceperat Amaleciten *eum qui annunciaverat* ipſi *& dixerat, Mortuus eſt Saul: qui putabat ſe proſpera nuntiare, cui oportebat mercedem dare pro nuncio* n. [n 2. Reg. 4.10] Sed quomodo habitare potuit David in civitate Siceleg? cùm eadem Scriptura o [o 1. Reg. 30.1] aſſerat eam ſuccenſam ab Amalecitis, *Cùmque veniſſent David & viri ejus in Siceleg, Amalecitæ impetum fecerant ex parte Auſtrali in Siceleg, & ſuccenderant eam igni.* Reſpondet Toſtatus p, [p Toſtat. quæſt. 1. in 2. Reg. 1, 1] *Quanquam Amalecitæ ſuccenderunt eam, ut tota periret incendio, tamen non expectaverunt ibi quouſque tota exuſta foret, ſed tulerunt prædam, dum cremaretur civitas: David autem veniens nondum illâ planè exuſtâ, flammas extinxit, unde manſit ibi locus aliqualis ad habitationem ſuam, & virorum ſuorum.* Non fuit hæc civitas ita deſtructa, ut eam reparare non potuerit David ad habitandum in eâ: idem dicendum eſt de peccatore, dummodò in omnimodam non incurrerit penitus ruinam, ſemper aliqua ſpes effulget ipſi reſurgendi è criminibus ſuis, ſi proficuum adhibeat curandis infirmitatibus ſuis remedium, quod non eſt aliud niſi pœnitentia, ad obtinendam peccatorum ſuorum indulgentiam, quam Deus, qui miſeretur *omnium, quia omnia* poteſt, & diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* q, [q Sap. 11. 24] ipſi profectò non denegabit.

[II. Pro] Chriſtus amat Lazarum, ut audiviſtis, ſed requiritur reciprocatio, ut & Lazarus diligat Chriſtum. Amor ſe dando, omnia dat; primum donum amoris eſt dare ſemetipſum. Tria congruunt amicitiæ veræ, quæ complectuntur omnia quæ de eâ dici poſſunt, adhærere, ſervire, & ſuſtinere. Adhærere rei amatæ affectu, & Scriptura r [r Gen. 2.24] loquens de unione quæ debet eſſe inter virum & uxorem, ait, *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Hanc petebat Dei Filius unionem cum fidelibus ſuis à Patre ſuo, *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* ſ. [ſ Joan. 17.22] *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* t. [t 1. Cor. 6.17] Quod fit per veram fidem, per firmam ſpem, & per ardentem charitatem, nullâ habitâ ratione proprii commodi, ſed agendo purè propter ſolam gloriam Dei. Hoc eſt quod perfectè peregit Lazarus: prædicavit enim Evangelium, totam convertit Provinciam noſtram (quæ primas inſtructiones Chriſtianiſmi ex ore ejus ſuſcepit) cauſam Chriſti amplexus eſt, nihil aliud intendens niſi gloriæ ejus manifeſtationem abſque ullo proprii intuitu commodi, cùm tamen Apoſtoli dicerent, *Quid ergo erit nobis* u? [u Matth. 19.27] Plerique ex iis qui accedebant ad Chriſtum, ideò illum adibant

ut

ut ab eo ſanitatem corpoream *x*, aut favores *y* aliqoos conſequerentur: ſed hunc non habebat Lazarus intuitum, adhæſit Deo veræ amicitiæ vinculo. Deinde, Servivit ei vitâ ſuâ, honore ſuo & bonis ſuis. Vitâ ſuâ, cùm illam inſumpſerit in obſequium ejus inter fatigationes & prædicationes. Bonis ſuis alebat Filium Dei, qui aliquando ad ipſum conveniebat Bethaniam, ut ab eo reficeretur *z*. Famâ ſuâ, cùm malè except⁹ fuerit propter nomen ejus, alto pelágo commiſſus in navi deſtutâ velis, remis, & gubernaculo, quæ Maſſiliam appulſa eſt ad utilitatem noſtram *quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum* a. Quem ubertim nobis communicavit prædicatione Evangelii, tradens propter amorem Jeſu Chriſti quidquid habebat; vitam civilem honoris & dignitatum; & naturalem, quam amiſit, perpeſſus martyrium pro defenſione fidei. Vera amicitia quæ omnia dat perſonæ amatæ, cùm ſemetipſum tradiderit præ amore, non autem intuitu commodi privati, ſicut faciunt homines mundani, cùm amorem Dei erga ſe mutuo amore compenſarit. Aliàs Filium Dei *ſequebatur multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur* b. Hoc autem exigui æſtimabat Chriſtus, quia proprium commodum inducebat hanc multitudinem ad ipſum ſequendum. Ab hoc diſceſſurus mundo, ſuis Apoſtolis *Ieſus præcepit ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris* c. Congruebat honori Jeſu Chriſti ut Apoſtoli remanerent Jeroſolymis. *Et ſic oportebat prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolymis* d. Quare ergo *præcepit*, &c? Videlicet ut hæc expectatio eſſet quædam catena quæ eos illic retineret, cùm nulla ſit catena fortior proprio commodo. Aliàs *irruit Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem, & hoc patri & matri noluit indicare* e. Super hæc Toſtatus *f* ait, *Quæretur quare Samſon noluit hoc indicare patri & matri. Reſpondendum, quòd hoc fecit Samſon, quia volebat accipere in leone aliquod problema, quod proponeret Philiſthinis, ut eis neſcientibus ſolvere, obtineret laudem ab eis, & lucrum*: Intuitus proprii commodi ſic potens eſt, ut quilibet unicuique diffidat.

Deus amat nos abſque ullo intuitu proprii commodi, & poſt ſatiatam magnam hominum multitudinem Filius ejus *Ieſus cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus* g. Quia nihil ipſe ſperabat è beneficiis ſuis. *Ioſeph juſſit miniſtris ut implerent* fratrum ſuorum *ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis. Et obſtupefacti, turbatique mutuò dixerunt: Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus* *? Quare fratres Joſeph non dixerunt? Quod fecit nobis Joſeph? Sed, *Quod fecit nobis Deus*? Appoſitè locuti ſunt, videntes quòd pecunia & frumentum erant abſque ſpe ullius commodi, unde agnoverunt hoc fuiſſe actionem Dei: dare enim ſine ſpe mercedis, potiùs eſt actio divina, quàm humana. S. Athanaſius *h* probaturus Arianis, quòd Jeſus Chriſtus eſſet Deus & homo ſimul, hoc utitur argumento ad confundendum errorem ipſorum credentium eum ſolùm hominem, *Si igitur non ſui gratiâ, ſed noſtri venit* i, *fieri non poteſt ut ſit creatura*, &c. Quaſi diceret, Si eſſet homo tantùm, propriis invigilaret commodis, & alienorum obliviſceretur: ideò Deus eſt & homo. Idem obſervo in oratione, quam fecit pro inimicis ſuis idem *Ieſus*,

x Matth. c. 8. & 9
y Matth. 10. 20. & 20
z Luc. 10. 38. &c
a Prov. 31. 14
b Joa. 6. 2
c Act. 1. 1. &c
d Luc. 24. 46. & 47
e Judic. 14. 6
f Toſtat. quæſt. 11. in Judic. 14. 6
g Joan. 6. 15. &c
* Gen. 42. 25. &c
h S. Athá. l. 3. cont. Arian.
i ex Luc. 19. 10

Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. Deinde, *Ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum* k. Adverto S. *Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus clamavit voce magnâ, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* l. Quod dignum eſt conſideratione: Jeſus orat Patrem ſuum ut ignoſcat inimicis ſuis, & poſteà commendat ei ſpiritum ſuum: S. Stephanus è contrà commendat ei ſpiritum ſuum, & deinde pro ſuis deprecatur inimicis. In hoc eſt myſterium. Chriſtus potius meminit carnificum, quàm ſuiipſius, S. Stephanus verò potiùs attendit ſibi, quàm inimicis ſuis: quod oſtendit nobis differentiam quę eſt inter Deum & hominem: Deus enim aliena potius ſatagit negotia quàm ſua, cùm homo ſolis invigilet commodis. Lazarus invigilabat ſoli gloriæ Dei manifeſtandæ præ amore puro: & ſanè magnus favor eſt ut permittat Deus ſe amari à tam vilibus creaturis: magni ducit illos qui ipſum amant abſque intuitu proprii commodi, *Qui enim diligunt, quia diligunt, eliguntur* m.

Præcipiebat olim Deus in Lege n, *Primogenitum aſini mutabis ove.* Placebat autem ei oblatio boum, *Altare de terrâ facietis mihi, & offeretis ſuper eo boves* o. Quare abhorrebat Deus ab aſinis, & amabat boves? Ut authoritatem conciliaret ei, quod dixit Iſaias p. *Cognovit bos Poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Nihil attendit bos niſi Creatorem ſuum, aſinus verò nihil ſibi proponit niſi præſepium, paleam, & proprium emolumentum; ideò jumentum ejicit Deus domo ſuâ, ut in illam introducat bovem, ut edoceat nos, quòd ipſe amet illos, qui tanquam boves qui ſunt ſymbolum notitiæ, ipſum cognoſcunt, nedum aliò intuitum ſuum convertant, ipſumque amant vero amore benevolentiæ: ſed non diligat eos, qui tanquam jumenta præ oculis ſuis ſola habent commoda ſua privata.

S. Paulus *q* laudans fidem Abel, & Henoch, ait, *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus. Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem.* Sanctus Chryſoſtomus *r* petit uter ex his duobus majorem haberet fidem & dilectionem erga Deum. Et reſpondet, *Hic majorem oſtendit fidem, quàm Abel. Quamobrem? Hoc quidem ipſum ſcire enim placere, quòd nihil receperit. Sciebat enim quòd eſſet remunerator* ſ. *Abel enim inquit, reddidit. Quamobrem alia ſuggeſſit ratio, fidei autem contraria eorum quæ videbantur.*

Deus ait, *Populus quem non cognovi, ſervivit mihi* t. Super hoc ſanctus Bernardus u, *Non eſſet magnæ admirationis, ſi populus à Deo cognitus ſerviret illi. Cùm verò incognitus illi ſerviat, & in auditu auris obediat, magnæ laudi aſcribendum eſt. Ex hoc genere cognitorum, & non cognitorum, & cognoſcentium, & non cognoſcentium ſunt quatuor differentiæ. Quidam enim ſunt, qui à Deo cognoſcuntur & Deum cognoſcunt: alii non cognoſcuntur nec cognoſcunt: alii cognoſcuntur quidem, ſed ipſi non cognoſcunt: alii non cognoſcuntur, & tamen cognoſcunt. Cognoſcere Dei, eſt felicem facere* x: *cognoſcere hominis, eſt gratias agere. Qui ergo cognoſcuntur à Deo, & Deum cognoſcunt, ſancti Angeli ſunt, qui ab eo felices facti, ejus laudibus ſemper vacant, & obſequiis deſerviunt. Qui nec cognoſcuntur nec cognoſcunt, pauperes ſunt neceſſarii, quos nec rerum temporalium copia ditat, nec beatificat ſervitus divina. Qui autem cognoſcuntur ſed non cognoſcunt, divites ſunt hujus ſeculi, qui accepta qui-*

k Luc. 23. 34. & 46 ex Pſ. 30. 6
l Act. 7. 126 & 60
m S. Aug. tract. 76. in Joan.
n Exod. 13. 13
o Exod. 20. 24
p Iſai. 1. 3
q Hebr. 11. 4. & 5. ex Gen. 4. 4 & 5. 24
r S. Chryſ. hom. 22. in Hebr. 11. 4. & 5.
ſ ex Hebr. 11. 6
t Pſ. 17. 45
u S. Bern. ſer. 40. ex Parvis.
x ex Rom. 8. 29

dem ſpibus affluunt, ſed carnalibus deſideriis hujus ſeculi preßi, nunquam ad cœleſtia cor ſuſpendunt. Qui verò non cognoſcuntur & cognoſcunt, pauperes ſunt voluntarii, quos nec tribulatio, nec anguſtiæ, nec alia quæcunq; pericula poſſunt ſeparare à charitate Dei y. *De his ergo vox divina dicit, Populus quem non cognovi, ſervivit mihi. Ac ſi apertè diceret, Vident Angeli, audiunt homines. Audiunt ſcilicet, & obediunt.* Atqui amare, & non videre, laudabiliſſimum eſt: Deus enim nihil æquè amat ac amorem qui ſuis non invigilat commodis, qualis eſt amor Lazari.

y ex Rom. 8.35.&c

Concludamus autem, Deus *in charitate perpetuâ* z dilexit nos: nec aliquid egit pro Lazaro, quod pro nobis non fecerit, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* †. Requiritur è parte noſtrâ reciprocatio, mutua dilectio, adhærere, ſervire, & ſuſtinere. Si hoc agamus in iſtâ vitâ, reſurgemus à peccato ad gratiam, & gratia erit nobis gradus, per quem perveniamus ad gloriam.

z Jer. 31.3
† Apoc. 1.5

FERIA VI. IN PARASCEVE.

& Matth. c.26. & 27 & Marc. c. 14. & 15 & Luc. c. 22. & 23

Ieſus egreſſus eſt cum Diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & Diſcipuli ejus. &c. Joan. c. 18. & 19.

S. Matthæus & S. Marcus loquentes de hoc egreſſu Filii Dei, ut iret in hortum Olivarum, in quo Paſſio ipſius debebat incipere, dicunt eum fuiſſe inchoatum per canticum à Chriſto, quaſi ipſe lætatus fuiſſet de certitudine victoriæ, quam mox relaturus erat de inimicis noſtræ ſalutis, antequàm certamen iniret, cùm dixiſſet olim per Prophetam ſuum, *Ero mors tua ô mors, Morſus tuus ero inferne* a. *Et Hymno dicto exierunt in montem olivarum.* Veritatis iſtius figuram providet nobis Scriptura b, *Factus eſt ſuper Iephte Spiritus Domini, & tranſiens ad filios Ammon, votum vovit Domino, dicens, Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. Tranſivitque Iephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus. Revertente autem Iephte domum ſuam, occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis & choris, non enim habebat liberos. Quâ viſâ ſcidit veſtimenta ſua, & ait, Heu me filia mi, decepiſti me, & ipſa decepta es; aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa reſpondit, Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es, conceſsâ tibi ultione atque victoriâ de hoſtibus tuis.* Sic per ingreſſum Jeſu Chriſti in hortum Olivarum, in quo collecturus eſt palmas pacis & reconciliationis omnium hominum peragendæ cum ſuo Patre æterno, idem *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* c ejuſdem, & quem Maria *peperit Filium ſuum primogenitum* d; repræſentatur nobis à Jephte triumphante: *Confidite, ego vici mundum* e. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* f. Et quæ *occurrit ei unigenita filia ſua*, eſt Humanitas ſancta Jeſu Chriſti, quæ eſt offerenda *holocauſtum Domino* ſuper altari Calvariæ, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum* g. Sicut autem *Iephte occurrit unigenita filia ſua cum tympanis & choris*, & ſignis lætitiæ: ſic ſancta Humanitas Filii Dei, *Hymno dicto* gaudebat de gloriâ, quâ ipſa erat cumulanda ob redemptionem hominum, quam erat ipſa mox conſummatura; & gaudii iſtius notas præ ſe ferebat medio iſto cantico, feſtinans ad oppetendã mortem, ad pariendos fideles Eccleſiæ, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* h: ſicut philomela, quæ juxta naturalium rerum indagatores ova ſua enitens, jugiter concinit, quod non eſt mirum ſi ipſa ita ſibi in canendo complaceat: ita Jeſus Chriſtus cecinit exiens è cœnâ; & probabile eſt, quòd, ſicut Hiſtoriæ referunt Eccleſiaſticæ, veluti Judæi *agnum* i paſchalem comedentes conſueverant cantare hunc Pſalmum, *In exitu Iſrael de Ægypto* k, &c. quia *eâdem die eduxit Dominus filios Iſraël de terrâ Ægypti per turmas ſuas* l: ita Chriſtus cecinit hunc Pſalmum, aut Hymnum cum Apoſtolis ſuis, tranſiturus ſuper lignum Crucis *per medium maris* m rubei Paſſionis ſuæ, & hoc modo ſalvaturus homines inſtar alterius Moyſis, & liberaturus eos *de manu Ægyptiorum* n, id eſt, à ſervitute tyrannicâ Pharaonis infernalis, *qui ingreſſus eſt cum equitibus in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filii autem Iſrael*, id eſt, fideles veri videntes Deum, *ambulaverunt per ſiccum in medio ejus* o.

a Oſee 13.14
b Judic. 11.29.&c
c Jo. 1. 18
d Matth. 1.25.& Luc. 2,7.
e Ioan. 16. 36
f Ioan. 12.31
g Ioan. 12.32
h S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103
i Exod. 12.3.&c
k Pſ. 113 .1.&c
l Exod. 12.51
m Exod. 14.22.&c
n Exod. 14.31
o Exod. 15.19

Hoc in occurſu ſe gerit Dei Filius ut cygnus, qui morti proximus, ſuaviùs canit, quàm cecinerit per totam vitam ſuam, quia puriſſimus ſanguis ejus recipit ſe tunc ad cor ipſius, eumque magnâ replet lætitiâ: ita Chriſtus conſiderans quòd per mortem ſuam fideles eſſent habituri *vitam, & abundantiùs* p habituri, ideò gaudio exultat. Mirabilis convenientia ingreſſus illius in mundum per Nativitatem, & egreſſus per Paſſionem. In Nativitate ejus, Angeli cantica lætitiæ cecinerunt, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* q. Sed Angeli immortales, quia illa Nativitas erat principium vitæ illius: hîc verò in Morte, iſte homo Deus, *in forma Dei, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* r, & Apoſtoli ejus qui puri ſunt homines, quia hîc non agitur niſi de Paſſione & de morte, hymnum concinunt, qui certum fuit victoriæ de hoſtibus referendæ ſignum. Et licèt homines nihil ſibi poſſint polliceri certi ex his occurſibus, quorum exitus eſt ordinariè incertus; Chriſtus tamen canere poterat, certus de felici ſucceſſu victoriæ proximæ Paſſionis ſuæ interventu referendæ. Si autem Ipſe ex unâ parte concinit, Mater ipſius tamen affligitur ex alterâ, Sed ſi *Rebecca* ſ, licèt afflicta ob imminentem mortem viri ſui Iſaac, non deſtitit propterea impendendam procurare benedictionem ab eodem Iſaac, filio ſuo Jacob: ita Virgo Deipara, etiamſi *ipſius animam gladius* * pertranſeat doloris ob diſceſſum Filii ſui pergentis ad mortem, non renuet procurare nobis lumina Spiritus ſancti Sponſi ſui t, ut compatiamur cum eâ Jeſu, dicamus ei ergo,

p Ioan. 10.10
q Luc. 2.14
r Philipp. 2.6.& 7
ſ Gen. 27. 5.&c
* Luc. 2.35
t Luc. 1.35

Eia Mater fons amoris, &c.

Loquens David u de animi alacritate, quâ Dei Fi-

u Pſ. 39.9

Filius ſe morti obtulit, ait in perſona ejus, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* x Iſai. 53. 7 Liberè & voluntariè mortem oppetivit, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* x. Ut ſuâ nos oblatione ſanctificaret, *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Ieſu Chriſti ſemel* y. y Hebr. 10. 10 Hac ductus æternâ voluntate hodie *Ieſus egreſſus eſt trans torrentem Cedron.* Sed ad implendam iſtam voluntatem quot torrentes pertranſivit Dei Filius in hac præſenti vita? z Matth. 4. 3. &c. Præteriit torrentes tentationum z, & Paſſionis, veros torrentes hujus vitæ; ſicut enim unda compellitur ab alia unda, ita momentum unum expellitur ab alio. Torrens iſte ſiccatus eſt, cùm a Pſal. 21. 16 dixit Jeſus, *Aruit tanquam teſta virtus mea* a. Nimirum, cùm vitam amiſit. Torrens fuit tentatio inter duos ſilices carnis & ſpiritus, quem tranſivit, cùm dicebat, *Intraverunt aquæ uſque* b Pſal. 68. 2 *ad animam meam* b. Et, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et iſte torrens areſactus eſt, cùm ipſe dixit; *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Paſſio ejus fuit etiam torrens; confeſtim enim ac captus fuit, damnatus fuit: hunc modò incipit pertranſire torrentem, qui non areſiet, donec ipſe ignominioſo Crucis fuerit affixus patibulo.

Pertranſit igitur *torrentem Cedron*, qui ſignificat obſcuritatem. Cedron idem ſonat ac denigratus, triſtis. Quænam obſcuritas in facie Jeſu Chriſti? *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus* c Iſai. 53. 2. &c. *eum, & non erat aſpectus* c, &c. propter ea quæ conſequenter eſt paſſurus. Ideò ingreditur hodie hortum Olivarum, in quo ipſius Paſſio debet incipere, & in quem *frequenter Ieſus cum diſcipulis ſuis* conveniebat, cùm ipſi ſuppetebat otium. Hic autem repræſentatur nobis id quod ait A- d Rom. 11. 24 poſtolus d, *Ex naturali excisſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam olivam.* Id eſt, cùm oleaſtri eſſemus propter ſcelera noſtra, ſimiles olivæ ſylveſtri, amaræ & infœcundæ, ut insereremur Chriſto, qui eſt bona oliva, oportuit ut idem Chriſtus præciſus fuerit flagellis, *ſpinis*, cla- e Job 29. 2. & 6 vis, & *lanceâ* in Paſſione ſua. Loquebatur Job e de iſta oliva, & de hoc oleo, *Quis mihi tribuat ut ſim juxta menſes priſtinos, quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei?* Iſta *petra* f 1. Cor. 10. 4 *autem erat Chriſtus* f, quæ percutienda erat in Paſſione, ut abundanter oleum effunderet: propterea ſuam incepturus eſt Chriſtus in horto Olivarum Paſſionem.

Multa invenimus myſteria in Hortis peracta. Incarnatio Verbi Divini facta eſt in horto uteri virginalis Mariæ; nam ſtatim ac ipſa reſpondit Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſe-* g Luc. 1. 38 *cundùm verbum tuum* g. *Verbum caro factum eſt* in h Joan. 1. 14 viſceribus ejus, quaſi in horto, in quo admiranda erat plantatio omnium virtutum. Et ut principium haberet proportionem cum fine, ad quem refertur, Filius Dei, qui eſt æterna *Sapien-* i Sap. 7. 24 *tia* i, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter,* k Sap. 8. 1 *& diſponit omnia ſuaviter* k, decrevit ut ſua in horto inciperet Paſſio. Ob eandem Reſurrectio ipſius accidit cauſam in horto æquè ac illius ſepultura, *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceven Iudæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Ie-* l Joan. 19. 41. & 42 *ſum* l. *Una autem Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento* m. m Joan. 20. 1 Protoplaſtus noſter Adam peccavit in horto, dum ibi vetito *de fructu comedit* n. n Gen. 3. 6. &c. Secundus Adam reparat hoc peccatum, aut ſaltem reparare illud incipit in horto, qui eſt hortus Olivarum, quæ ſunt ſymbolũ miſericordiæ, remiſſionis, gratiæ, & remedii ſanãdis omnibus infirmitatibus ſpiritualibus accommodi. Eccleſia ſancta eſt hortus ſacer, *Ve-* o Cant. 5. 1 *niat Dilectus meus in hortum ſuum* o. Anima fidelis in ſpeciali eſt *hortus concluſus* p. p Cant. 4. 12 Scriptura ſacra ornata variis floribus doctrinæ eſt etiam hortus; ſicut & mundus. In omnes iſtos ingreſſus eſt Dei Filius hortos. In hortum Eccleſiæ ad eum illuminandum, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* q. q Joan. 1. 9 In hortum animæ fidelis, ad eam vivificandam, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant* r. r Joan. 10. 10 In hortum ſacræ Scripturæ ad eam implendam, *Pater ſancte, quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur* ſ. ſ Joan. 17. 11. & 12. ex Pſ. 40. 10. & 108. 8 Et in hortum mundi ad eum ſalvandum, *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* t. t Joan. 3. 17 Mors noſtra incepit in horto ſeu paradiſo terreſtri, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors* u. u Rom. 5. 12 Et vita & ſalus noſtra incipit in hoc horto Olivarum. Ibi deliciæ x mutatæ ſunt in labores y & in amaritudines. x Gen. 2. 15 y Gen. 3. 19 Ibi Eva ſcandalizavit Adam; hîc *omnes ſcandalum* patiuntur Apoſtoli. Ibi libertas mutata fuit in ſervitutem: hîc è contrà ſervitus mutatur in libertatem. *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* z. z Galat. 4. 31 Videamus igitur Primò quid Jeſus Chriſtus patiatur in hoc horto Olivarum. Diviſio Secundò, Quid toleret præ tribunalibus, quibus præſentatur antequàm mortem obeat.

I. Pars Sponſæ ſacræ invitanti Sponſum ſuum ad hortum ſuum, *Veniat Dilectus meus in hortum ſuũ, ut comedat fructum pomorum ſuorum*, qui fructus nõ eſt alius niſi iſte, quẽ *maledicta terra* a produxit poſt a Gen. 3. 17 peccatum commiſſum: reſpondet Sponſus, *Veni in hortum meum, ſoror mea Sponſa, meſſui myrrhã meã* b. b Cant. 5. 1 Sed quid ſibi vult quòd in horto cùm variæ ſint arbores, *Emiſſiones tuæ paradiſus* c, Sponſus ſolius c Cant. 4. 13 myrrhæ peragat mentionem? Ideò ut prædicat amaros dolores, quos erat paſſurus in horto Olivarum tempore Paſſionis ſuæ; & ingentem triſtitiam, quâ ſua erat afficiẽda Anima ad ipſas uſque mortis anguſtias. Myrrha, juxta naturalium rerũ Inquiſitores, metitur circa menſem Auguſtũ, quo immodici vigent calores: ſic conſiderato tempore Paſſionis, videmur aliquo modo perveniſſe ad ingentes calores æſtivos, quibus ſignum leonis dominatur: ſicut enim diebus canicularibus Sol ardentiſſimus eſt, ſic *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* d ardentiſſimos amoris ſui emittit radios, cũ d Eccleſiã ex Malach. 4. 2 pervenit ad ſignũ leonis, id eſt, cùm Pater æternus adversùs ipſum magis videtur iratus, quippe *qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* e diebus canicularibus ingentiũ calorum amoris ipſius, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finẽ dilexit eos* f. e Rom. 8. 32 f Joan. 13. 1 Idcircò hæc Paſſio conſummatur per amorem, & cum amore; & propter hunc magnum amorem Filius Dei poterat colligere fructus laborum ſuorum, qui nobis debiti erant ob peccata noſtra, & quos vocat ſuos quatenus eſt *habitu inventus ut homo* g. g Philipp. 2. 7

Meſſores non poſſunt metere fructus terræ niſi *in ſudore vultus* h ſui; ideò mirum non eſt ſi dum h Gen. 3. 19 Chriſtus metit *myrrham* ſuam, *factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Cùm metitur, varii ſunt manipuli: quinam autem

ſunt iſti manipuli Filii Dei, niſi variæ cauſæ triſtitiæ, & objecta moleſta quæ ipſum affligunt, ut proditio Judæ, negatio Petri, fuga Apoſtolorum, ingratitudo hominum, tormenta innumera, injuriæ, & opprobria, quæ erat paſſurus, & quæ erant veluti tot manipuli myrrhæ amariſſimæ? Hæc eſt tamen differentia inter ipſum & alios meſſores, quòd iſti metunt præ lætitiâ, *Sicut qui lætantur in meſſe* i. E contrà verò Chriſtus *factus in agoniâ*. Et ideò ecce ſtatim remedium, *prolixius orabat*, id eſt, oratio, quam ipſe conſulit, *Triſtatur aliquis veſtrum? oret* k. Sed quænam eſt hæc oratio? Scriptura ſacra præ noſtris ponens oculis aliquid celebre, univerſas ejus obſervat circumſtantias. Deſcribens *arcam* l Noe, omnes illius dimenſiones & diſpoſitiones enumerat. Loquens de certamine ſingulari inito à Davide contra Goliath, ait, *Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi* m, &c. Et iſta omnia propter majorem certitudinem; ut etiam in rebus minimis de inveſtigandâ ſoliciti ſimus veritate. Sic multa docere voluit nos Chriſtus myſteria emblematibus operta, ſicut cùm Scriptura n ait, quòd *hyems erat*, quàdiu ipſe prædicabat, ad ſignificanda corda frigida Scribarum & Phariſæorum. Ita dictum eſt diviti cuidam, *Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te* o, ad oſtendendam mortem illius ſubitaneam. Pari modo Chriſto orante, Evangeliſtæ obſervant circumſtantias orationis ejus. Sed ſiſtamus in ſolâ circumſtantiâ temporis, quæ eſt circumſtantia diei Paſſionis ejus, quæ accidit, ut multi Doctores & Patres p ſentiunt, ipſa die, qua *formavit Dominus Deus Adam de limo terræ* q, &c. quâ *Verbum caro factum eſt* r; & quâ idem Filius Dei ſuum perficere vult opus. Quoad perſonam quæ orat, diſputant Theologi, utrùm perſona una Trinitatis aliam poſſit orare perſonam. Id ſentire videtur S. Paulus †, dicens, *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et Jeſus Chriſtus, qui eſt ſecunda Perſona Trinitatis, hîc orat Patrem ſuum. Tamen dicendum eſt, quòd una perſona Trinitatis aliam non poſſit orare, cùm tria ſint in illis quæ eas ab orando impediunt, identitas ſubſtantiæ, *Ego & Pater unum ſumus* ſ. Æqualitas perſonarum, & plenitudo abundantiæ, quæ tria ſociari non poſſunt orationi. Præterquàm *quòd, ſecundùm Caſſiodorum, oratio dicitur, quaſi oris ratio* t. Id eſt, actus rationis quo quis orat Superiorem: & ideò cùm nulla ſit ſuperioritas & inferioritas in Trinitate, una perſona aliam orare non poteſt. Hoc tamen non habet locum in Chriſto: propterea S. Thomas u reſpondet ad locum præfatum S. Pauli, *Quòd Spiritus ſanctus, cùm ſit per omnia Deo æqualis, non poteſt dici medius, vel mediator inter Deum & homines, ſed ſolus Chriſtus, qui, licèt ſecundùm Divinitatem æqualis ſit Patri, tamen ſecundùm humanitatem minor eſt Patre. Unde ſuper illud, Chriſtus eſt Mediator* x, *dicit Gloſſa, Non Pater, nec Spiritus ſanctus. Dicitur autem Spiritus ſanctus interpellare pro nobis* †, *quia ipſe interpellare nos facit*. Chriſtus ergo orat, inquantùm ſi omnes aliæ actiones ejus fuerunt valoris infiniti propter unionem perſonalem ipſius cum Divinitate, quæ *non habet finem* y; hæc oratio, quæ ex ſe erat excellentiſſima, aliquo modo majoris erat pretii. Præterea, Orat propter exemplum. Deinde, Ad oſtendendum ſe verum hominem. Tandem, Ad ſatisfaciendum officio ſuo, *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum*, z, &c.

i Iſai. 9.3
k Jacob. 5.13
l Gen. 6. 14. &c
m 1. Reg. 17.4. &c
n Joan. 10. 23. &c
o Luc. 12. 20
p S. Iren. l. 5. hæreſ. Tert. l. adverſ. Judæos. c. 8. Durandus rubric. de Converſ. S. Pauli. & Lorin. in Act. 12. 2
q Gen. 2. 7
r Joan. 1. 14
† Rom. 8. 26
ſ Joan. 10. 30
t S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. in corp. citans Caſſiod. in Pſ. 38
u S. Thom. 3. p. q. 15. a. 1. ad 3
x ex Galat. 3. 20
† ex Rom. 8. 26
y Baruch 3. 25
z Hebr. 5. 1. &c

Suam incipit orationem ab hoc verbo, *Pater*. Ille enim, qui oratur, cùm duas iſtas præ ſe ferre debeat conditiones, velle & poſſe, quarum una non ſufficit abſque alterâ, habere debet poteſtatem, & pietatem, quas invehit iſtud nomen Patris, ut obſervat Tertullianus a: nunquam enim aliter eſt orandum: quia cùm ille qui oratur, debeat eſſe potens & liberalis, quæ duæ qualitates conveniunt duabus conditionibus poſſe & velle trium perſonarum Trinitatis ſaltem quoad nos. Pater potentiſſimus & liberaliſſimus eſt, cùm potentia ei attribuatur ſpecialiter ut primo principio Trinitatis ſicut & liberalitas: cùm enim in Trinitate una ſola perſona recipiat, altera det, & alia recipiat & det ſimul; Spiritus ſanctus ſolùm recipit, cùm producatur, & non producat; Filius dat, quia ſpirat cum Patre *Spiritum veritatis* b; & recipit à Patre, qui ait ei, *Ego hodie genui te* c: ſolus Pater dat generando, & non producitur, ideò liberalitas illi appoſitiſſimè convenit.

Et progreſſus puſillùm. Ipſe exercet quod nos docuit, *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculũ tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum* d. *Puſillùm*, ita ut ſuper Apoſtolos ſuos jugiter intentos haberet oculos comparatos gallo gallinaceo à Job e, *Quis dedit gallo intelligentiam?* Iſta galli induſtria in hoc eſt ſita, quòd alia animalia non poſſunt ſimul oculum habere ſurſum elevatum, & alterum deorſum depreſſum, ſed ambos vel ſurſum elevatos, vel deorſum depreſſos: ſicut ergo gallus poteſt eodem tempore intueri cœlum & terram; ita Chriſtus uno intuetur oculo Patrem ſuum què orat, & altero ſuos Apoſtolos quos inſtruit. Cùm *moram faceret deſcendendi de monte Moyſes*, ſuos habere non poterat oculos intentos ſuper Iſraëlitas, ideò *fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt* f. Sed Apoſtoli confortantur à Domino ſuo, qui ſuos ſuper ipſos projicit oculos. *Progreſſus*, quia *avulſus*. *Diſcipuli omnes relicto eo, fugerunt*. *Petrus negavit coram omnibus* illum. Deinde *Thomas* g fuit *incredulus*, & alii ſpem Reſurrectionis ipſius amiſerant h: ſed quia *puſillùm* tantùm ab illis, non ſicut a Juda, qui *laqueo ſe ſuſpendit*: ideò eos omnino non deſeruit; *Et converſus Dominus reſpexit Petrum*. Thomam reduxit; & alios confirmavit in fide, cùm Judam impœnitentem & converti nolentem dereliquerit. Propterea *avulſus eſt ab eis* quaſi invitus, ubi exprimitur nobis id, quod ajunt Theologi, quòd nullus deſeratur a Deo, quin priùs ab eo Deus fuerit derelictus. *Quantùm jactus eſt lapidis*. Quia ipſe erat Lapis angularis, recedens ab Apoſtolis ſuis, quoniam ipſe eſt baſis ædificii, & illi minores lapides, *Fundamentum Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari Lapide Chriſto Ieſu* i. *Avulſus eſt*. Quia Petrus erat projecturus lapidem, & illidendus ad iſtum Lapidem triplici ſuâ negatione, ſed ideò ab eo non deſerendus, ſed ſolùm *quantùm jactus eſt lapidis*. Ut innuatur, nunquam nos deſeri à Deo: nullus enim peccator eſt, quantùmvis ſceleſtus ſit, cui Deus ſuas gratias deneget ſufficientes k: ſi autem aliquando ſuas gratias renuat, tantùm *quantùm ictus eſt lapidis*. Nam ſicut lapis diverſimodè projicitur, aut procul aut propè, juxta diverſitatem vis ipſi impreſſæ à projiciente; ſic gratia ſufficiens tribuitur omnibus quantùmvis inſignibus peccatoribus; ſed inæqualiter ſecundùm diverſam diſpoſitionem ſubjectorum, in quæ ipſa operatur; & licèt ipſa ſit remota, non eſt tamen omnino ablata, & illius aliquid ſemper

a Tert. l. de orat. c. 2, & ſeq.
b Joan. 15. 26
c Pſ. 2. 7
d Matth. 6. 6
e Job 38. 36
f Exod. 32. 1. & 8
g Joan. 20. 24. &c
h Luc. 24. 21. &c
i Epheſ. 2. 20
k Pſ. 2 2 6

per

per manet. Ecce *abſciſſus lapis de morte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum.* Quia *hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat* l. Id eſt, *Superbia vitæ* m. *Pectus autem & brachia de argento.* Scilicet, *Concupiſcentia oculorum.* Aut avaritia. *Porrò venter & femora ex ære.* Utputà, *Concupiſcentia carnis.* Sed ecce, *Abſciſſus lapis de monte ſine manibus.* Quoniam *oblatus eſt, quia ipſe voluit* n. Sanguinis ſui offert primitias, & non opus eſt ut quis eum ex ipſo educat, niſi forſan amor, quo ductus, dicet modò, *Surgite, eamus. Avulſus.* Lex o vetus tabularum lapidearum finienda erat, & ab ipſo infringenda p: ideò *avulſus eſt ab eis quantùm jactus eſt lapidis.* Qui eſt violentus, quique ideò docet nos, quòd cùm Deus nos deſerit, non poſſumus eum adire niſi per violentiam q. *Avulſus eſt.* Deus eſt ſcopus, ad quem dirigere debemus fundam noſtram, id eſt, intentiones noſtras.

l Dan. 2, 32, &c.
m 1. Joan. 2, 16.
n Iſai. 53. 7.
o Exod. 34. 28.
p Epheſ. 2, 14, &c.
q Matth. 11. 12.

Procidit in faciem ſuam præ devotione, quæ eſt veluti currus, qui nos ſurſum elevat; nubes, in qua oratio noſtra in cœlum fertur, & carbo vivus quo torretur jecur illius piſcis ſalutaris contra ſpiritus malignos r. Deinde, Præ humilitate, quæ eſt vera ſcala Jacob, per quam erat videre *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per eã* ſ. *Poſitis genibus.* Hæc eſt præcipua conditio orationis, humilitas, ſine qua ipſa non poteſt eſſe efficax. *Procidit in faciẽ ſuam.* Hic repræſentabat Chriſtus perſonam peccatorum: ideò imitatur publicanum, qui cùm aſcendiſſet *in templum ut oraret, nolebat nec oculos ad cœlum levare* t, intuitu ſuorum criminum; aut agit ſicut alter Manaſſes, qui dicebat Deo, *Domine, non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum, incurvatus ſum multo vinculo ferreo, ut non poſſim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi: quia excitavi iracundiam tuã, & malum corã te feci* u; &c.

r Tob. 8, 2 & 3.
ſ Gen. 28, 12.
t Luc. 18, 11, & 13.
u 2. Paral. 36, in orat.

Procidit in faciẽ ſuam. Ut oſtendatur differentia quæ eſt inter orationes Jeſu Chriſti & aliorum hominum: nam cùm aſcendiſſet *Moyſes ſuper verticem montis, & levaret manus* x æquè ac oculos orando, è contrà Filius Dei *procidit in faciem ſuam*; quia Moyſes expectabat gratias & favores; ſed Chriſtus nullos favores expectabat, ſed potiùs verbera, & ob id ſuum dorſum incurvat ad ea recipienda, *Ego in flagella paratus ſum* †. Et, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores* *. Oculos & brachia versùs terram deprimit, inſumens hæc omnia propter peccatores, compatiens eorum miſeriæ, & volens eos *libertate* y donare. *Procidit in faciẽ ſuam*, quaſi daturus notas Regiæ ſuæ dignitatis, quòd ipſe *Dominus omnium* z eſſet juxta id, quod dixerat ipſi Pater ſuus, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ* a. Quia, ſecundùm Oraculum antiquum, ille debebat eſſe Rex, qui primus ſuã oſculatus eſſet matrem, ſicut re verâ ille talis evaſit, qui primus terram fuit exoſculatus. *Procidit in faciem ſuam* ad commovenda *viſcera miſericordiæ Dei noſtri* b. Sic L. Claudius cùm accuſaſſet Piſonem, eòque reduxiſſet illum ut ad mortem damnatus eſſet, cùm audiſſet decretum prolatum contra hunc reum, tali percuſſus fuit commiſeratione, ut ſe projiciens in terram, & caput ſuum pulvere, & faciem ſuam luto operiens, & in hoc ſtatu Judicibus ejus intuendum ſe exhibens, ita illos mitigaverit, ut decretũ revocaſſe referantur: videtur Chriſtus eodem ſe geſſiſſe modo; nam cùm naturam humanam ſumpſiſſet, & videret eam damnatam ad mortem, in perſona omnium peccatorum, *procidit in faciẽ ſuam*, ut illam pulvere opertam intuendam Patri æterno exhibens, mitigaret iracundiam ejus; quod & fecit, *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum* c. *Id eſt, infirmitatẽ noſtram*, ait Gloſſa apud Incognitum d, qui utrumque intelligit *pro fomite peccati.*

x Exod. 17. 10, & 11.
† Pſ. 37. 18.
* Pſ. 128. 3.
y Galat. 4, 31.
z Eſth. 13. 11.
a Pſ. 2, 8.
b Luc. 1, 78.
c Pſ. 102, 14.
d Incogn. in Pſ. 102, 14.

Ieſus oravit tertiò. Ad corripiendos Hæreticos noſtros, qui improperant nobis frequentes orationes noſtras. Sed *mulier Chananæa* cùm bis à Dei Filio fuiſſet repulſa, nonne tertiâ vice ab eo fuit exaudita? *Fiat tibi ſicut vis* e. Et S. Paulus nonne ait? *Ter Dominum rogavi* f. Imò verò David numquid non ter orabat diebus ſingulis, *Veſpere, & manè, & meridie* g? *Ieſus oravit tertiò*, ſeu ter, pro ſe, pro Apoſtolis, & pro aliis hominibus. Ter, pro peccatis præteritis, præſentibus, & futuris. Ter, pro peccatis cordis, oris, & operis. Ter, pro peccatis infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ.

e Matt. 15. 22, &c.
f 2. Cor. 12. 8.
g Pſ. 54. 18.

Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me. Hoc calice intelligit mortem, alludens conſuetudini antiquæ, quâ reis ad mortem damnatis offerebatur calix, qui erat eis prænuncius mortis imminentis; cui concordat iſtud, quod ipſe ait per Davidem h, *Calicẽ ſalutaris accipiam.* Ubi loquitur de Morte ſua; paulò enim poſt ſubdit, *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Vel potius veterem imitatur Judæorum morem in conviviis, ubi ille qui convivii præſidem agebat, calicem vino repletum ſumebat, eumque offerebat cuicumque vellet: quod patet ex eo, quod dicit idem David i *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Et paulò pòſt, *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Idem alibi k etiam ipſe ſignificare voluit, *Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Præterea, Dei Filius vocavit Paſſionem ſuam *calicẽ*, ut oſtenderet, quòd illi, qui febri, aut ſiti ardenti æſtuant, non bibunt libentiùs, quàm ipſe concupiſceret *calicem* ſuæ Paſſionis ſecundùm partem Animæ ſuæ ſuperiorem aut rationalem bibere. Sed ſi ita res ſe habet, quare videtur eum recuſare, dicens, *Pater, ſi vis, transfer calicẽ iſtum à me?* Heu! ait illi S. Ambroſius l, *Doles Domine non tua, ſed mea vulnera.* Id eſt, peccata. *Transfer calicẽ iſtum.* Per quem oportebat ut ipſe morerctur pro traditione Judæ, & pro ingratitudine Judæorum, quos ſic dilexerat, non quòd abſolutè mortem recuſaret oppetere. Alii dicunt, quòd Chriſtus per hæc verba rogavit Patrem ſuum, ut transferret, id eſt, communicaret extra ſe peccatoribus qui ſunt membra ipſius, Quia *ipſum dedit Caput ſupra omnẽ Eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius* m, fructum Paſſionis ſuæ, nolens ut iſte fructus remaneret in ſe, ſed effunderetur in omnes homines. Ideò dicebat, *Sicut aqua effuſus ſum* n, quærens, quòd ſicut nemo ſatagit colligere aquam, quæ effunditur, ſed ſolum balſamum, & alios pretioſos liquores; ita fructus Paſſionis ſuæ non foret colligendus à multis, quibus foret condemnatio propter ipſorum culpam. Tamen omiſſis omnibus iſtis expoſitionibus, verè recuſavit mori Dei Filius ſecundùm duos appetitus, naturalem, & ſenſitivum, qui erant in ipſo prout vero homine, qui efficiebant ut diceret, *Transfer calicem iſtum à me.* Imò verò ſecundùm rationalem, *Fiat voluntas tua.* Dico, quòd ſecundùm hunc

h Pſ. 115. 4 & 5.
i Pſ. 15, 5 & 6.
k Pſ. 22, 5.
l S. Ambr. l. 10. in Luc. 22, 42.
m Epheſ. 1, 22, & 23.
n Pſ. 21, 15.

appetitum rationslem etiam Chriſtus mortem refugeret. Ut intelligatur, ſciendum eſt quòd unicum momentum Vitæ & actionum Chriſti gratius fuerit, majoremque honorem rependerit Patri æterno, quàm ei placuerint, eumque honoraverint vitæ & actiones univerſæ omnium hominum & Angelorum: idcircò intuitus hâc morte ſuâ Patrem æternum privandum hoc honore exteriori, præferens vitam ſuam privationi illius, quam perpeſſurus ipſe erat per quadraginta horas, aut circiter, *orabat, dicens, Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me.*

Dormite jam, & requieſcite. Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. Sponſa loquens de Sponſo ſuo, ait, *Labia ejus lilia diſtillantia myrrhã*
o Cant. 5, 13. *primam* o. Et econtrà Sponſus contemplatus labia Sponſæ ſuæ, dicit, *Favus diſtillans labia tua*
p Cant. 4, 15. *Sponſa, mel & lac ſub lingua tua* p. Quid eſt iſtud, niſi quia Chriſtus ſeſe exhibuit nobis favum & mel, & quòd myrrha ejus mutata nobis fuit in ſaccharum? Vocavimus ſuprà Paſſionem & Mortem Salvatoris *calicẽ*, & jure merito. Calix iſte ſimilis fuit calici Herculis confecto in formam navis, cui ſuperpoſitus trajeciſſe dicitur Oceanum: ſed Chriſtianè dicamus, quòd verus Hercules Jeſus Chriſtus, non indutus pelle leonis, ſicut ille profanus, ſed pelle humanitatis noſtræ, *in ſimilitudinẽ hominum factus, & habitu inven-*
q Philip. 2, 7. *tus ut homo* q, venit *in altitudinẽ maris* r impoſitus navi calicis Paſſionis ſuæ, & tranſivit ab ex-
r Pſ. 68, 3. tremo Oceano hujus vitæ ad portum vitæ æternæ, id eſt, à Paſſione ad gloriam, *Nonne oportuit*
ſ Luc. 24, 26. *pati Chriſtum, & ita intrare in gloriã ſuã* ſ? Verum quidem eſt, Mortem Chriſti fuiſſe *calicẽ* continentem *vinum cum felle mixtum*, aut *myrrhatum vinum*, ſed favum & mel quantùm ad nos, quos
t Pſ. 20, 4. prævênit *in benedictionibus dulcedinis* t. Quoniam proficue inſumere poſſumus labores ipſius, quod adimpletur his verbis, quæ *dicit* ipſe Apoſtolis ſuis, *Dormite jã, & requieſcite.* Huc referuntur omnes orationes ejus, vigiliæ, & ſudores, id eſt, ad ſolatium & ad remedium noſtrum, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.*

u Cant. 5, 2. Mirabile myſterium Canticorum u, ubi Sponſus Sponſam alloquens, orat & inſtanter eam deprecatur ut ſibi aperiat, *Aperi mihi ſoror mea: quia Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Hic autem idem Sponſus reſperſus non *rore & guttis noctium*, ſed ſudore opertus ſanguineo non invitat Sponſam ſuam ut ſurgat, & ſibi aperiat, ſed ut requieſcat, *Dormite jã, & requieſcite.* Duo obſervant mirabilia de apibus curioſi naturalium rerum Indagatores. Primum, quòd non augent, neque multiplicant mel ſuum niſi tempore noctis, & pluviæ. Secundum, quòd earum Regina præ fronte defert guttam roris ut inſigne Regiæ ſuæ dignitatis. Hoc docet nos, quòd Sponſa Chriſti verus grex fidelium non poteſt creſcere, nec multiplicari, nec ullum bonum colligere fructum niſi merito & virtute triſtis noctis Jeſu Chriſti, & pluviæ non roris, aut aquæ, ſed ſudoris *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Sed præ hac differentia tamen, quòd Regina apum manet in examine veluti in carcere, ſed in requie, præ fronte geſtans guttam roris, ut ſuarum curam gerens ſubditarum: econtrà verò Chriſtus ſudat, quandiu diſcipuli ejus quiete potiuntur, *Dormite jam, & requieſcite.*

x Zach. 3, 1, &c. Huic conformis eſt viſio Zachariæ x, *Et oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotẽ magnum ſtantẽ coram Angelo Domini: & Satan ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan, Increpet Dominus in te Satan: nunquid non iſte torris eſt, erutus de igne? Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis.* Quid eſt hoc niſi myſterium horti Olivarum? Per *Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem* repræſentatur nobis Jeſus Chriſtus orans; ſic enim ſumitur in Scriptura ſtare pro orare, *Benedicite Domino omnes ſervi Domini, qui ſtatis in domo*
Domini y. *Si ſteterit Moyſes & Samuel corã me* z. y Pſ. 133, 1. z Jer. 15, 1.
Coram Angelo Domini. Hoc eſt quod dicitur in ſequela Paſſionis, *Apparuit autẽ illi Angelus de cælo, confortans eum. Et Satan ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei.* Iſtud innuit inſidias, quas intentat diſcipulis ejus, quos dormire facit, & parùm reddit ſolicitos ut intrare faciat eos *in tentationẽ. Increpet in te Dominus Satan. Nunquid non iſte torris eſt, erutus de igne?* Iſte titio eſt Jeſus Chriſtus, ſed titio ligni viridis, *Si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* Titio ligni viridis applicatus igni ſudat ex una parte, & ardet ex altera: ſic titio ligni viridis Salvatoris quantùm ad partem ſuperiorem ardet dilectione erga Patrem ſuum, & charitate erga genus humanum; quantùm verò ad partem inferiorem, *factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram. Erutus de igne* amoris, doloris, & triſtitiæ, *Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem.* Sed dicamus meliùs, *Erutus de igne* reſervatur projiciendus in majorem fornacem, ubi omnino eſt conſumendus in monte Calvariæ. Chriſtus *torris eſt.* Obſervant rerum naturalium Inquiſitores, leones fugere ad intuitum titionis: iſte *leo rugiens* a *Satan, qui ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei* in a 1. Petr. 5, 8.
perſona Apoſtolorum illius, arripuit fugam viſo iſto torre myſtico: *Increpet Dominus in te Satan.* Ideò Chriſtus *dicit illis* liberatis ab inſidiis Satanæ adverſarii ſui, *Dormite jam, & requieſcite. Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis.* Inde Cornelius b Com. in Zach. 3, 3.
b, *Quia in Paſſione ſordidatus fuit tum peccatis noſtris; tum livore, ſanguine, ſputis, phlegmatibus, vulneribus, &c. Unde S. Hieron. Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis: quia cùm non feciſſet peccatum, pro nobis peccatum factus eſt* c. *Et in Apoſtolo* d *legimus,* c ex 2. Corinth. 5, 21. d ex Galat. 3, 13, & ex Deut. 21, 23.
Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

Surgite eamus. Ecce vis orationis. Conſiderate eam in Moyſe, qui *cùm deſcenderet de monte Sinai, ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini* e. Atqui cornua ſunt ſigna e Exod. 34, 29.
fortitudinis, *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus* f. Et oratione ſuâ ſic fortis eva- f Habac. 3, 4.
ſit Moyſes, ut dixerit ei *Dominus, Dimitte me, ut iraſcatur furor meus* g. Perpendite hanc eandem g Exod. 32, 9, & 10.
fortitudinem in Job h qui dicit, *Derelicta ſunt* h Job. 19, 20.
tantummodò labia circa dentes meos. Verſio aliqua legit, *Oſſa mea in dentibus.* Oſſa hæc non ſunt alia niſi oratio, quæ eſt fructus labiorum noſtrorum. Quid fortius oſſibus? Examinetur oratio Annæ matris Samuelis, & invenietur, quòd vi orationis, *vultus illius non ſunt ampliùs in diverſa*
mutati i. Dei Filius oratione armatus diſcipu- i 1. Reg. 1, 13, & 18.
lis ſuis *dicit, Surgite eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.*

Appoſitè Evangelium repræſentat nobis proditionem Judæ hoc verbo, *Ecce.* Queritur Deus de hoc ſcelere per Prophetam, & omnes invitat creaturas ut ſuo modo conſiderent ſic horrendam ingratitudinem, *Audite cæli, & auribus percipe terra. Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem*

tim ſpreverunt me k. *Ecce Iudas unus de duodecim venit,&c.* Dei Filius permiſit ſe tradendum ab uno ex Apoſtolis ſuis, ne quis ſcandali anſam arriperet, ſi fortè quid ſimile videret accidere inter Eccleſiaſticos, aut in domibus Religioſis. Quænam congregatio perfectior cœtu Angelorum poſt creationem ſuam *l*, cùm eſſent puri ſpiritus præditi donis naturæ, & gratiæ? Tamen ſcimus rebellaſſe contra Deum *tertiam partē* m eorum. Sic Adam & Eva creati in juſtitia originali *ad imaginem & ſimilitudinem* n Dei, nihilominùs noluerunt obedire Deo, & uterque *de fructu cmēdit* o vetito. Poſt diluvium, in familia Noë, qui *vir juſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis* p, unus invenitur *Cham* q repiehenſibilis. Quæ domus fidelior domo *Abraham, qui Pater eſt omnium noſtrûm* r fidelium? In ea tamen invenitur Iſmahel idololatra, imò verò qui vult inducere Iſaac ad idololatriam, *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptia ludentem cum Iſaac filio ſuo* ſ. Qui ludus ſumitur pro idololatria, ut dicitur, *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere* t. *Id eſt, vitulum adorare: talis fuit ludus Iſmahel cum Iſaac*, exponit Hugo u. Quæ domus magis pia domo Iſaac? Ea tamen inhonoratur ab Eſau, qui ſua *vendidit primogenita* x, quibus ſacerdotium erat alligatum, ſicut deinde id ſtatuit Moyſes, Deo præcipiente y. Quid ſanctius familiâ Jacob? In ea tamen ſunt *Simeō & Levi vaſa iniquitatis bellantia*; inceſtuoſus *Ruben primogenitus* z, & alii cum illis *fratres vendiderunt Iſmahelitis* a Joſeph. Prima congregatio facta poſt Legem naturæ, fuit ſocietas filiorum Iſraël: inter eos multum *murmur contra Deum* b, & Moyſen. *Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſen* c: *Core, Dathan, atq; Abiron ſurrexerunt contra Moyſen* d. Tot idololatriæ e. David, *quem quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* f, adulter, & homicida *g*, & ſuperbus *h*. In domo ejus, Amnon propriæ ſororis conſtuprator *i*, Abſalom fratricida k, & patris ſui perſecutor *l*. Tandem in familiâ Jeſu *& Iudas qui tradebat eū*. Ut innuatur, quòd morum perverſitas miniſterio non officit: Miracula patrabat Judas ſicut cæteri Apoſtoli; *Et convocatis duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos* m. Quod non impedivit quin idem Judas Jeſum traderet. Duplex eſt canalis irrigandæ terræ opportunus, unus ligneus, & alter fictilis; iſte irrigando terram, ſemetipſum irrigat, & conſervat; alter verò dum terram irrigat, ſeipſum corrumpit & putrefacit; dicendum eſt ſic de perverſis Eccleſiæ miniſtris. Hoc etiam nobis figuratum fuit in cibo, quem *corvi deferebant* n Eliæ, æquè ac *Angelus Domini* o. Iſtud patiter fuit ad oſtendendam inconſtantiam noſtræ voluntatis circa bonum: nam ſi intuitu boni obſervatæ ſunt diverſæ mutationes cum auxilio Dei, ut in Saule, quem deſtinatum ad quærendas *aſinas* p à patre ſuo, *unxit Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principē* q. In Davide, qui cùm paſceret *oves* r, pedum paſtorale mutavit in ſceptrum Regium, *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus* ſ. In *Amos, qui fuit in paſtoribus Thecue*, facto Prophetâ t. In Matthæo, qui cùm ſederet *in telonio* u, factus eſt Apoſtolus. In aliquibus ex aliis Apoſtolis, qui *erant piſcatores, & fieret piſcatores hominū* x fecit eos Dei Filius. In Magdalena, *quæ erat in civitate peccatrix*, quæ facta eſt ſpeculum pœnitentiæ, & ideò remiſſa ſunt ei *peccata multa, quoniā dilexit multùm* y. Sic de perverſitate Judæ dicendū, Chriſtus eum *elegit* z ad Apoſtolatum, & tamen ipſe *fuit Dux eorum, qui cōprehenderunt Ieſum* a eundem. Inaudita proditio Cain, qui *conſurrexit adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum* b! Abſalom cōtra fratrem ſuum Amnon, quem invitatum ad epulas interimendum præcepit c: & Joab adverſus Amaſam, *Dixit itaq; Ioab ad Amaſam, Salve mi frater: Et tenuit manu dexterâ mentum Amaſa. Porrò Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Ioab: qui percuſſit eum in latere, & mortuus eſt* d. Sed his omnibus execrabilior eſt proditio Judæ, qui alitus lacte doctrinæ Chriſti ut Apoſtolus ejus, lotus manibus illius, *cœnâ factâ* e, & Corpore & Sanguine ipſius refectus, *oſculo Filium hominis tradidit*, ut Ioab Amaſam.

Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum. Jeſus Chriſtus eſt ſignū cōtradictionis, *Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur* f. In Nativitate ejus data ſunt ſigna paſtoribus ab Angelo, *Et hoc vobis ſignum, Invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentiū, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* g. In Nativitate ejus, inquam, viſa ſunt ſigna humilitatis, amoris, & pacis; & in Morte ejus intuenda exhibentur ſigna odii. Et quia in Nativitate dabantur initia vitæ, propterea ſigna data ſunt ab Angelo, qui eſt immortalis: in Morte verò ipſius quæ erat progreſſus ad interitum, ſigna data ſunt ab homine mortali. Sed quoniā Nativitas referebatur ad humilitatem *ſignum* fuit etiam humilitatis; at cùm Mors eſſet ordinata ad redimendos homines, proditor *dedit ſignum* amoris, quia Redemptio eſt effectus dilectionis. Et quia Judæi & Gentiles erant uniendi Chriſto in una fide, per mortem ipſius, ideò Judas *dedit illis ſignum*, id eſt, Judæis & Gentilibus, qui cum ipſo erant capturi Dei Filium, qui ait ad propoſitum noſtrum, *Et fiet unum ovile* h. *Id eſt, una Eccleſia, ſeu una fidelium congregatio ex electis Iudæis atq; converſis Gentilibus conſtans*, ait Dionyſ. Carthuſianus i: *quæ dicitur una propter fidei, ſpei, charitatiſque unitatē. Et unus Paſtor. Id eſt, Chriſtus qui fuit Paſtor Iudæorum ſolùm, fiet Paſtor Iudæorum ac Gentium.* Res inuſitata! Deus ſigna dat hominibus, ut eos à morte liberet, *Poſuit Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum* k. Hîc autem dat Judas *ſignum* contra Filium Virginis ad interficiendum illum. Statuit Deus ut *ſanguis in ſignum in ædibus* Iſraelitarū eſſet, ut cùm tranſiret ipſe *Dominus percutiens Ægyptios*, & videret *ſanguinē in ſuperliminari, & in utroq; poſte*, tranſcenderet *oſtium domus, & non ſineret percuſſorem ingredi domus* eorundem Iſraëlitarum, *& lædere* l. Judas autem dat *ſignum* contra Jeſum, ad effundendum immiſericorditer ejus ſanguinem.

Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt. Quid eſt hoc? Sponſa cupiebat infigendum ſibi oſculum a Meſſia, ſciens ſe tali oſculo vivificandam, *Oſculetur me oſculo oris ſui* m. Et datur oſculum Chriſto, quo ipſe morti traditur. *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini* n, quem prodit, ſicut illud Judas ore ſumpſit jam ſacrilego, & nunc Dominum ſuum tradit. *Tenete eum, & ducite cautè*, dicebat iſte perfidus illis, qui cum ipſo venerant ad apprehendendum Jeſum: ſed econtrà dicitur illis qui communicant Corpori Chriſti, præ alia intentione, *Tenete eum, & ducite cautè.* Deus enim

vult

k Iſai. 1,2, & 3.
l Gen 1,3.
Apoc. 12, 4.
m Gen. 1, 27.
o Gen. 3,6 &c.
p Gen.6,9
q Gen. 9, 22.
r Rom. 4, 17. ex Geneſ.17,4.
ſ Gen. 21,9
t Exod. 32 6.
u Hugo Card. in Exod. 32, 6.
x Gen. 25, 23.
y Exod. 13 2,&c.
z Gen. 49, 5,& 4.
a Gen. 37, 27,&c.
b Exod. 16 7.
c Num. 12 1.
d Num. 16 1.
e Exod. 32 6.
f 1.Reg. 13 14.
g 2.Reg. 11 4,&c.
h 2.Reg. 24,1
i 2.Reg. 13.14.
k 2.Reg. 13,28,& 29.
l 2.Reg. 15,10.&c.
m Matth. 10.1
n 3.Reg. 17.6
o 3. Reg. 19.5, & 6.
p 1.Reg. 9 3.
q 1.Reg. 10.1
r 1.Reg. 16,11.
ſ 1.Reg. 16.13.
t Amos 1,1
u Matt. 9. 9.
x Matt. 4. 18. & 19.
y Luc 7,37 & 47.
z Luc. 6. 13. & 16.
a Act. 1.16 ex Jo. 18.3
b Gen. 4.8
c 2.Reg. 13 .6,&c.
d 2.Reg. 20.9.& 10.
e Joan. 13. 2,&c.
f Luc. 2, 34.
g Luc. 2, 12,&c.
h Jo. 10.16
i Dion. Carth. art. 28. in Jo. 10.16.
k Gen. 4. 15.
l Exod. 12 13,&c.
m Cant. 1. 2.
n 1.Cor. 11. 29,&c.

Digitized by Google

vult ſolicitè cuſtodiri. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronã tuam* o. Cùm inveniſſet Dilectum ſuum Sponſa, dicebat, *Invẽni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam* p.

o Apoc. 3, 11.
p Cant. 3, 4

Et oſculatus eſt eum. Satis eſt quòd Magdalena *oſculabatur pedes* Domini, imò verò *ſtans retrò ſecus pedes ejus* q. Magno duxerunt honori eadem *Maria Magdalene, & altera Maria*, cùm reſuſcitatus *Ieſus occurrit illis, dicens, Avete: illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum* r. *Et Dominus quidem Ieſus poſtquàm aſſumptus eſt in cœlum* ſ, oſculati ſunt Apoſtoli, quæ idem Chriſtus impreſſa monti reliquit veſtigia, quæ Reges & Monarchæ reverentur, *Venient ad te curvi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum* t. S. Ioannes prædicabat, dicens, *Veniet fortior me poſt me: cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiã calceamentorum ejus* u. Chriſtiani oſculantur præ humilitate pedes ſummi Pontificis ut Vicarii Chriſti x; miſſis aliis honoribus, qui deferuntur Sanctis & Regibus terrenis: Iudam autem non pudet os ſuum infame ferre ad oſculandum Dominũ ſuum impudentiâ inauditâ. Infelix Iuda, fierine poteſt ut Divinum iſtud *ſpiraculum vitæ* y non eripiat tibi odium, quo ipſum Dei Filium proſequeris? Halitus Eliæ z & Eliſei a reddiderunt vitam duobus pueris mortuis; & tu eris pluſquam mortuus, ſi flatus iſte miſericors & ſuavis te non ſuſcitet. Spiritus hominum ſuſcitant homines, eiſque vitam reſtituunt: & Jeſus Chriſtus *apud quem eſt fons vitæ* b, imò qui eſt *Vita* c, non poteſt reſtituere vitam tibi, qui es pluſquàm mortuus, & obſtinatus, dicendo, *Amice*, non verè, ſed apparens & fictè, *verbo, & linguâ, ſed non opere & veritate* d, *ad quid veniſti*? Quid eſt hoc? tu oſcularis, & mortem infers; tu ſalutas, & prodis; tu amplecteris, & vendis. Sed, Auditores, omnes iſtæ ſuaves admonitiones non potuerunt emollire iſtud cor induratum Iudæ. Conſiderate hanc animam obſtinatam: cùm ter negaſſet Chriſtum Petrus, *converſus Dominus reſpexit Petrũ: & egreſſus foras Petrus, flevit amarè.* Sed Iudas poſt omnes iſtas demonſtrationes amoris, & indulgentiæ, quam ipſi offerebat Dominus ſuus, recuſavit veniam, quam conſecutus eſt Petrus. Sed ſi Judas ſic infelix eſt ut nolit in ſuam convertere utilitatem omnes blanditias, quibus erga ipſum afficitur Dominus ſuus: ſed econtrà ſi ad iſta verba, quæ Chriſtus dixit ipſi, & militibus, *Quem quæritis? Ego ſum: abierunt retrorſum* tã illi, quàm ille; caveamus ne *cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo* e, abeamus *retrorſum* cum reprobis. Seriam reflexionem peragite ſuper hanc veritatem, quandiu ego pauliſper quieſcam.

q Luc. 7, 38.
r Matt. 28, 1, & 9,
ſ Marc. 16, 19,
t Iſai. 60, 14.
u Marc. 1, 6, & 7.
x Matt. 16, 19.
y Gen. 2. 7
z 3. Reg. 17, 21. & 22.
a 4. Reg. 4. 34. & 35.
b Pſ. 35. 10
c Jo. 14. 6.
d 1. Joan. 3. 18.
e Matt. 25. 31, &c.

II. Pars.

Præcipit Dominus Jeremiæ f, *Circuite vias Ieruſalẽ, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virũ facientẽ judicium, & quærentem fidẽ: & propitius ero ei.* Super quod Hugo g Card. ait, *Ne diceret aliquis quòd Dominus eſſet crudelior, quàm olim, qui propter decẽ volebat parcere civitatibus Sodomorum, ut legitur* h; *ideò hoc removet hic Propheta; quia ſi eſſent aliqui juſti in Ieruſalem, propter illos parceret Dominus civitati. Dicit ergo, Circuite, &c. quaſi benè meruiſtis talem pœnã: quia inter vos nullus eſt juſtus; & aſpicite oculis; & conſiderate corde; & quærite in plateis ejus, ubi ſolent eſſe plures; an inveniatis virum? Nonne ad minus ibi erant duo, ſcilicet Baruch & Ieremias? Solutio. Dominus loquebatur hæc ad illos duos: & ideò de illis nõ intelligebat: vel ipſi non erant Ieroſolymitæ, ſcilicet de Anathoth* i. *Virum, non dicit viros: in quo notatur maxima Domini clementia. Iam enim non quærit ſi ibi inveniantur decẽ viri juſti: ut fecit Gen. ſed ſi unus. Facientem judicium juſtum & rectum ſine perſonarũ acceptione, & ſine doloſitate ſe habentem ad proximum; & quærentem fidem, id eſt, fidelitatẽ vel credulitatẽ in Deum. Et propitius ero ei, quaſi omnibus aliis propter illum.* Cùm ſermo iſte dirigatur ad Jeremiam & ad Baruch à ſecretis ejus, ſolicitum ſe exhibet Jeremias de quærendo aliquo vitæ probatæ viro, & eminenter juſto in edimplenda Lege Dei, & in tuenda juſtitia, qui exemplo ſuo, probitate vitæ ſuæ irreprehenſibilis, & magnâ ſuâ authoritate unumquemque intra limites debitæ rationis contineret, & iræ Dei ſe veluti ſepem impenetrabilem opponeret, ut alii interventu ipſius à jaculis Divinæ Juſtitiæ declinarent. Sed cùm multùm circùm circà quæſiviſſet, & neminem inter vulgum inveniſſet talem, qualem Deus volebat, *Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viã Domini, judicium Dei ſui.* Et ut ſic cùm cognitione deficiant, indigni veniâ nõ ſunt, cùm ipſorum ignorantia ſpecioſè peccatum ipſorum prætexat. *Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viã Domini, judicium Dei ſui.* Proponit ſibi Propheta ire quæſitum inter Scribas, Phariſæos, & Sacerdotes, penes quos eſt ſcientia Dei, quam conſervant in labiis ſuis, ut ait Malachias k, *Labia Sacerdotũ cuſtodient ſcientiã, & Legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt*: ratus quòd cùm ita perfectè callerent Legem Dei, quippe qui eam alios edocerent, fideles illius eſſent obſervatores; ſed intuens ſe fruſtratum expectationibus ſuis, & juſtitiâ inquiſitionum ſuarum, compellitur exclamare: *Et ecce, magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Necdum invenirem æquitatem in Sacerdotibus & Pontificibus, illi præ omnibus aliis violaverunt Legem Dei, *Quaſi invẽni Magiſtros pejores diſcipulis*, ſubdit idem Hugo.

f Jer. 5, 1. &c.
g Hugo Card. in Jer. 5. 1
h ex Gen. 18. 32.
i ex Jer. 1. 1
k Malach. 2. 7

Idem mihi accidit hodiernâ die, & omnibus Concionatoribus, qui prædicemus Paſſionem Salvatoris mei. Conſiderantes enim quânam ſævitiâ excipiatur Dei Filius à cohorte, & tribuno, & miniſtris *Iudæorum* qui cõprehenderunt, *& ligaverunt eum; & adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*; & exiſtimantes quòd præ ignorantia illum tantâ excipiant indignitate, quæ ignorantia aliquo modo poſſet ipſos excuſare, *Non enim ſciverunt ſe Filium Dei trucidare, ſed hominẽ impiiſſimum ac blaſphemum ſe putabant occidere: & per ignorantiã hanc peccatum eorum, præſertim Gentilium atq; ſimplicium Iudæorum, aliqualiter alleviabatur*, ait Dionyſius l Carthuſianus; ideò edimus eoſdem Pontifices Annam & Caipham, qui *majores & doctiores inter Iudæos excuſationem non habuerunt, quia jamdudum aut certitudinaliter, aut probabiliter cognoverant Ieſum eſſe Chriſtum* m, *ſed paulatim invidioſa eorum malitia eos ſic excæcavit* n, *quòd jam reputaverunt oppoſitum, & ſimplices deceperunt*, ait idem Carthuſianus. Sed idem nobis accidit, quod Jeremiæ: nã nedum inveniamus ſanctitatem apud hos Miniſtros Dñi, majorem in eis invenimus iniquitatem & malitiẽ, quàm in aliis, *Et ecce, magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Annas *Pontifex ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus. Reſpondit ei Ieſus, Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Iudæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas?*

l Dion. Carth. art. 49. in Luc. 13. 34.
m ex Joan. 15. 22, &c.
n ex Sap. 21.

inter-

interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapã Ieſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici? Ubi obſervate, quòd cùm ſervus iſte ita malus eſſet, Dominus ejus pariter iniquus & pejor eo eſſe debebat, quippe qui pateretur ut Salvator ſic ignominiosè exciperetur in palatio ſuo. Sed conſiderata ingratitudinem hujus ſervi, cujus poſtquàm Petrus *amputavit auriculam dexteram; Ieſus cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.* Hanc autem aurem permiſerat Dei Filius præcidendam, ut intuenda exhiberetur infidelitas iſtorum Judæorum, qui
o Act. 7. 51 erant *incircumciſis cordibus & auribus* o.

Reprehenditur Jeroboam eò quòd extentâ manu ſignum feciſſet ad apprehendendum quemdam Prophetam, & ideò propter injuriam huic Miniſtro Domini irrogatam punitus fuit, *Rex extendit manum ſuam, dicens, Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe* p. Quia
p 3. Reg. 13. 4 ſolam extendit *Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam: iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi juxta Arcam Dei* q. Et cùm *Gethæi cir-*
q 2. Reg. 6. 6. & 7. *cumduxerunt Arcam Dei Iſraël, fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuſcujuſque urbis, à parvo uſque ad*
r 1. Reg. 5. 8. & 9. *majorem* r. Et tamen cùm ſic dirè exciperetur Salvator, qui eſt *Propheta magnus* ſ, & Arca Do-
ſ Luc. 7. 16 mini vera, quippe *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; quia in ipſo inhabitat*
t Coloſſ. 2. 3. & 9. *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* t: hoc ſolum miniſtro *reſpondit ei, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?* Improbus iſte ſervus iraſcitur, & Dominus inflictum ſibi ab illo colaphum patientiâ ſuſtinet incomparabili: ſceleſtus hic homo furore cietur; & Filius hominis, qui *mitis* u eſt, in
u Matt. 11. 29. conſueta ſua permanet benignitate. Singulis diebus alapas infligimus Filio Dei peccatis noſtris; tamen ipſe tacet, ſimulat ſe ea ignorare, ut otium nobis indulgeat reflectendi nos ſuper ingratitudinem noſtram; & ſuas nobis offert gratias, ut illarum interventu & beneficio no-
x Sap. 11. 24. ſtram peragamus ſalutem, ut ait Sapiens x, eum alloquens, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominũ propter pœnitentiã.*

Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Præſentatus enim fuit Chriſtus Annæ ligatus: unde & Annas judicans eum vinculis dignum, miſit eum ſic ad Caipham tanquam ad Principalem, in cujus domo erant collecti Sacerdotes, Scribæ, ac Phariſæi, & Seniores, ut Chriſtus à Caipha in audientia talium examinaretur, ſubdit Dionyſius y Carthuſianus.
y Dion. Carth. art. 44. in Jo. ec. 24. *Principes autem Sacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent; & non invenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes: & dixerunt, Hic dixit, Poſſum deſtruere templũ Dei, & poſt triduum reædificare illud* z. *Et*
z ex Joan. 2. 19 *ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit illi Ieſus, Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis, Amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Hic autem verificatur prophetia Davidis a,
a Pſal. 81. 1. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, id eſt in Synagoga*
b Incogn. in Pſ. 81. 1 *Iudæorum,* exponit Incognitus b. *In medio autem deos dijudicat. Hic enim oſtendit, quare ſtetit in Synagoga Iudæorum ſcilicet ad eos judicandum, ſcilicet, ad diſcernendum eos & ſeparandum,* ſe Judicem exhibens eorum, qui ipſum judicant morte dignum. *At illi reſpondentes, dixerunt, Reus eſt mortis.* Præ oculis eorum ponit judicii diem, ut memores eſſent hujus veritatis, cujus ignari eſſe non poterant ut Sacerdotes & Doctores Legis, *Quicumque effuderit humanũ ſanguinem, fundetur ſanguis* c Gen. 9. 6.
illius c.

Tunc expuerunt in faciem ejus. Myſterium præ ſe ferunt hæc ſputa *in faciem* Chriſti projecta. Nam Lege d ferebatur, *Quando habitaverint fra-* d Deut. 25. 5. &c.
tres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus in Iſraël. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei Lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſraël: nec me in conjugium ſumere; ſpuetque in faciem illius, & dicet, Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui. Synagoga deſponſata fuerat Moyſi qui *abſque liberis mortuus* erat, quatenus iſta Lex non obſtantibus tot ceremoniis quas habebat, erat tamen infœcunda & ſterilis: idcircò ipſe volebat ut Chriſtus ipſam *in conjugium* ſumeret, cùm eſſet *frater* Moyſis ſecundùm Legem Deuteronomii, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus* e. JESUS Chriſtus noluit il- e Deut. 18. 15. &c.
lam *in conjugium ſumere* ut indignam ſuâ ſocietate: propterea ipſe ſpuit *in faciem illius.* Vel, *Expuerunt in faciem ejus* Judæi adulterini patris ſui Abrahæ, aut ſaltem detrahentes pietati ejus, ut illos alloquebatur aliàs idem Chriſtus, dicens eis, *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt* f. Et ipſi ex- f Joan. 8. 56.
puunt in vultum illum, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* g; & quem *multi Prophetæ & Reges* g 1. Petr. 1. 12.
voluerunt videre, & non viderunt h. Sed quam h Luc. 10. 24.
longè diſtant à pietate Moyſis dicentis Deo, *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciẽ tuam.* Rei autem verâ magno honori duxit Moyſes videre dorſum ejus, & non illius vultum, *Videbis poſteriora mea: faciẽ autẽ meã videre non poteris* i. i Exod. 33. 13. & 23.

Sed quid agunt ampliùs Judæi? *Et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Chriſte: quis eſt qui te percuſſit?* Quid autem mirum eſt ſi ita operientes hunc ſpecioſum Solem faciei illius, obſtinati remanent, & *ipſi fuerunt rebelles luminis, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* k Job 24. 13.
k, *qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus* l? Sed ſi hæc Iudæorum l Job 21. 14.
crimina ſic ſunt enormia, quantò abominabiliora ſunt ſcelera Chriſtianorum, qui imitantur Iudæos, & qui expuunt *in faciem* Salvatoris, cùm peccatis inquinant animas ſuas, quæ ſunt veluti facies Dei, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* m. Et, *Denigrata eſt ſuper carbones fa-* m Gen. 9. 6.
cies eorum, & non ſunt cogniti in plateis n. Qui n Thren. 4. 8.
præſumunt *velare faciem ejus,* ut *velaverunt eum* Iudæi, cùm hâc vanâ ducuntur credulitate, ſe eſſe benè ſecuros cùm criminis habenas laxant, & ſe è Deo non videri, *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob* o. Quique o Pſ. 93. 7.
imaginantur tenebras futuras ſatis ſpiſſas ad e-

ripiendos ipſos oculis Dei, quorum obtutus nihil latet, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* † [† Hebr. 4. 13.]. Et qui cædunt *colaphis eum, alij autem palmas in faciem ejus* dant, cùm iſti æquè ac illi *confitentur ſe noſſe Deum, factis autē negant* p [p Tit. 1. 16].

Quod autem vehementer auget dolorem Filii Dei in domo Pontificis, eſt trina negatio Petri. Negatio tamen admirabilis, ſicut exquiſita recenſetur eſſe proprietas cujuſdam fontis, qui dicitur eſſe calidiſſimus mediâ nocte, & frigidiſſimus fervente mediâ luce; & inauditum eſt illud quod refertur de Demophonte, qui aſſeritur fuiſſe calidus in umbra conſtitutus, & frigidus præ radiis Solis: ſed aliquid eſt mirabilius in Petro: nam inter glacies & frigora lacrymarum ardenter confitetur Dominum ſuum, *Egreſſus foràs Petrus, flevit amarè*: quem negat juxta ignem, præ quo frigidiſſimus eſt, *Accenſo autem igne in medio atrij, & circumſedentibus illis erat Petrus in medio eorum, Quem cùm vidiſſet ancilla quadam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit, Et hic cum illo erat. At ille negavit eum, dicens, Mulier, non novi illum*, &c. Res admirabilis! confitetur eum oculis, quem ore negat. Sanctus Ambroſius q [q S. Ambr. l. 10. in Luc. 22. 57, &c. ex Matth. 26. 72.] aggreditur apologiam Petri texere, & trinam ejus negationem excuſare, dicens eum æquivocè fuiſſe locutum, cùm dixit, *Non novi hominem*. Quaſi dixiſſet, ſe non cognoviſſe eum ſolum hominem, & purum hominem, ſed hominem & Deum: ideò dicebat, *Non novi*. Id eſt, excellentiam perſonæ ejus. Sed hæc excuſatio valeret, ſi Petrus non fuiſſet monitus à Domino ſuo, *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis*. Propterea abſolutè *negavit cum juramento, Quia non novi hominem*. Quin imò tertiò *cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem*.

Ha Petre quid agis? Nunquid non ampliùs meminiſti verborum, quæ tibi dixit aliàs Dominus tuus? *Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum* r [r Matth. 4. 19.]: quando *vocavit* te ad Apoſtolatum cum fratre tuo priùs omnibus Coapoſtolis tuis. Non te latet, quòd ipſe præbuit tibi notitiam Divinitatis ſuæ, ita ut ad conciliandam fidei, quam de eo conceperas, authoritatem, diceres ei, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* ſ [ſ Matt. 16. 16.]. Ipſe te degustare fecit ſpecimen illius gloriæ ſuæ, cùm *amictus lumine ſicut veſtimento* t [t Pſ. 103. 2], *transfiguratus eſt ante* te in monte Thabor: *& reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix: reſpondens autem* ipſe dicebas eundem *ad IESVM, Domine, bonum eſt nos hic eſſe* u [u Matth. 17. 1, &c.]. Totam ſuam commiſit tibi poteſtatem dum dedit *tibi claves Regni cœlorum*, ſubdens, *Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* x [x Matt. 16 19.]: conſtituens te Caput viſibile Eccleſiæ ſuæ, ſicut ipſe illius eſt Caput inviſibile, poſtquàm reverſus fuerit *ad Patrem* y [y Jo. 16. 28], qui *ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ipſius* z [z Epheſ. 1. 22. & 23.]. Quis autem te inducit hodiernâ die ad eum negandum puſillanimitate ita intolerandâ, ut videaris de eo nullum unquam audiviſſe factum ſermonem? *Ancilla?* Si ſummus Pontifex te interrogaſſet, fortaſſe ſplendor *lapidum* a [a Exod. 28 17.] rationalis ejus perſtrinxiſſet & caligine offudiſſet tibi rationem æquè ac oculos, ad inducendum te ut ſic puſillanimiter reſpondiſſes, ſicut ancillæ reſpondiſti. Si Pilatus voluiſſet ſcire, utrùm ille Reus innocens, de quo eſt quæſtio, eſſet Dominus tuus, & ſuper hoc te interrogaſſet; fortaſſis authoritas, quâ vigebat ut Præſes Tyberii Cæſaris Regis Jeroſolymorum, & Imperatoris Romanorum, animam tuam terrore concuſſiſſet. Si milites, aut miniſtri Judæorum idem à te inquiſiviſſent, forſan intuitus eorum arma, veritus fuiſſes ne ab illis malè fores exceptus. Si Herodes curioſè è te poſtulaſſet, num ſtares è partibus illius Viri, titubare potuiſſes intuitu coronæ ejus Regiæ. Sed quòd vilis *ancilla* janitrix triumphet de Janitore cœli *exeunte januam* domus Pontificis, & ipſum inducat ad negandum Dominum ſuum, puſillanimitas hæc eſt quam nulla ſpecioſa prætexere poteſt excuſatio.

Sed dicamus, Auditores, Dei Filium permiſiſſe ut ipſum negaret Petrus, ut diſceremus quantùm ſit ipſi grata humilis pœnitentia, & perfecta humilitas, cùm magis placuerit Petrus Deo, quando *egreſſus foras, flevit amarè* crimen ſuum, quàm cùm ſic præſumpſit de ſemetipſo, Chriſto reſpondens, *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te; ego nunquam ſcandalizabor*. Vel dicamus cum ſancto Gregorio b, [b S. Greg. l. 1 ſuper Ezech. hom. 11.] quòd *peccatum, ſi citiùs pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere*. Ter neglexerat Petrus avertere ſe ab occaſione, cui erat expoſitus in Palatio Pontificis; & huic triplici occaſionis fugiendæ negligentiæ reſpondet trina ipſius negatio. *Petrus verò ſedebat foris, in atrio: & acceſſit ad eum una ancilla dicens, Et tu cum IESV Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens, Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla: & ait his qui erant ibi, Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Et iterùm negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant: & dixerunt Petro, Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem.* S. Paulus *ter naufragium* c. fecit. [c 2. Cor. 11 25.] Quare? Quia cùm ſolitus eſſet *navigare* d, [d Act. 27. 2] jugi perpetiendi naufragii erat expoſitus occaſioni: ſic cùm Petrus eſſet *in atrio* domus Pontificis, ubi erant tot nebulones otioſi & nequam, & tot occaſiones malefaciendi, mirum non eſt ſi eò prorupit ut Dominum ſuum negaverit; & ſi *egreſſus foras* ab occaſione, à qua ſe intuebatur immunem, *flevit amarè* confeſtim ac audivit quòd *gallus iterùm cantavit. Et recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat ei Ieſus, Priuſquàm gallus cantet bis, ter me negabis, Et cœpit flere.*

Hoc exceptus eſt Chriſtus modo in domo Pontificis. Sed utinem domus Magnatum non eſſent pejores palatio hujus Pontificis: in hujuſmodi enim domibus nullus eſt gallus, qui habitantes in eis ſalubriter moneat eorum quæ tenentur peragere: videntur quidem ibi canes invidiæ, leones iræ, tigrides furoris & vindictæ, ſues impuritatis, lupi gulæ, & ſimiæ virtutis apparentis, & hypocriſis; ſed nullus in illis deprehenditur gallus qui impavidâ libertate propalet ipſis defectus ipſorum, & ſelutaria annunciet illis verba ad emendandam vitam ipſorum, & ſalutem agendam. Petrus audiens cantum galli, intelligit ex voce inarticulata iſtius animalis id, quod ipſum edocebat, *Et egreſſus foras, flevit amarè*

Digitized by Google

rè; ſimilis lapidi Amido, qui recenſetur jugiter ſtillare guttas rotis: non ceſſavit enim Petrus reſiduo vitæ ſuæ ita lacrymari, ut jugeis illius lacrymæ cavaſſent veluti duos canales in genis ipſius, ut notas manifeſtas veræ pœnitentiæ ipſi. Sed, Auditores, ſi ſecuti ſumus Petrum peccantem, ſequamur eum etiam pœnitentem & lacrymantem.

Manè autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi adversùs Ieſum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi. Pilatus autem interrogavit eum ſuper tria capita. Super Statum politicum, ſuper religionem, & ſuper prædicationem. Sed ſicut ipſe erat magnus Politicus, ita & ſolum intuebatur ſtatum politicum, qui eſt magnum mundi idolum quò omnes diriguntur mundi cogitationes, & ideò de illo maximè inquiſivit *Ieſum, & dixit ei, Tu es Rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Dei Filius nō negavit ſe eſſe Regem mundi, cùm de ipſo ſcriptum ſit, *Dominus dixit ad me: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo* d.

d Pſ. 2. 7, &c.

Et, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra* e.

e Matt. 28. 18.

Sed ſignificare volebat, authoritatem ſuam non eſſe ſimilem authoritati Principum terrenorum, quæ non poteſt ſubſiſtere cum pluribus, cùm ſua ſubſiſtat abſque ulla dependentia: & licèt eam ſuſceperit à Patre ſuo quatenus homo, eam tamen poſſidet præ æqualitate invariabili cum illo prout Deus, dicens, *Ego & Pater unum ſumus* f.

f Joan. 10. 30.

Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, & turbas; Nihil invenio cauſæ in hoc homine. At illi invaleſcebant, dicentes, Commovit populum, docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſu, gaviſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo: & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam anteà inimici erant adinvicem. Noluit reſpondere Chriſtus Herodi, in hoc damnans ambitionem hominum, qui maximas honeſtatis, & Legem Dei aliquando violant ut Principibus blandiantur: & curioſo recuſavit miracula exteriora, ſed miraculum exhibuit ei reconciliationis ipſius cum Pilato per præſentiam ſuam. Felix præſentia quæ amputatam reſtituit *auriculam* Malcho, convertit Petrum, & hic Herodem cum Pilato reconciliat.

Pilatus autem convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos, Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum; & ecce, ego coram vobis interrogans, nullam cauſam invêni in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum; & ecce, nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam. Sed Pilate quid cogitas? quomodo ſic malam eruis conſequentiam ex tali antecedente? *Nullam cauſam invêni in homine iſto;* quæ meum juſtificare poſſit judicium, ſi eum malè excipiendum decernam; agnoſco eum eſſe innocentem: ergo eſt corripiendus, *Emendatum ergo illum dimittam.* Amiſiſtine rationem & judicium ſimul, dum decernis ut ſanguinolentæ exponatur flagellationi excipiendæ? Damnas eum ad flagellationem ut mitiges iram & furorem Judæorum, qui Sanguini ejus inhiant, & mortem illius reſpirant: ſed mitigandæ eorum iræ modum neſcis. Nonne ſcis receptam eſſe conſuetudinem ut aliquando verberetur canis coram leone irritato, ut compeſcatur furor ejuſdem leonis? Et tamen tu contrarium peragis, dum præcipis flagellandum Jeſum Chriſtum, qui eſt *Leo de tribu Iuda* g, coram canibus, de quibus ab eo dicitur, *Circumdederunt me canes multi* h, ad eos mitigandos.

g Apoc. 5. 5.
h Pſ. 21. 17

Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Conſiderate, quæſo Auditores, confuſionem quâ operitur Dei Filius in hac crudeli flagellatione, quæ eſt non triginta novem ictuum, qualis in Lege i Judæorum præſcribebatur *plagarum modus, ita duntaxat ut quadragenarium numerum non* excederent; ſed ſecundùm Romanos numeri indefiniti. Meditatione penſate quomodo ignominioſè ſuis exuatur veſtibus, & nudus ſtatuatur coram his infamibus carnificibus. Tali alias non ſuffundebantur virgines pudore: aut enim trahebantur ad lupanar, ut ibi conſtuprarentur; aut ſi Veſtales erant, flagellabantur in aliquo conclavi obſcuro, modeſtè tamen ſemper opertæ linteo; ita natura abhorret ab hac confuſione, quâ operiuntur homines puritatis amantes, cùm præ oculis alienis nudantur: ſed Ieſus Chriſtus, qui eſt Virgo virginum, *flos campi, & lilium convallium* k, omnibus ſuis exuitur veſtibus, & penitus nudatur præ infamibus iſtis corruptæ juſtitiæ miniſtris. Ecce alligatus eſt columnæ, quæ eſt verum ſymbolum firmitatis domus *Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis* l. Cùm permiſit Deus ſe ei alligandum, tunc eſt adimpletum id, quod ipſe dixit diſcipulis ſuis, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* m. Ille alligatus eſt columnæ, qui firmior eſt omni columnâ, quod eſt lignum ſecuritatis noſtræ; *Dicit Dominus exercituum: Ego Dominus, & non mutor; & vos filii Iacob non eſtis conſumpti* n. Columna mirabilior columnâ Herculis, cui erat inſcriptum, *Non plùs ultrà.* Hic autem, *Non plùs ultrà*, ſive conſideretur pectus Domini noſtri Ieſu Chriſti magnis flagellorum ictibus apertum, & inſpiciantur *viſcera miſericordiæ Dei noſtri* o. *Non plùs ultrà* iræ & vindictæ, ubi videtur ſeſu Chriſti Sanguis effuſus, & mitigatur ira Patris æterni poſt ſic condignam reparationem honori ipſius læſo ab hominibus peccatoribus, à Filio ſuo impenſam.

i Deut. 25. 2, & 3.
k Cant. 2. 1
l 1. Tim. 3. 15.
m Matt. 28. 20.
n Malach. 3. 5. & 6.
o Luc. 1. 78

Triplici perhibetur Dei Filius exceptus flagellorum genere, virgis ſpinoſis, funibus, & catenis ferreis; quod à magno non diſſonat myſterio: non enim venerat in mundum niſi ut debellaret & expugnaret tria præcipua vitia, quæ ſunt origines fatales omnium deordinationum & ſcelerum, quæ perpetrari ſolent, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* p. Flagellis compactis è virgis ſpinoſis bellum indicit cōcupiſcentiæ *oculorum*, aut avaritiæ: bona enim fortunæ ſunt totidem ſpinæ acutæ quæ ſollicitudinibus ſuis cor ſtimulant, *Qui ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit, & ſolicitudo ſeculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur* q. Flagris compoſitis è funibus domat

p 1. Joan. 2. 16.
q Matt. 13. 22.

concupiſcentiam *carnis* in membris ſuis myſticis, id eſt, fidelibus: ſicut enim funes fiunt e filo tenuiſſimo, ſed quod evadit fortiſſimum conteſtim ac textum eſt; ſic parvæ occaſiones, quibus exponitur quis à principio, exiguæ res ſunt, ſed cùm ſimul ſunt unitæ, tantam præ ſe ferunt vim ut vix à malo patrando quis abſtinere valeat, quoniam *funiculus triplex difficilè rumpitur* r. Catenis ferreis reprimit ſuperbiam *vitæ*, cùm nihil ſit magis indomitum corde ſuperbo, de quo dicitur, *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus* ſ. Chriſtus ergo poteſt dicere, *Intelligite quia Deus flagellis ſuis me cinxerit* t. Jure merito ait Dei Filius in perſona Iob ſe *flagellis* cinctum, & non ſimpliciter percuſſum; non enim eſt mirabile viſu eum ſic excoriatum, quia cùm *detractâ pelle hoſtiæ, artus in fruſta* concidendi eſſent ſecundùm Legem Levitici u, ipſe Chriſtus erat hoſtia offerenda in ſacrificium Patri æterno pro peccatis noſtris, qui intuitu illius victimæ mitigandus erat; *pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* x.

r Eccl 4. 12.
ſ Job. 41. 15.
t Job 19, 6
u Lev. 1, 6.
x Coloſſ 1 20.

Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt Capiti ejus. Arca Fœderis antiqui deferebat *ſuprà coronam auream per circuitum* y: Ieſus autem *coronam de ſpinis capiti* ſuo impoſitam defert, quæ ſpinæ intimam cerebri ipſius ſubſtantiam pervadunt. Non miror, Rube glorioſe, ſi olivâ, ficu & vineâ regiam recuſantibus dignitatem ſibi oblatam, & ſceptrum ferre ſuper omnes alias arbores, ideòque dicentibus, *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, dulcedinem meam, vinum meum, & inter ligna cætera promoveri*, non renuiſti regnum tibi oblatum ab arboribus, *Si verè me Regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub umbra mea requieſcite* z: cùm præ honore collocandus eſſes ſuper Capite illius, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium* a. Ideò jure merito cùm Moyſi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur: & dixit Moyſes, Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus; cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait, Moyſes, ſolve calceamentum de pedibus tuis* b. Nam, ſecundùm Rabbinos, calcei Moyſis compacti erant ex intertextis ſpinis, quibus corona Salvatoris aliquando erat concinnanda: indignum autem erat ut ſervus deferret in pedibus id, quod Dominus in Capite delaturus erat.

y Exod 25 11.
z Judic. 9. 9, &c.
a 1. Tim. 6 15. & Apoc. 19. 16
b Exod. 3, 2, &c.

Dominus noſter eſt vinea, *Ego ſum vitis* c, circunſepta hâc ſepe ſpinarum, quæ non impediet quin à ſuis devaſtetur inimicis, *Exterminavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam* d. Hæc corona eſt præſagium illius, quod conſequenter debet accidere, id eſt, quòd hæc vitis citò circundabitur *ſpinis* peccatorum; Dimas enim intuitus depravatam anteactam vitam ſuam, confitebitur Jeſum Dominum ſuum, *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Videns autem Centurio quod* fiet, glorificabit *Deum, dicens, Verè hic homo juſtus erat.* Nihil aliud intendebant *milites plectentes coronam de ſpinis*, dum eam *impoſuerunt Capiti ejus*, niſi oſtendere quaſi falſam Divinitatem ejus, & ut ſic exhiberetur ut falſus Deus: ſed aliud intendebat Pater æternus: volens enim eum ſibi *pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuavitatis* e præſendum; ſicut aliàs victimæ *coronas* f deferebant immolandæ: ſic *coronam de ſpinis Capiti* Filii ſui ſacrificandi in ara Crucis imponendam permiſit. Prætereà, Sciendum eſt, quòd ſervi vendebantur ſub corona, & in notam venditionis ſuæ coronam habebant in capite †: Judas Jeſum vendidit ob *triginta argenteos*, pretio quo fratres Ioſeph *vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis* g: Alii legunt, *triginta* *: ideò Jeſus venditus *coronam de ſpinis Capiti* ſuo impoſitam defert. Sed dicamus cum ſancto Athanaſio *h*, quòd iſtæ ſpinæ repræſentant nobis miſerias noſtras, quas ipſe induit; & veſtis purpurea, quæ ejus humeris impoſita fuit à militibus in deriſum dignitatis Regiæ illius, eſt ſymbolum peccatorum noſtrorum, pro quibus ipſe ſatisfecit, dum ipſe *peccata multorum tulit* i. Scriptura k autem peccata purpuræ comparat, *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur* ſatisfactionibus Chriſti, quarum meritum *non habet finem* l.

c Jo. 15 5
d Pſ. 79. 14
e Epheſ. 5. 6.
f Act. 14, 18.
† Calepin. in Dictio-nar. v. Sub. citans Lav.
g Gen. 37. 28.
* in marg. Bibl. Plantinian. 1583.
h S. Athan. in Evang. de Paſſ. ac Cruce Dom.
i Iſa. 53, 12.
k Iſai. 1 18.
l Baruch 3 25.

Exivit iterùm Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam. Exivit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis, Ecce homo. Quaſi diceret, Videtis, Judæi, utrùm Vir iſte, quem ita intuemini deformatum, non ſit ſatis malè exceptus, ut inde fiat furori veſtro ſatis, & inducamini ad non exigendum ut major ei infligatur pœna. *Ecce homo*, qui non ſplendet authoritate, ſed ſaturatus eſt *opprobriis* m, & qui poſitus in hoc ſtatu, ad quem ſe intuetur redactum, dicere poteſt, *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus* n. *Ecce homo*, Pater æterne, ſimilis aliquo modo primo homini; titulum defert hominis, cùm in hoc ſtatu, in quo nunc poſitus eſt, & in eo, in quo brevi collocabitur, loturus ſit *nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* †, & efficiendus Pater noſter, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperiet*: unde fiet *Eccleſia de latere Chriſti dormientis* o, ſicut *de viro* primo dormiente *ſumpta eſt* p *Eva mater cunctorum viventium* q. *Ecce homo*, Angeli beati conſiderate hunc vultum deformatum, & videte ſi ipſe eſt, *in quem proſpicere* r deſideratis. *Ecce homo*. Virgo Deipara intuere dilectum Filium tuum: derelicta ſaltem fuit pellis ipſi Iob *ſ*: heu! intuere eam detractam Filio tuo, aut ſaltem totam eam in illo laceratam: tu coronaſti eum coronâ carnis tuæ *t*: perendie Pater æternus coronaturus eſt eum coronâ Reſurrectionis *u*: vide igitur hunc pacificum *Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua* x Synagoga. *Ecce homo*: Non dicamus igitur ampliùs, Auditores, cum paralytico piſcinæ Probaticæ, *Hominem non habeo* y. *Ecce homo*, qui ſuccurſurus nobis deſcendit in piſcinam tormentorum, ut nos lavet in piſcina Sanguinis ſui. *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* z, *& lavare nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* a.

m Thren. 3, 30
n 1. Cor. 4. 9.
† Apoc 1, 5
o S. Aug. con. 4. in Pſ. 103.
p Gen. 2, 21, &c.
q Gen. 3, 20.
r 1. Petr. 1, 12.
ſ Job 19. 20.
t Luc. 1. 38
u Matt. 28 1.
x Cant. 3, 11.
y Joan. 5, 7 &c.
z Luc. 19. 10.
a Apoc. 1, 5.

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, poſt adhibitas omnes ſuas induſtrias ad liberandum IESUM à manibus Iudæorum, poſt exhibitum eum illis intuendum ſic flagellatum, & poſtquàm, priùs ac flagellaretur Ieſus, propoſuiſſet eis, num juxta conſuetudinem & ob ſolemnitatem feſti Paſchalis vellent ut ſibi dimitteretur IESUS, an Barabbas; qui erat ſeditioſus, homicida, & fur; & peri-

Digitized by Google

& petitus eſſet eb illis Betabbas dimittendus, Jeſus verò cruci ſuffigendus: *Videns autem*, inquam, *Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à Sanguine Iuſti hujus: vos videritis.* Pronunciaturus decretum mortis adverſus Jeſum *Pilatus lavit manus coram populo*, cùm *dimiſit illis Barabbam: Ieſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Sive hoc eſſet ſecundùm conſuetudinem Romanorum, qui damnaturi reum ad mortem, levabant manus. Aut juxta ceremoniam obſervatam eb Athenienſibus, qui cùm judicaſſent, velum trahebant, queſi dixiſſent, ſe præ ſinceritate judiceſſe. Seu potiùs elluſit mori

b Deut. 21.1.&c

Judæorum, cujus meminit Deuteronomium *b*, *Quando inventum fuerit in terrâ, hominis cadaver occiſi, & ignorabitur cadis reus, egredientur Majores natu & Iudices, & tollent vitulam de armento, & cadent cervices vitulæ, & venient ad interfectum, lavabuntque manus ſuas ſuper vitulam quæ percuſſa eſt, & dicent, Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius eſto populo tuo Iſraël, quem redemiſti Domine, & ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael.* Igitur Pilatus *acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à Sanguine Iuſti hujus: vos videritis. Et reſpondens univerſus populus, dixit, Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Sed miſeri homines! Sanguinem Filii Dei ſuſcipiunt effundendùm in ſe, & in liberos ſuos. Sanguis erat aliàs ſic abominabilis, ut ipſi homicidæ poſt patratam cædem, ne aliqua gutta ſanguinis ſuper ipſis remaneret, gladium ſuum mundarent à quam minimâ illius guttâ, quin imò eum tergerent capillis illius, cui vitam eripuerant: & iniqui iſti petunt, *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Bonam filiis ſuis relinquere concupiſcunt hæreditatem; bonum quidem proferunt verbum, ſed illud pravâ pronunciant intentione.

Pilatus acceptâ aquâ lavit manus. Sed nos jure merito efflagitantes àquas fletuum, ut iis abluemus noſtra ſcelera; ſicut & Sanguinem iſtius Salvatoris ut illâ huic ſacro immergamus diluvio,

c Jer. 9.1

dicimus cum Prophetâ *c*, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Loquebatur Jeremias de Judæis quem interfecturi erat Chaldæi. *Interfectos, interficiendos à Chaldæis*, exponit

d Cornel. in Jer. 9.1

Cornelius *d*. Sed nos hæc verba applicantes Christo, *qui factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem e*, qui ducitur ut crucifigatur, dicamus ſinguli, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte* ſortem Domini noſtri, qui ſuam vadit immolatum vitam, ut mereatur nobis *vitam abundantiùs f*.

e Rom. 1.3

f Jo. 10. 10

Sed videntes eum duci ad ſupplicium, obſervamus in eo adimpletam figuram Iſaac ducti ſuper montem Moria, qui mons idem eſt ac Calvaria, ut ait Cornelius *g*. *Qui dixit patri ſuo, Ubi eſt victima holocauſti h?* Heu! Domine, ſi efflagitès, *Ubi eſt victima holocauſti* iſtius, quod eſt modò conſummandum? non expectes aliam niſi teipſum, qui tibi *bajulans Crucem, in eum qui dicitur Calvariæ locum* exiens, ei es ſuffigendus. Non immolabitur aries pro te, ſicut *Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Non clamebit ampliùs *Angelus de cœlo, dicens: Abraham, Abraham*, ad continendam executionem hujus cruenti holocauſti in te peragendi: nec dicet, Sufficit. Ignis, quo combureris, non erit alius niſi ignis dilectionis tuæ; *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis i*. Et ipſemet eris aries qui ſacrificaberis: nam ubi Propheta tuus Iſaias *k* ait, *Emitte agnum Domine*, Commentator illius Cornelius *l* vertit ex Hebræo, *arietem*, citatque S Ambroſium dicentem, *Et ecce aries unus ſuſpenſus cornibus in virgulto Sabec. Quis ſignificatur niſi ille, de quo ſcriptum eſt, Exaltavit cornu populi ſui m, Cornu noſtrum Chriſtus eſt, elevatus & exaltatus à terris, hunc vidit Abraham in iſto ſacrificio; & ideò ipſe Dominus ait de eo, Abraham voluit videre diem meum, vidit & gaviſus eſt n. Unde ait Scriptura: Vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, ut dicant hodie, In monte Dominus apparuit, hoc eſt, quòd apparuerit Abrahæ, revelans futuram ſui paſſionem Corporis, quâ mundum redemit; demonſtrans etiam genus paſſionis, cùm ſuſpenſum oſtendit cornibus arietem. Virgultum illud patibulum Crucis eſt.* Hæc S. Ambroſius. Et Evangelium ſubdit, *Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc; medium autem Ieſum.*

g Cornel. in Gen. 22.2

h Gen. 22. 7.&c

i Ephes. 5.2

k Iſai. 16.1

l Cornel. in Iſai. 16. 1. citans S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 8. in Gen. 22.13

m Pſ. 148. 14

n ex Joan. 8.56

Affixus eſt huic virgulto *Crucis* ſuæ vinculis dilectionis ſuæ. Quid violentius amore, qui de Deo ipſo triumphat, ſuffigendo eum Cruci? Super eodem monte Calvariâ completam videmus hanc prophetiam Iſaiæ, *Emitte agnum*, aut ſecondùm verſionem, *arietem Domine, Dominatorem terræ, de petrâ deſerti, ad montem Filiæ Sion.* Id eſt, Calvariam, qui mons eſt ille, in quo *ædificavit Noë altare Domino, & obtulit holocauſta ſuper altare, odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis o*, poſt diluvium. In quo *ædificavit David altare Domino, & obtulit holocauſta, & pacifica: & propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael p*, poſt editam ſtragem ab Angelo. In quo *Rex Salomon ædificavit domum* Domini *q*. Et in quo Adam eſt ſepultus, ut ait Cornelius *r*, dicens; *Communis Patrum ſententia eſt, cranium Adæ ſepultum eſſe in monte Calvariæ, ut ibi Chriſti crucifixi Sanguine rigaretur, ablueretur, vivificaretur.* Citatque Tertullianum *ſ*. Quaſi dicere vellet ei *Ieſus* qui *inclinato Capite tradidit ſpiritum*, non ampliùs, *Pulvis es, & in pulverem reverteris t*: ſed, *Surge, qui dormis* *, beneficio Sanguinis mei, quem ut pius Pelicanus in te effundo ut reviviſcas, & ideò non ut in terrâ remaneas; ſed ut è terrâ in cœlum pergas.

o Gen. 8. 20.&c

p 2. Reg. 24.25. &c

q 3. Reg. 6.1.& 9

r Cornel. in Gen. 5.5

ſ Tert. L. 2. Carm. contra Marcion. c. 4

t Gen. 3. 19

* Ephes. 5.14

Ecce igitur Jeſus Chriſtus nudus patibulo Crucis ſuffixus. Sed quid? numquid *detractâ pelle hoſtiæ*, ipſamet victima ſacrificanda erat *in holocauſtum u*? Accipiamus igitur hanc veſtem, aut tunicam tinctam Sanguine quem ipſe fudit ad expianda noſtra crimina; ſicut fratres Joſeph *tulerunt tunicam ejus, & in ſanguinem hædi, quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, Vide utrùm tunica filii tui ſit, an non: quam cùm agnoviſſet pater, ait, Tunica filii mei eſt x*: & offeramus hanc *tunicam* Virgini Deiparæ, & dicamus ei, *Vide utrùm tunica Filii tui ſit, an non.* Et ſtatim illam agnoſcet, quia ipſa eam texuit, & dicet, *Tunica Filii mei eſt.* Sed re verè dolor Mariæ, cujus *animam gladius y* pertranſiit, quandiu ipſe ſtet *juxta Crucem Ieſu*, videns hunc Filium ſuum ſic malè exceptum, ita immodicus eſt, ut, ſicut *audientes tres amici Iob omne malum quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo; cumque elevaſſent procul oculos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt. & ſederunt cum eo in terrâ ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem z*; ſic Virgo ſacratiſſima vix ſit agnoſcitura Filium ſuum ita

u Levit. 1. 6.& 9

x Gen. 37. 31.&c

y Luc. 2. 35

z Job 2. 11.&c

a Luc. 10. 24 deformatum ut videatur alter Job. Illum *multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, & non viderũt* a. Et quare? Quia *non eſt ſpecies ei, neque decor. Et non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe* b Iſai. 53. 2. &c *tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* b.

Sed ſi Filius Dei, Auditores, *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* ſuper hoc infame patibulum Crucis, cui videtis illum ſuffixum; & vos non compatimini doloribus ejus eò uſque ut ſubleveris labores illius deferentis onus ejuſdem Crucis, ſicut illum bajulantem illud lignum adjuvit Simon Cyrenæus. *Angariaverunt Simonem Cyrenæum, ut tolleret Crucem ejus*; ſaltem non ſitis peiores Judæis, qui aggravabant pondus Crucis ejus, & laborum illius duntaxat, c Hebr. 6. 6 cùm vos illum eundem *rurſum Filium Dei* c vobis crucifigatis, quoties peccatum lethale perpetratis. Adam noſtram machinatus eſt ruinam d Gen. 3. 6 interventu arboris dum *de fructu comêdit* d vetito, e Gen. 2. 17 videlicet ne *de ligno ſcientiæ boni & mali* e comederet: Jeſus Chriſtus autem beneficio alterius arboris, *Sub arbore mali ſuſcitavi te* f, trium- f Cant. 8. 5 g Prov. 23. 26 phat de cordibus noſtris, quæ efflagitat g tot vocibus & oribus, quot ſauciatus eſt vulneribus ad merendam noſtram converſionem. Suum effudit Sanguinem ad noſtram medelam: Cor ejus nobis apertum eſt, quia *unus militum lanceâ latus ejus aperuit*: & noſtrum *cor indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus* h? Si ſerpens h Job 41. 15 i Gen. 3. 1 i inferni in noſtra diffudit corda venenum malitiæ ſuæ, ut contineat illa in peccato: ecce Serpens myſticus exaltatus in Cruce, qui obtutibus propitiis bonitatis ſuæ ejiciet hoc venenum, ut nos ſuaviter trahat ad gratiam ſuam, & nobis det *vitam æternam* k. Si reficiendum eſt cor, quod k Joan. 3. 14. & 15. ex Num. 21. 9 divitiæ, voluptates, & magnitudines terræ devoraverunt, ſicut accidit Ephraim, de quo dicitur, *Factus eſt Ephraim ſicut columba ſeducta non habens cor* l: projiciamus bona deſideria noſtra in l Oſee 7. 11 typum Crucifixi, & inde videbimus exire cor novum, quale deſiderabat David m, dicens Deo, m Pſ. 50. 12 *Cor mundum crea in me Deus*. Efflagitamus igitur à te, adorande Jeſu, cordium noſtrorum converſionem: ipſe es *quaſi malleus conterens petram* n, id n Jer. 23. 29 eſt, corda obſtinata: amore tuo flectuntur *rebelles lumini* o gratiæ tuæ. Scio quòd nemo reſiſtat o Job 24. 13 gratiis tuis efficacibus ſuaviter allicientibus, *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur: innova dies noſtros ſicut à principio* p. Præveni nos *in bene-* p Thren. 5. 21 *dictionibus dulcedinis* q. *Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri* r. Renova in cordibus noſtris priſti- q Pſ. 20. 4 r Pſ. 122. 3 nam eorum innocentiam, ut renovata vita noſtra beneficio gratiæ tuæ, æternâ potiatur gloriâ tuâ merito Crucis tuæ. †.

IN FESTO PASCHÆ.

Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David. Apoc. 5. 5.

PHœnix approximare ſentiens ultima vitæ ſuæ momenta, recenſetur erigere ſibi lignile è myrrhâ, è caſſiâ, & ex aliis lignis hujuſmodi aromaticis ſuper aliquâ rupe excelsâ, ubi exponens hoc lignile radiis Solis, efficit ut ignis concipiatur in tali materiâ paratâ mediis ejuſdem Solis ardoribus, ipſumque redigat in cineres tali lignili ſuperpoſitum, & ſic evadit ipſe finis vitæ ſuæ, & initium alterius vitæ perfectioris priori, cùm ex iiſdem cineribus renaſcatur alter ipſe perfectior quàm eſſet antea. Sit iſtud verum, aut fabuloſum, maximam tamen nos edocet veritatem per Eccleſiam ſanctam, quæ repræſentat nobis hoc in perſonâ myſtici Phœnicis Jeſu Chriſti Sponſi ſui, qui ipſam *dilexit Eccleſiam, & ſeip-* a Epheſ. 5. 25 *ſum tradidit pro eâ* a: & Capitis noſtri, quem Dei Filiũ, *Deus*, ejuſdem *Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ip-* b Epheſ. 1. 17. &c *ſius* b. Die Veneris ſancto nuperrimè elapſo ipſe erexit ſibi lignile aromaticum ſuper altari c Joan. 19. 18. &c triumphante ligni crucis c, quod exponens radiis Solis divini amoris ſui, ſeſe eidem lignili ſuperpoſitum conſumpſit & redegit in cineres flammis ſuæ charitatis: ſed ex iiſdem cineribus renaſcitur hodie in triumphante ſolemnitate Paſchæ alter ipſe glorioſior quàm eſſet priùs, & victor de inimicis ſuis, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David.* Id eſt, Filius Davidis per Mariam. Delatum eamus nuntium Reſurrectionis ejus ad ſanctiſſimam ipſius Genitricem, & ut congratulemur ei pro eo quòd renatus fuerit Filius ipſius, & de ſuis triumphaverit inimicis, dicamus ei omnes ſimul cum Eccleſiâ, *Regina cœli*.

Edocent nos hiſtoriæ, quòd, cùm Darius Rex ſuſtinuiſſet aliquam rebellionem, quam adverſùs ipſum formaverant quidam populi perſuadentibus Athenienſibus, tantum concepit adverſùs eoſdem Athenienſes odium, ut nunquam menſæ aſſideret, capeſſendæ conſuetæ refectionis ergo, quin quidam aulicus, cui ipſe tale officium commiſerat, renovaret ipſi memoriam injuriæ ipſi ab illis irrogatæ, dicens ei ad aurem, Majeſtas ſacra recordare Athenienſium. Sed quantò majus erat odium Amilcaris contra Romanos, odio Darii adverſùs Athenienſes: vix enim filius ipſius Annibal natus fuit, aut ſaltem loqui cœpit, cùm vetuit illi ne ullas unquam pangeret inducias cum Romanis, ſed è contrà præcepit illi ut illos ſemper ut ſibi infenſiſſimos conſideraret; *Amilcar Annibalis pater filium irreconciliabili illo erga Romanos odio primus imbuit*, ait Calepinus d. Fatendum eſt, quòd odia, quibus d Calep. in Diction. v. Amilcar. hi Principes iſtos proſequebantur populos, erant ingentia: ſed ea non ſunt æquiparanda odio, quo Jeſus Chriſtus afficiebatur adverſùs Satanam, mundum, & carnem: vix enim Pater æternus ſtatuerat in conclavi ſanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationem Filii ſui, *Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me: Et dixit, Vade* e, &c. e Iſai. 6. 8. & 9 cùm Filius iſte jurejurando ſe obſtrinxit, ſe indicturum bellum abſque induciis dæmoni, ſeque non deſtiturum à conſilio ſuo, quin priùs hunc inimicum ditioni ſuæ ſubjeciſſet, *Iuravit Dominus & non pœnitebit eum* f. Iſtud odium fuit ab ipſis f Pſ. 109. 4 mundi naſcentis incunabulis prædictum confeſtim ac Adam vetito *de fructu comêdit*; aurem præbendo uxori ſuæ, æquè ac ſerpenti, *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem, Quia feciſti hoc, inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius* g. Per germen mulieris eſt intelligendus g Gen. 3. 8. &c Jeſus

b Pſal. 2. 7. i Marc. 6. 3. Jeſus Chriſtus, qui prout Deus, eſt *Filius* h Patris æterni; & quatenus homo, *eſt Filius Mariæ* i. Et noſtra *Radix David*.

Nudiuſtertius inirum fuit hoc cruentum certamen, in quo ipſe devicit diabolum, mundum, k Oſee 13. 14. & carnem, ſicut ipſe prædixerat per Oſee *k, Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne*. Hodiernâ verò die de communibus iſtis naturæ noſtræ hoſtibus triumphat: proptereà *ecce duo viri*, id eſt, l Luc. 24. 4. Angeli *ſteterunt in veſte fulgenti* l circum ſepulchrum, in ſignum quòd Dominus ipſorum glorioſam de hujuſmodi inimicis retulit victoriam. Reſurgit ante Solis ortum, in notam victoriæ ſuæ de peccato, *Unâ autem Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumen-* m Jo. 20. 1. n Matth. 28. 6. & Marc. 16. 6. *tum: & vidit lapidem ſublatum à monumento* m. Sepulchrum manet vacuum, *Non eſt hic* n. Ut oſtendat victoriam ſuam ſuper mortem corpoream. Et ad vitam revertitur die Dominicâ, *Veo Matth. 28. 1. ſperè Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi* o. Ut ſe victorem demonſtret de inferno, & de morte p Cornel. in Oſee 13. 14. citans Tert. lib. de Reſurrect. Carnis, c. 13. & alios in Job 29. 18. animæ. Unde Cornelius p ait ſuper prædicta verba Oſee, *Mors enim & infernus hic quaſi duæ perſonæ, & duo reges inducuntur latè dominantes, quorum regno & vitâ ſpoliavit Chriſtus è morte & inferno reſurgens, ac de utroque triumphavit. Mortem quidem, quia poſt reſurrectionem mors nulla erit. Infernum verò, quia poſt eandem nullum ampliùs poterit capere, & devorare*. Hinc reſurrectionis Chriſti & noſtræ ſymbolum eſt phœnix, *qui fertur emori, reſurgere, & juveneſcere: moriendo ergo occidit mortem, & ſuſcitat vitam. Unde illud Job, Dixi, In nidulo meo moriar; & ſicut palma. Tertullianus, Vatablus, R. Salomon, & alii vertunt, Et ſicut phœnix multiplicabo dies. Hic enim longævus eſt, & in nidulo moritur*. Idcircò S. Joanni in viſione *unus de Senioribus dixit, Ecce vicit Leo de tribu Iuda, Radix David*. Quod inducit me ad oſten-Diviſio dendam vobis primò victoriam Jeſu Chriſti de inimicis iſtis naturæ noſtræ. Secundò ad monſtrandum vobis, quòd idem Jeſus Chriſtus hanc referens victoriam de talibus inimicis, intenderit nos reddere imagines ſuas, & inducere nos ad referendam victoriam de illis exemplo ſuo.

I Pars Non poteſt meliùs nobis Sermo divinus repræſentare triumphum Jeſu Chriſti Capitis noſtri, ſub cujus vexillis præliari debemus, quàm ſub ſymbolo leonis. *Ecce vicit Leo*. Refertur de leone, quòd, antequàm illi creverint crines perfectè per totum corpus, non habet omnino rotum vigorem ſuum, nec omnes vires ſuas. Jeſus Chriſtus, qui eſt myſticus *Leo de tribu Iuda*, ab Incarnatione ſuâ non habuit omnes vires ſuas in ſtatu perfectionis: Habebat quidem omnes capillos gloriæ ſuæ in animâ ſuâ, quæ fuit ſemper glorioſa ab inſtanti Incarnationis; ſed quantùm q Iſai. 53. 2. & 3. ad corpus non habebat omnes vires ſuas, *Virum ſcientem infirmitatem* q. Sedecet hodiernâ die crines incipiunt perfectè apparere in hoc r Pſ. 3. 6. Leone myſtico, qui recuperat omnibus ſuis viribus, poſtquàm dormivit, *& ſoporatus eſt, exurgit*, & de omnibus ſuis triumphat inimicis. Dicunt aliqui, quòd leo nunquam dormiat; at hallucinantur; ſed verè ſicut dormit oculis apertis, videtur non dormire, etiamſi re verâ dormiat: Jeſus Chriſtus tribus dormivit diebus intra ſpatium quo *inclinato capite tradidit ſpiritum* in cruce, aut in monumento, in quo *Ioſeph ab Arimaſ Joan. 19. 38. & c. thæa & Nicodemus poſuerunt* ſ ipſum: ſed dormivit oculis apertis: oculi enim Divinitatis ſunt t Hebr. 4. 13. ſemper aperti, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* t. Ideò dicitur Deus θεὸς ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id eſt, videre. Licèt enim dormiverit oculis ſuæ humanitatis clauſis, oculos tamen Divinitatis ſuæ habebat apertos. Conformiter ad hoc Poëtæ commenti ſunt nobis Argum totum oculis ſcatentem, quorum alii converſi erant circum Orientem, alii verò circum Occidentem, ita diſpoſiti ut dum alii eſſent clauſi, alii aperirentur. Commentum eſt hoc & fabula, ſed veritas eſt, quòd Jeſus duo iſta haber genera oculorum; horum alios haber ipſe converſos circum Occidentem humanitatis ſuæ, alios verò circum Orientem Divinitatis: illi fuerunt clauſi in morte ipſius, iſti verò ſemper permanent aperti: ideò ſtatim ac ipſius anima Divinitati unita deſeruit corpus ſuum in cruce, ſpoliavit inferos, *Expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* u. Et hoc idem corpus unitum Divinitati, *tertiâ die reſurrexit à mortuis* x. u Coloſſ. 2. 15. x Symb. Apoſtol.

Cùm dormit Leo, terrore concutit corda eorum qui ipſum intuentur, quia oculis dormit apertis. Jeſus Chriſtus, iſte *Leo de tribu Iuda* myſticus dormiebat, imò verò quadraginta horis permanſit dormiens, aut mortuus in monumento, ſed habens oculos ſuæ Divinitatis apertos, ita terrebat Judæos, ut convenerint *alterâ die quæ eſt poſt Paraſceven, Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes, Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, Poſt tres dies reſurgam* y. *Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium: ne fortè veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore. Ait illis Pilatus, Habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus* z. Leo dormit tribus diebus, ſed evigilans è ſomno ſuo, furioſior apparet quàm eſſet anteà: ita Jeſus Chriſtus *Leo* myſticus dormiens tribus diebus, omnino terribilis apparet ſuis inimicis in Reſurrectione ſuâ, *Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui* a. Et dæmones in conturbationem inciderunt maximam, ut docet Origenes b ſuper hæc verba, *Tunc conturbati ſunt omnes Principes Edom*. Ideò Oſee c introducit illum ſic loquentem, *Ego quaſi Leæna Ephraim*. Quod ſic vertunt LXX. apud Cornelium d, *Ego quaſi conturbatio Ephraim*. Et Hugo Cardinalis e, *Ego quaſi panther Ephraim*. Panthera pellem habet multis coloribus variegatam: ſic Humanitas Jeſu Chriſti eſt ornata multis dotibus glorioſis. Ut intelligatur iſtud, obſervandum eſt, quòd Jeſus Chriſtus extremum vitæ ſuæ halitum mox exhalaturus, ſic Patrem ſuum æternum exoravit, *Salva me ex ore leonis* f. Sed quid? rimatne Dei Filius magis dentes leonis, quàm ejus ungues? Obſervator de leone, quòd, ſi dentibus ſuis aliquam tetigerit prædam, eamque deinde liberam abire patiatur, nec illam devoret, hæc evadat ſic fœtida, ut nullum aliud animal illam deinceps audeat attingere: non cupiebat Jeſus liberari à morte, licèt illa eſſet crudeliſſima, & ignominioſiſſima; ſed ſolùm ab infamiâ mortis; id eſt, deſiderabat ut omnes homines ſcirent, quòd ipſe non moreretur pro peccatis ſuis (*Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* g) ſed pro peccatis ipſorummet hominum, *Et ipſe peccata multorum tulit* h. Ut morte ſua exhiberent boni odoris per notitiam innocentiæ ſuæ, cui teſtimonium perhibuit, antequàm decretum mortis ejus pronunciaret, *Pilatus, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus*. y ex Matt. 20. 19. z Matth. 27. 62. & c. a Matth. 28. 4. b Orig. hom. 7. in Exod. 15. 15. c Oſee 5. 14. d Cornel. in Oſee 5. 14. e Hugo Card. in Oſee 5. 14. f Pſ. 21. 22. g 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9. h Iſai. 53. 12.

Et

Et ante illum *ſedente illo pro tribunali uxor ejus, dicens, Nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum* i. Quin imò ipſe diabolus longo tempore antè cogitur illum fateri veritatem, *dicens, Ieſu Nazarene, ſcio qui ſis, Sanctus Dei* k. Et per reſurrectionem ipſius, hic odor fœtidus infamiæ mortis ipſius, & morſus leonis, omnino diſſipatur. *Ego quaſi panther Ephraim.* Solus draco non poteſt ſuſtinere odorem pantheræ, ita ut ſit illi venenum, eique mortem inferat talis odor. Iſte draco eſt Satanas, *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei* l. Et iſte odor Ieſu Chriſti ſalutare illis omnibus, quos læti ficavit per reſurrectionem ſuam, mortem infert huic draconi, & omnibus complicibus ejus. *Et quaſi catulus leonis domus Iuda* m. Catuli leonis dormientes tribus diebus quaſi mortui, ſuſcitentur rugitibus contiuis patris ſui. *Et clamans voce magnâ Ieſus, expiravit* n. Cùm deberet ſeſe ſuſcitare hoc rugitu: atqui paſſio Ieſu Chriſti cœpit ab infirmitate, *Cœpit pavere, & tædere* o. Et terminata eſt per fortitudinem, *Et clamans voce magnâ Ieſus, expiravit.* Ut oſtenderet hoc magno clamore, quòd ſua mors eſſet voluntaria, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* p. Non ſolùm autem hoc immodico clamore ſe ſuſcitavit, ſed etiam omnes aves rapaces inſeorum fugavit. Propterea mori voluit in aëre, ut illum purgaret ab his avibus infernalibus, & interitu expirando, ut illas in fugam converteret hoc halitu ſacro emiſſo ſuper cruce propter eandem rationem.

i Matth. 27.19. &
k Marc. 1. 23. & 24
l Pſ. 103. 26
m Oſee 5.14
n Luc. 23. 46
o Marc. 14.33
p Iſai. 53. 7

Super quod obſervete, ſi placet id, quod referunt hiſtoriæ, nimirum, quòd incolæ Africæ immodicè infeſtati à leonibus, qui in regionibus ipſorum multas edebant ſtrages & vaſtitates, eliquos ex illis conati ſunt apprehendere, quod & fecerunt, eoſque appenderunt in patibulis erectis in viis ordinariis, ut alii leones venientes ad patrandas ſuas prædas ordinarias, & videntes ſocios ſuos ita malè exceptos, & patibulis alligatos ſolvere pœnas vaſtitatum ab ipſis patratarum, conciperent aliquem terroris inſtinctum ex intuitu infortunii quod contigiſſet ſimilibus ſibi. Quin imò refertur, illos deinceps tantas non feciſſe ſtrages, quantas priùs ediderant. S. Petrus q vocat diabolum leonem, *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* Jeſus Chriſtus eſt alter Leo, ut ait textus noſter, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Et ut dixit modò Propheta Oſee, *Catulus leonis domui Iuda,* Et ecce idem Jeſus Chriſtus ut terrorem incuteret aliis leonibus vaſtantibus, ſemetipſum ſuffixit cruci. Et hæc eſt ipſius victoriæ ſuper Satanam.

q 1. Petr. 5.8

Præterea, *Amphiſbæna (ſive, ut aliis placet) Amphiſibæna, ſerpens eſt in Lybiæ deſertis, duo habens capita* r. Et de hoc refertur, quòd occidi non poſſit niſi fermento vitis. Satanas eſt verus *ſerpens* ſ. Et ſub hâc formâ ſerpentis noſtros decepit Protoplaſtos: & Jeſus Chriſtus eſt vinea, ut ipſe ait, *Ego ſum vitis* t. Lignum et ſarmentum hujus vitis eſt lignum crucis, quod ſuperavit Satanam tanquam Amphiſbænam habentem duo capita, quatenus in mundum introduxit mortem, & peccatum, *Invidiâ autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum* u. Sed Jeſus Chriſtus Dominus noſter ut *vitis vera* x, contrivit illi duplex iſtud caput ligno crucis ſui ut ſarmento iſtius vineæ ſuæ. Propterea reſurrexit ante ortum Solis, *Unâ autem Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento* y. Peccata enim vocantur tenebræ, *Abjiciamus opera tenebrarum* z. Sicut autem Sol in ortu ſuo tenebras fugat: ita *Ieſus Chriſtus reſurgens ex mortuis* a, expulit tenebras peccati. Ideò etiam reſurrexit die Dominicâ, quæ fuit prima dies creationis, quâ *dixit Deus, Fiat Lux: & facta eſt lux* b. Cùm iſte die glorioſâ Reſurrectionis ejus, *tenebræ, quæ erant ſuper faciem abyſſi* c. diſſipatæ fuerint. Dies fortunata, quâ *lux* gratiæ nobis uberrimè data eſt, & tenebræ peccati diſſipatæ ſunt! *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino* d. *Id eſt ſpiritualiter illuminati in veritate & gratiâ Dei,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus e.

r Calepin. in Diction. v. Amphiſbæna.
ſ Gen. 3. 1. &c
t Jo. 15. 5
u Sap. 2. 24
x Jo. 15. 1
y Jo. 20. 1
z Rom. 13. 12
a Rom. 6. 9
b Gen. 1. 3
c Gen. 1. 2
d Epheſ. 5. 8
e Dion. Carth. art. 5. in Epheſ.

Sed reſurgens à morte ad vitam, mortem etiam devicit. *Ubi eſt mors, victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus* f? Et, *Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero inferne* g. Non immeritò petit Chriſtus à morte, ubinam ſit aculeus ipſius, cùm ipſe de ſuis dicat inimicis, *Circumdederunt me ſicut apes* h. Stimulantes apes aliquod corpus vivum, ibi ſue

f 1. Cor. 15. 55
g Oſee 13. 14
h Pſ. 117. 12

Spicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt i.

i Virgil. 4. Georg. citat. à Mendoz. in 1. Reg. 18. ſect. 3

Non moriuntur autem, ſi corpus pungant mortuum. *Cùm eſſemus mortui peccatis* k, ante mortem Ieſu Chriſti, mors pungebat nos, non amittebat ſtimulum ſuum, ſed vires ſuas cuſtodiebat, & permanebat ſemper invulnerabilis: at ſtimulans Salvatorem, qui eſt *Vita* l, reliquit ipſa ſtimulum ſuum in corpore ejus. *Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus?*

k Epheſ. 2. 5
l Jo. 14. 6

Morſus tuus ero, inferne. Id eſt, *paſſivè*, ait Cornelius m poſt Rupertum. Quaſi diceret, Tu me mordebis, ſed in damnum tuum: inferens enim mihi mortem, morſu tuo ipſe peribis. Refertur, quòd aliàs viſus fuerit draco ita terribilis ut devoraret quidquid haberet obvium. Conſultum fuit Oraculum ſuper hoc, ut ſciretur quidnam foret agendum ad reprimendas illius vaſtitates. Oraculum reſpondit, quòd projiciendus eſſet ei ſingulis annis unus ſervus, aut captivus. Cùm autem ſors cecidiſſet ſuper Cleoſtratum, quidam ex amicis illius, nomine Meneſtratus, promiſit ſe ipſum expoſiturum ſeſe gulæ draconis loco ipſius. Sed priùs aculeatum ſibi conficiendum ſategit thoracem; quem cùm induiſſet, & vellet eum draco deglutire, ſibimetipſi fauces perforavit his aculeis idem draco, & mortem obivit: ita Ieſus Chriſtus mori voluit pro nobis omnibus, & ſic ut alter Meneſtratus armatus thorace Divinitatis, aculeis ejuſdem Divinitatis ſuffocavit draconem infernalem, qui ipſum voluit devorare, *Morſus tuus ero, inferne.* Quod repræſentatur nobis per hoc, quòd *tulit Daniel picem & adipem, & pilos, & coxit pariter: feciſque maſſas, & dedit in os draconis, & diruptus eſt draco* n. Humanitas Ieſu Chriſti figuretur per *picem,* & per *adipem* Divinitas illius, *Morſus tuus ero, inferne.* Si autem ſumamus hæc verba activè, ſciendum eſt quòd Iudæi abominarentur *canes. Non offeres pretium canis in domo Domini Dei tui, quia abominatio eſt apud Dominum Deum tuum* o. Et quòd Romani aliàs ſoliti erant crucifigere canes in loco, in quo plectebantur rei: ideò Iudæi, ut redderent mortem Ieſu Chriſti infamem, exceperunt illum ſicut canem. Sic David figura Ieſu Chriſti, dicebat Sauli de ſe, *Quem perſequeris Rex Iſraël? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris* p. Excipis me ut canem, ego geram me more canis rabidi, cujus morſus facit ut illi qui ab eo morſi ſunt, ejicient id

m Cornel. in Oſee c. 13. 14. citans Rupert. lib. 6. in Joan.
n Dan. c. 14. 26
o Deut. 23. 18
p 1. Reg. 24. 15

id omne, quod habent in ſtomacho, foràs: Jeſus
Chriſtus mordens infernum, eruit inde omnes
q Zach. 9. 11 captivos ſuos, ut ait illi Zacharias q, *Tu quoque*
in Sanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu
in quo non eſt aqua.

II. Pars Ecce quomodo Filius Dei reſurgens à morte
ad vitam, de ſuis victoriam refert inimicis, æquè
ac de noſtris: ſed ſicut *Deus*, ejuſdem *Domini no-*
r Epheſ. 1. 17. &c *ſtri Ieſu Chriſti Pater ipſum dedit Caput ſupra om-*
nem Eccleſiam, *quæ eſt corpus ipſius* r: nos autem
ſ Epheſ. 5. 30 *membra ſumus corporis ejus* ſ, quod eſt eadem Ec-
cleſia: ipſe intendit, ut exhibeamus nos ipſius
imagines, & ut, quantùm erit in nobis, eandem
referamus victoriam de inimicis iſtis naturæ no-
ſtræ & ſalutis noſtræ ad imitationem ipſius. E-
levaturus naturam noſtram ſuper omnes crea-
turas, eamque omni perfectionum genere or-
naturus *Deus*, ait: *Faciamus hominem ad imagi-*
s Gen. 1. 25. & 26 *nem, & ſimilitudinem noſtram* s. Multæ ſunt opi-
niones ſuper hunc locum. Origenes u ſenſit,
u Orig. hom. 1. in Gen. 1. 26 hâc imagine debere intelligi Filium Dei, *Quæ*
eſt alia imago Dei, ad cujus ſimilitudinem factus eſt ho-
mo, niſi Salvator noſter, *qui eſt Primogenitus omnis*
x Coloſſ. 1. 15 *creaturæ* x? *de quo ſcriptum eſt, quia ſit ſplendor æ-*
terni luminis, *& figura expreſſa ſubſtantiæ Dei* y.
y ex Hebr. 1. 3 Re autem verâ nomen imaginis attribuitur à
Theologis ſoli Filio, qui eſt ſecunda perſona
divina. Cùm igitur *ad imaginem Dei factus eſt ho-*
z Gen. 9. 6 *mo* z: idem eſt, ut ſentit Origenes, ac creatos
ſimilis Filio Dei: innititur autem Origenes his
a Coloſſ. 1. 15 verbis Apoſtoli, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* a. Et,
Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri ima-
ginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratri-
b Rom. 8. 29 *bus* b. Alii dicunt, *hominem* fuiſſe creatum *ad i-*
maginem Divinitatis; quia ſicut Deus mundum
c Jer. 23. 24 replet univerſum c, ita anima totum corpus:
& veluti Deus præſides toti orbi; ſic & anima
toti corpori, *Plaſmatum ſe propter internam homi-*
nis imaginem retulit: factum verò totum in circuitu,
in eo quòd ex carnis conſtat indumento, memoravit, ait
ſanctus Gregorius d, loquens de homine. Et ſan-
d S. Greg. l. 9. Mor. c. 27. ex Job 10. 8 ctus Chryſoſtomus e dicit, ſupradicta verba,
fuiſſe creatum *hominem ad imaginem* Dei, ſic de-
bere intelligi. *Quòd ipſe eſt in cœlo, nos in terrâ: &*
e S. Chryſ. hom. in 1. Cor. 11. 9 *quemadmodum supernè nullus eſt eo ſuperior; ita nul-*
lus in terrâ eſt huic animali virtute ſimilis. Id eſt, ſicut
Deus excellit omnibus rebus, & dominatur u-
biquè, & ſuper omnia, quippe qui eſt *Dominus o-*
f Eſth. 13. 11 *mnium, nec eſt qui reſiſtat majeſtati* f ipſius: ita ho-
mo eſt excellentia mundi, miraculum naturæ,
& perfectio totius orbis, & imperat ut univer-
g Pſ. 8. 8 ſorum Dominus, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* g.
Alii ajunt, quòd anima eſt ſimilis Creatori ſuo,
ornata imagine & inſignibus ejus in fronte, quia
ipſa eſt immortalis ſicut Deus, *qui ſolus habet im-*
h 1. Tim. 6. 16 *mortalitatem* h à ſe. Aut ſimilis eſt Deo, quia ip-
ſa ſemetipſam cognoſcit, & ſe cognoſcens pro-
ducit in ſe verbum intelligibile, quo ipſa expri-
mit ſemetipſam, & inde procedit amor. Quod
mirabiliter repræſentat proceſſiones æternas
Divinitatis. Unam Filii à Patre per modum ver-
bi intelligibilis, *Dominus dixit ad me, Filius meus es*
i Pſ. 2. 7 *tu: ego hodie genui te* i. Alteram verò Spiritûs ſan-
cti à Patre & Filio per viam amoris, *Paraclétus,*
quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui
k Jo. 15. 26 *à Patre procedit* k. Et propter hoc dicitur *ad ima-*
a Gen. 9. 6 *ginem Dei factus homo* a. Tandem, Alii, omiſſis a-
liorum ſententiis, dicunt, quòd ſicut *Spiritus eſt*
Deus l, *id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſen-*
l Jo. 4. 24 *tia, utpote actus purus, mens ſeparata* m, & libera,
Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in
terrâ, in mari & in omnibus abyſſis n: ita ſimilis eſt m Dion. Carth. art. 11. in Jo. 4. 24
homo Deo, quia ſpiritualis eſt, habet liberum ar- n Pſ. 134. 6
bitrium, & facit id quod vult, *Deus ab initio conſti-*
tuit hominem, *& reliquit illum in manu conſilii ſui.*
Adjecit mandata & præcepta ſua. Ante hominem vita
& mors; bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur
illi o. Ut autem veniamus ad propoſitum no- o Eccli. 15. 14. &c
ſtrum, obſervandum eſt, quòd ſacra Scriptura
triplicem imaginem memorat. *Imaginem Dei*, de
qua modò. *Imaginem mortis* p. Et, *Imaginẽ beſtiæ* q. p Jer. 2. 6
Duæ priores imagines ſunt honorabiles homini, q Apoc. 13. 4
poſtrema verò eſt illi injurioſa & damnoſa. Quo-
ad primam, *Creavit Deus hominem* r. Quantùm ad r Gen. 1. 27
ſecundam, peccatum hominem ad illam indu-
xit, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum*
intravit, *& per peccatum mors* ſ. Quoad id quod ſ Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6
ſpectat ad tertiam, diabolus mutavit hominem,
Vos ex patre diabolo eſtis t. Prima eſt ſupra naturam t Jo. 8. 44
ejus. Secunda conformis eſt naturæ illius, quia
Deus Adæ dixit, Pulvis es, & in pulverem reverteris u. u Gen. 3. 14. &c
Tertia eſt contra naturam ipſius. Prima deſtina-
vit eum ad cœlum. Secunda condemnavit illum
ad vermes. Tertia projecit ipſũ ad inferos. Red-
dit eum prima filium Dei. Efficit illum ſecunda
ſocium beſtiarum. Exhibet ipſum tertia dæmo-
nibus ſimilem.

Quænam imagines! quænam ſimilitudines!
quænam convenientiæ! dicam meliùs, quantæ
differentiæ! *Cujus eſt imago hæc* x? Chriſtiani, qui x Matth. 22. 20
gloriamini vos eſſe membra glorioſi illius Ca-
pitis, quod ſic eximiũ refert hodiernâ die victo-
riam de diabolo, & de morte, ſub cujus ex iſtis
militare intenditis vexillis? Si vultis effici ima-
gines Jeſu Chriſti, & referre, ſicut ille reporta-
vit, victoriam ſuper inimicos iſtos naturæ no-
ſtræ, quamnam præ vobis fertis imaginem? Dei
Filius mortem intulit morti, quæ ſuum reliquit
aculeum ita ut deinceps non poſſit illa vobis no-
cere. Vultisne igitur deferre *imaginem mortis*?
Memoria illius perpetua, quam præ vobis fere-
tis, erit vobis ſaluberrima; recordatio illius aſſi-
dua, immodicè vobis proderit: nam facilè ſupe-
rabitis id omne quod illa habet horribile, in-
tuitu felicitatis, ad quam illa vobis pandit adi-
tum per merita & victorias Jeſu Chriſti. Uti-
nam omnes Chriſtiani hanc ſemper in corde ſuo
deferrent *imaginem mortis*. Utinam nihil aliud
unquam præ ſuis ideis & cogitationibus, quin i-
mò & præ operibus ſuis ponerent præter *imagi-*
nem mortis. Re enim verâ tot & tantas non vide-
remus in mundo inordinationes atque diſſolu-
tiones. Illud illis ſingulis præbet ſalutare moni-
tum Eccleſiaſticus, *In omnibus operibus tuis memo-*
rare noviſſima tua, & in æternum non peccabis y. Si y Eccli. 7. 40
præ noſtris ſemper habeamus oculis memoriam
depreſſionis noſtræ, æquè ac infirmitatis noſtræ;
facilem de morte referemus victoriam; & dice-
mus cum Capite noſtro, *Ero mors tua, ô mors: mor-*
ſus tuus ero inferne. Superabimus diabolum, ut i-
mitemur Ducem noſtrum, & delebimus *imagi-*
nem beſtiæ, quæ eſt ſigillum damnationis.

Inter omnes creaturas ſublunares ſola anima
inſignita eſt imagine Dei: hoc gaudet ipſa privi-
legio præ omnibus aliis creaturis inferioribus:
ad hoc enim ut aliquid ſit imago, non ſufficit, ut
habeat aliquam ſimilitudinem talem qualem, aut
generis, aut ſpeciei, aut accidentis, ſicut ovum
eſt album, & figuræ ovalis inſtar alterius ovi, &
tamen non eſt illius imago: requiritur igitur ad
hoc ut aliquid ſit imago, ut ſimilitudo in eo ſit,
& deinde ut hæc ſimilitudo expreſſa ſit, aut ſpe-

Digitized by Google

cie deſumpta ſecundùm ultimum gradum &
ultimam differentiam rei, ut imago Regis eſt in
filio ſuo; aut proprietate inſeparabili, præſer-
tim verò figurâ, quæ eſt ordinariè individua, ut
imago Regis eſt illa, quæ tranſumpta fuit e pro-
prio ſuo prototypo: unde iſtam inferimus con-
ſequentiam, quòd creaturæ irrationales non
poſſunt eſſe imagines Dei; quia licèt ſimiles
ſint Deo ſecundum gradum generaliſſimum en-
tis, & ſpecialiſſimum etiam vitæ: tamen ſecun-
dùm gradum ſpecificum, id eſt, eſſentiæ Dei, cùm
Deus ſit eſſentia, ſpiritualis, & immortalis, illæ
non poſſunt eſſe imagines Dei. Illas Theologi
vocant tantùm veſtigia Dei, iſtam conſtituentes
differentiam inter veſtigium & imaginem,
quòd imago repræſentet per ſimilitudinem ſpe-
ciei, veſtigium verò per ſimilitudinem effectus
duntaxat. Sic anima ſola eſt imago Dei, quia
non ſolùm illa habet eſſe ejus, non ſolùm ipſa
vivit more beſtiarum, ſed prætereà intelligit,
vult, memoratur; & eſt immortalis ſicut Deus,
z Pſ. 4.7 *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine* z.
† Incognitus in Pſ. 4.7 *Ubi nota*, ait Incognitus †, *quòd per vultum Dei
intelligitur ratio, per quam rationales à brutis ani-
malibus diſtamus. Tum quia ſicut per vultum quis cog-
noſcitur, ita per ſpeculum rationis cognoſcitur Deus.
Et ſicut per vultum unus alteri maximè aſſimilatur,
ita & nos per rationem Deo ſimiles ſumus. Unde di-
citur, Fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimi-*
a ex Gen. 1.27 *litudinem ſuam* a, *& hoc per ipſam rationem.* I-
deò ſoli homines præ ſe ferunt imaginem Dei.
Et propter hanc rationem Dei Filius alloquens
Chriſtianos, quos ſuas efficere volebat imagi-
nes, & eos inducere ad ſuperandos commu-
nes naturæ hoſtes exemplo ſuo, ſicut ipſe illos
vicit morte, & reſurrectione ſuâ, petit ab
b Matth. 22.20 illis ſingulis, *Cujus eſt imago hæc* b? Quaſi di-
ceret illis, Chriſtiani, cuſtodiviſtisne ima-
ginem meam? Habetisne adhuc characterem
verorum Chriſtianorum, quem vobis impreſ-
ſi à veſtræ nativitatis exordiis, cùm beneficio
Baptiſmatis fuiſtis renati *ex aquâ & Spiritu ſan-*
c Jo. 3.5 *cto* c? Servitisne Deo, an miniſtratis diabo-
lo, mundo, & carni? eſtne videre hanc imaginem
in operibus veſtris? *Nemo poteſt duobus Dominis ſer-
vire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget:
aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non pote-*
d Matth. 6.24 *ſtis Deo ſervire, & Mammonæ* d.

Sed dicamus etiam magis. Ubi eſt igitur hæc
imago Dei? Cùm illa non ſit in beſtiis, non eſt ip-
ſa in corpore: magnam enim eſſet injuriam ir-
rogare imagini Divinitatis, ac illam transferre
ad corpus materiale, quod eſt potiùs imago
peccati, quàm Dei. Ubinam igitur eſt illa? Quæ-
ſtio difficilis eſt: ita ut, ſicut certum eſt, quòd
e Gen. 9.6 *ad imaginem Dei factus eſt homo* e: ſic aliqui cre-
dant, quòd incognitum ſit, in quânam parte ho-
minis inveniatur hæc imago Dei, & quòd Deus
ſolus id ſciat. Alii exiſtimant, ſolos viros defer-
re hanc imaginem Dei, ſed mulieres non eſſe fa-
ctas ad imaginem Dei: & ideò allegant ſanctum
f 1. Cor. 11.7 Paulum f dicentem, *Vir quidem non debet velare
caput ſuum; quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier
autem gloria viri eſt.* Ita ut, ſecundùm illos, & ju-
xta Apoſtolum, quem ipſi in medium adducunt,
ſolus vir videtur eſſe imago Dei, & non mu-
lier. Ab iſtorum ſententia non videtur recede-
g S. Aug. lib. 12. de Trinit. c. 13 re ſanctus Auguſtinus g, dicens, *Nec me fugit,
quoſdam qui fuerunt ante nos egregii defenſores Ca-
tholicæ Fidei, & Divini Eloquii tractatores, cùm in ho-
mine uno cujus univerſam animã bonam quendam pa-
radiſum eſſe ſenſerent, duo iſta requirerent, virum
mentem, mulierem verò dixiſſe corporis ſenſum. Et
ſecundùm hanc diſtributionem, quâ vir ponitur mens,
ſenſus verò corporis mulier, videntur aptè omnia con-
venire, ſi conſiderata tractentur.* Ego verò exiſti-
mo hos eximios Doctores ſenſiſſe, mulieres
mundanas deferentes ſæpè ſæpiùs imaginem
mundi & diaboli, quos tenentur ipſæ expugna-
re, & ſuperare, juxta exemplum quod ipſis præ-
bet hodie Dei Filius, non poſſe deferre imagi-
nem Dei. Sed heu! quid dicerent hodie, ſi vive-
rent, & ſi vidiſſent vanitatem, pompam & lu-
xum hujus ſeculi? Nonne videtur vobis, quòd
ſi petam à ſingulis mulieribus mundanis, *Cujus eſt*
imago hæc h? Quænam inſignia & quaſnam no- h Matth. 22.20
tas præ ſe ferant: non deprehendam in illis in-
ſignia Jeſu Chriſti, quæ ſunt humilitas i, & i Matth. 11.29
paupertas k, cùm in iis non ſit invenire niſi va- k Matth. 8.20
nitatem, ſuperbiam & ambitionem. Dicendum
eſt igitur, mulierem eſſe *imaginem beſtiæ* l. Id l Apoc. 13.14
eſt, Satanæ. Sed petetis à me, quare mulier cum
pretioſiſſimis veſtimentis, & larvata, eſt imago
Satanæ. Vultisne iſtud ſcire? Pro comperto eſt,
quòd diabolus tentat m. Sed quid? Mulier m Job 1.6 &c
ſuis dedita vanitatibus, & voluptatibus indol-
gens, æquo liberior & artificioſior eſt ad ten-
tandos homines, quàm Satan. Sic dicitur, ſer-
pentem, qui noſtros tentavit Protoplaſtos, di-
midium habuiſſe corpus ſpecioſæ fœminæ. Ita
ſentit & Hugo Cardinalis n poſt Bedam, *Dia-* n Hugo Card. in Gen. 3.1
*bolus timens autem à viro deprehendi, mulierem primò
aggreſſus eſt in ſerpente, qui tunc erectus erat, habens
vultum virgineum; ut dicit Beda.* Prætereà, Satanas
apparet ſub falſis figuris, & ſub corporibus e-
mentitis: mulier verò ſe fucat, pigmentis ſe il-
linit & colorat, & larvata incedens, quærit id
omne, quod infirmitas proprii ſexus ipſi ſugge-
rit ad tentandum hominem, & ad illum ſedu-
cendum.

Sed ut propoſitam quæſtionem dilucidè re-
ſolvamus, obſervandum eſt, quòd, ubi eſt ſermo
de imagine Dei, de eâ loqui duobus modis poſ-
ſumus, aut propriè, aut impropriè. De illa loqui-
mur impropriè ſecundùm præeminentiam, qua-
tenus ſicut Deus fecit *cœlum & terram, & quid-
quid cœli ambitu continetur: Dominus omnium* eſt,
nec eſt qui reſiſtat majeſtati o ejus: ita vir eſt Ca- o Eſth. 13. 10. & 11
put & Princeps rerum ſublunarium; non autem
mulier hoc modo eſt, cùm educta fuerit è coſtâ
Adæ, *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tu-
lerat de Adam, in mulierem* p. Quæ ideò propter
Adamum facta eſt: *Non enim vir ex muliere, ſed* p Gen. 2.22
*mulier ex viro: etenim non eſt creatus vir propter
mulierem, ſed mulier propter virum* q. Sic iſto q 1. Cor. 11.9
modo improprio imago Dei eſt in ſolo viro,
quia ſolus factus eſt Dominus mundi, habens
poteſtatem divinam, ut Vicarius Dei. Et hinc
clarè videtur mulieres debere ſubdi viris, illos
honorare, & iis obedire, ut eis conſulit ſanctus
Paulus r, *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Do-* r Epheſ. 5. 22. & 23
*mino; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus
Caput eſt Eccleſiæ.* Et aliter agere, eſt injuriam
maximam irrogare Deo. Iſtud omne in-
telligitur quantùm ad corpus tantùm. Sed
ſi loquamur propriè de imagine Dei, om-
nes Patres & Theologi unanimi conſenſu di-
cunt, quòd imago Dei eſt in anima rationali, ſive
viri, ſive mulieris: quia inter animas viri & mu-
lieris nulla eſt diſtinctio ſexus, cùm ſint ejuſdem
na-

naturæ,& ejuſdem excellentiæ, cùm embæ immediatè productæ ſint à Deo;& cernim ſit, quòd anima mulieris hebet eandem pulchritudinem, & eamdem perfectinnem iſtius imaginis Dei, quam habet anima viri, quod innititur his verbis Scripturæ ſ,

ſ Gen. 1. 27

Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum. Et ſtatim additur, *Maſculum & fœminam creavit eos.* Quibus verbis Scriptura innuit, Deum fuiſſe locutum de animabus. *Sed ſive iſto, ſive illo, ſive aliquo modo accipiendum ſit, quod Apoſtolus* t *virum dixit imaginem & gloriam Dei, mulierem autem gloriam viri: apparet tamen cùm ſecundùm Deum vivimus, mentem noſtram in inviſibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, charitate, proficiſcenter debere formari*, ait ſanctus Auguſtinus *u*. Creata eſt mulier *ad imaginem Dei* x, æquè ac vir; honor eſt æqualis utrique, virtutes ſunt æquales, & æquale præmium impendendum utrique prælianti, & triomphanti de hoſtibus communibus naturæ, mundo, diabolo, carne & peccato, conformando ſe Capiti ſuo Jeſu Chriſto, ſicut & æqualis eſt pœna utrique propoſita. Tota randem differentia viri & mulieris penes ſolum corpus attenditur.

t ex 1. Corinth. 11. 7

u S. Aug. l. 12. de Trinit. c. 13

x Gen. 9. 6

In hoc apertè ſuam manifeſtat Deus bonitatem, quæ *non habet finem* y. Nimirum, cùm mulierem viro fecit æqualem, *Dixit quoque Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* z. Nec mirandum eſt ſi Filius Dei triumphans hodie de inimicis ſuis, & de noſtris, & intendens hâc ſuâ victoriâ oculis noſtris exhibitâ ut imitandâ efficere nos imagines ſuas, & inducere nos ad ſe ſequendum, id eſt, ad referendum triumphum de iiſdem inimicis naturæ noſtræ, à nobis ſingulis efflagitare videatur, *Cujus eſt imago hæc* a? Quis vult agnoſcere eos qui cuſtodierunt verum charactérem Chriſtianiſmi, & ſcire quinam ſint ii qui faciunt opera verorum Chriſtianorum, præliando validè contra hoſtes ſuos, ſicut ipſi ſunt polliciti ſolemniter, cùm ſuum nomen militiæ dederunt Chriſtianæ in Sacramento Baptiſmi, ubi ſunt renati *ex aquâ & Spiritu ſancto* b. *Qui eſt inviſibilis Actor intùs mentem purificans, & efficienter regenerans, gratiam influendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis* c. Pro comperto eſt, quòd ex intuitu imaginis ſtatim pervenitur ad notitiam prototypi; & ex viſu hominis confeſtim cognoſcitur Deus, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* d. Et licèt nos omnes creaturæ ducant ad cognitionem Dei, *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* e: tamen imago veri Chriſtiani conformis prototypo eſſentiæ ejus, majorem & perfectiorem nobis exhibet illius notitiam.

y Baruch 3. 25

z Gen. 2. 18

a Matth. 22. 20

b Joan. 3. 5

c Dion. Carth. art. 8. in Joan. 3. 5

d Gen. 9. 6

e Rom. 1. 20

Sed heu quotnam inveniemus hujuſmodi imagines? quotnam videbimus Chriſtianos qui veram præ ſe ferant imaginem? Quotnam deprehendemus inter eos, qui dicunt ſe profiteri fidem Jeſu Chriſti, qui nobis tribuant notitiam veri Dei? E contrà illi ſunt totidem imagines mundi, carnis, diaboli & peccati, quibus ſerviunt, & quorum ſunt captivi, nedum illos expugnare conentur, & glorioſam de illis victoriam reportare contendant, ut veræ Jeſu Chriſti imagines efficiantur. Hodiernâ die Chriſtiani ita deliciis ſenſuum ſunt dediti, ut prorſus deleverint imaginem Dei; nulla in illis ſupereſt Chriſtianiſmi nota: & ſi petatur ab eis, quamnam præ ſe ferant imaginem; reſpondebunt profectò, Imaginem mundi, diaboli, & carnis. Efflagitate ab hoc fœneratore, qui continuis incumbit uſuris; ab iſtâ muliere vanâ quæ pompaticè ſemper induta incedit; & ab hoc mercatore qui intra exiguum tempus ita dives effectus eſt, quamnam deferant imaginem: ille fœnerator reſpondebit, divitias ſuas proveniſſe ex uſuris ſuis; hæc mulier mundana dicet, infamia ſua commercia ſubminiſtraſſe ſibi modum ſovendi hujuſmodi luxus: & mercator iſte allegabit, ſe rem ſuam familiarem auxiſſe fraudibus ſuis. Hai falſas iſtas delete imagines, & efficimini veræ imagines Jeſu Chriſti diſponentes vos ad referendam glorioſam victoriam de inimicis ſalutis veſtræ, ad imitationem Prototypi veſtri, & ſic potiemini aliquando fructu Reſurrectionis ejus in gloriâ.

FERIA II. POST PASCHA.

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas? &c. Luc. 24. 32. &c.

VNa è præcipuis cauſis juſtificationis animæ, quæ in æternum poteſt illam reddere beatam, eſt non ſolùm agnoſcere immodicum amorem Dei erga nos, ſicut ipſe *Pater noſter* a eſt, & Redemptor noſter per merita Sanguinis Filii ſui Jeſu Chriſti, *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu* b: Et, *Sed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* c: quod eſt donum Spiritus ſancti, qui nos illuminat interiùs, ut reddat nos capaces notitiæ Dei, cui ut *Regi ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen* d. Sed etiam ex parte noſtrâ tenemur morem gerere ſancto illius verbo, & cuſtodire mandata ejus ad reddendum hunc amorem commendabilem, ſicut *duo ex illis*, qui *ibant ipsâ die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus*: qui obvium habentes Dominum ſuum, amiſſa jam ſpe, æquè ac fide reſurrectionis illius, ab illo illuminati, & diſcentes ab ore ejus, quòd ipſum *oportebat pati, & ita intrare in gloriam ſuam*: ſua ſentiunt inflammari corda flammis divini amoris illius, *Et ſurgentes eâdem horâ regreſſi ſunt in Ieruſalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, Quòd ſurrexit Dominus*

a Matth. 6. 9

b Rom. 3. 24

c 1 Cor. 6. 11

d 1. Tim. 1. 17

nus verè, & apparuit Simoni, æquè ac nobis, quorum animas peccato incredulitatis & deſperationis de ipſius reſurrectione jam emortuas ſuſcitavit gratiâ ſuâ, quâ ipſe repleverat aliàs Genitricem ſuam, cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit*, *Ave* e *Maria*. e Luc. 1. 28

Mirum non eſt ſi ſubtiliſſimi quique hominee meditationes ſuas creationi univerſi orbis applicantes, ſtupore cientur, æquè ac admiratione, videntes quòd omnia ibi ſuas ſint ſortita perfectiones, *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* f. Et, *Dei perfecta ſunt opera* g. Sed id, quod illorum auget admirationes, eſt hoc, quod dicebamus heſternâ die, quòd *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* h. Ut autem iſtud benè intelligatur, obſervandum eſt præter id, quod dixi vobis heri, quòd triplex eſt ſimilitudo animæ cum Deo. Prima eſt naturæ, cùm ſit eſſentia ſpiritualis & intellectualis ſicut Deus, *Spiritus eſt Deus* i. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata: eſt tamen honoratiſſimus intellectus* k. Secunda eſt gratiæ, quæ efficit nos filios ipſius adoptivos, & conſequenter ipſi ſimiles. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* l. *Hoc eſt, idoneitatem, ſeu gratiam efficacem, per quam fiunt filii Dei adoptivi. Filiatio autem fundatur in aſſimilatione. Quoniam ergo per Chriſti adventum data eſt hominibus participatio divini eſſe, & ſupernaturalis ſimilitudo cum Deo, idcircò recipientibus ipſum datur præfata poteſtas. Per fidem quoque inchoatur in nobis ſupernaturalis cognitio patria, quæ quantùm ad ſuam plenitudinem Deo eſt propria. Per gratiam quoque gratum facientem, ponitur anima in eſſe ſupernaturali, divino, ac meritorio, tamque accepta ac ſimilis Deo efficitur, ut etiam vitam æternam de condigno mereatur* m. Tertia eſt gloriæ & beatitudinis, quæ transformat animam in Deum, & tantùm ſimilis erit ei, quantùm capacitas ipſius poteſt eſſe, deificata & divinizata, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt* n. *Id eſt, Deo perfectè conformabimur per dona gloriæ, cui nunc aliqualiter aſſimilamur per munera gratiæ. Tunc enim per plenum ardentiſſimumque amorem erimus in Deum ineffabiliter transformati, & quantùm fieri poteſt, in ipſum abſorpti. Tamen & per beatificam viſionem aſſimilatio illa peragitur formaliter, & directè: propter quod ſubditur, Quia videbimus eum ſicuti eſt, id eſt, clarè per ſpeciem, ita quòd ipſam ſuperadorandæ Deitatis ſuperſubſtantialem eſſentiam in ſeipsâ, per ſeipſam, clarè, & immediatè conſpiciemus. Cognitio autem ſecundùm Philoſophos, fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, inquantùm ſimilitudo ſeu ſpecies cogniti ineſt cognoſcenti* o. Atqui Doctores non dant nomen imaginis huic triplici ſimilitudini, ſed omnes ferè unanimi conſenſu conveniunt, quòd imago propriè conſiſtat in natura animæ. Quantùm verò ad gratiam, & ad gloriam, hoc vocatur ſimilitudo. Et ſic intelligunt hæc verba, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* p. Primò, *Ad imaginem*. Id eſt, quantùm ad naturam animæ ejus. Secundò, *Ad ſimilitudinem noſtram*. Nimirum, quoad gratiam ſupernaturalem, quam ei communicabimus, & conſequenter quoad gloriam.

f Gen. 1. 31
g Deut. 32. 4
h Gen. 1. 27
i Jo. 4. 24
k Dion. Carth. art. 11. in Jo. 4. 24
l Jo. 1. 12
m Dion. Carth. art. 4. in Joan. 1. 12
n 1. Jo. 3. 2
o Dion. Carth. art. 4. in 1. Joan. 3. 2
p Gen. 1. 26

Quoad id quòd ſpectat *ad imaginem*, quæ facit ad propoſitum meum, ſciendum eſt, quòd duplex eſt imago. Una eſt identitatis, ut filius Regis eſt ejuſdem naturæ cujus Rex, & inde eſt imago Regis, & ſic ſolus Filius Dei eſt imago Patris æterni, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* q. Altera eſt figura, ſicut imago Regis exarata in numiſmate, ſic anima dicitur imago Dei: anima repræſentat Deum, ſicut imago quæ eſt in ſpeculo, repræſentat eum qui in ipſo ſe intuetur. Solus Dei Filius eſt imago expreſſa Patris ſui, & repræſentatio eſſentiæ illius, cùm idem ſit cum Patre ſuo, ut ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus* r. Et procedat ab ipſo per viam intellectus, ſicut & ipſemet aſſerit, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* ſ. Quantùm ad animam, ipſa eſt tabula raſa, valdè remota à perfectione Principii ſui, quod *non habet finem* t. Tamen ipſa propiùs ad ipſum approximat quàm quælibet alia creatura. Ut autem videatur pulchritudo & excellentia iſtius cœleſtis imaginis, ſciendum eſt, quòd Deus univerſis rebus ut eorum Archetypus; quòd anima ſimilitudinem habet cum omnibus rebus, eſſe cum elementis, vegetationem cum plantis, ſenſum cum animalibus, intellectum cum Angelis, & immortalitatem cum Deo. *Spiritus eſt Deus* u. Et anima eſt ſpiritus, *Benedicite ſpiritus & animæ Juſtorum Domino* x. Deus eſt immortalis & inviſibilis, *Regi autem ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo honor & gloria* y. Anima etiam eſt immortalis, & inviſibilis. Deus eſt impalpabilis. *Spiritus carnem & oſſa non habet* z. Ita & anima. Deus eſt totus in toto orbe, & æquè in minimâ illius parte, ac in toto indiviſibiliter, *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* a? Sic anima eſt tota in toto corpore, & tota in minimâ illius parte, æquè ac in toto indiviſibiliter; tota videt, tota audit; tota guſtat, tota olfacit, tota tangit; tota memorans, eſt tota memoria; tota cogitans, eſt tota intellectus; & tota volens, eſt tota voluntas. Sed quare cogitatis quòd ita ſpecioſam creaturam *creavit Deus ad imaginem ſuam* b? Cùm creaſſet ipſe hominem ad præbendam ei divinam notitiam ſuam, poſt creatum univerſum orbem, impreſſit animæ ejuſdem hominis imaginem ſuam, ut illam inveniret homo in ſe, nedum peregrè proficiſceretur ad illam requirendam. Omnes iſtam habent imaginem, propter quam non ampliùs *incredulus, ſed fidelis Thomas dixit, Dominus meus, & Deus meus* c. Sicut cùm Adam erat ſolus, Deus fecit illi ſociam, ut illam diligeret, & familiariter, æquè ac ſuaviter cum illa converſaretur, *Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* d: Ita Deus produxit animam aliqualiter ſimilem ſibi, ut haberet extra ſe quam diligeret, cum quâ familiariter converſaretur, & à quâ reciprocè ipſe diligeretur, cùm ipſemet dicat, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* e. Quin imò aliquid amplius agit, ad illam venit, ut in illa habitet, ſi hujuſmodi habitatione totius ſanctiſſimæ Trinitatis ipſa ſe dignam exhibeat, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus: & manſionem apud eum faciemus* f. Cùm propterea eadem SS. Trinitas triplex in hâc animâ conſtruxerit palatium, memoriam Patri, intellectũ Filio, & voluntatẽ Spiritui S. Tandem, iſtam animam *creavit Deus ad ima-*

q Coloſſ. 1. 15
r Joan. 10. 30
ſ Pſ. 2. 7
t Baruch 3. 25
u Jo. 4. 24
x Dan. 3. 86
y 1. Tim. 1. 17
z Luc. 24. 39
a Jerem. 23. 24
b Gen. 1. 27
c Jo. 20. 27. & 28
d Gen. 2. 18
e Prov. 8. 31
f Jo. 14. 23

imaginẽ ſuam, ut veluti ſuavi violentiâ induceret nos ad ſe diligendum *ex toto corde, & in tota a-*
g Matt. 22, 37.
nima, & in tota mente g. Et hoc eſt, quod ego intendo vobis monſtrare in progreſſu diſcurſus iſtius, ſuper verba Textus propoſiti ex Evangelio hodierno, *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scriptu-*
Propoſitiô
ras? Nimirum, Quòd diligere debeamus Deum ex tribus iſtis animæ noſtræ potentiis.

Conceptus meus innititur mandato, quod Deus nobis facit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente*
h Matt. 22, 37.
tua h. Ut hac dilectione agnoſcamus amorem, quo ipſe dilexit nos, cùm nos *creavit ad imaginẽ, & ſimilitudinem ſuam*, ut nos ſuæ participes faceret gratiæ, & aliquando ſuæ gloriæ, præbendo nobis fruitionem Divinitatis ſuæ. Ut illud intelligatur, notandum eſt, quòd in æternitate eſt Pater non genitus; Filius genitus, ut ipſemet ait, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie*
i Pſ. 2, 7.
genui te i. Et Spiritus ſanctus, ab utroque procedens, ut dicit idem Filius, *Paraclêtm, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre*
k Joan. 15. 26.
procedit k. Pater à nullo eſt, Filius eſt à Patre, & Spiritus ſanctus eſt à Patre & Filio. In productione hominis videmus aliquid ſimile. Adam à nemine generatur: non enim patrem habet, nec matrem, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciẽ ejus ſpiraculum*
l Gen. 2. 7.
vitæ, & factus eſt homo in animã viventẽ l. Eva eſt ab Adamo ſine matre, *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam: cumq́; obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus*
m Gen. 2, 21. & 22.
Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem m.
n Gen. 4. 1 & 2.
Et Abel eſt ab Adamo & Eva, *Adam verò cognovit uxorẽ ſuam, quæ peperit Abel* n. Tres facultates animæ noſtræ aſſimilantur ſanctiſſimæ Trinitati. Memoria repræſentat Patrem, intellectus
o S. Thom. in Gen. 1, 26.
Filium, & S. Thomas o ait, *Intelligentia eſt expreſſa ſimilitudo memoriæ, ſicut Filius eſt expreſſa ſimilitudo Patris.* Et voluntas figurat nobis Spiritum ſanctum. Deus intelligit ſemetipſum; intelligens ſe, generat Verbum ſuum; inde procedit Spiritus ſanctus, qui eſt Amor, per viam voluntatis: homo intelligit ſemetipſum, & quodlibet aliud; ex hac intelligentia format verbum mentale in anima ſua; & ex hac cognitione naſcitur per viam voluntatis amor; quem Deus à nobis exigit. *Tot igitur hujus generis trinitates, quot recordationes, quia nulla eſt earum ubi non hæc tria ſunt, illud quod in memoria reconditum eſt etiam antequàm cogitetur; & illud quod fit in cogitatione cùm cernitur, & voluntas utrumque conjungens, & ex utroque ac tertia ſeipſa unum aliquid complens. An potius ita cognoſcitur una quædam in hoc genere trinitas, ut unum aliquid generaliter dicamus quidquid corporalium ſpecierum in memoria latet, & rurſus unum aliquid generalem viſionem animi talia recordantis atq́; cogitantis, quorũ duorum copulationi tertia conjungitur copulatrix voluntas, ut ſit hoc totum unum quiddam ex quibuſdam*
p S. Aug. lib. 11. de Trin. c. 7.
tribus, ait S. Auguſtinus p. Atqui obſervate, ſi placet, quòd diligere *Deum ex toto corde* ſuo, eſt illum diligere ex tota voluntate ſua; quia id quod cor eſt corpori, hoc eſt voluntas animæ: cor eſt principium actionum vitalium, & voluntas eſt origo actionum moralium; cor eſt Princeps in republica corporis, & voluntas eſt Regina in regno animæ; cor eſt domicilium amoris ſenſibilis, & voluntas eſt thronus amoris ſpiritualis. Inde fit ut diligere Deum *ex toto corde* ſuo, ſit illum diligere ex tota voluntate ſua. Diligere *Deum in tota anima* ſua, eſt ſtabilem permanere in fide, & ferri toto intellectu ſuo ad credendas veritates revelatas. ſic diligere *Deum in tota anima* ſua, eſt illum diligere ex toto intellectu ſuo. Diligere *Dominum in tota mente* ſua, eſt illum diligere ex tota memoria ſua: proptereà ipſe ait, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente*
q Matt. 22, 37.
tua q. Quia requirit cor noſtrum, animam noſtram, & cogitationes noſtras, quæ ſunt in voluntate, in intellectu, & in memoria. His autem verbis, *Dominum Deum tuum*, intelligere poſſumus imaginem, quam Deus nobis impreſſit, ut hac repræſentatione induceremur ad ipſum diligendum, ad habendum ipſum in *corde, & in anima, & in mente*, ut prototypon amoris noſtri, cùm per hanc imaginem ipſi aliquomodo
r S. Thom. Opuſc. 60. art. 1.
do aſſimilemur, ut ait S. Thomas r, *Imago recreationis, per quam reformatur imago creata, ſcilicet mens noſtra, eſt Dei gratia, qua menti reparandæ infunditur.* Et paulò pòſt, *Homo per naturam animæ participat ſecundùm quandam ſimilitudinem, naturã Divinam per quandã recreationem ſive regenerationẽ.* Ulteriùs autem progrediens, dicam quòd hæc tria verba, *Dominum Deum tuum*, ſignificant myſterium SS. Trinitatis, quod complectitur tres perſonas Divinas, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Patri attribuitur fides, Filio ſpes, & Spiritui ſancto charitas, cùm Pater exprimatur per *Dominũ*, Filius per *Deum*, & Spiritus ſanctus per *tuum*. Fides attribuitur Patri, quia, ſicut fides eſt origo & baſis aliarum virtutum, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum: ſine fide autẽ impoſſibile eſt placere Deo* ſ: ita
ſ Hebr. 11. 1, & 6.
Pater æternus eſt origo aliarum Divinarum perſonarum, ut ait Filius, *Teſtimonium perhibet de*
t Joan. 8. 18.
me, qui miſit me, Pater t. Spes convenit Filio, *Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrũ IESUM Chriſtum; qui reformabit corpus humilitatis*
u Philip. 3. 20 & 21.
noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ u. Et illum *Advocatum habemus apud Patrem: & ipſe eſt*
x 1. Jo. 2, 1 & 2.
propitiatio pro peccatis noſtris x. Ut impetret nobis miſericordiam ejus, & liberet nos à morte per merita ſua, per paſſionem & mortem ſuam
y Joan. 13. 18 & 19.
y. Per Reſurrectionem autem & per Aſcenſionem ejus z, ſperamus nos reſurrecturos, & aſcenſuros in cœlum cum illo. Charitas propria
z Marc. 16. 6. & 19.
eſt Spiritui S. quia charitas Patris & Filii eſt amor Spiritus S. *Deus charitas eſt* a. Dicamus
a 1. Joan. 4. 16.
prætereà, Fides, quæ attribuitur Patri, in corde concipitur, *Corde creditur ad juſtitiã* b. Ipſum
b Rom. 10. 10.
cor juſtificat nos, *Juſtificati ex fide* c. Spes; quæ
c Rom. 5. 1.
convenit Filio, nobis eſt alimenti loco, alit & conſervat cogitationes diſponentes nos ad cupienda & amanda quæ non poſſumus videre, nec audire, *Sicut ſcriptum eſt, Quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* d. Charitas, quæ
d 1. Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.
debetur Spiritui S. inflammat animas noſtras amore Dei, ut agnoſcamus beneficia Omnipotentis. Atqui Deus præcipit nobis ut ipſum diligamus *ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente.* Ut ipſum diligamus fide, ſpe, & charitate. Fide incipimus eum amare, ſpe amor augetur, & charitate amor perficitur.

Hunc amorem adimplemus, cùm parati ſumus mortem oppetere propter amorem Salva-
e Jo. 15. 13.
toris: *nam majorem hâc dilectionem nemo habet, ut*
f Act. 12. 2.
animam ſuã ponat quis pro amicis ſuis e. Sicut fe-
g Act. 7. 58 & Hebr. 11. 33. &c.
cerunt Apoſtoli f, & Martyres g. Poterant

quidem Tyranni hos eximios viros è mundo tollere, præcipiendo ut in fruſta diſcinderentur illorum corpora; ſed non poterant illos ſeparare à Deo, cùm amor illorum ſemper perſeveraret in integritate ſua. Amor, qui debetur Deo, eſt ut præferamus eum, quem tenemur illi impendere, affectui erga omnes creaturas. Ille debet eſſe *ex toto corde* noſtro, aut ex tota vita noſtra, quam ſemper debemus habere paratam ad illam Deo conſecrandam, *Et in tota anima. Et in tota mente* noſtra, ut nihil dicamus, imò verò concipiamus contra Deum Diligere *Deum ex toto corde* noſtro, eſt illud ferre ad Deum, & noſmetipſos addicere obſequio ejus, dirigere cogitationes noſtras ad Deum, collocando in eo omnes affectus noſtros. *Et in tota anima* noſtra, eſt cùm noſtros ſenſus interiores, & appetitus noſtros conſormamus ad regulam legis Dei, & mandatorum ejus. *Et in tota mente* noſtra, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequiū*

h 2. Cor. 10.5

Chriſti h. Tres ſunt in anima noſtra facultates, vegetativa, ſenſitiva, & rationalis. Vegetativa propria eſt plantis; ſenſitiva congruit animalibus, & rationalis convenit homini. Rationalis ſignificat mentem, ut illud omne quod eſt in nobis, referatur ad Deum ut ad centrum ſuum, & ad ultimum finem ſuum, *Univerſa*

i Prov. 16. 4.

propter ſemetipſum operatus eſt Dominus i. Sicut ſenſibilis ſignificat animam, & vegetativa repræſentat nobis cor. Deus exigit cor, quia *cor eſt primū vivens, & ultimum moriens.* Ipſe vult ut ipſum diligamus à nativitate noſtra uſque ad mortem noſtram, & ut non ſit aliquid quod impedire poſſit quin ipſum diligamus.

Philoſophantes peritiſſimi ſuper amorem, quo diligere debet homo Deum ſuum, dicunt quòd in nobis multigeni ſunt affectus. Alii procedunt è diſcurſu quem facimus ſecundùm experientiam ſenſuum. Alii eruuntur è ratiocinationibus eductis è ſcientiis humanis. Alii proveniunt è diſcurſibus ſecundùm fidem. Tandem, Alii ſuam trahunt originem è ſimplici ſenſu & conſenſu quem anima præbet veritati & voluntati Dei. Primi illi affectus vocantur naturales. Secundi dicuntur rationales. Tertii nuncupantur Chriſtiani Denique, Quarti affectꝰ gradus ſupremi, ſunt Divini & ſupernaturales, quia Deus diffundit illos in animas noſtras abſque interventu alicujus diſcurſus, aut alicujus luminis naturalis. Hi autem affectus animæ ſunt præcipuè tres: Amor mentis erga pulchritudinem myſteriorum fidei. Amor utilitatis bonorum, quæ promittuntur nobis in altera vita. Et amor ſummæ bonitatis Dei. Ideò S. Auguſtinus

k S. Aug. l. de Salutar Document. c. 3.

k ait, exhortans quendam Comitem, *Licèt unus appelleris homo, tamen tres habes à Patre & Filio & Spiritu ſancto conceſſas dignitates, id eſt, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem, licet aliis*

l Luc. 10 27. & ex Matt 22. 37.

verbis, deſignatur in Evangelio l, *cùm dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. In his enim tribus imaginem Conditoris noſtri mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo, ex quibus quaſi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere Conditorem, ut quantùm à nobis intelligitur, diligatur, ſemperque in memoria, quâ recipitur, habeatur. Nec ſolùm ſufficit nobis, Deum intelligere, niſi fiat in amore ejus voluntas noſtra: imò nec hoc ſufficit, niſi cum memoria & voluntate ipſa addatur.*

Prætereà, Theologia nos docet, triplex eſſe genus amoris. Primus amor eſt ille, qui inducit nos ad amandum aliquem, & amor iſte vocatur objectivus, quippe qui conſiderat objectum, ſeu potius eum quem amamus. Secundus eſt, cùm majoris æſtimamus unum quàm alium, licèt iſtum plurimùm amemus, hic autem amor vocatur amor præferentiæ, cùm ſcilicet amicum amico præferimus. Tertius eſt, quando ſenſus noſtri magis adhærent ei quem amamus, & vocatur intenſivus, ut pater qui amabit ſenſibiliùs parvum filium, quam magnum, quem tamen magnum rationabiliter & per præferentiam magis amabit, & quia malet amittere parvum quàm magnum, etiamſi parvum ſenſibiliùs amet. Si autem ſcire velitis, quonam amore ex iſtis diligere teneamur Deum, Reſpondeo nos debere illum diligere amore præferentiæ, quia amor præferentiæ non eſt alligatus naturæ, nec ſenſibus, ſed fertur in bonum, non ſolùm ut bonum ſimpliciter, ſed ut bonum majus, & bonum bonorum, quod ſcilicet continet *omne bonum* m. m Exod. 33. 19.
Debemus igitur diligere Deum amore præferentiæ: amor, quo diligendus eſt Deus, debet eſſe major amore, quo diligimus proximum, quia proximus diligendus eſt propter amorem Dei, & Deus debet diligi amore præferentiæ, cui volumus majus bonum: atqui volumus ut Deus ſit omnipotens, & ſummum noſtrum bonum: ergo debemus illum diligere amore præferentiæ intuitu proximi noſtri, *Qui amat patrē, aut matrem plusquàm me, non eſt me dignus* n. Et, n Matt. 10. 37.
Si quis non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus o. Non o Luc. 14. 26.
tenemur diligere Deum amore intenſivo, aut, ſi velitis, amore ſupremo, ſed ſufficit ut illum diligamus amore præferentiæ, deſerentes omnia terrena, diſſolventes nos ab illorum affectu propter purum amorem ejus. Si verò quæratis à me, num diligere debeamus Deum amore præferentiæ intuitu noſtri ipſorum. Reſpondeo, quòd homo in ſtatu peccati collocatus, ſecundùm inclinationem ſuam naturalem (*Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* p) magis ducetur ad amorem p Gen. 8. 21.
erga ſe, quàm erga Deum: ſed ſi conſideremus hominem in ſtatu gratiæ, Deum magis diliget, quàm ſeipſum. Si autem loquamur de natura in ſe, dico inclinationem hominis magis ferri ad amandum Deum, quàm ſeipſum, quia amor ſui-ipſius eſt ſemper inordinatus, & contrarius inclinationi, quam habemus agnoſcendi illius, qui eſt Author naturæ: & licèt gratia nos inducat ad diligendum Deum, tamen ipſa non impedit inclinationem noſtram naturalem, quæ vergit ad amandum bonum noſtrum: imò verò quotidianâ nobis licet experientiâ cōprobare, quòd pars ſe periculo debet exponere propter conſervationem boni communis: atqui natura, cùm non ſit niſi veluti pars, ſeu potiùs non niſi emanatio boni univerſalis, quod eſt ipſemet Deus, non debet adverſari nec opponi emolumento ſeu profectui univerſali.

Sed quàm felices eſſemus, ſi agnoſcentes amorem, quo Deus nos diligit, vellemus eum diligere ſicut ipſe nos diligit! *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternā* q. Et cùm hoc modo dilectionis ſuæ teſtimonium nobis perhibuerit, ideò exigit à nobis cor noſtrum, animam noſtram, & cogitationes noſtras, ut is *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* r. Ipſe eſt quem de- q Joan. 3. 16. r Apoc. 1. 5.

bemus

bemus diligere, cùm noſtra felicitas ex ejus miſericordia pendeat, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* f. *Id eſt*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus t, *Non in poteſtate hominis volentis, eſt velle aliquid meritoriè, nec eſt in poteſtate hominis currentis ſeu operantis, meritoriè operari* u, *ſed utrumq; dependet & oritur ex miſericordia & gratia Dei : ſicut alibi dicitur, Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate* x. *Cui conſonat illud Ieremiæ* y, *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus; nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Ideò ait Pſalmiſta z, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Cùm enim finis creationis noſtræ ſit ſupernaturalis, ſcilicet viſio Dei per ſpeciem, non poſſumus velle, cogitare, vel facere aliquid meritorium hujus finis ex puris naturalibus, ſed inceſſabili gratiâ indigemus. Nam & Chriſtus ait, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum* a. Et eò glorioſiores erimus, quò majores præ nobis tulerimus gradus dilectionis, adjuti gratiâ ejus, cùm gradus gloriæ ſint tribuendi nobis juxta proportionem graduum amoris, quo dilexerimus Deum, aut proximum noſtrum propter eundem Deum, cùm amor proximi ſuã deſumat originem ab amore Dei, quem Dei Filius inſignit titulo mandati novi, *Mandatum novum do vobis, Vt diligatis invicem : ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem* b. Quod non recedit à myſterio, quod habet convenientiam cum myſterio Reſurrectionis ipſius: ſi enim attenditis, illud eſt *monumentum novum, in quo poſuerunt Ieſum* c: è quo ipſe *ſurrexit* d à morte ad vitam: & tempore paſſionis ipſius, *monumenta aperta ſunt* e. Hi tumuli fuerunt ſepulchra Patriarcharum, & Prophetarum, quorum ſinguli ſuum offerebant Chriſto, ut in eo requieſceret. Sed cur Salvator recuſavit hæc ſepulchra ſibi oblata, & ſepeliri voluit in monumento novo, *in quo nondum quiſquam poſitus erat* d. Reſpondet S. Cyrillus Alexandrinus e, *Novum fuit monumentum, nemoque ante Chriſtum poſitus, ne alius è mortuis ſurrexiſſe crederetur. Monumenti autem novitas, novum atq; inauditum de morte ad vitam reditum ſignificat. Nam & ipſa mors in morte Chriſti innovata, ad ſomni conditionem mutata eſt. Vivimus enim Deo, & ipſa corpora noſtra revictura ſunt, ſecundùm Scripturas* f. *Vnde mortui, dormientes jam ab omnibus, & maximè à Paulo* g *appellantur.* Quaſi diceret, In hæc ſepulchra antiquorum Patrum ut vetera vermes jam irrepſerant, & non in iſtud recens: In illis erat jam corrupta caro, ſed in hoc Chriſti caro non debebat corrumpi, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* h. In illis corpora erant redacta in cineres; in hoc autem Chriſtus permanſurus erat integer: fœtor erumpebat ex illis; & gloria exire debebat ex iſto, *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum* i. Mors egrediebatur ex illis; ſed vita exire debebat, ſicut re verà exivit ex iſto quoad ipſum, & quantùm ad nos, ſuſcitando nos per ſua merita à morte peccati ad vitam gratiæ, & aliquando ad vitam gloriæ.

Hanc prædixit nobis Iſaias k veritatem, loquens in perſona Chriſti, *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent.* Quem locum Vatablus & Pagninus vertunt ex Hebræo apud Cornelium l, *Domine, reſurgent cum cadavere meo.* In quo alludunt ad id quod fecit Eliſeus mortuus miraculum *Quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit*

f Rom. 9. 16.
t Dion. Carth. art. 13. in Rom. 9. 16
u ex Jo. 15. 5.
x ex Philip. 2, 13.
y Jer. 10. 23.
z Pſ. 118, 32.
a ex Jo. 6. 65.
b Jo. 13, 34
c Joan. 19. 41, & 42.
d Matt. 28 6, & Marc. 16, 6
e Matt. 27. 52.
d Joan. 19 41, & 42.
e S. Cyrill. Alex. l. 12. c. 42, in Joan. 19. 41, & 42.
f ex Iſai. 26 19.
g ex 1. Theſſ. 4, 13
h Pſ. 15. 10
i Iſai. 11, 10.
k Iſai. 26, 19.
l Corn. in Iſai. 26, 19

ſuper pedes ſuos m. De quo eodem Propheta dicit Eccleſiaſticus n, *Et mortuum prophetavit corpus ejus.* Prædixit igitur aliquid novi, quod erat eventurum: hæc autem prophetia fuit, quòd mortuum in cruce Chriſti corpus deberet nos ſuſcitare omnes ad vitam gratiæ, & ad vitam gloriæ. Propheta iſte aliud peregit miraculum adhuc vivens, ſuſcitans filium Sunamitidis o: miraculum iſtud non fuit prophetia, ſicut prædictum: Eliſeus enim hunc ſuſcitavit puerum, cùm ipſe eſſet adhuc vivens: & ſuſcitavit illum hominem mortuum, cùm ipſe eſſet jam mortuus: atqui non eſt tantum miraculum, quòd homo vivens ſuſcitet mortuum, quantum eſt, cùm homo mortuus ſuſcitat alium mortuum, ſicut Jeſus Chriſtus fecit: præterquàm quòd miraculum, quo Eliſeus ſuſcitavit puerum, non fuit prophetia, ſed alterum, quo ſuſcitavit virum perfectum: ſic reſurgemus *omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* p, ſicut ipſe Chriſtus reſurrexit. *Interfecti mei reſurgent cum cadavere meo.* Id eſt, Mors Chriſti per amorem ipſius, fuit vita noſtra. Hoc patet ex Pſalmo q, cujus titulus eſt, *In finem pro ſuſceptione matutina.* Et quem titulum Pſalmi, in quo Paſſio Chriſti deſcribitur, S. Hieronymus r vertit poſt Hebræos, *pro cervo matutino.* Et alii, *pro cerva matutina.* Alludentes ad illam cervam fœtam, è cujus utero lethaliter à venatoribus vulnerato, ipsâ conſequenter mortuâ, exierunt catuli ipſius per hanc aperturam in ventre ipſius factam. Idem accidit cuidam Reginæ prægnanti, quâ ictu enſis in ventre perforatâ in obſidione cujuſdam urbis, & hoc vulnere mortuâ, fœtus ipſius exivit vivus ex hac labefactione: eramus nos omnes in viſceribus amantibus JESU Chriſti, *Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò* ſ exivimus nos omnes ex hac apertura, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* t. Hoc nobis repræſentatur per eclypſim Solis, quæ accidit tempore paſſionis ejus, *Et obſcuratus eſt Sol* u. Ut intelligatur iſtud, obſervanda eſt differentia quæ eſt inter eclypſim Solis & Lunæ; Sol enim in eclypſim labitur ſine ullo defectu luminis, quod accidit ex eo quòd Luna eſt interpoſita in linea eclyptica inter Solem & nos, cùm ipſa Luna eſt nova: eclypſis verò Lunæ contingit ex interpoſitione terræ inter Solem & Lunam, cùm Luna eſt plena, opacitate terræ impediente ne ipſa illuminetur à Sole: JESUS Chriſtus eſt *Sol* x myſticus: ſicut Sol nullum poteſt ſuſtinere defectum luminis; ita Filius Dei prout Deus nullam pati poteſt eclypſim, ideò oportuit ut Luna conjungeretur ei in linea eclyptica, quod accidit in Incarnatione, cùm *caro* y noſtra ut vera Luna unita fuit illi hypoſtaticè, non quòd Deus aliquem pertulerit defectum, *Tu autem idem ipſe es* z. Sed ſola ipſius caro eclypſim ſuſtinuit per interpoſitionem Lunæ carnis noſtræ, ita ut, cùm dicimus, Deus mortuus eſt, hoc ſit ſola eclypſis Solis, id eſt, quòd nullus ſit defectus luminis in nobis, ſed totum ſumatur è parte oculorum noſtrorum. Prætereà, Hæc eclypſis Solis in paſſione Filii Dei fuit miraculoſa: tunc enim facta eſt quando fieri debebat eclypſis Lunæ, quia milites *crucifixerunt eum* a quartadecimâ die Lunæ, quæ erat tunc plena. Ubi fuit etiam alterum miraculum, quia hæc eclypſis generaliter apparuit ubique contra ordinem eclypſeon, per quas Sol latet tantùm in aliquibus locis, & non in omnibus. Et hoc eſt

myſte-

m 4. Reg. 13, 21.
n Eccl. 48, 14.
o 4. Reg. 4 34, & 35.
p Epheſ. 4. 13.
q Pſ. 21, 16 &c.
r S. Hier. in Pſ. 21. 1.
ſ Joan. 19. 34.
t S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103.
u Luc. 23. 45.
x Malach. 4. 2
y Jo. 1, 14.
z Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12
a Jo. 19. 18

myſterium hujus novi ſepulchri, è quo vita exi-
vit (cùm mors generatim ex omnibus aliis e-
greſſa ſit) ut Chriſtus omnium hominum defe-
b 2. Cor. 5, 15. ctum repararet, qui *pro omnibus mortuus eſt* b præ
amore.

Modus quo exivit è ſepulchro, fuit novus;
exiens è tumulo ex tranſverſo lapidis, qui illum
occludebat, ibi relinquens *linteamina* c, quibus
c Io. 20. 5. *Ioſeph ab Arimathæa & Nicodemus corpus* d ipſius
d Ioan 19. 38, &c. ligaverant; cùm econtrà Lazarus prodierit *qui
fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & fa-*
e Ioan. 11. 44. *cies illius ſudario ligata* e eſſet. Ubi obſervabi-
tis myſterium in reſurrectione Filii Dei, nimi-
rùm, quòd S. Joannes & S. Petrus invenerunt in
ſepulchro linteum quod texerat Caput Chriſti,
& linteamen quod totum corpus illius operue-
rat, ſed differenti modo: nam Scriptura refert
linteamina poſita; id eſt extenſa, & explicata:
*& ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non cum
linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in u-*
f Ioan. 20, 6, &c. *num locum* f. Ut ſignificet, quòd, tùm JESUS
Chriſtus prout Deus paſſus fuerit propter amo-
rem noſtrum, res eſt prorſus incomprehenſibi-
lis, ad quam repræſentandam *ſudarium quod fue-
rat ſuper caput ejus* (quod nobis figurat Divinita-
tem ejus, *Caput verò Chriſti, Deus* g:) erat *ſepara-*
g 1. Cor. 11. 3. *tim involutum in unum locum*. Sed videre huma-
nitatem patientem in illo, res eſt evidens, cùm
Chriſtus paſſus fuerit propter amorem noſtrum:
propterea *linteamina poſita*, id eſt, explicata, æ-
què ac extenſa ſunt, quæ operuerant totum Jeſu
Chriſti corpus. Lazarus *prodiit, qui fuerat mor-
tuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſu-
dario erat ligata*. Iſtis indigebat linteis & vin-
culis, quippe qui iterùm moriturus: ſed *Chriſtus
h Rom. 6, 9. reſurgens à mortuis, jã non moritur* h.

Gloria corporis ejus, & aliæ qualitates ejus
glorioſæ, fuerunt novæ, & nondum priùs in ali-
quo alio viſæ: ſed hoc debebatur ei, qui erat
Prototypon reſurrectionis noſtræ, & aliarum
dotium glorioſarum, quas aliquando habere de-
h 1. Cor. 15, 42. &c. bebamus per illius merita. Paucis S. Paulus h
explicat nobis verbis has glorioſas dotes, quas
aliquando noſtra poſſidebunt corpora, & quas
miramur in corpore Chriſti glorioſo. Primò,
Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.
Hæc eſt ſubtilitas, ſeu penetratio Jeſu Chriſti
exeuntis è ſepulchro clauſo, & cùm ad Apoſto-
i Ioan. 20, 26. los ſuos *poſt dies octo venit januis clauſis* i. Secun-
dò, *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*. Hæc
eſt claritas. *Iuſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris
k Matt. 13, 43. eorum* k. Tertiò, *Seminatur in infirmitate, ſurget
in virtute*. Hæc eſt agilitas, quæ hodie apparet in
Chriſto in hoc, quòd *ipſe evanuit ex oculis* duorũ
diſcipulorum ſuorum in via, & confeſtim *ſtetit
in medio eorum* ubi reverſi ſunt Jeroſolymas.
Quartò, *Seminatur in corruptione, ſurget in incor-
ruptione*. Hæc eſt impaſſibilitas, cùm dereliquit
linteamina in ſepulchro.

Omnes iſtæ conſiderationes dilectionis Sal-
vatoris noſtri erga nos, inducere nos debent ad
præbendum ei omnino cor noſtrum. Sed quàm
pauci Chriſtiani totum cor ſuum Deo tribuunt!
Ad Deum noſtra elevare debemus corda, ut di-
lectionem ejus erga nos mutuâ dilectione com-
penſemus. Poſtquam ſuas creaturas *creavit Deus,*
l Gen. 1. 21 & 22. *benedixit eis* l. Sed non meminit Scriptura, quòd
benedixerit herbis. Quare? Quia herbæ radi-
cibus ſuis adhærent terræ, quod innuit nobis,
quòd corda affectu terrenis alligata, ſunt plan-
tæ cœleſtibus benedictionibus indignæ. Ideò di-
citur *homo arbor inverſa*, habens radices ſuas ver-
sùs cœlum, ſicut versùs centrum ſuum, cùm ſe-
parari debeat à terra ut peregrini Evangelii no-
ſtri. Si voluntas veſtra inclinetur ad bona terre-
na, indigni eſtis benedictionibus cœli, totum
cor veſtrum Deus efflagitat, *Præbe, fili mi, cor tuũ* m Prov. 23, 26.
mihi m. Totum illud exigit abſque ulla exce-
ptione. Oportet igitur ut elevemus cor no-
ſtrum, animam noſtram, & mentem noſtram ad
Deum. Iſtud nos edocet Pſalmiſta n ſecretum, n Pſ. 3, 6.
Ego dormivi, & ſoporatus ſum. Somnus repræſen-
tat nobis contemplationem animæ erga Deum:
ſopor verò perſeverantiam in eadem contem-
platione nobis indicat: id eſt, non ſufficit ut e-
levemus animã noſtram, & cogitationes noſtras
in Deum, ſed ibi eſt perſeverandum. *Ego dormi-
vi*. Id eſt, in contemplatione, ut Sponſa dicens,
Ego dormio, & cor meum vigilat o. Id eſt, contem- o Cant. 5, 2.
platur. Idcircò idem Propheta p non ſolùm di-
cit, *Quis aſcendet in montem Domini?* Quod eſt p Pſ. 23, 3.
contemplatio: ſed addit. *Aut quis ſtabit in monte
ſancto ejus?* Quod eſt perſeverantia in contem-
platione mirabilium Omnipotentis. Ad hoc
propoſitum dicam, quòd ſuas elevare poteſt ho-
mo cogitationes in contemplationem naturæ
humanæ, meditando Incarnationem Filii Dei q, q Jo 1, 14. r Luc. 2. 7.
Nativitatem r, Paſſionem, Mortem, & Reſur-
rectionem ſ: ſed ut illas elevet ad gradum emi- ſ Ioan. c. 18 & 19, & 20.
nentiorem & perfectiorem, contemplari poteſt
Eſſentiam Divinam, quæ contemplatio eſt ne-
ceſſaria ad hoc ut animæ noſtræ & mentes no-
ſtræ Divinis gratiis trahantur, *Trahe me poſt te* t. t Cant. 1. 3.
Quare autem creditis, quòd *in montem Sinai de-
ſcendiſſet Dominus* u, daturus legem populo Iſ- u Exod. 34, 2, &c.
raëlitico? Ideò ut doceret nos, quòd debeamus
declinare à ſermonibus & confabulationibus
mundi, ut elevemus cogitationes noſtras, & cu-
ſtodiamus illas in contemplatione Divinæ dile-
ctionis. Et cur *locutus eſt Dominus ad Moyſen, di-
cens? Aſcende in montẽ Abarim, id eſt, tranſitũ, in
montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Iericho: &
vide terram Chanaan, quã ego tradam filiis Iſraël ob-
tinendam* x: Niſi ut Chriſtianus confiteatur ſe x Deut. 32, 49.
eſſe peregrinum in hoc mundo inſtar peregri-
norum noſtrorum, & dicat Deo cum Pſalmiſta
y, *Quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus,* y Pſ. 38. 13.
ſicut omnes Patres mei. Et ut contempletur my-
ſteria ſancta, quæ vobis annunciavi, ſi pervenire
velit ad terram promiſſam gloriæ. Quare *ſtetit
Moyſes cum Deo* in monte ad ſuſcipiendam ibi le-
gem ab eo? niſi ut innuatur, quòd lex manet im-
perfecta, niſi fortè in iis qui aſcendunt in montẽ
contemplationis, & ibi ſtant, ſicut Moyſes *fuit
ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta no-
ctes* z. Ibique perſeverant conſecrantes Deo z Exod. 34, 5. & 28.
cor ſuum, animam ſuam, & mentem ſuam, id eſt,
omnes affectus ſuos, & univerſas cogita-
tiones ſuas, ut ab eo conſequenter
gloriam ſuſcipiant
æternam.

***

FERIA

FERIA III. POST PASCHA.

Stetit Ieſus in medio eorum : & dicit eis ; Pax vobis. Luc. 24 36.

SAlus, quam Dei Filius à morte ad vitam redivivus ſuis hodiernâ die præſentat Apoſtolis, ſuam offerendo illis pacem, quam eis jam reliquerat antequàm mortem oppeteret, dicens, [a Joan. 14 27.] *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* a: in memoriam meam revocat ingenioſum illud [b Alciat. Emblem. 177.] emblema Alciati *b*, in quo repræſentabatur examen apum circum galeam, è qua exibant, præ hac inſcriptione, *Ex bello pax.* Sanè bellum ſanguinolentum fuit illud quod vidimus die Veneris ſancto *c* nuper elapſo, ſed ita felix tamen [c Joan. c. 18, & 19.] ac nobis proficuum, ut videntes fructum fortunati ſucceſſus illius, dicere poſſimus, *Ex bello pax.* Non ſecus ac ille qui immodicè fatigatus eſt ex faſtidioſa itineratione, æquè ac importuna, ſi ultimâ die peregrinationis ſuæ, poſt peractum iter plurimum, perveniret tandem ad aliquem locum jucundum, delicioſum, & affluentem omnibus deſiderabilibus, haberet unde meritò lætaretur, ſe beatum reputaret, & multò magis oblivisceretur laborum, qui ipſi fuerunt exhauriendi itineraodo : idem contingit Prædicatoribus hâc ultimâ die curſus ipſorum, cùm in textu Evangelii noſtri inveniant locum delicioſum, *Pax vobis : ego ſum, nolite timere.* Suam præſentat illis Dei Filius pacem, ſicut illam generatim omnibus obtulit hominibus eo momento quo ipſe carnem humanam ſumpſit in utero Virginis ſanctiſſimæ *d* per hæc verba Angeli, [d Luc. 1, 28, & 38.] *Ave Maria.*

Poſtquàm *tulit Moyſes filios Iſraël de Mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur ; ambulaverunt per ſolitudinem, & non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ : unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem. Et murmuravit populus contra Moyſen, dicens, Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum : qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Venerunt autem in Elim filij Iſraël, ubi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta* [e Exod. 15 22, &c.] *palmæ* e. Deſertū in quo *filij* Iſraël fuerunt *vagi annis quadraginta* f, [f Num. 14. 33.] eſt figura deſerti, ſeu ſolitudinis pœnitentiæ *g*, quam percucurrimus [g Luc. 13. 5] hoc ſacro tempore Quadrageſimæ. Tandem pervenimus ad diem Veneris magnum, quo aquæ *amaræ* erant : *unde & congruum nomen* diei illi imponere potuimus, vocantes *illum Mara, id eſt, amaritudinem.* Quid amarius quàm auditu Dei Filium, *qui in diebus carnis ſuæ cum clamore* [h Hebr. 5. 7.] *valido, & lacrymis* h, *dicit, Sitio* : & tamen [i Joan. 19. 28. &c.] viſu eum non potari niſi *aceto* i. Quid amarius quàm auditu eum *opprobriis* ſaturatum dicere, [k Thren. 3 5, &c.] *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio. Et circundedit me felle, & labore* k. Et, *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropiu-* [l Pſ. 87. 4.] *quavit* l. *Malis ſcilicet pœna*, exponit Incognitus *l* [l Incogn. in Pſ 87. 4.] loquens de Chriſto, *quia tempore ſuæ paſſionis omnibus malis, quibus quis poteſt repleri, repletus fuit Chriſtus, & omnibus modis paſſus. Et hoc eſt quod* [m Matth. 26. 38. & Marc. 14. 34.] *Chriſtus dicit, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* m. Quis illi diei tot afflictionum non imponet *congruum nomen, vocans illum Mara, id eſt, amaritu-*

dinem? audiens Virginem Deiparam afflictionibus oppreſſam immodicis intuitu paſſionum chariſſimi Filii ſui, dicere, *Ne vocetis me Noemi, (id eſt, pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt, amarā) quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens* n. [n Ruth 1. 20.] Pro compertiſſimo igitur eſt *quòd eſſent amaræ* aquæ illæ ; ſed dulces effecit illas lignum Crucis figuratum per hoc materiale *lignum, quod cùm miſiſſet in aquas* Mara Moyſes, *in dulcedinem verſæ ſunt.* Cùm virtute ejus, memoriâ illius, & meditatione ipſius, omnimodus labor, æquè ac dolor, dulcis evadat animabus ſanctis, quæ profitentur ſequi Dominum ſuum patientem. Si verò iſtud lignum fuit amariſſimum Salvatori, nobis tamen dulciſſimum eſt propter utilitates, quæ ab eo nobis proveniunt. Tandem, Deſerentes *Calvariæ locum* o, venimus *in Elim, ubi ſunt duo-* [o Joan. 19. 17.] *decim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ* gratiarum, gloriæ, & pacis, quæ nobis fuerunt acquiſitæ per merita Jeſu Chriſti. Quod inducit me ad oſtendendum vobis Primò, Quòd in hac [Diviſio.] pace invenimus omne genus bonorum. Secundò, In ſpecie videbimus in illa bonum pacis in regimine politiæ.

[I. Pars.] Ut oſtendatur quomodo omnia bona inveniantur in pace iſta, quam Dei Filius hodiernâ die ſuis offert Apoſtolis, & in eorum perſona omnibus fidelibus, cùm *dicit eis, Pax vobis* : Obſervandum eſt, ſi placet, quòd palma eſt ſymbolum victoriæ, & conſequenter hieroglypha pacis, ſi credamus ſententiæ Julii Cæſaris, qui egrediens è baſilica ſua, & advertens quòd palma è terra erupiſſet in aula illius interiori, juſſit ut magnâ curaretur ſolicitudine, inde præſagium educens fortunatum, quòd ipſe victor eſſet de ſuis evaſurus hoſtibus. Quin imò refertur, quòd eâdem die, quâ cum Pompejo dimicavit, viſa ſit exire altera palma ex extrema ipſius ſtatua. Idem legitur de quodam eximio Duce, quòd præſcindendam ſatagens ſylvam, & inveniens in ea palmam, præcepit ut ſpecialis circa eam adhiberetur cura, inde inferens, quòd deinceps fauſta eſſent futura ſibi prælia, quibus eſſet ſeſe expoſiturus. Iſti favet Scriptura conceptui, repræſentans nobis Juſtos in cœlo præ ſe palmas ferentes, *Et palmæ in manibus eorum* p. [p Apoc. 7. 9.]

Palma ſpecialiter conſecratur Deo, ideò mirum non eſt ſi ſecum invehat omne bonorum genus, cùm Deus ſit *omne Bonum* q. Filii Iſraël [q Exod. 33 19.] ſumebant *Tabernaculorum die primo ſpatulas palmarū, & coram Domino Deo* ſuo lætantes, celebrabant *ſolemnitatem ejus ſeptem diebus* r. Iſtæ au- [r Levit. 23 34, &c.] tem palmæ erant inſignia victoriæ, quam de ſuis retulerat hoſtibus, & ideò præſentabant ſacrificia actionum gratiarum Authori bonorum omnium, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* [ſ Jac. 1. 17.] ſ. Et quando *turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit Ieſus Ieroſolymam ; acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviàm ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël* t : *videntes Principes Sa-* [t Joan. 12. 12. & 13.] *cerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros*

clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David; *indignati ſunt, & dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt* u? [u Matth. 21, 15.] Intuiti illi invidi devotionem populi, & puerorum, illam ſuſtinere non poterant, eò vel maximè quòd præ ſuis ferrent manibus notas Divinitatis ejus, *Divinâ verò inſpiratione ideò factum eſt, ut victoria Christi, quâ mox ſuperaturus erat diabolum, victurúmque mortem* x, [x ex Oſee 13, 14.] *& ſuos ex limbo erepturus præfiguraretur. Sic enim obviari victoribus ſolitum fuit. Rami quoq; palmarum antiquitùs dabantur victoribus in præliis prævalentibus*, ait Dionyſius Carthuſianus y. [y Dion. Carth. art. 30. in Io. 12, 13.] Cùm ſuos inimicos *Simon ejecit de civitate Gaza, & mundavit ædes, in quibus fuerant ſimulachra, & tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum: & ejectâ ab ea omni immunditiâ, collocavit in ea viros qui legem facerent; & munivit eam, & fecit ſibi habitationem: intraverunt in eam cum laude & ramis palmarum, quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſrael* z. [z 1. Mach. 13, 47. &c.] Quia palma ſpecialiter eſt Deo conſecrata.

Præterea, Pax eſt propria Deo ſoli: ideò ubi ſuorum diſcipulorum *Stetit Ieſus in medio, dicit eis, Pax vobis.* Et ſtatim ſubdit, *Ego ſum.* Id eſt, Deus. Quaſi ſignificare volens eis, pacem ſibi præcipuè attribui, *Sic ipſemet poſt reſurrectionem ſuam viſitando eos, primùm locutus eſt, Pax vobis*, ait idem Carthuſianus a. [a Dion. Carth. art. 30. in Luc. 24, 36.] *Quo conſtat quàm magnum bonum ſit vera pax, ſpiritualis, & interna. Ego ſum verè Magiſter & Dominus veſter, paulò antè crucifixus, & nunc verè reſuſcitatus, qui ſecundùm Deitatem ſum æternaliter, & perfectè, cujus eſſe eſt plenum, infinitum, ſimpliciſſimum, omniformiterque perfectum, qui dixi ad Moyſen, Ego ſum qui ſum* b. [b Exod. 3, 14.] Jeſus Chriſtus ſibi nomen iſtud appropriat, *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum* c. [c Jo. 8, 28.] Propterea, ut cognoſceremus ipſum fuiſſe eundem, in principio paſſionis ſuæ miniſtris & ſatellitibus miſſis à Principibus Sacerdotum, ipſemet *dicit Ieſus, Ego ſum. Vt ergo dixit eis, Ego ſum; abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram* d. [d Joan. 18, 5. & 6.] Ut igitur Deo proprium eſt dicere, *Ego ſum*: ita illi propriè convenit ut dicat, *Pax vobis.* Pax ita propria eſt Deo, ut, ſecundùm aliquos in ea includatur unitas Eſſentiæ Divinæ, & Trinitas perſonarum, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* d. [d 1. Jo. 5, 7.] Litera enim P. ſignificat Patrem, qui eſt primum principium proceſſionum in Trinitate: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genuite* e. [e Pſ. 2, 7.] A, litera triangularis ſignificat Filium, qui eſt *Verbum caro factum* f, [f Ioan. 1, 14.] conſtans è tribus ſubſtantiis, Divinitate, animâ, & corpore. X, conſonans duplex figurat nobis Spiritum ſanctum, procedentem ab amore mutuo Patris & Filii, *Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* g. [g Jo. 15, 26.] Jure ergo merito pax pertinet ad Deum, cùm ſumma unitas & ſimplicitas, quæ requiritur in pace, reperiatur in Deo ſolo, *Dominus Deus noſter, Deus unus eſt* h. [h Deut. 6, 4.] Et, *Videte quòd ego ſim ſolus* i. [i Deut. 32, 39.] Ideò Deus *eſt pax* k, [k Epheſ. 2, 14.] & *charitas eſt* l. [l 1. Joan. 4, 16.] Ut innuat nobis, quòd hæc duo verba pacis, & charitatis includant quid Divinum & ſupernaturale, & digna ſint omni genere venerationis. Si igitur pax eſt ita propria Deo, *Ego oſtendam omne bonum tibi* m: [m Exod. 33, 19.] omnia bona infallibiliter inveniuntur ſub iſta pace, quæ provenit nobis à Deo, quam Filius ipſius nobis offert, poſtquàm acquiſivit eam laboribus ſuis, & victoriis ſuis, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, Radix David* n. [n Apoc. 5, 5.] Et, *Catulus leonis domui Iuda* o. [o Oſee. 5, 14.] Obſervant Naturales, quòd dormiente leone in navi, ſtatim tempeſtas ſuſcitatur in mari, nec priùs ſedatur quàm leo evigilet: nonne tres dies, quibus myſticus *Leo de tribu Iuda* manſit in ſepulchro, fuerunt ſomnus? *Ego dormivi, & ſoporatus ſum* p. [p Pſ. 3, 6.] Et ecce confeſtim navis familiæ ejus tempeſtate concutitur. Incredulitate cietur Thomas, *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus: non credam* q. [q Joan. 20, 24. & 25.] In deſperationem reſurrectionis ejus labuntur *ecce duo ex illis*, qui *ibant ipſâ die in caſtellum quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus, Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quòd hæc facta ſunt* r. [r Luc. 24, 13. & 21.] Quænam tempeſtas! ſed confeſtim ac *Leo* ſuſcitatus eſt per reſurrectionem, *Et exurrexi* ſ: [ſ Pſ. 3, 6.] tempeſtas ſedatur, & pax ei ſuccedit, *Pax vobis: ego ſum, nolite timere.*

Palma eſt ſymbolum concordiæ: hæc enim arbor ſic eſt amica ſocietatis, ut ſola nullum poſſit fructum ferre. Ideò Hiſtorici referunt aliàs fuiſſe duas palmas, unam Hydrunti, alteram verò Brunduſii, quæ nullum unquam fructum produxerant, donec ſuos ita elevaverunt ramos, ut ſe invicem intueri poſſent, hoc mutuo aſpectu ſuam à ſe abdicantes ſterilitatem: idem dicendum eſt de pace, & de charitate: ſine illa enim nullus eſt fructus vitæ, *Qui non diligit, manet in morte* t. [t 1. Ioan. 3, 14.] Et, *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis* u. [u Coloſſ. 3, 14.] Palma igitur eſt ſymbolum pacis, unionis, & charitatis Chriſtianæ inter fideles, quam admirantes Gentiles in illis, dicebant ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis, *Ecce quomodo diligunt ſe.*

Omne genus bonorum invenitur ſub hac palma pacis; præ omnibus autem oliva, quæ repræſentat etiam nobis unionem & pacem cum Deo, quam obtinere non poſſumus, niſi illam priùs habeamus inter nos, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum* x. [x Matt. 5, 24. & 25.] Ita ut oliva unionis per gratiam cum Jeſu Chriſto non poſſit creſcere niſi ſub umbra palmæ, id eſt, amoris mutui. In cujus figuram, *Noë dimiſit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Intellexit ergo Noe, quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram* y. [y Gen. 8, 6. &c.] Id eſt, quòd feciſſet Deus pacem cum hominibus, quos ſibi recõciliaſſet. *Noë emiſit columbam* puram & ſimplicem: & *Ieſus tradidit ſpiritum* z. [z Joan. 19, 30.] id eſt, animam ſuam ſanctiſſimam. *Aperiens Noë feneſtram arcæ, dimiſit columbã ex arca*, quæ exivit ex eadem feneſtra; columba autem animæ ſanctiſſimæ egreſſa eſt ex ore Jeſu Chriſti, & iſta, æquè ac illa reverſa eſt: *Illa venit ad eum*, id eſt, ad Noë, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Hæc autem columba animæ reunitæ corpori ſuo ſeſe denuò intuendam Collegio exhibuit Apoſtolico, præ ſe ferens ſymbolum pacis, *Stetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis.* Poſtquàm ceſſaverunt *aquæ* dilovii paſſionis ipſius *ſuper terram.* Et quia ex oliva producitur oleum, quo unguntur Sacerdotes, *Oleum unctionis fundet ſuper caput ejus, atq; hoc ritu conſecrabitur* a: [a Exod. 29, 7.] ideò hæc arbor repræſentat nobis religionem, & cultum Divinum. Arbor pacis, quæ fructu ſuo fovet religionem

onem ; cùm nihil citiùs deſtruat cultum Dei, quàm diſcordiæ. *O pax Eremitarum mater, Cœnobitarum pater, Mendicorum ſoror! Tu Patriarcharum vinculum, tu Prophetarum vehiculum, tu Apoſtolorum refugium, tu Martyrum ſolatium, tu Confeſſorum baltheum, tu Virginum tripudium, tu Viduarum ſpeculum, tu Conjugatorum ſpectaculum, tu malorum præſidium. O pax Dei ædificium! Te non poſſunt deſtruere Principum fulmina, inſultus dæmonum te in nullo lædere poſſunt. Tu pauperem divitem facis, tu divitem mendicantem perducis, tu contenta in cunctis, tu ditior univerſis, tu homines Dei filios facis. O pax ſine te Reges non regunt, ſine te Regna non valent! Nunquid ſine te jejunia, orationes, eleemoſyna, cæteraque bona nobis prodeſſe poſſunt? Abſit*, exclamat S. Auguſtinus *b*.

b S. Aug. ſerm. 2. ad Fratr. in Eremo.

Propter rationem prædictam noluit Deus ædificandum ſibi templum à Davide, qui erat vir bellicus, quique multum effuderat ſanguinem in frequentibus occurſibus, ſed à filio ejus Salomone qui erat Princeps pacificus: *Dixit David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domũ nomini Domini Dei mei. Sed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Multũ ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me: filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciã enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum: & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur: & pacẽ & otium dabo in Iſraël cunctis diebus vitæ ejus. Ipſe ædificabit domũ nomini meo* c. Sic pax ſtabilit omnia quæ ſpectant veram religionem & cultũ Dei. Propterea Veteres dabant coronam imagini pacis.

c 1. Paral. 22, 7, &c.

Pax & Religio ſunt duæ ſorores germanæ, ex eodem ventre ambæ unico enixu egreſſæ: & quia oliva eſt arbor dicata Deo, & miniſtri ejus conſecrantur oleo; ideò hæc Dominis eſt offerenda Eccleſiaſticis, ut meminerint Evangelii *d*, à quo ipſi vocantur *Lux mundi. Neque accendunt lucernã, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra corã hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Quod fusè ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *e*, *Vos eſtis lux mundi, hoc eſt, Doctores hominum in mundo degentium, quoniã mentes aliorum illuſtrare debetis radio ſapientiæ atq; ſcientiæ, docendo eos quid credendum, quid ſperandum, quid diligendum, quomodo diſcernere debeant inter bonum & malum, inter verum & falſum, inter pretioſum & vile. De talibus Prælatis Dominus loquitur, Dabo vobis Paſtores juxta cor meum: & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ* f. *Ex his conſtat, quòd Paſtor aliorum debeat eſſe actione præcipuus, & contẽplatione ſublimis: imò in utraque vita perfectus, ut valeat gregẽ ſibi commiſſum adinſtar cœleſtis Hierarchiæ, purgare, illuminare, & perficere* g. *Sed heu! multi jã aliorum curam ſuſcipiunt, in quibus non eſt aqua ſapientiæ ſalutaris* h, *nec panis ſanctæ converſationis, qui ſi ſeipſos diligenter attenderent, puto quòd dicerent, Non ſum Medicus, & in domo mea non eſt panis: nolite me conſtituere Principem populi* i. *De talibus loquitur Iſaias, Speculatores cæci, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, & dormientes* k. *Sic luceat lux veſtra, hoc eſt, virtuoſa, ac ſplendida converſatio veſtra coram hominibus; id eſt, in eorum præſentia manifeſtetur, fiat, ac pateat: ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, hoc eſt, ad hoc, ſeu propter hunc finem opera bona coram aliis facite, ut Pater veſter cœleſtis glorificetur, laudetur, & juſtus eſſe noſcatur ab illis, per vitæ veſtræ ſanctitatẽ. Deus namq; per ſervos perverſos inhonoratur, per bonos laudatur, ſecundùm quod Apoſtolus* l *ait quibuſdã, Per vos nomen Domini blaſphematur inter Gentes. Et per Ieremiã* m *ait Dominus, Frequenter commaculaſtis nomen meum ſanctum.* Igitur, ô Domini mei Eccleſiaſtici, *ſint lucernæ ardentes in manibus veſtris* n, inſtar S. Joannis Baptiſtæ, qui *erat lucerna ardens, & lucens* o. Non ſolùm debetis eſſe ardentes probitate vitæ, ſed etiam lucentes doctrinâ; ut non tantùm fideles ardoribus veſtris inflammetis, ſed etiam ſplendoribus ſcientiæ veſtræ illos illuminetis: propterea offero vobis oleum, quod utcumque in vobis fovebit, *Pax vobis*. Sed non eſt omittendus ſtatus ſæcularis. Videamus igitur iſtam pacem in regimine politiæ.

d Matt. 5, 15, &c.

e Dion. Carthuſ. in Matt. 5, 15, &c.

f Jer. 3, 15

g ex S. Dion. l. de Cœleſt. Hier. c. 3.

h ex Eccl. 15, 3.

i ex Iſa. 3, 7.

k ex Iſa. 56, 10.

l ex Rom. 2, 24

m ex Jer. 34, 16.

n Luc. 12, 35.

o Joan. 5, 35.

II. Pars.

Inclinationes benè ordinatæ naturæ debent dirigere actiones hominis, ſi velimus eas exigere ad juſtam regulam intelligentiæ incapacis erroris: & ſecundùm hanc maximam ſtatus politici, edocturus vos eximiam methodum cuſtodiendæ pacis in politia veſtra, nullam aliam volo niſi politiam quæ conſervat concordiam in mundo elementari. Creaturæ quæ conſtituunt hunc mundum viſibilem, ſunt inſenſibiles in ſua natura: videntur ipſæ tamen agi ſenſu, & duci zelo intuitu boni publici. Hæc eſt quædam ſpecies amoris connectentis contrarietates, conciliatas inducentis eas ad fraternitatem, eaſque cuſtodientis in bona & perfecta pace. Quælibet iſtius mundi pars per qualitates ſuo eſſe proprias determinatur ad finem ſuum, quò ipſa aſpirat jugiter ut ad ſuæ terminum perfectionis. Ignis levitate ſua alia pertranſit media elementa ut ad ſphæram ſuam ſurſum ſe uſque elevet: lapis gravitate ſuâ in terram vergit uſque ad centrum: ſed potentiore inclinatione eædem creaturæ obliviſcuntur aliquo modo bonitatum ſpecialium naturæ ſuæ, ut procurent bonum univerſi orbis cum inſigni propriæ perfectionis diſpendio. Ignis deſcendet è ſphæra ſua: aqua deſeret ſinum humidum fluvii ſui, & cubile quietis ſuæ: lapis ſe diſſolvet è montibus, & reaſcendet è centro ſuo, ſi iſtorum omnium motus extraordinarii, & extravagantes impetus ſint neceſſarii ad cuſtodiendam communitatem mundi elementaris. Senſibilem veritatis iſtius notitiam quotidianæ nobis imprimunt experientiæ. Fodite, ſi placet, terram; aër confeſtim deſcendit, renuncians levitati ſuæ, & amori boni ſui naturalis: attrahite aërem Hydraulo; aqua confeſtim aſcendit, adhærens huic infirmæ ſubſtantiæ, & ſuæ gravitatis obliviſcitur naturalis, ut ſequatur elementum vicinum. Quale glutinum hæc ſic ſtrictè unit elementa ut diſſolvi nequeant ab invicem? Sanè amor boni publici, zelus impediendi vacui, quod adverſaretur bonæ politiæ totius univerſi. Suum non intuentur commodum, nec motus ſui naturalis diſpendium, cùm agitur de bono communi, & ſua omnia exponunt & adducunt in periculum priuſquàm videant communitatem minimâ vel deordinatione alterari.

Hoc exemplo poſſemus operire confuſionẽ Politicos noſtri temporis, qui ſola quærunt ſua commoda in domibus publicis; unuſquiſque ibi primas ambit ſedes, & aucupatur regimen negotiorum, aut propter utilitatem rei ſuæ familiaris & domeſticæ augendæ, aut ob honorem perſonæ ſuæ. Suas non conformant actiones ad praxim creaturarum, quæ eſt politia Divinæ

p Sap. 8, 1. Providentiæ, quæ *attingit à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* p. Sed adhærent maximæ ſtatuum malè moratorum, quæ juxta
q Philip. 2, 21. S. Paulum *q*, eſt principium omnis deordinationis, *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt IESV Chriſti*. Semetipſos intuendos exhibent ſolicitos de dirigendis negotiis communitatis ſpecioſo prætextu coloratis, æquè ac zelo apparenti boni publici: ſed profectò directio hæc eſt proditio ſecreta, & perfidia intolerabilis. Bonus civis vitæ propriæ jacturam debet incurrere propter patriam ſuam: vos verò profligatis bonum patriæ ob exiguum commodum. Validis eiemor inclinationibus, quæ nos ad iſtud obſtringunt officium: ſi enim brachium ſeſe adducit in diſcrimen ad tuendum caput, ſi pars non recuſat conſumi, & reſecari ad conſervandum totum; minori non debemus duci ſenſu, inclinatione, & affectu naturali cuſtodiendi boni cõmunitatis in diſpendium commodorum noſtrorum: ſed fraudamus iſtas bonas impreſſiones naturæ intuitu philautiæ, ſeu amoris proprii, qui eſt cauſa totius deordinationis. Vultisne igitur ritè dirigere politiam veſtram? Habeamus cives qui devorent intuitum proprii commodi ob zelum boni publici, qui dicere poſſint Deo cum
r Pſ. 68, 10. Davide r, *Zelus domûs tuæ comedit me*. Intueamur negotia communitatis ſicut res ipſas Jeſu Chriſti: ipſæmet enim ſunt res pauperum qui habent Tutorem Jeſum Chriſtum; vos autem, Domini mei Magiſtratus, non eſtis niſi miniſtri Providentiæ ejus, negotiorum ab ipſa vobis cõmiſſorum præſidem agentis. Præfertote igitur id quod eſt Jeſu Chriſti, bono particulari, quod ſpectat vos, & JESUS Chriſtus veſtris præſidebit conſiliis, ſtabit *in medio* ſolemnium conventuum veſtrorum, benedicet actionibus veſtris, & pacem tribuet politiæ veſtræ, dicens, *Pax vobis*. Si verò diviſi litis inter vos, unusquisque ſuũ intuebitur commodum, ille trahet in unam partem, & iſte ad alteram, civitas veſtra deordinabitur, & pace ab illa eliminatâ, diabolus in ea præſidebit ut Princeps diviſionis.

Sed cùm conſulamus bono pacis, nolo omittere conſilium à Philoſophis nobis ſubminiſtratum. Multùm cooperantur cœli ad pacificanda elementa emanatione virtutis ita ſuavis, ut videatur inſenſibilis in actu ſuo, & non ſit cognita niſi in effectibus ſuis. Si liceret mihi per otium, facerem vos contemplari in cœlis ut in perfecto ſpeculo imaginem veri Politici, & perfecti Magiſtratûs. Situs eminens gradus veſtri notat eminentiam virtutis illorum; debet ille reſpondere dignitati, ut videmus regulariter obſervari in diſpoſitione cœlorum: excelſiſſimi ſunt, nobiliſſimi, & perfectiſſimi. Lux quæ penetrat illos, & ab illorum ſphæris ad mundum uſque diffunditur illuminandum, nonne eſt bonum
ſ Joan. 5, 35. exemplum ut *lucerna ardens & lucens* ſ inter manus Magiſtratuum, qui ſunt Domini politiæ, quæ dirigit totum populum, qui ordinariè ſe cõformat ad id quod videt agi? ut dicitur,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Cœli ſecretas habent virtutes ut benefaciant omnibus creaturis, & jugiter gyrant ut eis gratificentur influentiis ſuis: viri autem nobilitate, aut dignitate ſublimes debent habere præ manibus ſemen beneficiorum, quibus unumquemque ſibi devinciant; motus actionum ordinariarum illorum ad nullum alium tendere debet terminum niſi ad benefaciendum omnibus: œconomia arcuum iſtorum ſtellatorum non eſt minùs admirabilis, quàm liberalis communicatio virtutis ipſorum eſt abundans: ſuas enim iſta cœli communicant influentias ut operentur juxta captum ſubjectorum differentium; emolliunt, & indurant ſecundùm materiã quæ recipit ipſorum virtutem: ſic ipſa eſt prudentia, quæ juxta circunſtantiã negotiorum & perſonarum, dat conſilia & media iiſdem negotiis pertractandis accõmoda, æquè ac opportuna; operatur omnia præ efficacia & dulcedine, non ſecus
t Sap 7, 24. ac Divina *Sapientia* t, quæ *attingit à fine uſq; ad fi-*
u Sap. 8, 1. *nẽ fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* u. Hæc eſt prima qualitas, quæ emicare debet in Magiſtratu.

Sed hallucinor: pietas enim prævalere debet prudentiæ: majoris debet ſemper æſtimari ratio ſuperior, quæ cõſulit ſecundùm leges Dei, quam ratio inferior prudentiæ humanæ, quæ ſequitur maximas ſimplicis politiæ. Pietas diſponit conſilia prioris ordinis: prudentia vero conſilia poſterioris. Ut autem iſtã inveniamus veritatem
x Pſ. 32, 6. pictã in cryſtallo cœlorum, Pſalmiſta x nobis aſſerit, quòd *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Ego verò dico viros publicos debere eſſe præditos hoc Spiritu, quem præbuit Deus aliàs Moyſi, & ſeptuaginta arbitris conſilii ipſius, *Dixit Dominus ad Moyſen, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac Magiſtri: & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris* y.
y Num. 11, 16, & 17. Hunc autem Spiritum inſufflat hodie Chriſtus in faciem Apoſtolorum ſuorum, ut tradat illis ſpiritum benè regendi populi fidelis, *Inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum S.* z. Iſte favor in-
z Joan. 20, 22. ſeparabilis eſt à pietate, cùm Chriſtus polliceatur omnes virtuoſos ducendos eſſe ab hoc Spi-
a Jo. 16, 13. ritu, *Spiritus veritatis docebit vos omnẽ veritatem* a. Si viri Conſulares ſequantur impreſſionem hujus Motoris, actionum politicarum motus erit perfectus, ſicut ſucceſſus regiminis erit feliciſſimus. Sed non ſunt deſerendi cœli quin ibi videamus Solem: ſic ego deſidero ut Magiſtratus habeant Jeſum Chriſtum ut regiminis ſui Prototypon, *Stetit Ieſus in medio eorum, Videte manus, & pedes* ejus, Domini mei Magiſtratus, quomodo vos amanter invitant ad obliviſcendum quietis veſtræ, & ad impendendos labores veſtros in curandos orphanos, & ad protegendas viduas; ſua inter debita computat actiones veſtras, & intuitu probitatis veſtræ, toti anno Cõſulatûs veſtri pacem impertietur, dicens, *Pax vobis: ego ſum*.

Totus populus deſiderat habere bonos Magiſtratus; Magiſtratus autem concupiſcunt habere populum conſiliis ſuis benè ſubditum, ſicut elementa ſequuntur impreſſionem ſibi datam à motibus cœlorum. Hoc eſt documentum in gratiã populi, quod diſco ſemper in ſchola naturæ ad dandam illis legem. Populus ſui directionem tradere debet Magiſtratibus, illiſque obedire, nedum judicare de illorum actionibus præſumat. Res inaudita! nemo eſt in populo, qui, juxta ſenſum ſuum, non ſit ſatis induſtrius ad reſcindenda conſilia publica, ad contradicendum judiciis alienis, & ad proponenda media formata ad nutum capitis ſui. Veſtrûm non eſt opinari; quando commiſſa vobis fuerint negotia, de iis ſententiam veſtrã feretis tantâ libertate, quantam præ vobis nunc fertis præſumptionẽ de illis appoſitè ſentiendi. Hæc autem praxis ſum-

by Google

ſumpta è naturâ, cuſtodire debet pacem in politiâ veſtrâ: ſi enim ſitis in bona pace, ſtabit *Ieſus in medio* ſicut anima iſtius ſpecioſi corporis, & dicet, *Pax vobis: ego ſum, nolite timere.*

Hæc monita ſunt proficua, & exercitium horum conſiliorum, quæ natura nobis præbet, erit utiliſſimum ad ſtabiliendam pacem, eamque perpetuandam in politiâ veſtrâ. Fatendum tamen eſt, quòd pax ſit donum Dei. Iſtud ſalutare
b Pſ. 121. 6, & 7 provìdet nobis Pſalmiſta *b* conſilium, *Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis.* Quaſi diceret, Jeroſolymitanorum affectus ita diſſonant inter ſe, ut nulla ſit unquam futura inter illos pax, niſi illam, Deus, iis præbueris: Politia prudentiæ humanæ non eſt inutilis; quin imò illius ordinationes multùm conducunt ad cuſtodiendam pacem; ſed dicam etiam, quòd vel maximè induſtrii in hoc officio, deficiunt in principali, nec unquam felicem ſortiuntur fortunatæ pacis effectum, niſi virtus tua, Domine, iſtam ſtillaverit ſerenitatem. Deſumam igitur, Salvator adorande, ex officinâ vulnerum tuorum, ſacrum depoſitum pacis, quam relinquere debeo populo N. præ zelo ſpeciali ſalutis æquè ac proſperitatis eorum, quin ducor.

Ordinarium eſt Concionatoribus ut ſuis munus offerant Auditoribus in diſceſſu ſuo. Sed quid expectatis, Auditores, à mendicante? Ivi emendicatum aliquid dignum quod poſſem vobis præſentare, auxilium adhibui Seraphici Patris mei S. Franciſci, & ſicut illi exhibebam impotentiam meam ad perfungendum hoc munere conſueto, reſpondit mihi ut dicerem vobis
m S.P.N. F. Regul. c. 3. & Luc. 10. 5 id, quod ipſe nobis ſuadet in Regula ſua *m* poſt S. Lucam, *Pax huic domui.* Et in Teſtamento ſuo *n*,
n S.P.N. F. in Teſtament. *Dominus det tibi pacem.* Ipſe vult ut Fratres ſui hâc ſolvant pecuniâ felicis pacis benefactoribus ſuis bona ab illis ſuſcepta. Pulſavi oſtium Evangelii currentis, quo aperto, invêni quòd ſtaret *Ieſus in medio* Apoſtolorum ſuorum, & proſternens me ante pedes ejus, copioſam expectabam ab eo mihi erogandam eleemoſynam: humiliter & inſtanter ab illo ſupplex efflagitavi aliquam gratiam, quâ veſtris ſatisfacerem expectationibus; & ſolam ſuſcepi pacem. dixit enim mihi, ſicut Apoſtolis, *Pax vobis: ego ſum.* Id eſt, qui tibi illam præbeo. Sic eſt: Apoſtoli non habent pignus pretioſius pace: hæc eſt ſalus, & ſigillum literarum illorum. *De cætero, Fratres, pacem habete, &*
o 2. Cor. 13. 11 *Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum* *o*. *Gratia vo-*
p 2. Petr. 1. 2 *bis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri* *p*. *Fructus autem juſtitiæ, in pace*
q Jacob. 3. 18 *ſeminatur, facientibus pacem* *q*. *Pax tibi* *r*. *Miſe-*
r 3. Joan. v. 14 *ricordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur* *ſ*. Ipſa eſt totum eorum deſiderium, & totum meritum
ſ Judæ v. 2 Salvatoris mei. Iſtud ſuſcipieris munus tanto affectu, quantum ego inſumam ad exorandum Deum ut ſuam largiatur vobis pacem. Pax eſt theſauraria mundi, *Amalthea cornu, idem quod co-*
t Calepin. in Diction. v. Amalthea. *piæ cornu* *t*. Eò quòd ſit ſemper abundans. Pax eſt anima Rerumpublicarum, cùm ea ibi regnat, populi ſunt felices. Pax noſtrarum eſt paradiſus animarum, ſine eâ verò inordinatio inquietudinum in iis incipit infernum. Pax eſt gloria Beatorum, quæ conſummatur in pacifica viſione
u Iſai. 32. 18 Dei, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* *u*. Eſt igitur omnia tribuere ac pacem dare, cùm in pace habeamus univerſa bona.

Moyſes ultimùm valedicturus filiis Iſraël, cùm diſponebat ſe ad extremum vitæ ſuæ agonem peragendum, munus voluit illis offerre: ſed non eſt auſus offerre illis pacem, ſed ſatis ipſi viſum fuit ſi relinqueret illis librum Legis ut vindicem, qui pœnas ab illis expeteret de ipſorum rebellionibus. *Poſtquàm ergo ſcripſit Moyſes verba Legis in volumine, atque complevit, præcepit Levitis qui portabant Arcam Fœderis Domini, dicens, Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei veſtri: ut ſit ibi contra te in teſtimonium. Ego enim ſcio contentionem tuam, & cervicem tuam duriſſimam. Adhuc vivente me, & ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſè egiſtis contra Dominum: quantò magis cùm mortuus fuero* *x*. A vobis diſce- *x* Deut. 31. 24. &c
do præ majori ſpe derelinquendi vos in bonâ pace: certus ſum quòd ſuſcipietis illam ex toto corde veſtro, & quòd eam inviolatâ cuſtodietis fidelitate, cùm procedat illa è Seraphico Patre meo S. Franciſco, imò, quod magis eſt, à noſtro Redemptore; uterque præcipit mihi ut diſcedens à vobis, dicam ſingulis vobis, *Dominus det tibi pacem. Pax vobis.* Hoc eſt conſilium Teſtamenti Seraphici Patris mei S. Franciſci, & Evangelii Jeſu Chriſti, & beneficium quod ab illo hodierna die ſuſcipio vobis diſtribuendum. Adhibebo tamen prudentiam ordinariam, & politiam Magnatum. Leges condunt iſti ad cuſtodiendam pacem, puniunt rebelles, & honorant pacificos: non agam ego Principem, ut ſtatuam leges, ſed exhibebo me præconem illius, qui eſt *Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati* *y* ejus, ut an- *y* Eſth. 13. 11
nunciem vobis leges ab eo conditas. Ecce codex rationarius decretorum ejus: Deus præcipit mihi ut ea publicem, ut præcepit aliàs Moyſi, &
Levitis *z*. *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut fa-* *z* Deut. 27. 14. &c
cias atque cuſtodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te univerſæ benedictiones, & apprehendent te: ſi tamen præcepta ejus audieris. Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata ejus & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones, & apprehendent te *a*. Huic vale Mo- *a* Deut. 28. 1. &c
ſaico conformari debet vale Evangelicum. Ecce ſalutationes Apoſtolorum in ingreſſu ſuo, & illorum vale in exitu ſuo apud S. Matthæum *b*. *In-* *b* Matth. 10. 12. &c
trantes in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. Iſtud à longo tempore concepi deſiderium, ſpero quòd virtus divina illud re verâ confirmabit. *Pax huic domui.* Non me latet tamen, quòd poſt diſceſſum meum, fœneratores denuò quietem interturbabunt publicam, & omnes peccatores redeuntes ad vitia ſua priſtina, indignos ſe pace reddent. Ecce igitur portio rebellium, fœneratorum, &c. *Et quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Non reſpiratur à vobis niſi pulvis, &c. totas vires meas exhauſi, & tamen non ſuſcipitis verbum Dei. *Excutite pulverem.* Ecce vindicta. Oculus clauditis veritati, ecce pulvis qui vos excæcabit juſto zelo juſtitiæ. Veſtram cogitatis *ſta-*
bilire *c* fortunam injuſtitiis veſtris, &c. Deus ve- *c* Pſ. 10. 18
rò præcipit mihi ut excutiam *pulverem* ſimilem divitiis veſtris, *Tanquam pulvis, quem projicit ven-*
tus à facie terræ *d*. *d* Pſ. 1. 4

Appare Domine ſuper horizontem iſtius Auditorii, *Manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, &*
Manaſſe *e*. Ut agnoſcas ex beneficiis pacis tuæ, *e* Pſ. 79. 2
meritum eorum, qui fructum referent è verbo
tuo, ſicut *Ephraim* *f*. Id eſt, *Frugifer, Creſcens.* Il- *f* Gen. 41. 52

 lorum

g Gen.35.18 lorum qui,ſicut *Benjamin* dextræ g filii erunt. Et eorũ qui libenter obliviſcuntur injuriarũ, um

h Gen.41.51 ſint pacifici, ut *Manaſſes* h. Id eſt, *Oblitum, Oblivio*. Illis ego polliceor donum pacis tuæ. Appare Domine: hoc enim debet eſſe effectum influentiarum tuarum, illud ſuſcipiemus è manibus tuis, *Manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe*. Ecce igitur Theſaurum cœli & terræ, en officinam pacis, *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* i. Huncegn fideliter diſtribuam, ut unus-

i 1.Cor.2.2 quiſque cum hoc munere ſuſcipiat memoriale & effectum pacis.

Vobis igitur, Domini mei Sacerdotes, offero

k Joan.19.18. &c Crucifixi k caput, quod influit ſuper cætera membra: vos verò influere debetis ſuper omnes animas. Vobis, Domini mei Magiſtrâtus, duplex diadema, ut, ſi habetis honorem, ſuſtineatis etiã laborem. Vobis, Dñi mei Nobiles, pectꝰ, ut reſpiretis gloriam Dei. Vobis, homines tertij ſtatus, manus ad laborandum. Vobis, ruſtici, pedes, ut ſitis ſubditi. Vobis, virgines, *Titulum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Ut habeatis Jeſum pro Sponſo, Nazarenum pro ſerto, Regnum Dei pro dote, & confeſſionem pro gloriâ. Vobis, Viduæ, *latus* apertum, ut in illo lateatis. Vobis autem, Conjugati, clavos, ut compatiamini vobis adinvicem, juxta monitum Apoſtoli l ſuadentis, l Galat.6.2

Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis Legem Chriſti. Ego verò reſervo mihi Crucem, ut in eâ moriar cum Domino meo, *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam* m. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis* n. Iſtâ ſpe fultus, dabo vobis pacem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. m Pſ.4.9 n Pſ.67.29

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Act.5. 41.

Vix repræſentare poſſunt pictores in tabellis ſuis corpus glorioſum, cujus lumen nullam præ ſe fert umbram, & directè adverſatur huic artis regulæ, quæ præſcribit, quòd fieri non poſſunt præclari dies abſque obſcuritate: ſed nedum æquo juſtiùs anxiemur poſt colores, ſi videre velimus eximiam illius imaginem, ſufficit ut noſtros projiciamus oculos ſuper S. Marcum afflictum propter gloriam Dei: ipſe eſt jam veluti transfiguratus ad imitationem Domini ſui, & oſtendit inuſitato miraculo & gloriam mon-

a Matth.17.1 ris Thabor, in quo *transfiguratus eſt* a Dominus ſuus, & dolores montis *Calvariæ*, *ubi crucifixerunt*

b Joan.19.17.&18 *eum* b, id eſt, eundem Salvatorem milites Pilati ad inſtantiam Judæorum. Ipſe eſt viator & veluti comprehenſor ſimul: ipſe fruitur prærogativis cœli & favoribus paradiſi, licèt adhuc in terrâ

c Pſ.38.18 dicere poſſit cum Davide c, Deum alloquens, *Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei*. Seu, juxta Dionyſium Carthuſia-

d Dion. Carth. in hunc locum. num d, *Advena ego ſum apud te, hoc eſt, viator, & de exilio ad patriam veniens. Et peregrinus ſicut omnes Patres mei, hoc eſt, ſicut omnes Sancti defuncti erant in hoc mundo peregrini non habentes hic locum*

e ex Hebr.13.14.& ex Mich.2.10 *manentem* e, *aut patriam finaliter conceptam: ſic & ego peregrinus ſum coram te, quoniam aliam vitam & patriam credo ſpero, imò & quæro*. Gaudet ipſe privilegiis Empyrei, quàmvis adhuc in terrâ poſitus, ſicut B. Virgo plenitudine gratiæ, quemadmodum ſignificant hæc verba Angeli, *Ave Maria*.

Quæritur, quare *Deus dixit ad Noë, Fac tibi ar-*

f Gen.6.12.&c *cam de lignis levigatis* f, ut ſalvaretur ipſe in eâ cum tota familia ſua, ſicut re verâ cùm *factum eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram: & delevit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli: & deleta ſunt de terrâ: remanſit ſolus Noë, & qui*

g Gen.7.17.&c *cum eo erant in arca* g: & non præcepit ei è con-

h Gen.8.4 trà ut ædificaret turrim *ſuper montes Armeniæ* h.

i Cornel. in Gen.8.4 Nam, ſicut ait Cornelius i, *Si etiam Hebræum ſpectes, Armenia ſignificat altam & excelſam. Eſt enim Armenia omnium orbis partium celſiſſima, idque vel ex eo colligitur, quòd in montibus Armeniæ primùm, decreſcente diluvio arca reſederit*. In qua turri, ſicut videtur, ipſe fuiſſet ſecurior adversùs tempeſtates. Et reſpondetur ad hoc quæſitum, quòd Deus non vult ut amici ſui ducant vitam ſic ſecuram & plenam quiete: proptereà voluit ut Noë qui erat ex amicis ſuis (*Noë vir Iuſtus atque perfectus*

k Gen.6.9 *fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* k) fluctuaret in medio tempeſtatum quandiu *arca*

l Gen.7.18 *ferebatur ſuper aquas* l, vivens ſemper in timore, jugiter habens præ oculis imaginem mortis, totam ſuam fiduciam collocans in Deo & in ipſius providentiâ. Sic ſuum *præcepit Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ, ſcyphum argenteum in ore ſacci ju-*

m Gen.44.1.& 2. *niorũ* m fratris ſui Benjamin ponendum. Ut nimirum revocaret eum domum ſuam, ſicut do-

n S. Ambr. lib. de Joſeph. c.11 cet S. Ambroſius n. Sic Deus affligit eos, quos vocat *amicos* o ſuos, faciens eos bibere in cali-

o Jo.15.15 ce ſuæ paſſionis, de quo ipſemet *dixit Petro, Cali-*

p Jo.18.11 *cem quem dedit mihi Pater, non bibam illum* p? Ut ſcilicet eos trahat ad ſe: afflictiones ſunt lenocinia quibus ipſe utitur ut illos ſibi conciliet: *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. S. Marcus perſecutionem patiens propter juſtitiam, jam fruitur felicitate, ſecundùm illud

q Matth.5.10 effatum Evangelicum apud S. Matthæum q ab ipſomet Salvatore pronunciatum, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum*. Quod inducit me ad oſtendendum vobis, quòd illi, qui perſecutiones ſuſtinent, ſunt Beati alterati ſeu transfigurati, quia in tormentis perſecutionis fruuntur aliquo modo felicitâte, quam Sancti guſtant in cœlo: imò verò adeſt ibi Deus, qui eos beatificat, ſocium ſe illis adhibens. Afflictiones igitur Pri- Diviſio

mò reddunt homines beatos. Secundò, Sunt iter ad cœlum En tota leges diſcurſus iſtius.

Suppono id quod docet nos S. Thomas r, *Non*

r S.Thom. 1. Part. q.3.a.3.in corp. *poteſt quis in hac vita perfectam conſequi beatitudinem, quæ in divina Eſſentia viſione perficitur*. Atqui hoc modo vocamus eos qui perſecutionem ſuſtinent, beatos: juxta quem modum proſequitur immediatè pòſt idem Doctor Angelicus, dicens, *Quòd aliqualis beatitudinis participatio in hac vita haberi poteſt: perfecta autem & vera beatitudo non poteſt haberi in hac vita*. Sicut perſecutio nos reddat beatos, quantùm in corpore mortali adhuc poſiti, poſſumus eſſe capaces beatitudinis. Ut autem

autem ritè concipiamus iſtam veritatem, ſciendum eſt, quòd ſunt tria dona, quibus gaudent Beati ad ſuæ cœleſtis felicitatis implementum, nimirum, viſio, amor, & fruitio, ſicut apud ſanctum Joannem ſ *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, hac eſt vita aterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et apud Dionyſium Carthuſianum t, *Hac eſt vita aterna, id eſt, vera atque cœleſtis felicitas conſiſtit in hoc, ut cognoſcant clarè per ſpeciem, quod Apoſtolus u dicit, facie ad faciem, te Patrem, ſolum Deum verum, qui es Deus verus, præter quem non eſt alius Deus x, ita quòd dictio illa excluſiva ſolum, determinat Deum, excludens omnem aliam Deitatem. quoniam non eſt Deitas præter eam quæ eſt in Patre, & Pater, quæ eadem numero eſt in tribus perſonis, quæ ſunt unus ſolus verus Deus: utque hoc modo unaquæque earum ſolus Deus verus. Sic ergo cognoſcant te, & item quem miſiſti Ieſum Chriſtum, id eſt, in claro & fruitivo aſpectu Patris & Filii ſecundùm ejus Divinitatem, haud dubium quin & Spiritus ſancti, beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita eſt Trinitas namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum objectum omnium Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſius humanitatem, beatitudo conſiſtit, quantùm ad præmium accidentale, & ex conſequenti, vel ſecundariò. Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac primæ Veritatis clara & immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa felicitas: tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt: Hinc dicit Auguſtinus y, quòd viſio eſt tota merces. In quâ utique Ioannes z noſtram deiformem, & ſummam perfectionem, & per conſequentem veram felicitatem conſtituit, dicens. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Præterea. Omnes Sancti, Dei viſionem quaſi ſummum finalemq; bonum deſideraverunt. Hinc Moyſes a Domino loquens. Si inveni (inquit) gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te. Et Pſalmiſta b, Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Viſio correſpondet fidei, ut patet ex præfatis verbis eductis è S. Auguſtino. Perfectio iſtius amoris, qui Sanctos inflammat in cœlo, reſpondet illi amori, quem in corde habuerunt in iſto mundo. Et fruitio reſpondet ſpei.

ſ Joan. 17.1. &c
t Dion. Carth. art. 41. in Joan. 17.3
u 1. Cor. 13.12
x ex Deut. 32.39
y ex S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8
z 1. Joan. 3.2
a Exod. 33.13
b Pſ. 79.4. & 8

Incipiamus à ſublimiſſimo dono, quod eſt viſio, ſaltem ſecundùm S. Thomam c dicentem, *Principaliùs bonum eſt ipſa viſio in beatitudine.* Illi qui patiuntur tormenta perſecutionis, fruuntur hoc dono in medio afflictionum & ſuppliciorum, quia ſacram Dei vident majeſtatem. Huic veritati teſtimonium perhibebit Job, qui afflictionibus imperitus immodicis, quippe quem *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio: Dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere* d: in medio perſecutionum Deum alloquens, dicebat ei, *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te* e. Quaſi ei diceret, Domine, quandiu non eram perſecutionibus examinatus, non cognoſcebam te niſi fide, *Auditu auris audivi te nunc autem oculus meus videt te,* cùm experior me oppreſſum malis, & gementem ſub onere afflictionum. Euſebius Cæſarienſis f ait, quòd Job Deum facie ad faciem viderit. *Quî autem fieri poteſt, ut ſupremum Deum & eum qui eſt ultra omnia, immutabilem utique & ingenitam Eſſentiam g, anima induta corpore, & oculis mortalium*

c S. Thomas 1.2. q. 4. a. 2. in corp.
d Job 2.7. &c.
e Job 42.5
f Euſeb. Cæſar. l. 5. de Demonſtrat. Evang. c. 10

intuiti ſunt, niſi planè hoc etiam loco, egredi de propriâ magnitudine Dei Verbum ipſum, qui Dominus eſſe, variis demonſtratur modis, eoq; modo exhibere ſe videndum dixerimus? Hæc ſanè meritò, poſt magnam tentationem, poſtq; magnum certamen, quod ſuſtinuit. Sicut ille qui ſuſtinet afflictiones & perſecutiones in hoc mundo, fruatur viſione Dei, quam Beati poſſident in cœlo. Secundum locum educo ex Actibus Apoſtolorum h, S Stephanus in martyrio ſuo *cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlū, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantē à dextris Dei. Et ait, Ecce video cœlos apertos, & Filiū hominis ſtantē à dextris Dei.* S Maximus i ait, quòd tūc fruitus eſt præſentiâ Dei, *Pulchrè Scriptura divina Filium hominis ad dexteram Dei Patris ſtare memoravit, ut ad confundendam Iudæorum incredulitatem illi Martyri oſtenderetur in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo.* Et alibi k ipſe idem aſſerit, ſicut & S Auguſtinus l. Eadem Scriptura m loquens de Patriarcha Jacob, dicit, *Iacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi, Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Iſaac. Cùmq; evigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pavensq;, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Sed cur iſte Patriarcha, cùm evigilavit, non eſt fruitus eodem privilegio, quo cumulatus fuerat inter dormiendum? Ratio iſtius eſt, Quia iſtud acciderat ipſi in quiete ſuâ: credere autem videre Deum in dulcedine quietis in iſto mundo, eſt ſomnium, & imaginatio. Deus non videtur niſi inter afflictiones, & non inter quietem. Re autem verâ cùm *ecce vir luctabatur cum eo uſque manè: ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit, Iacob: At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum. ſed Iſraël vocavit Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem* n. In labore & in luctâ cum Angelo fruitus eſt viſione Dei: propterea vocatus fuit *Iſraël, id eſt, vir videns Deum,* ait Cornelius o poſt multos Patres ex Hebræo. Et, *Phanuel Hebraicè idem eſt, quod facies Dei,* dicit idem Cornelius. Et præfatus Euſebius Cæſarienſis p ait de hoc Patriarchâ: *Iacob vidit Deum non ſimpliciter, ſed facie ad faciem: & cùm ſervatus eſſet, non corpore, ſed animo ad appellationis Iſraël dignitatem aſſumptus eſt. Quæ ſanè appellatio animarum cognominis eſt; ſiquidem ipſum Iſraël nomen ſi interpreteris, videntem Deum ſignificat. Non igitur Patrem Deum vidit, ſed Deum Filium, cujus etiam curioſiùs appellationem quærenti Iacob, nondum erat enunciandi tempus. Hic ipſe, de quo loquimur, & Domini, & Dei appellatione nuncupatur.* Eſt igitur pro comperto, quòd illi qui ſunt afflicti, ſicut Jacob ab Angelo, *qui cùm videret, quod eum ſuperare non poſſet tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit: ipſe verò claudicabat pede:* fruuntur inter labores ſuos primo dono quod Beati poſſident in gloriâ, quod eſt videre Deum, ſicut ait S. Thomas q, *Quòd ultima & perfecta beatitudo non poteſt eſſe niſi in viſione divinæ Eſſentiæ.*

g ex Exod. 3.14
h Act. 7. 55 & 56
i S Maximus Taurin. hom. in natal. Steph.
k Idem hom. 4. de Sepultur. Dom.
l S. Aug. quæſt. 68. ex Nov. Teſtamēt.
m Gen. 28.10. &c
n Gen. 32. 24. &c
o Cornel. in Gen. 32.28. & 30
p Euſeb. Cæſar. l. 5. de Demonſtrat. Evang. c. 10

Quantùm ad ſecundum donum, quod eſt perfectiſſimus amor, ardentiſſima charitas, ut docet idem Doctor Angelicus r, *Rectam voluntatem ſic exigit beatitudo, ut ſine eâ quiſquam beatus eſſe non valeat, & quam quicunque beatus eſt neceſſariè habet:* cujus interventu Beati uniuntur Deo, qui eſt ultimus ipſorum *Finis* ſ: facile eſt probatu, quòd hi habent illius fruitionem. S. Paulus t ſcribens Corinthiis de adverſitatibus ſuis, ait illis, *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in*

q S. Thomas 1.2. q. 3. a. 8. in corp.
r Idem 1.2 q. 4. a. 4. in corp.
ſ Apoc. 1.8
t 2. Cor. 6.4 &c

mul-

multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non fictâ. Litera Græca legit, *in charitate non hypocriticâ.* Charitas, quam Deo exhibemus in proſperitate, ſapit hypocriſim: ſed illa quam ei offerimus in exceſſu & conturbatione afflictionum noſtrarum, eſt vera charitas, & valdè conformis dilectioni cœli. David *u* ſub nomine eorum qui perſecutiones ſuſtinent, ait Deo, *Ure renes meos, & cor meum.* Ad quod conformiter dicit S. Auguſtinus *x* de S. Laurentio, *Duplici ſe poſtulat igne cremari.* Statim ac Deus inflammavit corpora noſtra igne afflictionum, accendit in animabus noſtris flammas perfectæ charitatis: nam, ſicut diximus, amor quo Deum diligimus in maximis proſperitatibus noſtris, oriri poteſt è fictâ hypocriſi, è motivo intuitus privati commodi, ex amore proprio: ſed charitas quâ eum amamus in medio adverſitatum & tribulationum noſtrarum, procedit è puriſſimis & veriſſimis intentionibus noſtris, & valdè ſimilis eſt dilectioni Beatorum.

u Pſ. 25. 2

x S. Aug. ſerm. 1. in Feſt. S. Laurent. qui eſt 80. in Append.

Tertium donum quod adimplet felicitatem Beatorum, & quod eſt in poſſeſſione Sanctorum, eſt fruitio, ſicut docet S. Thomas *y*, *Eſſentia beatitudinis in actu intellectus conſiſtit: ſed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem conſequens, ſecundùm quod Auguſtinus dicit, quòd beatitudo eſt gaudium de veritate: quia ſcilicet ipſum gaudium eſt conſummatio beatitudinis.* Hoc donum conſiſtit in pacificâ fruitione, vel in aliquâ dulcedine ſic excellente, ut nulla ſint verba ſatis ſignificativa ad ritè exprimendam hanc fruitionem divinam. Illi qui patiuntur rigores perſecutionis in iſta vita, fruuntur hoc dono pretioſo, de quo S. Paulus *z* ait, *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ.* Quaſi diceret, Hoc oblectamentum quod educo ex afflictionibus meis, ſic ingens & potens eſt ut non habeam unde voluptates cœleſtes æmulet. Et alibi *a* dicit, *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt.* Propterea Salvator ait, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* b. Poſſident hoc donum virtualiter homines afflicti, in tribulationibus ſuis, nunc eo fruuntur: aliis verò felicitatem pollicetur ipſe duntaxat tempore futuro poſſidendam, *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt* c. S. Paulus *d* hoc totum probat, cùm ait, *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Sed quomodo? quòd id quod eſt amarum, producat dulcedinem? triſtitia gaudium? *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Siſtere non debemus in illis quæ apparent ad extra. Et hoc eſt quod conſolari debet ſervos Dei, cùm tot perſecutiones patiantur; id eſt, propter ſummum bonum, quod educunt vel ex iſtis malis. Quòd ſi Tyranni deficerent, Jeſus Chriſtus ipſemet ſe faceret perſecutorem. Propterea dixit appoſitè Tertullianus e, *Sophia jugulavit filios ſuos* f. *Sophia Sapientia eſt. Sapienter itaque jugulavit, dum in vitam, & rationaliter dum in gloriam. O parricidii ingenium! ô ſceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcircò occidit, ne moriatur quem occiderit!* Vocat Dei Filium Sophiam, Sapientiam Patris, quia perſecutio dirigit ad meliorem vitam, & ad perfectam felicitatem: ideòque dixit Africanus ille Doctor, *O argumentum crudelitatis, quæ idcircò occidit, ne moriatur quem occiderit!* Cùm perimat ut vitam tribuat, ſed vitam æternæ felicitatis. Ecce modus procedendi divinæ Sapientiæ affligendo Juſtus: en effectus ſupremæ Providentiæ.

y S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 4. in corp. citans S. Aug. l. 10. Conf. c. 23

z 2. Cor. 7. 4

a 2. Cor. 1. 3. & 4

b Matth. 5. 10

c Matth. 5. 8

d 2. Cor. 4. 17. & 18

e Tert. in Scorpiac. c. 7

f ex Prov. 9. 1. & 2

Philo *g* loquens de Patriarcha Joſeph, ait, *Ioſeph dat fratribus munera, quaſi vellet benè meritis ſolvere beneficium perſecutionis, ejectionis in ciſternâ, & venditionis* h. Cum interventu perſecutionis eorum ipſe evectus eſſet ad dignitatem Proregis Ægypti i. Mirum non eſt igitur ſi perſecutiones reddunt homines beatos, cùm Deus ipſemet comprehendatur in perſecutionibus, *Cum ipſo ſum in tribulatione* k. Id eſt, per amorem ad patiendum cum eis. Quibus verbis Pſalmiſtæ ſubdit Dionyſius Carthuſianus *l*, *Sicut ſuperiùs inductum eſt, juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. Non ergo formidemus, nec dedignemur tribulationes jugiter ſuſtinere ſi cupimus Deum nobis inceſſanter adeſſe.* Præfatus Philo *n* diſſerens de prædicto Joſeph, dicit, *Pincernarum Princeps oblitus eſt ejus qui futura prædicendo præſentem ejus calamitatem ſublevarat, vel quia nemo ingratus beneficiorum meminit: vel quia viſum eſt juvenem non humanâ, ſed divinâ ope ad felicitatem provehi.* Quaſi diceret, Nequaquam decebat ut Joſeph à carcere liberaretur interventu pincernæ, ſed potiùs à Deo qui comes aſſiſtebat ipſi individuus in ergaſtulo, ad quod retruſus fuerat iſte Patriarcha ſic diſponente divinâ Sapientiâ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* o.

g Phil. l. de Joſeph in Gen. 44. 1. & 2

h ex Gen. 37. 18. &c

i Gen. 41. 40. &c

k Pſ. 90. 15

l Dion. Carth. in hunc locum.

m ex Pſ. 33. 19

n Phil. lib. de Joſeph. in Gen. 40. 20. &c

o Sap. 8. 1

Hanc priorem partem concludo, dicens, quòd ſicut credendum nobis eſt, ut punctum fidei noſtræ, quòd Jeſus Chriſtus eſt realiter in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſicut ipſemet dixit, *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* p: *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia per Sacramentalem præſentiam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *q*: ſic credere debemus quòd eſt in afflictione, quemadmodum ipſe aſſerit, *Cum ipſo ſum in tribulatione* r. Atqui conſiderate qualem honorem & reverentiam exhibetis ſanctiſſimo Sacramento cùm ingreditur domos veſtras ut ipſum ſuſcipiatis prout Viaticum: & ſcitote quòd æquè honorificè & reverenter ſuſcipere debetis tribulationes: nam ſi Dei Filius venit ad vos in Euchariſtia ſub accidentibus panis & vini; venit etiam ad vos ſub accidentibus perſecutionum & tribulationum, quæ ſunt iter ad cœlum: Et hoc ſupereſt videndum.

p Matth. 28, 20

q Dion. Carth. art. 45. in Matth. 28. 20

r Pſ. 90. 15

II. Pars.

Jeſus Chriſtus, quem Pater æternus dedit nobis *Præceptorem*, ſicut ait Iſaias *ſ*, nos edocens iter ad cœlum dicit nobis per eundem Iſaiam t, *Hæc eſt via, ambulate in eâ: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Et per Gloſſam Ordinariam, *Viâ publicâ gradiendum, id eſt, Regiâ quæ non fallit.* Via Regia eſt, per quam omnes amici Dei tranſierunt è tribulationibus ad gloriam. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigeriũ*, dicunt ipſi, Deum alloquentes per Pſalmiſtam †. Atqui ſequendum fideliter eſt iſtud iter: nam qui ab eo tantiſper aberrat, avertit ſe, & privat ſe loco quietis.

ſ Iſai. 55. 4

t Iſai. 30. 21

† Pſ. 65. 12

David *u* introducens Filium Dei aſcendentem in cœlum poſt paſſionem ſuam ſtipatum coronâ Sanctorum ad portas gloriæ clamantium, ut aperirentur Redemptori mundi, dic t, *Attolle-*

u Pſ. 23. 7. &c.

te

a Genebr. in hunc locum. *te portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Genebrardus *a* ait in hunc locum ſecundùm LXX. *Vt eſſet apoſtrophe ad Angelos cæli Principes, cuſtodes, & quaſi atrienſes, de Chriſti aſcenſu cum comitatu Patriarcharum, Prophetarum, & Sanctorum aliorum.* Ianitores recuſaverunt aperire portas, & velut attoniti reſponderunt, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quaſi dixiſſent, Non ingredièris hanc æternam felicitatem, iſtud Regnum gloriæ, veniens è mundo coronatus triumphis: oportet ut habeas caput coronatum ſpinis ad hoc ut liberum habeas ingreſſum in hanc Curiam cœleſtem. Hoc habet magnam cōvenientiam cum illis, qui ingrediuntur aliquam arcem, vel civitatem maritimā, aut ſitam ad cōfinium Provinciæ, vel ad fines Regni, ad quā cuſtodes non permittunt ut aliquis accedat ingrediendam, quin priùs ab eo petiverint teſſerā excubiarum: ſi autem is qui vult ingredi, teſſerariā vocem pronunciare neſciverit, illico denegatur ipſi ingreſſus, & ipſe ruditer repellitur: atqui teſſera caſtrenſis, quam Pater æternus dedit his qui cuſtodiunt cœlum, eſt, ut non aperiant niſi illis, qui venient inſigniti tormentis, pœnis & tribulationibus: & quicunque non didicerit hoc ſignum militare, fruſtrà pulſabit oſtium cœlorum: atqui quoniam Sancti qui comitabantur Salvatorem, habebant ſignum ſeu teſſeram gloriæ, *Et introibit Rex gloriæ*: janitores recuſaverunt aperturam portæ, & firmo conſilio præceperunt huic Regi gloriæ ut recederet. Sed iſti Sancti denuò venientes ad portas, clamaverunt, *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Cuſtodes irritati propter hanc ſecundam inſtantiam, requirunt iterùm, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quaſi reſpondiſſent, Jam diximus huic Regi gloriæ, ut recederet, eò quòd non noverit efferre vocem teſſerariam. Tandem, Sancti reſponderunt, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Litera originalis ſeu Hebraica pro, *Dominus virtutum*, legit, *Dominus Sabaoth.* Quod idem eſt, ac Dominus exercituum. Ipſe eſt Jeſus Chriſtus qui venit ab indicēdo bello morti, & diabolo, juxta quod ipſemet dixit, *Ero mors tua ô mors: morſus tuus ero inferne* y. Ut autem hunc & illam, æquè ac peccatum debellaret, percoſſus, eſt flagellis, coronatus *ſpinis*, clavis confoſſus & cruci ſuffixus, & *lanceâ* z apertus, poſtquàm fuit *opprobriis* a ſaturatus. Ad iſtorum verborum auditum, janitores aperuerunt portas, ſcientes quòd in Jeſu Chriſto, *virtutum*, & *gloriæ*, nihil aliud ſunt quàm pœnæ, dolores, tribulationes, cruces & tormenta. Quòd ſi ita diligenter examinantur pœnæ Salvatoris noſtri: quàm exactius requirentur labores filiorum Adæ. *Hæc eſt via, ambulate in ea* b.

y Oſee 13. 14
z Joan. 19. 1. &c
a Thren. 3. 30
b Iſai. 30. 21
c S. Bern. ſerm. 8. in Cant. 1. 2

S. Bernardus *c* hunc locum Canticorum, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, explicat in ſenſu ſpirituali de Domino noſtro Jeſu Chriſto, & de Sponſa ipſius quæ eſt anima, *Videte novam Sponſam novum oſculum accipientem, non tamen ab ore, ſed ab oſculo oris.* Sed antequàm demus ei ullam expoſitionem myſticam vel moralem, expedit ut id quod S. Joannes ait de Sponſo ſe vidiſſe in Apocalypſi *d* ſua, diſcutiamus, *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Si S. Joannes vidit ex ore Domini noſtri exeuntem gladium utrâque parte acutum, quale oblectamentum Sponſa ſe ſuſcepturam ſperat ab oſculo quod ipſa ſic ardenter efflagitat, cùm nullus detur acceſſus ad iſtud os niſi per transverſos gladii aculeos? Ha! iſtud

d Apoc. 1. 16

nobis innuit, quòd Deus non communicat gratias ſuas niſi illis, qui earum ſibi comparaverunt meritum medio ſudore tormentorum, pœnarum & martyrii. Sanctus Ambroſius *e* ait, quòd Sponſa per hoc oſculum petit Spiritum ſanctum, *Per hoc oſculum adhæret anima Deo Verbo, per quod ſibi transfunditur Spiritus oſculantis: ſicut etiam ii qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi invicem videntur infundere.* Idem dicit præfatus ſanctus Bernardus, *Sufficit Sponſæ ſi oſculetur ab oſculo Sponſi, etiam ſi non oſculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat oſculari ab oſculo, quod non eſt aliud niſi infundi Spiritu ſancto.* Atqui is, qui *de ore ejus*, id eſt, Jeſu Chriſti, *gladius utrâque parte acutus exibat*, nos edocet, quòd ſequi debemus iter pœnarum & tribulationum, ſi velimus ut meritum noſtrum nobis conciliet amicitiam Dei, qui non tribuit Spiritum ſuum niſi illis, qui eos ſe dignos reddunt inter transverſas pœnas & flammas. Dicamus igitur cum ſancto Ambroſio præfato, quòd oſculum Jeſu Chriſti datur illi qui communicat in gratiâ, & quòd favor iſtius gratiæ non acquiritur niſi cum mortificationibus & tolerantiis. Per iſtud oſculum, de Ponte *f* intelligit æternam felicitatem, inquiens, *Vtinam Salvator oſculum felicitatis æternæ præbeat.* Sed Dominus noſter non intendit ut ea fruamur, quin ad eam nobis iter aperuerimus interventu laborum & dolorum noſtrorum: *Hæc eſt via, ambulate in ea* g.

e S. Ambr. l. de Iſaac & Anim. c. 1
f De Pont. l. 1. in Cant. 1. 2. exh. ort 16 parag. 1
g Iſai. 30. 21

Aliquis invenitur agricola alicui viro nobili debitor alicujus ſummæ pecuniæ, qui non habebit unde illi pro eâ ſatisfaciat, quàmvis habuerit longiorem terminum quàm ſperaret, ad ſolvendum ei debitum ſuum; ſic ut iſte vir nobilis pertæſus morarum ejus, facturus ſit eum traducendum in carcerem, illique promiſſurus ſub jurejurando ſuo, quòd permanſurus ſit in ergaſtulo, donec omnino ſibi ſatisfecerit. Hoc miſero captivo neſciente unde poſſit educere commoda, quorum interventu ſe liberare poſſit à vinculis, cùm per multos jam menſes & annos langueret, vitamque ſuam traxerit inter miſerias carceris: tandem vir iſte nobilis miſericordiâ commotus intuitu ſtatus iſtius incarcerati, deplorans captivitatem ejus, ſtatuet eum in libertatem reſtituere, nedum tamen infringat juramentum ſuum; idcòque commodabit illi pecuniam, ut ille ſibi ſolvat debitum propriis denariis ſuis: & ſic eodem tempore exercebit miſericordiam in eo quòd commodabit illi pecuniam, quâ ille ſe ſublevet à pœnis carceris: & juſtitiam in eo quòd ipſe ſolutionem ſuſcipiet illius quod ſibi legitimè debebatur. Homo Deo magnam debebat ſummam, quam ei ſolvere non poterat: Deus juravit per ſemetipſum, quòd homo manſurus eſſet catenis conſtrictus in carcere miſeriarum, donec ſibi ſatisfaceret, & ſolveret ſibi debitum ſuum: ſed videns quòd multa ſecula jam gyraverant ſuper captivitatem, & ſuper debitum hominis, & quòd iſte nunquam eſſet ſolvendo, cùm Deo non poſſet ſatisfieri, niſi Patri æterno daretur Deus bonus, ſicut ipſe *bonus* h eſt, quia homo per peccatum, cùm vetito *de fructu comēdit* i, conatus erat deſtruere Divinitatem: iſtud, inquam, intuens Pater æternus, miſertus eſt ſtatus noſtri deplorabilis, & ut recuperare poſſet debitum ſuum,

h Pſ. 118. 68
i Gen. 3. 6. &c

& nos educeret è captivitate diaboli, cui ſubja-
cebamus per peccata noſtra, *Quia omnis qui facit*
k Jo. 8. 34 *peccatum, ſervus eſt peccati* k: Et, *Magnum damnum*
l S. Chryſ. *peccatum eſt*, dixit ſanctus Chryſoſtomus l, dedit
hom. 33. nobis pretioſiſſimum Filium ſuum: *Sic enim Deus*
ex c. 9. *dilexit mundum; ut Filium ſuum unigenitum daret*:
Matth. ait S. Joannes m. Et S. Anſelmus n ad hoc pro-
m Jo. 3. 16 poſitum, *Quod miſericordius intelligi valet, quàm*
n S. Anſelm l. 2. *quòd peccatori æternis pœnis deputato, & unde ſe redi-*
Cur Deus *mat non habenti, Deus Pater dicit? Accipe unigenitum*
homo. c. *meum, & da pro te: ipſe Filius, Tolle me, & redime te.*
20 Atqui cùm Filius Dei ſolverit pro nobis, accepit
literas cambiales ſuper homines, & intendit ut
ab his ſibi ſatisfiat: *Neque enim Pater judicat quem-*
o Jo. 5. 22 *quam, ſed omne judicium dedit Filio* o. Quia Patri
fuit ſatisfactum morte Filii ſui; ſed Jeſus Chriſtus
habet recurſum ſuum adversùs homines, & in-
greditur judiciũ cum illis. Pater ait, Filius meus
prout cautã præſtitit cauſam veſtrã, mihi ſolvit
p Iſai. 53. pro vobis, *Ipſe peccata multorum tulit* p. Atqui o-
12 portet ut Vadi ſatisfiat eâdem pecuniâ, quam ip-
ſe ſolvit: cùm ergo Jeſus Chriſtus pro nobis ſatis-
fecerit mediis injuriis, doloribus, ictibus flagel-
lorũ, pœnis, & rigore crucis: *Ipſe autem vulneratus*
eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſce-
q Iſai. 53. 5 *lera noſtra* q: vult ut homines ſibi ſatisfaciant iiſ-
dem ſpeciebus, quia cautam præſtitit eorum cau-
ſam, & ſolvit pro illis iſtâ pecuniâ: propterea
r Iſai. 30. dicit illis, *Hæc eſt via, ambulate in ea* r.
21

Deus nos creaverat propter gloriam ſuam,
ſ Prov. *Univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus* ſ.
16. 4 Ipſe nobis vitam præbuerat propter paradiſum,
t 1. Cor. 2. ut frueremur ibi deliciis tam ineffabilibus t,
9. ex Iſai. quàm immortalibus u, cùm ipſæ ſint æternæ x:
64. 4 propterea nos collocaverat in paradiſo Edem, ut
u 1. Tim. eſſemus ibi in voluptatibus continuis inhabitan-
6. 17 tes illum *paradiſum voluptatis* y, & ut via ad cœlũ
x 2. Cor. nobis eſſet omnino ſtrata floribꝰ: ſed vidẽs quòd
4. 17. & 18 hæc proſperitas nos reddebat inſolẽtes, reddidit
y Gen. 3. 8 nobis iter cœli difficile & ſpinoſum: tamen quia
via iſta videbatur nimis rudis homini, Pater æ-
ternus voluit mittere Filium ſuum ut viã ad il-
lud ei panderet, illiq; redderet hoc iter acceſſu
facile: & hoc eſt quod ipſemet Filiꝰ ait per Pro-
z Jer. 11. phetam z ſuum, *Ego quaſi agnus manſuetus, qui por-*
19 *tatur ad victimam.* Aliqui vertunt ex Hebræo, *Ego*
quaſi agnus dux cæterorum. Quaſi diceret, Ego ſum
Agnus mitis, qui crucis & tribulationis iter edo-
ceo gregem Eccleſiæ meæ, eique illud reddo fa-
cile. Perſæpè contingit ut ad hoc ut grex aliquis
pertranſire poſſit aliquẽ pontẽ, præmittatur aries;
& tũc grex reliquus ipſum ſequitur: ſi ergo ani-
malia ſequuntur duces ſuos, qui ipſos præcedũt,
ſi fideliter inhærent veſtigiis eorum, & ſine ullo
timore vadunt poſt illum qui ipſis viam pandit:
cùm ſciamus, quòd Pater æternus dedit Jeſum
a Iſai. 55. 4 Chriſtum *Ducem* a Eccleſiæ ſuæ, *Et ipſe eſt Caput*
b Coloſſ. *corporis Eccleſiæ* b, *Nos autem populus ejus, & oves pa-*
1. 18 *ſcuæ ejus* c, & quòd ipſe præcedit nos in via cru-
c Eccleſia cis, laborum & tribulationum, tanquã myſticus
ex Pſ. 78. aries (nam id quod litera vulgata legit, *Emitte*
13 *Agnum Domine* d, alii vertunt ex Hebræo, *Emitte*
d Iſai. 16. 1 *Arietem Domine*) numquid non eſt rectæ rationi
conſonum, ut conformantes nos ad eum, Imite-
mur actiones illius? & ut, ſi ipſe bibit paſſionũ ſua-
e Jo. 18. 11 rum *calicem, quẽ dedit Pater* e ipſi, nos etiam biba-
mus illius amaritudines in omnibus occaſioni-
bus favorabilibus, quas ipſe nobis offeret, ut no-
bis modum tribuat acquirendorum innumero-
rum meritorum uſque ad perfectionem dig-
nam gloriã, ad quam ipſe non pervenit niſi in-
terventu ignominiarum, æquè ac dolorum &
tormentorum? *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, &*
ita intrare in gloriam ſuam f? ſ Luc. 24.
26
Sed heu, quàm dura & importuna videtur hæc
via multis peccatoribus, & quàm ægrè ſe com-
mittunt huic itineri prærupto virtutum, quò Je-
ſus Chriſtus ipſos dirigit! *Lata porta, & ſpatioſa*
via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui in-
trant per eam, Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, g Matt. 7.
quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inveniunt eam g. 13. & 14
Myſterium iſtius loci debet attendi penes hæc
verba conſideratione digna, *Et multi ſunt, qui in-*
trant per eam. Hæc particula copulativa, *Et*, i-
dem eſt in Scriptura ac, *Quia*. quæ eſt particula
cauſativa. *Et benedictus fructus ventris tui* h. Id eſt, h Luc. 1. 42
Quia benedictus fructus ventris tui. Atqui Salvator
ait per ſanctum Matthæum, *Lata porta & ſpatioſa*
via eſt, quæ ducit ad perditionem. Et quare? *Quia*
multi ſunt qui intrant per eam. Id eſt, qui incedunt
per iſtam viam, & hoc modo ex anguſtâ & ſtri-
ctâ qualis erat, reddiderunt eam latam & ſpa-
tioſam, cùm ex ſeipsâ ſit difficilis & injucunda.
Hoc idem eſt quod ſentiunt vel ipſi reprobi, qui
ſecuti ſunt iſtud iter in effræni libertate crimi-
num ſuorum, *dicentes intra ſe, Laſſati ſumus in via*
iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias diffi-
ciles, viam autem Domini ignoravimus i. Nunquid i Sap. 5. 6
non ſtupenda res eſt, quòd in ipſo vel inferno & 7
cuſtodiant impii recordationem iſtius viæ in-
felicitatis & jacturæ? Poſſibilene eſt ut in me-
diis flammis & ſuppliciis reminiſcantur angu-
ſtiarum quas perpeſſi ſunt, ſequentes iſtam viam
criminis? Iſtud edocet nos, quòd eorum labores
erant injucundi, & illorum curæ faſtidioſæ. Sed
quinam ſunt illi qui eam aperuerunt, illamque
ſic patentem prætereuntibus effecerunt? Sanè
innumeræ turmæ peccatorum, qui in ea ince-
dentes, planos fecerunt montes, & univerſas
valles. Iter virtutis videtur ſtrictum, quia pauci
ſequuntur illud: ſed Jeſus Chriſtus illud ſter-
nens vexillis crucis & tribulationis, aperuit il-
lud hominibus, *Pandens iter ante eos* k. Et muta- k Mich.
vit ſpinas quæ in eo apparebant, in roſas. Dimæ, 2. 13
ſeu bono Latroni ſecum in cruce pendenti *dixit*
Jeſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo l. l Luc. 23.
Et tamen eâdem die ipſe *deſcendit in inferiores* 43
partes terræ m. Id eſt, in limbum, qui eſt pars in- m Epheſ.
ferni. Quomodo ergo cõciliabimus iſtam repug- 4. 9
nantiam? Profectò, ſi dicamus quòd in præſentiâ
Salvatoris infernus mutatus eſt in locũ delicia-
rum, Propterea de Ponte n prædicta verba Sal- n De Põt.
vatoris ſic interpretatur, *Id eſt, hodie paradiſi portas* l. 1 in Cãt.
aperiam, ut mecum intres in illum. Quæ verba, ut no- 1. 2. ex-
tat Origenes, non ſoli Latroni dicta putantur, ſed om- hort. 16.
nibus Sanctis, pro quibus in infernum deſcendit. parag. 1.
citans O-
rig. hom.
15. in Gen.

Aſſerunt Philoſophi, quòd finis & media
proportionem habere debent, ſicut, ad hoc ut
attingatur finis ſublimis & glorioſus, oporteat
ut medium ſit ejuſdem rationis & naturæ: exi-
tus enim non poteſt eſſe perfectos, niſi medium
ipſi conſequendo accommodum, ſit excellens.
cùm ergo aſpiremus ad acquiſitionem loci quie-
tis, ſeu beatitudinis infinitæ, ut ad finem noſtrum
ſublimiſſimum; congruentiſſima media quæ
poſſumus eligere comparando huic ſcopo, ſunt
alligata doloribus, vulneribus & martyrio. Iſtud
Deus edocuit Jobum o, qui poſtquàm eidem Deo o Job 7.
propoſuit juſtam querelam, ait ipſi, *Terrebis me* 14. & 15
per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. Quam-
obrem elegit ſuſpendium anima mea. Hæc ſomnia
quibus Deus terrefaciebat Job, erant illuſiones
dia-

diaboli,*Id eſt,permittent terreri. Quia Satan à Deo permiſſus movendo phantaſiam ipſius Iob, immittebat ſibi ſomnia terribilia & afflictiva*,ait Lyranus *p*.Sed ex conſequentia,quam Job educit inde, poteſt inferri quale erat antecedens. Uerus autem ſenſus eſt,quòd Deus edocere volebat Job,quòd nō debebat expectare loca in beatitudine æterna, niſi poſtquàm bibiſſet calicem tribulationū, & tranſiviſſet per cribrum dolorum: ideòq; miniſterio diaboli exhibuit illi intuenda ſpectacula terribilia hominum diſcerptorū in fruſta, crucifixorū,dentibus ſerpentiū laniatorum,& gladiis occiſorum;atqui terrens illum viſionibus hujuſmodi horribilibus,ſignificavit ei, quòd hæc omnia erant calix paratus amicis ſuis in Lege Evāgelica ad hoc ut pervenirent ad gloriam quietis æternæ: *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea*, ajebat Job.Quaſi diceret; Utquid non trahor ad locum patibularem, ut collum tendam gladio carnificis præcidendum,vel ut enecer ibi ſuſpēdio? cùm iſtud ſit iter,& porta paradiſi: *Hæc eſt via,ambulate in eâ*,dicit Deus apud Iſaiam *q*. Et apud S.Matthæum *r*. *Intrate per anguſtam portam.Id eſt*,ſubdit Carthuſianus *ſ*, *ad veram beatitudinem pergite per opera pœnitentialia, laborioſa ac ardua,ut ſunt jejunia,abſtinentia, diſciplina, vigilia, & per cæteros actus virtutum, videlicet per humiliationem obeditionem,inimicorum dilectionem, continuam cordis cuſtodiam: quæ omnia ſunt anguſta itinera,quoniam virtus eſt circa bonum difficile, & conſiſtit in medio,quod difficile eſt attingere. Nonne anguſta via eſt,nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram divertere* t, *Regiâ viâ incedere, concupiſcentias refrænare, paſſiones animi ſuperare,odientem diligere,adverſanti benefacere? Hæc tamen eſt via perducens ad finem beatum.Ideò dicit Pſalmiſta* u,*Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*.S.Marcus,&omnes Sancti qui ſunt in cœlo,adhæſerunt iſti viæ. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* x. Sequamur eandem viam, quam S.Marcus,& omnes Sancti ſecuti ſunt;& perveniemus infallibiliter ad eundem terminum felicitatis, qui non eſt aliud quam gloria æterna.

p Lyran. in Iob 7,14
q Iſai. 30. 21
r Matth. 7.13
ſ Dion. Carth.art. 15.in Matth.7. 13
t ex Iſai. 30.21
u Pſ. 16.4
x Act.14. 21

DOMINICA I. POST PASCHA.

Gaviſi ſunt Diſcipuli viſo Domino. Joan.20 20.&c.

NOn poſſum meliùs incipere diſcurſum iſtum quàm ex actione Apoſtoli,& ideò volo vobis dicere illud quod ipſe dixit aliàs Athenienſibus.*Quod ignorantes colitis,hoc ego annuncio vobis* a. Venio vobis prædicatum Divinitatem quā non cognoſcitis: obſervo quidem altaria, video quidem Divinitates, quibus homines offerunt quotidie ſacrificia,& ſuas exhibent reverētias, ſicut & idem *ſtans Paulus in medio Areopagi,ait,Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video: Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inveni & aram,in quâ ſcriptum erat, Ignoto Deo*. Scio tamen quòd unica duntaxat ſit Divinitas quæ inquiritur, & quæ ignoratur à vobis, cùm credatur à vobis ipſa eſſe ibi ubi non eſt, & exiſtimetur cōparari per vias quæ nunquam ad eam perducēt: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*. Nonne fatebimini mihi, Auditores,quòd,etiam ſi quotidie ſacrificetis honoribus,ambitioni, divitiis,voluptatibus, & innumeris aliis divinitatibus,unicam duntaxat concupiſcitis, & ad ſolam veram felicitatem aſpiratis,quam imaginamini eſſe in terrâ, rati futurum ut illam medias inter veſtras inquiſitiones poſſidere poſſitis? propterea volo vobis oſtendere id, cujus notitiam non habetis. Cùm felicitas eſſe debeat ultimus terminus, & ſumma hominis perfectio, cùm complectatur *omne Bonum* b, debet eſſe tota cœleſtis;hæc eſt ipſa felicitas,quam venio vobis annunciatum. Ut autem mihi,æquè ac vobis ritè ſuccedat conſilium meum, præ vobis ferre debetis primò ſpirituales aures, & à rebus terrenis purgatas,ut audire poſſitis pulchritudines cœli. Propterea idem S. Paulus rediens è tertio cœlo,ubi fuerat illas contemplatus, ſe cognovit adſtrictum ad ſilendum de illis, *Quoniam raptus eſt in paradiſum,& audivit arcana verba,quæ non licet homini loqui* c. Cùm non inveniret niſi auditores carnales,& ſuſcipiendorum incapaces novorum verborum, *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* d.Secundò,Requiruntur ad hoc *linguæ tanquam ignis, Spiritu ſancto* e animatæ,& ab eo purgatæ: & propter hanc rationem, poſtquàm *aſſumpſit Ieſus Petrum,& Iacobum,& Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos*, quibus intuendum exhibuit iſtius ſpecimen felicitatis,*præcepit eis,dicens, Nemini dixeritis viſionē* f. Cùm nondum ſuſcepiſſent hunc Spiritum,neque iſtas linguas, quia nondum glorificatus eſſet ipſemet Jeſus,ſicut apparet illis hodie,quod eſt illis gloria quaſi anticipata, *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino.Nondum enim erat Spiritus datus,quia Ieſus nondū erat glorificatus* g.Gaudent Apoſtoli intuitu Domini ſui, ſicut gaviſa eſt Maria ad aſpectum Angeli,qui *ad eam dixit, Ave* h *Maria*.

a Act. 17. 23.& 22
b Exod. 33.19
c 2 Cor. 12.4
d 1.Cor. 2.14
e Act.2.3. & 4
f Matth. 17.1.&c
g Joan. 7.39
h Luc.1. 28.

Suppono, Auditores,ut veritatem manifeſtiſſimam,quòd,cùm felicitas ſit ultimus terminus, ad quem debet homo pervenire, non eſt aliquid quod ei ſit ita neceſſarium; ipſa eſt finis ad quem debet ipſe intendere; propterea eundem *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ait Scriptura i. Et poſt eam Cornelius k, *In homine eſt imago Dei, ſcilicet ſupernaturalis, quæ ſita eſt in gratiâ & juſtificatione hominis, quâ ipſe divinæ ſit conſors naturæ* l, *quæque in gloriâ & vita æterna firmabitur,& perficietur. Gratia enim eſt anima animæ, ait ſanctus Auguſtinus*. Et ſicut omne ens non debet habere quietem niſi in centro ſuo, homo ſemper erit in agitatione quoadusque illuc pervenerit: motus continuus cogitationum ejus fatis oſtendit, ipſum inquirere aliquam poſſeſſionem,quam non habet,eū aſpirare ad perfectionē quā non poſſidet,& quæ eſt ipſi neceſſaria: & reflexio generalis, quā facit ſuper omnia objecta, nonne provenit ex eo, quòd ipſe cōcupiſcit aliquid,quod debet ipſi tribuere ultimū terminum ſuum? Finis autē deſideriorū ipſius,eſt beatitudo quæ eſt requies unica laborum ipſius, terminus ultimus motuū ipſius, & glorioſus paſſionū ipſius finis,ut dicebat S.Auguſtinus *m* Deū alloquēs, Do-

i Gen.1.27
k Cornel. in Gen. 1. 26
l ex 2, Petri 1.4
m S. Aug. l. 1.conf. c.1

Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, Conſideratio iſta præ meæ mentis ponit oculis deplorandas lapsûs noſtri notas, & triſte naufragium quod perpeſſi ſumus in perſonâ Protoplaſti noſtri, *in quo omnes peccaverunt* n. Non erat aliquid quod concupiſcere magis deberet homo in hoc ſtatu honorabili, in quo Deus ipſum collocare dignatus erat, quàm mutare locum, & poſſidere plenè & ſine umbris hoc unicum objectum, quod conſtituere debebat ipſius gloriam: nec erat ipſi quid facilius hâc acquiſitione, & ut mereretur cum omnibus gratiis & privilegiis, quibos Deus prævenerat *eum in benedictionibus dulcedinis* o, gloriam poſſidendi illius abſque ulla reſervatione Sed tamen licèt hæc gloria & felicitas non ſit niſi una pro omnibus, unusquisque tot intuens objecta, quæ videntur illam repræſentare, exiſtimat illam differentem. Aliqui ſtabiliunt illam in ſanitate, alii conſtituunt eam in honoribus; iſti collocant ipſam in una re, illi verò in alia; & iſtius temporis miſeria putat illam in cumulo bonorum fortunæ reperiri, *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt* p. Noſmetipſos exiſtimamus felices, cùm ad ſupremum rotæ fortunæ poſſumus apicem evehi, & thronis inſidere: unico momento deſcendimus ad inferos, ubi miſerias experiemur in æternum, quas volebamus relinquere, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, ait Job q de impiis. Iſtud eſt malum, quod peccatum nobis cauſavit, ut induceret nos ad moliendam ruinam noſtram omnimodam, exiſtimantes inquirere felicitatem noſtram. Sed macti animo, Auditores, malum noſtrum non eſt abſque remedio: Salvator venit ad auxilium noſtrum, ut luminibus ſuis tenebras dæmonis diſſiparet, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* r. Et per apparitionem glorioſam, quâ dignatur hodie ſuos Apoſtolos honorare, & ſua vulnera illis intuenda exhibere, *Oſtendit eis manus, & latus*, delineat nobis gloriam, & ſimul tribuit nobis media eidem comparandæ nobis opportuna; & monſtrat nobis (& hoc eſt etiam quod ego volo vobis oſtendere in progreſſu diſcurſus iſtius) Quòd quantùm hæc gloria eſt comprehenſu difficilis, tantùm ejus acquiſitio eſt facilis.

n Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6
o Pſ. 20. 4
p Pſ. 143. 15
q Job. 21. 13
r 1. Jo. 3. 8
Propoſitio

Hoc eſt planè nos inducere ad æſtimandum contrarium, ac nobis intuendum exhibere illud quod eſt ei oppoſitum, *Contraria contrariis oppoſita magis eluceſcunt*, ait Philoſophicum proloquiū. Dei Filius qui apparet hodiernâ die cum vulneribus ſuis, etiamſi gloriâ micans, Apoſtolis ſuis, docere nos vult, quòd gloria non acquiritur niſi mediis operibus laborioſis, & paſſionibus. Propterea aliàs ipſemet *videns turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens, Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* ſ, &c. Sed quid? Auditores. Nonne pulchritudo eſt objectum intellectûs, ſicut bonitas eſt objectum voluntatis? Quid, ad hoc ut ſermo fiat de gloriâ, oportetne ut habeatur loquela de ignominia? Non videtur iſtud medium conciliandis affectibus noſtris accommodum, ac ipſis proponere res quæ ipſis adverſantur. Nunquid non poteſt nobis aliter Dei Filius deſcribere ſanitatem, quàm depingendo nobis morbos, & dicere nobis oblectamenta pacis quam nobis annunciat hodie in perſonâ Apoſtolorum ſuorum, *Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dicit eis, Pax vobis*: quàm in delineatione infortuniorum belli? Facientne nos umbræ meliùs de luminibus judicare? Procellæ, tempeſtates, & naufragia maris, exhibebuntne nobis clariùs intuendam ſecuri portûs tranquillitatem? Miſeriæ & infelicitates, quas experimur in decurſu vitæ, inducentne nos ad deguſtandam ſuaviùs dulcedinem, quam expectamus nos percepturos in alterâ vitâ, ubi inebriabimur *ab ubertate domus* Dei, *& torrente voluptatis* t ejus potabimur? Iſtud non eſt planè conſilium Dei, ſed intendit ipſe ſolùm ut hæc omnia inſerviant tanquam media facilia ad attrahendum ad iſtam gloriam, deſignando nobis locum ubi illam poſſidebimus, objectum: quod nobis eam cauſabit, & effectus quos ex illa ſuſcipiemus. Locus eſt Regnum cæleſte, *Quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*. Effectus iſtius loci ſunt, ut nos conſolatione perfundant, *Quoniam ipſi conſolabuntur*. Quæ conſolatio noſtra complebit deſideria, *Quoniam ipſi ſaturabuntur*. Hæc autem deſideria ſatiata nos univerſas facient experiri miſericordias, quas nobis poſſumus polliceri, *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Objectum hujus gloriæ eſt Deus, ſive viſio illius, *Hæc eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* u, ait Salvator, Deum Patrem ſuum alloquens. *Gaviſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino*. Et, *Quoniam ipſi Deum videbunt*. Loquamur igitur de iſtâ gloriâ. Sed quomodo ſermonem compingere poterimus de illo quod eſt incomprehenſibile, ſicut Deus, qui eſt illius objectum, eſt *incomprehenſibilis cogitatu* x? Cælô eſt locus noſtræ felicitatis: iſtud eſt ſatis dicere ad hoc ut concipiamus quòd hæc gloria eſt incomprehenſibilis, cùm locus ipſemet ubi poſſidetur illa, comprehendi nullo modo poſſit. *A celando enim cælum nomen habere videtur*, ait S. Bernardus y. Quia abſcondit pulchritudines naturales, quæ ipſi ſunt interiores, licèt ſe prodigum exhibeat ut intuendas præbeat eas, quæ ipſi ſunt exteriores. Conſiderate Solem luminibus veſtitum, radiis coronatum, ſedentem in throno ſuperbo ſplendorum ſuorum, & pompâ magnificâ renitentem, tot præ ſe fert ipſe pulchritudines, ut ad ſe omnium trahat oculos hominum: Intuemini Lunam Dominam noctis, ut Reginam ſtipatam ſtellis veluti tot pediſſequis, cui datur qualitas pulchræ, *Pulchra ut Luna* z. Contemplamini ſtellas, hæc pretioſa monilia firmamenti, has lampades ardentes, has faces lucidas, hæc ora loquentia, quæ divinæ gloriæ laudes dicunt, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum* a. Admiramini tandem tot alias immodicas pulchritudines, quot ſurſum lumina ſunt & aſtra, ſtupore perciti, quòd cælum nihil eſt aliud niſi umbra, aut, ſi mavultis, nihil niſi verum tranſumptum originalis, quod manus illuſtres hujus Pictoris, *qui ſolus habet immortalitatem* b, eduxerunt è gloriâ ſuâ immenſâ, ſicut ipſe *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* c *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus, ſpecies cæli in viſione gloriæ* d. Et tamen tota hæc exterior pulchritudo nihil eſt intuitu pulchritudinis iſtius ſupremæ, quam habet interiùs, ſi conſideremus eum, quem *Dominus decôrem indutus eſt* e, Quomodo concipiemus hunc immodicum decôrem Dei, qui eſt *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* f? Nonne jure merito dicere poſſumus, loquentes de gloriâ cæli Empyrei eò ſpecioſioris iſto cælo quod noſtris patet oculis, quò eo altius eſt & auguſtius, id quod

t Pſ. 35. 9
u Jo. 17. 3
x Jer. 32. 19
y S. Bern. ſer. ad Fra. de Monte Dei.
z Cant. 6. 9
a Pſ. 18. 2.
b 1. Tim. 6. 16
c Baruch 3. 25
d Eccli. 43. 1
e Pſ. 92. 1
f Jer. 32. 19
ſ Matth. 5. 1. &c

Spon-

Sponſus ſacer ait Dilectæ ſuæ, *Quàm pulchra et, quàm pulchraes, abſque eo quod intrinſecùs latet* g! g Cant. 4.1 Ad ſolos ſpectat ſtupidos admirari cœlos iſtos viſibiles, & illud omne quod iidem cœli continent: homines ſubtilis animi acie vigentes, & h Thren. 3 28. qui levant *ſe ſuper ſe* h frequentibus contemplationibus, in illis ne vel unico dignantur immorari momento, quia mirabilia intuentur & raritates, quæ ipſos occupant abſque ulla intermiſſione: quis enim non contemneret has pulchritudines cœli exteriores, ad contemplandas iſtas pulchritudines quas cœlum gloriæ continet intra ſe? Infinita eſt inter hoc utrumque cœlum differentia. Unum poſſidet puritatem, i Jo. 4. 24. cùm non ſit aliud niſi Deus, & *Spiritus eſt Deus* i. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata,* dicit Dionyſius Carthuſianus k. k Dion. Carth. art. 11. in Jo. 4 24. Alterum verò non includit niſi miſtionem, quæ ſecum tandem invehet alterationem, *Cœli magno impetu tranſient* l. l 2. Petr. 3. 10. *Id eſt, cœli aërei, grandi impulſu per ignem conſlagrationis alterabuntur, atq; à ſtatu quem nunc habent, deficient,* ait idem Carthuſianus m. m Dion. Carth. art. 3. in 2. Pet. 3. 10 Unum namque tranſibit, alterum verò habebit aliquando finem: *Ipſi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient,* ait S. Paulus n, n Hebr. 1. 11, & 12. ex Pſ. 101. 27, & 28. Deum alloquens de ipſo, æquè ac de cœlis. Et poſt illum idem Carthuſianus o: o Dion. Carth. art. 1. in Hebr. 1. 11, & 12. *Ipſi, id eſt, cœli peribunt quantùm ad eſſe accidentale, non quantùm ad ſubſtantiam. Motus namque & influentia & qualitas eorum ceſſabunt: tu autem permanebis, id eſt, incommutabiliter in teipſo ſubſiſtes, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* p, p Jacob. 1. 17 *qui aſſeris, Ego Dominus, & non mutor* q. q Malach. 3. 6 *Et omnes cœli ut veſtimentum veteraſcent, quantùm ad modum eſſendi quē nunc habent. Præterit quippe figura hujus mundi* r. r ex 1. Corinth. 7. 31. *Et Chriſtus in Evangelio* ſ, ſ Matt. 24. 35. *Cœlum (ait) & terra tranſibunt. Et velut amictum, id eſt, veſtem mutabis eos, id eſt, à ſolito curſu & influxu ceſſare facies: & mutabuntur à priſtina qualitate, atque in meliùs commutabuntur. Unde in Apocalypſi* t *habetur, Vidi cœlum novum, & terram novam.* t Apoc. 21 1. *Primum enim cœlum & prima terra abijt. Et per Iſaiam* u *Dominum,* u Iſai. 65. 17. *Ecce (inquit) ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria, priora. Tu autem idem ipſe es, id eſt, incommutabilis es. Et anni tui non deficient, id eſt, æternitas tua, omne tempus comprehendens, & tuum eſſe menſurans, non finietur.* Non diffiteor quin hæc omnia, quæ videmus ſub cœlo, & ſuper terra, ſint pulchritudines emanantes ab hac pulchritudine infinita Dei: ſed dico quòd ex quo ipſæ recedunt ab hac origine, ut rivi à fonte, & radii à Sole, multum amittunt ſplendoris ſui, corrumpuntur eò uſque ut adhæreant ſubjectis, & eorum aſſumant qualitates, unde fit ut paulatim minuantur quandiu deſcendunt ad entia. Pulchritudo eſt purior in cœlo, clarior in Sole, & ſplendidior in aſtris quàm in aliis ſubjectis, & tantùm ipſa deprimitur quantùm iſta ſunt ignobilia. Eſtne aliquid fragilius pulchritudine in floribus, quos idem Sol videt aperiri & areſcere? Quàm exiguam moram ſpecies ſortitur in homine, qui eſt ſubjectum ita corruptibile? Sic eſt de aliis rebus, quæ nos ſtupore percellunt; non habent ipſæ plus fulcri quàm ſubjecta, in quibus ipſæ ſunt. Tandem, Dicere poſſumus, Auditores, quòd non habemus hîc niſi figuras, quarum veritates ſuturum contemplabimur; quòd non poſſidemus hîc niſi tranſitum, cùm ſoliditas illic ſit reſervata; & quòd hîc ſumus obnoxii miſtioni & corruptioni, cùm ibi non ſit invenire niſi puritatem & incorruptionem. Re autem verâ nunquid hîc honorem non ſequitur contemptus? nonne voluptatibus ſua ſociantur faſtidia? Divitiæ ſuntne ſine aliqua ſolicitudine? Scientia non eſt abſque aliquibus obſcuritatis tenebris; potentia ſuas habet reſiſtentias; felicitas habet conturbationes ſuas; & univerſa ſuum finem habent. Ibi verò nonne gloria eſt integra? *Gloria in domo ejus* x. x Pſ. 111. 3 Nunquid non ibi deliciæ ſunt puræ? *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* y. y Apoc. 21. 4, ex Iſai. 25, 8 Ibi abundantia eſt tranquilla, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* z. z Pſ. 35. 9 Satietas conſummata, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua* a. a Pſ. 16. 15 *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos* b. b Pſ. 35. 9. Scientia perfecta, *Et in lumine tuo videbimus lumen* c. c Pſ. 35. 10 Divitiæ ſine curis, *Divitiæ in domo ejus* d. d Pſ. 111. 3. Potentia abſoluta, *Et regnabunt cum illo mille annis* e. e Apoc. 20. 6 Et felicitas inalterabilis, quæ nullos eſt agnoſcitura fines, *Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſq; in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* f. f Iſai. 32. 17. & 18. *Et lætitia ſempiterna ſuper capita eorum. gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus* g. g Iſa. 51. 11 Hîc ſpinæ depravant nobis flores, abſinthium veneno quaſi mel inficit; & ibi roſæ ſunt ſine aculeis, & ſuavitas eſt immunis à qualibet amaritudine, *Non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium* h. h Sap. 8, 16 Id eſt, ſine ullis faſtidiorum aculeis. Dicamus igitur uno verbo, quòd cœlum Empyreum, eſt cumulus felicitatis, mundus mirabilium, oceanus voluptatum, abyſſus divitiarum & deliciarum; ibi crudelitas non regnat, ibi vulnera non ſunt in uſu, ibi paſſiones ſunt ſuffocatæ, iræ extinctæ, inde invidiæ procul eliminatæ, illic dæmon nullum incutit illius incolis pavorem, & inſidiæ hujus adverſarii noſtri, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* i, i 1. Petr. 5. 8. illuc non poſſunt attingere. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* k. k Pſ. 90. 10 Et, *Tunc enim cùm ad iſtam beatitudinem venerimus, nulla erit triſtitia, nullus timor, nulla infirmitas, nulla mors,* ait S. Auguſtinus l. l S. Aug. ſerm 35, de Verb. Apoſt. Et quia Regnum iſtud nullam habet durationem niſi beatam æternitatem, inde fit ut *Regnum cœlorum* m, m Matt. 18 12. & *Regnum ſempiternum* n n Dan. 7. 27. pro eodem uſurpentur: & ideò nihil eſt ibi obnoxium mutationi. Et quoniam potentia & gloria ſunt duo objecta, quæ movent principaliter homines, hæc duo bona inveniuntur ibi præ magnificentia, *Et feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram,* ait S. Joannes o. o Apoc. 5. 10. Et Dionyſius Carthuſianus p, p Dion. Carth. art. 6. in Apoc. 1, 10 *Quia non dicunt, regnabimus in terra, ſed ſuper terram: exponi poteſt quod dicitur ſuper terram, id eſt, in cœlis. Sed & cœlum terra viventium* q *appellatur.* q ex Pſ. 141. 6.

Nunquam fatigaremur loqui de iſto loco, ubi dies eſt æterna, *Et civitas non eget Sole, neq; Luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus* r. r Apoc 21 23, ex Iſai. 60. 19. Quò *umbra mortis* ſ ſ Job. 10, 22. nunquam perveniet: ubi nihil invenitur quod interturbet requiem ejus, quod obſcuret ſplendorem illius, & quod violet integritatem ipſius. De quo loco dicere meliùs poſſumus quid non ſit, quàm quid ſit, eo modo quo S. Dionyſius t t S. Dion. l. de Cœl. Hier. c. 2. de Divinis loquens, ait, *Negationes in Divi-*

Divinis rebus vera ſunt, affirmationes verò non convo-niunt, nec digua ſunt majeſtate Dei omnium occultiſſimi u. [u ex Iſai. 45.15.] Exclamemus igitur cum Balaam, *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael* x! [x Num. 24. 5.] Et melius cum Pſalmiſta y, [y Pſ. 83, 3.] *Quàm dile-cta tabernacula tua, Domine virtutum!*

Sed ne ſiſtamus hic gradum, aut intuitum, Auditores: progrediamur ulterius: alia enim majora mirabilia ſunt nobis inſpicienda; ex loco beatitudinis transeundum eſt ad objectum quod illam cauſat. Hic autem eloquentia reperitur muta, & lingua nulla habet verba, ſicut nec ullas mens conceptiones, & ideò requiritur ſtupor atque ſilentium, *Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion* z. [z Pſ. 64. 2. juxta verſion. apud Lorin. in Pſ. 64. 2.] Et ſicut impoſſibile eſt locutu de Deo, ita nec dici poteſt quanta eſt beatitudo Sanctorum qui eâ replebuntur. Omne quod dixi, nihil eſt, cùm omne illud foret tormentum ſine iſta gloria, ſicut infernus eſſet paradiſus, ſi duntaxat ad explendam ſitim divitis *a* epulonis [a Luc. 16, 24.] unica vel iſtius gloriæ poſſet illuc illabi guttula. Gloria corporis Filii Dei, & omnium Sanctorum, non reputabitur niſi umbra comparatione gloriæ animæ: & ſicut recenſet Evangelium *b*, [b Matt. 24 29, & 3] quòd *Sol obſcuratur* cùm *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* c [c Eccleſia ex Malach. 4, 2] apparebit in judicio, *& omnes tribus terræ videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majeſtate*: non quòd ſit privandus quidem lumine, ſed quòd ipſum ſuperatura ſit lux ejuſdem Filij Dei, ut obſervavit S. Chryſoſtomus d: [d S. Chryſ. hom. 77. in Matth. 24, 29.] *Sol enim obtenebrabitur, non quia deſtruetur, ſed quia luce adventus illius ſuperabitur*: Dicamus etiam quòd gloria iſtius corporis ejuſdem Jeſu Chriſti, nihil eſt, comparata alteri gloriæ animæ; quia cùm iſta gloria non ſit niſi accidentalis, quantùm accidens ſuperatur à ſubſtantia, tantùm gloria animæ ſuperat gloriam corporis.

Elevate mentes veſtras, Auditores, & nihil concipite niſi magnum. S. Paulus *e* [e Rom. 9, 23.] vocat Sanctos Vaſa miſericordiæ, quæ Deus replet ſemetipſo, *Vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Iſti poſſidebunt totam SS. Trinitatem modo incomprehenſibili. Etiam, Auditores: dicamne illud? & quare non dicam? Deus elevabit Beatos, & ſimul aliquo modo ſe deprimet, ut illos magnificet: &, ſi dicere liceat, videbitur quodammodo imitari modum procedendi Prophetæ Eliſei cùm ſuſcitare voluit puerum defunctum, qui ita ſe accommodavit ad captum illius, ut omnes partes corporis ſui reſponderent partibus corporis ejus, *Eliſeus incubuit ſuper puerum poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvavit ſe ſuper eum* f. [f 4. Reg. 4. 32, & 34.] Deus aliquo modo ſemetipſum metietur, & contemperabit Beatis: quomodo autem iſtud fiet, nemo eſt qui poſſit illud comprehendere. Et ſi cùm *unigenitus Dei Filius ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes* g [g ex 2. Pet. 1. 4.] *naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret factus homo*, dicit S Thomas h; [h S. Tho. Opuſc. 57 lect. 1.] ſatisfieri non potuit B. Virgini efflagitanti, *Quomodo fiet iſtud?* & ideò oportuit ut ſolutionem illius quæſiti remitteret Spiritui ſancto Angelus, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te* i: [i Luc. 1. 34, & 35.] Dicamus etiã quòd eſt impoſſibile comprehenſu, quomodo Deus cumulaturus ſit Beatos præſentiâ ſuâ, & unione ſuâ cum illis. Si autem deſideretis adipiſci aliquam unionis illius ideam, & de illa quid concipere: ſciendum eſt, quòd gloria eſſentialis animæ beatæ conſiſtit in eadem re, quæ reddit Deum ipſum beatum, & quòd hæc non eſt aliud niſi clara notitia illius quod ipſe eſt: *Hæc eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum* k, [k Joan. 17 3.] ait Salvator, Deum Patrem ſuum alloquens. Ita ut, ſicut Deus Pater ſe cognoſcit Verbo ſuo, ſicut teſtatur idem Verbum, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* l; [l Pſ. 2, 7.] & hæc notitia reddit ipſum perfectè beatum, cùm Verbum ſit idem cum ipſo, ut fatetur etiam idem Verbum, *Ego & Pater unum ſumus* m: [m Joan. 10 30.] eò quòd habeat totum ipſius eſſe, & univerſas ipſius perfectiones, unde reſultat charitas quæ *non habet finem* n, [n Baruch 3 25.] quâ Pater & Filius reciprocè ſe diligunt, cujus terminum dicimus & credimus eſſe *Spiritum* o [o Joan. 15. 26.] ſanctum: dicamus etiã, quòd mens hominum & Angelorum eſt beata, cùm dicere Deo poteſt, *Et in lumine tuo videbimus lumen* p. [p Pſ. 35, 10] Id eſt, in Filio tuo, qui eſt *in cœlis lumen indeficiens* q, [q Eccl. 24, 6.] qui eſt lux ſplendens faciei tuæ: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* r; [r Sap. 7, 26] intuebimur id totum quod ipſe es: *Hæc eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Tunc enim anima deificabitur, & transformabitur, ipſa erit id totum quod ipſa poterit eſſe, cùm non poſſit habere majorem beatitudinem quàm ſit Deus ipſe, *qui in bonis deſiderium* ſ [ſ Pſ. 102. 3] replebit ipſius, quæ dicet ei cum Pſalmiſta t, [t Pſ. 16. 15] *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Amplior huic conceptui lux eſt afferenda, & ideò obſervandum eſt, quòd licèt unio ineffabilis Naturæ Divinæ cum natura humana in ſola perſona Verbi ſit maxima omnium unionum realium, tamen ea quæ ſit inter intellectum & voluntatem Beatorum & intellectum & voluntatem Dei, eſt multò ſtrictior in alio genere, quod Theologi vocant intelligibile, *In genere intelligibili.* Non latet vos, Auditores, quòd gloria ſit Matrimonium quod fit inter Deum & animam beatam cum vinculo indiſſolubili; ipſa eſt Matrimonium conſummatum: propterea iidem Theologi vocant eandem gloriam gratiam conſummatam. Verum quidem eſt, quòd ex iſta vita Deus animam ſibi deſponſat interventu fidei, & dat ei gratiam in dotem, ſicut ipſemet ait illi, *Sponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitia & in judicio, & in miſericordia & in miſerationibus: & ſpõſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus* u. [u Oſee 2, 19. & 20.] Iſtud nõ eſt niſi Matrimoniũ ratum, peccatũ infidelitatis poteſt illud deſtruere; ſed in gloria Matrimoniũ conſummatur, nec poteſt ampliùs infringi: & ſicut dicitur de ſponſis, quòd *erunt duo in carne una* x: [x Gen. 2. 24.] ſic in gloria Deus & Beati tantâ conjunctione ſunt uniti ut non ſint ampliùs niſi unica res glorioſa. Propterea ſicut Theologi loquentes de hac unione, quæ fit ex iſta vita per gratiam inter Deum & animam, dicunt, quòd Deus unitur ei ſicut cognitum eſt in cognoſcente, & ſicut amatum in amante: ita potiori ratione debemus iſtud dicere de gloria, quæ eſt unio ſtrictior, cùm ipſa ſit in conſummatione ſua: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicut eſt*, ait nobis S. Joannes *y*. [y 1 Jo. 3. 2.] Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus z. [z Dion. Carth. art. 4. in 1. Jo. 3. 2] *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus per ſimilitudinem charitatis & gratiæ: filii utique adoptivi, juxta illud, Deus prædeſtinavit nos in adoptio-*

a Ephel. 1. 3. & 5.

ptionem filiorum per IESVM Chriſtum a. Et nondum apparuit, quod erimus, id eſt, excellentia quam in cœleſti beatitudine adipiſcemur, nondum innotuit, aut manifeſtata eſt: quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus ſuis Electis b. Scimus quoniam cùm apparuerit quod erimus, id eſt, cùm Deus manifeſtè per effectum monſtraverit illam beatitudinem, eam nobis Sanctis omnibus conferendo, noſque glorificatos monſtrando; ſimiles ei erimus, id eſt, Deo perfectè conformabimur per dona gloriæ, cui nunc aliqualiter aſſimilamur per munera gratiæ. Tunc enim per plenum ardentiſſimumque amorem erimus in Deum ineffabiliter transformati, & quantùm fieri poteſt in ipſum abſorpti. Tamen & per beatificam viſionem aſſimilatio illa peragitur formaliter & directè: propter quod ſubditur, quia videbimus eum ſicuti eſt, id eſt, clarè per ſpeciem, ita quòd ipſam ſuperadoranda Deitatis ſuperſubſtantialem eſſentiam in ſeipſa, per ſeipſam, clarè & immediatè conſpiciemus. Cognitio autem, ſecundùm Philoſophos, fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, inquantùm ſimilitudo ſeu ſpecies cogniti in eſt cognoſcenti. Cùmque omnis forma creata clarè & immediatè videri non valeat per formam ſpeciemve creatam; ideò ipſamet Divina Eſſentia unitur mentibus Beatorum loco ſpeciei & intelligibilis formæ, ita quòd ipſa eſt quod, & quo, id eſt, quod videtur, & id quo fit viſio, ſeu objectum & ſpecies: ſicut & ipſe Deus videt ſe per ſe, ſic quòd in ejus æterna & increata ſuiipſius intuitione idem ſunt objectum & ſpecies. Per hanc ergo beatificam viſionem, claram & penitus ſupernaturalem Beati Deo perfectiſſimè aſſimilantur, cùm ipſa Divina Eſſentia eis tam ineffabiliter, ac intimè uniatur. Hinc ſcriptum eſt: Ex parte cognoſcimus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum c. Hæc eſt admiranda, ſuperpiiſſima, liberaliſſima communicatio beatitudinis, quâ ſuperbonus Deus beatitudinem ſuam immenſam Electis ſuis communicat, & vitam eorum ſua vita conformat, eoſque plenam ſocietatem ſecum facit habere. Quoniam ſicut Deus clarè & inceſſabiliter, ſummè, & ardentiſſimè contemplatur & amat ſeipſum: ita & ipſi indeſinenter, clarè, ferventiſſimè contemplantur & diligunt eum. Hinc ad Coloſſenſes d loquitur Paulus, Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cùm autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Nec his obſtat illud in Pſalmo e, Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei? Hoc & quædam ſimilia verba Scripturæ de ſimilitudine æqualitatis intelliguntur, prout unigenitus naturaliſque Filius Deo Patri ſimilis perhibetur.

b ex 1. Cor. 2. 9. & ex Iſai. 64. 4

c 1. Cor. 13. 9. &c.

d ex Coloſſ. 3. 3. & 4.

e Pſ. 88. 7.

Abuti viderer patientiâ veſtrâ, ſi immorarer in oſtendendo vobis quomodo fiat cognitio, & quâ ratione ſit amans ſit in re amata: Debetis enim ſcire quòd cognitio formatur per attractionem objecti cogniti in potentiam cognoſcentem, nimirum in intellectum, & quòd amor eſt per adhæſionem, id eſt, adhæret objecto ſuo, exiens è ſemetipſo, Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur, ait S. Dionyſius f. Et Dionyſius Carthuſianus g, Secundùm Auguſtinum. Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat. Sufficit ut vobis dicam, quòd uniones iſtæ ſunt ſtrictiſſimæ, & quòd de iis dici poteſt non minùs convenienter id quod dicitur de David & de Jonatha, Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David h. Deus erit cognitus & cognoſcens, amatus & amans, eodem modo loquendum eſt de Beatis, Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum, aiebat aliàs S. Paulus i. Deus amabit & amabitur; Deus ut cognoſcens attrahet Beatum, & transformabit eum in ſeipſum; & ſic obſervantur duæ transformationes, Beatorum in Deum, & Dei in Beatos, quod eſt beatitudo incomprehenſibilis. & inde ſequentur, Auditores, aliæ transformationes: tenebræ quippe noſtræ mutabuntur in lumina, & defectus noſtri in perfectiones. Et ſicut Dei Filius aſſumptâ naturâ noſtrâ videbatur abſorpſiſſe totam Divinitatem ſuam quandiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt k: & nunc cùm aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei l, econtrà per magnitudinem gloriæ ſuæ videtur exinanire humanitatem ſuam in gloria ſuæ Divinitatis m: dicamus idem de Beato, quòd per hanc unionem & admirabilem transformationem anima mutabit eſſe, nedum mutet aut amittat ſubſtantiam ſeu naturam ſuam, acquiret perfectiones Dei; nedum ceſſet eſſe id quod erat, incipiet eſſe id quod non erat, ſicut ſpeculum, cui objectum oppoſitum, nedum deſtruat ipſius fundum, imprimit figuram novam; aut ſicut nubes, quam Sol colorat, nedum ipſam liquefaciat, & quam transformat in Solem, nedum ipſa deſinat eſſe nubes: ſimili modo Beati transformabuntur in Deum, & ſic non videbuntur ampliùs ipſimet id quod erant. Vel, ſi velitis, utimini comparatione ferri in igne: ignis unitur ferro, & quia ignis eſt nobilior ferro, mutat illud in ſimilitudinem ſuam, ita ut ferrum non appareat ampliùs ferrum: videtur ferrum ignis ipſemet, lucet, ſplendet, ardet & urit ſicut ignis, manet ferrum in ſubſtantia ſua, & mutat omnes conditiones ſuas: eodem modo ſe gerit Deus erga Sanctos, ut eos reddat ſibi ſimiles, Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt n. Sic eſt, Auditores: omnia transformabuntur in homine, locus manſionis ejus, ubi omnia erunt in puritate, ſicut ſupra dixi vobis, in ſtatu in quo non erit ampliùs viator; bona, quæ habebunt æternitatem pro duratione; virtutes, cùm fides transformanda ſit in viſionem Dei, ſpes in poſſeſſionem, charitas in fruitionem; tandem, omnes potentiæ illius transformabuntur in Deum. Unde colligere poteſtis hanc conſequentiam, quòd ſicut terminus productionis intellectus Patris æterni, eſt Filius o ipſius, quippe qui eſt imago Dei inviſibilis p, eò quòd illi ſimilis eſt: ſic Beati ſimiles Deo effecti, vocabuntur filii Dei: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt, ait ſanctus Joannes q. Et ſanctus Matthæus r: Filii Dei vocabuntur. Quod principium ego relinquo in mentibus veſtris, ut ex eo educatis quaslibet volueritis conſequentias: Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur ſ. Et quod innuit ſanctitatem vitæ, quæ vobis eſt neceſſaria, & quæ dare vobis debet acceſſum ad cœleſtem Jeruſalem gloriæ beatæ, in qua eſt ſumma puri-

f S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

g Dion. Carth. art. 33. in Luc. 1. 34.

h 1. Reg. 18. 1

i 1. Cor. 13. 12.

k Baruch 3. 38.

l Marc. 16. 19.

m Dion. Carth. art. 16. in Marc. 16. 19.

n Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24

o Pſ. 2. 7.

p Coloſſ. 1. 15.

q 1. Joan. 3. 1. & 2.

r Matt. 5. 9

ſ Rom. 8. 16. & 17.

tas,

tas, & in quam immundum non poteſt aliquid admitti, ad hoc ut uniamini Deo qui eſt origo totius puritatis t; *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* u. Et, *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt* x.

t Ioan. 4. 24.
u Apoc. 21. 27.
x Matt. 5. 8.

Huc autem veſtras, Auditores, aggerare debetis admirationes, conſiderando quòd res ita magna eſt in poteſtate veſtra. Non præſcribuntur niſi ſoli gradus octo aſcendendi, quos videre poteritis apud ſanctum Matthæum y, ut aſcendere poſſitis ad cœlum, & rapere paradiſum. Quid putatis quod exigatur à nobis? Profectò illud quod auferre nobiscum non poſſumus; lutum, ut mutemus illud in aurum; efflagitatur à nobis terra, ut retribuatur nobis cœlum; petitur à nobis tempus, ut nobis rependatur æternitas; expoſtulantur à nobis exiguæ paſſiones, ut vice illarum, conſolationes ſuſcipiamus uberrimas. Felix commercium! negotiatio proficua & perutilis vendere plumbum ad emendum aurum! *Da pauperi, ut des tibi; da pauperi terram, ut accipias cœlum; da micam, ut accipias totum*, ait S. Chryſologus z. Nemo triſtitiâ debet affici, quaſi verò non poſſit Regni cœleſtis adipiſci felicitatem, ratus ſe non habere quod impendat ad illam lucrandam. Errorem deponite, Auditores, unusquisque ſibi poteſt illam comparare. *Vir nomine Zachæus, & ipſe dives, dimidium bonorum* ſuorum dans *pauperibus* a, eſt gloriam conſecutus. Ad eandem ſibi comparandam, *in gazophylacium vidua una pauper miſit duo minuta, quod eſt quadrans* b. Sed iſta ſunt nimis; Regnum cœlorum viliori pretio venditur, cùm propter fruſtulum panis egenis porrectum, æquè ac *potum calicem aquæ frigidæ in nomine Chriſti, mercedem* c ſit impenſurus idem Chriſtus æternam, quippe qui *dicet his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere* d. Pauperes, nolite deſpondere animum, Regnum cœlorum eſt conſtitutum in paupertate, quia unusquisque poteſt illud poſſidere: omnes non poſſunt eſſe divites: quisnam ſe poteſt eximere ex anguſtiis & perſecutionibus inſeparabilibus à vita humana, & quibus nullus eſt qui non ſcateat? Iſta eſt moneta ad emendum cœlum impendenda: propterea gaudete, cùm non deſint vobis media quorum interventu ſic ditati poteſtis: plurimi facite conditionem veſtram, nolite murmurare contra cœlum, ne detrahatis Divinæ Sapientiæ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* e. Si enim ritè noveritis æſtimare felicitatem veſtram, magnas tenemini rependere gratiarum actiones huic ſupremæ Providentiæ pro eo quòd vobis eripuerit terram, & illud quod poterat ei vos alligare, ut vobis relinqueret libertatem cogitandi de cœlo. Innocentes, quos malitia perſequitur, & quos injuſtitia opprimit in ſuis arcibus, aut in ſuis ergaſtulis, quippe qui annumerati eſtis cum illis, ad quos hæc verba S. Jacobus f dirigit, *Nonne divites per potentiam opprimunt vos: & ipſi trahunt vos ad judicia?* macti animo, veſtra mala terminabuntur feliciter, patienter agite, gaudete de veſtro ſtatu, non dicam ſolùm cum Ethnico vos eſſe inſtar ſpectaculi Divinitati, quæ ſibi complacet in videndis vobis luctantibus contra fortunæ adverſæ inſultationes, *Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compoſitus*, ait Seneca g: ſed dicam Chriſtianiùs, quòd afflictiones veſtræ ſunt à vobis aſpiciendæ non ſecus ac ventus qui paleam ſeparat à bono grano, ſicut aqua quæ aufert ſordes & inquinamenta, quemadmodum ignis qui examinat, ut *non inveniatur in vobis iniquitas* h, memores quòd ſicut *vaſa figuli probat fornax; & homines juſtos tentatio tribulationis* i: velut ſcalprum, cujus ictus ſunt quidem parùm rudes, ſed qui cudunt fortiter illuſtres JESU Chriſti characteres: *Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis* k. Deſiderabiles perſecutiones, amabiles afflictiones, cùm ſint habituræ cœlum & gloriam pro conſolatione! Macti igitur animo, Auditores; cùm deſideremus gloriam, & viderimus illam acquiſitu facilem, incipiamus carpere viam ad illam: non enim poſſidetur gloria niſi in cœlo. Illuc nihil ingredi poteſt immundum, abſtergamus maculas noſtras per *Pœnitentiam* l; abrenunciemus vitiis, & virtutes exerceamus. Et quia conſummatio gloriæ conſiſtit in unione cum Deo, oportet ut hic incipiatur hæc unio: res aliqua non perficitur niſi per initium ſuum; non conſummatur domus niſi poſt projecta ipſius fundamenta, gratia eſt ſemen & fundamentum gloriæ, ſatagamus eam habere, augeamus eam ſic ut eat ſe unitum huic igni conſumenti inſtar ſcintillæ: nullis ducamur igitur deſideriis niſi erga cœlum, ubi Deus replebit *in bonis deſiderium* m totum noſtrum.

y Matt. 5. 3. &c.
z S. Chryſol. ſerm. 8.
a Luc. 19. 2, &c.
b Marc. 12. 41. & 42.
c Marc. 9. 41.
d Matt. 25. 34. & 35.
e Sap. 8. 1.
f Jac. 2. 6.
g Senec. l. Quare bonis viris mala accidant, c. 2.
h Pſ. 16. 3.
i Sap. 27. 6.
k Rom. 8. 18.
l Luc. 13. 3. & 5.
m Pſ. 102. 5.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Et alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Joan. 10. 17.

Niſi reverentia, quâ vos proſequor, Auditores, obtunderet aciem mentis meæ, niſi metuerem ne tædio vos afficerem ac moleſtiâ, & niſi timor iſte meis ardoribus limites præſcriberet, ratiocinati poſſem, & educere è ratiocinatione mea concluſionem, quæ nonniſi funeſta vobis eſſe poſſet. Argumentum concinno, & taceo de conſequentia, quam ſilentio prætereo, ne videar offendere conſcios, quorum abſentia facit in hoc motivum criminum ipſorum: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit* a, aiebat aliàs Dei Filius, Judæos alloquens. Et, ut dicit Dionyſius Carthuſianus b poſt hunc ſillogiſmum primi & peritiſſimi omnium Philoſophorum, quippe *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* c, & qui ut ſic *verba vitæ æternæ* d habet: dicens: *Qui ex Deo eſt per prædeſtinationē æternā, per gratiā reformationē, per Bonitatis Divinæ imitationem, verba Dei audit, non ſolùm auribus corporis*

a Jo. 8. 47.
b Dion. Carth. art. 23. in Jo. 8. 47.
c Coloſſ. 2. 3. & 9.
d Joan. 6. 68.

corporè ſed etiam mentè, id eſt, verba Divina libenter audit, memoriter tenet, diligenter adimplet: quemadmodum ait Pſalmiſta, In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccē tibi e. *Et rurſum, Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti* f. *Hinc ſcriptum*

e Pſ.118, 11
f Pſ.118 72

eſt, Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei g. *Et iterùm, Sit omnis homo velox ad audiendum* h. Mundani quantùm ad maximam ipſorum partem, non audiunt libenter verbum Dei, ut teſtatur vacuum iſtius templi ſacri: ſiſto igitur, ut meis ſtem promiſſis, nedum ex antecedenti præfato inferam conſequentiam, quam colligit inde Salvator. Qui ait econtrà in Evangelio noſtro, ſecundùm id quod exponit idem Carthuſianus i,

g Eccli. 5, 13.
h Jac. 1, 19

Et alias oves habeo, hoc eſt multi Gentilium ad me pertinent, utique ſunt ſecundùm prædeſtinationem æternam, quamvis ſecundùm præſentem juſtitiam necdum ſint oves, ſed hædi ac lupi, de quibus alibi, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham in Regno cælorum k. *Quæ non ſunt ex hoc ovili, id eſt, de Synagoga ſeu numero Iudæorum, & illas oportet me, non per coactionem, ſed immobile beneplacitum, adducere, id eſt, per Apoſtolicam prædicationē, & Spiritus S. illuſtrationē ad fidem colligere, & de erroribus variis, in quibus erraverant, ad Catholicā veritatē atq; Eccleſiaſticā unitatem perducere. Errabant enim alienati à vero Paſtore, & luporum dentibus patuerunt.* (*Propter quod aſſerit Petrus* l, *Eratis aliquando ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis ad Paſtorē & Epiſcopum animarum veſtrarum. Et Iſaias* m, *Omnes (inquit) nos quaſi oves erravimus, unuſquiſq; in viam ſuam declinavit.*) *Et vocem meā, id eſt, Evangelicam legē atq; internam allocutionem audient credendo, & obediendo, juxta illud, Populus, quem non cognovi, ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* n.

i Dion. Carth. art. 26, in Jo. 10. 17.
k Matt. 8, 11.
l ex 1. Petr. 2. 25.
m ex Iſai. 53. 6
n Pſ. 17. 45

S. Virgo Maria Dei Mater, Auditores, licèt illuminatiſſima omnium creaturarum, cùm hoc ſonet ipſius nomen, ut ait S. Epiphanius o, *Præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſq; ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit:* eſuriebat hunc cibum Divinum, de quo dicebat Filius hic ipſius, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* p. *Et Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo* q. Sic fuit ipſa *beata quæ* credidit Verbo Dei, quod ipſa concepit in ſinu ſuo, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit Ave* r *Maria.*

o S. Epiph. ſerm. de Laud. Deipar.
p Matt. 4. 4. ex Deut. 8. 3
q Luc. 2. 52.
r Luc. 1, 28, &c.

Tempore Darii, *tres juvenes corporis cuſtodes, qui cuſtodiebant corpus Regis, dixerunt alter alteri, Dicamus unuſquiſque noſtrum ſermonem qui præcellat: & cujuſcunq; apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignaverunt. Unus ſcripſit, Forte eſt vinum. Alius ſcripſit, Fortior eſt Rex. Tertius ſcripſit, Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autē vincit veritas* ſ. &c. Hæc fuit aliàs quæſtio propoſita; ſed nedum intendam adverſarii ſententiæ eorum qui opinati ſunt ſuper hoc quæſitum, audeo aſſerere, quòd eloquentia ſit omnium rerum fortiſſima, cujus videtur poteſtas abſoluta, cùm os quod habet induſtriam utendi illâ ſicut decet, operetur mirabilia in auribus, quæ non poſſunt niſi complacere ſibi in jucundis illius lenociniis. Orator mox inflammat audientes, nec minores addit illis animos, quàm adderet univerſalis conclamatio ad arma peracta in aliqua civitate, aut in bello ad ineundum certamen; modò tranquillitatem affert mentibus, & ſerenitatem cordibus, & voluntates inducit ad pangendam pacem, in illis ipſis, quorum ſuſtinere non poterant fœdera, & quorum acceſſus erant motivum belli continui: non eſt aliquid quod non poſſit Orator hâc iſtius armaturæ ſpecie inſtructus, nec eſt ullum crimen quod ſibi nō conciliet honorem, applauſus, & mercedes, cùm hæc ars tribuit illi colores, qui ſunt ipſi neceſſarii ad decipiendos homines: & licèt Judices ſint incorruptibiles & integri, præque ſuis ferant oculis velum, nedum perfodiantur his jaculis quæ ſuaviter ſolicitant ad faciendum contra jus, vix ſe poſſunt eximere à commendationibus eloquentiæ, quæ devincit ſibi leges, eaſque facit enunciare contrarium iis quæ ipſæ continent: illarum intelligentiam tantâ obſcurat induſtriâ, ut peritiſſimi quique vix reſolvere poſſint difficultates, quas ipſa proponit ipſis: ipſa denigrat actiones præclariſſimas, & laudabiliſſimas verbis quæ inducunt ut vel probatiſſimi quique homines eas condemnent; & licèt innocentia ſuam ſecum deferet defenſionem, oportet ut ipſa pereat, ſi eloquentia aggreſſa eſt machinari ruinam illius. Propterea Orator quidam vocabat eam, artem rebus exiguis elevandis, & magnis deprimendis accommodam, quippe quæ ſuo ſubjecto traderet talem faciem, qualis arrideret ipſi. Quod induxit aliàs Legatos Achaiæ tractantes cum Romanis de conditionibus, ſub quibus ſubmittebant ſe legibus Imperii, ut hanc apponerent clauſulam fœderi quod inibant cum illis, quòd ipſi non obſtringerentur ad ſuſcipiendos Oratores, qui eloquentiâ ſuâ Romæ profligabant univerſa, quique ipſorum Status poſſent interturbare pacem perniciosis ſuis ſubtilitatibus, quæ uſque ad illud tempus ipſis fuiſſent incognitæ. Non eſt igitur aliquid potentius homine prædito hâc facultate bene dicendi, cùm univerſa poſſit operari in mentibus ſuſcipiendarum impreſſionum ipſius capacibus. Sed ſi unquam eloquentia potens apparuit, fatendum eſt ingenuè, illam ſe talem intuendam exhibuiſſe in perſona Salvatoris. Quod inducit me Primò ad oſtendendam vobis potentiam verbi ejus. Secundò ad monſtrandum vobis zelum, quo duci debemus, audiendi ejuſdem verbi.

ſ 3. Eſdr. 3. 4, &c.
Diviſio.

Quòd verbum Jeſu Chriſti ſit omnipotens, nō eſt cur miremur, cùm in eo verbum & manus ſint idem. In eo loqui eſt operari; operatur ipſe ſemper cùm loquitur, *Verbo Domini cæli firmati ſunt* t. Nec eſt aliquid in mundo, quod non ſit effectus iſtius cauſæ: *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* u. Ipſe locutus eſt, & univerſæ creaturæ virtute & omnipotentiâ verbi ipſius exierunt è nihilo, ut fruerentur exiſtentiâ, *Deus locutus eſt in Filio, per quē fecit & ſæcula* x. Cùm ergo Pſalmiſta y, Deum alloquens, ait, *Opera manuum tuarum ſunt cæli*; nos edocet inde, quòd in eo verbum & manus idem ſunt, ut ait S. Auguſt. z: *Ne putetis enim quaſi aliud Deum facere manu, aliud verbo: quod facit verbo, hoc facit manu: non enim diſtinctus eſt corporeis membris qui dixit, Ego ſum qui ſum* a. *Et fortè verbum ejus eſt manus ejus, certè manus ejus eſt verbum ejus. Quia enim dictum eſt, Fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum, verbo intelligitur feciſſe: quia verò dixit, Faciamus hominē ad imaginē & ſimilitudinē noſtram* b, *quaſi manu videtur feciſſe. Audi ergo: Opera manuum tuarum ſunt cæli. Ecce quod verbo fecit, utiq; etiam manibus fecit: quia virtute ſuâ fecit, quia poteſtate ſuâ fecit.* Non ita ſe res habet de nobis, cùm loquendo poſſimus quidem noſtros conceptus exprimere, noſtras

I. Pars.
t Pſ. 32. 6.
u Pſ. 148. 5.
x Hebr. 1. 1. & 2.
y Pſ. 101. 26
z S. Aug. Conc. 2 in Pſ. 101. 26
a Exod. 3. 14.
b ex Gen. 1. 26, &c.

intentiones declarare, præſcribere id quod faci-
endum volumus, dirigere laboris alicujus per-
gendi œconomiam, ſed verbum hoc infirmum,
quod egreditur ex oribus noſtris, incapax eſt ex-
equendi illius, quod decernimus; & ſimile eſt
illis architectis, quibus ſatis videtur applican-
dos ſatagere ſingulos operarios operibus ad
quæ ſunt deſtinati, nedum tamen ipſi aggredian-
tur opus hoc laborioſum aliter quàm directione
& conſilio: ſic experimur, quòd noſtræ manus
aggrediuntur executionem, ut ſuppleant impo-
tentiam verbi, & quòd inſcriptio quæ attribui-
tur hujusmodi garrulis & loquacibus homini-
bus, qui contenti ſunt loqui medias inter occa-
ſiones, in quibus eſſet operi manus applicanda,
prorſus eſt eadem ac ea quæ aſſignatur philo-
melæ ſeu luſciniæ, *Vox, & præterea nihil.* Non ſunt
aliquid homines illi præter vocem, quæ ſic exi-
lis eſt ut ipſam ventus abſumat, quæque ceſſat
eſſe cùm ſuum ſortita ſuit complementum: ſed
non eſt ita loquendum de Deo: verbum enim
ejus cùm non conſiſtat in ſono exteriori, quem
ventus abripit, ſic nec infirmum eſt, ſed omnipo-
tens intuitu ipſius qui illud pronunciat; & ita o-
c Joan.1,3 *mnia per ipſum facta ſunt* c. Hoc verbo *omnia quæ-
cumq; voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in ma-*
d Pſ. 134, 6. *ri, & in omnibus abyſſis* d Et Scriptura vocat illud
e Pſ.108, 27. manum ejus. *Et ſciant, quia manus tua hæc* e. Ubi
advertendum, ait Incognitus f, *quòd manus Dei dici-*
f Incognit. in Pſ.108, 27. *tur ejus potentia: quia per manum operamur. Cùm
ergo Deus omnia operetur per Verbum: ideò ipſum
Verbum rectè manus Dei dicitur: quam manum pe-
tebat Pſalmiſta in mundũ emitti, dicens: Emitte manũ*
g Pſ.143,7 *tuam de alto, eripe me* g. *&c.* Quia igitur nihil eſt
extra Eſſentiã Divinam quod non ſit opus iſtius
i Joan.1,1 verbi, & Jeſus Chriſtus *in principio erat Verbum* i
hoc, creans omnia cum Patre in unitate princi-
pii, conveniebat ut verbum ſenſibile, *quod de ore*
k Matt. 4, 4. ex Deut. 8,3 *ejus* k procedebat, operaretur mirabilia in mun-
do, ut eſſet imago perfecta proceſſionis ipſius æ-
ternæ, & ut poſſet dici de humanitate ſacra,
quòd nullum haberet ipſa verbum, quod non eſ-
ſet ipſius manus: ideò loquitur ordinariè in ma-
ximis ſuis miraculis, ſicut cùm *voce magnâ clama-
vit, Lazare veni foras: & ſtatim prodiit qui fuerat*
l Joan.11. 43, & 44. *mortuus* l. Et verbum ejus eſt ſemper efficax, &
operatur maximos & miraculoſos effectus: *Vi-
vus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior om-
ni gladio ancipiti: & pertingens uſq; ad diviſionem a-
nimæ ac ſpiritus, compagum quoq; ac medullarum, &
diſcretor cogitationum & intentionum cordis* m. Si
m Hebr.4, 12. bonitas ipſius inducit ipſum ad nos juſtificandos
in Sacramento Pœnitentiæ, verbum ſuum ponit
in ore Sacerdotum, & medio verbo iſto evellunt
iſti miniſtri ſacri, plantant, deſtruunt, ac ædifi-
cant, ut Jeremias n teſtatur fuiſſe ſibi factum fi-
n Jer.1,9, 10. guratìvè: *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit
os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce, dedi verba
mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, &
ſuper Regna: ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, &
diſſipes, & ædifices, & plantes.* Et hoc idem eſt quod
fecit Dei Filius poſt reſurrectionem ſuam Apo-
ſtolis ſuis: *Jeſus inſufflavit: & dicit eis, Accipite Spi-
ritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:
& quorum retinueritis, retenta ſunt* o. Et quod a-
o Joan.20. 22, & 23 git miniſterio Dominorum Epiſcoporum, cùm
ordinant Sacerdotes, quibus idem verbum pro-
nunciant, & qui hâc poteſtate ſuſceptâ totum
immutant ſtatum conſcientiarum. Si terrorem
vult incutere dæmonibus energumenorum cor-
pora poſſidentibus, & addere nova ſupplicia
pœnis antiquis illorum, ſuo verbo utitur ad exe-
quendam juſtitiam ſuam: quis enim neſciat,
quòd liber Evangeliorum, in quo reperimus ſa-
lutem noſtram, tormentum eſt illis, totque con-
tinet pœnas illis infligendas, quot complectitur
verba? Inclamant voce contentâ ſpiritus illi
nequam ad omnia illius verba, & mali hujusmo-
di qui *in terram Angeli miſſi ſunt* p. id eſt, *ad in-* p Apoc.12, 9.
fernum in profundum laci q detracti ſunt propter q Iſai. 14, 15,&c.
ſuperbiam ſuam, quique obſtinati in malitia ſua
nihil ſperare poſſunt à miſericordia Dei, miſe-
ricordiam tamen efflagitant ab Exorciſta, qui
ipſos verbo Dei cruciat, ut ipſos liberos à novis
cruciatibus abire permittat. Si Jeſus Chriſtus o-
perari vult hoc myſterium admirabile, quod i-
pſum præſentem noſtris exhibet altaribus, ſicut
ipſe promiſit, *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus die-
bus, uſq; ad conſummationem ſæculi* r: id eſt *per Sa-* r Matt. 28, 20.
cramentalē præſentiam, ut exponit Dionyſius Car-
thuſian. ſ inter alias ſuas interpretationes: ipſe ſ Dion. Carth. art. 45. in Matth. 28, 20.
loquitur ore noſtro, *Hoc eſt Corpus meum* t. Et
verbum ipſius ſuſpendit accidentia, quæ natura-
liter ſubſiſtere non poſſunt extra ſubjectum ſuũ,
ut iis operiat ſacrum Corpus ſuum, quod ingre- t Matt. 26, 26.
ditur corpora noſtra, more arcæ ſacræ ſub velis
bus apparentiis u, unde compingit hæreſis ma- u Exod.26, 7,&c.
teriam contemptuum ſuorum, & blaſphemia-
rum ſuarum. nos verò concinnamus exercitium
fidei Divinæ. Si formare nos velit ad genus vi-
tæ ſublimis, hoc opus eximium ipſe aggreditur
inſpirationibus verbi ſui, æquè ac Sacramentis,
ut dicebam modò, ad quæ & verbum ipſius in-
ſumitur, *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis*,
ait S. Jacobus x. Et Dionyſius Carthuſianus y: x Jac.1, 18
Hoc poteſt exponi, quòd Deus Trinitas ſpiritualiter re- y Dion. Carth. art. 2, in Jac. 1, 18.
*generavit nos, id eſt, ab erroribus & peccatis, ad eſſe
gratiæ ac virtutum, deduxit nos verbo veritatis, hoc eſt
per doctrinam Evangelicæ prædicationis, quod fecit per
Chriſti diſcipulos, quemadmodum Paulus ſcribit Corin-
thiis* z. *In Chriſto per Evangelium ego vos genui. Atq;* z 1.Cor. 4, 15.
ad Galatas a, *Filioli (a t) mei, quos iterum partu-* a Gal.4,19
*rio, donec formetur Chriſtus in vobis. Quòd Deus per
Sacramentum Baptiſmi ſub debita forma verborum,
ſpiritualiter nos regeneravit. Accedit ſiquidem ver-
bum ad elementum, & fit Sacramentum* b. *Hinc* b ex S. Auguſt. tract. 80. in Io.
*Chriſtus, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.
non poteſt introire in Regnum Dei* c. *Ad Epheſios* d c Joan. 3. 5
quoq; ait Apoſtolus, Chriſtus dilexit Eccleſiam, mun- d ex Epheſ. 5, 25, & 26.
*dans illam lavacro aquæ in verbo vitæ. Denique, cùm
Sacramentum Pœnitentiæ ſit ſecunda poſt naufragium
tabula* e *regeneramur; ita fit etiam quotidie in Pœ-* e ex S. Hieron. Epiſt. 47 n.6. & ex Tert. L. de Pœnit. c. 4.
*nitentiæ Sacramento. Et quoniam Chriſtus Verbum
Patris incarnatum inſtituit Sacramenta Evangelica
legis, intelligi poteſt, quòd Pater verbo veritatis, id eſt,
per verbum ſuum æternum & increatum, quod eſt Ve-
ritas* f *ipſa, præfatis nos modis regeneravit. Hæc au-* f ex Joan. 14, 6
*tem fecit Deus voluntariè, non coactè, aut neceſſitate
naturæ ſicut per Oſeam* g *teſtatur, Diligam eos ſpon-* g Oſee 14, 5.
taneè. Et teſte Apoſtolo h, *Deus operatur omnia ſe-* h ex Epheſ. 1, 11
cundùm conſilium voluntatis ſuæ. Si tandem vult
communicare nobis gloriam ſuam, verbum i-
pſius nos anticipativè deguſtare facit hanc
eandem gloriam: quid enim ſuavius iſtâ vo-
ce? *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum
vobis Regnum à conſtitutione mundi* i. Si autem e- i Matt. 25, 34.
contrà juſtitia ipſius inducit ipſum ad perden-
dos impios ipſo die furoris ſui, utitur verbo ſuo
tanquam fulmine ad conterenda eorum capita,
*Diſcedite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus
eſt diabolo, & Angelis ejus* k. Sic ille qui *de ore ejus*
gladius k Matt. 25, 41.

Digitized by Google

gladius utrâque parte acutus exibat, quique S. Joanni *l* fuit exhibitus intuendus, ſignificat quòd
l Apoc. 1, 16. verbum ejus eſſet enſis ipſius, & quòd bellum agat labiis ſuis, quæ tribuunt ipſi victoriam de omnibus inimicis ipſius.

Non poſſum meliùs cognoſcendâ vobis exhibere virtutem verbi Chriſti, quàm applicando ei hoc, quod recenſetur ab Hiſtoricis de Pericle, Duce Athenienſi, ſed Oratore maximo, cùm triumpharet meliùs linguâ ſuâ quàm gladio ſuo, inducens vi rationum ſuarum, & eloquentiâ verborum ſuorum homines ad exhibendas ipſi ſuas obedientias. Ecce tria quæ de illo obſervant Hiſtorici, quæ gloriam illius extollunt atque magnificant. Primum, quòd loquendo ordinariè contra voluntatem & inclinationem populi, tamen vox illius auditoribus ejus ſic videbatur ſuavis, ut ſermones ipſius hilariter exciperent. Secundum, quòd licèt illi ſatagerent opponere ſe conſiliis ejus, & poteſtati illius limites imponere, tamen laudabant in eo ſuavitatem verbi & eloquentiam, cujus lenociniis reſiſtere non poterant, cùm viderentur gratia & mel requieviſſe in labiis ejus. Tertium, quòd non loqueretur eis, quin verba ejus forent veluti tot jacula, quæ perforarent eis corda, & hami qui illos caperent, eoſque ipſi fideles efficerent. Iſtas tres excellentias eloquentiæ reperio præ eminentia in Jeſu Chriſto, qui eſt Dei Patris *Sa-*
m Sap. 7, 24. *pientia* m. Primò, Commendatur excellentia facundiæ ejus in eo, quòd poſtquàm exivit *a*
n Joan. 16 28. *Patre, & in mundum* n venit, inſtituit ibi legem rigoris, & penitus oppoſitam carni & ſanguini, mori nos facit ut vivamus, & abhorrere ut diligamus: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem adverſùs patrem ſuum, & filiam adverſùs matrem ſuam, & nurum adverſùs ſocrum ſuam. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam*
o Matt. 10, 34, &c. *propter me, inveniet eam* o. Non laudat ipſe niſi tolerantias, nihil publicat ipſe præter cruces, nec mercedem & gloriam promittit niſi mortificationibus, ita ut debeamus eſſe miſeri ad hoc ut felices evadamus; oporteat ut lacrymas effundamus, ſi velimus deinceps perfundi conſolationibus; & terrenas à nobis abdicemus divitias, ſi cœleſtes comparare deſideremus nobis theſauros, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlo-*
p Matt. 5, 3, &c. *rum* p. Evangelium nihil præ ſe fert, quod nõ videatur rude, *Intrate per anguſtam portam* q.
q Matt. 7, 14. Seu, ut ait Dionyſius Carthuſianus r. *Chriſtus o-*
r Dion. Carth. art. 15. in Matt. 7. 14. *ſtendit rectam viam perducentem ad patriam. Intrate, id eſt, ad veram beatitudinem pergite per anguſtam portam, hoc eſt per opera pœnitentialia, laborioſa, ac ardua: ut ſunt jejunia, abſtinentia, diſciplina, vigiliæ: & per cæterarum actus virtutum, per humiliationem, obedientiam, inimicorum dilectionem, continuam cordis caſtitatem: quæ omnia ſunt anguſta itinera, quoniam virtus eſt circa bonum difficile, & conſiſtit in medio, quod difficile eſt attingere. Nonne anguſta via eſt, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtrã divertere, regiâ viâ*
ſ ex Num. 21. 22. *incedere* ſ, *concupiſcentias refrænare, paſſiones animi ſuperare, odientẽ diligere, adverſanti beneſacere?*
Hæc tamen eſt via perducens ad finem beatum. Ideò
t Pſ. 16. 4. *dicit Pſalmiſta* t. *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras.* Omnes igitur Evangelii

praxes non poſſunt eſſe niſi graves hominibus, qui à lapſu Protoplaſti communis, *in quo omnes*
u Rom. 5, 12, ex Gen. 3. 6. *peccaverunt* u, tantâ ducuntur philautia ſeu amore proprio, & ſic erga ſuas afficiuntur voluptates: & tamen verbum Jeſu Chriſti ſic jucundè ſuſcipiebatur ab eis, prædicatio ejus ſic illis erat grata, & tantas trahebat poſt ipſum turbas, ut neceſſariò facienda eſſent miracula ad hoc ut illarum ſuſtentationi neceſſaria providerentur: *Subiit in montem Ieſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Cùm ſublevaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicũ quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri, Eſt puer unus hìc qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant* x. Eccleſiaſticus y ait.
x Joan. 6, 3, &c.
y Eccl. 40, 21. *Tibia & pſalterium ſuavem faciunt melodiam, & ſuper utraq; lingua ſuavis.* Os eloquens majori ſuavitate trahit ad ſe corda, quàm omnia inſtrumenta muſica dulciter perſonantia. *Fuit Orpheus Poëta ſeu Vates genere Thrax, Calliopes & Apollinis filius, quem à Mercurio, ſive, ut alii habent, à patre Apolline lyram accepiſſe ferunt, eâque tantum valuiſſe, ut illius cantu ſylvas & ſaxa moverit, fluviorum curſum prohibuerit, feraſque mitiores reddiderit*, ait Ca-
z Calepinus in Diction. v. Orpheus. lepinus z poſt fabulam. Quid autem reſiſtere potuiſſet ſuavi modulationi vocis hujus Divini Orphei Jeſu Chriſti? Saxa, rupes, marmora, id eſt, illi quorum erat induratum *cor tanquam*
a Job 41, 15. *lapis* a, ſuavitate vocis ejus emolliebantur, *Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt*
b Matt. 9. 9. *eum* b. Sylvæ, hoc eſt, illi qui erant velut arbores ſteriles, auditâ ſuavi voce ejus alliciebantur ad producenda bona opera, *Zachæus, princeps erat publicanorum, & ipſe dives. Et quærebat videre Ieſum, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum ut videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Stans autem Zachæus dixit ad Dominũ, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum, Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eò quòd & ipſe ſit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere &*
c Luc. 19, 2, &c. *ſalvum facere quod perierat* c. Flumina, ſcilicet illi *qui quaſi aquã iniquitatem* d bibebant, ſiſte-
d Job 15, 16. bant curſum peccatorum ſuorum ad ſuavitatem vocis ejus: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata, fides tua te ſalvam fecit; vade in pa-*
e Luc. 7, 37, &c. *ce* e. Et feræ, id eſt, homines immites, manſueti reddebantur ad loquelam illius, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret*

Damaſci: & ſubitò circunfulſit eũ lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocẽ dicentẽ ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere f?

f Act. 9. 1, &c.

Nec ullum erat ferrum, quod, ſi ſenſibile fieret ad verbum ejus, non traheretur virtute Divini hujus magnetis.

Secundò, id quod extollit fortitudinem eloquentiæ Jeſu, eſt quòd, licèt inimici ejus perſæpè ruinam fuerint illius machinati, & ideò miniſtros miſerint ad apprehendendum illum, tamen *diffuſa gratia in labijs* g ejus tanquam in throno ſuo, tantam præ ſe ferebat virtutem, ut è leonibus quales erant & venerant, reverterentur mãſuetiores ovibus, nedum ſibi commiſſum munus obiiſſent, cum elogiis gloriæ impenſis facundiæ ejus, *Miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros ut apprehenderent eum. Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus. Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri, Nunquam locutus eſt homo, ſicut hic homo* h.

g Pſ. 44. 3.

h Joan. 7, 32, &c.

Si intueremini ſatellites iſtos, diceretis eos annumerari inter illos, quos, cùm erat *David in Naioth in Ramatha, miſit Saul lictores ut raperent David: qui cùm vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, prophetare cœperunt etiam ipſi* i, ita ut iſti etiam prophetent, nedum apprehendant Salvatorem, & quaſi catenæ exeant ex ore ejus, ut dicebatur de Hercule, inveniant ſe ligatos à ſuo captivo. Ideò mirari non debemus ſi *milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus: & poſtquàm illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem; & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent; & crucifixerunt eum* k.

i 1. Reg. 19, 19, & 20.

k Mat. 27. 27, &c.

Ratio, propter quam tanta & ſic dira pertulit à carnificibus iſtis, eſt, quia ſilentium cuſtodivit inter dolores ſuos, ipſius amor induxit ipſum ad tacendum, quaſi vereretur ne verbum ſuum poneret obices paſſioni ſuæ ſi vires auferret inimicis ſuis; poterat illis brachia ipſorum perfringere proferendo vel unum ſolum verbum, ſicut in horto cùm dixit eis, *Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram* l. Sed tacuit, quia vox ipſius obfuiſſet conſulto charitatis ipſius, ſi proſtraviſſet in terram perſecutores ipſius: unicum verbum poterat ipſum educere ex omnibus tormentis ipſius: illud tamen ipſe non protulit, ut oſtenderet quonã ardore pro operanda ſalute noſtra pateretur.

l Jo. 18. 6.

Tertiò, id quod commendat eloquentiam Jeſu, eſt fortitudo vocis ipſius: nullum enim verbum egrediebatur ex ore ejus, quod non eſſet velut hamus ad capiendas animas, *Verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum* m. Unico verbo cepit S. Petrum, & S. Andream, *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum* n. Eodem verbo cepit ſanctum Jacobum, & S. Joannem, *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum* o. Et alios eodem verbo, ut ſuprà jam recenſui.

m Iſa. 55, 11.

n Matt. 4, 18, &c.

o Matth. 4, 21, & 22.

Quin imò & ipſa mors, quantùmvis ſæva, deditionem ejus ſubit, nec poteſt quin obediat fortitudini vocis iſtius, quæ ipſam inducit ad reddendos eos, de quibus ipſa triumphos & trophæa referebat: *Et dixit, Puella ſurge. Et ſurrexit puella* p. *Et ait; Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui* q. Et quantùmvis diceret ei *Martha ſoror ejus qui mortuus fuerat, Domine, jam fœtet: quatriduanus eſt enim: voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus* r. Ecce quomodo omnes iſti defuncti exeunt è dominio mortis, fortitudine verbi hujus, cui pronunciato eâ intentione exequendi illius quod ipſum ſignificat, *nec eſt qui reſiſtat* ſ. Sed unde procedit, quòd verbum iſtud ita potens, nullum habet ampliùs ſupra nos effectum? Deus nos alloquitur, verbum ſuum ipſe nobis annunciat interventu miniſtrorum ſuorum, Prædicatorum, Confeſſariorum, Directorum, & aliorum quibus incumbit ex officio invigilare ſaluti noſtræ promovendæ, & ipſum eſt ſine virtute: Deus inclamat voce contentâ, *Convertimini ad me in toto corde veſtro* t. Nos autem ſumus inſenſibiliores ipſis lapidibus, cùm non inveniat corda ad ipſum ſuſcipiendum diſpoſita. Ha! afferamus zelum ad ipſum audiendum.

p Matth. 9. 25.

q Luc. 7, 14. & 15.

r Joan. 11. 39, &c.

ſ Eſth. 13. 11.

t Joël, 2, 12.

II. Pars.

Si conſideremus emolumenta quæ nobis proveniunt ex auditione verbi Dei, quod nobis annunciatur à Miniſtris ejus, ſeu Concionatoribus ſancti Evangelii, non poſſum quin mirer videndo quòd Chriſtiani renuant illud audire: & ſi intueamur templa noſtra ſic deſerta, videntur iſti nullo duci zelo ſuæ ſalutis operandæ, cùm diſcere recuſent media illi peragendæ opportuna. Salvator loquens de Concionatoribus ſuis in perſona Apoſtolorum ſuorum, ait illis, *Quicumq; non receperit vos, neq; audierit ſermones veſtros,* &c. *Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicij quam illi civitati* †. Quantùm ad tempus præſens non eſt aliquid quod ipſum ſic irritet ac contemptus qui fit ſervorum ipſius, & verbi ab ipſis annunciati. Si autem furorem ſuum immiſit aliàs Deus in populum ſuum, cauſa illius fuit contemptus iſte, *Mittebat Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manum nuntiorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuntios Dei, & parvi pendebant ſermones ejus, illudebantq; Prophetis: donec aſcenderet furor Domini in populum ejus, & eſſet nulla curatio* u.

† Matt. 10 14, & 15.

u 2. Paral. 36, 15. & 16.

Audiſtis ſuprà quomodo Dei Filius diceret, *Qui ex Deo eſt*, id eſt, *per prædeſtinationem æternam* ſecundùm Dionyſium Carthuſianum x poſt Patres, *verba Dei audit*. Illi qui abſunt à concione ſine neceſſitate, non audiunt illa: ſequitur ergo in bona conſequentia, illos non eſſe ex Deo, nec è numero prædeſtinatorum, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*. Cogitate seriò, Auditores, de veritate iſta, & referte illam iis qui abſunt; Nota reprobationis eſt, non audire verbum Dei, & abeſſe à concione ſine neceſſitate. Forte diceris mihi, vos ſcire jam omne illud, quod vobis eſt annunciaturus Concionator. Hæc excuſatio veſtra, eſt vanitas & præſumptio, quæ non poteſt eſſe niſi criminoſa. S. Auguſtinus y, eximius ille vir, qui videbatur nihil

x Dion. Carth. art. 23, in Jo. 8. 47.

y S. Aug. l. 6, Conf. c. 3.

hil ignorare, ſciebat magis quàm vos ſciatis, & tamen nunquam deerat ſingulis diebus Dominicis intereſſe concioni S. Ambroſii, ut ipſemet fatetur, *Ipſum Ambroſium quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem omni die Dominico audiebam.* Vos autem peritos agetis, quaſi verò nihil ampliùs haberetis diſcendum. Quanta cæcitas! Nunquid non hæc ſuperbia prorumpit in exceſſum? Infelicitas eſt ſanguineis lacrymis deflenda. Videtur pudere nos intereſſe ibi ubi habetur ſermo de Deo, & de negotiis noſtræ ſalutis. Quid [a Pſ. 106. 42] poterimus reſpondere præ tribunali juſti judicii Dei? *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum* a. Forſan ſtatuit Deus dare vobis gratias ſuas in hâc concione, & niſi ei interſitis, actum eſt de ſalute veſtra; poſuiſſet verba Deus in ore Concionatoris; in conſcientiâ veſtrâ ſuſcitaſſet tempeſtates, quæ vos induxiſſent ad mittendum peccati mortalis [a Jon. 1. 15. &c] *Ionam in mare, & mare à fervore ſuo ſtetiſſet*, cùm hujuſmodi peccatum mortale ſuſcitet omnes procellas, & tandem cauſet naufragium æternum. *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petram* b? [b Jer. 23. 29] Perſæpè verbum Dei lacrymas educit contritionis è peccatoribus induratis & obſtinatis, non ſecus ac *cùm elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Hoc autem factum eſt poſtquàm *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram* [c Num. 20. 7. &c] *eis, & illa dabit aquas* c. Poſt hæc, Auditores, quomodo juſtificare poteſtis negligentias veſtras? Abſentiæ veſtræ vos condemnant, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia* [d Thren. 1. 4] *ex Deo non eſtis.* Quòd ſi dicebat aliàs Jeremias d, *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem:* Heu! quàm meritò jure dicere poſſumus nos hodie, Eccleſiæ noſtræ plorant, quia pauci ſunt qui conveniant ad ipſas replendas. Dicitur [e Marc. 1. 4] de S. Joanne, *Fuit Ioannes in deſerto prædicans* e. Quàm ritè dicere poſſem de me, quòd prædicem *in deſertis.* Cùm videam quòd tot homines abſint à concione, qui ei poſſent intereſſe, niſi injurioſi eſſent propriæ felicitati, eò quòd nimis ſibi blandiantur in negligentiis ſuis; & interim turmatim currant ad comœdiam, quæ perſæpè eſt naufragium ſanctitatis; ad audiendos hiſtriones, eò uſque ut artifices ſuas claudant officinas, quandiu renuunt venire auditum verbum Dei. Quid dicetis de hominibus hujuſmodi, qui annos ferè tranſigunt integros nedum ulli interſint concioni, licèt proponatur verbum Dei ſingulis quaſi diebus Dominicis & Feſtis? Ego autem di[f Jo. 8. 47]co cum Jeſu Chriſto, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis* f. Forſitan invenientur aliqui, qui veniant auditum concionem, & quare? ut derideant Concionatorem, quia periodos ſuas non habet quadratas, nec electa verba, quæ blandiantur auribus. Clamoſus eſt, inquiunt illi, non utitur niſi minis, replet omnia terroribus, quaſi verò *Deus qui* [g Sap. 1. 13] *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* g [h Matth. 25. 41] *in ignem æternum* h nos deſtinaſſet: anticipariv è nobis aperit infernum, ut in illo ardeamus: Ha! quàm rude eſt iſtud, cùm miſeros nos reddat ante tempus. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audi*[k Jo. 6. 60]*re* k? Intolerabilis vanitas! homines præ ſe ferre volunt mentes ſubtiles, quibus non ſatisfaciat aliquid niſi ſit curioſum. Siccine audiendum eſt verbum Dei, ut hauriatur utilitas ex eo? Nonne illi potiùs irritant Deum, ſuamque ruinam elaborant? Non ſufficit ut audiatur concio, ſed audienda ſic eſt, ut eruatur ex illa emolumentum, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud* l. [l Luc. 11. 28] Audiendum eſt verbum Dei cum ſpiritu devotionis, & præ deſiderio ſuæ ſalutis operandæ, diſponendum eſt cor ad ſuſcipiendum *ſemen* m [m Matth. 13. 3] iſtud ſacrum, quod tot operatur mirabilia, ſicut audiviſtis: memoriæ mandandum eſt id, quod auditum eſt, inſtar B. Virginis memorantis verborum Filii ſui: *Et Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo* n. [n Luc. 2. 51] Retinenda eſt ſubſtantia concionis, non autem ſiſtendum in curioſitate verborum, & in vanitate dictionis: Concionator autem non poteſt eſſe niſi crimi noſus, ſi nullum aliud præ ſe ferat conſilium, quàm demulcendarum aurium. Illuminare debet mentem ſuis luminibus, & inflammare voluntates ſanctis ardoribus diſcurſus ſui; corda conterere compunctione, & Auditores ſuos ad emendationem vitæ priſtinæ inducere: quem enim affectum poſſunt pietatis imprimere iſtæ philomelæ ſeu luſciniæ templorum, quæ non ſunt aliud niſi *vox, & præterea nihil*, ut fert inſcriptio, ſi propriæ ſtudeant vanitati, nedum alienæ ſaluti vacent promovendæ? Ad quid iſtæ cicadæ concinentes tempore meſſis, cùm neceſſarii ſunt operarii, juxta verbum Domini, qui dicebat: *Meſſis quidem multa: operarii autem pauci* o? Hoc eſt prorſus [o Luc. 10. 2] offendere veritatem ac illam ſic fucare, cùm nunquam ſic appareat ſpecioſa, quàm cùm nuda proponitur: proprium eſt mendacio coloribus emendicatis adornari, cùm non ſuſcipiatur niſi ſub ornamentis hujuſmodi deceptoriis. Tandem, Si bona conſervantur eâdem induſtriâ, quæ ſervivit ad ipſa comparanda, quis ambigit quin Concionatores adhærere debeant ſtylo Apoſtolorum ad cuſtodiendos populos in pietate religionis, cujus homines illi cœleſtes mundum primas experiri fecerunt flammas, dum *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* p? [p Pſ. 18. 5] Si ab eo recedunt, dici poſſunt *Adulterantes verbum Dei* q. [q 2. Cor. 2. 17] Cùm enervent virtutem illius, & famem invehant in Eccleſiam, *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis* r. [r Thren. 4. 4] Quia diſcurſus illorum non paſcunt, ſemetipſos inhonorant, & ſe crimino ſos efficiunt, profanantes curioſitatibus ſuis ſanctitatem miniſterii ſui.

Recenſetur de Demoſthene quòd cùm aliàs de maximi momenti rebus eloqueretur Athenis, & videret quòd populus non attenderet ad ea quæ ipſe diceret, infringens diſcurſum ſuum, dixit illis, Jucundum quid, Auditores, habeo vobis enarrandum; ſtatim autem ſuas arrexit aures unuſquiſque ad illud auſcultandum. Tempore æſtatis, inquit, aſinum conduxit quidam ut eo vectus pergeret Athenis Megaram; cùm autem circa horam meridianam, quâ Sol ardebat immodicè, is qui conduxerat aſinum, vellet ſe collocare ſub umbrâ ejus, alter qui eum locaverat, contendebat quòd locaſſet ei aſinum, & non umbram illius; ille verò è contrà reſpondebat, quòd conducto aſino, conduxerat & umbram ejus: quo dicto Demoſthenes receſſit: ſed rogatus à ſuis Auditoribus, ut reliquum perficeret, reſpondit eis, *De umbrâ aſini diſſerentem audire cupitis, de ſalute Græciæ loquentem audire non vultis.* Pervenimus ad hoc tempus, quod minatus eſt nobis S. Paulus ſ, *Erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem* [ſ 2. Tim. 4. 3. & 4]

auditum avertent , ad fabulas autem convertentur. Cùm igitur, Auditores, verbum Dei tantam habeat virtutem, agite ſanctis diſpoſitionibus veſtris ut ſit in vobis efficax ad operandam ſalutem veſtram , & ad comparandam vobis gloriam.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Amen , amen dico vobis : quia plorabitis & flebitis vos , mundus autem gaudebit. Joan. 16. 20.

COmmunis eſt omnium ſeculorum prætoritorum confeſſio, quòd mundus gubernatur
a Baruch 3.25 à prima cauſa, quæ *non habet finem* a, *in ſapientia* b ſuâ, æquè ac in *potentia* c ſua, ad dirigen-
b Pſ. 103. 24
c Pſ. 64. 7 dum numerum infinitum eventuum , & ad impertiendum eis exitum ſecundùm conſilia ſua: omnia enim ſumma Dei attributa non ſunt in ipſo niſi ſola & unica perfectio: ſic omnes creaturæ quæ ſunt in cœlo & in aëre , ſuper terrâ & in mari, non ſunt niſi unica eſſentia , cùm illas unit in ſe ; propterea amat illas amore tenero, & illas conſiderat ut radios luminis ſui , & notas bonitatis ſuæ: *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* ait illi Sapiens d. Et poſt illum S.
d Sap. 11. 25 & 26
e S. Bon. in Sap. 11. 25. & 26 Bonaventura e. *Diligis enim omnia quæ ſunt, ſcilicet bona eorum approbando, & conſervando, unde: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* f.
f Gen. 1. 31 *Gloſſa, Bonus opifex opus ſuum diligit: Deus autem pec-*
g Joa. 1. 3 *catum non fecit, unde: Sine ipſo factum eſt nihil* g, *id*
h Ex S. Aug. tract. 1. in Jo. 1. 3 *eſt, peccatum, ſecundùm Auguſtinum* h. *Et ideò peccatum non diligit, ſed odit, ſecundùm illud : Dilexiſti*
i Pſ. 44. 8 *juſtitiam , & odiſti iniquitatem* i. *Et nihil odiſti eorum quæ feciſti , nullam ſcilicet reprobando. Contra*
k Pſ. 118. 113 *quod dicitur: In quos odio habui* k. *Item : Odiſti om-*
l Pſ. 5. 7 *nes qui operantur iniquitatem* l. *Item: Altiſſimus o-*
m Eccli. 12. 7 *dio habet peccatores* m. *Sed dicendum, quòd non odit facturam ſuam , ſed facturæ vitium, ſicut artifex ſtatuam, quam fecit, diligit: & tamen aliquem nodum in eâ ex parte materiæ exiſtentem odit. Non enim odiens, id eſt, novum aliquid conſtituiſti , ſcilicet de nihilo ipſum creando , aut feciſti de materia præjacenti formando, unde Boetius:*

n Boet. l. 3. de Conſol. Philoſ. metr. 9

Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus, verùm inſita ſummi
Forma Boni, &c.

o Prov. 16. 4 *Unde: Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* o. *Quomodo autem poſſet aliquid, id eſt, ulla creatura permanere, niſi tu voluiſſet, id eſt, niſi tuâ bonitate voluntariè conſervares? Quaſi dicat, Nullo modo. Unde Gregorius : Cuncta quæ ſunt, in nihilum tenderent, niſi manu Creatoris ſuſtentarentur , vel tenerentur. aut quod à te vocatum non eſſet, id eſt , niſi tuâ ſapientiâ intuendo approbares. Qui vocat ea quæ non*
p Rom. 4. 17 *ſunt* p, *&c. conſervaretur? Quaſi dicat, Nihil.* Univerſæ res creatæ quæ ſunt per participationem, habent relationem neceſſariam ad id quod eſt per eſſentiam : ſic ſtellæ & monilia intuentur Solem, & res calidæ reſpiciunt ignem ut menſuram excellentiæ ſuæ: atqui certum eſt, quòd omnes mortales , quòd cunctæ civitates, & univerſa Regna non habent eſſe niſi per participationem: & ideò fatendum eſt , quòd datur Potentia intellectualis in ſummo gradu , ad quam humanæ iſtæ intelligentiæ quæ inſtituerunt leges, formaverunt ſtatus politicos, & erexerunt Reſpublicas, ſemper referri debent: & iſta relatio neceſſaria non eſt aliud niſi Providentia, quam Deus exercet ſuper nos , præſertim verò ſuper Juſtos , ut patet ex verbis Evangelii hodierni. Juſti affliguntur: afflicta fuit *juxta crucem Jeſu Mater ejus* q. Ibi reperiemus illam, ut dice- q Joan. 19. 25
re poſſimus ei, *Ave Maria.*

Ingens hic orbis univerſus , quem videmus, non conſervatur in pulchritudine ſua niſi mediâ providentiâ Authoris ſui , non autem curia alienis ; & partes ejus protectæ ab illo qui ipſas fecit, educunt ab eo auxilium quo ipſæ indigent. Sapiens regimen omnium creaturarum, hæc ita longa concatenatio diverſarum cauſarum ſub genere ſuperiori , & tot contraria quæ componunt inter ſe ſic admirabilem harmoniam, ſunt effectus providentiæ , quæ eaſdem creaturas conſervat eâdem virtute , quâ ipſas produxit. Satis eſt per ſe ferre oculos, & eos aperire ad videndum ordinem in mundo conſtitutum, ad hoc ut credatur, quòd iſte mundus regitur ab eo qui illum creavit: effectus ejus ſunt ita publici , & probationes convincentes, ſunt ubique ſic familiares , ut nemo ſe convertere poſſit quin eas videat, quin & mirabilia contempletur ad minimas uſque formicas, quæ quandam erexerunt veluti Rempublicam ad initia alicujus rubi. Lex non eſt viſibilior oculis mortalium , quàm ſit hæc veritas internis illorum mentibus : velle eam negare, aut illam in dubium revocare ſicut agunt impii & æquo liberiores , hoc eſt inſimulare mendacii naturam, quæ præbet ipſis probationes illius per politiam cœlorum & elementorum , per ſymmetriam corporum, per inſtinctum brutorum , & per commercium quod ipſa fovet inter partes, quarum contrariæ qualitates jugiter intentant mundo generalis deſolationis minas. Eoſdem effectus quos operatur Nauclerus in navi, Auriga in curru, Lex in civitate , & Imperator in exercitu, producit & Deus in regimine mundi. Si intueamur Providentiam in naturâ ; non videbimus in illa niſi miracula quæ nullum habent finem, quæ omnes ſapientes ſtupore perculerunt, animaverunt omnes voces, & univerſas pennas ad capeſſendum volatum erexerunt , Ipſa eſt totum fulcrum noſtrum , tota conſolatio noſtra, & totum refugium noſtrum, quandiu ſumus in iſto mundo : *Non enim habemus*
hic manentem civitatem: ſed futuram inquirimus †. † Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10
Ipſa noſtros refrigerat ardores, noſtras abſtergit lacrymas, noſtra dirumpit vincula, & ab omnibus liberat nos faſtidiis noſtris. Si in tenebris verſamur, ipſa eſt lux noſtra ; ſi dubiis angimur, ipſa eſt conſilium noſtrum; & ſi immerſi ſumus labyrintho periculoſorum errorum , ipſa eſt filum quod nos dirigit ut illinc nos educat , non ſecus ac Ariadnæ filiæ *Minois Regis Cretæ induſtriâ Theſeus ab Athenienſibus Cretam miſſus à Minotauro devorandus, Labyrinthum filo duce quod Ariadne dederat, evaſit , occiſo priùs Minotauro,* ſicut recenſet

Cale

Digitized by Google

r Calep. in Diction. v. Ariadna.
ſ Luc. 1.79
t Dion. Carth. art. 5 in Luc. 1.79

Calepinus r: diſpoſita ſemper *illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis* ſ. Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus t, *Illuminare his, hoc eſt, ad illuminandum eos, qui in tenebris ignorantiæ, & erroris ſeu infidelitatis, & in umbrâ mortis ſedent, id eſt, in vitâ impiâ, quæ umbra mortis vocatur, quia à Deo ſeparat mentem, ſicut mors naturalis ſeu corporalis à corpore ſegregat animam, juxta illud Iſaiæ* u. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum. Ad dirigendos pedes noſtros, hoc eſt affectus, quibus cantamus, Statuit ſupra petram pedes meos* x. *Et in Canticis* y *loquitur Sponſa, Lavi pedes meos. In viam pacis, hoc eſt, ad converſationem juſtam ac virtuoſam, quæ eſt iter ad pacem pectoris in præſenti, atque ad pacem æternitatis in futuro.* Ipſa eſt quæ operuit *infantulum* Moyſen expoſitum *in carectis ripæ fluminis* z à matre ſua; & quâcum *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit* a. Ipſa eſt etiam quæ protegit omnes Juſtos, & quæ non permittit ut diu ſint paſſionibus expoſiti, niſi ut educat lumina ex eclypſibus illorum faſtidioſis, & gloriam ſolidam è cunctis crudelibus illorum tormentis, *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*, dicit nobis S. Paulus b. Tandem, Ipſa eſt fidelis Cuſtos & Speculatrix iſtius orbis ingentis, qui vocatur Mundus: & omnes creaturæ reverterentur ad nihilum, è quo ipſæ fuerunt eductæ, ſi auxilium ipſius eis deeſſet, *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur*, ait illi Pſalmiſta c. Et ſanè ſine manu Dei, qui mare continet intra cubile ſuum, & ideò dicit de eo, *Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi, Uſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos* d: qui ignem coercet in regione ſuâ; & qui jugiter moderatur activitates naturæ, totum hoc univerſum tranſiret in horribilem confuſionem ſimilem ei quæ nobis figuratur cùm habetur nobis ſermo de chao, ſicut dicit Scriptura e, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Iſtud quod conſolatione perfundere nos debet, Auditores, eſt, quòd quandiu ſuper terrâ vivimus, lex naturæ inducit Authorem hominum, ut illorum curam ſuſcipiat; & ſpectat ad bonitatem ejus, ut res neceſſariæ non deſint illis; cùm vel minima animalcula ſubſiſtant beneficiis ipſius, & vivant ipſius eleemoſynis, nedum eas inclament; *Conſiderate corvos, quia non ſeminant neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis* f? ait nobis ipſemet Deus. Qui cùm nos poſuerit in mundo, ut exerceamus hic vicariatum ipſius; & contemplemur opera naturæ, ſicut ait illi Pſalmiſta g de homine, *Quid eſt homo quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam viſitas eum? minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* h; *oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi: volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*: ex quadam condecentiâ debet nobis primis providentiæ ſuæ dona largiri. Et ſanè ſicut Sol nunquam fatigatur effundere ſuas influētias ad conſervationem eorum, quorum generationes non acciderunt niſi ex concurſu ipſius: ita Deus cujus liberalitas eſt infinita, non denegabit auxilium ſuum rebus, quas creavit, præcipuè verò homini, cujus anima formata eſt ad imaginem ipſius, & eſt ad gloriam ipſius poſſidendam deſtinata. *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* i. Ille qui prætendit ad paradiſum, non confidit niſi Deo ſoli, dicens ei, *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine ſpes mea à juventute mea* k. Ipſe contemplatur politiam totius orbis hujus ut purum effectum providentiæ illius, ſeque reperit alitum beneficiis ejus jugibus, cinctum luminibus ipſius, & præventum ab eo *in benedictionibus dulcedinis* l. Adorat Deū ſingulis momentis ſicut illum qui eſt ſuum primum *Principium, & Finis* m ultimus ſuus; diligit illum ſuum *ex toto corde, in tota anima, & in tota mente* n ſua, ſe projicit in ſinū ejus, dormitat ſuper corde illius, & inter brachia ipſius; & quidquid ipſi accidat, dicit in ſemetipſo, *Deus abſconditorum cognitor, qui omnia antequàm fiant* o *novit; & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* p: gubernat univerſa, *ſed omnia in menſura, & numero, & pondere* q diſpoſuit ſapientiâ ſuâ. *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* †. Nihil igitur mihi poteſt accidere quod ipſe non velit, & non judicet operandæ ſaluti meæ valdè opportunum. Deſiderans igitur, Auditores, inducere vos ad exhibendam huic ſupremæ Providentiæ reverentiam, volo vobis illam oſtendere Primò univerſalem ſuper omnes creaturas. Secundò particularem ſuper eaſdem res creatas, id eſt, ſuper mala naturæ, ſuper peccata impiorum, & ſuper afflictiones Juſtorum. Utramque examinabimus in duplici parte diſcurſus iſtius.

u Iſai. 59.2
x ex Pſ. 39.3
y Cant. 5.3
z Exod. 2.3
a Dan. 3. 49. & 50
b 1. Cor. 10.13
c Pſ. 103. 29
d Job 38. 10. & 11
e Gen. 1.2
f Luc. 12. 24. & 25
g Pſ. 8. 5. &c
h ex Gen. 1.28
i Gen. 9.6
k Pſ. 70.5
l Pſ. 20.4
m Apoc. 1.8
n Matth. 22.37
o Dan. 13. 42
p Hebr. 4. 13. ex Pſ. 33.16. & ex Eccli. 15.20
q Sap. 11.21
† Sap. 8.1
Diviſio

I. Pars

Eſt verè in Deo providentia univerſalis ſuper omnes res creatas: ſed intelligenda eſt per providentiam cogitatio & voluntas dandi cuilibet rei id quod eſt ipſi conveniens ad hoc ut perveniat ad finem ſuum: propterea dicit S. Thomas r, procedens *ad ea, quæ reſpiciunt ſimul intellectum & voluntatem, hujuſmodi autem eſt providentia quidem reſpectu omnium. Cùm autem Deus ſit cauſa rerum per ſuum intellectum, & ſic cujuslibet ſui effectus, oportet rationem inipſo præexiſtere (ut ex ſuperioribus* ſ *patet:) neceſſe eſt quòd ratio ordinis rerum in mente divina præexiſtat. Ratio autem ordinandorum in finem propriè providentia eſt.* Deus habuit ab æterno hanc voluntatem, æquè ac cogitationem erga univerſas creaturas: habet enim ſapientiam infinitam, quâ cognoſcit res univerſas vel minimas & viliſſimas cum omnibus mediis neceſſariis, quorum interventu ipſæ perveniant ad finem ſuum: habet etiam miſericordiam & juſtitiam, quæ ipſum inducunt ad benefaciendum creaturis, *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas* t. Et ideò poſt conſiderationem iſtorum attributorum dicendum eſt, quòd verè Deus habet curam & providentiam erga ſuas creaturas. Hoc autem certiùs poteſt agnoſci ex duratione & conſervatione iſtius mundi ſemper in eodem ſtatu, à quinque millibus annorum & ſexcentis & ſuprà à quibus creatus eſt: Planetæ & ſtellæ poſt longos curſus ad locum ſuum revertuntur unde exierant: Elementa inter continuum qualitatum ſuarum contrariarum bellum non ſunt tamen infirmata: Quatuor anni tempeſtates ſaltare videntur in orbem, & redeunt infallibiliter ternis quibuslibet menſibus ſingulæ aliæ poſt alias: Species animalium, plantarum, lapidum, &

r S. Thom. 1. p. q. 22. a. 1
ſ q. 21. a. 4
t Pſ. 24.10

foſ-

foſſilium ſeſe fovent in multiplicitate diverſâ individuorum, quæ ſibi ſuccedunt ad invicem abſque ullâ interruptione. Quomodo talis ordo durare poſſet ita diu, ſi nullus ipſi generaliter præeſſet? Magni exercitus compoſiti ex hominibus rationalibus, citò diſperguntur, niſi Dux induſtrius ipſorum curam ſuſcipiat ac regimen: quomodo ergo mundus compoſitus quantùm ad maximam ſui partem è creaturis ratione æquè ac ſenſu deſtitutis, non deordinaretur, ſi Deus ipſius curam mediâ providentiâ ſuâ non ſuſciperet? Tandem, Rectæ rationi conſonum eſt, ut ſummus Author creaturarum aliquam ipſarum curam ſuſcipiat: *Neceſſe enim eſt, eundem eſſe eorum quæ ſunt, & Factorem & Proviſorem. Nam neque decet, neque conſequens eſt, alium Factorem eſſe eorum quæ ſunt, & alium Proviſorem: ſic enim imbecillitati uterque ſubjaceret, hic non faciendi, ille non providendi*, ait S. Damaſcenus u. Et S. Ambroſius x, *Et quis operator negligat operis ſui curam? Quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe, cùm aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia?* Parentes neceſſaria provident liberis ſuis educandis & inſtituendis: *Gallina congregat pullos ſuos ſub alas* y, & ardore tabeſcit ac affectu ut illis provideat requiſita: Quin imò & ferociſſimæ quæque belluæ inſtinctu naturali ſuis alimenta tribuunt catulis. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos* z. Univerſa hæc exempla non ſunt niſi adumbrationes & veſtigia providentiæ Creatoris, quæ eſt univerſalis ſuper omnes creaturas.

u S. Damaſc. l. 2. de Fid. Orth. c. 29

x S. Ambr. l. 1. Offic. c. 13

y Matth. 23. 37. & 4. Eſdr. 1. 30

z Thren. 4. 3

Conſideremus infallibilitatem divinæ Providentiæ ad dirigendas omnes creaturas ad ipſarum finem generalem: Quælibet enim creatura duos habet fines. Primus eſt finis particularis, qui eſt proprius & ſpecialis ſaltem cuilibet ſpeciei creaturæ: cæteræ enim creaturæ ſunt omnes propter obſequium & utilitates hominis, aut propter alimentum ejus, aut propter indumentum illius, vel ob illius exercitium, aut ob illius oblectamentum, vel ob aliquod aliud emolumentum: homo verò eſt ad ſerviendum Deo, ad illum laudandum & honorandum, iſte eſt finis ipſius particularis. Licèt Deus ut ſapiens Proviſor dediſſet omnia quæ erant neceſſaria creaturis ut pervenirent ad iſtum finem particularem; perſæpè tamen contingit ut ei deſint, ſive propter aliquem caſum, ſicut ſi arbor aliqua, quæ eſt propter oblectamentum hominis, nudatur ramis ſuis, & ſpoliatur foliis & floribus ſuis ex ipſo veris principio: ſive ex libertate hominis, qui ſe determinat juxta beneplacitum ſuũ ad offendendum Deum ſuum, nedum ſuas exhibeat illi reverentias & adorationes. Secundus finis creaturarum, eſt finis ipſarum generalis, qui non eſt alius niſi gloria Dei, & manifeſtatio attributorum ejus, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, &c. *Univerſa propter ſemetipſũ operatus eſt Dominus* a. Iſte verò finis nunquam deficit; quidquid accidat in mundo, perfectiones Dei ibi apparent & manifeſtantur. Sapientia & potentia ipſius æquè micant in creaturis enormis magnitudinis, ac in illis quæ ſunt ultimæ parvitatis: ſi illæ quæ ſunt florentes, & in optimo ſtatu, teſtantur magnificentiam ejus; cùm ſunt humiliatæ & exinanitæ corruptione ſuâ, tunc velut obſequium exhibent ſupremæ majeſtati ejus, & proteſtantur defectu ſuo, quòd ipſe *magnus eſt* b, *qui ſolus habet immortalitatem* c, æquè ac immutabilitatem, *Et tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient* d. Eodem modo ſe res habet de homine, ſi pravo uſu libertatis ſuæ contemnens media quæ ſunt ipſi ordinata à Deo, deeſt fini ſuo particulari, qui eſt paradiſus, non deerit tamen fini ſuo generali, qui eſt manifeſtatio attributorum Dei ſui: nam in ingens damnum ſuum, præcipitatus *in ignem æternum* f, manifeſtabit, licèt invitus, juſtitiam ejus per pœnas ſuas, & cognoſcet, & aliis oſtendet, *Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus* g, quâ plectit peccata ipſius tantis tormentis. Sic iſta ſumma Providentia eſt infallibilis, nec deeſt unquam ſcopo, ad quem tendit, educens manifeſtationem gloriæ ſuæ ex omnibus creaturis, & ex univerſis illarum ſtatibus.

a Prov. 16. 4

b Baruch 3. 25

c 1. Tim. 6. 16

d Hebr. 1. 10. &c. ex Pſ. 101. 26. &c

f Matth. 25. 41

g Pſ. 10. 7

Obſervemus etiam, Auditores, ſuavitatem iſtius divinæ Providentiæ, quæ ſita eſt in hoc, quòd Deus ſe accommodat ad captum diverſarum naturarum & variorum agentium iſtius mundi: nam ſicut perfectio iſtius mundi eſt maxima bonitas poſt bonitatem Dei; ita mundus iſte deberet inſtructus eſſe omni genere graduũ; inde fit ut in illo reperiatur triplex genus agentium, aut cauſarum. Primæ cauſæ ſunt neceſſariæ, quæ producunt effectus ſuos neceſſariò, nedum impediri poſſint quin illos producant, ſicut Sol oriens, & effundens lumina ſua. Secundæ, ſunt contingentes, quæ obeunt quidem functiones ſuas neceſſariò, ſed tamen impediri poſſunt aliquo caſu, ſicut arbor quin fructum ferat ob gelu, vel propter grandines. Tertiæ, ſunt liberæ, quæ agere poſſunt, & non agere ſecundùm electionem ſuam. Inde oritur etiam, quòd in mundo ſit diverſitas conditionum & qualitatum inter creaturas, quarum aliquæ ſunt ſubditæ & inferiores, aliæ verò poteſtate vigent & ſunt ſuperiores; illæ ſunt infirmæ, iſtæ verò potentes; illæ ſunt brevis durationis, iſtæ autem diuturnioris. Perfectio mundi ad hoc ut eſſet omni ex parte abſolutus, omnem requirebat iſtam diverſitatem agentium & conditionum: ipſe non eſſet pulcher ſine hâc diverſitate & inæqualitate creaturarum: ideò ſpectabat ad divinam Providentiam ut hanc diverſitatem in mundo collocaret ac inæqualitatem tot variorum entium. Ad eandem ſimiliter pertinet ut eum conſervet: ipſi proprium eſt ut non corrumpat naturam eorundem entium: propter hunc finem ipſa ſinit ut agant omnes cauſæ ſecundùm naturam & potentiam ſuam; ut neceſſariæ neceſſariò tendant ad finem ſuum, & liberæ liberè. Cooperatur etiam cum omnibus creaturis ſecundùm captum & extenſionem virium ipſarum; quod efficit ut ſuperiores ſervituti addictas teneant inferiores, ut fortiores ſuperent infirmas, & ut unaquæque finem ſortiatur cùm principia naturæ diſpoſita ſunt ad inferendam ipſi jacturam: *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* h. Id eſt, accommodat ſe Deus ad captum uniuſcujuſque cauſæ providentiâ ſuâ ordinariâ. Illud ergo credo, Deus mi, de illo non poſſum ambigere, illud infallibiliter credo: ipſe providentiam habes univerſalem ſuper omnes creaturas, ſuper cunctos homines terræ, imò verò & ſuper illos qui te negligunt, quique nullam impendunt operam ad tibi ſerviendum, nec ullo mo-

h Sap. 8. 1

modo de exhibendis tibi reverentiis ſunt ſolliciti. Heu! quàm ægrè fero ut veritas ita clara & ſic apparens reſpuatur in mundo a miſeris hominibus, qui voluntariè ſe privant conſideratione omnium ſuaviſſimâ: quæ enim cogitatio majori perfundere poteſt mortales conſolatione inter tot eventus contrarios, quàm intueri omnia provenire, non è tyrannide fati, vel è cæcitate fortunæ, ſed è providentiâ Dei? Adorate ergo, mortales, hanc ſapientem Dei gubernationem, quæ neceſſaria vobis providet inter varios vitæ iſtius anfractus, & nolite murmurare de tot inæqualitatibus, quas videtis in mundo, neque vobis contingat unquam ut vos exhibere velitis reformatores ordinis ſic ſapienter inſtituti. Eſt enim injuſtitiæ condemnari, ac ſuſtinere quòd creaturæ quæ habent actiones ſuas liberas, deberent eas habere coactas, quòd infirmæ deberent eſſe perfectæ, quòd inferiores deberent eſſe ſuperiores, & quòd voluptates caducæ deberent eſſe immortales. Spectat ad Providentiam conſervare rem quamlibet, quantùm vires ejuſdem rei requirunt: quòd ſi aliquia particularis ibi diſpendium patitur; ſi Luna minus habeat claritatis quàm Sol; ſi pauper minus habet boni quàm dives; ſi ovis devoratur à lupo qui fortior eſt; ſi viator afficitur moleſtiâ propter pluvias; ſi *animalis homo*, qui *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* i, citiùs ablactatur à voluptatibus & oblectamentis ſuis interventu mortis improviſæ, violentæ, vel naturalis, Deus quotidie non debet patrare miracula ad iſtud impediendum; hoc eſſet deformare pulchritudinem iſtius orbis, & illius ordinem invertere. Quidquid igitur accidat, Auditores, ſive proſperitas, ſive adverſitas, imò verò dato quòd nò redacti eſſetis anguſtiarum ut miſerrimi omnium eſſetis hominum, cavete ne deſeratis unquam vexillum magni Domini veſtri; ſed benedicite ſemper ſummam illius providentiam. Ha! rectæ non eſſet rationi conſonum, ut ſe Deus ſic ſuaviter accommodaret ad exigentiam tot diverſarum naturarum, & quòd mentes veſtræ accommodare ſe vellent ad ordinem communem diſpoſitionum illius. *Iam cùm ad ipſas rerum temporalium varietates cogitatio humana convertitur, quanta ſe opponunt caligines? quanti pravarum opinionum oboriuntur errores, ut de objectu contrario rum ſumatur materia querelarum. Nam licèt omnium Fidelium corda non dubitent ullis mundi hujus partibus nullisque temporibus Providentiam abeſſe divinam, nec de ſtellarum poteſtate, quæ nulla eſt, ſecularium negotiorum pondere provectus, ſed æquiſſimo & clementiſſimo ſummi Regis arbitrio cuncta diſponi, quoniam ſcriptum eſt, Univerſa via Domini miſericordia & veritas* k: *tamen cùm quædam non ſecundùm deſideria noſtra procedunt, & ſub humani errore judicii ſuperior eſt plerùmque iniqui cauſa quàm juſti, vicinum nimis atque contiguum eſt, ut etiam magnos animos iſta concutiant, atque in aliquot illicita cauſationis murmur impellant: ſiquidem iſtis varietatibus etiam excellentiſſimus Propheta David* l *uſque ad periculum ſe turbatum profiteatur, & dicat: Mei autem penè effuſi ſunt greſſus, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Unde quia paucorum eſt tam ſolida fortitudo, ut nullâ iniquitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non adverſa tantùm, ſed etiam ſecunda corrumpant, ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligens eſt adhibenda curatio*, ait ſanctus Auguſtinus m. Nimi-

i 1. Cor. 2. 14

k Pſ. 24. 10

l ex Pſ. 72. 3

m S. Aug. ſerm. 63. de Temp.

rum, oſtendendo vobis hanc Providentiam, (quam vidiſtis hactenus univerſalem ſuper omnes creaturas) particularem ſuper eaſdem, quantùm ad mala naturæ, quantùm ad peccata impiorum, & quantùm ad afflictiones Juſtorum.

Providentia Dei vituperatur ab audaciâ hominum æquo liberiorum, intuitu monſtrorum, draconum, ſerpentium, & multorum animalium viliſſimorum, quæ videntur ipſis mala & indignitates naturæ, ſuper quæ ſuam Deus non extendat providentiam. Perpendite quòd Providentia Dei ſuper res omnes extenditur, & quòd ipſemet Deus indignum non judicet ut intueatur eas, cùm illarum ſit artifex. Iſtud eſt inſigne magnitudinis & virtutis infinitæ mentia ipſius, æquè intueri iſtud quod eſt exiliſſimum & contemptibiliſſimum in naturâ, ac illud quòd in eâ apparet maximum & honorabiliſſimum: ſic lux Solis apparet ſplendidior, cùm illuminans apicem montium, illuſtrat etiam profunditates vallium; & cùm ſuam ſuper ſublimiſſimas cedros diffundens lucem, ſuo ſimul lumine perfundit exiguas herbas humi repentes. Et quantùm ad monſtra, Cùm Deus ſit univerſalis Proviſor iſtius mundi, ſi aliqua cauſa contingens caſu aliquo pravo producit effectum ſuum defectivum, ipſe non debet illum impedire. Præterquàm quòd monſtrum iſtud non eſt inutile; perſæpè ſervit loco præſagii ad indicandum futurum, ſplendorem affert creaturis ſpeciei ſuæ, & deformitate ſuâ illas intuendas exhibet ſpecioſiores, in quo ipſum tribuit eis anſam, ſi illæ ratione ſint prædite, agendi gratias Creatori ſuo pro eo quòd ipſæ non ſint monſtroſæ & defectivæ in compoſitione ſuâ. Et quantùm ad viliſſima animalia, & beſtias maleficas & periculoſas propter ipſarum dentes, ungues, aut venena, omnes iſtæ creaturæ habent bonitatem in natura ſua; inter gradus entium ipſæ tenent ordinem ſuum, & replent locum cujus vacuum infringeret ſpecioſam ſymmetriam & jucundam proportionem iſtius orbis; *Si radas ſupercilium hominis, parvam rem demis, ſed totius corporis ingeris fœditatem: ita & in univerſitate creatura, ſi extremum vermiculum natura malum dixeris, univerſa creaturæ injuriam facis*, ait S. Iſidorus n. Præterea, dentes, ungues, & venena ſunt iſtis animalibus neceſſaria ad defenſionem ſuam: quòd ſi aliquando ipſa ſunt hominibus noxia, ideò quia ſic decrevit Providentia divina, quæ illis utitur ut miniſtris Juſtitiæ ſuæ vindicativæ ad hoc ut puniat illorum peccata, ſine quibus ab illis nullum damnum ſuſtineret. Tandem, iſtæ beſtiæ multas habent utilitates, quas ſapientiſſimi quique apprimè cognoſcunt, cùm ipſi illis indigent.

Divina Providentia impetitur ab aliis, qui ipſi improperant quare ipſa non impediat efficaciter, ſicut poſſet, tot enormia peccata, quæ quotidie patrantur in mundo, quæque magis ac magis replent inferos. Attendite ſuper hæc improperia, quòd pertinet ad divinam Providentiam, poſtquàm prohibuit peccatum, *Declina à malo* o, & providit hominibus gratias ſufficientes ad illud evitandum, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei* p? ut ſinat illos agere ſecundùm voluntates ſuas quandiu durabit hæc ipſorū vita ſuper terrâ. Ratio iſtius eſt, Quia hæc divina Providentia mutare non debet & deſtruere naturam entium, atqui homo creatus fuit liber ad agendum

II. Pars

n S. Iſid. l. 1. de ſum. Bono c. 4

o Pſ. 36

p Iſa. 5. 4

 bon

bonum aut malum, nedum cogeretur ad hoc, aut ad illud patrandum: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei* q. Propterea Deus illum relinquere debet in hujuſmodi libertate, nedum ullam inferat violentiam actionibus, quarum ipſemet homo dominus eſt: alioquin idem homo jure merito quereretur, & diceret, quod Deus ipſum exciperet inſtar aſini, ut ipſum compelleret ad incedendum invitum versus cœlum, alligando manus ipſius catenis, & pedes ipſius vinculis, ut ipſum regeret more servi vel captivi contra jus nobilitatis & libertatis ſuæ naturalis: ita ut divina Providentia appareat in libertate committendorum peccatorum, quam relinquit hominibus: ſed hæc magis manifeſtatur, cùm è corruptione peccati educit ipſa nativitatem alicujus boni. Unde concludit S. Thomas r, *Cùm igitur Deus ſit univerſalis Proviſor totius entis, ad ipſius providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo: non enim eſſet vita leonis ſi non eſſet occiſio animalium: nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum.* E peccato Adæ ſ, Deus otiri fecit incarnationem Verbi divini t: *Medicina ideò inventa eſt ut pellatur vitium, & ſanetur natura. Venit ergo Salvator ad genus humanum, nullum ſanum invenit, ideò magnus Medicus venit*, ait ſanctus Auguſtinus †. Memoria peccatorum præteritorum porrexit multis Sanctis anſam humiliandi ſeipſos diffidendi viribus ſuis, attendendi ſibi imposterum, & ingrediendi in magnum fervorem, ut remunerarentur magnum malum majori bono; ita ut per occaſionem peccatum ſerviverit ſaluti ipſorum. Talis fuit David, ut patet ex ejus Pſalmis u: talis fuit & ſanctus Auguſtinus inter alios, ut videre eſt è Confeſſionibus illius, qui concludit. *Neque enim Deus omnipotens* x, *quod etiam infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus* y, *ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, ut benefaceret etiam de malo* z. Benedicamus igitur, Auditores, Providentiam divinam in permiſſione peccati. Domine, tu habes providentiam in præcipitationibus noſtris, ſapientiam in ſtultitiis noſtris, & bonitatem in malitiis noſtris; orlti facis roſas è ſpinis noſtris; tribuis nobis *Salutem ex inimicis noſtris* a. Et metis inde bonum, ubi non eſt ſatum niſi malum: *Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus* b? Hæ, iſtud eſt arcanum admirabile divinæ Providentiæ tuæ!

q Eccli. 15. 14. ex Gen. 1. 25

r S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. ad 2

ſ Gen. 3. 6

t Jo. 1. 14

† S. Aug. ſerm 6. de Verb. Apoſt. c. 10

u Pſ. 50. 5. &c. & Pſ. 38. 2

x ex Eſth. 13. 9

y ex Pſ. 118. 68

z S. Aug. in Enchirid. c. 11

a Luc. 1. 71

b Matth. 7. 16

Aliqui æquo liberiores de divina Providentia queruntur intuitu afflictionum inevitabilium quibus multi Juſti impetuntur. Hæc querela eſt magis ordinaria: ſed ſi homines judicio vigerent ſano, & mentem non haberent depravatam, tanti ducerent ſolam virtutem, licèt ipſa ſubjaceret oppreſſionibus, inopiæ, ignominiæ, opprobriis, & tormentis, ut contemnerent omnia bona & commoda mundi, quæ non ſerviunt multis niſi loco eſcarum & laqueorum, quibus allecti & irretiti, jacturam gloriæ, & damnationem æternam incurrunt; cùm è contrà afflictiones, anguſtiæ & infirmitates ſint media adipiſcendæ veræ virtuti opportuna, quorum interventu hæc triumphat, & in cœlo locum ſibi comparat glorioſiſſimum. Ita ut denuò conſiderando id quod dixi in priori parte, quòd divina Providentia conſiſtit in cogitationibus & in voluntatibus quas Deus habet providendi creaturis media aſſequendo fini ipſarum conſona; homines ſibi facilè perſuaderent, quòd Deus ampliorem habet providentiam ſuper Juſtos quos rudioribus onerat adverſitatibus, & quos examinat inter certamina difficillima, cùm hæc ſint ipſis media ſecuriſſimè optandæ ſaluti ſuæ congruentia. Sic quid habent concupiſcendum in mundo, niſi ut illum citò deſerant, ut frui Deo poſſint in gloria, quod eſt totum deſiderium ipſorum, dicendo cum Pſalmiſta, & cum Apoſtolo: *Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam* c, habendo *deſiderium diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* d. Et ſanè vitæ probatæ ſunt homines & juſti in eo, quòd ſuos non collocant affectus in rebus terrenis, ſicut iſtis adhærent impii. *Sed dicet aliquis*, ait ſanctus Dionyſius e, *Non eſt juſtitiæ & æquitatis, pati ſanctos viros, ſine auxilio à noxis affligi. Cui reſpondendum, Si ii, quos Sanctos appellat, chara habent ea, quæ in terra ſunt, quibus terreni homines ſtudent: illos planè amiſiſſe divinum amorem: ac neſcio qui Sancti appellentur ii, qui injuriam faciunt iis quæ verè amanda ſunt, atque divinis rebus, dum illa iis quæ ſtudia eſſe non debent, neque amari ab ipſis, non honeſtè obſcurantur. Sin ea quæ re verâ ſunt, amant: lætari debent ii qui aliqua expetunt, cùm ea quæ captabant, aſſequuntur. Annon propiùs accedunt ad Angelicas virtutes tam, cùm pro virili parte divinarum rerum cupiditate ducti, à terrenorum bonorum ſtudiis ſecedunt, atque ad hoc fortiter exercentur in iis periculis & malis, quæ honeſti causâ perferunt? Itaque hoc verè dici poteſt, potiùs eſſe divinæ Iuſtitiæ proprium, non demulcere, & diſſolvere virilem optimi cujuſque animum terrenorum bonorum largitionibus.* Propterea nullus è Sanctis fuit unquam coronatus, niſi priùs fuerit certaminibus expoſitus, & iis ritè fuerit perfunctus: *Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit* f. Omnes fuerunt afflictionibus, adverſitatibus, & perſecutionibus impetiti g: ſolus Salomon qui *nec prohibuit ſuum cor quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ* h præparaverat ipſemet, vixit in deliciis, qui ideò fortaſſis æternam incucurrit jacturam & damnationem.

c Pſ. 72. 25. &c.

d Philipp. 1. 23

e S. Dion. l. de div. Nom. c. 8

f 2. Tim. 2. 5

g Hebr. 11. 33. &c.

h Eccl. 2. 10

Illi qui compingunt horoſcopos, dicunt, quod iſle qui naſcitur ſub dominatione Jovis, quæ vocatur ab ipſis Fortuna major; aut cujus nativitati præſidet aliquod aſtrum benignum ſine conjunctione alterius quod ſit funeſtum; polliceri ſibi debet per totius vitæ ſuæ decurſum omne genus favorum, proſperitatum, quietis, atque felicitatis. Sed hæc non ſunt niſi commenta, quæ fingunt iſti concinnatores horoſcoporum, qui induſtrii haberi volunt, & Prophetæ reputati, aut viri qui legant futura mediis characteribus, quos dicunt eſſe in cœlis, ſicut nos legimus in libris hiſtorias rerum præteritarum. Vultiſne, Auditores, ut paucis verbis & præ veritate feli-

Felicem concinnem vobis Horoſcopum? Eſtiſne afflicti? impetunt ne vos mala? ſuſtinetiſne adverſitates,& perſecutiones? ha, adorate divinam Providentiam quæ hæc omnia mittit ad vos! Si vultis, felicitas venit ad fores veſtras, magnitudines vos expectant, ſuprema dominia & Regiæ dignitates citò penes vos erunt, omnes eritis Reges, afflictiones & tolerantiæ ſunt notæ infallibiles gloriæ & Regni, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* i. Macti igitur animo, Auditores, ſi labores & infirmitates bellum vobis indicunt, habetis unde gaudio perfundamini immodico, cùm ſigna ſint divinæ Providentiæ, æquè ac notæ magnitudinis & felicitatis veſtræ, ſicut & teſtimonia amoris Jeſu Chriſti erga vos, cùm potandum vobis porrigere dignetur eundem *calicem, quem* k ipſe bibit. Quòd ſi adverſitatum veſtrarum continuatio, aut violentia vobis reddit hunc calicem nimis amarum; imitamini Naturales hos induſtrios, qui ut auferant omnem ſalſedinem & amaritudinem ab aquâ maris, collocant eam in clibano cereo, qui eſt maximè poroſus, & deinde ſatagentes eam calefieri, exhalari faciunt per poros iſtius clibani cerei omne quod aqua habet ſalſi & amari, & ſic reddunt eam dulcem & potabilem: projicite omnes labores veſtros, cuncta certamina veſtra, & univerſas paſſiones veſtras in cor Jeſu Chriſti, quod eſt veluti clibanus cereus, & totus perforatus, ſicut ipſemet ait, *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei* l. Conſiderate quod illud *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* m propter vos, & quòd ipſum ardet amore in gratiam veſtri; calefacite hanc conſiderationem deſiderio ardenti patiendi pro illo ad imitationem ejus; *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* n. Ha! procuidubio ſalſedo afflictionum veſtrarum & amaritudo omnium anguſtiarum veſtrarum mutabuntur in dulcedinem, cùm iſtæ mittantur ad vos à ſuavi manu divinæ Providentiæ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* o. Et tunc non habebitis pœnas & labores, cùm eorum non ſitis habituri ſatis ad hoc ut eum meliùs imitemini, & conformetis vos ad hoc prototypon perfectum, ut ematis laboribus veſtris momentaneis gratiam ejus quæ eſt ſine pretio, gloriam illius quæ caret fine, & Regnum ipſius quod eſt æternum. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* p.

i Matth. 5.10
k Matth. 20.18
l Pſ. 21.15
m Joan. 19.34
n 1. Petr. 2.21
o Sap. 8.1
p 2. Cor. 4.17

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Paraclitus, cùm venerit, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio: quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt. Joan. 16.7. &c.

Etiamſi nulla ſit virtus, quæ reddat homines magis commendabiles quàm juſtitia, nulla tamen eſt quam iſti ita parùm requirant. Omnes homines illam quidem æſtimant, eò quòd illa reddit ipſos immortales per veram ſapientiam, quam ipſis communicat, attamen nunquam praxis illius fuit rarior. Licèt nihil ſit quod ſe magis opponat hominum conditioni, quàm violare leges illius, non ſolùm virtus hæc ſublimis eos Angelis reddit ſimiles, qui ipſam inviolatè cuſtodiunt ex quo *dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux* a: *In quâ naturâ intelliguntur omnes Angeli ſancti, atque virtutes* b, quos *creavit, ſimul condens in eis naturam, & largiens gratiam* c, ait ſanctus Auguſtinus: & hoc ex tunc quo *factum eſt prælium magnum in cœlo, & Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone* d: ſed etiam Divinitati, quæ eſt *principium & finis* e veræ & æquæ juſtitiæ. Et tamen non obſtantibus his ſublimibus & exquiſitis prærogativis ſeculo vivimus ita perverſo ut videatur ipſis ſatis ſi illam concupiſcant omnibus creaturis, nedum eam velint ſibimetipſis, aut illius exercitium. Si cœlum non cuſtodivit fideliter ordinem ipſi præſcriptum a ſumma Sapientia, quæ *attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* f; nec exactè gyravit & jugiter motu æquali, accuſant illud injuſtitiæ propter hanc inobedientiam: & ſi Sol interrumpens curſum ſuum, privat ipſos lumine, divinâ Providentiâ ſic decernente, crudelitatis illum inſimulant; tandem, ſi aſtra ſuper ipſos continuas & benignas non effundunt influentias, contentâ voce inclamant ea conſcia criminis læſæ divinæ Juſtitiæ, quæ videtur non creaviſſe ea, niſi ut ipſis faverent hujuſmodi influentiis. Homines ſoli tranſgredientes omnes leges tam divinas quàm humanas, ab hoc juſto ſe putant immunes improperio, ut condemnent creaturas inanimatas, quæ in omnibus ſuis actionibus obediunt perfectè divinæ Bonitati, ſicut ait Pſalmiſta g, Deum alloquens; *Ordinatione tuâ perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi*: quæ divina Bonitas præcipit eidem cœlo inordinationem ipſius, Soli eidem obſcurationem ipſius, & iiſdem aſtris denegationem influentiarum ſuarum, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur* h, in pœnam (vel ex hâc ipsâ vitâ) inobedientiæ hominum, & ad præſagiendas eis juſtas punitiones quæ pronunciabuntur illis ipſo die judicii, cujus erit adventus propè, cùm erunt, & videbuntur hæc horribilia in cœlo *ſigna, in Sole, & Luna, & ſtellis* i, quæ præcedent diem judicii, de quo loquitur Evangelium hodiernum, dicens, quòd *Paraclitus cùm venerit, arguet mundum de judicio*, quod manifeſtavit in illo quod factum eſt in perſonâ Principis iſtius ſeculi, *Quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt.* Nimirum, *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* k. Cùm iſti æquè ac illi fuerint abuſi gratiâ, quâ Maria repleta erat, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* l *Maria.*

Communis eſt inter Theologos ſententia, quòd ſubditi non alligantur legibus ſummarum Poteſtatum, antequam iſtæ illis publicentur: im-

a Gen. 1.3
b S. Aug. l. 1. de Geneſ. ad lit. c. 8
c Idem l. 12. de Civit. Dei, c. 9
d Apoc. 12.7
e Apoc. 1.8
f Sap. 8.1
g Pſ. 118. 91
h Matth. 24.29
i Luc. 21. 25
k Apoc. 12.9
l Luc. 1. 28

m S. Thomas 1. 2. q. 90 a. 1. in corp.

ponuntur enim leges ut inſerviant loco regulæ & menſuræ ſicut ait S. Thomas m, *Quòd lex quædam regula eſt & menſura actuum, ſecundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum: regula autem & menſura humanorum actuum eſt ratio quæ eſt principium primum actuum humanorum.* Propterea ſicut applicantur regula & menſura rebus quæ debent regulari & menſurari, leges etiam, ut habeant virtutem obligandi, quod eſt proprium legi, requirunt ut applicentur hominibus, qui ſuam deſumere debent inde directionem: hæc autem applicatio ſolùm fit per notitiam quæ habetur præcepti per eandem ipſius publicationem: unde eſt neceſſariò concludendum, quòd publicatio mandatorum eſt abſolutè neceſſaria ad tribuendam ipſis vim & virtutem obligandi: alioquin non poteſt ſine injuſtitiâ ferri decretum ad puniendos eos, qui præ ignorantiâ non obſervant ea fideliter: ut enim mereatur quis ſupplicium, & conſcius ſit criminis, oportet ut voluntas ejus cognitione plenâ & malitiâ affectatâ velit illud committere: nam, ut ait S. Auguſtinus n, *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium.* Atqui quomodo poterit inobedire voluntate malitioſâ is qui non cognoſcit mandatum Domini ſui? Oportet igitur ut Magiſtratus publicandas ſatagant leges ſuas, ſi velint nos ad integram illarum obſervantiam obligare, & ſubjicere nos ſuppliciis, quæ merentur eorum transgreſſores. Nunquid non experientiâ & conſuetudine nobis comprobare licet, quòd univerſæ leges quæ ſibi ſubjiciunt entia rationalia, palàm publicantur? Lex naturæ nonne medio inſtinctu luminis naturalis rationis, quam Deus ſuis omnibus creaturis rationalibus indidit, ſicut fatetur Pſalmiſta o, Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine,* ſufficienter eſt declarata? *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* p. Annon videmus quòd leges humanæ, tam Eccleſiaſticæ, quàm Civiles & Politicæ, non obligant niſi poſt publicationem ſuam ſolemnem, quæ ſaltem fieri debet in Curia Principum qui eas volunt inſtituere? Dico, ſaltem, quia interdum occurrit, quòd leges, imò verò Eccleſiaſticæ, non obligant ſubditos illorum qui ipſas condunt; niſi in Provinciis, civitatibus, & pagis, in quibus ſunt publicatæ. Nolite autem cogitare, Auditores, vos eſſe immunes à lege æternâ, quæ vobis eſt æquè cognita ac lex naturæ, licèt credere non poſſitis, quòd illa ſit proclamata, aut ad evitandas reprehenſiones quibus ipſa veſtras inſequitur conſcientias; vel quia cùm vivere cœperitis ſecundùm ſenſus, invenitis vos alligatos pravâ conſuetudine ad ſequendum jugiter illorum regimen, nedum conſilium capeſſatis ab hâc lege divinâ; ſeu tandem, quoniam vos ita ſinitis abripi violentiâ paſſionum veſtrarum, ut curſus earum ſuperet volatum temporis, præcipitet vitas veſtras, neque vobis obiter permittat niſi confuſum legis iſtius æternæ intuitum. Ad hoc autem, ut errorem veſtrum deponatis, obſervare debetis id quod docet S. Thomas q. *Quòd licèt lex æterna ſit nobis ignota ſecundùm quod eſt in mente divinâ: innoteſcit tamen nobis aliqualiter, vel per rationem naturalem, quæ ab eâ derivatur ut propria ejus imago, vel per aliquam revelationem ſuperadditam.* Unde colligere debemus, quòd res cognoſcuntur duobus modis. Primo modo in ſuo eſſe, propterea homines non cognoſcunt in iſtâ vitâ eſſe hujus legis æternæ; hæc notitia non pertinet niſi ad divinas perſonas, aut ad Beatos qui vident Divinitatem ſecundùm eſſentiam ipſius, ut ait Salvator apud S. Joannem r, Deum Patrem ſuum alloquens, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum.* Sicut enim pictor nihil aliud agit niſi ut intuendam præbeat oculis pulchritudinem corporis, nedum repræſentet qualitates mentis, quæ potentiſſima tamen ſunt lenocinia quæ legitimum ſibi conciliant amorem: ſic mundus explicans virtutes ſenſibiles, in quibus invenire poſſumus aliquas perfectionum divinarum notas: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles* ſ limus non poteſt præciſè declarare nobis illius eſſentiam. Secundus modus, qui notitiam rerum præbet, habetur per effectus, in quibus videtur aliquod genus ſimilitudinis: ſicut enim ille qui non videns Solem ſecundùm ſubſtantiam ipſius, cognoſcit illum è ſplendentibus ipſius luminibus; quia Sol mittens radium ſuum ſuper ſpeculum, quod habet jam ex ſe aliquem ſplendorem, facit ibi veluti novum cœlum, in quo facit apparere faciem ſuam: ſic entia rationalia cognoſcunt per effectus, & ſecundùm minora aut majora lumina, decreta divina: cognitio enim veritatis eſt quidam radius & emanatio legis æternæ, quæ eſt *Veritas* t immutabilis, *Dicit Dominus exercituum: Ego enim Dominus, & non mutor* u. Atqui cùm ratio ſit media inter primam Veritatem divinam & ignorantiam mundi materialis; illius interventu, creaturæ quarum ipſa eſt horizon, reuniuntur origini ſuæ, & homines Deo mediâ ratiocinatione quam peragunt ſuper omnia mundi mirabilia. Propterea Incognitus x ſuper præfata Pſalmiſtæ verba, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine,* dicit, *Quòd per vultum Dei intelligitur ratio, per quam rationales à brutis animalibus diſtamur. Tum quia ſicut per vultum quis cognoſcitur, ita per ſpeculum rationis cognoſcitur Deus.* Verbum enim æternum, hæc origo inexhauſta cognitionis, quæ novit *omnia antequàm fiant* y, *& non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* z: eſt extenſio tranquilla lucis, quæ eſt intelligibilis in Angelis, quæ micat in aſtris, quæ illuminat in igne, quæ ſplendet in montibus, quæ ſe adorabilem exhibet in pulchritudinibus, quæ imperat in inſtinctibus brutorum, & ſuam tandem terminat veluti depreſſionem in ordinem mundi, qui eſt imago rationis, in tranſparentiam aëris & aquæ, & in diverſitatem colorum, qui nobis objecta reddunt viſibilia. Inde radius iſte divinus reaſcendere volens ad principium ſuum: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* a: Sibi noſtros conciliat ſenſus mediis deliciis omnium iſtorum objectorum; & ſuper favorabilem eorum relationem imaginatio pingit tabellam naturæ, cujus mundus eſt imago admirabilis. Sic unuſquiſque ſibi comparat aliquo modo notitiam primæ Veritatis, ſaltem quantùm ad principia communia legis naturalis, in quibus aliqui magis, aliqui minùs communicant noſtræ veritatis, & juxta iſtud ſimiliter majorem vel minorem ſibi comparant legis æternæ cognitionem. Cùm igitur, Auditores, vobis amplè declaraverim, quòd publicatio legum eſt neceſſaria ad ſubjiciendos homines illarum ob-

n S. Aug. l. de vera Relig. c. 14

o Pſ. 4. 7

p Tob. 4. 16

q S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3

r Jo. 17. 3

ſ Rom. 1. 20

t Jo. 14. 6

u Malach. 3. 5. & 6

x Incognit. in Pſ. 4. 7

y Dan. 13. 42

z Hebr. 4. 13

a Sap. 7. 26

obſervantiæ, & quòd omnes leges, tam naturales, quàm humanæ, Divinæ & ſtatutæ ſunt nunc publicatæ; pater evidenter hominibus ſano judicio præditis, quàm ſtrictè decretis iſtis ſint alligati, & quàm fideliter obſervare debeant leges iſtas, quæ tranſgreſſores ipſarum ſeverè exponunt ſuppliciis ſuſtinendis, quæ non cognoſcentur niſi ſerò, & cùm non poterunt ampliùs evitari. Prævidentes igitur hæc infortunia, obſervemus Divina mandata, & leges Eccleſiæ, & faciamus id quod Spiritus ſanctus nobis ſuggeret, ut ipſo judicii die, quo examen conſcientiarum noſtrarum erit duriſſimum, ut videbimus

Diviſio. Primò, inveniamur ſine crimine: & ut inventi juſti ſuſcipiamus ſententiam favorabilem, non autem decretum latum adversùs impios, quod erit æquè moleſtum auditu, ac illius pronunciatio erit formidabilis, ut Secundò cernemus.

I. Pars. Cùm conſidero & ſeriò examino hæc verba

b Hebr. 10, 31. S. Pauli b, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*, quæ ſic explicat Dionyſius Carthuſianus

c Dion. Carth. art. 10. in Hebr. 10, 31. c ad rem noſtram, *Horrendum eſt incidere in manus, id eſt, in judiciariam poteſtatem & juſtum rigorem Dei viventis, præſertim poſt vitam præſentem*: tremore totus concutior, & non poſſum concipere quomodo ipſa ſint vera, cùm Deus in Scriptura vocetur *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribula-*

d 2. Cor. 1, 3. & 4. e Pſ. 118. 68. f Pſ. 85. 5. *tione noſtra* d, *Bonus* e, *Suavis & Mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* f *ſe*. Animum tamen meum ſtupore percitum & pavore perculſum excito ad deſiderium regni cœleſtis adipiſcendi, intuitu metus quem nobis ingerit Apoſtolus, qualem & infert diſcipulo ſuo S. Timo-

g 1. Tim. 6, 13. & 14. h ex Matt. 27, 11. &c. & ex Jo. 18, 36. &c. i S. Chryſ. Hom. 18. in 1. Tim. 6, 13. & 14. theo g, cui ſic ſcribit, *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit Pontio Pilato bonam confeſſionem* h: *ut ſerves mandatum ſine macula irreprehenſibile uſque in adventum Domini noſtri IESV Chriſti.* Quem ſic commentetur S. Chryſoſtomus i, dicens, *Deum adducit teſtem, ſimul ut metum augeat, & diſcipulum tutiorem in loco conſtituat: oſtendatque non humana eſſe præcepta, ut ea veluti ab ipſo Domino accepta ſuſcipiat, ſemperque teſtem ante oculos habens, ſub quo hæc audit, commoveatur animo. Præcipio tibi, inquit, coram Deo, qui vivificat omnia. Hic & contra pericula ſolatium eſt, & reſurrectionis admonetur auditor. Et Chriſto Ieſu, inquit, qui teſtificatus eſt ſub Pontio Pilato. Iterùm ad Magiſtri provocat imitationem, ſicut ille teſtificatus eſt, inquit, & nos veſtigiis ejus imitemur bonam confeſſionem. Hoc & Hebræis* k *ſcri-*

k ex Hebr. 12, 2. & 3. *bens, ait: Intuentes ad fidei authorem & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, & ſedet ad dexteram ſedis Dei. Recogitate enim eum, qui talem paſſus eſt à peccatoribus in ſeipſum contradictionem, ut non deficiatis animis veſtris reſoluti. Ita & nunc diſcipulum admonet: ac ſi dicat, Noli timere mortem: Dei enim ſervus es, qui omnia vivificare poteſt. Ego, inquit, veni, ut teſtimonium perhibeam veritati. Quænam verò eſt bona confeſſio? Dicente Pilato, Ergo Rex es tu. Ego, inquit, in hoc natus ſum. Ecce iſti me audierunt. Illi autem Filium, inquiunt, teipſum Dei facis, & alia plurima teſtatus atque confeſſus eſt. Vt ſerves, ait mandatum immaculatum, irreprehenſibile, uſque ad adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc eſt, uſque ad conſummationem tuam, uſque ad exitum. At non ita dixit, ſed uſque ad adventum ait ut illum magis excuſſiret. Quid eſt, ut ſerves mandatum immaculatum? Vt neque vita, neque dogmatum gratiâ aliquid macula*

contrahas. In quo Deus ſuam nobis exhibet intuendam clementiam, imprimendo nobis metum juſtitiæ ſuæ, ut illius intuitu nos recipiamus in meliorem emendatioris vitæ frugem, & mandata ipſius Divina cuſtodientes, reperiamur abſque crimine coram ipſo, quemadmodum *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto; elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate* l. Hanc judicii & examinis in eo peragendi ab illo *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* m, ſeriem ſe vidiſſe mente teſtatur S. Joannes n inter ecſtaſes ſuas, cùm ait, *Et vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Et ſecundùm Dionyſium Carthuſianum o, *Et vidi mortuos magnos, & puſillos, eos ſcilicet qui mortui fuerunt, & tunc ſuſcitati erunt ac vivi, ſtantes in conſpectu throni, id eſt, coram Iudice Chriſto, ſecundùm quod ipſe prædixit, Cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes* p. *Et item, Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient* q. *Apoſtolus quoque ait, Oportet nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque prout geſſit* r. *Et libri aperti ſunt. Iſti ſunt libri conſcientiarum, qui ſunt ipſæ conſcientiæ, ſecundùm quod in eis merita, vel demerita continentur, atque leguntur. Qui tunc aperientur, quia tunc conſcientia ſingulorum ſingulis innoteſcent, ita quòd unuſquiſque merita vel demerita omnium aliorum cognoſcet: ut Dei judicium eſſe juſtiſſimum omnibus declaretur. Hinc in Daniele* ſ *ſcribitur, Iudicium ſedit, Et libri aperti ſunt. Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ. Auguſtinus per librum iſtum intelligit vim Divinam, quâ fiet ut cuicuique ſua facta monſtrentur ac pateant, ita quòd ſe juſtè damnari, vel ſalvari conſpicient. Et judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris conſcientiarum ſuarum, ſeu ſcripturarum. Magis autem judicabuntur ſecundùm cordium ſuorum affectiones, intentiones, & cogitatus, quàm ſecundùm opera exteriora. In illis ſiquidem magis immediatè & propriè ratio meriti & demeriti, ſeu virtutis vitiique conſiſtit. Et judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum, intelligendo per opera quemlibet actum, etiam interiorem, & locutionem. Ex ore enim tuo (ait Scriptura* t *) juſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis.* Quod mihi non videtur abeſſe à ratione: ſi enim eſt aliquid in mundo quod terrore reos percellat, eſt, ut examinentur à proprio inimico, qui cùm ſit Judex & Pars non poteſt corrumpi, & qui exactis ſuis inquiſitionibus detegit crimina, tam ea quæ ſunt cognita, quàm illa quæ ſunt abſcondita: atqui ſi homo terrefaciat homines, quantò majori fremitu concutientur læſæ Divinæ Majeſtatis rei, cùm videbunt magnum Judicem, quem ipſi contemnebant aliàs, inquirentem vitam & mores ipſorum, & ipſorum conſcientias examinantem? *Ille tunc Iudex ſedebit*, ait S. Chryſoſtomus u, ſcribens Theodoro Monacho, *Qui nunc à te repudiatur. Quid tunc ergo dicemus? quo colore excuſationis utemur, ſi in eodem crimine permanebimus? Interrogo quid loquimur. Negotiorum fortè, atque cauſarum varias ſolicitudines prætendimus. Sed antè nos commonuit ipſe prædixit, Quid proderit homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ damnum patia-*

l Epheſ. 1. 3. & 4.
m Act. 10, 42.
n Apoc. 20, 12.
o Dion. Carth. art. 21. in Apoc. 20, 12. & 13.
p ex Matt. 25, 31. & 32.
q ex Joan. 5, 28.
r ex 2. Corinth. 5, 10.
ſ ex Dan. 7, 27.
t ex Matt. 12, 37.
u S. Chryſ. Epiſt. 6. ad Theod. Monach.

tur x? *Sed ſeductor nos à quocunque cauſabimur. Sed non potuit Adam uxoris illecebras excuſare, dicens: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, ipſa me ſeduxit. Nec rurſum uxorem ſerpentis culpa defendit* y, *magni horrendique timoris plenum, illud, Theodore, judicium eſt non accuſatore eget, neq; teſtes requirit. Omnia enim nuda, atq; detecta ſunt oculis judicantis* z: *nec factorum tantummodo, verum etiam cogitationum noſtrarum rei neceſſariò ſubjacemus. Scrutator enim atq; diſcretor eſt cogitationis & cordis ille qui judicat* a. Quod tremore debet nos percellere, cùm ille quem habebamus per decurſum vitæ noſtræ *Advocatum apud Patrem, IESVM Chriſtum juſtum* b, ſit *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* c. Et cùm illum ſimus habituri tunc Judicem qui deteget id quod conſcientia vellet operire, qui puniet crimina, & offenditur voluptatibus noſtris, quas recuſat noſtris ſenſibus; judicate num jure meritò timere non debeamus ne non felicem cauſæ noſtræ exitum ſortiamur.

Sed id quod debet augere timorem iſtius ultimi examinis, eſt, quòd cùm juſtitia ſit virtus, quæ plenam notitiam requirit ad hoc ut exerceatur, oportebit ut hæc omnia diligentiſſimè inquirantur; alioquin loco juſtitiæ redderetur injuſtitia, & pro actu virtutis vitium exerceretur execrabiliſſimum: atqui cùm ſumma Dei ſapientia ſit æquè juſta, ac judicia illius æqua ſunt, ſicut fatetur Pſalmiſta *d*, Deum alloquens, ipſa ſeriò debet hominum examinare crimina & malitias, ut reddat illis jus, *Iuſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Et ſic illorum cogitationes, loquelæ, & actiones ſubjicientur examini, ut intentiones illorum perverſæ manifeſtentur. Tremite, tremite, peccatores, metuentes exactam rationem quam tenebimini reddere omnium defectuum veſtrorum, cùm apparebitis coram tribunali iſtius Judicis, quem nullæ poterunt tunc flectere aut mitigare preces, *Non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus* e. Sed dicet aliquis, Si preces tunc non poterunt illum inducere ut deſiſtat ab inquiſitionibus ſuis; fortitudo & authoritas quæ perſæpè pavore percellunt homines, illas poterunt terminare. Errorem deponite, Auditores, & ſuper hoc auſcultate præfatum S. Chryſoſtomum ſic proſequentem. *Iudex populari iracundiæ ſubjacet, multitudiniſque vulgaris irrationabilem impetum tremit: majorum autem Poteſtatum authoritatem veretur, & perpetuâ pro his quos regit, ſolicitudine frangitur: & qui paulò ante Iudex erat, fit repentè privatus. Non eſt profectò theatralibus ſcenis præſens vita diſſimilis. Nam ut illic ille Imperatoris, hic Iudicis, alter & Militis implet officium: ubi autem conſecuta nox fuerit, nec Imperator agnoſcitur Imperator, nec Iudex qui fuerit, Iudex videtur, nec Miles poſteà qui priùs Miles: ita unuſquiſque noſtrûm in illius ſeculi die, non perſonis, ſed rebus atq; actibus competentem accipiet dignitatem.* Pave nunc igitur, & treme, tu qui confidere videbaris Poteſtatibus iſtis mortalibus, quæ te liberare non poterunt ab hoc examine, cui præſidebit Judex, qui Magnates iſtius mundi nullo veretur modo, *Deus nec verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus,* ait Sapiens *f*. Et poſt illum ſanctus Bonaventura g. *Nec verebitur magnitudinem cujuſquam, ſcilicet ex timore, Quoniam ipſe eſt Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos* h, *ut dicitur, Et, Magnitudinis ejus non eſt finis* i. *Vnde improportionabiliter ſuperat omnem aliam magnitudinem, Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit. Nunquid non unus eſt Pater omnium veſtrûm? nunquid non unus Deus creavit nos* k? *Et quia omnes creavit, ideò omnes tam parvos, quàm magnos ſicut creaturas ſuas judicabit. Vidi mortuos puſillos, & magnos ſtantes in conſpectu throni* l. Videris, peccator, ſpe non excidere, nec metuere rigorem Judicis iſtius inexorabilis, ſuper quem æquè parùm poſſunt preces, ac minæ. Imaginaris forſan, quòd poteris illum corrumpere pecuniâ, vel muneribus: ſed incaſſùm foves inutiles iſtas cogitationes: *Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus,* ait immediatè antè idem Sapiens. Et poſt illum præfatus S. Doctor *Non enim ſubtrahet Dominus ſcilicet à puniti ne & tormento, perſonam cujuſquã, ſcilicet parvi, vel magni, privato amore. Vnumquemque juxta vias ſuas judicabo, domus Iſraël, dicit Dominus* m. *Non eſt perſonarum acceptor Deus. Deinde reddit cauſam, dicens, Qui eſt* n, *id eſt, quia ille eſt; Omnium Dominator.* In iſto mundo corrumpi poſſunt Judices, ſed illo die ultimo præſidebit Judex, *qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundùm uniuſcujuſque opus,* ait S. Petrus o. Nedum æquè parùm corrumpi poſſit auro vel argento, ac precibus, *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: nec acquieſcet cujuſquam precibus: nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima,* dicit Salomon *p*. Et poſt illum Hugo Cardinalis q, *Quia zelus & furor viri, ſcilicet, Chriſti, non parcet in die vindictæ, id eſt, judicij, in qua vindicabit ſe Deus de omnibus malis, quibus modò videtur pepercisse. Nec acquieſcet cujuſquam precibus, quia tunc non erit tempus rogandi, ſed accipiendi, In illo die non interrogabitur quicquam* r. *Nec ſuſcipiet pro redemptione reproborum, dona plurima. Argentum eorum & aurum non poterit eos liberare in die iræ Domini* ſ.

Si eſt aliquid in natura dignum compaſſione, illi, meâ quidem ſententiâ, ſunt homines indurati, qui nedum acquieſcant rationibus, quæ ipſis proponuntur ad hoc ut ipſorum induratum cor *tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* t ſtrictum emolliatur, mille comminiſcuntur adinventiones ut eas reddant apparenter invalidas. Illos audire jam videor hæc verba proferre ſacrilega. *A Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura* u? Seu, juxta Hugonem Cardinalem x, *A Deo abſcondar ut non videat peccata mea. Et ex ſummo, id eſt, ex tam ſublimi & remoto loco, quis mei memorabitur, qui ſum in terra? Ita dicunt ſuperbi & adulteri. Vnde Iob* y. *Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens, Non me videbit oculus, &c. In populo magno non agnoſcar, in die judicij: quaſi diceret, Inter tot & tantos latebo, & ſic evadam. Contra quod dicitur, Oculi Domini contemplantur Bonos & malos* z. *Quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? & in reſpectu tam immenſæ creaturæ, id eſt, mundi, reſpectu cujus una anima nullius quantitatis eſſe videtur, aut valoris. Et ideò putat homo ſtultus, quòd poſſit latère Deum. Sed quòd hoc ſentire eſt error, ideò ſubdit: Ecce cœlum & cœli cœlorum, abyſſus & univerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commovebuntur. In univerſali terræ motu ante diem judicij. Montes ſimul & colles: id eſt, ſuperbi minores, & majores. Et fundamenta terræ: id eſt, avari in terra fundati. Omnes hi commovebuntur in die judicij. Vnde, De-*

x ex Matt. 16.26.
y ex Gen. 3. 12. & 13.
z ex Hebr. 4. 13
a ex Sap. 1. 6.
b 1. Jo. 2. 1
c Act. 10. 42.
d Pſ. 118. 137.
e Prov. 6. 34. & 35.
f Sap. 6. 8.
g S. Bon. in Sap. 6. 8.
h ex Pſ. 94. 3.
i Pſ. 144. 3
k ex Mala. 2. 10
l ex Apoc. 12. 20.
m Ezech. 18. 30.
n ex Act. 10. 34. & 42.
o 1. Petr. 1 17.
p Prov. 6. 34. & 35.
q Hugo Card. in Prov. 6. 34 & 35.
r ex Joan. 16. 23.
ſ ex Soph. 1 18.
t Job 41. 15.
u Eccli. 16 16. & 17.
x Hugo Card. in Eccli. 16, 16, &c.
y Job 24. 15.
z Prov. 15 3.

de, Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam, & movebuntur cœli & terra a. Vidi montes, & ecce movebantur: & omnes colles conturbati ſunt: deſerta erit omnis terra, & cœli deſuper b. *Et in omnibus his inſenſatum eſt cor, ſuperborum, quod non tremit cum aliis; neq; habet ſenſum fidei, cùm dicat Deum non videre hæc infima. Sed qui hoc putant, decepti ſunt: & ipſe videt non ſolùm exteriora hominum, ſed etiam interiora cordis: & nemo videt aut intelligit cogitationes vel opera ejus. Vnde ſequitur, Et omne cor, tam Bonorum, quàm malorum, intelligitur ab illo. Homo videt ea quæ parent: Deus autem intuetur cor* c. *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes* d. *Et vias illius, ſcilicet Dei, id eſt opera, & conſilia ejus quis intelligit? Quaſi diceret, Nullus. Vnde, O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! &c* e. Hallucinantur igitur illi turpiter, cùm non defuturi ſint ipſis accuſatores & teſtes qui convincent ipſos criminum ipſorum, imò verò ſit ipſos ipſemet Jeſus Chriſtus *accuſaturus apud Patrem* f. *Cùm ipſe ſit Iudex & Teſtis, qui alibi loquitur, Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubeſcet coram Patre, & Angelis* g, ut recenſet Carthuſianus h. Propterea, peccator, *Non te juſtifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt* †. Sed pavore & tremore correptus verêre duriſſimum judicium Dei dicentis, *Accedam ad vos in judicio, & ero Teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, & viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum* i. Quæ cùm ita ſint, cum S. Auguſtino k *Ideò rogo, Fratres, ut quotidie cogitemus, quales erimus in die judicii, præſentandi Angelorum conſpectibus offerendi, & æterno Iudici rationem de libris conſcientiæ reddituri, remotis omnibus probationibus. Certum eſt, in die illa ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſuæ vitam in cordis ſpeculo demonſtrandam, & teſtes contra eam non deferri aliquando, ſed intus de ipſa anima proferendos. Adjicienda erunt non aliqua peregrina, ſed nimiùm nota teſtimonia, id eſt, opera ſua. Ordinabuntur ante felicem animã peccata vel crimina ſua, ut eam & convincat probatio, & confundat agnitio: ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, Arguam te, & conſtituam te ante faciem tuam* l. *Quicumq; ſe modò dum licet emendare neglexerit; ante illum cœleſtem populum primum excepturus erit de confuſione ſupplicium: & anima quæ modò per pœnitentiam compendioſam tranſactas peccatorum ſuorum putredines curare diſſimulat, ante illud tribunal metuendum ſine ullo remedio, in perpetuo carcere manebit.*

a Joel. 3. 16.
b Jer. 4. 24 &c.
c ex 1. Regum 16, 7.
d Jer. 17. 10.
e ex Rom. 11. 33.
f Joan. 5, 45.
g ex Luc. 9 26.
h Dioni. Carth. art. 15, in Jo. 5. 45
† Eccli. 7, 5.
i Malach. 3. 5
k S. Aug. ſerm. 55. de Verbis Apoſt.
l ex Pſ. 49 21

II. Pars.

Si homines non eſſent convicti criminum ſuorum, ſperarent ſe evitaturos ſententiam Judicis ſupremi, cùm nullus Judex condemnare debeat conſcios ſcelerum quin ſint accuſati: ſed nunc cùm peccata ſint cognita, nulla ſpes ſupereſt declinandi ab hoc decreto æquè moleſto auditu ac difficili ſuſtentu in executione ſua. Quid enim in hoc mundo eſt intolerabilius creaturis rationabilibus, & quod eas majori terrore percellat, quàm audire pronunciari ſententiam à propriis inimicis, quos pedibus contriverunt, ſpreverunt, & malè exceperunt in hoc mundo? *Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* ait S. Paulus m. *Ille tunc ſedebit, qui nunc à te repudiatur*, dicebat ſuprà S. Chryſoſtomus, ſcribens Theodoro Monacho. Et veritas eſt infallibilis, quòd Juſti qui fuerunt ſcopus deriſûs mundanorum, erunt Judices iſtorum impiorum, ut ait *ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* n, diſcipulos ſuos alloquens, *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël* o. Seu, ſecundùm S. Hieronymus p, *In regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ (quando & mortui de corruptione reſurgent incorrupti* q*) ſedebitis & vos in ſoliis judicantium, condemnantes duodecim tribus Iſraël: quia vobis credentibus, illi credere noluerunt.* Treme igitur, peccator, videns te ſubjacêre inimico tuo, qui pronunciabit adversùs te ſententiam terrore plenam, & quæ tantâ confuſione te operiet, ut ne vel ipſum caput audens attollere, ſis depreſſurus oculos in terram, quam fixè proſpicies ob nimium pudorem quo tunc ſuffunderis ob enormia crimina tua: decretum intolerabile propter maledictiones quæ pronunciabuntur adversùm te, & contra ſimiles tibi: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus* r. Maledictiones, quæ ſunt principium deſperationis, & præludium omnis infortunii: maledictiones, quæ ſunt via *in ſupplicium æternum* ſ, ubi non habebuntur pro ſocietate niſi furiæ infernales: maledictiones, quæ ſunt finis atque periodus omnium gaudiorum, & nativitas deplorabilis innumerorum tormentorum incomprehenſibilium. Sententiam intolerabilem cùm ipſa ſit te traditura manibus carnificum immaniſſimorum, qui te perducent in infernum, ubi audientur iſti clamores, qui totum locum tenebroſum illum pavore replebunt horribili: Maledictus ſit pater, qui poſtquàm vitam mihi tribuit corpoream, mihi vitam eripuit æternam quandiu fovit libertates meas effrænes, & mea crimina: Maledicta ſit mater, quæ pravo ſuo exemplo mihi viam aperuit ad diſſolutionem: Maledictus ſit filius, pro quo promovendo ad officia & dignitates, æquè ac ad divitias, ardeo hoc igne intolerabili: Maledicta ſit filia, propter quam amore ſimiæ dilectam, incucurri ruinam meam, æquè ac illius: Maledictus ſit vir, cui nimiùm complacendo, pœnis iſtis æternis obnoxiam me video. Et maledicta ſit uxor, quæ vice amoris veri concupiſcebat amores illicitos, circa quos cùm illi ſatisfecerim, univerſis intueor me nunc deſtitutum ſatisfactionibus, experiens invitus illius effati veritatem, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum* t. Tandem, Carnificum, qui tyrannicè oppriment animas, æquè ac corpora inter horribiles tenebras inferni, ubi non videbuntur niſi ſpectacula terrifica, ubi non audientur niſi querelæ lugubres, ubi non deguſtabuntur niſi amaritudines inuſitatæ, & ubi non odorabuntur reprobi niſi fœtores intolerabiles, ultra triſtitiam quâ anxiabuntur ob memoriam mediorum opportunorum comparando cœlo, quibus tamen præ negligentia non ſunt uſi.

m Hebr. 10 29.
n Act. 10. 42.
o Matt. 19 28.
p S. Hier. l. 3. in Matt. 19. 28.
q ex 1. Cor. 15. 52
r Matt. 25 41.
ſ Matt. 25. 46.
t Apoc. 18 7.

Si hæc ultima ſententia videtur ſic horribilis ob conſiderationes iſtas, quas audiviſtis modò: ſanè ipſa moleſtior erit propter pœnam damni quæ eſt inevitabilis, quippe quæ nobis eripit *omne Bonum* u, quod eſt ſummo modo deſiderabile propter bonitatem ſuam x, admirabile propter magnitudinem ſuam y, infinitum in duratione ſua z, quod reddit Electos in æternum glorioſos, & quod non eſt apparens, ſed verum

u Exod. 33 19.
x Pſ. 118, 68.
y Pſ. 47. 2.
z Baruch 3. 25.

Bonum,

Bonum: *Hæc eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum* a, ait Salvator, Deum Patrem ſuum alloquens. Væ illis qui putabant ſe mitigaturos precibus ſuis hunc Judicem ſupremum, *Væ vobis divitibus qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis* b. Væ illis, qui imaginabantur ſe corrupturos auro & argento atque muneribus hunc Præſidem integerrimum; Væ illis qui confidebant propriis virtutibus; quippe qui hanc formidabilem à ſe non poterunt avertere ſententiam, *Diſcedite à me maledicti*, &c. Væ Poteſtatibus illis mortalibus, quæ exiſtimabant quòd omnia penderent ex ipſarum authoritate, ſed hallucinabantur, cùm hæc authoritas quâ ſe vigere putabant, futura ſit tunc ipſis inutilis, & dicturus ſit ipſis iſte Judex ſupremus, *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem* c. Væ tandem peccatoribus, qui crimina patrantes interventu tenebrarum, & in locis remotis (*Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* d) exiſtimabant ſe reddituros ea incognita, & quibus dicet iſte Judex iratus, *Amen dico vobis, neſcio vos* e. Heu, quis audire poterit pronunciari hoc decretum horribile? ſed potius quis poterit illius executionem ſuſtinere? Quid, Domine, in æternum deſtitui præſentiâ tuâ quæ eſt beatitudo eſſentialis Sanctorum, nunquam videre humanitatem tuam ſanctam, ſacratiſſimam Matrem tuã lateri ſuo aſſidentem, Apoſtolos circum thronum tuum, Martyres, Confeſſores, Virgines cum laureolis ſuis, & innumeros Beatos qui componunt Curiam tuam cœleſtem: & econtrà non videre niſi diabolos, ſpectra, & inſtrumenta cruciandis nobis idonea; non audire niſi clamores & *blaſphemias* f, non tangere niſi *ignẽ æternum* g; non deguſtare niſi amaritudines, & non olfacere niſi fœtores per integram æternitatem? Illud eſt ultimum omnium infortuniorum.

a Joan. 17. 3.
b Luc. 6. 24.
c Matt. 7. 23.
d Joan. 3. 20.
e Matt. 25. 10.
f Apoc. 13. 5. & 6.
g Matt. 25. 41.

Ingrediamur noſmetipſos, Auditores, mitigemus mediis pœnitentiis, ſuſpiriis & lacrymis noſtris hunc Deum plenum vindictâ; meminerimus quòd ille quem offendimus, eſt *accinctus potentia* h; timore & ſtupore percellit omnes creaturas, & univerſis illis motum imprimit: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia* i: conciliat diſſidia elementorum, & inducit illa ut veluti vim inferant ſuis inclinationibus propter quietem mundi: ſed ipſe eſt æquè miſericors ac potens: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat* k? *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* l. Confugiamus ad ſubſidium B. Virginis, quæ eſt *Refugium peccatorum*, ut mediis ejus interceſſionibus declinare poſſimus ab hac horribili ſententia pronuncianda contra reprobos, & audire pronunciari hæc verba ſuavitatis & dilectionis, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnũ à conſtitutione mundi* m. *Id eſt, cœlum Empyreum, ejuſq; delicias, in principio mundi creatum, & ad inhabitationem Electorũ aptatum* n. Cùm æquum ſit ut illi qui mea *veſtigia* o ſecuti fuerint, participes fiant gloriæ meæ ſempiternæ, & mecum regnent *in æternum & ultrà* p.

h Pſ. 64. 7.
i Sap. 7. 24.
k Ezech. 18. 21, &c.
l Hebr. 4. 16.
m Matth. 25. 34.
n Dion. Carthuſ. 40. in Matth. 25. 34.
o 1. Petr. 2. 21.
p Exod. 15. 18.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Joan. 16. 28. &c.

FOrſitan exiſtimabitis, Auditores, quòd myſterium aſcenſionis, quod celebramus intra hanc hebdomadam, & quod Evangelium hodiernum anticipativè nobis delineat, ubi Chriſtus ait, juxta Dionyſium Carthuſianum a, *Exivi à Patre*, juxta illud Eccleſiaſtici b, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam, & veni in mundum per humanæ naturæ aſſumptionem, atq; cum hominibus piam converſationem* c: *iterum relinquo mundum, id eſt, ab hominibus, & loco terreſtri recedo, quantùm ad naturam aſſumptam, per victorioſiſſimam aſcenſionem: & vado ad Patrem per humanæ naturæ collocationem in cœlo Empyreo, in quo Pater ſpecialiter eſſe, & commorari cenſetur, quoniã ibi excellentius operatur, & ſeipſum clariùs manifeſtat quamvis ſecundùm ſe nullam habeat habitudinem vel determinationem ad locum: ſed in ſeipſo invariabiliter, æternaliterque ſubſiſtat, tanquam ens verè incircumſcriptum, ſimpliciterque & perfectivè infinitum*: non ſit myſterium magni amoris, cùm Jeſus Chriſtus elevans ſe *ſuper cœlos* d, deſerat terram, & complementum gloriæ ipſius non innitatur niſi privationi præſentiæ ipſius viſibilis intuitu noſtri. Eſtne diligere objectum ac illud deſerere? eſtne homines dilectione proſequi ac eripere ſe illorum conſpectibus? Fatendum tamen eſt cum S. Paulo e poſt Pſalmiſtam, quòd Jeſus Chriſtus nunquam ſic perfectè teſtatus eſt amorem ſuum erga Eccleſiam ſuam, quàm in aſcenſione ſua, ad quam ſe diſponit per hæc verba Evangelii hodierni, *Exivi à Patre*, &c. cùm aſcendendo in cœlum, commendaverit & magnificaverit eundem amorem ſuum abundantibus & liberalibus favoribus, quos effudit ſuper terram univerſam, *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Sed ex omnibus donis ipſius illud quod mirabilius manifeſtat ſupereminentiam hujus amoris ipſius, eſt, quòd nobis reliquerit Matrem ſuam. Adorabilis Providentia in eo quòd removendo Solem, nobis reliquerit hanc Lunam ad illuminandam terram in abſentia ipſius, *Dedit abyſſus vocem ſuã, Altitudo manus ſuas levavit. Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo* ait Habacuc f. Et LXX. *Dedit abyſſus vocẽ ſuã, Altitudo phantaſia ejus. Elevatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo.* Super quod ait S. Hieronymus g, *Pulchrè opinationem phantaſia, altitudinem vocat: juxta Ieſum filium Sirach* h, *qui ait, Abyſſum & Sapientiam quis inveſtigavit? Unde & de monte medico* i, *id eſt, aſſumptione humani corporis*.

a Dion. Carth. art. 40. in Jo. 16. 28.
b Eccl. 24. 5.
c ex Baruch 3. 38.
d Pſ. 8. 2.
e Epheſ. 4. 8. ex Pſ. 67. 19.
f Habac. 3. 10. & 11.
g S. Hier. in Hab. 3. 10.
h ex Eccl. 1. 2. & 3.
i ex Pſ. 41. 7.

quam

k ex Dan. 2. 34.
quam Daniel k *lapidem abſciſſum de monte ſine manibus, id eſt, ſine opere nuptiali vocat: Chriſtus abyſſus, invocat Patrem, alterã Abyſſum, in voce cataractarum ſuarum, ut det evangelizantibus verbum virtute multã* l. Igitur *Altitudo manus ſuas levavit.* Id eſt, Jeſus Chriſtus qui ſupereminentiã ſui eſſe ſuperat univerſa, levavit manus ſuas aſcendens in cœlũ, ſicut canit Eccleſia, *Elevatis manibus ferebatur in cœlum* m. Et tunc *elevatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo.* Et licèt hæc verba intelligat S. Hieronymus de Eccleſia, ſicut patet ex dictis, & ex iis quæ ibi poſtea ſubdit, æquè ac S. Gregorius dicens, *Elevato enim Sole, in ſuo ordine Luna ſtatuitur, quia aſcendente ad cœlos Domino, ſancta protinus Eccleſia in prædicationis authoritate roboratur* n: melius ipſa tamen cõgruunt B. Virgini, juxta Gloſſ. Ordinariã † dicentem, *Sol & Luna, id eſt, Chriſtus & B. Virgo.* Ordo Lunæ ſitus eſt in illuminanda terra in abſentia Solis; & ordo Mariæ conſtitutus eſt in illuſtrando mundo in aſcenſione Filii ſui, qui ſuã mox privaturus nos eſt præſentiã: *Itaq; præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſq; ad terminos terræ credentes illuminaverit,* ait S. Epiphanius o. Efflagitemus igitur ab hac Luna ut incipiat perfungi muniis ſuis, id eſt, ut nos illuminet. Si autem verba noſtra non ſunt ſatis potentia, dicamus ei cum eodem S. Epiphan. *O Virgo ſancta lucis æternæ Mater, lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum; lucis quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum ordinem: lucis quæ illuminat Solem ſplendidis facibus: lucis quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati.* Et ſi nondum hæc verba ſufficiant, ſalutemus eam cum uno ex his ſpiritibus lucis, *Ave Maria.*

m ex Act. 1. 9.
l ex Pſ. 67. 12.
n S. Greg. l. 17. Mor. c. 10.
† Gloſſ. Ord. in Habac. 3. 10.
o S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

p 1. Cor. 15. 31.
Fatendum eſt, quòd *Spes* p Divina, cui Religio Chriſtiana innititur, eſt incomparabiliter certior, & infallibilior quam ſit ſpes & fundamentum ordinarium prætentionis hominum. Spes nõ poteſt habere magis certitudinis, infallibilitatis, ſoliditatis, & conſtantiæ, quam res quibus ipſa fulcitur. Hæc ſtatua admirabilis, quã vidit in ſomniis Nabuchodonoſor, habebat caput magnificum, brachia glorioſa, & pectus apparenter incõcuſſum; ſed quia omnes iſtæ magnitudines nõ innitebantur niſi pedibus luteis, unicus vel lapillus ſufficit ad eã proſternendam, & infirmitas fundamenti facit ruinam hujus magni coloſſi qui caput ſuum jam ferebat ad cœlos uſque, ſicut ait præfato Regi Daniel q. *Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua una grandis: ſtatua illa magna ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autẽ & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibiæ autẽ ferreæ, pedũ quãdã pars erat ferrea, quædã autem fictilis. Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuã in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurũ, & redacta quaſi in favillã æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento; nullusq; locus inventus eſt eis.* Mundani, vos mihi teſtes eſtis illius veritatis, ædificatis fortunas veſtras, fundatis vobis familias, magnificatis domos veſtras, multùm vos evectos autumatis, minimus vel ventus ſufficit ad proſternendã hæc omnia in terrã. Et quare? Quia nõ innitimini niſi arenæ, quæ nullã habet ſoliditatem. Quid ſunt autem omnes creaturæ, niſi pulvis? *Pulvis es* r, dicitur Protoplaſto. Et, *Ecce, inſulæ quaſi pulvis exiguus,* ait Iſaias ſ. Heu mirandumne eſt ſi ſpes innixæ creaturis, quæ nõ habent pro ſtipendio niſi inconſtantiã & inſtabilitatem, ſint exiles, debiles, & parùm certæ? Oportet neceſſariò ut ſpes ſit ejuſdem naturæ, cujus eſt ſubjectum quod ipſam fulcit: omnes creaturæ ſunt incõſtantes: ideò omnes ſpes, quas ipſæ ſuſtentant ſunt incertæ. Ratiocinandum eſt modo penitus contrario de ſpe Religionis Chriſtianæ; Jeſus Chriſtus eſt baſis ejus, & fundamentum illius incõcuſſum: eſt ergo concludendum quòd ſpes fundatæ & ædificatæ ſuper hanc petrã, ſint inconcuſſæ, *Petra autẽ erat Chriſtus* t. Unde dicebat Pſalmiſta, *Dominus firmamentum meum, & refugium meum* u. *Portio mea* x *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum* y. Quaſi diceret, Dominus meus eſt portio mea, & rupes ſuper quã fundavi ſpes meas: ideò non metuo tempeſtates, nec turbines; fiducia mea eſt inconcuſſa, nõ ſecus ac ſtabile eſt fundamentum ſuum. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo* z? Et alibi a docet, quòd anima quæ ſperat in Deum, & confidit ei, non eſt minùs immobilis, nec minùs ſecura quàm immobiles ſint montes: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalẽ. Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſq; in ſæculum.* Spes iſta ſic eſt certa & infallibilis ut nõ ambigant Sancti dicere, quod jã poſſident id quod ſperant: ſic David b ita perſæpè jucundas iſtas agit tranſpoſitiones, *Ego clamavi, quoniã exaudiſti me Deus.* Videtur debuiſſe dicere cõtrarium, Quoniam exaudiſti me, Deus, ego clamavi: tamen iſtud non dicit. Et ratio illius eſt, Quia ſpes quã habebat in miſericordiam Dei ſui, ſic erat firma & conſtans ut crederet rem, quam efflagitabat, jam conceſſam, & pro certo tenebat quòd ſibi Deus aperuiſſet cor ſuum antequàm ipſe aperuiſſet illi os ſuum ad eum deprecandum. Sic S. Paulus c audacter ait, nos reſurrexiſſe cum Jeſu Chriſto, & aſcendiſſe cum illo in gloriam ipſius: ſic enim loquitur ſcribens Epheſiis, *Deus autem (qui dives eſt in miſericordia) propter nimiã charitatem ſuã quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto (cujus gratiã eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Secundùm hæc verba ſua videtur jam S. Paulus eſſe in cœlo. Sed quomodo illud, cùm ipſe adhuc eſſet in terra cum illa ſcribebat? Ratio propter quam Apoſtolus ita loquitur, eſt infallibilitas ſpei ipſius: ſpes enim Chriſtianorum conſtituit ipſos in poſſeſſione rei illius, quam ſperant. Si autem petatis undè proveniat hæc infallibilitas & fiducia inconcuſſa: idem Apoſtolus monet divites per diſcipulum ſuum S. Timotheum d, non collocare ſpes ſuas in divitiis, quæ magis habent inconſtantiæ quàm ſplendoris, ſed in Deo vivo & omnipotente ad benefaciendum, *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* In verbis iſtis tangit S. Paulus duas rationes, quæ fortificant ſpes noſtras. Prima eſt, Quòd ille qui eſt fundamentum ſpei Chriſtianæ, eſt Deus vivus, qui vicit mortem, juxta vaticinium Oſeæ e, apud quem ſic Victor ille loquitur, *Ero mors tua, ô mors.* Et qui in ſignum victoriæ ſuæ debet ingredi triumphans in cœlum cum fidelibus ſuis, qui ſunt membra ipſius, *Quia membra ſumus corporis ejus* f; *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe prima-*

q Dan. 2. 31, &c.
r Gen. 3. 19.
ſ Iſa. 40. 15.
t 1. Cor. 10. 4.
u Pſ. 17. 3.
x Pſ. 118. 57.
y Pſ. 72. 26.
z Pſ. 26. 1.
a Pſ. 124. 1, & 2.
b Pſ. 16. 6.
c Epheſ. 2. 5.
d 1. Tim. 6. 17. & 18.
e Oſee 13. 14.
f Epheſ. 5. 30.

[g Coloſſ. 1, 18.] *tum tenens* g: ſicut prædixit alius Propheta h: [h Mich. 2, 13.] *Aſcendet enim pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Secunda eſt, Quia ſatis bonitatis habet ut velit, & ſatis potentiæ ut univerſa dare poſſit ubertim & abſque ulla reſervatione. Quod inducit me ad dicendum, quòd præcipuè Jeſus Chriſtus in aſcenſione ſua eſt fundamentum noſtræ ſpei, ipſe qui eſt vivus, & liberaliſſimus. Quoniam ſi, juxta S. Paulum, ille debet eſſe fundamentum ſpei noſtræ, qui eſt vivus & liberalis; Jeſus Chriſtus nunquam ſic apparuit vivus, & liberalis ac in iſto myſterio In hoc apparet vivens, ſed vitâ Divinâ & glorioſâ, cùm è terra mortuorū, *propriâ virtute in cœlum Empyreum* i aſcendat, de quo David k loquitur ut de *terra viventium*. Quia nullum ibi mors habet imperium, *Et mors ultrà non erit* l. Ibi apparet liberaliſſimus, quia ſtatim ac pervenit in cœlum, aperit omnes theſauros liberalitatum ſuarum ac grariarum, replens nos *Spiritu ſancto* m, qui eſt origo omnium donorum ipſius, *Aſcendens in altum, dedit dona hominibus* n. Aſcenſio Jeſu Chriſti juſtificat omnes ſpes noſtras, & hoc nobis eſt videndum, quòd e baſcenſione Jeſu Chriſti non eſt aliquid quod non poſſimus & debeamus ſperare; ſed præcipuè duo.

[i Dion. Carth. art. 16. in Marc. 16, 19.] [k Pſ. 26, 13 & 141, 6.] [l Apoc. 21 4, ex Iſai. 25. 8] [m Act. 2, 4 &c.] [n Epheſ. 4. 8. ex Pſ. 67 19.]

Diviſio. Primum, Aſcendere in cœlum in corpore & in anima inſtar illius. Secundum, ſuſcipere Spiritum S.

I. Pars. Admittitur ut maxima infallibilis in Philoſophia Morali, quòd una è rebus quæ concurrunt utiliùs ad producendam, nutriendam, & fortificandam ſpem noſtram in cordibus noſtris, eſt ſcire, quòd fruitio boni, quod ſperamus, eſt poſſibilis. Et ratio illius evidens eſt, Quia natura, quæ ſapienter dirigitur à manu ſummæ intelligentiæ, ſuam nunquam inſumit poteſtatem, aut ſuos conatus ad poſſeſſionem boni, cujus acquiſitio excedit terminos poteſtatis ipſius, alioquin conatus ejus eſſent inutiles; & prætentiones ejus a recta ratione alienæ. Quò bonum aliquod facilius apparet, eò noſtram magis animabit ſpem. poſſibilitas hanc ſuſtinet, ſed impoſſibilitas ipſam deſtruit: atqui dico, quòd non eſt aliquid in mundo quod nobis ita clarè manifeſtet, quòd eſcendere poſſumus in cœlum in corpore & in anima, quam videre aſcendere illuc Jeſum Chriſtum eodem modo; & conſequenter quòd nihil æquè fortificare poteſt ſpes noſtras ac aſcenſio illius in cœlum. Jeſus Chriſtus veniens in mundum, ſicut ſtatuerat proponere ſpebus noſtris magna objecta, & quorum poſſeſſio velut impoſſibilis apparebat, nullas omiſit rationes, quæ noſtras conciliare poſſent ſpes, quas nō adhibuerit: ſic quia volebat ut Chriſtiani ſperarent ſe *filios Dei fieri* o, habituros ſe aliquando cœlum in hæreditatem, & ſe futuros immortales a parte pòſt ſicut ipſe eſt immortalis per eſſentiam, *Qui ſolus habet immortalitatem* p; videns quòd homines quos deſtinaverat ad participandas magnitudines ſuas, & ad poſſidendam felicitatem aliquo modo ſimilem ſuæ, miſeriis oppreſſi vix credere poterant res hujuſmodi, æquè ac ſperare, quid egit ut iſtam noſtris ſpem cordibus imprimeret? Adinventio mirabilis & æqualiter digna ſapientiâ & amore Dei! Ad perſuadendum nobis, quòd non eſt impoſſibile hominibus ut fiant *filij Dei* q, ſemetipſum fecit *Filium hominis* r. Ut nos ſperare faceret poſſeſſionem cœli, ipſemet *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* ſ. Et ut nos induceret ad credendum, quòd prætendere poſſumus ad communicationem gloriæ ipſius atque immortalitatis, ſicut ad hunc finem *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ*, dicit nobis S. Petrus t: & poſt eum Dionyſius Carthuſianus u: *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, id eſt, excellentiſſima dona Spiritus ſancti & munera præclariſſima, tam gratiæ gratis datæ, quàm gratiæ gratum facientis: ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ, id eſt, per hæc ſupernaturalia gratiæ dona Deo ſupernaturaliter conformemini, & tandem ad plenam cum Deo aſſimilationem pertingatis in patria*: noſtrarum voluit ipſe fieri particeps ioſirmitatum & miſeriarum *uſque ad mortem* x noſtram ſuſcipiendam. Quaſi dixiſſet, Videte quomodo credibiles vobis reddo res, quas vobis propono: polliceor vobis me redditurum vos *filios Dei* y. Ut autem vobis hoc perſuadeam, ego ſum *Filius Dei* z, & nunc ſum *Filius hominis* a. Quid magis eſt remotum, quid difficilius eſt, aut quòd Filius Dei fiat Filius hominis, aut quòd filius hominis evadat filius Dei? Nemo eſt qui non judicet primum difficilius ſecundo: ſi igitur videris primum adimpletum præ oculis veſtris, non debetis ambigere de ſecundo, ſed illud ſperare debetis. Propono vobis, quòd meis communicare poteſtis magnitudinibus; ut autem oſtendam vobis, quòd illud eſt poſſibile, veſtras ego ſuſcepi miſerias. Quid magis diſtat ab imaginatione, aut quòd Deus poſſit fieri miſer, vel quòd homo poſſit effici felix? Quis noo judicat quòd homo ſit capacior felicitatis, quàm Deus ſit miſeriæ? Videtis difficiliue adimpletum: credite ergo facilius. Tandem, Promitto vobis immortalitatem: ne autem dubitetis de promiſſione mea, mortalis effectus ſum: quid eſt minùs probabile, aut quòd Deus fiat mortalis, moriatur morte hominum, aut quòd homo evadat immortalis, vivat vitâ Dei? Infallibiliter primum eſt minùs probabile quàm ſecundum: & ideò creditis Deum immortalem: credite igitur etiam quod efficiemini immortales: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem* b.

[o Joan. 1, 12.] [p 1. Tim. 6 16.] [q Rom. 8, 16, &c. Jo. 3, 8] [r Luc. 21, 27.] [ſ Baruch 3 38.] [t 2. Petr. 1 4.] [u Dion. Carth. art. 1. in 2. Petr. 1. 4.] [x Philipp. 2, 8] [y Jo. 1, 12.] [z 1. Jo. 3, 8] [a Matt. 25 31.] [b 1. Cor. 15 53.]

Omnes iſtæ rationes erant pluſquàm ſufficientes ad convincendos homines, niſi fuiſſent pertinaces inſtar Apoſtolorum, *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiā cordis* c. Nihilominùs quia videmus unum, non autem alterum, Deum depreſſum & non hominem elevatum, Deum ſuper terra & nō hominem in cœlo, Deum mortalem & non hominem immortalem, diffidentia noſtra habebat adhuc aliquod genus excuſationis, & noſtra incredulitas non erat abſque prætextu: propterea ut nos plenè convinceret, & à mentibus noſtris omne dubii genus auferret, oportebat ut poſtquàm vidimus Deum factum hominem, probationes haberemus, quòd homo factus eſſet Deus: poſtquàm vidimus Deum ſuper terra, requirebatur ut videremus hominem in cœlo: poſtquàm conſpeximus Deum in miſeria, expediebat ut conſpiceremus hominem in gloria: poſtquàm intuiti ſumus Deum in morte, recta ratio poſtulabat ut intueremur hominem in domicilio immortalitatis. Salvator noſter aliquas iſtarum rerum nobis exhibuerat probationes in reſurrectione ſua, cùm homo qui *ſurrexit propriâ virtute* d, non poſſit eſſe niſi Filius Dei. Propterea S. Paulus e vocat reſurrectionem notā

[c Marc. 16 14.] [d Dion. Carth. art. 45. in Marc. 16 6] [e Rom. 1, 4]

Divi-

Divinitatis Ieſu Chriſti, *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei ex reſurrectione mortuorũ*. Adutavimus ibi hominem immunem à miſeriis, ſicut & ab imperio mortis, *Scientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi vltrà nõ dominabitur* f. Vidimus ibi hominem in gloria, cùm corpus Salvatoris mei ſtatim poſt reſurrectionem ſuam haberet omnes qualitates glorioſas; ſed illud omne nõ ſufficiebat ad nos convincendos. Quis crediđiſſet hunc hominem Filium Dei, licèt reſuſcitatum, ſi diutiùs cum hominibus eſſet converſatus? quis exiſtimaſſet eum immunem à miſeriis, & à morte, cùm eſſet adhuc in domicilio, ubi mors ſic abſolutè regnat, & ubi miſeriæ ſe experiundas exhibent in tota extenſione ſua? Ut penitus convinceremur, oportebat ut glorioſus aſcenderet *in cœlum* g. Aſcenſio Jeſu Chriſti omne genus excuſationis aufert incredulitatibus & diffidentiis noſtris: iſte homo Deus vadit ſeſſum *à dextris Dei* h. Ecce homo glorioſus, homo in cœlo, homo immortalis; quia hic homo eſt glorioſus & triumphans in loco qui eſt domicilium gloriæ, felicitatis, & immortalitatis. Ita ut ſi incarnatio Verbi exhibuerat intuendum Deum *Filium hominis* i; ſi paſſio ipſius oſtenderat eum in miſeriis, & ſepultura ipſius in morte k; aſcenſio ipſius oſtendit hominem Filium Dei, hominem in gloria, hominem in immortalitate: quis poterit nunc ambigere quin homines aſcendere poſſint in cœlũ in corpore & in anima? Et ſi aliquod bonum, quodlibet illud ſit, cùm poſſibile apparet inducere nos poteſt ad ſperandã ipſius poſſeſſionem, quid agere debet illud, cujus Deus nobis oſtendit poſſibilitatem tot probationibus? Sed diceris, Videmus hominem qui aſcendit *in cœlum* l, corpus paulatim è terra miraculosè elevari ad Empyreum uſque; ſuſceptum in nubem, *Nubes ſuſcepit eum* m, unde penetrat *cœlos* n. Sed quis neſciat quòd ipſum ſit corpus Dei? Sequitur igitur, quòd illud quod eſt poſſibile huic corpori, ſit etiam poſſibile aliis. Etiam, Auditores: hæc conſequentia eſt neceſſaria: Dei Filius aſcendit in cœlum: ergo omnes illi qui erunt uniti ei per fidem & per charitatem, illuc aſcendent ſicut ille, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* o, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* p, ut dixi ſupra poſt Apoſtolum. Juxta quod ait S. Leo q, *Chriſti aſcenſio noſtra provectio eſt; & quò præceſſit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corporis*. Dicamus igitur ei cum S. Bernardo r, *Beatus qui vbiq; te Ducem habet, Domine Ieſu: nõ illum refugã ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & totã Divinitatis dexterã percuſſus eſt* ſ. *Nos autẽ populus tuus, & oves paſcuæ tuæ* t *ſequamur te, per te, ad te. Quia tu es via, veritas, & vita* u: *via in exemplo, veritas in promiſſo vita in præmio. Verba enim vitæ æternæ habes: & nos cognoſcimus & credimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi* x. Qui eò exceſſus amoris erga nos erupiſti ut dederis nobis nativitatem tuam, vitã tuam, mortem tuam, reſurrectionem tuam, & aſcenſionem tuam. Nativitatem tuam, ut ipſa purificaret noſtram. Vitam tuam, ut ipſa inſtitueret noſtram. Mortem tuam, ut ipſa deſtrueret noſtram. Reſurrectionem tuam, ut ipſa eſſet exemplar noſtræ. Aſcenſionem tuam, ut ipſa diſponeret noſtram, ſicut ipſemet nobis ais in perſona Apoſtolorum tuorum, *Vado parare vobis locum* y. Et, ut omnia uno verbo complectar. Spiritum tuum, ad roborandam infirmitatem noſtram, *Quoadusq; induamini virtute ex alto* z.

f Rom. 6. 9.
g Marc. 16. 19.
h Ibid.
i Luc. 21. 27.
k Jo. c. 18. & 19.
l Marc. 16. 19.
m Act. 1. 9.
n Hebr. 4. 14.
o Epheſ. 5. 30.
p Coloſſ. 1. 18.
q S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. c. 4.
r S. Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ.
ſ ex Iſa. 14. 12. &c.
t ex Pſ. 94. 7.
u ex Jo. 14. 6.
x ex Joan. 6, 68, & 69.
y Jo. 14. 2.
z Luc. 24. 49.

II. Pars.

Videtis igitur, Auditores, manifeſtè, quomodo aſcenſio Filii Dei nobis ſpem tribuit aſcendendi aliquando in cœlum, nobis oſtendens quòd nõ eſt aliquid ita facile ſicut facilis hic eſt aſcenſus. Sed addendum eſt, quòd non ſolùm aſcenſio Jeſu Chriſti nos inducit ad credendum, quòd aſcenſio noſtra poſſibilis eſt, ſed prætereà quòd ipſa vires nobis præbet plusquàm ſufficientes ad vincendos inimicos qui vellent impedire acquiſitionem, fruitionem æquè ac poſſeſſionem tanti boni. Quod non parùm ſervit ad animandam & roborandam ſpem noſtrã, quam difficultates iſtæ non minori pavore percellunt, quàm ipſa ſe ſuaviter ſinit allici à dulcedine bonorum quæ ipſa inquirit. Si autem veritatis iſtius exflagitetis probationem, Nonne verum eſt, quòd id quod animat & roborat corda noſtra, eſt Spiritus ſanctus? Hujus veritatis authenticũ teſtimonium perhibet id quod peragitur in perſona Apoſtolorum: timor tenet eos incluſos ante adventum Spiritus S. *Erant omnes pariter in eodem loco*. Sed confeſtim ac ipſos induit hæc virtus cœleſtis, nullo ſunt ampliùs timore correpti, ſed generosè prodeunt in publicum, *Et repleti ſunt omnes Spiritu S. & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis* a. Et ille qui tanto tremore fuerat perculſus ad vocem ancillæ, *Et acceſſit ad eum una ancilla, dicens, Et tu cum Ieſu Galilæo eras: At ille negavit coram omnibus, dicens, Neſcio quid dicis* b; magnanimiter irruit in hoſtes Domini ſui: *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis, Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. &c.* Ita verum eſt, quòd ad ſolum pertinet Spiritum S. roborare animam, armare eam conſtantiã & magnanimitate contra difficultates & labores. Ideò vocatur in Scriptura *Digitus Dei* c, *& Virtus Altiſſimi* d.

Sed quis dabit nobis hunc Spiritum ſanctum? quis nobis ſpem tribuet illius poſſidendi? Aſcenſio Jeſu Chriſti: *Expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autẽ abiero, mittam eum ad vos* e. Cœlum eſt clauſum per peccatum primi hominis ex quo vetito *de fructu comẽdit* f. Niſi illud aperiam aſcenſione meã, Spiritus S. nunquam deſcendet: econtrà ſi aſcendam, promitto vobis quòd ſtatim illum ad vos mittam. Oportebat igitur ut Jeſus Chriſtus aſcenderet in cœlum, ut nobis ſpem tribueret mittendi Spiritus ſancti. Sed quid? poſſumusne nobis iſtum polliceri favorem? Si poſſumus? Eſto, Auditores, quòd homines facilè ſperent id quod ipſis promittitur à creaturis, dico, creaturis, quarum perſæpè experti ſunt infirmitatem & inconſtantiam; illud idem ipſis promittitur ab hominibus inconſtantibus & inſtabilibus, qui craſtinã die nolent id quod volunt hodiernã, licèt intendant dare id quod promittunt tempore ad quod illud pollicentur; tamen ſicut ſunt obnoxii mutationi, *Homo vanitati ſimilis* g, *nunquam in eodẽ ſtatu permanet* h: ita repentè in alia inveniunt ſe diſpoſitione, & ſic ipſos pœnitet promiſiſſe: proptereà nõ exequuntur id, ad quod alligaverunt verbum ſuum, ſua non adimplent promiſſa, aut ſi illis ſatisfaciunt, nonniſi inviti & ægro animo ea mandant executioni: homines ſunt infirmi qui promittunt ultra id quod poſſunt, ideò mirandum non eſt ſi nõ adimplent illud quod promiſerunt, etiamſi præ ſe ferrent illius exequendi voluntatem: illius executio ſita non eſt in ipſorum poteſtate; homines ſunt mortales,

a Act. 2. 4. &c.
b Matt. 26. 69, & 70.
c Exod. 8. 19.
d Luc. 1. 35.
e Jo. 16. 7.
f Gen. 3. 6.
g Pſ. 143. 4.
h Job 14. 2.

qui perſæpè morte præveniuntur ante comple-
tum ſuæ promiſſionis effectum; & tamen alii
homines non deſinunt propterea inniti promiſ-
ſis ipſorum, licèt hæc fallacia ſint, inconſtantia,
& incerta: promiſſa, quæ Deus nobis facit, alia
ſunt ab illis: ſicut ipſe immutabilis eſt: *Ego enim*
i Malach. 3, 6, & 7. *Dominus, & non mutor, dicit Dominus exercituum* i:
promiſſiones ipſius ſunt abſque viciſſitudine. Si
k Eccl. 1. 4 de firmitate terræ non ambigitur, *Terra in æternū*
ſtat k: minùſque dubitatur à quibuſdam ſtabi-
l Job 37, 18 les eſſe *cælos, qui ſoliddiſſimi quaſi ære fuſi ſunt* l: mi-
nùs etiã revocari poterit in dubium firmitas in-
concuſſa verborum Jeſu Chriſti dicentis, *Cælum*
m Matt. 24, 35. *& terra tranſibunt: verba autem mea non præteri-
bunt* m. Oportet ut illud omne, quod Deus pro-
miſit, indiſpenſabiliter adimpleatur: Deus pro-
n Iſa. 9, 6. miſit ſe daturum Filium ſuum mundo, ſicut præ-
dixit Iſaias n, *Parvulus enim natus eſt nobis, & Fi-
lius datus eſt nobis.* Iſtud ſic eſt infallibile ut nõ ob-
ſtantibus tot peccatis & ita magnis, tot crimini-
bus & ſic enormibus, tot ingratitudinibus & ſic
atris, tot idololatriis & ita ſacrilegis, non ſit ipſe
deſtiturus ab adimplendo verbo ſuo, & à dando
Filio quem promiſit, dicens: *Si autem dereliquē-
rint filii ejus legem meam: & in judiciis meis non am-
bulaverint: ſi juſtitias meas profanaverint: & man-
data mea non cuſtodierint: miſericordiam meam non
o Pſ. 88, 31 &c. diſpergã ab eo: neq; nocebo ei in veritate mea* o. Sed
ſi fiat *Filius hominis, tradetur Principibus Sacerdotum
& Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent
eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & cru-
p Matt. 20, 18, & 19. cifigendum* p. Et ſanguis ejus erit inutilis, & mors
illius abſque effectu pro tot peccatoribus, præ-
cipuè verò pro populo quem maximè diligit,
ſicut teſtantur hæc ipſius verba: *Nunc ergo habi-
tatores Ieruſalem, & viri Iuda, judicate inter me &
vineam meam. Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ
meæ, & non feci ei? an quòd expectavi ut faceret uvas,
q Iſa. 5, 3, & 4. & fecit labruſcas* q? *Multi enim ſunt vocati, pauci
r Matt. 20, 16. verò electi* r. Nihil intereſt, Deus ipſum promiſit,
non eſt ipſe ſicut homines: ipſe non promittit a-
liquid quod non velit adimplere: *Sic enim Deus
ſ Jo. 3, 16. dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* ſ.
Difficultas nunquã impediet executionem: Je-
t Eſth. 13, 9. ſus Chriſtus eſt *omnipotens* t: nec mors unquam
præveniet effectum promiſſionum ipſius. Sed
dicamus amplius, Si aliquod è promiſſis Salva-
toris eſſe debet infallibile, ſanè illud quod ipſe
nobis facit ad nos mittendi Spiritus S. quia hoc
eſt ultimum promiſſum quod ipſe peragit ante-
u S. Aug. tract. 92. in Joan 15. 26, &c. quàm moriatur, ut ait S. Auguſtinus u. *Dominus
Jeſus in ſermone, quem locutus eſt diſcipulis ſuis poſt cœ-
nam proximus paſſioni, tanquam iturus & relicturus
eos præſentiâ corporali, cum omnibus autem ſuis uſque
x ex Matt. 28, 20. in conſummationem ſæculi x futurus præſentiâ ſpiri-
tali, exhortatus eſt eos ad perferendas perſecutiones
impiorum quos mundi nomine nuncupavit: ex quo ta-
men mundo etiam ipſos diſcipulos ſe elegiſſe dixit, ut
ſcirent ſe Dei gratiâ eſſe quod ſunt, ſuis autem vitiis
fuiſſe quod fuerunt. Deinde perſecutores & ſuos & i-
pſorum Iudæos evidenter expreſſit, ut omnino appareret
etiam ipſos mundi damnabilis appellatione concluſos,
qui perſequitur Sanctos. Cùmque de illis diceret quòd
ignorarent eum, à quo miſſus eſt, & tamen odiſſent &
Filium & Patrem, hoc eſt, & eum qui miſſus eſt, & eũ
à quo miſſus eſt, ad hoc pervênit, ubi ait, Ut adimplea-
y ex Pſ. 24, 19. tur ſermo, qui in Lege y eorũ ſcriptus eſt, Quia odio ha-
buerunt me gratis. Deinde tanquam conſequenter ad-
junxit, Cùm autem venerit Paraclêtus, quem ego
mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre
procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Jeſus

Chriſtus iſtud dixit antequàm moreretur: at-
qui ſpecies ſacrilegii eſt non ſuſcipere verba
hominis qui tendit ad mortem: quia non eſt ve-
riſimile quòd homo qui pergit ante tribunal e-
juſdem Jeſu Chriſti, velit mentiri: dicamus ſi-
militer quòd infallibiliter ſuſcipiemus Spiritum
ſanctum, quia Dei Filius, qui eſt ipſamet *Veritas* z Jo. 14, 6.
z, nobis illum promiſit paulò ante mortem ſu-
am: hoc eſt unum è promiſſis illius: iſtud igi-
tur eſt inviolatum: ſi ita eſt, ſi ſpes noſtræ ſunt
ſic inviolatæ & infallibiles, quid non debemus
agere, ut ſortiamur illius implementum?

Iſtud eſt quod S. Paulus a nobis concupiſcit, a Hebr. 6, 11, &c.
*Cupimus autem unumquemque veſtrûm eandem oſten-
tare ſolicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem:
ut non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum,
qui fide & patientiâ hæreditabunt promiſſiones.* Sed
quiſnam Sanctus proponitur nobis imitandus?
Abraham, *Abrahæ namque promittens Deus, quo-
niam neminem habuit per quem juraret majorem,
juravit per ſemetipſum, dicens, Niſi benedicens benedi-
cam te, & multiplicans multiplicabo te* b. *Et ſic* b ex Gen. 12, 1, &c.
longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. Su- & ex Gen. 18, 18, &c.
per quem locum S. Pauli dicit S. Anſelmus c, & ex Gen. 22, 16. &c.
*Inde poteſtis videre, quoniam qui fidem & patientiam
habent, promiſſiones hæreditabunt, quia Abraham qui* c S. Anſel. in Hebr.
primus audire cœpit, eas adeptus eſt. Et conſequen-
ter ſubdit Apoſtolus, *In quo abundantiùs volens* 6, 13, &c.
*Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem
conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: ut per duas res
immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſ-
ſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenen-
dam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus
animæ tutam ac firmam.* Deus confirmaverat
verbum ſuum jurejurando ſolemni, & ſe adim-
pleturum promiſſum ſuum, & tamen iſtis non
obſtantibus omnibus certitudinibus, quanta
peregit iſte Patriarcha? Nonne deſeruit patri-
am ſuam, & nunquid non ſe diſpoſuit ad immo-
landum Deo filium ſuum, ut frueretur terrâ
quam Deus ipſi jurejurando promiſerat? Quid
autem non facere debeamus nos, ut fruamur *ter-
râ viventium* d, in qua quilibet Sanctus inveniet d Pſ. 26. 13 & 141. 6.
Regnum in hæreditatem, & illud accipiet à
Ieſu Chriſto qui fecit nos Regnum Deo, & Patri e Apoc. 1. 5. & 6.
ſuo e?

Sed quare proponuntur nobis exempla San-
ctorum? Utinam nos ſpes noſtra induceret ad a-
gendum pro cœlo id, ad quod ſpes humanæ in-
ducunt alios faciendum pro bonis temporaneis
& incertis. Mercator aſcendit in navim ut pe-
tat Indias, innumeris exponit ſe periculis in ma-
ri & ſuper terra, & quare? Spes acquirendarum
divitiarum blanditur ipſi. Sed eſtne certus quòd
ditabitur? Nequaquam. Habetne pro comper-
to, ſe inventurum ibi quò vadit, id quod ipſe
quærit? Non. Scitne, ſe perventurum illuc
quò navim dirigit? Heu quotnam naufragia
præ ſuis vidit oculis! Quotnam intuitus eſt
mercatores & nautas qui perierunt in undis,
quibus ſuam fortunam committit atque vitam?
Sed dato, quòd illuc perveniat, & inveniat ibi il-
lud quod ipſe quærit, eſtne certus de reditu?
Heu quotnam naves impactæ ſunt in ſcopulos,
quæque ſic ad portum non ſunt appulſæ! Sed
ſupponamus, quòd illinc revertatur onuſtus di-
vitiis & theſauris, quotnam annis fruitur illis?
Exiguis. Et poſt hæc quomodo audent homi-
nes tantum laborem aſſumere, tot ſe periculis &
caſibus exponere pro bono incerto, & cujus
frui-

fruitio ita brevis eſt? Nos autem qui ſpes habemus ita certos, bonum ſic anguſtum, quale eſt poſſeſſio cœli, fruitio gloriæ cœleſtis invariabilis per totam æternitatem beatam, cujus acquiſitio non ſolùm nobis eſt poſſibilis, ſed etiam facilis, quomodo nihil agimus ad merendam acquiſitionem ejus, & manemus brachiis in modum crucis complicatis? Aulicus manebit per decem aut viginti annos in Curiâ Principis; incaneſcet in obſequio Regis, è quo imaginatur quòd ſua fortuna pendeat: & tamen perſæpè & utplurimùm è tot exhibitis obſequiis terrenæ Majeſtati nihil referet niſi inimicitiam Principis. Spes mundana quàm fallax es! *Reſpicite filii, nationes hominum: & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt*, ait nobis Eccleſiaſticus f.

f Eccli. 2.11

Quis unquam ſervivit Deo, & non ſuſcepit ab eo mercedes infinitè ultra ſua obſequia? Nos autem ſervire negligimus Deo ita bono, non ſperamus in promiſſa ejus, nec noſtras impendimus operas ad hoc ut videamus illorum implementum. *Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* g?

g Pſ. 4.3

Vultiſne, Auditores, ut vos paucis edoceam verbis quid ſit vobis agendum ad hoc ut ſpes veſtras videatis adimpletas? Sicut aſcenſio Jeſu Chriſti facit nos ſperare duas res, de quibus vobis hactenus locutus ſum, nimirum aſcendere in cœlum, & ſuſcipere Spiritum ſanctum: ita duas res agere debemus, unam ad accipiendum Spiritum ſanctum, & alteram ad comparandum nobis cœlum. Ad hoc ut ſuſcipiatur Spiritus ſanctus, evacuandum eſt cor omni amore contrario amori Dei: Spiritus ſanctus eſt *Deus zelotes* h. Totum ipſe vult, aut nihil: requirit integram cordis noſtri poſſeſſionem, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* i. Vel illud omnino reſpuit: nullum enim ſuſtinebit unquam rivalem: *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt* k.

h Exod. 20.5

i Prov. 23. 26

k Iſai. 28. 20

Anima noſtra eſt veluti thalamus nuptialis, in quo Spiritus S. ſibi complacet requieſcere, ſed thalamus iſte ſic ſtrictus eſt, ut uni ſoli capiendo ſufficiat; ſi dæmon, mundus, aut caro ibi locum ceperunt, nullus ſupereſt ibi locus ampliùs Spiritui ſancto, & nemo ſuſcipiet unquam Deum quin evacuaverit cor ſuum omnibus amoribus qui non ſunt propter ipſum. Jeſus Chriſtus dicit quid amplius, Apoſtolos ſuos alloquens, *Expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos* l.

l Jo. 16. 7

Res inaudita! Quid igitur? Nunquid non ſociari poteſt humanitas Jeſu Chriſti Spiritui ſancto? Annon amor Humanitatis Jeſu Chriſti & amor Spiritus ſancti habitare poſſunt in eodem corde? Sancti Patres ajunt, quòd Apoſtoli adhuc in cunis Chriſtianiſmi adhærebant æquo ſenſibiliùs rebus exterioribus, & ſicut non videbant niſi humanitatem ſanctam Jeſu Chriſti; ita totus ipſorum affectus terminabatur ad Jeſum Chriſtum hominem, nec ipſorum mens intimè pervadebat Divinitatem ejus, quæ erat interior: atqui affectus ille eorum non erat benè ordinatus: ſicut enim Spiritus Jeſu Chriſti eſt divinior quàm ipſius caro, ita merebatur majorem dilectionem: oportebat igitur ut Jeſus Chriſtus Humanitatem ſuam retraheret ab aſpectu diſcipulorum ſuorum, ut receſſu diminuente hunc affectum carnalem, capaces eſſent ſuſcipiendi Spiritus ſancti, qui diligi vult *ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ mente* m. Unde ſanctus Auguſtinus n ait ſuper præfata verba Jeſu Chriſti: *Quid eſt ergo, Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: niſi, Non poteſtis capere Spiritum, quandiu ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum?*

m Matth. 22.37

n S. Aug. tract. 94. in Joan. 16.7

Si ergo amor nimis ſenſibilis Apoſtolorum erga Humanitatem Jeſu Chriſti, eſt obſtaculum receptioni Spiritus ſancti, quomodo ſperabitis illum ſuſcipere in cor intricatum mille affectibus inutilibus, ne dicam criminoſis? Evacua igitur, Anima Chriſtiana, cor tuum, ſi Spiritum ſanctum velis ſuſcipere.

Sed ut pergamus in cœlum cum Filio Dei, quid nobis eſt agendum? Sequendum eſt iter, quod ipſe nobis aperuit, *Aſcendet pandens iter ante eos*, prædixit de illo, ſicut & de nobis Michæas o. Iſtud iter eſt crux, hoc eſt iter quod peregit Chriſtus, *Oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam* p.

o Mich. 2.13

p Luc. 24. 26

Turpiter hallucinamur, ſi imaginamur nos ingreſſuros paradiſum per aliam viam, *Si compatimur, ut & conglorificemur* q. Vultiſne glorificari cum Chriſto? Deſiderium veſtrum juſtum eſt: ſed ſcitote quòd ad hoc ut glorificemini cum illo, pati debetis una cum eo: oportet ut membra ſequantur Caput ſuum: cœlum non eſt pro delicatis & effœminatis, *Neque molles Regnum Dei poſſidebunt* r.

q Rom. 8.17

r 1. Cor. 6.10

Diſcamus igitur, Auditores, ex Aſcenſione Jeſu Chriſti, quam celebramus intra hanc hebdomadam, quòd ſperare debemus nos aſcenſuros aliquando in cœlum, cùm Jeſus Chriſtus qui eſt Caput noſtrum, nobis iter ad illud pandat: & ſecundò, nos ſuſcepturos Spiritum ſanctum, cùm ſit ultimum promiſſum quod Salvator nobis fecit. Sed etiam mementote, quòd ad hoc ut digni ſitis qui ſuſcipiatis hunc divinum Spiritum, debetis habere cor vacuum omni amore mundano; & comitari Jeſum Chriſtum uſque ſuper crucem, ſi ſequi velitis illum ad gloriam uſque.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis elevatus eſt : & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Act. I. 9.

ETiamſi mors Filii Dei ſit triſtiſſimum objectorum omnium quæ noſtris ſubjici poſſunt oculis, cùm creaturæ compaſſionis incapaces, ſenſu quodam doloris videantur fuiſſe affectæ *a* propter eam : videtur tamen Salvator [*a* Luc. 23. 45 & Matt. 27. 51. & 52] non habuiſſe gratum quòd mulieres Jeroſolymitanæ, quas obvias habuit dum pergeret in montem Calvariam, deflerent mortem ipſius, *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me : ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros* b. [*b* Luc. 23. 28] Et exiccans illarum lacrymas verbis ſuis, adimplevit iſtam Prophetiam c, [*c* Nahum 1. 4] *increpans mare & exiccans illud.* Hæc verba Salvatoris, quæ aliquo modo avertunt homines à juſto dolore quo affici debent intuitu mortis & paſſionum ipſius, innuunt nobis, quòd ipſius paſſio contineт aliquod motivum gaudii inter dolores ipſius, cùm non approbaret lacrymas piarum illarum mulierum, & vellet procul dubio ut intuerentur illæ hanc eandem ipſius mortem ut finem dolorum noſtrorum, initium lætitiarum noſtrarum, & imaginem illius beatitudinis, quæ omnes terminare debet miſerias noſtras in gloria *d*. [*d* Apoc. 21. 4. ex Iſai. 25. 8] Quæ autem ante triſtitiæ capeſſendæ vicendo imaginem felicitatis ad quam ſuſpiramus, & quæ eſt objectum ſpei noſtræ *e*? [*e* Philipp. 3. 20. & 21] Et ſi velimus ibi nova invenire gaudii motiva, obſervabimus quòd tempus mortis ejus fuit tempus nuptiarum ipſius, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ait S. Auguſtinus *f*. [*f* S. Aug. Conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34. & ex Gen. 2. 21] Et quòd pœnæ ejus repertæ ſunt in celebritate iſtius Matrimonii. Ut autem innuatur, quòd mors illius includit aliquid quod non eſt funeſtum, & quod meretur ut in ea lætemur, ſufficit ut dicamus poſt S. Paulum *g*, [*g* Coloſſ. 2. 14. & 15] quòd illa fuit motivum victoriæ & triumphi ipſius, & quòd æquum eſt ut omnes homines gaudeant de deſtructione inimicorum ipſius, ſicut & noſtrorum, *Delens quòd adverſùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci : & expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Sic paſſio ejus meretur meliùs palmas & acclamationes hominum, quàm ingreſſus ejus *Jeroſolymam* h. [*h* Joan. 12. 13. &c] Et ſi habemus fidem felicium ſucceſſuum & victoriarũ ejus, celebremus exequias ejus ut triumphos, ſicut præ gaudio celebravimus incarnationem illius *in utero* B. Virginis Mariæ adimpletam, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* i *Maria.* [*i* Luc. 1. 28. &c. ex Iſai. 7. 14]

Mirabilis eſt altitudo montis alicujus excelſi, gratum eſt pratum viriditate ridens, ineffabilis eſt virtus arcana quam Deus herbis indidit, & plantis, & egregia eſt virtus magnetis attrahens : ſed præ illis omnibus incomparabilis eſt magnitudo Regis *gloriæ* k, [*k* Pſ. 23. 7. &c] qui revertens ad Patrem ſuum, ut ſedeat *à dextris Dei* l, [*l* Marc. 16. 19] teſtatur quòd ſicut Filius *obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* m, [*m* Philipp. 2. 8] fideliter adimplevit officium quo ab ipſo fuit honoratus, ut *Mediator Dei & hominum* n, [*n* 1. Tim. 2. 5] *pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* o : [*o* Coloſſ. 1. 20] Et quòd ſicut ipſe dedit *eum Ducem Gentibus* p : [*p* Iſai. 55. 4] ita & glorioſam retulerat is victoriam de hoſtibus gloriæ ſuæ, *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ* q. [*q* Pſ. 46. 6]

Tria ſunt quæ benè gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter : leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum : Gallus ſuccinctus lumbos : & aries : nec eſt Rex qui reſiſtat ei, ait Salomon r. [*r* Prov. 30. 29. &c] Et Lyranus †, [† Lyran. in Prov. 30. 29. &c] *Et Rex contra quem non levabit : ſic eſt in Hebræo : id eſt, contra quem nullus reſiſtere poterit.* Variæ dentur expoſitiones iſtius ænigmatis myſtici. Idem Lyranus deſignari putat quatuor Monarchias, quæ ſibi invicem ſucceſſerunt, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum : & per leonem denotari Nabuchodonoſor, quia Jeremias ſ loquens de vaſtitate quam peregit in [*ſ* Jer. 4. 7] Judæâ, & Jeroſolymis, ait de eo, *Aſcendit leo de cubili ſuo.* Per gallum, Cyrum Regem Perſarum, qui Regnum Aſſyriorum tranſtulit ad Perſas : per arietem, Alexandrum Magnum, Regem Macedoniæ, in eo quòd licèt aries manſuetiſſimus ſit, tamen ſi irritetur, cornibus impetit eos qui [illegible]um ſunt aggreſſi : ſic Alexander exacerbatus nimia arrogantiâ Perſarum, ſubjecit eos ditioni ſuæ, illorumque Regnum tranſvexit ad Græcos : & per Regem, cui nihil reſiſtit, Imperium Romanorum, quod velut invincibile ſubjugavit ferè omnia Regna mundi, de quo prædixit Daniel t, [*t* Dan. 2. 40. &c] *Et Regnum quartum erit velut ferrum : quomodo ferrum comminuit & domat omnia : ſic comminuet & conteret omnia hæc.* S. Gregorius *u* [*u* S. Greg. l. 30. Mor. c. 3] interpretatur hoc ſpiritualiùs, dicens, quòd per hæc quatuor animalia ſignificantur præcipua quatuor officia, quæ Jeſus Chriſtus exercuit propter ſalutem noſtram, ſcilicet, Prædicatoris *x*, [*x* Matth. 4. 17] Redemptoris *y*, [*y* Apoc. 1. 5] Juſtificatoris *z*, [*z* Rom. 8. 30] & Glorificatoris *a*. [*a* Ibid.] Gallus, ait ſanctus iſte Pontifex, eſt ſymbolum Prædicatoris : ſicut enim proprium eſt gallo excitare eos qui dormiunt : ſic Jeſus Chriſtus doctrinâ ſuâ Evangelicâ ſuſcitavit illos, *qui in tenebris, & in umbra mortis* b ſedebant. [*b* Luc. 1. 79] Aries repræſentat officium Redemptoris : proptereà *levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio* c. [*c* Gen. 22. 13] Sic Jeſus Chriſtus, Aries iſte myſticus habens caput *ſpinis* d laceratum, [*d* Jo. 19. 2. &c] ſacrificatus eſt ſuper monte Calvariâ ad redimendos nos. Leo figurat Salvatorem ut Juſtificatorem : ſicut enim leo rugitu ſuo vitam retribuit catulis ſuis : ita Jeſus Chriſtus, myſticus iſte *Leo de tribu Juda* e, [*e* Apoc. 5. 5] in reſurrectione ſua vitam nobis gratiæ reſtituit, quam amiſeramus, *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram* f. [*f* Rom. 4. 25] Et per Regem repræſentatur expreſſè officium Glorificatoris, quo Jeſus Chriſtus perfunctus eſt, cùm *aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei* g. [*g* Marc. 16, 19] Et fruens gloriâ ſuâ, aperuit nobis januas cœlorum, quæ ita diu fuerant clauſæ, ſtipatus Angelis, & animabus beatis quas eduxerat è limbo, ſicut prædixerat Michæas h : [*h* Mich. 2. 13] *Aſcendet enim pandens iter ante eos : divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam : & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.*

Reges in principio Regni ſui viſitare ſolent Pro-

Digitized by Google

Provincias ſuas, ut cognitis moribus & affecti-
bus ſubditorum ſuorum, ſtatuere poſſint leges
ad captum illorum accommodatas: & peractâ
i Philipp. 2.10 viſitatione ſua, revertuntur ad metropolim Re-
gni, ut in eâ ſtabiliant thronum ſuum. S. Paulus i
loquens de Regno Jeſu Chriſti, dividit illud in
tres Provincias, *In nomine Ieſu omne genu flectatur,
cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ideò priuſ-
k Luc. 1.78. ex Zach. 3.9. & 6.12 quàm ſtabiliret ſedem ſuam, *viſitavit nos, Oriens
ex alto* k. Id eſt, ſuper terrâ, unde Tyrannum in-
fernalem expulit, *Nunc Princeps hujus mundi eji-
l Jo. 12.31 cietur foras* l. Leges ſtatuit Evangelicas homini-
m Matth. 22.37. &c bus m. Peractâ viſitatione ſuâ quæ fuit *quaſi an-
norum triginta* n trium, tranſiit ad ſecundam
n Luc. 3.23 Provinciam, quæ eſt inferorum, aut limbi, *De-
p Eccleſia ex Epheſ. 4.9 ſcendit ad inferos* p. Unde eduxit ſanctos Patres,
ſicut prædixerat ei Iſaias q, *Ut diceres his qui vincti
ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini.* Et ubi
q Iſai. 49.9 *apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt
diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille,*
r Apoc. 20.2 ait S. Joannes r. Et Dionyſius Carthuſianus ſ
ſ Dion. Carth. art. 21. in Apoc. 20.2 poſt eum, *Hoc fecit Chriſtus, quando per ſuam digniſ-
ſimam paſſionem eripuit genus humanum à poteſtate
diaboli, ejuſque poteſtatem reſtrinxit, compeſcuit, de
innumerabilium hominum cordibus expulit, Porrò per
mille annos, ob hujus numeri perfectionem, totum E-
vangelicæ legis tempus exprimitur, per quod iſta durat
ligatio.* Quâ viſitatione peractâ intra ſpatium
quadraginta horarum, reverſus eſt ſuper terram
ut neceſſaria provideret Eccleſiæ, huic primæ
Provinciæ, inſtituens S. Petrum Vicarium ſuum
t Jo. 21.17 generalem t, alios Apoſtolos Epiſcopos x, &
x Joa. 20.21. & 22 mittens reliquos diſcipulos ſuos prædicatum E-
y Marc. 16.15. &c vangelium ſuum, æquè ac illos y. Sic diſpoſitis
omnibus negotiis magni momenti Eccleſiæ ſuæ,
reverſus eſt in tertiam Provinciam cœli, velut
in metropolim ſui Regni, & ibi ſuam poſuit ſe-
dem à dextris Patris ſui, *Et Dominus quidem Ieſus
z Marc. 16.19 poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſe-
dit à dextris Dei* z.

Romani antiqui ſoliti erant aliàs magnos ho-
nores deferre Ducibus ſuis victoribus reverten-
tibus Romam, tam ad rependendam illis merce-
dem debitam, quàm ad animandos eos qui viſu-
ri eſſent honores iſtos ad patranda aliquando ſi-
milia facinora; ſed triumphus Jeſu Chriſti longè
glorioſior eſt abſque ulla comparatione trium-
pho Romanorum, & honores qui ipſi deferuntur
a Apoc. 21.8 advenienti Jeruſalem a cœleſtem, ſunt magnifi-
centiores omnibus honoribus, qui delati ſunt
antiquis illis Ducibus. Videamus excellentias i-
Diviſio ſtius triumphi Jeſu Chriſti, Primò per conveni-
entiam illius cum triumphis antiquorum; Se-
cundò per differentiam ejus ab illis.

I. Pars. Pro comperto eſt in Philoſophia, quòd honor
& gloria ſunt vera merces virtutis; & exhibi-
tiones reverentiæ, quæ impenditur inſignibus
hominibus, qui ſunt heroes ſeculi ſui, certæ ſunt
probationes excellentiæ quæ apparet in eis, &
quam in illis admirantur homines reliqui. Splē-
dentes actiones, quæ noſtras merentur admira-
tiones, æquè ac reverentias, jure merito præmia
requirunt; propterea Romani antiqui, ut modò
dixi, liberales honoris impendendi Ducibus, qui
prodigi fuerant ſanguinis ſui pro defenſione ſuæ
civitatis, & pro conſervatione patriæ ſuæ, tri-
buebant eis omnem gloriam poſſibilem. Inde
triumphi Victorum ceperunt initia poſt devi-
ctos hoſtes, & ſanguinolenta prælia feliciter
peracta. Nolo vobis importunus eſſe in enarran-
dis vobis iis quæ peragerentur in illis occurſi-
bus, æquo prolixior eſſem in enumerandis illis
omnibus quæ referuntur ab Authoribus circa
triumphos iſtos antiquorum: multa ex illis ta-
ceo, ut aliqua tantùm dicam. Et primò obſervant
Authores, quòd ſternebantur viæ, per quas tri-
umphator erat tranſiturus, quòd præcones reſo-
nare faciebant verbum triumphi, ſæpè repeten-
do illud, *Io triumphe, non ſemel dicemus, io trium-
phe.* Poſteà ſequebantur animalia deſtinata ad ſa-
crificium, coronata floribus, habentia cornua
aurata. Inſuper, Videbatur præda acquiſita ſupra
civitates & Provincias delata à militibus, &
propè, animalia rariſſima, & nondum viſa Ro-
mæ, ut leones Africæ, elephantes Aſiæ, tigrides
& pantheræ aliarum nationum: quin imò & ar-
bores incognitæ, ut balſamum Palæſtinæ, & pal-
ma Judææ. Captivi ſequebantur catenis conſtri-
cti, & pudore ſuffuſi. Super hæc, Coronæ, quas
civitates miſerant, & quæ deditionem libenter
ſubiverant, deferebantur elevatæ ſuper lanceas:
Hæc omnia ſequebatur triumphator inſidens
currui concluſo turribus, vecto à diverſis anima-
libus, modò ab equis, modò ab elephantibus, &
aliàs à leonibus; & circum illum propinqui &
affines illius, coronati lauro, qui congratulaban-
tur ei victoriam ipſius, tenentes præ manibus a-
liquod pretioſum monile, quod ex ipſius libera-
litate ſuſceperant. Talis erat triumphus anti-
quorum Romanorum: ſed triumphus Jeſu Chri-
ſti hodiernus complectitur eminenter omnes i-
ſtas excellentias, imò aliquid habet magnificen-
tius abſque ullâ comparatione. Nam quantùm
ad acclamationes, & io triumphe, quibuscum
exceptus eſt in cœlo, quis enarrare poſſet om-
nes clamores gaudii, & applauſus, qui exhibiti
ſunt illi à civibus paradiſi? David b hortatur b Pſ. 46.2
omnes nationes ad gaudendum, & ad tribuen-
dos ei applauſus, & ad offerendas illi gratiarum
actiones pro eo quòd contriverit catenas, qui-
bus vinciebantur, & tribuerit ipſis libertatem,
*Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce
exultationis.* Itinera ſunt ſtrata, *Iter facite ei qui a-
ſcendit ſuper occaſum* c. Innumeros ſecum ducit c Pſ. 67.5
captivos, ſed captivatos amore, non autem vio-
lentiâ, *Aſcendens in altum, captivam duxit captivi-
tatem, dedit dona hominibus* d. Et ſic omnes lo- d Epheſ. 4.8. ex Pſ. 67.19
quuntur de muneribus, quæ ipſi ſuſceperunt è
liberalitate ipſius; quod eſt intelligendum de a-
micis illius: nam quantùm ad inimicos ejus, in-
tuemini eos victos incedentes ante currum ejus,
vinculis conſtrictos ut captivos, Judæos, diabo-
los, peccata & mortem. *Qui educit vinctos in forti-
tudine.* Ecce Judæi, *Similiter eos qui exaſperant:* Ec-
ce diaboli. *Qui habitant in ſepulchris* e: En pecca- e Pſ. 67.7
ta & mors.

Deſideratisne videre currum ejus triumpha-
lem? Non eſt ipſe è ligno, ſed ex oculis, & è nu-
bibus. Non trahitur à cervis, ab elephantibus, ab
equis, aut à leonibus, ſed à ſpiritibus beatis, ab
Angelis, & à Sanctis: *Currus Dei decem millibus
multiplex, millia lætantium* f. Sed quis repræſen- f Pſ. 67.18
tare poſſet arcus triumphales erectos in aëre, &
in cœlo, quà tranſit? Aër hodiernâ die totus con-
ſitus eſt floribus, quos collegerat ſuper terrâ: Sol
illuminat nubes, quæ vibrant fulgura grata &
benefica: Elementa locum cedunt Authori ſuo,
ut ibi maneat; ſed ibi non ſiſtens, nec in ullo è
cœlis inferioribus, Empyreum uſque pervadit,
ubi ſe collocans ſupra Angelos, *ſedet à dextris
Dei* g? En convenientiæ triumphi iſtius cum g Marc. 16.19
trium-

triumphis Romanorum, ſed & prærogativæ admirandis altius ſupra illos.

Ego autem neminem ſcio qui ita glorioſè triumphaverit ac Conſtantinus, poſtquam devicit Tyrannum Maxentium, ut refert Euſebius h. *Conſtantinus cum ſuo exercitu victoriam adeptus, ad Dei ſummi Duci & victoriæ Authoris laudem celebrandam rebus ſuis geſtis pulchre exprimens, Romam cum triumpho & celebri pompâ ingreditur. Ibi tum omnes coacervatim, cum teneris pueris & mulieribus, tam qui erant ex ordine Senatorio, quàm qui alio honore præſtabant, cum universo populo Romano lætis oculis eum obtutu, lubentibus animis, fauſtis acclamationibus, & inſatiabili gaudio, eum tanquam Liberatorem, & Patronum benigniſſimum acceperunt. At ille utpote pietate in Deum tanquam naturaliter menti illius inſitâ imbutus, non omnino clamoribus & applauſu populari commotus, non laudum elatus præconiis, ſed ſubſidii à Deo allati animo ſuo conſcius, confeſtim paſſionis Servatoris trophæum in manu propria ſuæ ſtatuæ & imaginis collocari mandat. Atque ut primum ejus effigiem, ſalutare lignum Crucis dextrâ tenentem in celeberrimo loco totius urbis poſuerant, eam inſcriptione in baſi Latinis literis inſculptâ præcepit inſigniri, quæ hæc verba complexa eſt. Hoc ſalutari ſigno, vero fortitudinis indicio, noſtram civitatem Tyranni jugo liberavi, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, priſtinæ amplitudini & ſplendori reſtitui.* Nunquid non ecce magnificus triumphus, & qui ſuperare videtur omnes magnificentias, quæ fuerunt unquam viſæ? Nemo eſt qui de hoc ambigat, ſed, ut verum fatear, æquiparari non poſſunt illæ magnificentiis Jeſu Chriſti die illâ aſcenſionis ejus: totum reperitur hic præ excellentiâ; virtutes hic incedunt ordinatæ, non timidæ, ſed capite erecto: & dum aſpiciuntur præ hâc lætitiâ, judicantur quidem egreſſæ ex aliquo magno infortunio ad hic degustandas ſuavitates & delicias libertatis. Illâ die triumphi Jeſus apparet in medio turbæ elevatus ſuper currum, circundatus ſplendore divino vitia adhærent ei alligata more captivorum, gemunt videndo ſe conſtricta, & verſantia & reverſantia ſe jugiter in vinculis ſuis ut ab illis ſeſe extricent ſatis oſtendunt ſe vi coercita ne ullum faciant amplius malum, & hanc pati ſe ſervitutem invita. Paſſiones ſequuntur, ut ſpectaculi loco ſerviant in iſtâ pompa: quin imò & ipſum Tyranni caput in hoc triumpho defertur ad commendandam victoriam: congratulantur omnes Victori, & ei gratias agunt pro eo quòd ipſos *libertate* i liberaverit, conterendo catenas quæ ipſos tenebant captivos; nemo eſt qui nō gaudeat; & ſi aliqui contriſtentur, illi non ſunt niſi inimici ejus, qui ſe videntes victos, ſunt pudore ſuffuſi, advertentes ſe prorſus impotentes ad agendum. Quid glorioſius quantùm ad Jeſum? ſed quid magis affligens quantùm ad dæmones, & fautores illius?

h Euſeb. l. 9. Hiſt. Eccleſ. c. 9

i Galat. 4. 31

Sequimini, ſi placet, & conſiderate Triumphatorem noſtrum deductum cum honore ſupremo ad dextram Patris ſui. In duobus defertur curribus, quorum unus non eſt niſi ex oculis formatus, & oculi iſti non ſunt alii niſi oculi B. Virginis Matris ipſius, Apoſtolorum, diſcipulorum, & ſanctarum mulierum, qui omnes ſunt ſpectatores, ſeu, ut meliùs dicam, ſpectaculi loco ſerviunt in hâc occaſione, *Videntibus illis elevatus eſt.* Si autem proverbium eſt verum, *Vbi amor, ibi oculus;* quis exprimere poſſet qualis fuit amor S. Matris ejus, Apoſtolorum, & aliorum, qui interfuerunt monti Oliveto, unde *Dominus Jeſus, aſſumptus eſt in cœlum* k? Atqui quandiu amor iſte proveniebat è terrâ, ipſe elevabatur in cœlum, & oculi eorum pariter è terra elevabantur cum illo, & tandiu duravit iſte primus currus triumphi, quantùm illorum oculi ſurſum ſe potuerunt elevare. Ex iſto primo curru ſuſceptus eſt in alterum, qui fuit currus nubium. *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Ingrediens in hanc cœleſtem nubem, innumerâ circundatus eſt Angelorum & Sanctorum catervâ, *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in ſancto* l. Sed obſervate, quòd ſi eb Evangeliſtâ ſubdatur, *nubes*: ideò quia vult ipſe obumbrare arte id, quod depingere non poteſt coloribus, nec verbis exprimere.

k Marc. 16. 19

l Pſ. 67. 18

Taceamus igitur de eo, quod videre non poſſumus, ut attentè conſideremus, quantùm hæc jactura & iſta privatio viſus moleſta fuit huic bonæ Matri, & omnibus illis qui interfuerunt huic occaſioni ſi autem piſcis, nomine Popyrus, ſic adhæret ſcopulo, ut, ſi inde trahatur, partem ſui relinquat in lapide, cui adhærebat, ut dicitur: quomodo Dei Filius in diſceſſu ſuo è terrâ in cœlum, non abripiet cor amantiſſimæ Genitricis ſuæ; & Mater non retinebit cor Filii ſui, cùm inter eos ſic ſtricta eſſet unio amoris, ut ex ipſis ambobus non fieret niſi quid unum, quod ſuſtinere non poteſt ſeparationem? *Vna eſt Mariæ, & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis m, *eius Chriſti & Mariæ voluntas.* Sic eſt, Auditores: iſte magnes divinus eam attrahit, & adimpletur in ſanctis iſtis animabus id, quod eliàs *Jeſus dixit, Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum* n. Ecce ipſe elevatus eſt ſupra omnes cœlos, & illuc interim anticipativè trahit corda Matris ſuæ & aliorum qui corpore interſunt huic ſacro ſpectaculo, ſicut et nos adſumus cogitatione: & tamen heu quare non fruimur iſto favore? utquid iſti non communicamus prærogativæ? Heu! Auditores, quàm graves ſumus, qui non ſinimus nos abripi, nec ut iſta compleatur in nobis prophetia, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Eſt induratum noſtrum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* o ſtrictum. Euge, tribuamus ei corda noſtra, ut ſuſcipiamus cor ejus, & aſcendamus hodiernâ die cum illo in cœlum, trahamur illuc ſaltem affectu, expectantes donec illuc perveniamus ſaltem corpore & ſpiritu. Sed heu! ſi non trahimur, defectus non eſt imputandus impotentiæ Jeſu, ſed puſillanimitati noſtræ, quæ tota illius cauſa eſt, & eò crimìnoſa, quò voluntaria. At cùm mirati fuerimus excellentias triumphi ejus & convenientias ejus cum triumphis Romanorum antiquorum, videamus differentias ejus ab illis.

m Arnold. Carnot. ſerm. de Laudib. Deip.

n Joan. 12. 30. & 32.

o Job 41. 15

II. Pars.

Licèt triumphum Antiquorum comitaretur multa gloria, & non audirentur in eo niſi acclamationes, & voces lætitiæ publicæ, in eo tamen erat aliquid funeſti & affligentis, quod temperabat hæc gaudia cogitationibus luctus & moleſtiæ, cùm omnis honor iſte eſſet exiguæ durationis, & iſti toti felicitatis ſtatui immineret ſubita mutatio. Sic conſulit Eccleſiaſticus p, *In die bonorum ne immemor ſis malorum.* Debemus ſemper dubitare de blanditiis fortunæ, & tenere tranquillitatem ſuſpectam alicujus tempeſtatis: antiqui autem intuendam præbebant hanc tempeſtatem, præcipuè per veſtimenta triumphatoris, & ornamentum currus ejus; corona erat

p Eccli. 11. 27

magni

magni pretii,& veſtis erat purpurea, ſed non licebat ei exire e Capitolio, quin prius illam depoſuiſſet: quam conſuetudinem cùm quidam fuiſſet transgreſſus, immodicè fuit exacerbatus adversùs eum Senatus: unde videris quàm parùm ſtabilis eſſet hæc gloria. Prætereà, Appoſita erat hæc inſcriptio prope caput triumphatoris, *Reſpice poſt te, hominem te eſſe memento.* Inſuper, Ibi erat idolum Dei Faſcini, qui conſulebatur ut medicus invidiæ: *Nam & in Proverbiis* q *quod Latini Codices habent, Non cœnabit cum viro invido, Græcus habet* ἀνδρὶ βασκάνῳ. *Βάσκανος autem Faſcinus dicitur*, ait S. Auguſtinus r. Subditur etiam quòd prope illud idolum erat flagellum, & tintinnabulum: flagellum pro nota infamiæ, quia eo plectebantur rei: & tintinnabulum, quod innuebat mortem ignominioſam: illi enim qui ad patibulum ad opperendam mortem ducebantur ex decreto juſtitiæ, tintinnabulum deferebãt appenſum, ut ſonus illius moneret tranſeuntes ut recederent ab ipſo, quia illi qui tangebant hominem damnatum ad mortem, polluti erant, ſecundùm opinionem antiquorum: atqui totus hic apparatus monebat triumphatorem, quòd hæc tota majeſtas pompatica non erat niſi ad unicum diem, cùm non liceret ipſi deferre illius veſtimenta niſi illo die unico, & quòd in medio triumpho ſic invidia poterat ipſum faſcinare, ut non ſolùm forſan inde infamandus eſſet flagello, ſed etiam ad mortem tradendus ut criminoſus; ideòque quòd caput deberet ipſe convertere, ut recordaretur ſe eſſe hominem, *Reſpice poſt te, hominem te eſſe memento.* Quod idem eſt ac illud quod ait Eccleſiaſticus, *In die bonorum ne immemor ſis malorum.* Sed triumphus Salvatoris multùm differt ab illis triumphis antiquorum; habet eminenter omnes honores, qui impendebantur aliis Romæ, ſed modo digniori, nedum ullam habeat è notis infamiæ aut miſeriæ: non eſt obnoxius mutationi, ſicut triumphus illorum, ſed habet firmitatem: quod non eſt inventum in imperiis quæ ipſum præceſſerunt: dato enim quòd invidia non inficeret ea, nec faſcinationibus ſuis inferret illis interitum, ipſamet ſe diſſipabant, & evaneſcebant inſtar venti, cùm eſſent incapacia conſtantiæ. Cui convenit viſio Zachariæ ſ in qua repræſentantur ei quatuor præfata imperia mundi, juxta expoſitionem Cornelii t. *Et vidi: & ecce quatuor quadrigæ. In quadriga prima equi rufi, & in quadriga ſecunda equi nigri: & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varii & fortes. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me, Quid ſunt hæc, Domine mi? Et reſpondit Angelus, & ait ad me. Iſti ſunt quatuor venti.* Quaſi diceret Propheta, quòd cùm non eſſent niſi venti, ſic & ſtabilem non poſſent habere durationem ſub fundamento ita fragili. Et hoc eſt quod repræſentabat hæc antiquorum Fortuna inſidens rotæ alatæ, unâ manu tenens gubernaculum, alterâ verò cornu abundantiæ; gubernaculum enim quod non ſervit niſi in mari, includit fluctus, procellas, tempeſtates, & naufragia, ubi inconſtantia exercens impetum ſuum, interdum exhibet tranquillitatem, & deinde tempeſtatem abſque ullo retinaculo, poſſetne promittere aliquam durationem ulli Statui politico, vel monarchico? ſicut & cornu abundantiæ, ſeu cornu capræ Amaltheæ, cùm iſtud animal ita ſit inconſtans, & flores illi, quibus illud cornu redundabat, eſſent ſymbola rei quæ ſtatim aret, *Quaſi flos egreditur, & conteritur* u. Turpiter igitur hallucinabantur illi antiqui, rati ſe ſtabilituros fortunam ſuam ſuper vanitatem, quæ nihil habet firmum, confiſi triumphis ſuis, nec puniendos eſſe flagello, dicentes in proſperitate ſuâ idem, quod dixit Iſaias x, *Flagellum inundans non veniet ſuper nos.* Et quòd triſtis ſonus tintinnabuli mortis ad ipſos uſque non eſſet perventurus, æquè ac ad Juſtum uſque, de quo ait Pſalmiſta y, *Iuſtus ab auditione mala non timebit.* Hoc igitur eſt pro comperto, quòd nulla ſit firmitas in honore & gloriâ, niſi in honore & gloriâ triumphorum Jeſu Chriſti, quia ſunt uniti *dextræ virtutis Dei* z, & innixi fundamentis inconcuſſis virtutum. *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ* a. Sic veſtimenta ejus non debent illi inſervire duntaxat per diem unũ, ſicut indumenta triumphatorum Romanorum, quæ ideò deferebantur ſine cingulo, quia citò erant deſerẽda: ſed veſtes triumphales glorioſi noſtri Monarchæ, nunquam ab ipſo deponentur, quippe cingulo clauſæ fortiſſimo, *Dominus regnavit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute*, ait David b. Et vidit S. *Ioannes ſimilem Filio hominis, veſtitum podère, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ* c. Non timet flagella perſecutionum, *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* d. Minùs etiam mortem, cùm non ſit ampliùs legibus illius obnoxius, *Chriſtus jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* e.

Sed omittendæ non ſunt aliæ tres circunſtantiæ requiſitæ ad triumphum, quæ oſtendunt differentiam triumphi Jeſu à triumphis antiquorum. Quarum prima, eſt gaudium victoris, quod eſt quaſi incredibile, cùm elevatus ſuper currum gloriæ, honoratur ab omnibus, & ab unoquoque publicantur laudes ejus, & enarrantur illius præclara facinora. Sic refertur de Pericle Athenienſi Duce, quòd cùm victor rediret de inſula Samo, quam ſubjugaverat generoſa quædam Matrona temperavit gaudium quo perfundebatur è tali victoria, improperans ei veluti præ deriſu, quòd præclara quidem geſſiſſet facinora, ſed quòd innumeros de cætero peremiſſet eximios viros, quibus illam inſulam ſpoliaverat. Et Pyrrhus Epirotarum Rex, cùm bis viciſſet Romanos, videns ſic ingentem ſtragem mortuorum hoſtibus à ſuis editam, dicebat: Si vincamus adhuc ſemel Romanos, actum de nobis erit. Sed victoria, quam Jeſus Chriſtus de ſuis retulit hoſtibus, cùm *aſſumptus eſt in cœlum* f, ita perfecta fuit, ut ne vel unum è ſuis amiſerit militibus, ſicut ipſe teſtatur, Patrem ſuum alloquens. *Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam* g. Quod erat ei motivum magni gaudii.

Secunda circunſtantia eſt, quòd nemo poteſt eſſe particeps victoriæ Jeſu Chriſti. Alii Duces triumphant de hoſtibus quos vicerunt interventu militum ſuorum, licèt perſæpè ipſi ne vel gladium diſtrinxerint: ſed Jeſus Chriſtus ipſemet ſolus præliatus eſt ſine ſuccurſu ſuorum, qui ipſum reliquerunt, *Tunc Diſcipuli omnes relicto eo, fugerunt* h. ideò ait, *Torcular calcavi ſolus* i. Si autem victoria eò commendabilior eſt, quò cum minori refertur numero militum: quàm magnus erit honor qui exhibebitur ei, qui ſolus deſtruxit peccatum k, ſuperavit *diabolum* l, confudit infernum, ſpoliavit mortem m, & liberavit è limbo ſanctos Patres n, qui ipſum comitantur hodie in cœlum? *Cùm Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam Filium ad Patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubitò magicis artibus volare cœpiſſet*

q ex Prov. 23.6
r S. Aug. l. 5. Locut. de Deut. ſub finem.
ſ Zach. 6. 1. &c
t Cornel. in Zach. 6. 2
u Job 14. 2
x Iſai. 28. 15
y Pſ. 111. 7
z Act. 7. 56
a Pſ. 23. 10
b Pſ. 92. 1
c Apoc. 1. 9. & 13
d Pſ. 90. 10
e Rom. 6. 9
f Marc. 16. 19
g Jo. 18. 9
h Matth. 26. 56
i Iſai. 53. 3
k 1. Jo. 3. 8
l Hebr. 2. 14
m Oſee 13. 14
n Iſai. 49. 9

ſet: tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum, & precatione ſanctâ vicit magicam levitatem. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio, in ſaxo eliſdeus ejus crura confregit: & hec in opprobrium factis illum, ut qui paulò ante volare tentaverat, ſubitò ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret, ait S.

o S. Maxim. Taur. homil. 5. SS. Apoſt. Petr & Paul ſub finem.

Maximus o. Sed Jaſus Chriſtus aſcandit in cœlum coram Apoſtolis ſuis, ſtipatus Angelis, & ſanctis Patribus. Calepinus refert poſt Poëtas, quòd cùm Solymos facilè viciſſet Bellerophontes, & aliis plerumque periculis objectus, ſemper victor rediiſſet, poſtremò ad interimendam Chimæram miſſus eſt, quem etiam laborem, nactus Neptuni beneficio Pegaſum equum, ſummâ cum laude ſuperavit. Bellerophontes autem felici rerum ſucceſſu elatus, cùm in cœlum evolare cum Pegaſo conaretur, Pegaſus à Iove inter ſydera eſt relatus p. Sed quòd priùs Pegaſus hic cùm Helicona evolaſſet, ſaxum ungulâ feriens, fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene, id eſt fons equinus eſt appellatus. Poſteà verò cùm ex Pirene Corinthio fonte biberet, à Bellerophonte, qui id temporis expeditionem in chimæram parabat, captus eſt. Quâ de re ſic ſcribit Strabo, Fama eſt, inquit, equum Pegaſum cum potaret hoc in loco, à Bellerophonte deprehenſum fuiſſe, alatum, inquam, caballum q. Et quòd Perſeus Andromedam Cephei filiam, marinæ belluæ objectam, periculo liberavit, liberatamque uxorem duxit: acceptoque deinde à Vulcano adamantino enſe, Meduſam unam ex Gorgonibus, quæ ſe aſpicientes omnes in ſaxa commutabat, occidit r. Sed his S. Auguſtinus ſ poſt aoſdam Poëtas prior addidit; Per ea tempora, Perſeus & uxor ejus Andromeda, poſteaquàm mortui ſunt, ſic eos in cœlum receptos eſſe crediderunt, ut imagines eorum ſtellis deſignare, eorumque appellare nominibus non erubeſcerent, nec timerent. Id aſt, Ethnici. Sad iſta ſunt commenta. At veritas aſt quòd Jeſus Chriſtus, ut alter Bellarophontes, inſidens equo alato humanitatis ſuæ (Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret t) poſt deſtructam horribilem Chimæram infarni, & apartum fontem Baptiſmatis, in quo qui bibunt, aut lavantur, non avadunt magni Poëtæ, ſicut ipſi Poëtæ cõmenti ſunt da fonre Heliconis, aut Hippocranas, ſed periti notitiæ Dai par fidam, ſpam & charitatem, quæ ipſis infunduntur, dum renaſcuntur ex aqua & Spiritu ſancto u, in cœlum elevatus eſt duabus pennis agilitatis, & ſubtilitatis corporis ſui glorioſi. Et hoc prædixerat Prophata x da hoc divino Ballarophonte aſcendanra Pegaſum humanitatis ſuæ, dum biberat, De torrente in via bibet, propteteà exaltabit caput. Et quòd myſticus iſte Perſaus poſtquàm Andromedam, ſau animam è mortis faucibus aripuit, De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos y: eamq; ſibi daſponſavit, Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitia & in judicio, & in miſericordia & in miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide z: & ſuſcepto gladio, Et de ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat a: Maduſæ ſau morti mortem intulit, Ero mors tua ô mors b: cujus mortis ſola apprehanſio, ſau ſolus timor hominas mutar in lapides, & ſtupidos efficit: alevatus fuit ſupra ſtellas cum hàc Sponſa ſua in triumpho ſuæ aſcenſionis glorioſæ, Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem c.

p Calepin. in Diction. v. Bellerophontes.
q Idem ibid. v. Pegaſus, citans Strab. lib. 8
r Idem ibid v. Perſeus.
ſ S. Aug. l. 18. de Civit. Dei c. 13
t Apoc. 6. 2
u Jo. 3. 5
x Pſ 109. 7
y Oſee 13. 14
z Oſee 2. 19. & 20
a Apoc. 1. 16
b Oſee 13. 14
c Epheſ 4. 8. ex Pſ. 67. 19

Tertia ciscunſtantia eſt, quòd cùm aliàs Rages triumphabant, axplicabantur corã eis vaxilla, per quæ repræſentabantur civitates; quas ſubjugavaranr, & inſignas victoriæ, quas retuleranr: hæc vexilla erant veluti libri aperti, in quibus ii, qui volabanr, lagebant prælia, quibus erant parſuncti eximii illi viri: triumpho Jaſu Chriſti non dearat hæc circunſtãtia, ſed præ hac differẽria, quòd in illis vaxillis antiquorum nihil atat præter vanitarem inruari: Verumtamẽ univerſa vanitas, omnis homo vivens, dicabat Pſalmiſta d. Et Incognitus e, Vanitas quaſi vacuitas, vel falſitas. Dicitur ergo omnis homo vivens vanitas univerſa: quia omnis homo inſtabilis, vacuus, quia nec ſatiatur. Propter quod clamat Apoſtolus f, Vanitate creatura ſubjecta eſt. Sed vaxilla explicita in triõpho Jeſu Chriſti, veritatam præ ſe ferebãt, ſicut ipſemet aſt Veritas g. Quatuor autem deferebantur in hoc triumpho vexilla. Primum vexillom arat formatũ in figurem triãguli, in cujus medio arat ſculpta ſpecioſiſſima Virgo deferans Infantem inter bracbia ſua præ hac inſcripriona, Verbum caro factum eſt h. Hæc Virgo formoſiſſima, arar S. Maria Mater ejus: forma triangularis repræſantabat unionem trium naturarũ diſtinctarum in eãdam perſonã, ſeu Divinitatem, corpus & animam, quæ in hoc myſterio incarnarionis, quòd fuit primum quod Deus aſt operatus proprer ſalutam noſtram, uniuntur ſimul. Signifer erat S. Gabrial; & jure merito: ſicut enim nuncius fuarar myſterii incarnarionis i: hoc honorabili privandus non erat officio. In ſecundo vaxillo, quod erat rubeum, ſculptus arat vitulus aureus, præ hac inſcriptiona, Oblatus eſt, quia ipſe voluit l. In Lage Levitici m mos erat offerendi pro peccato vitulum immaculatũ Domino. Sic Jeſus Chriſtus erat iſte vitulus, qui ſacrificatus eſt in templo Calvariæ n ſuper arã crucis: atqui hoc vaxillum erat rubrum, quo repræſentabatur ſanguis pretioſus affuſus ax omnibus partibus corporis ejus. Signifer arat S. Michaël, & meritoriè: ſicut anim ipſa fuit qui apparuit illi, Angelus de cœlo, confortans eum o in horto Olivarũ tempore paſſionis, ut communiter ajunt Expoſitores, nec illum unquam deſatuit donec inclinato capite tradidit ſpiritum p: juſto debebatur ei honor iſta titulo. In tertio vexillo erat leo coronatus præ hàc inſcriptiona, Vicit Leo de tribu Iuda q. Quod repræſentabat myſtarium reſurrectionis: obſarvant anim Naturalas, quòd læna ſuos anixa carulos ſic inſenſibilas ac ſi eſſant lapides, ita rugit ut illos ſuſcitans videatur ais denuò vitam tribuera: ſic Jeſus Chriſtus ſepultus in monumento r, ſurrexit ſ propriâ poteſtate t (ſi dici fas eſt) ad rugitus & planctus ſanctiſſimæ Matris ſuæ. Vaxillum erat viride, quo repræſantabatur ſpes futuræ raſurrectionis. Signifer arat Angalus, qui apparuit Mariis. Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & dixit mulieribus, Nolite timere vos: ſcio enim quòd Ieſum qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic: ſurrexit enim u. In quarto vexillo erar ſculpta aquila regia volitans ſupar pullos ſuos, præ hac inſcriptione, Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans x. Per quod repræſantabatur myſtarium aſcenſionis, in quâ Jeſus Chriſtus ut aquila generoſa aſcendit ſupra omnes cœlos y, invitans pullos ſuos, id eſt, fideles ad rattrahanda corda ſua è rebus terrenis, & ad ſe ſequendum in acquiſitione cœlaſtium: Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram z. Vexilliferum dico fuiſſe illum, quem, poſtquàm Dominus Deus de paradiſo voluptatis ejecit Adam, collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam

d Pſ. 38. 6
e Incognit. in Pſ. 38 6
f Rom. 8. 20
g Jo. 14. 6
h Jo. 1. 14
i Luc. 1. 26. &c
l Iſai. 53. 7
m Levit. 4. 3
n Joann. 19. 17. &c
o Luc. 22. 43
p Jo 19. 30
q Apoc. 5. 5
r Matth. 27. 60
ſ Matth. 28 6
t Dion. Carthus. 45 in Matt. 28. 6
u Matth. 28. 1. &c
x Deut. 32. 11
y Epheſ. 4. 10
z Coloſſ. 3. 1. & 2

a Gen. 3. 23. & 24 *dam viam ligni vitæ* a. Quia janua gloriæ propter
peccatum primi hominis erat clauſa: ſed pec-
cato remiſſo, & hominibus reconciliatis Deo
b Epheſ. 2. 14 per Ieſum Chriſtum: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui*
fecit utraque unum b. *Mediator Dei & hominum* c;
c 1. Tim. 2. 5 hæc janua aperta eſt.

Felix triumphus! dies glorioſus! cùm habeat
omnes excellentias aliorum, nec participet il-
lorum perfectiones. Dies glorioſus omnibus,
cùm fructus illius, æquè ac gaudia ſint omnibus
communia. *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in*
d Pſ. 46. 6 *voce tubæ* d. Omnis jubilatio eſt gaudium, ſed
omne gaudium non eſt jubilatio: ille qui eſt in
gaudio, poteſt illud continere in ſemetipſo, ne-
dum illud foris exhibeat intuendum: ſed ille qui
eſt in jubilatione, non poteſt quin illius demon-
ſtrationes præbeat exteriores: talis erat jubila
tio totius mundi propter triumphum Salvato-
ris. Licèt autem nullum advenerit incrementum
gaudii Patri æterno propter hunc honorem ex-
e Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12 hibitum Filio ipſius, quia cùm *idem* e ſit ab æ-
terno, & ideò mutationis incapax f, ſic poſſi-
f Malach. 3. 6 det omnes perfectiones: tamen ſicut ſingularem
quaſi ſumpſit voluptatem (juxta noſtrum conci-
piendi modum) cùm *miſit Filium ſuum in mundum,*
g Jo. 3. 17. *ut mundus per ipſum* g ſalvaretur: non minori
gaudio perfuſus eſt, cùm admiſit eum in gloriam,
revertentem victorem de mundo, ubi *quæ placita*
h Jo. 8. 29 *ſunt ei, ſemper* h fecerat. Non minor erat lætitia
Spiritus ſancti, qui formaverat humanitatem e-
i Matth. 1. 18. &c jus *in utero* i B. Virginis. Lætabatur etiam hæc
Humanitas ſacra Jeſu Chriſti: ſi enim locus adæ-
quari debet locato, ſicut aër qui debetur avibus,
terra animalibus, & aqua piſcibus; ſic cœlum
debetur corporibus & animabus glorificatis:
magna fuit igitur felicitas huic S. Humanitati
videre ſe collocatam in cœlo. Sed quanta fuit
jubilatio B. Virginis, cùm vidit Filium ſuum e-
levatum ſuper omnes cœlos, ſedentem ad dex-
teram Patris, conſiderando ſe Matrem tanti Fi-
lii: atqui ſicut impoſſibile eſt conceptu quouſque
* Jo. 29. 25 pervenerit dolor ipſius ſtantis *juxta crucem* *, &
videntis pati Filium ſuum: ita eſt impoſſibile
comprehenſu abundantem conſolationem, quâ
ipſa perfuſa eſt die triumphantis aſcenſionis e-
jus. Sed quid dicemus de jubilatione Angelo-
rum? Si enim gaviſi ſunt die nativitatis ejus k, k Luc. 2. 7. &c
quantò magis gaudere debebant hodie, cùm hæc l Iſai. 9. 3
prophetia Iſaiæ l completa eſt, *Lætabuntur co-*
ram te, ſicut exultant victores captâ prædâ, quando di-
vidunt ſpolia. Videndo ſedes Angelorum apoſta-
tarum repletas per hanc victoriam, quæ eſt cau-
ſa gaudii ipſorum. Et ſi tunc tantum feſtum ce-
lebrarunt, licèt coram ſolis paſtoribus, quàm
ſuavis eſſe debebat ipſorum muſica die illius
triumphi, quo diſpoſiti per choros canebant,
Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſ- m Iſai. 63. 1.
ra m? Quibus ſuperiores reſpondebant, *Dominus*
fortis & potens, Dominus potens in prælio n. Et po- n Pſ. 23. 8
ſtea omnes ſimul concinebant, *Iudicabit in natio-*
nibus, implebit ruinas; conquaſſabit capita in terra o Pſ. 109. 6
multorum o. *Exaltare Domine in virtute tuâ: canta-*
bimus & pſallemus virtutes tuas p. *Surge, Domine, in* p Pſ. 20. 14
requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ q. Sic q Pſ. 131. 8
totus mundus incredibili cumulatur hodie con-
ſolatione, omnes creaturæ magnis donantur
prærogativis, cœlum, terra, limbus, Angeli, ſed
præ omnibus illis homo propter excellentia
dona quæ inde ſuſcipit: *Aſcendens in altum, capti-* r Epheſ. 4. 8. ex Pſ. 67. 19
vam duxit captivitatem: dedit dona hominibus r. Et
ob futuram ſpem quam concipit, ſe perventu-
rum eò, quò præceſſit ipſum Salvator ſuus: cùm
dicat S. Leo ſ, *Chriſti aſcenſio eſt noſtra provectio, &* ſ S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. c. 4
quò præceſſit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corpo-
ris t. Ut illuc perveniamus, ſufficit ut illum imi- t ex Coloſſ. 2. 18
temur in humilitate & in tolerantiis ipſius, quæ
fuerunt duo firma fulcra, quæ ipſum evexerunt
ad hunc ſublimem ſtatum gloriæ, in quo conſi-
deramus eum: *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi*
quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ u. u Epheſ. 4. 9. ex Pſ. 67. 19
Semetipſum exinanivit: humiliavit ſemetipſum: pro-
pter quod & Deus exaltavit illum x. Depreſſio ejus x Philipp. 2. 7. &c
fuit cauſa elevationis ipſius: imitemur humilita-
tem & paſſiones ejus, ſi exaltationis illius veli- y Luc. 18. 14
mus eſſe participes, *Qui ſe humiliat, exaltabitur* y.
Si compatimur, ut & conglorificemur z. z Rom. 8. 17

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Cùm venerit Paraclêtus. Joan. 15. 26. &c.

SI non eſt aliquid ſuavius bono nuntio, gau-
deamus, Auditores, ad verba Jeſu Chriſti, quæ
præ ſe ferunt certitudinem adventus divini Pa-
raclêti. Ipſe venit è cœlo præ exceſſu amoris, &
homines terræ debent eſſe thronus magnitudi-
nis ipſius, ſi præ ſe ferant ſatis diſpoſitionis ad ip-
ſum dignè ſuſcipiendum, *Templum enim Dei ſan-*
a 1. Cor. 3. 17 *ctum eſt quod eſtis vos*, ait nobis S. Paulus a. Apo-
ſtoli potiuntur iſtâ felicitate, & præ omnibus a-
bundantiſſimè Virgo Deipara, quæ propter ſan-
ctitatem ſuam fuit ſemper illius templum legiti-
mum. Quòd ſi Pater divinus elegit eam ab om-
ni æternitate ut eſſet Mater Filii ſui, ſicut ipſa-
met ait ſub nomine Sapientiæ, *Ab æterno ordinata*
b Prov. 8. 23 *ſum* b; Spiritus S. ex tunc elegit etiam eam ut
dignam Sponſam ſuam, & propter adimpletio-
nem iſtius adorabilis myſterii, deſcendit ſuper
c Galat. 4. 4 eam *ubi venit plenitudo temporis* c, poſtquàm *in-*
d Luc. 1. 28. &c *greſſus Angelus ad eam dixit, Ave* d *Maria.*

Quamvis adoremus in Divinitate Trinitatem
perſonarum, non admittimus tamen in eâ niſi
ſimpliciſſimam unitatem naturæ & eſſentiæ:
Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pa-
ter, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt, e 1. Joan. 5. 7
ait S. Joannes e. Et poſt eum Dionyſius Car-
thuſianus f ſubdit; *Quoniam tres ſuperbenedictæ &* f Dion. Carth. art. 7. in 1. Joan. 5. 7.
ſupervenerandæ perſonæ, ſunt una eſſentia, unus Deus,
unum univerſorum Principium, & unus omnium ul-
timus Finis g, *unum ſummum Bonum* h, *unum* g ex Apoc. 1. 8
plenæ felicitatis objectum, quo ſolo fruendum eſt, Divi- h ex Exod. 33. 19
nitatis quippe natura nequaquam poteſt multiplicari,
ſed eſt numero una in tribus. & quidquid abſolute com
petit Deo, toti Trinitati, ſinguliſque perſonis commu-
ne eſt, & unum in tribus. Propter quod loquitur Chri-
ſtus, Ego & Pater unum ſumus i. *Superexcellentiſſi-*
ma quoque Trinitatis perſonalem diſtinctionem, eſſen- i Jo. 10. 30
tialemque unitatem Chriſtus pandit, dicens, Docete o-
mnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii
& Spiritus ſancti k. Eſſentiæ ſunt inſtar numero-
rum, dicit Philoſophia. Numeris addere, vel k Matth. 28. 19
ſubtrahere, eſt eos deſtruere: ſi numero ternario
addatis unitatem, ipſe non eſt ampliùs tria, ſed

quatuor, & ſi auferatis ab eo unitatem, ipſe non eſt ampliùs tria, ſed duo: ſic loquendum eſt de eſſentiâ rei: v. g. ſi ex homine eripiatis animalitatem, ex eo facitis Angelum; ſi rationem, conſtituitis ex illo beſtiam: ſic ſi Deo addatis pluralitatem eſſentiæ, hanc illius eſſentiam deſtruitis, ipſe non eſt ampliùs Deus. Unitas eſt principiū oumerorum, ſemper addere poſſumus ei milliones; reſecando devenimus ad unitatem, & ſi auferremus eam, deſtrueremus omnes nomeros, ipſa eſt illorum baſis & fundamentum: ſic unitas eſſentiæ adorandæ, baſis eſt trium divinarum perſonarum. Prætereà, Res eſſe debet id quod ipſe eſt, alioquin ipſa oon eſt. Si res aliqua, velor pbilomela, retiocinaretur & argumentaretur, ipſa non eſſet philomela, quia proprium Pbilomelæ non eſt ratiocinari & ergumentari, ſed canere: ſic Deus non eſſet, niſi eſſet unus: ſi enim eſſent multi Dii, aut unus eſſet ſuperior aliis, eut omnes eſſent æquales: ſi omnes eſſent æquales, incideretur in hanc deordinationem, *Fruſtrà fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora.* Si Superior, alii non eſſent Dii. Neceſſariò perveniendum eſt ad unitatem. Roma non novit quid eſſet diviſio niſi cùm duo fratres in ipsâ fuerunt, qui volebant ipſam gubernare, & ipſius habenas moderari, & tunc viſa ſunt in ipſa fratricidia. *Romulus frater Remi, eodem cum illo partu editus. Hi poſteà cùm adoleviſſent, collectâ magnâ paſtorum manu, urbem novam in Palatino monte, ubi educati fuerant, ædificant. Et quoniam fratres gemini erant, nec ætatis verecundia differentiam facere poſſet, ortâ inter eos contentione, uter novæ urbi nomen daret, & conditam imperio regeret, placuit rem avium judicio permittere. Cùmque Remo in Aventino vulture ſex priores, Romulo autem in Palatino duodecim, ſex poſteriores apparuiſſent: illo tempore, hoc, numero ſe potiorem eſſe aſſerente, exorta inter paſtores primùm altercatio eſt, quæ deinde ad manum pervênit. Ibi Remum in turbâ ictum cecidit. Vulgatior fama eſt, ludibrio fratris Remum novos muros tranſiliſſe: inde à Romulo, ſive à Celere quodam, Romuli juſſu fuiſſe interfectum*, dicit Calepinus *l*. Et S. Leo *m* loquens civitati Romæ de ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, ait illi, *Iſti ſunt Patres tui, verique Paſtores, qui te Regnis cœleſtibus inſerendam multò meliùs, multoque feliciùs condiderent, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt: ex quibus is qui tibi nomen dedit, fraternâ te cæde fœdavit.* Augeri poſſunt numeri uſque ad infinitum, ſed ad illud nunquam perveniri poteſt: ſolus Deus eſt qui *non habet finem* *n*, æquè ac *unus eſt* *o* actu & eſſentiâ. Reſecari poteſt, & veniri uſque ad unitatem, deſcendi non poteſt inferiùs quin infringatur unitas, & deſtruantur omnino numeri. Deus igitur eſt unus in eſſentiâ, & trinus in perſonis, & licèt perſonæ ſint diſtinctæ, & perſona Patris oon ſit perſona Filii, neque perſona Filii ſit perſona Spiritus ſancti; tamen in eâdem eſſentiâ reperimus eandem inclinationem. Deus eſt zelotes, & in Scriptura ſacra *p* nomen iſtud ipſe ſibi vendicet in ſignum zeli ſui, *Dominus Zelotes nomen ejus.* Atqui nulla eſt è tribus perſonis adorabilis Trinitatis, quæ zelo non ducatur, & quæ in occaſionibus non præbeat illius probationes. Zelus eſt effectus amoris, & non habere illum, eſt deſtitui iſto. Si Pater æternus venit in mundum, in eo exigit reverentiam, & ut eam ſibi meliùs conciliet, præcedere facit fulgura, perſtrepere tonitrua, & fumare montem Sinai ſuper quem deſcendit, in ſignum ſuæ magnitudinis, *Et cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura & nubes denſiſſima operire montem. Totus autem mons Sinai fumabat; eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne* *q*. Si loquitur ſuper monte Thabor, omnes qui adſunt, ſe proſternunt in terram, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam* *r*. Ratio iſtius eſt, quia zelo ducitur honoris ſui, & vult ut exhibeantur ſibi reverentiæ. Jeſus Chriſtus Filius ipſius nunquid non eodem zelo ducitur in Euchariſtiâ? Ibi non vult dividere adorationes, quae ipſi exhibemus, cum pane: ideò poſt prolationem verborum Sacramentalium panis deſiſtit eſſe, non habemus ibi ampliùs niſi ſolas panis apparentias, & accidentia, Jeſus Chriſtus eſt ibi ſolus, ut ibi ſolus noſtras ſuſcipiat reverentias: & ſi ingreditur ſtomachos noſtros per hoc divinum Sacramentum, in illos intrat præ hâc conditione, quod in pectoribus noſtris futurus ſit ipſe ſolus, ut ſolus ibi poſſideat affectus noſtros: ideò ingrediens facit hanc legem animæ Sponſæ ſuæ, *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus* *ſ*. Præcipit ut claudatur oſtium, ut ipſe ſolus colligat fructus caſtorum ipſius effectuum. Sic autem zelotes eſt ut afferat ſe dereliſturum qualitatem Sponſi, ut ſumat qualitatem Judicis ſeveri, ſi deſimus reverentiæ erga ipſum, *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit* *t*. Poſthæc putabimusne quòd Spiritus ſanctus minori zelo ducatur quantùm ad id quod ſpectat ipſius honorem, quam ducantur Pater & Filius? Nequaquam: quia cùm habeat eandem naturam cum Patre & Filio, eaſdem habet etiam inclinationes, quibus ducuntur illi. Irritatur ipſe ob contemptum qui fit ipſius, & ſanctitas ipſius non poteſt ſociari vitio, *Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, ait Sapiens *u*. Et S. Thomas *x*, *Sapientiam, quæ eſt donum Spiritus ſancti, & quæ eſt ſecundùm charitatem, impoſſibile eſt in aliquo eſſe, qui peccato mortali obnoxius eſt.* Cùm ergo Spiritus ſanctus venire debeat in mundum, & Jeſus Chriſtus nos certos reddat de illius approximatiooe, *Cùm venerit Paraclêtus*: nunquid oon illius majeſtas magnos à nobis requirit apparatus? & obſequium noſtrum nonne nos inducit ad nos diſponendos ut dignè ſuſcipiamus eum, & experiamur in nobis effectus ſic felicis viſitationis? Jeſus Chriſtus vocat eum Peraclêtum, *Cùm venerit Paraclêtus.* Quod nomen idem ſignificat ac Conſolatorem, & Advocatum, duo officia quæ Spiritus ſanctus exercet in favorem noſtrum, & quæ huic diſcurſui materiem ſubminiſtrabunt, ut inducant nos ad deſiderandum adventum ejus. Diviſio.

I. Pars. Ad probationem propoſitionis meæ, & ad confirmationem primæ veritatis iſtius, quod Spiritus ſanctus eſt verus animarum noſtrarum Conſolator, ſuppono quòd nullum eſt verum gaudium, niſi illud quod procedit ab hoc principio conſolationis, nec vereor citare ut teſtes, qui deponant in favorem propoſitionis iſtius, omnes homines mundi, neque dicere ambigo quòd maximè voluptuoſi, & criminoſi in deliciis ſuis, paſſi ſunt perſæpè interiùs illius increpationes, quæ projiciebant illos in languores, & inducebant eos ad ſuſpirandum in ipſo vel exercitio ſenſibiliſſimarum voluptatum ſuarum. Peccator eſt inimicus Spiritus ſancti: in hoc ſtatu incapax eſt ullius veri gaudii, cùm principium vera-

rum

l Calep. in Diction. v. Romulus.
m S. Leo ſerm. 1. in Natal. Apoſtol. Petr. & Paul. c. 1
n Baruch 3. 25
o Deut. 6. 4
p Exod. 34. 14
q Exod. 19. 16. & 18
r Matth. 17. 5. & 6
ſ Cant. 4. 12
t 1. Cor. 11. 29
u Sap. 1. 4
x S. Thomas 2. 2. q. 45. a. 4. in concl.

rum conſolationum non influat in ipſius animam: quidquid agat, ſemper ſecum fert infernum ſuum, perſequitur ipſum crimen ſuum, & omnia gaudia ipſius non ſunt niſi apparentia: & ſi interdum colligere vult roſas voluptatum, non carpit eas quin ſentiat illarum ſpinas, niſi fortè longa conſuetudo quam contraxit in malefaciendo, jam projecerit ipſum in ſtatum obſtinationis & inſenſibilitatis ſalutis ſuæ, ſic ut annumeratus ſit cum illis, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum*, ut ait Apoſtolus y, *ut faciant ea quæ non conveniunt*. Et Dionyſius Carthuſianus z, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, excæcando corda ipſorum permiſſivè, ita quòd eis convenit illud Propheticum* a, *Sapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Ut faciant ea quæ non conveniunt, hoc eſt, quæ Deo, rationi, atque Eccleſiæ contrariantur. Hæc dictio, ut, non tenetur hoc loco cauſaliter, ſed concomitanter. Non enim idcircò tradidit illos in reprobum ſenſum directè ut faciant mala, ſed peccatis malè conſecuta eſt traditionem, ſeu derelictionem ipſorum prædictam.* Sic deliciæ peccatoris iſtius non eſſent puræ, cùm eſſent criminoſæ: & non procedentes ab origine verorum & ſolidorum oblectamentorum, quæ eſt Spiritus ſanctus, hic Divinus Paraclêtus, ſeu Conſolator, non poſſunt eſſe niſi apparentes, & ſociam jugiter habentes pœnitudinem. Etiam, Auditores: errorem deponite, cunctas mundi voluptates & delicias moleſtiæ ſequuntur inſeparabiliter ac faſtidia, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat*, ait Salomon b. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus c, *Riſus dolore miſcebitur, id eſt, vanam lætitiam pœna ſequetur, & dolor remordentis conſcientiæ diſſolutioni riſuum ſociatur. Ideò ait Salvator, Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis & flebitis* d. *Ad quod applicari poteſt quod ſanctus Job* e *conteſtatur, Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Et extrema gaudii luctus occupat, id eſt, deſolatio infernalis conſequitur finem gaudiorum vanorum ſæculi hujus: juxta illud beati Job* f, *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* Nullæ ſunt deliciæ puræ, & quæ non ſint immiſtæ alicui amaritudini: rivi retinent è natura originis ſuæ, & cauſæ producentes communicare non poſſunt effectibus ſuis id quod ipſæ non poſſident. Sic umbra ſola manus ſcribentis tria verba contra murum, Regem quendam tremore perculit, nedum deliciæ ferculorum menſæ ipſius appoſitorum, aut præſentia Aulicorum ipſius, vel cuſtodia Officialium ipſius poſſent ipſi animum, quem ipſe deſponderat, reſtituere. Umbra non eſt corpus, penna vel digiti ſcribentes non ſunt lancea, præterea non ſcribuntur niſi tria verba: tamen hæc pallere faciunt Monarcham in medio Curiæ ſuæ, & undequaque tremere: & ille qui non formidaſſet horrorem armorum, ſuſtinere non poteſt umbram duorum vel trium digitorum ſcribentium: *Baltaſſar Rex fecit grande convivium Optimatibus ſuis mille: & unuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus ut afferentur vaſa aurea & argentea quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo quod fuit in Jeruſalem: ut biberent in eis Rex & Optimates ejus, uxoreſque ejus & concubinæ. Tunc allata ſunt vaſa aurea quæ aſportaverat de templo quod fuerat in Jeruſalem: & biberunt in eis Rex, & Optimates ejus, uxores & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. Hæc eſt autem Scriptura quæ digeſta eſt: Mane, Thecel, Phares* g. Ha! Auditores, cùm crimen ſuum condemnaret hunc Regem impium, quidnam potuiſſet illum juſtificare? Conſcientia ſua exigebat anticipativè jam rationem ſacrilegii ipſius. Præterea, Quis conſolari poteſt eum, quem Deus affligit? Ita verum eſt, quòd peccator non habens in ſe Spiritum ſanctum, eſt incapax ullius veri gaudii; & ſi aliquod gaudium ipſe teſtatur, hoc non agit ipſe niſi apparenter, *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti* h. Peccator ſemper cruciatur & angitur cogitationibus importunis criminum ſuorum, & timoribus judicii, cujus evitare non poteſt rigores. Sed quodnam gaudium, ſi placet, in ſtatu qui Angelos ciet ad lacrymas præ miſeratione, juxta prædictionem Iſaiæ †? *Angeli pacis amarè flebunt*. Et qui attrahit ad ſe indignationem omnium creaturarum quæ ulciſcuntur injuriam illatam Creatori ſuo, *Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* i? Non blandiatur ſibi peccator, Deus inducit illum ad deponendum errorem ſuum, & monet eum ut mutet riſus ſuos in fletus, gaudia ſua in dolores, & voluptates ſuas in amaritudinem, videns ſe inimicum Spiritus ſancti, qui ſolus ut verus Conſolator poteſt ipſum verè & ſanctè lætificare, *Noli lætari Iſrael, quia fornicatus es à Deo tuo* k. Quòd ſi vera gaudia pendent à Spiritu ſancto, quali felicitate potiuntur illi qui illum habent in ſe, non ſolùm quantùm ad dona ſua, & gratias ſuas, ſed etiam realiter & verè ſecundùm propriam perſonam ſuam habitantem in anima illius, quem ipſe honorat præſentiâ ſuâ, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*, ait S. Paulus l. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus m, *Quia charitas Dei, quæ eſt virtus Theologica ſupernaturalis, ſumma ac Diviniſſima, quâ Deum proximumque diligimus, mandata implemus, unum cum Deo efficimur, & quidquid petierimus, obtinemus, diffuſa eſt in cordibus noſtris, præſertim in voluntate, quæ eſt charitatis ſubjectum, per Spiritum ſanctum, id eſt, à Spiritu ſancto, cui appropriatur bonitas, liberalitas, clementia, communicatio, & per conſequens charitatis infuſio. Qui datus eſt nobis à Patre & Filio, imò & à ſeipſo, tanquam pignus & arrha felicitatis æternæ* n. *Ipſe enim Spiritus ſanctus eſt dator ac donum, procedit que à Patre ac Filio per modum donabilis, quoniam ipſe eſt charitas ſeu amor Patris & Filii. Amor autem eſt primum donum gratuitum, in quo omnia dona donantur. Itaque Spiritus ſanctus datur Electis, non ſolùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo, quia per charitatem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialique modo. Propter quod ait Salvator, Ego rogabo Patrem, & alium Paraclêtum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis* o. *Et in Actis Apoſtolorum* p *legitur, quòd per impoſitionem manus Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus. Unde ſecundùm beatum Thomam in prima parte, & ſuper primum Sententiarum perſona Divina dicitur eſſe alicujus dupliciter. Primò,*

y Rom. 1. 28.
z Dion. Carth. art. 4. in Rom. 1. 28
a Jer. 4. 22
b Prov. 14. 13.
c Dion. Carth art. 14. in Prov. 14. 13.
d ex Luc. 6. 25.
e Job 30. 31.
f ex Job 21. 13.
g Dan. 5. 1. &c.
h Job 20. 5
† Iſa. 33. 7.
i Sap. 5. 18. & 21.
k Oſee 9. 1
l Rom. 5. 5
m Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5. 5
n ex Epheſ. 1. 14
o Joan. 14. 16.
p ex Act. 8. 17.

Ratione originis, & ſic eſt ejus à quo procedit: ſicque Filius. Spiritus ſanctus ſunt Patris, & Spiritus ſanctus eſt Filij. Secundò, Ratione fruitionis ſeu communionis, & ſic eſt ejus à quo habetur, id eſt, intellectualis creatura qualibere frui poteſt perſonâ Divinâ. Sic ergo Spiritus ſanctus datus eſt nobis, & eſt noſter. Non poſſumus imaginari perfectiorem hâc felicitatem nec ſuavitatem iſtâ majorem: qualitas viatoris in iſto mundo non poteſt experiri hâc ſenſibiliorem. Quid autem triſtitiâ poſſet afficere eos qui ſuſceperunt Spiritum ſanctum, cùm habeant in ſe Conſolatorem? Pœnæ, tolerantiæ, adverſitates, inopiæ, faſtidia, & infortunia quæ ſunt intolerabilia minùs virtuoſis? Nequaquam: ipſi reperiunt motiva gloriæ in eo ipſo, quod peccatores fugiunt ut maximum ſuppliciorum ſuorum. Infernus impiorum in iſto mundo componit paradiſum Juſtorum, qui non minus educunt dulcedinis e crucibus, quàm reprobi inveniant in eis motiva amaritudinis, cùm ſinguli Juſti dicant cum S. Paulo q, *Repletus ſum conſolatione: ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.*

q 2.Cor.7.4.

Spiritus ſanctus inebriat eos hoc ſuavi *torrente voluptatis* r, cujus ipſe eſt origo: in memoriam eorum revocat felicitates alterius vitæ, quarum anticipativè facit illos deguſtare dulcedines, edocet illorum intellectum veritates iſtas omnes, ubi amor ipſorum fruetur univerſis oblectamentis imaginabilibus, ubi ipſorum potentiæ ſuos amittent defectus, cùm effuſæ fuerint in hanc abyſſum perfectionis, *Docebit vos omnem veritatem* ſ, dicit Salvator de Spiritu Sancto, loquens Apoſtolis ſuis, & in eorum perſona omnibus Chriſtianis. Illuminabit intellectum, & inflammabit voluntatem: intellectum ad cognoſcendum id omne quod poterit ipſum conſolari; & voluntatem ad exequendum univerſum illud quod poterit ipſi ſatisfacere. Quid igitur affligens in hoc ſtatu? quid difficile quantùm ad Juſtos conſiderantes quòd hæc felicitas quæ excedit ipſorum cogitationem, nullum unquam eſt habitura finem, quòd ſæcula ſemper multiplicata ſemetipſis, non faciunt ſatis numeri ad ſignificandam ejus extenſionem, quæ incepta eſt ut nunquam finienda ſit, quæ eſt ſemper æqualis ad ſtabiliendam dilectionem noſtram, quæque dat delicias infinitè ampliores in objecto quod *non habet finem* †, quàm expectari poſſent à novitate?

r Pſ.35.9

ſ Jo.16,13

† Baruch 3 25.

Chriſtianus igitur ſibi vivè perſuadens ſanctis cogitationibus, quas Spiritus Sanctus ipſi ſuggerit, quòd eſt in mundo poſitus ad merendam illam gloriam actionibus virtutis, quomodo fatigationes non judicaret eſſe leves? & dato quòd ipſi tranſigenda foret tota vita ſua medias inter anxietates continuas, longitudo ſupplicij iſtius, minor apparet ipſi quàm ſit momentum intuitu beatæ æternitatis, erga quam vehementer afficitur: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt,* ait S. Paulus t. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus u, *Id enim, quod in præſenti exilio ſeu tempore eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, id eſt, tribulatio iſta levis atque breviſſima, comparatione futuræ jucunditatis ac æternitatis, quam patimur jam, ſupra modum, id eſt, ultra condignum & capacitatem noſtri intellectus, in ſublimitate, id eſt, in Regno cœleſti, vel in liberalitate Bonitatis Divinæ, æternum gloriæ pondus, hoc eſt, perpetuam felicitatis menſuram, de qua ait Salvator: Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum* x, *operatur, id eſt, meretur & efficit in nobis nunc per ſpem, poſtmodùm verò in re, non contemplantibus nobis, id eſt, quia non principaliter aſpicimus, nec finaliter intuemur quæ videntur, id eſt, viſibilia & terrena, ſed quæ non videntur, id eſt, bona ſupercœleſtia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit* y. *Quæ enim videntur, id eſt, à nobis oculo corporali, temporalia ſunt, id eſt, tranſitoria & caduca: quæ autem non videntur, hoc eſt, ſpiritualia bona nobis præparata in Regno, æterna ſunt, eſſentialiter, vel participativè.*

t 2.Cor.4, 17. & 18.

u Dion. Carth. art. 4. in 2. Cor 4.17. & 18.

x Luc.6, 38.

y ex Iſa. 64 4. & ex 1. Cor,2,9.

O Spiritus Divine, quam admirabilis es ad demulcenda faſtidia noſtra univerſa, *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus* z! Quàm ſenſibiles ſunt conſolationes tuæ! O quam beati ſunt illi qui ſe dignos reddunt ad ſuſcipiendas eas! Ipſe ades laboribus illorum, & bonitas tua fluere facit conſolationes in corda eorum ſicut rores, & velut ſuaves imbres, qui ſanant illorum ſiccitates, nedum inundationes eis officiant, ut reddant illa fertiliora bonis operibus. Ipſe illuminas illorum intellectum radiis luminum tuorum, & calefacis eorum voluntatem ardoribus, quorum plena fruitio facere debet ipſorum beatitudinem. Ipſi vident jam aliquid decoris qui ciet ipſos in admirationem, & ſunt in inquiſitione, quæ multum tenet de voluptatibus fruitionis. Ha! quot lumina, quot ardores, quot motus, quot gaudia, & quot dulcedines cœleſtes!

z Sap.12,1

S. Bernardus a loquens de conſolatione quæ cauſatur à Spiritu ſancto, profert hæc eximia verba, *Spiritus ejus, ait Dominus, ſuper mel dulcis* b: *ita ut ne ipſa quidem dulcedini ejus prævalere queat amariſſima licèt mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit eſſe dulciſſimam? Quæ reſiſtere poſſit aſperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit ſuaviſſimam? Cùm dederit, ait, dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini* c. *Quam moleſtiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipſam facit eſſe lætiſſimam?* S. Antonius Abbas noctes tranſigebat integras in affectibus iſtis felicibus, qui faciebant ipſum deguſtare gloriam Angelorum; & querebatur de Sole, qui afferens ipſi diſtractiones cum ſpeciebus rerum ſenſibilium, in memoriam ipſius revocabat, quòd eſſet mortalis. Quisnam eſt opifex omnium iſtorum mirabilium, quæ homines carnis & ſanguinis nunquam deguſtaverunt? *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* d? Sanè Spiritus ſanctus, hic Divinus Conſolator,

a S.Bern. ſerm. 2 de S. Andrea.

b ex Eccli, 24,27.

c Pſ.126.3

d 1.Cor.2 14.

Conſolator optime,
Dulcis hoſpes animæ,
Dulce refrigerium.

Sic eſt, Auditores: Juſti potiuntur deliciis quæ nullam patiuntur interruptionem, & omnes eorum pœnæ convertuntur in dulcedinem: ipſi ſugunt *mel de petra* e; & colligunt roſas, nedum ſentiant earum pungentes aculeos, habentes in ſe Divinum Paraclêtum, qui ipſorum pœnas & faſtidia prorſus mitigat. Ha! iſtud ſilentium myſterioſum, hæc ſublimis tranquillitas animæ, iſtæ fiduciæ amoroſæ, hæ deliciæ ineffabiles, ſunt totidem voces Spiritus Divini, quæ ipſos

e Deut. 32 13.

certos

certos faciunt, ipſos eſſe filios Dei, & hæredes paradiſi: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti*, dicit S. Paulus f. *Id eſt, beatitudinis Chriſti conſortes atque participes erimus. Ipſe eſt enim principalis hæres, & nos ſimul cum ipſo Divinam beatitudinem conſequemur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus g. Quid ſuavius? In hac qualitate Divinus iſte Conſolator præbet eis exiguam aliquam fruitionem, ſeu aliquam participationem luminum gloriæ, quæ reſervatur ipſis poſt mortem, in amore qui eſt ipſis mors, ut tribuat ipſis vitam ſupernaturalem & Divinam, *Quia fortis eſt ut mors dilectio*, dicit Salomon h. *Id eſt, ſicut author mortis diabolus fortis fuit ad decipiendum: ſic ſpiritualis dilectio fortis eſt ad reſiſtendum, ac benè agendum*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus i. Cùm igitur, Auditores, præſentia Spiritus ſancti nobis afferat omne bonorum genus, ſit cauſa gaudiorum noſtrorum, & ejiciens è nobis peccatum, conſtituat in nobis gratiam, quæ nos facit filios adoptivos, & reddat nos certos de ſalute noſtra, reddamur nos dignos viſitatione talis Hoſpitis: *Quarmus hunc Spiritum, Fratres, totâ ſolicitudine operam demus ut mereamur habere hunc Spiritum, imò ut quem jam habemus, abundantiùs habeamus. Quicumque enim Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus* k. *Nos autem non accepimus ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis* l. *Teſtimonium præſentiæ ejus præbent opera ipſa ſalutis & vitæ, quæ nullatenus agere poſſemus, niſi Spiritus qui vivificat* m, *Spiritus Salvatoris adeſſet. Quæramus igitur ut dona ſua multiplicet Deus in nobis, & Spiritum ſuum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omnino præſentiæ ejus certius teſtimonium eſt, quàm deſiderium gratiæ amplioris, quoniam ipſe dicit: Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient* n. *Sed fortaſſe multorum nobis conſcientia jam reſpondent: Deſideramus quidem hunc Spiritum, qui ſic adjuvet infirmitatem noſtram* o, *ſed invenire non poſſumus. Et ego dico, Propterea non invenitis, quia non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis, & non accipitis, eò quòd negligenter petatis* p. *Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, niſi ut ſedulò & totis deſideriis requiratur. Denique, Quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur ut petant? Si vos (inquit) cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter cæleſtis de cælo dabit Spiritum bonum petentibus ſe* q? *Petite ergo, chariſſimi; petite ſine intermiſſione, petite ſine hæſitatione: in omnibus operibus veſtris dulciſſimi ſemper hujus ac ſuaviſſimi Spiritus præſentiam & auxilium invocate*, dicit S. Bernardus r.

Secundum officium quod convenit Spiritui Sancto, eſt officium Advocati; *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* ſ. Excellens hic Advocatus cauſarum noſtrarum, faciens nos abhorrere vitium, nos eodem tempore ſollicitat ad praxim virtutis: & ut ad eam nos inducat, audite quid de eo dicat S. Bernardus t, *Advocatus noſter ad Patrem in cordibus noſtris, Dominus noſter in corde Patris. Itaque quod poſtulamus, idem ipſe donat, qui donat ut poſtulemus: & ſicut nos erigit piâ quidem fiduciâ, ita Deum inclinat ad nos magnâ pia miſericordiâ ſuâ. Itaque ut omnino ſcias quia remiſſionem peccatorum Spiritus ſanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apoſtoli: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* u. *Et de malo quidem declinando ſic. Porrò ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonus operatur. Profectò monet, & movet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus conſiſtit anima. Memoria ſuggerit bona in cogitationibus ſanctis, atque ita ignaviam noſtram, torporemque repellit. Propterea quoties hujuſmodi ſuggeſtionem boni ſenſeris in corde tuo, da honorem Deo, & age reverentiam Spiritui ſancto, cujus vox ſonat in auribus tuis. Ipſe namque eſt qui loquitur juſtitiam* x. *Et in Evangelio* y *habes, quia ille ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Et adverte quid promiſerit. Ille docebit vos omnia. Dixeram enim quia docet rationem. Multi ſiquidem monentur ut benefaciant, ſed minimè ſciunt quid agendum ſit, niſi adſit denuò gratia Spiritus ſancti, ut quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi* z *gratia. Propterea non ſolùm moneri, & doceri, verùm etiam moveri & affici ad bonum neceſſe eſt ab eo utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem noſtram* a, *& per quem in cordibus noſtris diffunditur charitas* b, *quæ eſt bona voluntas.*

E verbis præfatis S. Pauli, *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Arius & Macedonius occaſionem ſumpſerunt malitioſè dicendi, quòd Spiritus ſanctus non erat Deus, ſed inferior Patre, cùm rogaret eum in favorem noſtrum; & conſequenter quòd oratio eſſet probatio ſubmiſſionis ejus, & inferioritatis illius. Maledicti Hæretici! Spiritus ſanctus non orat pro nobis, ſed, ut inquiunt S. Auguſtinus c, S. Anſelmus d, & alii, excitat nos ad orandum, ad effundendas lacrymas, ad percutiendum pectus noſtrum, & ad findendum cor noſtrum ſuſpiriis in expiationem criminum noſtrorum. Iſte modus loquendi, eſt Hebraiſmus, *Poſtulat pro nobis*, Id eſt, poſtulare nos facit, ſicut dicitur in Evangelio e, *Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Id eſt, qui loqui vos facit. Hæc autem verba familiari comparatione dilucidat Origenes f, dicens, *Velut ſi Magiſter ſuſcipiens ad rudimenta diſcipulum, & ignorantem penitus literas, ut eum docere poſſit & inſtituere, neceſſe habet inclinare ſe ad diſcipuli rudimenta, & ipſe priùs dicere nomen literæ, ut reſpondendo diſcipulus diſcat, & fit quodammodo Magiſter incipienti diſcipulo ſimilis, ea loquens & ea meditans quæ incipiens loqui debeat ac meditari: ita & Spiritus ſanctus ubi oppugnationibus carnis perturbari noſtrum ſpiritum viderit, & neſcientem quid orare debeat ſecundùm quod oportet, ipſe velut Magiſter orationem præmittit, quàm noſter ſpiritus, ſi tamen diſcipulus eſſe ſancti Spiritus deſiderat, proſequatur: ipſe gemitus offert, quibus noſter ſpiritus diſcat ingemiſcere, ut repropitiet ſibi Deum.* Et Cornelius g inter alias eorundem verborum explicationes dicit, *Spiritus ſanctus poſtulat, id eſt, deſideria amicorum ſuorum, eorumque gemitus inenarrabiles in conſiſtorio SS. Trinitatis quaſi Paraclêtus, id eſt, Advocatus noſter, exponit magnâ inſtantiâ, magno pondere, & magnâ auctoritate. Hæc enim omnia ſignificat Græcum ὑπερεντυγχάνει; id eſt, ſuperexpoſtulat: nam ὑπὲρ notat præeminentiam Spiritus ſancti in poſtulando, quaſi ipſe præſit omnibus poſtulationibus; ſitque quaſi Magiſter & Præfectus libellorum ſupplicum noſtrorum apud Deum. Et Latinum, poſtulare, inquit Ulpianus lib. 1. tit. de Poſtulando, eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in jure apud eum qui juris dictioni præeſt*

f Rom. 8, 16, & 17.
g Dion. Carth. art. 21. in Rom. 8, 17
h Cant. 8, 6.
i Dion. Carth. art. 25. in Cant. 8. 6.
k ex Rom. 8, 9
l ex 1. Cor. 2, 12
m ex Jo. 6, 63.
n Eccl. 24, 29
o ex Rom. 8, 26
p ex Jac. 4, 2, & 3.
q ex Matt. 7, 11.
r S. Bern. ſerm. 2. de S. Andrea. II. Pars.
ſ Rom. 8, 26.
t S. Bern. ſerm. 1. in feſto Pent.
u Joan. 20 22, & 23.
x ex Iſai. 63, 1
y ex Jo. 14 26.
z Jac. 4. 17
a ex Rom. 8, 26
b ex Rom. 5, 5
c S. Aug. l. contra Serm. Arian. c 25.
d S. Anſel. in Rom. 8. 26.
e Matt. 10. 20.
f Orig. l. 7. in Rom. 8, 26.
g Corn. in Rom. 8, 26

præſt exponere. Similimodo v. 34. dicitur Filius interpellare pro nobis. Hæc omnia ſignificat verbum Latinum poſtulare quia ille modus agendi ſeu poſtulandi, quo utitur Spiritus ſanctus, eſt ineffabilis, æquè ac potentia & efficacia ipſius, *Poſtulat pro nobis gemitibus ineffabilibus,* vertit S. Ambroſius *k*. Quoniam viæ quibus utitur hic Divinus Spiritus, ſunt ineffabiles, æquè ac ignotæ hominibus, imperando eis interventu ſuſpiriorum ipſorum perſæpè contrarium eis quæ ipſi poſtulabant. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus, quia ſecundùm Deum poſtulat pro Sanctis,* proſequitur S. Paulus *i*. Et poſt eum Cornelius *k*. *Pendens hæc ab immediate præcedentibus, quaſi diceret, Dixi nos neſcire quid oremus, ſed Spiritum ſanctum inſpirare nobis orationes noſtras, eaſque offerre Deo, ac poſtulare pro nobis: idque nobis conveniens & perutile eſt. Nam nos ipſi ſæpè non intelligimus orationes noſtras, & per eas petimus res nobis noxias, vel inutiles: Spiritus ſanctus autem eas intelligit, & per eas non intendit impetrare nobis niſi id quod nobis proficuum & ſalutare eſt. Deus autem ſcit, reſpicit & attendit non quid nos deſideremus, ſed quid deſideret & intendat Spiritus impetrare nobis à Deo per preces, quas nobis ſuggerit. Porrò, Spiritum ſanctum tantum intendere id quod nobis bonum eſt & ſalutare, patet ex eo, quòd ipſe ſecundùm Deum poſtulat pro Sanctis, quia nimirum illis poſtulat ea, quæ ſunt ſecundùm Deum, Deique mentem & voluntatem quæque Deo grata, ſancta & accepta ſunt. Hæc autem nobis ſalutaria ſunt. Ita S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius.*

k S. Amb. l. 5. Epiſt. epiſt. 23.
i Rom. 8. 27.
k Corn. in Rom 8. 27.

Ha! Auditores, quantas prærogativas ſuſcipimus ad adventum iſtius Paracleti: cumulat ipſe nos gaudio prout Conſolator; & quatenus Advocatus, edocet nos ea omnia quæ agere debemus ut infallibiliter operemur ſalutem noſtram, & tandem perveniamus ad fruitionem noſtræ felicitatis, *Spiritus bonus deducet me in terram rectam,* dicit Pſalmiſta *l*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *m*. *Spiritus bonus, videlicet Spiritus ſanctus, deducet me in terram rectam, id eſt, in regionem cæleſtem, in terram viventium n, in qua omnia juſta & recta ſunt, prout ſcriptum eſt, Populus tuus omnes juſti o. In hanc terram deducet nos Spiritus ſanctus per opera bona, & deſideria ſancta.* Quam multum devincti ſumus huic cœleſti Advocato, cùm ſic proficuè poſtulet in favorem noſtrum, & ſic oſtendat ſe liberalem, ut venire nolit ad nos niſi ad ditandos nos donis ſuis, & ad cumulandos nos favoribus ſuis! Nunquid non amabilem deſiderabimus illius præſentiam? Nonne diſponemus nos ad eum dignè ſuſcipiendum? Deſideria quæ debemus emittere, & inſtantiæ quas debemus agere, ſunt ſatis bonæ diſpoſitiones ad eum recipiendum. *Invocavi, & venit in me Spiritus* p. Ipſe venit in eos qui ipſum concupiſcunt: Deſideremus eum, inſumamus omnes operas & ſolicitudines noſtras ad eum habendum, cùm præſentia illius facere debeat omnem felicitatem noſtram. *Hanc ſolicitudinem non facit niſi Spiritus ſanctus, qui ſcrutatur profunda q pectorũ noſtrorum, diſcretor cogitationum & intentionum cordis r, qui nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſime circumſpectionis exurit Spiritus dulcis & ſuavis, qui noſtram voluntatem flectat, imò erigat & dirigat magis ad ſuam, ut eam & veraciter intelligere, & ferventer diligere, & efficaciter implere poſſimus* ſ.

l Pſ. 142. 10.
m Dion. Carth. in hunc loc.
n ex Pſ. 141, 6.
o Iſai. 60. 21.
p Sap. 7. 7.
q ex 1. Cor. 2, 10.
r Hebr. 4. 12.
ſ S. Bern. ſerm 2. in Pent. in fine.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſupernâ gratiâ
Quæ tu creaſti pectora.

Et cùm venias in animas noſtras, ut Conſolator, infunde eis gaudia tua: ſolum peccatum eſt cauſa triſtitiæ illarum, annihila illud, ut meliùs participare poſſint conſolationes tuas, & ſic roboratæ auxilio tuo, habeant te ut Advocatum, qui illas dirigas ſemper ad bonum, & deducas eas ad viam virtutis, quam ſic ritè exerceant ut obtineant tandem gratiam tuam in iſto mundo, & gloriam tuam in altero ſæculo.

IN FESTO PENTECOSTES.

Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.
Act, 2. 1. &c.

EXimius quidam vir antiquitùs eſt multa locutus, pauca dicens, & ſi proficiam conſilio illius, multa dicam, nihil enunciando: quippe cùm magnitudo myſterii, de quo vellem vobis diſſerere, potius exigat à me religioſum ſilentium quam prolixum ſermonem, cujus infirmi termini exprimere congruè non poſſunt illius dignitatem, *Sileat lingua oratoria, quia deficit ſermo de indicibili,* dixit ille. Taceo igitur, cùm dato etiam quòd haberem totam ſcientiam hominum, totam eloquentiam Græcorum, totam facundiam Latinorum, & totos flores electiſſimos Rhetoricæ, æquè ac profundiſſimas Philoſophiæ notitias omnes, imò verò univerſa Theologiæ lumina micantiſſima, iſtius myſterij ſublimitatem non poſſem edicere. Impono igitur digitum ori meo, cùm ſit ipſum nimis materiale nedum loquatur de Spiritu. Sed cùm hodiernâ die Spiritus iſte ſe accommodans ad captum infirmitatis naturæ noſtræ, appareat ſub ſymbolis & figuris corporalibus, ut ſe ſenſibilem noſtris exhibeat cognitionibus, *Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum:* de eo vobis diſcurſum texere ſatagam, dummodo Spiritus iſte Divinus reddat ſe ducem cogitationum mearum, & eas animet igne ardorum ſuorum; & B. Virgo, cujus *beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſq; ad terminos terræ, credentes Trinitati illuminaverit* a, noſtras pariter dignetur illuminare mentes, & corda noſtra calefacere eodem igne quo ipſa ardet. Spiritus adorabilis, poſſide animam meam, & devinci eam tibi viſitatione tuâ: tu verò *b beata Virgo, columba* b *pura, & Sponſa cæleſtis Maria, cælum, templum & thronus Divinitatis, quæ coruſcantem in cælo & terra Solem* c *habes Chriſtum: nubes* d *lucida, quæ fulgur de cælo lucidiſſimum ad illu-*

a S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
b ex Cant. 6. 8
c ex Mala. 4. 2
d ex Iſai. 19, 1

illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum: *quæ volut rubus* e *intellectualis abſque combuſtione Divinitatis ignem teret* f; communica nobis plenitudinem gratiæ, quam invênit in te Archangelus, qui te ſalutavit his terminis, *Ave Maria.*

e ex Exod. 3, 2.
f S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

Ad perfectiorem notitiam myſterii quod celebramus hodiernâ die, ſciendum nobis eſt tempus complementi ipſius, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, Quod feſtum Pentecoſtes g. erat Solemnitas Judæorum in memoriam & in gratiarum actionem pro lege quam ſuſceperant à Deo, cùm *totus mons Sinai fumabat: eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis* h. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pavore concuſſi, ſteterunt procul, dicentes Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur* i. *Deditque Dominus Moyſi, completis hujuſcemodi ſermonibus in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei* k. Obſervate autem, Auditores, quòd hæc eadem dies ſervit loco egreſſus uni legi antiquæ, ut ingreſſum tribuat uni legi omnino novæ, cùm conſummatio & complementum unius, ſit nativitas & promulgatio alterius: ſic prima, non erat niſi umbra & figura ſecundæ, & realitate adveniente non erat ampliùs opus figurâ: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis* l. Prima lex nihil habuit, quod ſecunda non poſſideat cum prærogativa: Si enim Deus deſcendit ſuper montem Sinai cum igne, & ſonitu; nunquid non ſuper monte Sion videtur ille, & auditur iſte? Si tunc lex ſcripta fuit in tabulis lapideis *digito Dei*; nonne die hodiernâ nobiliùs ſcribitur à Spiritu Dei, qui vocatur ab Eccleſia, *Dextra Dei digitus*, in cordibus carneis, in pectoribus hominum? cùm iſta die ſacrâ Spiritus iſte Divinus infuderit eis charitatem, *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Et deinceps dixit ſanctus Paulus m, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Duæ leges iſtæ datæ fuerunt, ſed ultima ſucceſſit primæ cum prærogativa: propterea cùm *reverſus Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex utraque parte, & factas opere Domini: ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis; iratus valdè, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radices montis* n, id eſt, illam primam legem, non judicatus eſt criminoſus; & Deus non eſt iratus, videns quòd juſto zelo percitus ob idololatriam patratam à populo ſuo, confringeret legem, quam ſuſceperat è manibus ipſius. Quare hoc? Sanè quia lex hæc antiqua finem acceptura erat, ut initium daret novæ, cùm ceſſatio unius deberet eſſe inſtitutio alterius. Iſtud, erat myſterium, & Deus qui habebat illius intelligentiam, nec ignorabat illius arcanum, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* o, ſuſtinet Moyſen in actione, quam zelus noſter damnaret temeritatis, & præcipit eidem Moyſi ut jejunet, & diſponat ſecundas tabulas, ut in illis denuò lex ſcribatur, *Dixitque Dominus ad Moyſen, Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Iſraël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba fœderis decem* p. Ideò quia hæc ultima lex glorioſè ſuccedere debebat primæ, quæ finem capiebat: & illud, erat figura, cujus hodiernâ die videmus realitatem, cùm dies iſta finem imponens legi antiquæ Judæorum, inſtituat legem novam Chriſtianorum, & ambæ datæ ſint eodem tempore, & eâdem die, quinquageſimâ die poſt Paſcha; quinquageſimâ, inquam, die, cùm aliàs quinquageſimo quolibet anno daretur jubileus generalis, quo rei mortis abſolvebantur, debita remittebantur, exules revocabantur, hæreditas deperdita aut alienata recuperabatur; redibatur in priſtina jura, & captivi reſtituebantur libertati quam amiſerant: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai, dicens, Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ: ipſe eſt enim jubileus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam: quia jubileus eſt, & quinquageſimus annus. Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum, ſed quaſi mercenarius, & colonus erit: uſque ad annum jubileum operabitur apud te, & poſteà egredietur cum liberis ſuis, & revertetur ad cognationem & ad poſſeſſionem patrum ſuorum* q. Unde dicit Cornelius r, *Ex dictis hoc capite patet, hæc fuiſſe privilegia jubilei. Primò, Quòd in eo remittebantur omnia debita: ideò enim vocabatur hic annus remiſſionis, ut patet verſ. 10. Secundò, Quòd in eo ſervi manumittebantur, & fiebant liberi. Tertiò, Quòd avita poſſeſſiones redibant ad legitimos & primos hæredes, ſine ullo pretio aut compenſatione.* Ad quæ tria privilegia referri poſſunt præfata, ut cenſent aliqui: & ſecundùm iſtud nunquid non hâc die ſacrâ Pentecoſtes fruimur omnibus iſtis prærogativis? cùm dicat conſequenter idem Cornelius inter alias Inſtitutionis *jubilei cauſas*, *Deus voluit jubileum eſſe typum pleniſſimæ libertatis, gratiæ, & lætitiæ quam attulit, & in quam aſſeruit nos Chriſtus Redemptor in lege nova, ut patet Lucæ* s *4. verſu 19.* Nunquid enim conſcii criminum non abſolvuntur? Auſcultate quomodo S. Paulus ſ id aſſerat cùm dicit, *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me à lege peccati, & mortis.* Debita peccatorum remittuntur, *Quia charitas operit multitudinem peccatorum* t, Exules revocantur in patriam ſuam, & iſte Spiritus Divinus ſe reddit ipſorum ducem, ut meliùs confirmet greſſus illorum, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* u. Hæreditas deperdita per peccatum, nobis reſtituitur: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij; & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* x. Tandem, Captivi potiuntur libertate, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, ait S. Paulus y. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus z, *Vbi eſt Spiritus Domini, id eſt, in mente, quam per gratiam Spiritus ſancti inhabitat, ibi libertas dilectionis, non coactio timoris, libera vocatio animi à jugo diaboli, & à ſervitute peccati, ad contemplandum, diligendum, ac operandum ea quæ Dei ſunt.* Ecce, Auditores, quantùm ad id quod invenit tempus quo Spiritus Sanctus miſſus eſt, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes.* Videamus conſequenter Primò quomodo, & à quo miſſus eſt: Secundò, Examinemus conditiones quas habere debemus, ut illum venientem dignè ſuſcipiamus.

g Lev. 23, 15, &c.
h Exod. 19, 18.
i Exod. 20, 18, & 19.
k Exod. 31, 18.
l 1. Cor. 10, 11.
m Rom. 5, 5.
n Exod. 32, 15, &c.
o Hebr. 4, 13.
p Exod. 34, 27, & 28.
q Lev. 25, 1, &c.
r Corn. in Lev. 25, 49.
s ex Luc. 4, 18, & 19. & ex Iſai. 61, 1.
ſ Rom. 8, 2.
t 1. Petr. 4, 8. ex Prov. 10, 12.
u Pſ. 142, 10.
x Rom. 8, 16, & 17.
y 2. Cor. 3, 17.
z Dion. Carth. art. 3. in 2. Cor. 3, 17.

Diviſio.

Part I.

Spiritus Sanctus dicitur mitti, & venire ſuper aliquem duobus modis, ſcilicet viſibiliter, & inviſi-

viſibiliter. Venit inviſibiliter cùm venit in animam, eamque ſanctificat beatâ præſentiâ ſuâ, juxta id quod Nicodemo *Ieſus dixit*, *Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, & quò vadat* a. Seu, juxta Carthuſianum b, *Spiritus* (*utpute Spiritus ſanctus*) *ubi vult ſpirat*, *id eſt, poteſtativè ac liberè gratiam præſtat cui placuerit, ſicut fatetur Apoſtolus* c, *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult. Deus namq; operatur in creaturis, non neceſſitate naturæ, ſed liberrimâ voluntate, prout ad Epheſios* d *ait Apoſtolus, Qui omnia operatur ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Et vocem ejus audis, id eſt, internam allocutionem audis, eo modo quo ait Pſalmographus* e, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Eſt enim auditus interior, quo Divinus inſtinctus percipitur, dum ſentit ſe homo interiùs tangi, doceri, accendi, rapi, reſolvi, & abſorberi. Vnde ait Dominus per Oſeam* f, *Ducam eã in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Nunquam Nicodemus ſalubriter veniſſet ad Ieſum, niſi hanc vocem Spiritus ſancti internam audiſſet. Sed non ſcis unde veniat Spiritus ſanctus, id eſt, quomodo mentem ejus ubi ſpirat & loquitur, ingrediatur, non percipis. Aut quò vadit, id eſt, qualiter recedat, ignoras. Vnde per Iob* g *inducitur, Si venerit ad me, non videbo eum: & ſi receſſerit à me, non intelligam. Imò nullus viator ſcit certitudinaliter abſque revelatione, an Spiritus ſanctus ſit in ipſo per gratiam gratum facientem* h, *quia tunc ſciret ſe dignum amore. Ideò modo Spiritus ſanctus inperceptibiliter venit, imperceptibiliterq; recedit.* In quo nihil mirum eſt: non enim videtur Spiritus ſanctus, quia non ferit viſum, cùm ſit ſine colore, qui eſt illius objectum; non ingreditur per aures, ut audiatur, cùm non ſit ſonus; neque per nares, quia cùm non miſceatur aëre, non poteſt eſſe objectum odoratus; neque per os, cùm non comedatur, nec bibatur; neque tangitur, cùm non ſit palpabilis, nec conſequenter objectum ſenſuum, *Quia Spiritus carnem & oſſa non habet* i. Et, *Spiritus eſt Deus* k. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus l. Sed licèt verum ſit quod *ſunt inveſtigabiles viæ ejus* m, ſi tamen petatis quomodo cognoſcere poteritis nũ ipſe ſit in vobis; reſpondeo vobis quòd ipſum cognoſcetis per motum internum cordis, per horrorem & fugam peccati comparabitis vobis notitiam efficaciæ virtutis ejus, per remorſum & ſynderesim culparum veſtrarum occultarum admirabimini profunditatem ſapientiæ ejus; per emendationem vitæ veſtræ crimінoſæ, & reformationem depravatorum morum veſtrorum experiemini dulcedinem bonitatis ejus, & inde concludetis infallibiliter, quòd Spiritus ſanctus venit in vos, & honorat vos præſentiâ ſuâ, licèt inviſibili, & exclamabitis cum Sapiente n, *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus!* Ha! Auditores, quàm fortunatam debetis ex his omnibus antecedentibus eruere conſequentiam: Experimini in vobis ipſis motum internum, dolorem conceptum intuitu Bonitatis Divinæ offenſæ, horrorem peccati cum firmo propoſito reſurgendi à vitiis veſtris, quantùm in vobis erit: habetis ergo Spiritum ſanctum, & ſenſus ſeu notitia horum effectuum manifeſtat præſentiam cauſæ ipſorum.

a Jo. 3. 3, & 8.
b Dion. Carth. art. 8, in Joan. 3, 8.
c 1. Cor. 12. 11.
d ex Epheſ. 1. 11
e Pſ. 84. 9.
f Oſee 2. 14.
g ex Job 9. 11.
h ex Eccl. 9, 1
i Luc. 24. 39.
k Joan. 4. 24.
l Dion. Carth. art. 11. in Joa. 4. 24
m Rom. 11. 33.
n Sap. 12. 1

Secundò, Venit viſibiliter cùm ſe exhibet intuendũ aliquo ſigno viſibili, & ſub aliquo ſymbolo exteriori: & hoc modo quinquies apparuit in mundo ſub diverſis figuris. Primò, Sub forma columbæ, cùm *baptizatus Ieſus, vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe* o. Secundò, In forma nubis in transfiguratione ejusdem Jeſu, ſicut canit Eccleſia p, *In ſplendenti nube Spiritus ſanctus viſus eſt.* Tertiò, In forma venti, cùm in ſuos Apoſtolos idem *Ieſus inſufflavit, & dicit eis, Accipite Spiritum ſanctum* q. Tandem, In forma ignis, & in forma linguarum; & his tribus modis ultimis apparet hodiernâ die, *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum.* Et in his omnibus quinque prædictis modis diverſis, ut diſcamus quòd operatur in cordibus, in quæ venit, omnes proprietates & effectus rerum, quæ ipſum repræſentant. Interim obſervate, quòd hæc ſigna exteriora, ſub quibus Spiritus ſanctus apparet hodiernâ die, dant nobis notas Divinitatis ipſius, & notitiam miſſionis ipſius. Ignis teſtatur Divinitatem ipſius, cùm Deus antiquitùs intuendum ſe exhibuerit ſub iſta forma, ita ut tunc cõmuniter diceretur Deus Iſrael ignis, *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* r. Sic ignis erat præcurſor adventus ipſius, *Ignis ante ipſum præcedet* ſ. Hoc autem elementum nõ ſolùm oſtendit quòd ſit Deus, ſed etiam quòd ſit tertia perſona SS. Trinitatis, cùm ignis ſit ſymbulum amoris: ignis autem nõ eſt niſi Spiritus S. qui procedit per amorem è corde accenſo Patris & Filii. Pater cognoſcens ſemetipſum, generat Filiũ ſuũ t: Pater & Filius dilectione reciprocâ ſe diligentes ſpirant *Spiritum* u ſanctum, qui eſt terminus amoris ipſorum. Quòd ſi apparet in forma linguæ, ideò ut teſtetur cõnexionem quæ eſt inter Divinas perſonas SS. Trinitatis. *Ignis linguis monſtratus eſt: quia idem Spiritus coæternus eſt Filio, & habet connexionem maximam cum lingua. Verbum quippe Patris eſt Filius. Et quia una eſt Spiritus & Verbi ſubſtantia, idem Spiritus monſtrari debuit in lingua*, dicit S. Gregorius x. Non enim eſt minor convenientia inter cor verbum & linguam hominis quàm inter tres perſonas SS. Trinitatis. Quòd iſtud ita ſit, en ipſius probationes: *De corde exeunt cogitationes* y. Sumitur autem hic cor pro intellectu, cujus terminus vocatur verbum mentis, cùm ſit actio immanens in mente; & verbum iſtud declarat lingua, & ipſum manifeſtat, quod alioquin ex naturâ ſua maneret abſconditum & incognitum: ſic inter Divinas perſonas Pater eſt veluti cor & origo Divinitatis Filij & Spiritus ſancti. Cor, id eſt, Pater cognoſcens eſſentiam ſuam, producit Filium ſuum qui eſt terminus ſuæ cognitionis; & Spiritus ſanctus procedens ab utroque, eſt veluti lingua amborum, quæ ipſos declarat & manifeſtat luminibus & inſpirationibus ſuis. Sic de iſto myſterio debet intelligi verſus iſte Pſalmi z, *Eructavit cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea Regi: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Quaſi diceret, Cor meum, id eſt, eſſentia mea ſe cognoſcens, produxit Verbum bonum, id eſt, Filium meum: & Lingua mea, quæ eſt Spiritus ſanctus, eſt ſicut calamus ſcribæ qui ſcriptis mandat, & oſtendit id quod alioquin eſſet abſconditum & incognitum. Conformiter ad quod dicebat Filius Apoſtolis ſuis, *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* a.

Ipſe venit etiam in formâ venti, ſed venti, quem Perſæ recenſentur aliàs agnoviſſe & revereri eſſe ſicut Divinitatem, & obtuliſſe ei ſacrifi-

o Matth. 3. 16.
p Eccleſia ex Matt. 17. 5.
q Joan. 20. 19, & 22.
r Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24.
ſ Pſ. 96. 3.
t Pſ. 2, 7.
u Jo. 15. 26.
x S. Greg. hom. 30, in Evang.
y Matt. 15. 19.
z Pſ. 44, 1.
a Joan. 16. 31.

crificia, quæ non debentur niſi ſoli Majeſtati Dei; non ſecus ac. ut ait Cornelius *b*, iidem [*b* Com. in Hebr. 12. 29.] *Perſæ coluerunt Deum ſpecie ignis, & igni templum erexerunt, ut patet 2. Mach. 1. 34.* Venit igitur in forma venti, ut productus ab eſſentia Divina Patris & Filii qui ipſum mittunt, non tamen quòd per hanc miſſionem ſit ipſis inferior, cùm non ipſum mittant ſecundùm imperium, quaſi ipſis eſſet inferior potentiâ; neque ſecundùm conſilium, quaſi minor eſſet ipſis ſapientiâ, ſed ſolùm ſecundùm originem ut proceden̄te ex ipſis ambobus, [*c* ex Jo. 15. 26.] *Qui ex Patre Filioque procedit* c, canit Eccleſia poſt Concilium Nicænum. Quæ proceſſio nihilominùs non impedit ipſius æqualitatem cum Patre & Filio in omnibus perfectionibus & attributis Divinitatis, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. Æternus Pater*, &c. ait S. Athanaſius *d*. [*d* S. Athan. in Symb. Fid.]

Ad probationem iſtius veritatis, Jeſus Chriſtus dedit illum Apoſtolis ſuis ſub ſymbolo flatus, *Inſufflavit, & dicit eis, Accipite Spiritum ſanctum e*. [*e* Joan. 20. 22.] Non quòd hæc inſpiratio fuerit Spiritus ſanctus, ſed ſolùm ſymbolum illius, ut ait S. Auguſtinus f, [*f* S. Aug. l. 4. de Trin. c. 20] *Nec video quid aliud ſignificare voluerit, cùm ſufflans in faciem diſcipulorum, ait: Accipite Spiritum ſanctum. Neque enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore, ſubſtantia Spiritus S. fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed & Filio procedere Spiritum ſanctum. Quis enim dementiſſimus dixerit, alium fuiſſe Spiritum quem ſufflans dedit, & alium quem poſt aſcenſionem ſuam miſit? Unus enim Spiritus, eſt Spiritus Dei, Spiritus Patris & Filij, Spiritus ſanctus, qui operatur omnia in omnibus* g. [*g* 1. Cor. 12, 6] Cùm ratio iſtius ceremoniæ ſit, quòd ſicut animal non eſt antequàm reſpiret, ſed eſt & reſpirat ſimul, cùm ſit impoſſibile ut ſit ſine reſpiratione, & ut reſpiret quin ſit; ſic in hoc ineffabili myſterio Pater & Filius non ſunt priùs quàm Spiritus S. qui producitur ab ipſis ambobus, ſed ipſi tres ſunt ſimul conjuncti, & vivunt ſimul eâdem vitâ & æternitate. Spiritus ſanctus igitur mittitur à Patre & Filio, quia procedit ab utroque, *Paraclêtus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater h*. [*h* Joan. 14. 26.] Ecce quantùm ad proceſſionem ejus à Patre. *Si abiero, mittam eum ad vos* i, [*i* Jo. 16, 7.] aiebat Filius diſcipulis ſuis. Ecce quantùm ad proceſſionem illius à Filio. Miſſio in his rebus exterioribus poteſt habere convenientiam cum illo qui mittit, ſub his tribus conſiderationibus. Aut habet relationem ad illum qui dat eſſe, & ſic radius mittitur à Sole, à quo procedit. Aut ſicut ad illum qui dat virtutem, & ſic mittitur virga, petra, & ſagitta ab eo qui ipſas projicit. Aut velut ab eo qui dat juriſdictionem, & authoritatem agendi, & ſic mittitur nuncius & ſervus à Domino ſuo. Et his tribus modis miſſio convenire poteſt Spiritui ſancto: mittitur enim à Patre & Filio, ſicut habens & tenens ab eis eſſe, virtutem, & authoritatem agendi, nedum tamen ſit eis inferior.

Sancti Patres ad majorem iſtius myſterii intelligentiam afferunt comparationes erutas à natura, quas ſilentio prætereo, cùm corpus non habeat ſatis luminis ad illuſtrandum Spiritu n, & terra ſit nimis opaca nedum cœlo lucem con eiliet. Magnitudo iſtius myſterii eſt ultra id omne quod mens humana poteſt de ipſo concipere, & lingua mortalis exprimere: tamen ut aliqoam nobis tribuant iſti SS. Patres hujus arcani adumbrationem, rapræſentant nobis hoc modo proceſſionem Spiritus ſancti. Ponunt pro ſymbolo Patris, Solem; pro figura Filij, radium; & pro ſigno Spiritus ſancti, calorem ardentem qui procedit à Sole & à radio; cùm ratio repræſentationis iſtius ſit, quòd ſicut Sol eſt ita primus ut non procedat ab ulla re creata; ita Pater æternus non procedit ab aliqua re, cùm ſit principium ſine principio, non habens eſſe & principium niſi à ſeipſo, *Ego ſum qui ſum* k. [*k* Exod. 3. 14.] Et eſt origo aliarum duarum perſonarum. Et ſicut radius procedit à Sole, ita Filius procedit à Patre æterno, *Cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* l. [*l* Hebr. 1. 3] Et quemadmodum calor non ſolùm procedit à Sole, ſed etiam à radio; ita Spiritus ſanctus non ſolùm procedit à Patre, ſed etiam à Filio, *Qui ex Patre Filioque procedit*. Iſtud ſit igitur ſtatutum ut articulus fidei, quòd Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio, mittitur ab utroque, cùm miſſio perſonæ ſupponat ſemper proceſſionem ipſius: venit igitur cùm mittatur. Sed quænam diſpoſitiones eſſe debent in nobis ad eum ſuſcipiendum? quid nobis agendum eſt ad hoc ut ipſe ſuâ nos honoret viſitatione? Hoc ſupereſt nobis examinandum.

[II. Pars.] Politia nos edocet, quòd ad hoc ut non erremus in noſtro procedendi modo, ſed ut nobis feliciter conſilia noſtra ſuccedant, noſtras exigere debemus actiones ad maximas eorum qui nos præceſſerunt, ita ut illorum exemplum ſerviat nobis loco inſtitutionis & prototypi ad benè agendum, *Primum in unoquoque genere, eſt regula & menſura cæterorum*, dicit maxima Philoſophica. Cùm Collegium Apoſtolicum, iſtius Divini Spiritus fuerit honoratum viſitatione, non poſſum reperire meliores diſpoſitiones quàm eas, quas ſacer Textus obſervat in his viris Divinis; & proculdubio ſi eas habeamus, potiemur eodem favore, cùm eadem cauſa operetur ſemper eoſdem effectus, cùm eædem diſpoſitiones inſunt ſubjecto quod ipſas ſuſcipit: atqui Scriptura obſervat primò de diſcipulis, quòd *erant omnes pariter in eodem loco*; id eſt, quòd erant uniti eodem affectu, & non habebant niſi eandem voluntatem: hæc enim unio corporea in eodem loco, proveniebat ex unione ſpirituum in eadem fide, & in eadem religione: illi enim qui non ſunt uniti ſpiritu & voluntate, non converſantur libenter ſimul, cùm diviſio corporum ſit probatio fracturæ ſpirituum. Spiritus ſanctus ſe communicat eodem modo, quo procedit: ipſe procedit per viam amoris, & ſic ſe communicat illis qui habent amorem, & ſunt uniti Deo & proximo: atqui quòd Apoſtoli eſſent uniti corde & affectu, Scriptura id ediſſerit, cùm ait, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una* m. [*m* Act. 4. 32.] Eximia diſpoſitio & proſſus neceſſaria ad dignè ſuſcipiendum Spiritum ſanctum, qui eſt principium omnium unionum, & nodus Patris & Filii in Divinitate: nam ſicut ſpiritus humanus non animat membra corporis quæ ſunt diviſa; ita Spiritus ſanctus non replet gratiis ſuis membra corporis myſtici Eccleſiæ diviſa odiis. Propterea diſcipulis ſuis dicebat Dei Filius, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis* n. [*n* Joan. 14. 27.] Super quod dicit S. Auguſtinus o, [*o* S. Aug. tract. 77. in Joan. 14. 27.] *Quod verò Dominus adjunxit, atque ait, Non quomodo mundus dat, ego do vobis: quid eſt aliud, niſi non quomodo homines dant qui diligunt mundum, ita do vobis? Qui propteteà dant ſibi pacem, ut ſine moleſtia litium atque bellorum, non Deo, ſed amico ſuo mundo perfruantur: & quando Iuſtis dant pacem ut non eos perſequantur, pax non poteſt eſſe ve-*

ra, ubi non eſt vera concardia, quia disjuncta ſunt corda. Quomodo enim conſors dicitur, qui ſortem jungit: ita ille concors dicendus eſt, qui corda jungit. Nos ergo, *Chariſsimi, quibus Chriſtus pacem reliquit, & pacem ſuam nobis dat, non ſicut mundus, ſed ſicut ille per quem factus eſt mundus* p: *ut concordes ſimus, jungamus invicem corda, & cor unum ſurſum habeamus, ne corrumpatur in terra.* Ad hanc concordiam, quæ eſt diſpoſitio penitus neceſſaria ad ſuſcipiendum Spiritum ſanctum, hortatur nos & Apoſtolus. *Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis* q. Id eſt, unionem voluntatum veſtrarum: talis enim unio eſt ſedes Spiritus ſancti, *Factus eſt in pace locus ejus* r. Quòd ſi, Auditores, eſtis adhuc ſacris iſtis diebus in diviſionibus, & in voluntate ulciſcendi injurias vobis illatas, non ſuſcepiſtis Spiritum S.

p ex Joan. 1,10
q Epheſ. 4. 3.
r Pſ. 75. 3.

Secundam diſpoſitionem deſumo è qualitate loci, cui homines iſti pacis intererant: licèt enim Spiritus ſanctus ſit ubique, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* ſ: tamen non communicat indifferenter ubique gratias ſuas, ſed ſpecialiter in locis qui ſunt ipſi proprii, & in quibus ipſi melius ſervitur: atqui locus in quo erant Apoſtoli cùm ſuſceperunt Spiritum ſanctum, erat aula, in qua Dominus noſter fecit cum ipſis ultimam cœnam ſuam, & ubi inſtituit ſanctiſſimam Euchariſtiam t, & ubi ipſos omnes conſecravit Sacerdotes: ergo in locis ſacris attentè Dei verbum auditur, Confeſſio ſacramentalis humiliter peragitur, ſancta Communio dignè fit, & ſuſcipiuntur viſitationes Spiritus ſancti: in ſanctitatem locorum hujuſmodi fideles ritè ſe recipiunt à tumultu mundi, & à negotiorum ſolicitudinibus, & ibi idem Spiritus ſanctus ſe communicat & loquitur animæ, *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus* u. In ſanctitatem locorum iſtorum Spiritus ſanctus venit, non autem in caupones & diverſoria, ubi crapulæ & ebrietati indulgetur immodicè; non in ſphæriſteria, ubi nomen Dei blaſphematur; non in ludos, ubi profligatur tempus, pecunia, & gratia; non in loca ſordida, in quibus reſidet ſpiritus fornicationis: ſpectat ad ſues ſe volutare in luto, proprium eſt ſpiritibus impuritatis quærere cloacas, & congruit Aſmodæo x habitare in ſordibus: ſed Spiritus Dei vult conſcientias mundas, & ſuſtinere non poteſt impuritatem corporis, æquè ac mentis, *Quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, ait Sapiens y. Et poſt eum Hugo Cardinalis z, *Sciendum autem quòd non ſolùm anima dicitur habitaculum Spiritus ſancti, ſive Dei, ſed etiam corpus. Unde, An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt* a? *Primò dixit, In malevolam animam non intrabit Sapientia. Pòſt addidit, Nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, ſugillans duo genera peccatorum, ſcilicet ſpiritualia, & corporalia. Corporalia duo, ſcilicet gulam, & luxuriam. Spiritualia quinque, inanem gloriam, invidiam, iram, acediam, avaritiam.* Abhorret impuritatem Spiritus iſte Divinus, non ſecus ac mus Ponticus, qui eligit potiùs mortem quàm inquinationem, & cui ideò attribuitur hæc inſcriptio, *Malo mori quàm fœdari.* Spiritus ſanctificationis, Non *in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis* b, nec in ullis occaſionibus peccati voluntariis reperitur: ſed ipſe requirit puritatem cordium, nec illum reperietis unquam, lubrici, & guloſi, in ſordibus & crapulis veſtris: *Domum Dei decet ſanctitudo* c.

ſ Sap. 1. 7.
t 1. Cor. 11. 23, &c.
u Oſee 2, 14.
x Tob. 3, 8.
y Sap. 1. 4.
z Hugo Card. in Sap. 1. 4.
a 1. Cor. 6 19.
b Rom 13 13.
c Eccleſia ex Pſ. 92, 5

Tandem, Apoſtoli cùm ſuſceperunt Spiritum ſanctum, *erant ſedentes.* Id eſt, quieti erant, & ſanctâ pace fruebantur. Ecce tertia diſpoſitio quæ habenda eſt ad ſuſcipiendum hunc Hoſpitem Divinum, *Erant ſedentes.* Situs iſte nos edocet, quòd ad ſuſcipiendas gratias Spiritus ſancti, debemus eſſe quieti, *Super quem requieſcet Spiritus meus niſi ſuper humilem & quietum* d. Propter eundem finem debemus habere ſpiritum tranquillum & immunem ab omni paſſione violenta, *Non in commotione Dominus* e. Spiritus ſanctus non invenitur in ſuperbis & ambitioſis, qui ædificant turres *Babel* f, quæ non ſuccedunt ipſis niſi ad ingentem ipſorum confuſionem. Superbi, qui ſic vos anxiatis in conſiliis veſtris, conſtituite vos in quiete, & nolite quærere magnificare fortunam veſtram per fas & per nefas, ſi communicare velitis donis iſtius Divini Spiritus, qui non ſe committit motibus agitatis ventis, turbinibus, & tempeſtatibus; amat ipſe tranquillitatem, nec unquam ſua explicat ipſe vela niſi favente ſuavi Zephyro. Iracundi, qui ſtatis noctu æquè ac diu quærentes occaſiones explendæ rabiei veſtræ accommodas qui ignem & flammam emittitis ex oculis, qui circuitis ut habeatis obvium inimicum veſtrum, qui intuemini fratrem veſtrum ſicut Caini *g*, oculis furoris, qui non loquimini niſi de cædibus & de carnificina; ſiſtite hos impetus, *Suavis eſt Spiritus Dei* h, & ſoli mites eum merentur *i*. Avari, qui jugiter curritis, qui veſtras mentes excruciatis, æquè ac veſtra corpora fatigatis, ut divitias circumquaque congregetis; reflectite vos ſuper illarum vanitatem, & impotentiam, cùm illæ perfectè nequeant vos reddere beatos: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt: beatus populus cujus Dominus Deus ejus* k. Peccatores, quicumque ſitis, qui libertate effræni & laxis habenis curritis ad clivum voluptatum veſtrarum, qui vos anxiatis in criminibus veſtris, ut meliùs operemini damnationem veſtram; qui laborem ſumitis in peccatis veſtris, quæ incipiunt torquere vos in hoc mundo, ut perſeverent angere vos in æternitate. *Quieſcite agere perversè, diſcite benefacere* l. Et Spiritus ſanctus deſcendet ſuper vos, cumulabit vos abundantiâ favorum ſuorum, & manebit in vobis ut in templo ſuo, ſi videat ipſum ditatum ſanctitate & puritate quam exigit à vobis,

d Iſai. 66, 2. juxta S. Bern. ſerm. 1, ſuper Miſſus eſt. e 3, Reg. 19 11.
f Gen. 11, 4, & 9.
g Gen. 4, 5
h Sap. 12. 1
i Iſai. 66, 2
k Pſ. 143, 15.
l Iſa. 1. 16.

Domus pudici pectoris,
Templum repentè ſit Dei.

Veniens in vos replebit vos donis ſuis, quæ ſont ultra omnia dona; vos faciet experiri dulcedines ſuas, quarum abundantia excedit captum ſenſuum noſtrorum, & quarum comparatione univerſæ voluptates mundi, carniſque deliciæ ſunt inſipidæ, ſed præſertim vos igne ſui Divini amoris ſuccendet. Propreteà Spiritus iſte Divinus deſcendit in forma ignis, cùm ignis hoc habeat proprium, ut, licèt in ſe non ſit niſi res unica, non operetur tamen ſemper eodem modo, ſed ſecundùm differentem diſpoſitionem ſubjecti quod ipſum ſuſcipit. ſi lignum eſt aridum, illud ipſe comburit; & ſi eſt viride, actio ipſius circa illud eſt ſine effectu: parimodo ſe gerit Spiritus ſanctus; ad hoc enim ut ignis iſte Divinus flammis ſuis accendat animam, requirit ab

illâ

illâ diſpoſitiones, ſine quibus ipſe eſt ſine effectu, non ob aliquam impotentiam ex parte ſuâ, ſed ſolùm propter indiſpoſitionem ſubjecti: licèt enim Spiritus ſanctus mittatur pro omnibus, ſicut Sol qui diffundit indifferenter radios ſuos ſuper unumquemque, & tamen ſi aliquis in conclavi ſuo ſitus, ſatagit claudendas illius feneſtras & januam, non potietur beneficio ſplendoris & ardoris Solis quem contemnit ob obſtacula voluntaria, quæ illi opponit; eodem modo ſe gerit Spiritus ſanctus erga nos; ipſe de ſe eſt omnibus indifferens, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* m. [m Sap. 1.7] Sed ſi Spiritui ſancto claudit peccator oſtiū cordis ſui, nec ullam relinquit aperturam per quam iſte Spiritus ſanctus poſſit ingredi ipſius animam proculdubio indignus erit ipſius viſitatione, nec merebitur hunc honorem, eò quòd ipſum renuerit.

Quarta diſpoſitio, quam Spiritus ſanctus requirit à nobis, licèt hæc non contineatur in Textu meo, nec in myſterio quod tracto, eſt ea quam requirebat Elias ab Eliſeo, cùm raptus eſt in cœlum in curru igneo: nam cùm peteret Eliſeus ab Elia ut ſibi daret ſpiritum ſuum, & hic reſponderet ipſi quòd licèt rem magnam poſtularet, hujuſmodi tamen res non foret ipſi deneganda, præ hâc conditione quòd quandiu ipſe elevaretur in cœlum, non averteret ab ipſo oculos ſuos, quo adimpleto ab Eliſeo, Elias dimiſit ei pallium ſuum, quod habebat in ſe virtutem quam petebat Eliſeus, *Elias dixit ad Eliſeum, Poſtula quod vis ut faciam tibi, antequàm tollar à te. Dixitque Eliſeus, Obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus. Qui reſpondit, Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris, non erit. Cùmque pergerent & incedentes ſermocinarentur ſimul, ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum, Eliſeus autem videbat, & clamabat, Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga ejus. Et non vidit eum ampliùs: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. Et levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei* n. [n 4. Reg. 2.9. &c] Viſitatio Spiritus ſancti eſt magnum donum, ignis eſt divinus requirens diſpoſitiones in ſubjecto quod vult ipſius actionem ſuſcipere: vult, inſtar alterius Eliæ, ad communicandum nobis Spiritum ſuum, ut levantes oculos noſtros è terrâ, feramus illos in cœlum, quod debet eſſe perfectum centrum omnium affectuū noſtrorum: quandiu enim cor noſtrum adhærebit terræ, & afficietur erga creaturas, nunquam guſtabimus ſuavitates hujus Spiritus, nec caleſiemus flammis ejus. Mundani, errorem deponite; voluptuoſi qui volutatis vos in cœno fordium veſtrarum, turpiter hallucinamini, ſi putaris in iſto ſtatu vos communicaturos favoribus iſtius divini Paraclēti. *Grande myſterium, Fratres mei. Quid enim ſibi vult*, ait S. Bernardus o, [o S. Bern. ſerm. 5 in Aſcenſ. Dom. p ex Joan. 16.7] *Niſi ego abiero, Paracletus non veniet* p? *Itane invita Paracleto præſentia Chriſti, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus ſanctus horrebat, quòd ſicut Angelo prænunciante cognovimus nec concipi quidem niſi eo ſupervenient* q [q ex Luc. 1.35. &c] *potuerit? Quid eſt ergo, Niſi ego abiero, Paracletus non veniet? Niſi carnis præſentia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita ſunt, imò quia ita ſunt, accedat quis de cæteris phantaſticis quibuſdam illecebris deditus, ſectans lenocinia carnis ſuæ, carnis etiamque peccatricis, genita in peccatis* r, [r ex Job 14.4. & ex Pſ 50.7] *aſſueta peccatis, in qua denique bonum non eſt* †, [† ex Rom. 7.18] *illum pariter expectare Paracletum? Accedat, inquam, qui huic ſterquilinio ſemper inhæret, qui carnem fovet, in carne ſeminat, carnem ſapit, illam nihilominùs conſolationem ſupernæ viſitationis, torrentem voluptatis* ſ [ſ ex Pſ. 35.9] *illum, illam ſperare gratiam Spiritus vehementis, quam, ut Veritas ipſa teſtatur, ne cum ipſa quidem Verbi carne percipere illi utcunque Apoſtoli potuerunt? Errat omnino ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa Spiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur.* Hoc eſt etiam conſilium quod idem Jeſus Chriſtus ſuis præbuit Apoſtolis iiſdem aſcenſurus in cœlum, *Vos autem ſedete in civitate, quoadeſque induamini virtute ex alto* t. [t Luc. 24. 49] Non loquitur de quiete corporis, ſed ſpiritus requiſitâ ad ſuſcipiendum Spiritum ſanctū.

Quæritur quare cùm Spiritus ſanctus apparens in fluvio Jordane in forma columbæ †, [† Matth. 3.16] in monte Thabor in forma nubis *, [* Matth. 17.5] & hodie in forma ignis, nunquam tamen apparuerit in forma aquæ, licèt in utroque Teſtamento repræſentetur ſub iſtius elementi ſymbolo, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini* u, [u Ezech. 36.25] &c. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* x. [x Joan. 7. 38 & 39. ex Joel. 2.28] Reſpondetur autem quòd cùm Spiritus iſte, vocetur Sanctus, & Sanctus Græce dicatur ἄγιον, id eſt, ſine terrâ, & non poſſit aqua ut vicina terræ, quin communicet eidem terræ; iſte Spiritus ſe dans in forma columbæ, aëris, & ignis, nunquam ſe dedit in formâ terræ, nec aquæ, quia requirit cor ſpirituale, deificatum, quippe remotum ab omni eo quod ſapit terram. Apparuit in forma columbæ: ſicut enim columba habet gemitus pro cantu: ſic *ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* y. [y Rom. 8.26] Id eſt, gemere nos facit intuitu peccatorum noſtrorum. Columba non habet fel, *O quàm bonus & ſuavis Spiritus* z [z Sap. 12.1] iſte mites reddit eos quos poſſidet! *Columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* a [a Cant. 2.14] moratur: Spiritus ſanctus autem habitare facit animas, quas replet gratiis ſuis, in vulneribus Jeſu Chriſti per compaſſionem. In forma nubis: quia ſicut nubes elevat ſe de terra, refrigerat, temperat ardores, & cauſat pluviam: ſic & hos effectus Spiritus ſanctus operatur in animabus quas viſitat. In forma venti; ſicut enim ventus eſt velox, calidus, & ad vitam neceſſarius, ita Spiritus ſanctus promptum reddit, *Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia* b. [b S. Ambr. l. 2. in Luc. 1.39] Calefacit, prout ignis, & vult *ut accendatur* c. [c Luc. 12. 49] Et vitam animæ cuſtodit, ſicut aër vitam corporis, *Spiritus eſt qui vivificat* d. [d Jo. 6. 64] Tandem, In formâ ignis, ſeu linguarum ignearum, ut loquerentur Apoſtoli verba ignea, & annunciarent legem igneam. Venit in forma ignis per ſeptem effectus quos operatur ſeptem donis ſuis: nam prout ignis, deprimit alta timore, emollit dura pietate, firmat mollia fortitudine, obſcura illuminat ſcientiâ, reſtringit fluida conſilio, rubiginoſa clarificat intellectu, & depreſſa ſurſum elevat ſapientiâ e: [e Iſai. 11.3. & 2] mentem replet fide, memoriam recordatione beneficiorum ſuorum, voluntatem amore ſuo; imò verò omnes ſenſus externos. *Replevit totam domum ubi erant ſedentes.*

Sed ſi replet nos gratiis ſuis in hoc mundo, replebit nos gloriâ ſuâ in altero ſeculo.

EERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat ſed habeat vitam æternam. Joan. 3.16.

NUnquam deſcendunt cauſæ ſuperiores ad præſtandum inferioribus auxilium, quin ſint velatæ, & ſuas vires accommodent ad captum ſubjectorum, quibus intendunt auxiliari: elementa ſuas temperant qualitates in ſuperficie ſua ut faciant miſta, & nobis ſubminiſtrent alimenta; & ſuos mitigat Sol ſplendores in aëre, ut infirmitati viſus noſtri ſint tolerabiles: ſic Verbum divinum veniens ad auxilium noſtrum, ad operandam ſalutem noſtram, operuit ſe naturâ noſtrâ, *Verbum caro factum eſt* a. Cum eſſet impaſſibile in naturâ ſuâ: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* b. Et cùm vellet ſanare noſtras infirmitates, *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat* c, oportuit ut eſſet Deus ad hoc ut iſtam perageret, & ut eſſet homo, ut juſtitiæ Patris ſui pro criminibus hominum paſſionibus ſuis ſatisfaceret. Propterea dicit Dionyſius Carthuſianus d poſt Evangelium noſtrum, *Sic Deus dilexit mundum, id eſt, tam ardenter Deus Pater dilexit genus humanum, præſertim homines prædeſtinatos, ut Filium ſuum unigenitum, non adoptivum, ſed naturalem, conſubſtantialem & unicum daret hominibus, in Filii ſui incarnatione ac paſſione.* Convenientiſſimè ait Evangeliſta, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ad inſinuandum, quòd dilectio eſt cauſa fontana omnium beneficiorum nobis divinitùs præſtitorum. Amor namque, ſecundùm Theologos, eſt primum donum, in quo omnia dona gratuita gratis donantur. Propter quod donum appropriatur Spiritui ſancto, qui eſt amor Patris & filii* e. *Denique ad hunc finem dedit Pater omnipotens Filium, ut omnis qui credit in eum, fide per dilectionem operante; nam fides ſine operibus mortua eſt* f, *non pereat, hoc eſt, non damnetur, ſed habeat vitam æternam, quæ eſt viſio ſummæ Trinitatis per ſpeciem.* Propterea, ut ait S. Auguſtinus g, huic eximio noſtræ reparationis operi præbiturus ultimum complementum, *Diſceſſurus è mundo iſto, & aſcenſurus in cœlum Dominus noſter atque Salvator, Fratres chariſſimi, promiſit Apoſtolis ſuis, quòd Spiritum ſanctum ad eos mitteret, quando ad Deum Patrem ipſe remeaſſet. Sic enim ad diſcipulos ſuos locutus eſt, dicens: Cùm autem venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me* h. *Impleta eſt, chariſſimi Fratres, promiſſio Salvatoris. Aſcendit Dominus Jeſus Chriſtus, deſcendit Spiritus ſanctus. Supereſt ut utrumque hoc impleatur in vobis, id eſt, ut habeatis Spiritum ſanctum qui deſcendit, & per bonam vitam Chriſtum ſequamini qui aſcendit.* Utrumque peragetis adjuti ejuſdem Spiritus ſancti gratiâ, quâ Mariam invenit plenam Archangelus ad hæc verba, *Ave Maria.*

a Jo. 1.14
b Pſ. 90.10
c Luc. 19.10
d Dion. Carthuſ. art. 9. in Joan. 3.16
e ex Joan. 15.26
f ex Jacob. 2.26
g S. Aug. ſerm. 2. Pent. qui eſt 184. de Temp.
h Jo. 15.26

Magna opera Poëtarum, Pictorum, & Sculptorum, manu alienâ rite non poſſunt perfici; & perfectiſſimi penicilli inventi ſunt inidonei cõſummando operi quod non inceperant: ſic ad Deum ſolum ſpectabat reformare naturam rationalem, quam ipſe creavit. *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* i. Ipſe ſolus denuò poterat illi imprimere charactêres ſimilitudinis ſuæ, quam ea perdiderat ſceleribus ſuis, cùm *denigrata eſt ſuper carbones facies* k ejus. Et ſicut ipſa ſe diſſipaverat vanitate ſuâ, ſic & voluit illam ſalvare Deus exinanitionibus & tolerantiis ſuis, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: mortem autem crucis* l. Eſt enim veritas infallibilis, juxta id quod ait S. Bonaventura m, quòd ſicut Ens Dei ſummè perfectum n, continet in eminentiâ ſuâ perfectiones aliorum entium; ita, ſi producit ſe extra ſemetipſum, agit inſtar architecti qui ædificat domum ſuam; format enim illam juxta ideam, quam concepit illius in mente ſuâ: ſic Deus in lucem emittens aliquod operum ſuorum, producit illud conformiter ad repræſentationem, quam illius habet in intellectu ſuo divino: & ſicut ipſe eſt æquè cauſa exemplaris, ac efficiens omnis entis creati, & ſpeculum, quod repræſentat in ſe ſimilitudinem omnium creaturarum; *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* o: Ideò S. Anſelmus p conſiderans hoc eſſe ideale in Deo, dixit, quòd creatura in Deo ſit creatrix eſſentia: atqui licèt hæc ratio ideæ conveniat æqualiter tribus perſonis divinis, hoc tamen non impedit quin per appropriationem tribuere Verbo poſſimus hanc qualitatem ſeu perfectionem, ſicut attribuimus potentiam q Patri, bonitatem r Spiritui ſancto, & ſapientiam ſ Filio, hanc, inquam, rationem ideæ creaturarum, quamvis æqualiter conveniat tribus divinis perſonis, juxta S. Bonaventuram jam citatum t, & S. Thomam u. Et in hoc ſenſu Euſebius x explicat verba Platonis, dicens, loquendo de Platone eodem, *Multis in locis ipſum ens & intellectum ipſum Ideam nominat.* Quaſi diceret Verbum divinum mundum archetypum, & ideam omnium idearum. Unde infero, quòd cùm Deus ad extrà vult agere, oculum ſuum Verbo ſuo ſemper habet intentum, ut ideæ omnium operum ſuorum: & ſicut eſt agens intellectuale, non poteſt quin intueatur hoc exemplar divinum. Hanc veritatem multis in locis atteſtatur Scriptura, *In principio creavit Deus cœlum & terram* y. Id eſt, in Verbo, ut exponunt Interpretes, *Verbo Domini cœli firmati ſunt* z. *Omnia per ipſum facta ſunt* a. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* b. Atqui Verbum iſtud, quod eſt idea operum Dei ad extrà, eſt etiam exemplar creaturarum rationalium, & Deus qui utitur eo propter ſe (*Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* c) ut regulâ, hanc ideam tribuit homini, ut objectum imitationis, & exemplar perfectæ vitæ ipſius: propterea ſic *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, juxta ea quæ ſupra recenſui ex Dionyſio Carthuſiano. Hinc eruo tria motiva, quæ nos inducunt ad imitandum Salvatorem no

i Gen. 1.27
k Thren. 4.8
l Philipp. 2.6. &c
m S. Bon. in 1. ſent. diſt. 35. art. 1. q. 1. & ſeq.
n ex Mat. 5.48
o Sap. 7.26
p S. Anſel. in Monolog. c. 33
q Pſ. 64.7
r Sap. 12.1
ſ Sap. 7.24
t S. Bon. in 1. ſent. diſt. 35. a. 1. q. 3
u S. Thomas 1. p. q. 34. art. 3. in corp. & ad 1. arg.
x Euſeb. l. 11. de Præp. Evangel. c. 10
y Gen. 1. 1
z Pſ. 32. 6
a Joa. 1.3
b Pſ. 148.5
c Prov. 16.4

Diviſio. noſtrum. Primum, eſt amor quo debemus erga eum affici. Secundum eſt deſiderium noſtræ ſalutis adipiſcendæ. Tertium, eſt profeſſio Chriſtianiſmi, quæ debet eſſe jugis imitatio Jeſu Chriſti. Quæ tria motiva ſunt nobis examinanda.

I. Pars. Dico primò, quòd unum è validiſſimis motivis, quæ nos obſtringere debent ad imitandum Redemptorem noſtrum, eſt amor, quò debemus illum proſequi. Amor eſt naturæ ſic potentis, ut transformet amantes in objecta quæ ipſi amant, & efficiat ut ſpolient ſe propriis affectibus, ſuis agendi modis, ut induant habitus objecti amati. Sic nos edocent Hiſtoriæ, quòd Ægyptii qui Principes ſuos velut idola colebant, ubique & in omnibus ſe ſimiles eis efficiebant, eò uſque ut claudicarent, vel ſibi oculum effoderent, ſi Reges ipſorum claudi, vel cocliteſ eſſent: quòd amici Alexandri Magni, caput inclinarent ſuum in unum latus inſtar illius Monarchæ qui ſuum ferebat inclinatum, quòdque diſcipuli Ariſtotelis ſuum dorſum incurvabant, eò quòd ipſorum Magiſter, quem unicè diligebant, gibboſus eſſet: & tantum abeſt ut defectus illi diminuerent in aliquo bonam opinionem quam conceperant de hujuſmodi perſonis dilectis; quin è contrà defectus iſtos uſurpabant pro perfectionibus eminentibus, & effectivè credebant, quòd eos imitando, hoc in ſuum vergeret ac redundaret honorem atque commodum. Tandem, Ut uno verbo dicatur, nemo perfectè diligit amatum, niſi eum perfectè imitetur: dicite de aliquo quidquid volueritis, immodicis illum laudibus extollite, propalate virtutes ejus eximias, exhibere eum conſiderandum ut creaturarum omnium perfectiſſimum; quia *pravum eſt cor hominis & inſcrutabile* d, verendum eſt, ne omnes iſtæ laudes ſint potiùs adulatio doloſa, quàm ſincerum quod exhibeatur veritati teſtimonium: ſed cùm iſtis elogiis honoris, Auditores, additis imitationem, conamini mutare & transfigurare vos in perſonam quam diligitis, & renunciantes propriis inclinationibus veſtris, induitis affectus illius; tunc dici poteſt verè, quòd verba veſtra præ ſe ferunt effectus amoris ſinceri. Hanc maximam & regulam amoris in praxim redigit perfectiſſimus omnium amantium, ne deeſſe videatur legibus charitatis, qui nimio amore diligens hominem, non ſolum teſtatus eſt ei amorem ſuum in quibuslibet occurſibus, & cumulavit eum gratiis atque favoribus, ſed ut ſe illi exhiberet intuendum ut Amantem perfectum, ſe mutavit & transfiguravit in ipſum, ut jam dixi, ſumens infirmitates ejus, induit carnem illius, & aliquo modo ſe annihilavit in propriâ ipſius miſeriâ. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* e. Quod innuit, quòd dilectus nunquam perfectè diligitur niſi ad imitationem ſui attrahat. Quod cùm ita ſit, dico quòd nos qui debitores ſumus Deo propter amorem quo ipſe dilexit nos, & titulo juſtitiæ, & omni genere legum, ſi, inquam teſtari volumus, quòd ipſum *non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere & veritate* f; omnes noſtros inſumere debemus conatus ad eum imitandum, contendendo cordibus noſtris imprimere imaginem vitæ ejus, conformando nos ei, *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare* g. Et hoc eſt, quod, ut ait Dionyſius Carthuſianus h, *docet Apoſtolus, quid id omnem pertineat Chriſtianum, Qui dicit ſe in Chriſto manere, id eſt, Chriſtianum exiſtere, & Chriſto per fidem adhærere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare, id eſt, Chriſti veſtigia ſequi, ejus virtutes ſectari, ejus legem implere. Alioqui inaniter à Chriſto nomen ſortitur, atque ad graviorem ſuam damnationem Chriſtianus vocatur. Hinc ipſe Salvator ait, Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur* i. *Et alibi, Quid vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico* k? *Itemque, Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis* l. *Itaque qui ſe dicit in Chriſto manere, qui gloriatur Chriſtianum ſe eſſe, diſcat à Chriſto, quoniam mitis eſt & humilis corde* m: *Chriſti charitatem ſectetur, ut adverſarios etiam amet, & pro ipſis cordialiter deprecetur* n, *injurias & adverſa æquanimiter ferat, corpus ſuum caſtiget, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigat* o. *Cùm Chriſtus teſtetur, Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non eſt me dignus* p. *Opera quoque miſericordiæ tam corporalia quàm ſpiritualia, totis exerceat viribus: in patientiâ ſuâ poſſideat animam ſuam* q. *Et per arctam incedens viam* r *ſalutis, Dei & Eccleſiæ ſervans præcepta, perſeveret uſque in finem* †.

d Jer. 17.9
e Philipp. 2.6. & 7.
f 1. Joann. 3.18
g 1. Jo. 2. 6
h Dion. Carthus. art. 2. in 1. Joan. 2.6
i Jo. 12.26
k Luc. 6. 40
l Jo. 13.15
m ex Matt. 11.29
n ex Matt. 5.44
o ex Gal. 5.24
p ex Luc. 14.27
q ex Luc. 21.16
r ex Matth. 7.14
† ex Matt. 24.13

Dilectus ſacer alloquens Sponſam ſuam, ait illi, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum* r. Quaſi diceret ei, Sponſa mea, ſi vis eſſe verè dilecta mea, & ut perſuadeam mihi quòd me diligas. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, quod eſt origo cogitationum & affectionum tuarum, *ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, quod eſt principium operationum tuarum, ut iſtas, æquè ac illas reddas ſimiles meis, ſicut res ſigillo obſignata ſimilis eſt ſignaculo, & age hoc in ſpiritu puri amoris, qui ſit victor de te, ſicut mors victrix eſt de omnibus rebus, quique te ſubjectam teneat, ſicut infernus ſuos tenet captivos, teque transformet in me ſicut facit ignis, qui convertit omnia ſubjecta in ſubſtantiam ſuam. Cùm ſimilitudo quæ eſt inter duas perſonas, reſultet ex amore ipſarum reciproco, quò major eſt amor, & perfectior eſt ſimilitudo, eò fortiùs & ſtrictiùs iſtæ duæ perſonæ vinculo amoris uniuntur, & major eſt convenientia inter utramque; & ſi ipſæ perfectè ſe diligunt, oportet ut proculdubio non habeant ampliùs ipſæ niſi unum cor, unam animam, & unicam vitam in duplici corpore: cùm amor ipſas transformaverit modo miraculoſo, efficit ut eoſdem mores habeant, & eoſdem affectus. Hoc autem me facit redire ad primam propoſitionem meam, quòd nemo perfectè amatum diligat, niſi eum perfectè imitetur: ut inde concludam, quòd ſi velimus Domino noſtro teſtimonium perhibere dilectionis noſtræ, debemus eum imitari. Illud eſt, Auditores, quod fecerunt omnes magni ſervi Dei, & univerſi Sancti, qui amore ſuo ſunt adepti gloriam ſempiternam, quam poſſident. Omnes fuerunt pictores excellentiſſimi ad repræſentandam in perſonis ſuis imaginem Domini ſui, omne laborem ſuum exigendo ad hanc ideam divinam. Colores, quibus uſi ſunt, fuerunt virtutes ejus, humilitas ſ, patientia t, magnanimitas u, &c. penicillus exprimendis omnibus ipſius characteribus idoneus non fuit alius, niſi voluntas, quæ ducta amore, operata fuit hæc mirabilia, & licèt hoc, generaliter loquendo, Sanctis omnibus acciderit, tamen ſpeciali modo contigit Seraphico S. Franciſco, qui ardens inſtar Seraphini, flammis divinæ charitatis, & deſiderans imprimere ſibimet imagi-

r Cant. 8.6
ſ Matth. 11.29
t 1. Petr. 2.23
u Luc. 23. 34

nem

nem Jeſu Chriſti, tandem poſt multum laborem, iſtâ potitus eſt prærogativâ præ omnibus aliis Sanctis videre ſe transformatum in Jeſum Chriſtum, non ſolùm animâ, ſed etiam corpore, cùm ſuſceperit in proprium corpus ſuum vulnera & ſtigmata illius, ita ut verè dicere poſſit glorians de hoc ſingulari privilegio. *De cetero nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore*
x Galat. 6.17
meo porto x. Non ſolùm, ut ait Dionyſius Car-
y Dion. Carth art. 6. in Galat. 6.17
thuſianus y de S. Paulo, *Id eſt ſigna vulnerum, & ſimilitudinem pœnarum; bajulando crucem meam indeſinenter, & Chriſtum ſequendo, ejusque paſſioni me pro viribus conformando*: ſed etiam ipſa ejus ſtigmata carni meæ realiter impreſſa deferendo. Et ulteriùs progrediens, infert cum eodem Apoſtolo, ſe non ampliùs vivere, ſed Jeſum Chriſtum in ipſo vivere, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in*
z Galat. 2.20
me Chriſtus z. Seu, ut dicit idem Carthuſianus a,
a Dion. Carth. art. 2. in Galat. 2.20
Vivo autem jam non ego, id eſt, poſtquàm Chriſto confixus ſum cruci, vivo & non vivo. Vivo enim non ſolùm vitâ naturæ, ſed gratiæ: non vitâ humanâ, ſed divinâ: non vitâ carnali, mundanâ, & conſuetâ, ſed ſpirituali, cœliformi, ac novâ. Ideo ſubditur, Vivit verò in me Chriſtus, id eſt, non ſecundùm meipſum vivo, ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in animâ meâ, & poſſidet me, facitque me in ſe vivere. Vivere autem eſt actum vitalem habere. Amor verò tranſponit & mutat amantem in amatum. Dum ergo homo in Chriſti amore ſuccenditur, creſcit & perficitur, moritur in ſemetipſo, quia non agit ſecundùm propriam voluntatem, ſecundùm naturalem inclinationem, ſecundùm privatum amorem, ſed ſecundùm divinæ charitatis inſtinctum, & Chriſti juſſionem atque conſilium. Imitemur, Auditores, hunc Sanctum, quantùm poterimus, cùm nos hortetur ipſemet
b 1. Cor. 11.1
ad imitationẽ ſui ipſius cum eodem S. Paulo b, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Et ſicut ipſe præ ſua cogitatione ſemper habuit imaginem Redemptoris ſui ad conformandã ei vitam ſuã, præ noſtræ mentis oculis ponamus hoc exemplar totius ſanctitatis, ut conformemus ei vitam noſtram, ita ut in omnibus cogitationibus, affectibus, verbis & operibus noſtris, intueamur eum jugiter ut prototypon noſtrum, *Ut in omnibus factis & verbis tuis ſemper quaſi exemplar reſpicias, incedens, ſtans, ſedens & comedens, tacens & lo-*
c S. Bon. l. de Inſtitut. Novit. c.32
quens, ſolus & cum aliis, ait S. Bonaventura c Seraphicus, filius ejus ſpiritualis, Fratres ſuos in Noviriis inſtituens. Ecce perfectum exemplar quod ſequi debemus in omnibus occurſibus, & cui vitam noſtram jugiter expedit conformari. Conſiderate, ſi placet, quâ cum humilitate Salvator converſabatur inter homines, quâ manſuetudine ſuos dirigebat Apoſtolos, quâ miſericordiâ peccatores excipiebat d, quo contemp-
d Luc. 15.1
tu bona terrena deſpiciebat, quàm remotus erat a fallaciis mundi, quam parùm ſolicitus de providendis neceſſariis corpori ſuo fovendo, quàm modeſtus in aſpectibus ſuis, quàm patiens in injuriis ſibi irrogatis, æquè ac in flagellis ſibi inflictis, *Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judi-*
e 1. Petr. 2.23
canti ſe injuſtè e. *Id eſt, Pilato, qui ipſum injuſtè adjudicavit morti diriſſimæ, permiſit ſe tradi à Judæis. Imò & ſponte ac libentiſſimè ivit ad ipſum ex ardentiſſima charitate, & obedientiâ ſummâ, quâ pro nobis pati optavit, prout Deus Pater diſpoſuit. Ideò loquitur*
f Iſai 53.12
Iſaias f, *Tradidit in mortem animam ſuam. Et ipſemet loquitur, Nemo tollit animam meam a me, ſed ego*
g ex Joan. 10.18
pono eam g, ſubdit Dionyſius Carthuſianus h.

b Dion. Carth. art. 5. in 1. Petr. 2.23
Et ſic facientes, teſtabimini quòd ipſum perfectè diligitis. Nolite vobis adulari, ſi aliud ſentiatis quam ſenſerit Jeſus Chriſtus, ſi voluntatem habeatis oppoſitam voluntati ejus, ſi vitam contrariam ducatis ei, quam ipſe vobis oſtendit, & deinde præſumatis aſſerere, quòd eſtis amantes & amici Jeſu Chriſti, actiones veſtræ mendacii inſimulant verba veſtra, opera veſtra adverſantur qualitati verorum amicorum, & oſtendunt potiùs vos eſſe illius inimicos quam amicos, cùm ita ſitis ei diſſimiles, & nota ſit certiſſima quòd quis non diligat, cùm non imitatur id quod amat. Nõ imitamini Salvatorem veſtrum; igitur illum non diligitis; ideò proteſtationes veſtræ non ſunt niſi diſſimulationes: ſi ergo vultis eum imitari, inducat vos & ad hanc imitationem deſiderium veſtræ ſalutis aſſequendæ: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

II. Pars.
Ut intelligatis quomodo invenietis felicitatem veſtram in imitatione Salvatoris veſtri, ſciendum eſt primò in quo ſita ſit felicitas creaturæ. Doctores de iſtâ materiâ tractantes aſſerunt quòd beatitudo creaturæ conſiſtit in acquiſitione perfectionis ſuæ: atqui perfectio iſta non eſt alia niſi imitatio primi omnium entium, *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus*
i Matth. 5.48
eſt i. Sicut enim creatura intuetur Deum ut ultimum finem ſuum, *Univerſa propter ſemetipſum*
k Prov. 16.4
operatus eſt Dominus k, &, *Ego ſum α & ω, princi-*
l Apoc. 1.8
pium & finis, dicit Dominus Deus l; conando illum conſequi, tunc illum adipiſcitur, cùm ſibi comparat gradum perfectionis qui permittitur ſpeciei ſuæ, & conſequenter cùm nihil habeat ampliùs deſiderandum, contenta eſt. Omnia enim creata eò tendunt, ad imitandum Deum, & ad imprimendam ſibimet ſimilitudinem ideæ divinæ quâ ipſa *facta ſunt, & creata ſunt* m. Contem-
m Pſ. 148.5
plamini plantam quæ ſuum paulatim è terrâ caulem educit, & niſus omnes non ſolùm plantarum, ſed etiam univerſorum viventium, & non viventium, & intuebimini quòd cuncti naturæ conatus diriguntur formaliter ad imitandas perfectiones adorabiles quæ in Deo repetiuntur idealiter, & ad conſequendam ſuo modo ſimilitudinem ejus: atqui id quod eſt aliis commune creaturis, denegari non debet homini, ſed potiùs dicere debemus, quòd ſicut illas omnes qualitate ſuperat, cùm ſit præditus intellectu & ratione, ſi conciliare ſibi velit felicitatem ſuam, oportet ut ſe transformet in Deum modo ſpeciali; & quia aliæ creaturæ non imitantur illum niſi imperfectè, ipſe imitetur eum perfectè, & ſibi verò imprimat Divinitatis charactêres.

n S. Dion. l. de Cœl. Hier. c.1. & 4.
Deus, ait S. Dionyſius n, habet voluntatem ſalvandi & reddendi perfectas omnes creaturas præditas ratione & intellectu: atqui ſalus hæc & iſta perfectio fieri non poteſt quin creaturæ deificentur, hæc autem deificatio conſiſtit in ſimilitudine & in unione cum Deo, *Luminis quod Patris inſtinctu ac nutu effunditur, progreſſus omnis, ad nos conceſſu ac munere Dei perveniens, rurſum nos ut vis conjungens excitando dilatat, atque ad colligentis ſpiritus, ut ita dicam, unitatem, divinamque ſimplicitatem convertit.* Et oſtendens quomodo Angeli perfectiſſimi ſunt omnium creaturarum, quippe qui magis Dei gratiis communicant hâc ratione, quia iſtæ cœleſtes intelligentiæ immunes à materiâ, magis ei aſſimilantur deinde dicit: *Sancti cœleſtium illarum naturarum ordines majoribus ac*

plu-

pluribus Divinitatis muneribus ac beneficiis, *quàm ea naturæ*, *quæ tantùm ſunt in eorum naturâ*, *quæ rationis expertes ſunt*, *& quæ apud nos ratione utuntur*, *ancti veratique ſunt. Nam quoniam & mente ſe ad Dei imitationem exprimunt atque effingunt*, *& admirabiliter Divinitatis ſimilitudinem intuentur*, *& mentis ſuæ ſpeciem ad eam formare cupiunt*: *meritò majore cum eâ ſocietate junguntur dum vicina ſunt*, *& ſemper quantùm fas eſt*, *ad majora & meliora in divinis ſtabilique amoris contentione nituntur*, *& illuſtrationes quæ à principio proficiſcuntur*, *ſine materiâ ullaque concretione recipiunt*, *ad eaſque ſe accommodant*, *& vitam omnem mentis propriam habent.* Ex qua doctrina ſancti Dionyſii videtis, quòd perfectio & felicitas creaturæ conſiſtit in ſimilitudine cum Deo. Ratio autem clara eſt, quia ſicut Deus ſum-
o Matth. 5.48 mè *perfectus eſt* o, & ipſamet perfectio, & vult educere felicitatem & gloriam è ſinu ſuo, non eſt poſſibile ut quis aſſimiletur ei, quin ſtatim perfectus evadat, & communicet felicitati ipſius, ſicut nemo poteſt eſſe ſimilis albedini, aut nigredini, quin ſit albus, aut niger. Quòd ſi iſtud verum eſt de omnibus creaturis, multò verius eſt de homine, *Ad ima-*
p Gen. 9. 6 *ginem quippe Dei factus eſt homo* p. Perfectio autem imaginis non conſiſtit in proportionibus benè obſervatis, nec in aliqua alia re quæ picturam ipſius intueatur, ſed in repræſentando ſincerè prototypo ſuo; & ſic imago hominis ſita erit in exprimendâ in ſe ſimilitudine cum Deo ſuo, præcipuè verò cum Domino noſtro Jeſu Chriſto, *qui* prætetquàm quòd Deus eſt,
q Coloſſ. 1.15 etiam *eſt imago Dei inviſibilis* q. Ad cujus ideam idem *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, *& fa-*
r Gen. 2.7 *ctus eſt homo in animam viventem* r. Et qui *poſt hæc in terris viſus eſt*, *& cum hominibus converſatus*
ſ Baruch 3.38 *eſt* ſ. Ut homini demonſtraret ſenſibiliter, quonammodo Deus operaretur, ut ipſum homo ipſe imitaretur ut perfecta Divinitatis ipſius imago, & ſic felicitatem & gloriam ſuam conſequeretur. Hoc ſenſu ſunt intelligenda hæc verba Dei dicentis, *Faciamus hominem ad ima-*
t Gen. 1. 26 *ginem & ſimilitudinem noſtram* t. Non enim Deus intendebat ut ipſi foremus ſimiles in eſſentia: hoc enim eſt impoſſibile: ſed tantùm ut conaremur aſſimilari ipſi in actionibus ipſius, imaginem bonitatis ipſius pingentes in nobis verâ ſanctitate, & operationibus. Propter hunc eminentem effectum *Verbum caro factum eſt* u.
u Jo.1. 14 Sicut enim homines hoc juſto non perſtringebantur obſequio, potiùſque contrarium peragebant, ſinentes ſe vitiis abripi, & vitam ducentes animalem, propterea Deus noſtram naturam aſſumpſit, ut omnibus hoc modo ſe præberet prototypon perfectionis, & deinceps præ ſe videns homo quòd haberet exemplar imitandum, foret inexcuſabilis. Ideò nobis ipſemet ait: *Exemplum enim dedi vobis, ut*
x Joan. 13.15 *quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis* x. *Id eſt, non verbo duntaxat, ſed opere docuis vos quid agatis. Nam in moralibus plus movent facta quàm verba. Unde in Actis dicitur, Cœpit Ieſus facere &*
y Act. 1.1. *docere* y, ſubdit Dionyſius Carthuſianus z,
z Dion. Carthuſ. 3. in Jo. 13.15 Quaſi diceret nobis ſingulis Dei Filius, Homo tuam prætexebas excuſationem ratione iſtâ, quòd tuas reddere non poſſes imitationes *inviſi-*
a 1. Tim. 1.17 *bili Deo* a. *Expreſſi exivi à Patre, & veni in mun-*
b Jo. 16.28 *dum* b, ut melior exhiberem intuendum, unié-

do me carni tuæ, & ſic meo te conformares e-
c Jo. 14.6 xemplo. *Ego ſum Via, & Veritas & vita* c. Quaſi
d Dion. Carth. art. 3. in Jo. 14.6 diceret, ut ait idem Dionyſius Carthuſianus d, *Ego ſecundùm quod homo*, *Dei & hominum Media-*
e ex 1. Timoth. 2.5 *tor* e, *Advocatus* f, *& Pontifex* g *hominum*, *& Dei*
f ex 1. Jo. 2.1 *placator* h. *Sum Via quâ itur ad Patrem ſpiritualis ac-*
g ex Hebr. 7.26 *ceſſu, amando, contemplando & obediendo. Veritas &*
h ex Coloſſ. 1.20 *Vita ſecundùm naturam divinam. Ego enim & Pater*
i ex Joan. 10.30 *ſumus i unâ, æterna, infinita, exemplarique Veritas, quæ eſt divina Eſſentia, omnis veritatis creatæ origo, fontana menſura, finis, & cauſa: ſumus quoque una Vita ſuperſubſtantialis, ſuperplena, incomprehenſibilis, & perfecta. Ex quo ultrà elicitur, quòd Chriſtus ſit terminus noſtra tendentia, utpote finis noſter, & vera felicitas, imò quemadmodum ivit ad Patrem ſecundùm naturam aſſumptam, à quo miſſus fuit: ſic ivit ad ſeipſum, ſecundùm quod Deus eſt, quoniam & à ſeipſo ut Deus miſſus eſt. Ivit namque ad Patrem quaſi ſeſſurus ad dexteram ejus, id eſt, in potioribus bonis Patris. Illa autem ſunt etiam bona Filii ſecundùm ejus Divinitatem, quemadmodum infrà teſtatur, Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt* k. *Itaque Chriſtus eſt Via*
k Jo. 16.15 *quâ imus, Veritas in qua ambulamus, Vita ad quam pertingimus. Via eſt, in quantùm nos Deo reconciliat; Veritas, in quantùm nos ſua viſione felicitat; Vita, in quantùm nos ſua fruitione perfundit. Deinde, Oſtendit, quòd ſit Via, Nemo venit ad Patrem, in præſenti per gratiam, nec in futuro per gloriam niſi per me, id eſt, me Salvatorem mundi credendo & imitando: imò nunquam aliquis adultus eſt ſalvatus, niſi habendo fidem ſaltem implicitam de Chriſto. Unde ſuperiùs dixit ſe oſtium ovium & Paſtorem* l. *Ipſe ergo Chriſtus eſt*
l ex Jo. 10. 9. & 11 *Dux noſter, ipſe porta, via, & janua, ipſe medius inter Patrem & nos, per cujus incarnationem deificamur, per cujus paſſionem & mortem vivificamur, cujus merito virtute & gratiâ Deo Patri conjungimur.*

Non ſolùm autem Dei Filius dicit nobis ut ipſum imitemur, ſed etiam Pater ejus iſtud nobis præcipit, *dicens*: *Hic eſt Filius meus dile-*
m Matth. 17.5. &c. *ctus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* m: poſtquam idem *Ieſus transfiguratus eſt*, *& reſplenduit facies ejus ſicut Sol*, *veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Quaſi diceret homini, Viſne, ô homo, communicare gloriæ Filii mei, & eſſe ſicut ille objectum amoris mei? Vitam tuam conforma vitæ ejus, *Inſpice*, *& fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt* n. *Hæc eſt via*, *ambulate in ea*: *& non de-*
n Exod. 25.40 *clinetis neque ad dexteram*, *neque ad ſiniſtram* o.
o Iſai. 30.21 Hoc autem ita verum eſt, ut impoſſibile ſit ut quis ſibi conciliare poſſit unquam paradiſum, niſi conformetur ad prototypon gloriæ, quod eſt Jeſus Chriſtus. *Nam quos præſcivit*: *& prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*, *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit* p.
p Rom. 8. 29. & 30 Propter hanc rationem Filium ſuum Pater æternus vocat ſigillum, quo obſignat eos qui ſunt ſui, *In die illa aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſervum meum, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum* q. In quo loquitur de
q Agg. 2.24 Jeſu Chriſto, qui eſt ſigillum, quo obſignat Electos ſuos, *In quo & credentes ſignati eſtis*, ait ſanctus
r Ephes. 1.13 Paulus r. Sic interpretatur ſanctus Hieronymus
ſ S. Hier. in Agg. 2.24 ſ præfatum Prophetæ locum, *Aſſumam te Zorobabel, filium Salathiel, ſervum meum. Servus autem dicitur propter corpus humanū: quia tunc & ipſe filius ſubjicietur ei qui ſubjecit ſibi omnia, & in ſubjectis omnibus videbitur & ipſe ſubjectus. Sed cùm hoc fuerit impletū,*

t ex Joan. 6.27 *ponet illum Deus quaſi ſignaculum in manu ſua. Hunc*
enim ſignavit Deus Pater t: *& hic eſt imago Dei in-*
u ex Coloſſ. 1.15 *viſibilis* u, *forma ſubſtantiæ ejus* x, *ut quicunque*
x ex Hebr. 1.3 *crediderit in Deum, hoc quaſi annulo conſignetur.* Et
ſecundùm quòd iſtud ſigillum meliùs erit appli-
citum, & charactêres virtutum Domini noſtri
nitidiùs in manibus noſtris fuerint impreſſi, eò al-
tiùs etiam extollemur in gloriam, cùm noſtræ
prædeſtinationis fundamentum in hac ſimilitu-
dine conſiſtat. Ipſum, ut *librum ſcriptum intùs &*
foris, ſignatum ſigillis ſeptem, repræſentat nobis ſan-
y Apoc. 5.1 ctus Joannes y, juxta expoſitionem Incogniti z
z Incognitus in Pſ. 138.16 ſuper hæc verba Pſalmiſtæ. *Et in libro tuo omnes*
ſcribentur. Ubi notandum, quòd liber Dei dicitur Chri-
ſtus. In libro enim ſcribuntur, quæ agenda, & quæ vi-
tanda: quid imitandum, quid fugiendum. Sic Chriſtus
dicitur liber, quia in ipſo habemus doctrinam omnium
agendorum, & fugiendorum. Hic boni ſcribuntur, dum
quæ agenda ſunt, in Chriſto contemplantur: hic mali
ſcribuntur, dum peccata fugienda, per Chriſtum oſten-
duntur. Et hoc eſt, quod ait: In libro tuo omnes ſcriben-
tur. Ut Chriſtus dicat: In me libro tuo omnes docentur,
a ex Joel. 2.23 *quem mihi dediſti omnibus formam juſtitiæ* a. *Et in iſto*
libro dies formabuntur. Hi enim dies ſignificant præ-
deſtinationem, qui etſi aliquando cadant, per iſtum li-
brum formantur, & ad ſtatum gratiæ reparantur. Præ
noſtræ mentis oculis igitur ponit ſanctus Joannes
hunc *librum ſcriptum intùs & foris*, ad innuendas
perfectiones, quas habet Dei Filius, & quantùm
ad Divinitatem ſuam, & quantùm ad humanita-
tem ſuam; quem Prædeſtinati legunt jugiter, ut
edoceantur lectiones virtutum, quas nobis dere-
liquit ut objectum imitationis. Felix autem ille
qui præ ſuis habet oculis & manibus hunc librũ,
ita ut nunquam deſerat exercitium ſic utile, &
praxim ſic perutilem, cùm perducere nos debeat
ad gloriam. Sed qui ſunt illi qui ſtudent in iſto
libro? Pro uno numerabimus mille alios, qui
contrarium peragunt. Studemus quidem, ſed ad
quid ſtudium noſtrum convertimus? Ille quomo-
do induſtrius erit ad decipiendum ſocium ſuum.
Intuemini hunc adoleſcentem qui ſtudet quo-
modo famam poterit eripere huic puellæ. Tan-
dem, Unuſquiſque ſtudet in libro maximarum
mundi ad reddendum ſe vitioſum, & ad incur-
rendam jacturam ſuam; & pauci, aut nulli inve-
niuntur qui ſtudeant in libro Verbi incarnati, *qui*
b Apoc. 20.12 *eſt liber vitæ* b & ſalutis, ut edoceantur formare
vitam ſanctam juxta ideam vitæ Jeſu Chriſti, ad
hoc ut ſint è numero Prædeſtinatorum: & tamen
nihil habemus quod nobis ſit æquè neceſſarium
ac iſtud ſanctum ſtudium, cùm inde pendeat no-
ſtra felicitas, *Si compatimur, ut & conglorifice-*
c Rom. 8.17 *mur* c. Si autem prædicta duo hæc motiva non
ſufficiant ad inducendos vos ad imitationem
Jeſu Chriſti, audite tertium, cum quo diſcurſum
hunc abſolvo.

III. Pars. Huic tertio motivo nemo eſt qui refragari
poſſit: debetis enim alterum è duobus iſtis pera-
gere, aut renunciare profeſſioni veſtræ, aut imi-
tari Jeſum Chriſtum. Ut autem convincam vos
proprio judicio veſtro, peto à vobis, Quænam
eſt profeſſio veſtra? Non me latet reſponſuros
vos mihi, quòd profeſſio veſtra ſit Chriſtianiſ-
mus; & nomen quod vos diſtinguit à populis qui
non credunt in Jeſum Chriſtum, eſſe nomen
Chriſtiani, nomen ſic honorabile ut Monarchæ
noſtri ſumpſerint pro titulo honoris nomen
Chriſtianiſſimi. Quid eſt autem verus Chriſtia-
nus? Hoc nomen Chriſtiani venit à Chriſto, &
ſignificat eum qui *renatus ex aqua & Spiritu ſan-* d Joa. 3.5
cto d, credit in Jeſum Chriſtum, & profitetur ſe-
qui doctrinam veram Jeſu Chriſti. Sed fortaſſe
eritis contenti ſolo nomine Chriſtiani, nedum
illius habeatis effectus? Eſtne aliquid miſerius?
Ego autem credo, quòd, ſi bene conſideraremus
id quod ſumus, & profeſſionem quam agimus
omnes in Eccleſiâ, certatim contenderemus i-
mitari Jeſum Chriſtum, *Quicunque in Chriſto ba-*
ptizati eſtis, Chriſtum induiſtis e. Quaſi diceret no- e Galat. 3.27
bis S. Paulus, quòd ſuſcipientes Baptiſma, anti-
quo Adamo nos exuentes, & induentes nos no-
vo qui eſt Jeſus Chriſtus, abrenunciantes vani-
tatibus & pompis mundi, obſtrinximus nos ad
conformandos nos Jeſu Chriſto, ad imitanda o-
pera ejus, & ad vivendum ſpiritu ejus, & ad ad-
hærendum exemplis virtutum quæ nobis dere-
liquit. *Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum,* f Coloſſ. 2.6
in ipſo ambulate, ait nobis idem S. Paulus f. Sed
quomodo? Ipſe docet hoc conſequenter, *Nunc*
autem deponite & vos iram, indignationem, malitiam,
blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro: expo-
liantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & in-
duentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, ſe-
cundùm imaginem ejus qui creavit illum g. Et ali- g Coloſſ. 3.8. &c
bi h, *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino: ut jam* h Epheſ. 4.17. &c
non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate
ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum,
alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, pro-
pter cæcitatem cordis ipſorum: qui deſperantes ſemeti-
pſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immun-
ditiæ omnis in avaritiam. Vos autem non ita didiciſtis
Chriſtum: ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis,
(ſicut eſt veritas in Ieſu.) Quid igitur agere debet
Chriſtianus ut mereatur hunc titulum honora-
bilem? Cogitare debet intra ſe num omnes cogi-
tationes ſuæ, omnes loquelæ ſuæ, & cunctæ actio-
nes ſuæ ſint ſimiles cogitationibus, loquelis, &
actionibus Jeſu Chriſti, vel ab illis diſcrepent;
debet ſuas conformare illis Jeſu Chriſti, alio-
quin indignus eſt glorioſo nomine quod defert.

Conformiter ad hoc Cornelius i ſuper hæc i Cornel. in Deut. 34.5
verba Deuteronomii, *Moyſes ſervus Domini*, ait. *Hoc*
eſt elogium, & quaſi titulus ſepulchralis Moſis, qui re-
liqua omnes complectitur. Magna dignitas eſt, eſſe ſer-
vum Domini dominantium *. Et aliquantò pòſt * ex 1. Timoth. 6.15. & ex Apoc. 19.16
ſubdit, *Dixit Alexander Magnus ad Ducem militum,*
qui & Alexander vocabatur: Aut digna nomine tuo,
digna Alexandro age. Et concludit, *Et nos digna*
tanto nomine, digna ſervo Dei geramus. Memores i-
gitur nominis Chriſtiani, æquè ac Prototypi no-
ſtri, imitemur Eleazarum: *Eleazarus unus de pri-*
moribus Scribarum, vir ætate provectus, & vultu de-
corus, aperto ore hians compellebatur carnem porci-
nam manducare. At ille glorioſiſſimam mortem magis
quàm odibilem vitam complectens, voluntarie præibat
ad ſupplicium. Intuens autẽ quemadmodum oporteret
accedere, patienter ſuſtinens, deſtinavit non admittere
illicita propter vitæ amorẽ k. Eligamus potiùs mil- k 2. Machab. 6.18. &c
lies interitum oppetere quàm prodere noſtram
profeſſionem quæ ſic glorioſa & ſancta eſt ut vel
minima damnet crimina, *Quoniã omne verbum o-*
tioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationẽ de
eo in die judicij l. Quænam deriſio, deferre nomen l Matth. 12.36
Salvatoris pauperis, & ideò dicẽtis, *Vulpes foveas*
habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis
non habet ubi caput ſuum reclinet m; & ardere a- m Matth. 8.20
varitia inſatiabili: Salvatoris humilis, &
docentis humilitatem terminis iſtis, *Diſci-*
te à me, quia ſum humilis corde n: & linere n Matth. 11.29

le

o 1.Cor. 2.2 ſe abripi vanitate & ambitione inordinatâ : *Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum* o agnoſcere;& velle vivere medias inter voluptates & deli- p Matth. 11.29 cias ſenſuum : Redemptoris, qui *mitis* p eſt, ſe profiteri ſectatorem, & deferre ſub nomine dulcedinis , animam vindictis ſcatentem adversùs inimicos , nedum attendatur quomodo mitiſſimus iſte *Jeſus* cruci ſuffixus, pro perſecutoribus ſuis ſic Patrem exorabat, *Pater dimitte illis : non enim ſciunt quid faciunt* q. q Luc. 23. 34 Ne autem nobis iſtud improperetur unquam, præ noſtræ mentis oculis habeamus jugiter hoc divinum Exemplar; transformemus nos in ipſum amore, quæramos in hac transformatione felicitatem & gloriam noſtram , & memores quòd ſumus Chriſtiani, adhæreamus Jeſu Chriſto imitatione , cùm ipſe dicat. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur : & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit* r. r Jo.12.26 *Quid eſt , me ſequatur, niſi me imitetur?* ait S. Auguſtinus ſ. ſ S.Aug. tract.51. in Jo.12. 26 Nam ut dicit S. Cyprianus t. *Philoſophi non verbis , ſed factis ſumus, qui non loquimur magna , ſed vivimus quaſi ſervi & cultores Dei.* t S.Cypr. l. de Bono Patient. n. 7.& 8 Noſtris debemus operibus probare nos eſſe veros Chriſtianos , non autem ſolo nomine : non requirit Deus à nobis ut multùm loquamur, ſed ut plurimum faciamus ad hoc ut felicitatem aſſequamur : *Sic enim Deus dilexit mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat , ſed habeat vitam æternam.*

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Act. 2. 4.

TEmpore Darii Regis, *tres juvenes corporis cuſtodes qui cuſtodiebant corpus Regis, dixerunt alter alteri, Dicamus unuſquiſque, noſtrum ſermonem qui præcellat. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignaverunt. Unus ſcripſit, Forte eſt vinum. Alius ſcripſit, Fortior eſt Rex. Tertius ſcripſit , Fortiores ſunt* a 3.Eſdr. 3.4.&c *mulieres : ſuper omnia autem vincit veritas* a. Si ego opinatus eſſem in iſta concione , tuliſſem ſententiam meam in favorem amoris, qui victo- b Exod. 10.5 riam refert de Deo, qui eſt ſummè *fortis* b, cùm c S. Bern. ſerm.64. in Cant. dicat ſanctus Bernardus c, *Quid violentius? Triumphat de Deo amor.* Hoc amore ductus Dei Filius d Jo.16.28 exivit *à Patre, & in mundum* d venit ; hoc allectus amore iſte *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Pa-* e Jo. 1. 18 *tris* e, *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo , ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* f. f Philipp. 2.6 & 7 Quid fortius hoc Amore divino , qui ipſum inducit ad amandos homines, ut diligatur ab eis, cùm amor ipſius ſit cauſa amoris illorum, cùm ipſum diligentes, nihil ampliùs agant , quàm ipſi reddere id quod ſuum eſt? *O ſuavitatem! ô gratiam! ô amoris vim! Itane ſummus omnium unus factus eſt omnium ? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique , Semetipſum exinanivit. Ut ſcias, amoris fuiſſe , quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt,* ait ibidem idem ſanctus Bernardus. Si Beata Virgo fuit amantiſſima omnium creaturarum, ſicut ipſamet ait , *Ego Mater pulchræ dile-* g Eccli. 24 24 *ctionis* g, ideò quia fuit à Deo dilecta præ omnibus creaturis: quippe, dicit ſanctus Epiphani- h S.Epiph. ſerm.de Laud. Deip. ex Pſ. 186 us h, *quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa enim eſt Sponſa & thalamus, & extra Sponſum procedit in Chriſtum. Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & Mater.* Hoc autem factum eſt, cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* k *Maria.* k Luc. 1. 28 &c

Dixi quòd amor eſſet res omnium fortiſſima, & Platonici aſſerunt , quòd ipſe nihil derelinquit, quod non experiatur , ut ex eo faciat ſubjectum triumphi ſui ; habet ipſe vim aggrediendi omnia; imò verò probat res novas, quarum ſe facit authorem. Illi Philoſophi loquuntur de amore humano, qui minus agit quàm ut aggrediatur , & cujus vires ſunt ſemper inferiores ipſius generoſitate, cùm è contrà Amor divinus perducat ad exitum conſilia ſua : amor humanus non eſt niſi affectus cordialis, qui ſæpè ſæpiùs eſt ſine manibus & abſque operibus ; ſed Amor divinus eſt potiùs effectio quàm affectio, cùm in ipſo amare ſit facere , *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* l. l Jo.5.17 E contrà homines amando deſiderant bonum quod facere non poſſunt. Solum velle Dei eſt facere , ſicut nunquam diligat, quin beneficiis ſuis ſibi perſonam devinciat amatam, licèt inde nullam ipſe percipiat utilitatem; quod eſt alia differentia amoris ipſius ab amore noſtro, cùm amor noſter non ſit communiter niſi amor concupiſcentiæ , potiùs quàm amicitiæ, cùm diligamus bonum quod deſideramus , & cujus fruitio perfectiores nos reddit: Sed Deus diligens extra ſe , non diligit præ indigentiâ , cùm omnia poſſideat , ſicut fatetur Pſalmiſta m, *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* m Pſ.15.2 Sed diligit amore amicitiæ, quem aliis impendit, benefaciendo eis, nedum ſibi benefaciat , cùm id omne quod facere poteſt ipſe extra ſe , ſit ſemper futurum perfectius in ipſo , quàm illud eſſe poſſit in ſe ipſo ; ſicut argentum quod eſt perfectius in auro, in quo continetur per valorem, quàm in ſe ipſo: ita ut Deus hominem diligens , non invenerit in illo priùs ullum motivum aut meritum amoris ſui, cùm faciendo illum talem qualis eſt , ſit ipſo hic poſterior , ſicut via & motus præcedunt terminum & quietem quò tendunt: è contrà amor hominis, poſterior eſt re amatâ , propterea S. Paulus n loquitur de hominibus ut de *dilectis* n Rom.1.7 *Dei. Id eſt, à Deo æternaliter præamatis: ipſe enim prior dilexit nos* o, o ex 1. Joa. 4.10 ſubdit Dionyſius Carthuſianus p. p Dion. Carth.art. 1.in Rom. 1.7 Quia non tantùm dilexerunt Deum , quantùm Deus ipſos dilexit, tribuendo eis amorem quo ipſum diligunt: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo ; nulla verò facit homo, quæ non faciat Deus, ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet : ſi autem bonum eſt, non niſi ab illo nobis eſt, qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt. Quid eſt enim boni*

Digitized by Google

z 1.Jo.4.7 *cupiditas, niſi charitas de qua Ioannes Apoſtolus q ſine ambiguitate loquitur, dicens? Charitas ex Deo eſt. Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo; ſed ſi charitas ex Deo, tota nobis ex Deo eſt*, ait S. Augustinus r. r S. Aug. l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 9 Deus igitur multùm nos devincit ſibi, diligendo nos: & quis ambigit de iſtâ veritate. Sed, quod excellentius eſt, ipſe non exigit a nobis pro totâ gratiarum actione niſi ut amorem ipſius reciproco amore compenſemus, ad hoc ut, cùm amor ipſius ſit principium amoris noſtri, noſter amor poſſit eſſe conſervator amoris ipſius, & veluti cauſa, diligendo nos, quia ipſum diligimus. Propoſitio Attendite ſi placet, dum incipio vobis explicare propoſitionem meam.

Magnum bonum eſt amare Deum, & iſta veritas ſic eſt ſenſibilis ut nullum habuerit unquam adverſarium: ſed etiam majus bonum eſt amari à Deo. Propterea Martha & Magdalena monentes Dei Filium infirmitatis fratris ſui Lazari, nõ obſecrant eum per amorem quo diligebat ipſum Lazarus, ſed per amorem quo diligebat ipſe Lazarum, ei dicentes, *Domine, ecce quem amas infirmatur* ſ. ſ Jo. 11. 3 Ipſæ non ignorabant quòd amor Salvatoris eſſet excellentior amore Lazari, quia cùm ſit divinus, *non habet finem* t, t Baruch 3. 25 quandiu noſter amor, qui eſt humanus, eſt infirmitatibus arctatus æquè ac limitibus. Amor Dei eſt certus, amor verò noſter eſt incertus; amor Dei ſemper eſt infallibilis, amor autem noſter jugiter diffidentiâ ſcatet: amor Dei nobis bonus eſt & prorſus neceſſarius, amor verò noſter ſine illo res eſt exigua: tandem amor Dei eſt principium & cauſa amoris noſtri, ita ut non tam diligamus Deum, quàm reddamus ei amorem, quem ipſe produxit in nobis; quia cùm ſit bonum in nobis, non poteſt eſſe niſi donum Dei productum ab excellentia amoris, quo ipſe diligit nos; ita ut amor Dei ſit purus ab omni miſtione, abſolutus ab omni dependentiâ, & cauſa efficiens & exemplaris totius illius quod producere poſſumus amoris erga ipſum, nihil agentes boni, quod non procedat ex hoc amore infinito, qui eſt Deus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, u Jacob. 1. 17 ait ſanctus Jacobus u. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus x, x Dion. Carth. art. 8. in Jacob. 1. 17 *Certum eſt apud Philoſophos, omne quod citra Deum eſt, à Deo fluxiſſe, mediatè vel immediatè, Ariſtotele proteſtante, Ab hoc autem omnibus communicatum eſt eſſe & vivere. Atque Authore libri de Cauſis, Omnis cauſa primaria plus influit quàm quacunque cauſa ſecunda. Veruntamen aliter dicunt ſancti Theologi, virtutes & actiones meritorias eſſe à Deo quàm Philoſophi. Quia Philoſophi dixerunt, hominem naturali poteſtate & propriâ ratione poſſe virtutes acquirere, & felicitatem mereri. Quod quamvis verum ſit aliquo modo de virtutibus naturalibus, politicis, in beatitudine naturali, Theologi tamen affirmant hominem (quia ad ſupernaturalem beatitudinem eſt creatus) indigere gratiâ gratum faciente, virtutibusque ſupernaturalibus ac Theologicis: & inſuper actuali motione Spiritus ſancti in omni meritorio actu, ut ſic media correſpondeant fini. Quamvis itaque per datum optimum, poſſunt intelligi naturalia dona ſuprema in intellectualibus creaturis, ut ſunt memoria, intellectus, voluntas, in quibus ſupergloriosiſſimæ Trinitatis imago relucet in homine: per donum verò perfectum, dona ſupernaturalia, gratuita & infuſa, ac meritoria opera, quæ omnia immediate deſcendunt, cauſantur, dependent à Deo: poſſunt tamen per datum optimum intelligi dona ſupernaturalia & infuſa gratiæ gratis data, Bonis & malis communia: ut ſunt gratia prophetiæ, genera linguarum, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, &c. de quibus Corinthiis x ſcribit Apoſtolus.* xex 1. Cor. 12. 10 &c *Per dona verò perfecta, dona gratiæ gratum facientis y, virtutes infuſa, dona & fructus ſpiritus z, ac beatitudinis via.* y ex Joan. 15. 5 z ex Gal. 5. 22. & 23 Non eſt igitur exigua obligatio quâ devincti ſumus Deo pro eo quod dignatus ſit honorare nos amore ſuo: Deus autem qui cognoſcit illius valorem, tanti illum æſtimat ut non putet unquam ipſi ſatisfieri, donec videat in homine amorem reciprocum, qui veniat velut obvius amori divino qui ipſum facit, ipſumque conſervat, nedum amor hic humanus infirmetur, aut minuatur erga ipſum, cùm ipſe nihil aliud exigat ab homine quàm hunc reditum reciprocum, *Prabe, fili mi, cor tuum mihi* a. a Prov. 23. 26 Donum quod eſt ipſi ſic gratum, ut ipſe paratus ſit roborare amorem ſuum eo ipſo quo amor quo creatura ſua ipſum proſequitur, progreditur, ita ut progreſſus unius ſit incrementum alterius. Ipſe de hac re nos certos reddit per hæc verba, *Dilectus meus mihi, & ego illi* b. b Cant. 2. 16 *Ego diligentes me diligo* c. c Prov. 8. 17 Et licèt amor ipſius debuerit neceſſariò prævenire noſtrum, *Quoniam ipſe prior dilexit nos*, ait ſanctus Joannes d: d 1. Joan. 4. 10 Et ſanctus Auguſtinus e: e S. Aug. l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 9. *Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum: quoniam miſericordia ejus præveniet me* f: f ex Pſ. 58. 11 *& ipſe eſt cui fideliter veraciterque cantatur: Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* g: g Pſ. 20. 4 *& quid hic aptius intelligitur, quàm ipſa cupiditas boni? Tunc enim bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cœperit: Ergo benedictio dulcedinis, eſt gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis; in quâ ſi nos non prævenit Deus, non ſolùm non perficitur; ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſine illo nihil poſſumus facere* †. † ex Jos. 15. 5 *profectò nec incipere, nec perficere; quia ut incipiamus, dictum eſt: Miſericordia ejus præveniet me; ut perficiamus, dictum eſt, Miſericordia ejus ſubſequetur me* h: h Pſ. 22. 6 quàmvis igitur, inquam, amor ipſius prævenire debuerit amorem noſtrum, non ſecus ac cauſa præcedere debet effectum ſuum, tamen poſtquàm nobis tribuit eſſe, & eundem amorem divinum quo ipſum diligimus, hunc diligit in nobis, tribuendo eum nobis: & poſtquàm illum nobis præbuit, in eo ipſe ſibi complacet tanquam in bono & pulchro, eumque cumulat novis beneficiis, prærogativis, & gratiis, & veluti amore novo quo ipſe nos diligit intuitu amoris quo nos afficimur erga divinam ipſius Majeſtatem, licèt omnes iſti effectus amorum non veniant niſi ab eodem amore divino & infinito, qui in Deo eſt prorſus *unus* i, i Deut. 6. 4 indiviſibilis & æternus k; k Dan. 13. 42 ſed cùm exit extra ſe per diverſitatem creaturarum ſuarum, & dependentiarum quæ ſunt aliarum ab aliis, tunc concipimus veluti diverſitatem amorum in Deo, quorum unus præcedit amorem, quo creatura diligit Deum, alter verò veluti ſequitur, & hoc ratione amoris creaturæ erga Deum ſuum, qui ordo amorum divinorum nullam aliam habet realitatem in diſtinctione ſua, quàm effectuũ differentium, & in Deo non eſt niſi in eo quod infirma noſtra mens illi tribuit, ut intelligat, quantùm poterit, excellentiam amoris qui eſt in Deo, qui in ſe, aut in eminentia ſua continet perfectionem omnium aliorum ſanctorum & rationabilium amorum. Illud autem quod Spiritus ſanctus ait in Canticis l, l Cant. 8. 6 *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum,*

tuum, videtur iſtam nobis demonſtrare veritatem. Poteratne quippe nobis meliùs intelligendas præbere generationes iſtas amoris Divini & amoris humani in eodem corde, quam ad hunc effectum inſumendo naturam ſigilli, & imaginem, quæ in eo eſt, impreſſam ſubjecto quod capax illius eſt? Sigillum habet primò ſculptam in ſe imaginem quæ debet imprimi. Secundò, Debet eſſe præſens, & ſine ullo intermedio quod impediat hanc præſentiam perfectam. Tertiò, Producere debet in eo ſubjecto, cui applicatur, hanc imaginem, quam habet primò in ſe, & cui hæc imago nova perfectè debet aſſimilari. Spiritus ſanctus, qui non eſt
m Joan. 15 26. niſi Amor Patris & Filii *m*, eſt eſſentialiter & perſonaliter amor infinitus: intimè præſens eſt cordibus noſtris quantùm ad ſubſtantiam ſuam; ſed prout cauſa & ſigillum applicatum, non eſt in illis, niſi quando eis imprimitur, producendo in animabus noſtris imaginem amoris ſui cum omni perfecta repræſentatione poſſibili, cùm nihil efficere poſſit ut magis appropinquemus ad perfectionem Dei quàm charitas, *Super omnia autem hac charitatem habete, quod eſt vinculum*
n Coloſſ. 3 14. *perfectionis*, ait nobis S. Paulus *n*. Ita ut ſigillum triplicem habeat præſentiam ſubjecto, ſeu tabulæ raſæ, cui imprimitur. Prima, eſt cùm ei ſic eſt proximum ut inter utrumque nullum ſit medium, vacuum, aut ſolidum. Secunda, cùm imprimit & communicat imaginem illius quod habet ſculptum in ſe. Tertiò, Præſens eſt ei per eandem imaginem ſculptam, quæ cauſat præſentiá objecti ſui, quod repræſentat, quæ non eſt phyſica & realis, ſicut aliæ duæ, ſed eſt moralis, in eo quòd videndo eam, judicatur quòd ſigillum, aut figura quam habet ſculptam, ibi eſt per jus repræſentationis, quod eſt eſſe præſens per procuratorem. Sed præter iſtud eſt etiá quædam generatio phyſica relationum ſimilitudinis mutuæ, per quam verum eſt quòd res figurata ſimilis eſt effigiei ſigilli, & quòd effigies ſigilli ſimilis eſt imagini quam figuravit; ita ut ſi ſigillum producit, & imaginem, & relationem ſimilitudinis in ſubjecto cui applicatur & imprimitur, ſanè mutuâ vice productionis, imago impreſſa non producat quidem effigiem in ſigillo, ſed producat in eo ſimilitudinem ſuam, eo modo quo relationes poſſunt produci: antequàm enim ſigillum produxiſſet imaginem ſuam, ſanè nulla erat inter utrumque ſimilitudo, cùm imago non eſſet adhuc, & ſtatim ac per impreſſionem ſigilli ipſa apparuit, ecce per ſequelam neceſſariam hæc ſimilitudo mutua palàm patuit: ita ut, ſi verum ſit quòd ſigillum producens imaginem ſuam, in ea conſequenter produxit ſimilitudinem ſuam, non ſit futurum minùs verum quòd imago exiens ex interiori ſigilli, reliquit ibi ſimilitudinem ſuam quæ eſt quædam ſpecies productionis gradus alicujus inferioris, cujuslibet dicatur: atqui ex omni iſto ego eruo, quòd Spiritus ſanctus, ſeu amor Dei ſumens qualitatem ſigilli quantùm ad amorem quem cordibus noſtris imprimit, in eis ponit & amorem, & veram imaginem ſuipſius, & inſuper ſimilitudinem amoris ſui: ſimili modo reditu veluti neceſſario in ſequela ſua amor quem cauſat in cordibus noſtris, non cauſat aut producit ipſum: hoc enim eſt impoſſibile; ſed producit in amore Dei, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, relationes imaginarias & ſimilitudinis, & præſentiæ; ita ut, ſi amor Dei producat amorem ſibi ſimilem in nobis quantùm ad ſubſtantiam ſuam, & quantùm ad ſimilitudinem ſuam, hic idem amor minùs potens Amore increato, producturus ſit, juxta noſtram intelligendi rationem, in amore Dei infinito, indiviſibili, & æterno, ſui amoris ſimilitudinem amori noſtro: & iſtud eſt quod requirit, cùm ait, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Licèt enim Spiritus ſanctus ponat amorem ſuum in cordibus noſtris, tamen per iſtud verbum, *Pone*, intelligit ut ponamus illum cum ipſo, & per noſtras diſpoſitiones, & per liberum noſtrum conſenſum, qui cauſans cum Deo hunc amorem in cordibus noſtris, efficit ut dicere poſſimus, quòd amor noſter aliquo modo cauſat amorem Divinum, quatenus voluntas creata producens actum amoris, & recipiens qualitatem amoris, ipſa producit, ſicut ſubjectum quod recipit, poteſt producere, & diſponendo ſe, & recipiendo hunc amorem: & ſic verum erit per illud, *Pone me*, quòd amor noſter ponit amorem in nobis, & quòd Amor, qui eſt Spiritus ſanctus, ponit etiam illum in nobis, cùm ipſe Spiritus ſanctus producat eum ut cauſa efficiens, phyſica, & modo eo nobiliori quò ipſe eſt ſupra id omne quod eſt, & poteſt eſſe, & ipſemet eſt cauſa amoris iſtius, quem invitat per illud, *Pone me*, &c. ut producat hunc amorem mutuo concurſu, volens amore, ſicut amor eſt nobilis & diffuſivus ſuipſius, & potentiæ ſuæ, ut, ſicut ipſe producit amorem, nos illum producamus cum ipſo, & ſicut ipſe producit illum in nobis, nos producamus etiam illum in ipſo in modum ſimilitudinis, ut diximus: ita ut Spiritus ſanctus dicens, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*; videatur velle recipere à nobis qualitatem ſigilli, cùm ſumat eſſe ſimilitudinis, ipſe qui habet ſuper nos eſſe amoris Patris & Filij. Et ut totum uno dicatur verbo, vult ipſe diligi, cùm diligat eùm nihil ſic ægrè ferat amans aliquis ac cùm videt amorem ſuum deſpici. Deus nos diligit, & prior nos amavit, & conſequenter à nobis vult amari. Hæc
eſt conſequentia, quam infert S. Joannes *o*. *Nos* o 1. Joan. 4
ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 19.
Et conformiter ad propoſitum noſtrum dicit p Dion.
Dionyſius Carthuſianus *p*, *Quòd amor Dei ad nos* Carth. art.
eſt cauſa omnis boni in nobis. Et ſtatim ſubdit, *Una* 6. in 1. Jo.
itaque ratio diligendi Deum eſt, quoniam ipſe primò 4. 19.
amavit nos. Quemadmodum enim arduum eſt odientem diligere: ſic præamantem non reamare, prorſus improbum, ingratiſſimumque conſiſtit. Eſt quoque perfacile eum diligere, à quo quis ſcit ſe diligi, & in amore eſſe præventum. Idcircò quantò hoc facilius adimpletur, tantò iniquiùs negligitur. Alia atque potiſſima ratio Deum amandi, eſt pura & infinita bonitas ejus. Tertia, eſt collatio beneficiorum ejus. Quarta, promiſſio ac præparatio futuræ felicitatis. Deus ergo vult à nobis diligi, cùm ipſe prior nos amaverit; ſed ſemper amor quo ipſe nos amavit, prævalebit adversùs eum quo ipſum amare poſſumus. Ha! iſtud non erit niſi perſolvere ei exiguam partem ſummæ, quam debemus ei, aut, ut dicetur meliùs, illi reddere veluti fœnora & proventus iſtius ſummæ, cùm ipſe ſic nos ſibi devinxerit amore ſuo, ut non ſit penes nos iſtud ſufficienter agnoſcere. Ipſe habuit jus primatus, à quo tribuitur ipſi qualitas amantis, & homini qualitas amati ſolùm, cùm homo dilectus fuerit à Deo, cùm adhuc erat in ideis ipſius æternis, ſicut ipſemet Deus ait, hominem alloquens, *In charitate*

q Jer.31.3 *perpetua dilexi te* q. Cùm ſit nobilius amare quā amari, *Amans amato eſt Divinior*, ait axioma Platonicum. Et qualitas amatrix æquè depreſſa ac materia eſt inferior formâ. Tandem, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum* r Jo. 3.16. *daret* r. Id eſt, Deus ita forti dilectione nos amavit, ut viſus fuerit deſerere ſemetipſum, ut fieret & eſſet id quod amabat, qui amor eſt excellentiſſimus illorum omnium qui fuerunt unquam, quippe *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ait S. ſ Philip.2.6.& 7. Paulus ſ. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus t, t Dion. Carth. art. 2. in Philip.2.6.&7 *Qui Christus cùm in forma Dei eſſet, id eſt, veram Deitatem haberet, ſeu unius cum Patre eſſentia eſſet, ſecundum quod ait, Ego & Pater unum ſumus* u, u Jo.10,30 *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, id eſt, ſentiendo ac aſſerendo, ſe eſſe æqualem Deo, non uſurpavit neque aſcripſit ſibi ipſi quod ſuum non erat, quia verè ſic fuit, ſicut arbitratus eſt. Ideò non commiſit rapinam vocando ſe verum Deum, quia nil à ſe alienum ſibi ipſi aſcripſit, quemadmodum Lucifer, dicens, Similis ero Altiſſimo* x, x Iſai. 14, 14. *ſonatum eſt facere rapinam. Christo igitur non rapina, ſed natura eſt eſſe Deo æqualem, coæternum, & conſubſtantialem. Propter quod ipſe ait, Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt* y. y Jo.16,15 *Et alibi, Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt* z. z Jo.10.29 *Hoc eſt, Divina Eſſentia, quam Pater totam transfudit in Filium. Sed ſemetipſum exinanivit, id eſt, vehementer ſe humiliavit, formam ſervi accipiens, id eſt, naturam humanam atque ſervilem in unitate perſonali aſſumens, ita quòd natura aſſumpta unita eſt Verbo immediate atque in ipſo ſuppoſito, ſeu eſſe perſonali Verbi immediate conjuncta, ſicut caro conjungitur animæ. In ſimilitudinem hominum factus, id eſt, cæteris hominibus aſſimilatus ſeu ſimilis factus, aſſumendo indecerabiles defectus, videlicet pœnalitates, non vitia. Fuit enim mortalis atque paſſibilis. Unde ad Hebræos* a a ex Hebr. 2,17 *dicit Apoſtolus, Debuit per omnia fratribus aſſimilari. Et habitu, id eſt, converſationis ſuæ habitudine inventus eſt, id eſt, verè innotuit ut homo. Bibit enim, comedit* b, b ex Matt. 11.19. *ſedit* c, c ex Jo. 4. 6 *dormivit* d, d ex Matt. 8 24 *ut cæteri. Per quæ potuit quòd verè fuerit homo. Propterea ſcriptum eſt per Prophetam Baruch* e, e Baruch 3 38 *Poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Et per Iſaiam* f, f Iſai.7,15 *Butyrum & mel comedet. Vel ſic, habitu, id eſt, in natura humana per modum habitus ſeu veſtimenti aſſumptâ, inventus eſt ut homo, non apparenter, ſed realiter: ſicut Ioannes* g g Jo.1,14. *teſtatur, Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre. Denique, Natura humana ſe habet ad Verbum, ſicut veſtis ad hominem. Nam ſicut veſtis induitur atque exuitur ſine mutatione ſubſtantialis eſſe hominis veſtiti, ita quòd homo eſt, homo & ſubſiſtit, & ſive induatur, ſive non: ſic Verbum humanam naturam aſſumpſit ſine omni mutatione ſui eſſe Divini, poſſetque eſſe ſine humana natura, ſine qua nos eſſe non poſſumus.* Amor non poteſt ulterius progredi: cùm igitur Deus ſic nos dilexerit ut ſe fecerit hominem propter amorem noſtrum; nunquid non debemus eum diligere, ſed ita fortiter, ut amore noſtro efficiamur Dii? dicentes cum S. Auguſtino h, h S. Aug. l. 13. Conf. c. 9. *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror.* Oportet ut amor noſter foveat amorem Dei, diligere debemus, ad hoc ut diligamur. Illud eſt remedium quod nobis ſubminiſtrat Philoſophia Moralis, *Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius venefica carmine, Si vis amari, ama.* Illud eſt remedium omnium potentiſſimum: non indigemus philtro, ſufficit ut diligamus, ad hoc ut diligamur: diligamus Deum, & diligemur à Deo, cùm ipſe cautam præſtet hanc veritatem, dicens, *Ego diligentes me diligo* i. i Prov. 8. 17. Unde dicit Salazar k, k Salaz. in Prov. 8. 17 n. 148. *Sententia horum verborum, ſi ad Sapientiam referatur, perſpicua eſt, Ego diligentes me diligo. Id eſt, erga illos, qui me ardentiùs adamant, ſic me gero quaſi redamatrix, quia illis me facilem, & familiarem præbeo. Et ſanè id Sapientiæ, & Honeſtatis proprium eſt, ut his, qui illius amore, & deſiderio ardent, ſeſe quodammodo amicè inſinuet, ita ut nullam in illo paranda difficultatem experiantur: illis verò, in quibus deſiderium, & amor alget, inſuavem, moroſam, & partu difficilem ſeſe præbeat.*

Sed nemo ſibi perſuadeat ſe diligere Deum, qui ipſum ſæpè cogitatione non defert in corde, qui ordinariè non concinit ei laudes ore, & qui effectivè & operibus non cuſtodit illius mandata: nam, ut ait S. Gregorius l, *Si unuſquiſque veſtrûm requiratur, an diligat Deum: totâ fiduciâ, & ſecurâ mente reſpondet, Diligo. Probatio ergo dilectionis, exhibitio eſt operis.* l S.Greg. hom.30, in Evang. Si igitur diligatis Deum, illum diligere debetis corde, linguâ, & operibus. Primò, Corde: quia, ut vulgò dicitur, *Cor ſæpè cogitat de eo quod amat.* Impudici enim cogitant de deliciis carnis, & voluptatibus ſenſuum; avari de bonis terræ, & divitiis; & ſuperbi & ambitioſi de honoribus & dignitatibus, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* m. m 1. Joan. 2,16 Oportet igitur ut ſpirituales cogitent de rebus cœli, & de diligendo Deo: quòd ſi ſæpè non cogitetis de illo, nolite credere vos amare illum. Præterea, Homo ſæpè cogitat de eo quod ipſe magis diligit; ſi cogitatis ſæpiùs de mundo quàm de Deo, vos diligitis magis mundum quàm Deum. Secundò, Si diligatis Deum, id petite à lingua veſtra: *Ex abundantia enim cordis os loquitur* n. n Matt. 12 34. & Luc. 6,45 Nam, ut dicitur, *Idem eſt verbum oris & cordis.* Et, *Lingua libenter nominat id quod cor amat.* Ideò qui ſæpiùs de mundo loquitur, quàm de Deo, magis mundum diligit quàm Deum. Tertiò, Si diligatis Deum, judicent hoc opera veſtra, cùm ignis non poſſit eſſe in palea quin comburat, nec ignis Divinus in corde quin cor manifeſtet ipſum operibus ſuis: *Qui ergo mente integrâ Deum deſiderat, profectò jam habet quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum diligere ſi eum quem diligit, non haberet. Veritas dicit, Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit* n. n Jo.14,23 *Qui ergo Deum verè diligit, qui ejus mandata cuſtodit, in ejus corde Dominus & venit, & manſionem facit: quia ſic eum Divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore, tentationis tempore non recedat. Ille ergo verè amat, cujus videlicet mentem delectatio prava ex conſenſu non ſuperat. Nam tantò quiſque à ſuperno amore disjungitur, quantò inferiùs delectatur. Unde & adhuc ſubditur: Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat* o. o Jo.14,24 *Ad vosmetipſos ergo, Fratres chariſſimi, introrſus redite, ſi Deum verè amatis exquirite. Nec tamen ſibi aliquis credat, quidquid ſibi animus ſine operis atteſtatione reſponderit. De dilectione Conditoris, lingua, mens, & vita requirantur. Nunquam eſt Dei amor otioſus. Operatur etenim magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor non eſt*, ait S. Gregorius p. p S. Greg. hom.30, in Evang.

Ipſa natura nos provocat ad hunc amorem: omnia enim diligunt: quin imò & barbari diligunt benefactores ſuos; ſed potiori ratione Chriſtiani diligere debent Deum, è quo ſuſceperunt

perunt tot bona naturæ, & gratiæ, niſi ut ingrati reputari velint. Quid autem nobis ſæpiùs inſpirant Scripturæ quàm amorem? Ipſæ ſunt veluti ſagittæ, & quodlibet illatum verbum videtur debere nos inflammare hoc igne Divino: ideòque cùm Dei Filium *interrogavit unus Legis Doctor, tentans eum, Magiſter quod eſt mandatum magnum in Lege? Ait illi Ieſus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* q. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum r, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id eſt, toto deſiderio & affectu. Et in tota anima tua, id eſt, ſecundùm vires animales & ſenſitivas, vel appetitum ſenſitivum qui in concupiſcibilem iraſcibilemque partitur. Et in tota mente tua, id eſt, toto intellectu ac intentione. In Evangelio Lucæ & Marci additur quartum, videlicet in tota fortitudine tua* ſ, *ſeu totis viribus* t. *Iſtud præceptum mandatum eſt in Deuteronomio* u, *quo dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & ex fortitudine tua. Et ſicut Moyſes omittit ex tota mente; ſic Matthæus omittit ex tota fortitudine, quorum utrumque Lucas & Marcus commemorant. Actus ergo charitatis jubetur, cùm dicitur, Diliges Dominum Deum tuum. Modus verò diligendi ſubjungitur, cùm ſubinfertur, Ex toto corde, &c. Et ſunt quatuor quæ ad modum diligendi concurrunt & pertinent, utpote ut Deus diligatur ex toto corde, totâ animâ, totâ mente, & totâ fortitudine. Denique, Actus voluntatis illicitus, hoc eſt, à potentia volitiva immediatè cauſatus oriens ſeu procedens, eſt diligere: ideò modus diligendi qui inſinuatur, cùm dicitur ex toto corde, directè & immediatè pertinet ad actum dilectionis. Alii tres modi diligendi ad actum hunc pertinent indirectè, ſecundùm quod aliarum potentiarum actus imperantur à voluntate, & ad voluntatis perfectionem diſponunt. Oportet autem advertere, quia quod dictum eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. intelligi poteſt dupliciter. Primò, Quantùm ad actum, ita ut cor, mens, anima, & vires hominis ſemper actualiter ferantur in Deum. Et hæc eſt perfectio patriæ non poſſibilis viatoribus. Secundo, Quantùm ad habitum & actum proportionatum, videlicet ut homo nil operetur contrarium charitati, & hæc eſt perfectio viæ cadens ſub præcepto omnibus debita. Charitas verò, actualis dilectio ad quam ordinant Evangelica conſilia, media eſt inter dilectionem patriæ, & dilectionem quæ cadit ſub præcepto. Per hanc etenim dilectionem mediam deſerit homo exteriora & ſenſibilia ac licita, ne eum à Divina charitatis perfectione fervoreque detrahant. Iubemur itaque Deum toto corde diligere, ut tota affectio noſtra ordinetur ad Deū, totaque intentio feratur in eum. Totâ inſuper mente, quatenus intellectus Deo in omnibus ſubjiciatur. Totâ animâ, ut appetitus ſenſitivus & vires ſenſitivæ ſecundùm Deum dirigantur. Totâ quoque virtute, ut omnis actus noſter interior ſecundùm præcepta Dei reguletur.*

q Matth. 22, 35, &c.
r Dion. Carth. art. 36 in Matt. 22. 37.
ſ ex Marc. 12. 28.
t ex Luc. 10, 27.
u Deut. 6, 5.

Sed ſi deſideretis probationes adhuc ſenſibiliores illius amoris, quem Deus requirit à nobis, ſcire debetis quòd amor manifeſtatur per communicationem bonorum per exhibitionem obſequiorum, & per conformitatem voluntatis, tolerando pro perſona amata quaslibet adverſitates, & omnia incommoda quæ occurrunt. Hæc erunt igitur ſigna evidentia & manifeſta amoris quo diligimus Deum, ſi offeramus ei omnia bona noſtra, ſive corporis, ſive mentis ſive fortunæ; ſi conſecremus ei univerſa quæ habemus: ſi exhibeamus illi obſequia noſtra, & reverentias noſtras, licèt ipſe ſit infinitè beatus in ſe, ſicut fatetur ei Pſalmiſta x, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Si conformemus nos Divinis voluntatibus ejus in omnibus, & ubique, & ſi ſuſcipiamus afflictiones & adverſitates quas ipſe mittit ad nos cum generoſa reſignatione decretis adorabilibus amoroſæ providentiæ ipſius, dicendo ei in quibuslibet occurſibus, *Fiat voluntas tua* y. Debemus igitur Deo dare per amorem totum id quod ſuſcepimus ab eo per amorem, *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*, ait Salomon z. Quaſi dicat, quòd modicum ſit univerſa deſpicere pro illo. Quis enim mercator ita ſtupidus eſſet ut non daret æs pro auro, & plumbum pro argento? Præterquàm quòd mirabile non eſt ſi homo conſidit Dilecto ſuo, cùm ipſi dederit id totum quod poterat, & id omne quod habebat: qui enim dat cor ſuum, daret quidem totum mundum; & Deus petens cor noſtrum, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* a, petit communicationem generalem omnium bonorum noſtrorum. Præterea, Debemus ei offerre obſequia noſtra, ut commendemus amorem noſtrum: non enim poteſt eſſe ignis in ligno quin comburat: ignis nunquam eſt otioſus, ſed ſemper creſcit aut decreſcit: *Ignis nunquam dicit, Sufficit* b. Et quò amplior ſubminiſtratur ipſi materia, eò majorem ipſe præ ſe vim fert: idem dicendum de vi amoris: *Nunquam eſt Dei amor otioſus. Operatur etenim magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor non eſt*, dixit ſuprà S. Gregorius. Amor Dei non poteſt eſſe quin ſit ardens; ſicut qui haberet ignem in ſinu, non poſſet illum abſcondere. Agnoſcere debemus num Deum diligamus obſequiis noſtris: qui non diligit Deum, nullum exhibere poteſt ei obſequium; & qui non ſervit illi, non poteſt eum diligere. Inſuper, Voluntas noſtra non debet eſſe alia à voluntate Dei, ad hoc ut illum ritè diligamus; & ſimiliter eandem debemus habere voluntatem cum voluntate illorum, qui aliquam ſuper nos habent authoritatem, qui ſunt Superiores noſtri, qui tenent locum Dei, cujus ſunt organa; idem velle cum illis, ſed velle quantùm ad bonum, nunquam verò quantùm ad malum. De quodam refert Valerius Maximus c, *Cùm amici cujusdam injuſtæ rogationi reſiſteret, atque is per ſummam indignationem dixiſſet: Quid ergo, inquit, mihi opus eſt amicitiâ tuâ, ſi quæ rogo non facis? Imò quid mihi tuâ, ſi aliquid propter te inhoneſtè facturus ſum?* Debemus igitur habere voluntatem conformem voluntati Dei, & voluntati eorum quibus obedire tenemur, quando hæc ſpectat bonum; & eſſe diſpoſiti ad omnes eventus ſuſcipiendos, non ſolùm in proſperitatibus, ſed etiam in adverſitatibus & in tolerantiis, patiendo pro objecto amorum noſtrorum, & dicendo more S. Ludovici Toloſatum Archipræſulis, *Divitiæ meæ Chriſtus, deſint cætera: omnis copia, quæ Deus meus non eſt, inopia mihi eſt.* Re enim verà ille non diligit, qui non amat niſi in proſperitate, & derelinquit in adverſitate: qui perfectè diligit, patitur anxietates, ſupplicia, & id omne quod occurrit, pro objecto amoris ſui, inſtar S. Eulaliæ Barcinonenſis Virginis annos quatuordecim natæ, quæ unguibus ferreis excarnificata juſſu Præſidis Daciani, converſa ad Dilectum ſuum, dicebat ei, *Quàm juvat hos apices legere, qui tua, Chri-*

x Pſ. 15, 2.
y Matth. 6, 10.
z Cant. 8, 7.
a Prov. 23, 26.
b Prov. 30, 16.
c Valer. Max. l. 6, c. 4.

Chriſte, trophæa notant. Mi Salvator adorande, quàm jucundum eſt lectu pretioſos iſtos characteres, ubi intueor trophæa tua impreſſa corpori meo ſtylis ferreis, & ſcripta proprio ſanguine
d Rom. 8, 35. meo. Et S. Paulus *d* dicebat, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt, Quia propter te mor-*
e ex Pſ. 43, 22. *tificamur totâ die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis e.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque al-*
f Cant. 8, 6 *titudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Et quare? *Quia fortis eſt ut mors dilectio f.*

Amor quo diligere debemus Deum, & qui nos inducere debet ad ſuſtinendum omne genus anguſtiarum intuitu ipſius, propriis non debet invigilare commodis: propterea Philoſophi Morales loquentes de amicitia, dicunt, *Amicus qui utilitatis causâ aſſumptus eſt, tandiu placebit, quandiu utilis eſt.* Quare? Quia in vera amicitia nihil nobis diſplicere poteſt niſi ipſa. *Ego amicum quæro, quem in exilium ſequar, pro quo moriar, cujus me morti opponam, & meipſum in mortem impendam,* ait amicus verus per eoſdem Philoſophos Morales. Ecce in quo vera conſiſtit amicitia, & quinam ſunt veri amantes. Sed heu! ſi amor Dei noſtri ſumeret dimenſiones ſuas ſuper menſuram amoris noſtri, de nobis actum eſſet, experiremur effectus juſtæ vindictæ ipſius, cùm ipſe videat amorem ſuum ita malè compenſari amore noſtro: ita enim parùm agnoſcimus amorem ejus, ut videamur affectare tantùm refrigeſcere adversùs ipſum, quantòm ipſe ardet amore erga nos. Anima ingrata, & beneficiorum à Deo tuo ſuſceptorum immemor, revertere ſaltem ad Deum tuum, qui tibi venit obviàm, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis tamen revertere ad me, dicit Dominus: & ego ſuſci-*
piam te g. Redde ei amorem in compenſatio- g Jer. 3, 1
nem amoris quo ipſe te diligit; licèt illi nihil ſis daturа tui, cùm ipſe tibi tribuat hunc exiguum amorem quo ipſum diligis, cùm ipſe priùs & ſummè te dilexerit: *Nos ergo diligamus Deum,*
ait nobis S. Joannes *h* pro concluſione totius i- h 1. Joan. 4, 19
ſtius diſcurſus, *quoniam Deus prior dilexit nos.* Ipſe nos prævênit amore ſuo: cùm ergo ipſe nos ſic dilexerit, quomodo non diligeremus eum, cùm retinere non poſſimus affectum noſtrum quin eat adhæſum creaturis viſibilibus confeſtim ac ipſæ teſtantur ſe amore noſtro duci? Amor Dei mei, eſto mihi, ſi placet, hoc ſigillum quod requiris à Sponſa tua, ita ut nullum aliud præter iſtud imprimatur cordi meo, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum* i. Et nullum aliud aſpicia- i Cant. 8, 6
tur in manibus meis, *Ut ſignaculum ſuper brachium tuum* k. Ut ubique dicere poſſim præ verita- k Ibid.
te de te, *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos* l. l 2. Cor. 1, 21.
Signa me gratiâ tuâ in hoc mundo, & gloriâ tuâ in altero ſæculo.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Matth. 28. 19.

a Prov. 25, 27. APpoſitè locutus eſt Salomon *a*, cùm dixit, *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à glo-*
b S. Aug. ſerm. 1, in Feſt. SS. Trin. quod eſt 189. de Temp. *ria.* Sic S. Auguſtinus *b* ſuos de ſanctiſſima Trinitate ſermones eſt exorſus, *Audio, Fratres, quòd quidam inter ſe diſputant, quomodo Pater & Filius & Spiritus ſanctus & tres ſunt, & unum ſunt. Videtis ex quæſtione quam periculoſa ſit diſputatio. Lutum & vas figuli de Creatore diſputat, & ad naturæ ſuæ rationem non poteſt pervenire, & curioſè quærit ſcire de myſterio Trinitatis, & quod Angeli in cœlis ſcire non poſſunt. Dicamus aliquid de Scripturis, rationem non ſequentes, ſed authoritatem Domini Salvatoris. Chriſtus enim dicit aſcenſurus in cœlum, ad Apoſtolos loquens, quibus prædicat et Magiſter & Dominus. Nemo enim novit ſic de natura ſua dicere, quomodo ipſe qui Deus eſt, nobis autem ſufficiat ſcire de Trinitate, quod Dominus exponere dignatus eſt. Quod ergo dicit ad Apoſtolos, Ite & baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: tria nomina audio, & unum dicitur nomen. Non enim dixit, In nominibus: ſed, In nomine. Tria nomina dicit, & quomodo unum ponit? In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti unum eſt: ſed Trinitas eſt nomen quod dicitur, in nomine Patris Dei, in nomine Filij Dei, & in nomine Spiritus ſancti Dei. Pater & Filius & Spiritus ſanctus unum nomen eſt Divinitatis. Sed requiris à me quomodo uno nomine tres appellantur? Neſcio, & liberè me neſcire profiteor. Quod Chriſtus voluit indicare, hoc ſolum ſcio, quia in hoc Chriſtianus ſum, quia unum Deum in Trinitate confiteor.* Quoad id quod ſpectat ad arcanum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, deprimere debemus *omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chri-*
ſti c. Sicut, ſecundùm eundem S. Auguſtinum *d*, c 2. Cor. 10, 5.
Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm conci- d S. Aug. l. de S. Virg. c. 3.
piendo carnem Chriſti. Quod factum eſt, cùm ingreſſus Angelus, ad eam dixit, *Ave e Maria.* e Luc. 1, 28

Intuenda nobis exhibetur vita Domini noſtri Jeſu Chriſti ut fidelis imago totius ſanctiſſimæ Trinitatis. Jeſus Chriſtus ſic perfectè nobis expreſſit perfectiones iſtarum trium adorabilium
perſonarum, ut, ſi S. Paulus *f* aſpiciebat creatu- f Rom. 1, 20.
ras ut veſtigia Divinitatis, & illarum intuitu mentem ſuam ad notitiam Dei elevabat: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas;* potiori ratione conſiderare poſſim ego Jeſum Chriſtum viventem in mundo ut ſinceram imaginem Trinitatis adorabilis. Nulla eſt ex actionibus ejus quæ præ ſe non ferat characterem alicujus iſtarum perſonarum, aut operationum ipſarum. Exprimit ipſe verè Patrem ſuum in eo quòd ſicut Pater ipſum generat ab æterno, intuitu perfectionum ſuarum, & creaturarum ſuarum, ſicut ipſe proteſtatur, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* g: ſic ipſemet Filius pro compen-
g Pſa. 2, 7.

to

to nos tenere docet, quòd ad perfectè repræſentandum Patrem ſuum in hac actione, ſicut ipſe intendit homines ſpiritualiter regenerare gratiâ ſuâ, ita & eodem modo aggreditur formationem ſpiritualem, quo Pater ſuus æternus illam peragit. *Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor* b. Et ſic Pater æternus ipſum generat juxta ideam perfectionum Divinæ eſſentiæ ſuæ: ita Jeſus Chriſtus ſemetipſum reddit ideam perfectionis hominū, & intendit illorum ſanctitatem ad propriam perfectionem exigere & conformare, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum* i. Et hoc ipſum perfectam Patris ſui reddit imaginem. Non minorem nec minùs ſplendentem præ ſe fert Verbi Divini ſimilitudinem quod mirum non eſt: cùm enim ſit ei unitus Jeſus Chriſtus unione omnium ſtrictiſſimâ, quâ *Verbum caro factum eſt* k: nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus l, *In Chriſto ſunt duæ naturæ & una hypoſtaſis ſeu perſona: ſunt quoque in eo duæ generationes, & una filiatio, putà Divina & generatio namq; pertinet ad naturam, filiatio ad perſonam*: mirari non debemus ſi inde ſic perfecta reſultet ſimilitudo, quia unio ſupponit ſimilitudinem: certum enim eſt, quòd duæ res uniri nō poſſunt ſimul niſi aliquam habeant inter ſe convenientiam, ſaltem in eo per quod uniuntur. Præterea, Veriſſimum eſt, quòd Jeſus Chriſtus perfectè Verbi Divini perſonam repræſentat in eo quòd ſicut hæc perſona Divina cùm ſit Filius Dei Patris genitus fœcunditate Divini intellectus ejus, eſt etiam illius imago, ut docet S. Paulus. *Imago Dei inviſibilis* m, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* n: ſic Jeſus Chriſtus ab Angelo *Filius Altiſſimi* o vocatur. Si Filius ejus eſt, debet eſſe imago illius, eâdem ratione quâ Verbum, quod non habet iſtam qualitatem niſi prout Filius, ut ait S. Auguſtinus p, *Ratio quidem quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, inter Patrem vel Filium perſonas vel vocabula diſtinguit, quia & ipſe Filius Ratio dicitur: quæ tamen Ratio multis nominibus appellatur, modò Verbum, quia ſemper in Patre, & de Patre, & nihil Pater ſine eo juſſit, aut fecit* q. &c. Sic eſt perfecta ſui Patris imago, ut in nulla re ſit ei diſſimilis, *Ego & Pater unus ſumus* r. Et quicumque intuetur eum, aſpicit & Patrem ejus, ſic illum perfectè exprimit, ut ipſe dicebat S. Philippo, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem* ſ. Hoc innuit quòd ipſe perfectè repræſentat eum, & ideò quòd eſt imago illius, ſicut & Verbum: non poteſt autem eſſe imago Patris ſui, quin ſit & imago Verbi, cùm exprimat id omne quod eſt in eodem Patre. Hanc etiam habet prærogativam ut præ ſe ferat characterem Spiritus ſancti, & viva ſit illius repræſentatio. Spiritus ſanctus non eſt aliud niſi *Charitas* t æterna & ſubſtantialis uniens Patrem & Filium in ſanctiſſima Trinitate nexu indiſſolubili & ſempiterno, *Paraclètus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit* u. Et cùm *unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus* x ſit, ita & vinculum eſt & medium quod unit hominem cum Deo, ut perfectè Spiritum ſanctum exprimat. Præterea, ut ait idem S. Auguſtinus y, *Lapis angularis dicitur, quia utroſque parietes novi & veteris Teſtamenti, ipſe unus & Mediator in ſemetipſo continens copulavit.* Et ſic eundem fecit hominem ex perſona Verbi cum noſtra humanitate, ſocians naturam humanam cum natura Divina, quæ per peccatum erant diviſæ, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* z. Et ex ambabus illis unum fecit hominem, & ut penitus exprimeret unionem, quam Spiritus ſanctus agit Patris cum Verbo, unio quam JESUS Chriſtus fecit naturæ humanæ cum natura Divina, erit indiſſolubilis, ad repræſentandam æternitatem alterius. *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* En igitur Jeſus Chriſtus imago totius Trinitatis: & ſi Chriſtianus ad hoc ut beatus efficiatur, configurari debet Jeſu Chriſto, id eſt, debet eſſe illius imago, ut ait S. Paulus a, *Quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui*: cùm Jeſus Chriſtus ſit imago totius Trinitatis, ſi Chriſtianus debet eſſe ſimilis Jeſu Chriſto ad hoc ut paradiſum conſequatur, propter eandem rationem oportet ut ſit imago Trinitatis totius, & exprimat ſeu formet in anima ſua trinitatem creatam. Et hoc eſt quod moraliter nobis eſt diſcutiendum in progreſſu diſcurſus iſtius.

Prius quàm probare aggrediar propoſitionem meam, prænotandum eſt id quod ait ſanctus Auguſtinus b, *Hæc tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed una vita; nec tres mentes, ſed una mens, conſequenter utique nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed una ſubſtantia. Memoria quippe quod vita, & mens, & ſubſtantia dicitur, ad ſeipſam dicitur. Quod verò memoria dicitur, ad aliquid relativè dicitur. Hoc de intelligentia quoque & de voluntate dixerim. Et intelligentia quippe & voluntas ad aliquid dicuntur. Vita eſt autem unaquæque ad ſeipſam, & mens, & eſſentia. Quocircà tria hæc eo ſunt unum, quo una vita, una mens, una eſſentia. Et quidquid aliud ad ſeipſa ſingula dicuntur, etiam ſimul, non pluraliter, ſed ſingulariter dicuntur. Eo verò tria, quo ad ſe invicem referuntur: quæ ſi æqualia non eſſent, non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam omnibus ſingula: non utique ſe invicem caperent. Neque enim tantùm à ſingulis ſingula, verùm etiam à ſingulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atq; meminiſſe: & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere: totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini.* Hoc poſito.

Primus character, quem Chriſtianus debet ferre ſanctiſſimæ Trinitatis, eſt, ut ſit imago Patris æterni, id eſt, ut hanc exprimat fœcunditatem, quâ Pater æternus producit Verbum ſuum, *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* c. Quia, ut ait S. Thomas d, *Intelligentia eſt expreſſa ſimilitudo memoriæ, ſicut Filius eſt expreſſa ſimilitudo Patris.* Sed ad clariorem veritatis iſtius notitiam, ſcire debetis, quòd Pater Divinus habens ab æterno cognitionem rerum omnium, perfectionum ſuarum, & illius omnis quod ipſe continet in eſſentia ſua illorum univerſorum conceptum format, & juxta hanc ideam Divinam generat Verbum ſuum, quod non eſt aliud niſi terminus cognitionis ipſius: & ſicut cùm concipimus aliquod objectum, cogitatio quam formamus illius, vocatur à Philoſophis verbum mentis, & hoc verbum non eſt aliud niſi terminus noſtræ cognitionis: ſic Pater æternus cognoſcens id omne quod eſt excellentiſſimum in eſſentia ſua, & in omnibus creaturis, illorum omnium format ideam, quæ eſt Verbum ſuum, & terminus omnium luminum Divini intellectus ſui. Ecce perfecta expreſſio generationis Verbi Divini, & fœcunditatis primæ perſonæ S. Trinitatis, quæ tribuit ipſi nomen Patris, cujus pro-

Margin notes:
b Jo. 5, 17.
i Lev. 19, 2.
k Jo. 1. 14.
l Dion. Carthuſ. art. 5. in Jo. 1. 14.
m Coloſſ. 1. 15.
n Hebr. 1. 3.
o Luc. 1. 32.
p S. Aug. ſerm. 2. in feſt. Trin. quod eſt 190. de Temp.
q ex Jo. 1, 3.
r Jo. 10. 30
ſ Jo. 14, 9.
t 1. Jo. 4, 6
u Jo 15. 26
x 1. Tim. 2, 5
y S. Aug. ſerm. 2. in feſt. Trin. ex Epheſ. 2, 14, &c.
z Iſai. 59. 2.
a Rom. 8, 29.
Propoſitio
b S. Aug. l. 10. de Trin. c. 11
c Pſ. 109. 3
d S. Th. in Gen. 1, 26

proprium non eſt aliud quàm prodocere? Hanc exprimere poſſunt Chriſtiani felicem fœcunditatem, præ hac illuſtri prærogativa quòd poteſtatem habeant producendi Verbi in cordibus ſuis, id eſt, poſſint fieri patres Jeſu Chriſti. Si autem ſcire velitis quomodo conciliare nobis poſſimus hanc glorioſam fœcunditatem, audite quomodo nos eam doceat ipſemet Jeſus Chriſtus: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in*
d Matt. 12. 50. *cœlis eſt, ipſe mater eſt* d mea. Hæc fœcunditas invenitur in adimpletione voluntatis Patris æterni: atqui complere voluntatem Patris æterni non eſt aliud quàm exequi ſermonem ejus, qui manifeſtat nobis voluntatem illius, ſermo Dei eſt verbum ipſius: ergo facere voluntatem Dei, eſt producere verbum ejus, & conſequenter eſt exprimere hanc ſanctam Patris paternitatem, quæ eſt fundamentum & origo omnium aliarum, *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra*
e Epheſ. 3, 15. *nominatur* e. Sic Chriſtianus quilibet adimplens voluntatem Patris æterni, perfecta fit imago paternitatis Patris æterni: ſicut enim Pater generans Filium ſuum, producit illum abſque auxilio ullius matris: ita Jeſus Chriſtus ait, quòd *quicunque fecerit voluntatem Patris qui in cœlis eſt, ipſe mater eſt* ipſius. Quaſi diceret, ait Car-
f Dion. Carth. art. 24. in Matt. 12, 49. thuſianus f, *Mater mea. Id eſt, per contemplationem internam ſpiritualiter me concipiunt, & per prædicationem, ac vitam exemplarem generant me in cordibus aliorum, ſicut Apoſtolus* g *loquitur. Filioli mei,*
g Galat. 4, 19. *quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Sic ergo generant me, id eſt, eſſe & habitare me*
h ex Ephe. 3, 17 *faciunt in aliorum præcordiis, juxta illud Apoſtoli* h, *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* Non latet vos quid ſit vobis agendum ad hoc ut gloriam vobis concilietis æternam, *Si vis ad vitam*
i Matt. 19 17. *ingredi, ſerva mandata* i. Præcepta Dei ſunt voluntas Dei, & niſi ea adimpleantur, nunquam comparari poterit ſempiterna felicitas. Nonne verum eſt, quòd omnes Chriſtiani deſiderare debent gloriam paradiſi, & quòd ſuas inſumere debent operas ad illam conſequendam? præcepta Dei ſunt voluntas Dei, Chriſtiani debent facere voluntatem Dei ad hoc ut gloriam adipiſcantur, & niſi eam adimpleant, nunquã gloriæ cœleſtis efficientur conſortes: atqui ſi Chriſtiani tenentur exequi mandata Dei, quæ ſunt voluntas Dei ad hoc ut perveniant ad cœlum, nonne verum eſt, quòd, cùm faciendo *voluntatem Patris qui in cœlis eſt*, efficiamur imagines ejus, nõ poſſimus aſſequi paradiſum quin adimpleamus voluntatem Dei? Evidens eſt, quòd Chriſtiani, qui ad gloriam debent aſpirare conſequendam, tenentur eſſe Patris cœleſtis imagines, & exprimere in perſonis ſuis hanc paternitatem, ut ſe gloriâ dignos efficiant ſempiternâ.

S. Paulus iſtâ ritè conceperat cogitationem, cùm intuitus Galatas deleviſſe hanc imaginem è conſcientiis ſuis, deſeruiſſe obſervantiam mãdatorum Dei, quam ipſos edocuerat, & cui ipſi aliquanto tempore inviolatè adhæſerant, & cõſequenter quòd non exprimerent ampliùs hanc fœcunditatem Patris æterni, nec ampliùs Jeſum Chriſtum producerent in cordibus ſuis, ſicut illum producebant anteà, voluntatem Patris ejus adimplentes; & volens eis rurſus imprimere hunc characterem, & eos inducere ad denuò Jeſum Chriſtum producendum in cordibus ſuis, proteſtatur eis quòd ipſemet patiatur dolores partus donec ipſi rurſus exprimant fœcunditatem Patris æterni, producendo in animabus ſuis Filium ejus, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* k. Seu, juxta Diony- k Galat. 4, 19.
ſium Carth. l, *Filioli mei, qui patri eſtis in perfectione virtutum, quos iterùm parturio, id eſt, cum dolore & planctu ſpiritualiter regenero, transferendo vos à non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale, per hujus epiſtolæ documenta; donec formetur, id eſt, recipiatur ac deſcribatur Chriſtus in vobis, id eſt, in cordibus veſtris per fidem puram, jugem memoriam, & dilectionem firmatam.* Et ſic repræſentetis paternitatem Patris ejus, & ſitis imagines fœcunditatis illius. l Dion. Carth. art. 4. in Galat. 4, 19

Jeſu Chriſto *Phariſæi mittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes, Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an nõ? Cognitâ autem Jeſus nequitiâ eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jeſus, Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo* m. Super hoc apud S. Auguſt. n ait Dei m Matt. 22 15, &c.
Filius, *Si manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis, ut contemplemini ipſam veritatem ſicuti eſt: non per verba ſonantia, ſed per lucem ſplendentem, cùm ſignaverit nos, quod legitur in Pſalmo* o: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Moneta Dei ſumus, nummus à theſauro aberravimus. Errore detritum eſt quod in nobis fuerat impreſſum: venit qui reformet: quia ipſe formaverat. Quærit & ipſe nummum ſuum; ideò ait, Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei ſunt. Cæſari nummos, Deo vos ipſos. Tunc ergo exprimetur veritas in nobis.* Quaſi diceret Jeſus Chriſtus, quòd, ſicut ipſe fidelis eſt expreſſio fœcunditatis Patris ſui, ſicut & imago; ita Chriſtiani qui debent in omnibus & ubique ipſummet Jeſum Chriſtum repræſentare, debent etiam præ ſe ferre imaginem fœcunditatis iſtius, & hanc exprimere perfectè paternitatem. Sed repræſentantes imaginem Patris, tenentur etiam imagines eſſe Filij. n S. Aug. tract. 40. in Joan. 8, 28 o Pſ. 4, 7.

Cùm Verbum ſit terminus cognitionis Patris æterni, iſtius conceptûs quem format ipſe Pater perfectionum naturæ ſuæ, & omnium creaturarum, exprimere debet totum hunc conceptum; id eſt, omnes iſtæ perfectiones reperiri debent in Filio, ita ut hic eum perfectè repræſentet. Prædives eſt expreſſio potentiæ, & cæterarum perfectionum ipſius, *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* p. Pater & Filius idem ſunt, *Ego & Pater unũ* p Sap. 7. 26
ſumus q. Perfectè Filius exprimit id totum quod q Joan. 10. 30.
Pater ſuus poſſidet; & Jeſus Chriſtus in Evangelio hanc exigit expreſſionem perfectionum Patris ſui in anima Chriſtianorum, quos vult eſſe perfectos inſtar ſui Patris, *Eſtote vos perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt* r. *Eſtote miſericor-* r Matth. 5 48.
des, ſicut & Pater veſter miſericors eſt ſ, ita ut Chriſtianus debeat eſſe repræſentatio perfectionum ſ Luc. 6, 36.
Patris æterni. & ſicut Verbum, debeat exprimere id totum quod Pater æternus habet perfectiſſimum; omnipotens eſſe debeat more illius, ut gloriabatur ſanctus Paolus †, dicens, *Omnia* † Philip. 4 13.
poſſum in eo qui me confortat. Chriſtianus imitari debet hanc patientiam Dei, quâ diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* *, nedum ſe * Sap. 11, 24.
de eis ſtatim ulciſcatur, quaſi verò ea ignoraret, & ſic de cæteris Divinis perfectionibus, quibus ſe conformare debet: & ſic perfungens officio quod ipſi JESUS Chriſtus imponit in Evangelio, ut ſit perfectus, *ſicut &*

Pater

Digitized by Google

Pater cœleſtis perfectus eſt, fideliter exprimit omnes perfectiones ejus, & in hoc ſimilis eſt Verbo, quod illas omnes complectitur, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* r. Et hæc ſimilitudo reddit ipſum imaginem Verbi, quia res aliqua non poteſt eſſe imago alterius, niſi quatenus eſt ei ſimilis: eſſentia enim imaginis fulcitur ſimilitudine, nec deferre poſſet nomen imaginis, niſi ei eſſet ſimilis, *Cur imago, ſi ſimilitudinem non habet?* ait S. Ambroſius ſ, loquens de Dei Filio. Numquid igitur nō eſt verum, quòd Chriſtianus, ſi aſpirat ad gloriam, debet adhærere conſiliis Jeſu Chriſti? Debet igitur exercere id quod ipſum inducit ad perfectionem ſimilem perfectioni Patris æterni colendam: atqui hæc expreſſio perfectionum Patris æterni reddit eum ſimilem Verbo, & facit ut exprimat inſtar illius perfectiones ejus; ſi ſimilis eſt ei, eſt illius imago: videris igitur, quòd, cùm Chriſtianus teneatur imitari perfectiones Patris cœleſtis, quæ imitatio reddit ipsū imaginem Verbi, conſequenter præ ſe ferre debeat imaginem Filii, æquè ac imaginem Patris. Propterea Tertullianus x vocabat Chriſtianos monetam Dei, quorum intimis animabus erat impreſſa figura Jeſu Chriſti Filij Patris æterni, *Cæterùm Chriſto confirmante figuras ſuas*. Quaſi diceret, quòd ſicut moneta defert figuram Principis impreſſam; ſic Chriſtiani eſſe debent imagines Jeſu Chriſti. Idcircò etiam S. Paulus hortabatur Corinthios y ut ſecum exprimerent mortificatione vitam Jeſu Chriſti Filij unici Patris æterni in corporibus ſuis, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum z, *Semper mortificationem Ieſu, id eſt, paſſionem Dominicam in corpore noſtro circumferentes per cruciformem imitationem, & corporis quotidianam flagellationem. Vnde alibi dicit Apoſtolus* a. *In omni fiducia magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Item, Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* b. *Et vita Ieſu, id eſt, converſatio quam habuit in hoc mundo, in corporibus noſtris manifeſtetur, id eſt, Chriſti veſtigia in agendo ſectemur. Vel vita Ieſu immortalis quam nunc habet, in corporibus noſtris manifeſtetur in reſurrectione futura, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ* c. Tunc primi Chriſtiani erant quaſi literæ cōmendatitiæ Filij Dei, & ſic virtutes eorum erant conformandæ virtutibus ejuſdem Jeſu Chriſti. Sed quia animæ noſtræ ſunt etiam templum Spiritus ſancti, æquè ac corpora noſtra, *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos* d, *qui in Baptiſmo ſanctificati eſtis, & per opera bona exercitati,* ſubdit Carthuſianus e: oportet etiam ut exprimamus imaginem Spiritus ſancti ejuſdem, ne aliquid deferamus in Trinitate, cujus præ nobis non feramus characterem.

S. Auguſtinus f hæc verba Geneſeos g, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, ita vertit, *Inſufflavit ei eum ſpiritum vitæ.* Ut intelligatur conceptus ejus, ſciendum eſt, quòd cùm cor ſit principium vitæ, calorem poſſidet ſic inflammatum ad eam fovendam, ut hoc alimentum efficeretur et mortiferum, niſi jugiter refrigeraretur: & licèt iſte calor vitalis ita bonus ſit, ut ajunt Medici, ut peccare non poſſit exceſſu, quia, cùm nihil habeat, inquiunt illi, conditionis elementorum, nullos habet inimicos qui ipſum offendant; certum tamen eſt, quòd ſi non poteſt exceſſus inveniri in ſubſtantia ejus, reperiri poteſt nihilominus in mediis quæ aſſumuntur ad ipſum fovendum; & ſicut ſuffocari poteſt abundantia, ſic & extingui poteſt defectu alimentorum: aër, quem ſingulis momentis reſpiramus, tribuitur ei ut refrigerium vehementiæ ardorum ipſius, & temperamentum viribus ipſius, ſed cùm ſtatim inflammetur, cor noſtrum foras illum emittit, ut in locum ejus ſubſtituat alium, qui poſſit denuò temperare calorem ignis ipſius, & ſic ſucceſſivè: ita ut inſpiratio aut inſufflatio nihil aliud ſit niſi calefactus hic aër, quem cor noſtrum foras emittit, ut in locum ejus ſubſtituat alium, qui refrigeret hoc incendium, quod ipſum conſumebat, ipſi auxiliando: & quia paſſiones, quæ nos agitant, habent omnes ſedes ſuas in corde, cùm amor ſit omnium affectuum ardentiſſimus, eſt in corde ſicut in throno ſuo, & inſpirationes ſeu inſufflationes quæ deferunt hanc paſſioné, eamq; faciunt exire ex ſeipſa, ut cohæreat objecto ſuo, nō ſunt niſi ut aër calefactus, quam foras emittit ut teſtimonium ardoris ſui: cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, inſpiravit*, & juxta S. Auguſtinum, *inſufflavit in eum ſpiritum vitæ*, quaſi aërem calefactum; quem cor ipſius miſit extra ſe, & quem ignis amoris ipſius inflammaverat *inſufflavit*, quaſi diceret, amando creavit. Angeli non fuerunt niſi effectus verbi ejus, *Fiat lux. Et facta eſt lux* h. Quibus verbis idem S. Auguſtinus i intelligit Angelos, qui ſoliditate, puritate, & ſubtilitate mentium ſuarum hunc titulum juſtiùs poſſident, quàm hæc ſubtilis qualitas quæ noſtros percellit oculos. Non egreſſi ſunt è nihilo niſi ſermone imperiali, & fuerunt, ſicut cæteræ creaturæ, productio verbi Dei; ſed homo fuit effectus dilectionis illius, & non apparuit ſuper terra mandato abſoluto, ſed ut filius cordis Dei, inſpiratione, aut inſufflatione, quam amanter emiſit. Quòd ſi Deus inſumpſit etiam verbum, cùm creavit hominem, verbum illud non fuit imperiale, ſed blandiens, ut ait Tertullianus k, *Bonitas operata eſt, non imperiali verbo, ſed familiari manu, etiam verbo blandiente præmiſſo, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo.* Sed audebone dicere, quòd Deus intenderit dicere, quòd primus homo ab ipſo formatus fuerit ſicut una è Divinis perſonis? cùm ait, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt* l. Quia ſicut Spiritus ſanctus eſt productio æterna cordis & amoris ipſius, cùm Pater & Filius diligentes ſe producunt eundem Spiritum ſanctum ut fructum & terminum amoris ſui, qui claudit productiones interiores Divinitatis, cùm Perſonæ Divinæ non multiplicentur in quartam, quod Theologi verbis iſtis exprimunt, *Amando producunt*: ſic cùm Deus innumeras produxerit creaturas, ſibi complacens in pulchritudine operum ſuorum, videtur feciſſe hominem ut terminum hujus infinitæ fœcunditatis ad extrà, quæ claudit circulum productionum exteriorum Dei, cùm ceſſaverit & requieverit poſt iſtud opus *ab univerſo opere quod patrarat* m. Et ſicut inceperat (loquor noſtro loquendi modo) productiones Divinitatis interiores intellectu & verbo, eaſque

r Coloſſ. 2. 3. & 9.
ſ S. Ambr. l. 1. de fide c. 4.
x Tert. l. de Fug. in Perſec. c. 12.
y 2. Cor. 4. 10.
z Dion. Carth. art. 9. in 2. Cor. 4. 10.
a Philipp. 1. 20.
b Gal. 6. 17.
c Philipp. 3. 21.
d 1. Cor. 3. 16. & 17.
e Dion. Carth. art. 5. in 1. Cor. 3. 17.
f S. Aug. l. 2. de Gen. contra Manich. c. 8.
g Gen. 2. 7.
h Gen. 1. 3.
i S. Aug. l. 1. de Gen. ad lit. c. 9. & 17.
k Tert. l. 2. cont. Marcion. c. 4. ex Gen. 1. 26. & 2. 7.
l Gen. 3. 22.
m Gen. 2. 2.
n Ps. 2. 7.

o Joan. 15. 26.

terminavit amore in ſpiratione Spiritus ſancti o, qui ſigillum imponit productionibus interius; ſic cùm incepiſſet productionem creaturarum intellectu & verbo, terminavit eas amore in formatione hominis, qui ſigillo obſignat omnes productiones exteriores, ita ut dicere poſſimus aliquo modo, ſicut *Deus ait, Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus. Inſpiravit*, vel, *inſufflavit*, ſeu, amando creavit. Ha! Auditores, ſi hoc illuſtri titulo potimur, ut ſimus productiones amoris, & filii cordis inflammati Dei noſtri, hanc dilectionem mutuâ compenſare debemus dilectione, & eſſe toti amantes. Ignis non producit glaciem, ſed alium ignem æquè inflammatum & ardentem ac ipſe eſt: ha! ſi exivimus è corde Divinæ dilectionis, debemus eſſe, ſicut Deus, toti amor, & toti cor. Monſtra, dicunt Philoſophi, non ſunt niſi receſſus naturæ à curſu ordinario ſpeciei, quæ reddit ſuas productiones deficientes, quia ſunt diſſimiles cauſæ, quæ eas produxit: ſi ſine corde & amore ſumus, ecce ſumus monſtra, cùm non ſimus conformes principio, quod nobis vitam tribuit.

Ha! concipio nunc ſenſum & veram ſignificationem verborum iſtorum, quæ in productione hominis mox futura *Deus ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* p. Ex omnibus creaturis *ad imaginem Dei factus eſt homo* q, ſoluſque Divinas nobis repræſentat proceſſiones. Audiſtis ſupra quomodo in Trinitate ſint Pater, & Filius, & Spiritus S. quâ ratione intelligentia vel memoria noſtra repræſentet Patrem, & quòd Filium vocaverimus Rationem, cui conformiter ratio noſtra eſt verbum noſtrum, quod intellectus noſter producit: & ſicut Pater æternus producit omnia Verbo ſuo; ſic nihil facere debemus niſi ratione, quæ eſt verbum noſtrum, cujus defectu omnia noſtra erunt incompoſita. Sed iſtud non ſufficit ad perficiendam imaginem Trinitatis: intellectus noſter & ratio ſeu verbum ipſius ſunt imago Patris & Filii, ſed nondum eſt in nobis trinitas creata, ut ſit in nobis imago perfecta Trinitatis increatæ, Spiritus ſanctus nondum repræſentatur in nobis, hæc ſimilitudo eſt deficiens quantùm ad ultimã perfectionem ſuam, oportet ut amor ſacer inveniatur in nobis; & ſicut Deus æquè producit voluntate ſuâ, ac intellectu ſuo, cùm producat tertiam perſonam ſibi æqualem ſic voluntas noſtra non debet eſſe ſterilis, ardor ipſius adæquare debet lumen ipſius; & niſi producat amorem ſacrum, ipſa nihil habet quod reſpondeat proceſſioni Spiritus ſancti: non ſufficit ad repræſentandam imaginem Dei, habere intellectum fœcundum, & verbum jugiter genitum, quo nullus producatur amor, ultimus iſte terminus neceſſarius eſt ad complementum iſtius imaginis; ſed cùm ignis iſte reperitur in nobis, tunc amor iſte perficit imaginem ſancti Spiritus in nobis, & characterem & ſimilitudinem ipſius nobis imprimit: *ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei* r.

p Gen. 1. 25. & 26.
q Gen. 9. 6
r Rom. 8. 16.

Amor convertit in naturam ſuam ſubjecta quæ ipſum ſuſcipiunt: ſi amor qui nos poſſidet, eſt terreſtris, reddit nos graves & materiales inſtar terræ, & transformat nos in hoc elementum; ſi adhæreat objecto nobiliori, & diligat cœlum, efficitur ſplendeos & incorruptibilis more cœli; ſed ſi elevans ſe ſupra ſeipſum, & ſuper omnia creata ut indigna ſuis affectibus, ad Deum uſque ſe protendat, totumque ſe Deo conſecret, Divinus aliquo modo efficietur ob nobilitatem finis & objecti ſui, communicando naturæ Divinæ, *Amor meus pondus meum, eo feror quòcumque feror*, ait S. Auguſtinus ſ. Si autem amor nos reddit Divinitates, oportet ut ſit ipſemet Divinus, nam ut communicet Divinitatem, debet illam habere, quia, ut vulgò dicitur, *Nemo dat quod non habet*. Si amor iſte eſt Deus, ſanè Deus eſt amoris, tertia perſona Trinitatis, Spiritus ſanctus, Deus qui eſt totus charitas, amor Patris & Filii, *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* t. Suam miſcet aliquo modo naturam cum eo, cujus cor ipſe ſuis accendit flammis, producendo in eo Divinitatem: ſi igitur amor iſte, qui nos Deos efficit, eſt amor Dei, oportet ut ſit Spiritus ſanctus, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* u. *Itaque Spiritus ſanctus datur Electis, non ſolùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo, quia per charitatem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialique modo. Propter quod ait Salvator, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis* x. *Et in Actis Apoſtolorum* y *legitur, quòd per impoſitionem manus Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus z. Et conſequenter Spiritus ſanctus divinizando nos, debet nos ſibi ſimiles efficere, & nos imagines ſuas reddere: atqui Chriſtiani tenentur diligere Deum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* a. Cum igitur videritis, quòd amor Dei nos reddit imagines Spiritus ſancti, faciens nos ſimiles Deo, & teneamur diligere Deum, tenemur etiam deferre imaginem Spiritus ſancti quaſi aliæ perſonæ divinæ: maximum autem infortuniorum quæ accidere poſſunt homini Chriſtiano, eſt, ſi deſtituatur hâc imagine deferendâ. Et iſtud eſt quod minitatus eſt, & inflixit Deus homini ab initio mundi, privando eum charactere Divini Spiritus ſui, eò quòd vitiis habenas laxaſſet, *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Cùmque vidiſſet terram eſſe corruptam: omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram* b. Econtrà cùm Deus aliquem mittit hominem, & officium aliquod ei committit, inſignit illum charactere Spiritus ſancti. Re autem verâ cùm ſic *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* c, impreſſit eidem Filio ſuo incarnato ſigillum Spiritus ſancti, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* d. Jeſus Chriſtus defert inſignia Spiritus ſancti, ut productio quæ ad ipſum pertinet, ut opus ipſius quod poſſidet ſanctitatem, *Ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* e. *Hunc enim Pater ſignavit Deus* f. Sic eſt imago Spiritus ſancti *Homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum* g, ut eodem repletus fuerit *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ* h. Chriſtianus non obſtringitur minori obligatione ad deferenda ſancti ejuſdem Spiritus inſignia, cùm enim *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto* i eodem, ſeu, ut ait Dion. Carthuſianus k, *Renatus fuerit, id eſt, ſpiritualiter regeneratus in fonte Baptiſmatis, ex aqua, quæ eſt materiale elementum corpus lavans, & diſpoſitivè regenerans, & Spiritu S. qui eſt inviſibilis actor intùs mentẽ purificans, & efficienter regenerans*, gra-

ſ S. Aug. l. 13. Conf. c. 8
t 1. Jo. 4. 16
u Rom. 5. 5
x Jo. 14. 16
y ex Act. 8. 17.
z Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5. 5
a Matt. 22. 37.
b Gen. 6. 3 & 12.
c Jo. 3. 16.
d Matt. 1. 20.
e Luc. 1. 35.
f Jo. 6. 27.
g Joan. 1. 6 & 7.
h Luc. 1. 15.
i Joan. 3. 5
k Dion. Carth. art. 8. in Joan. 3. 5

gratiam influendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis: &, ut dicit S. Thomas l: *Imago recreationis per quam reformatur imago creata; ſcilicet mens noſtra, eſt Dei gratia, quæ menti reparandæ infunditur*: & paulò pòſt: *Homo per naturam animæ participat ſecundùm quandam ſimilitudinem, naturam divinam per quandam recreationem ſive regenerationem*: ſolicitè cuſtodire debet hunc charactêrem, qui ipſum diſtinguit ab infidelibus, & collocat ipſum inter filios capaces hæreditatis cœleſtis m.

l S. Th. opuſc. 60. art. 1
m Epheſ. 1.13. & 14

Chriſtiani, perſungimini ne muniis iſtis? deferti sne charactêres ſanctiſſimæ Trinitatis? eſtisne illius imagines? actiones veſtræ exprimuntne operationes harum trium adorabilium perſonarum? dicine poteſt, quòd animæ veſtræ repræſentent iſtam ſacroſanctam Triadem? Heu non! ſi enim eſſetis illius imagines, ſimiles eſſetis ei; & tamen nullum præ vobis fertis ſimilitudinis ejus charactêrem: quomodo igitur eritis illius imagines, ſi nihil habetis quod ſit ei ſimile? *Cur imago, ſi ſimilitudinem non habet?* dicebat ſuprà S. Ambroſius n, loquens de Filio Dei. Trinitas eſt una Divinitas, una in eſſentia ſua, & trina in perſonis ſuis, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt* o. Hoc innuit, quòd iſtæ tres perſonæ habent eſſentiam eandem, ſed diſtinguuntur quantùm ad ſuppoſita. Pater non eſt Filius, nec Spiritus Pater & Filius; differunt in hypoſtaſibus ſuis, & in operationibus ſuis internis: Pater enim generat Filium ſuum, & nulli perſonæ divinæ debitor eſt ob nativitatem ſuam, cùm ſit ingenitus, ideò Theologia attribuit ei nomen, quod iſtam ritè demonſtrat veritatem, vocans eum innaſcibilem; *Filius* p generatur à Patre, & cùm eodem in unitate principii ſeu ejuſdem voluntatis ſpirat *Spiritum* q ſanctum, qui manet ſterilis & infœcundus terminans præfatas operationes internas: Filius procedit per viam intellectus, quæ eſt via cognitionis; principium verò Spiritus ſancti eſt voluntas, quæ eſt origo amoris; ſic cùm ſit productio amoris, eſt *Deus dilectionis* r. Ecce id omne, quod Chriſtiani repræſentare debent ad hoc ut ſint imagines ſanctiſſimæ Trinitatis. Chriſtiani repræſentare debent unitatem eſſentiæ divinæ, unione fraternâ quam tenentur habere ad invicem, quæ reddat ipſorum commoda, affectus, voluntates, & bona communia. Chriſtiani non formant niſi unicum corpus, quod eſt Eccleſia, *Quoniam unum corpus multi ſumus; omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus* ſ. Non deberent igitur habere niſi unum cor, unam voluntatem, & omnia ipſorum commoda deberent eſſe communia, inſtar fidelium Eccleſiæ primitivæ, qui rectè exprimebant hanc communitatem bonorum quæ eſt inter tres perſonas divinas, dicendo nihil eſſe ſuum ex iis quæ poſſiderent, æquè ac unitatem eſſentiæ illarum, habendo idem cor, & eandem voluntatem, *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia* t. Hæc autem unitas cordium & voluntatum, ſicut & iſta bonorum communicatio efficiebant ut in eis nullus famæ periret, ut innuunt verba ſequentia; *Neque enim quiſquam egens erat inter illos*. Et in hoc ſimiles erant tribus perſonis divinis, quarum liberalis communicatio, Patris qui communicat omnes theſauros ſuos Filio ſuo, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* u, & Patris & Filii qui communicant univerſas divitias ſuas Spiritui ſancto, ut ait Salomon x, Deum alloquens, *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus* l efficit ut nulla ſit inter eaſdem divinas perſonas egeſtas, ut dicit David y, Deum deprecans, *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Primis Chriſtianis perfectè imitantibus hanc communitatem bonorum quæ eſt inter divinas perſonas, non ſunt ſimiles Chriſtiani hujus temporis, quorum avaritia (ne dicam deprædatio, cùm multis ex illis jure merito poſſit improperari, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* z) mendicos fame perire ſinit, nedum exiguam ipſi impendant illis eleemoſynam; ſic non ſunt imagines Trinitatis, quia nullo modo exprimunt communitatem bonorum, quæ reperitur inter divinas perſonas. Minùs etiam deferunt imaginem & charactêrem unionis indiſſolubilis, quæ eandem nectit Trinitatem, cùm non ſit invenire niſi diviſionem inter Chriſtianos Principes qui continuis belliſ diſſident; inter Provincias & civitates, quarum incolæ jugibus diſcerpuntur jurgiis; inter conjugatos & propinquos, qui ordinariis agitantur altercationibus: non eſtis igitur, Chriſtiani, ſanctiſſimæ Trinitatis imagines, cùm præ vobis non feratis charactêres unitatis eſſentiæ ejus, ſed è contrà ita diviſi ſitis inter vos: exprimite igitur in vobis hanc unitatem unione mutuâ, & hanc bonorum communitatem quæ eſt inter perſonas divinas, ut aliquando uniri poſſitis eis, & ab illis ſuſcipere bona gloriæ.

n S. Ambr. l. 1. de fide c. 4
o 1. Joan. 5.7
p Pſ. 2, 7
q Joan. 15, 26
r 2. Cor. 13. 11
ſ 1. Cor. 10. 17
t Act. 4. 32. & 34
u Coloſſ. 2. 3
x Sap. 12. 1
y Pſ. 15. 2
z Jer. 2. 34

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et miſit ſervos ſuos horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Luc. 14. 16. &c.

IMmodicam populo ſuo Iſraëlitico bonitatem Deus exhibuit intuendam, cùm manna pavit illos in ſolitudine, ut hoc cibo paſti pervenirent ad terram promiſſionis, quæ erat figura terræ vivorum, ſeu gloriæ cœleſtis, ad quam deinceps aſpirabat Pſalmiſta poſſidendam, ſic Deum deprecans, *Clamavi ad te Domine, dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium* a. *Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra: manè quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum. Cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filii Iſraël, dixerunt ad invicem, Man-hu?* (*quod ſignificat, Quid eſt hoc?*) *ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes, Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. Filii autem Iſraël comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti ſunt, uſquequò tangerent fines terræ Chanaan* b. Hoc miraculum videmus hodie renovatum in convivio

a Pſ. 141. 6
b Exod. 16. 13. &c.

vivio Evangelii noſtri, quod nobis innuit epulas terræ viventium, ad quam ſuſpiramus: *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus* c. Ut ad hanc gloriam cœleſtem perveniamus, *Iam parata ſunt omnia*. Id eſt, ut ait S. Bonaventura d, *Paravit Dominus oppidum Eccleſiæ in mundo, convivium gloriæ in cælo.* De oppido dicit, *Vidi civitatem novam Ieruſalem à Deo paratam* e, *&c. Civitas eſt Eccleſia, in qua diaboli vincimus, vel evadimus. Unde: Nunc igitur notum ſit Regi, quoniam ſi civitas illa ædificata fuerit, & muri ejus inſtaurati, poſſeſſionem trans fluvium non habebis* f. *Rex iſte diabolus eſt. Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ* g. *Fluvius eſt Baptiſmus. Pſalmus* h, *Fluminis impetus, &c. Meritò enim ita debet eſſe, quòd trans fluvium Baptiſmi nullam haberet diabolus poteſtatem. Sed heu poſt Baptiſmum in hac civitate multos poſſidet, quia ipſam per multos annos obſidet. Civitas parva, & pauci viri in ea. Venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidione, inventuſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam. Et nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis* i. *Nota quæ ibi de hâc civitate dicuntur, Uſque ibi nullus deinceps recordatus, &c. Sed quia ſine victualibus teneri non poſſet, ideò non ſolùm parata eſt nobis civitas, ſed etiam eſca in civitate indeficiens, ſcilicet Corpus Chriſti: Paratum panem de cælo præſtitiſti* k *nobis, &c. Unuſquiſque carnem amici ſui comedet in obſidione* l. *Amicus eſt Chriſtus. Nullus ergo extra hanc civitatem ſalvari poteſt, niſi ſignatum eſt. Ubi legitur, quòd Lot in civitate Segor ſalvatur, quatuor aliis civitatibus igne & ſulphure ſubverſis* m.

De convivio verò ſubdit, *Parata ut ſique jam enim ſupra menſam poſita ſunt fercula, de quâ menſâ: Vt edatis & bibatis* n. *Nota, quòd delicioſos cibos, & potum Dominus dat hominibus in menſâ materiali, & quòd delicioſiores cibos, & potum gratiarum dat in menſa cordis ſpirituali, & quòd delicioſiſſimum cibum Corporis, & potum Sanguinis ſui dat in menſa Sacramentali.* Iſte eſt cibus, quem apponere volo menſæ diſcurſus iſtius, & iſte eſt potus quo debent pariter convivæ recreari uſque ad poſſidendam vitam æternam, *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ. Caro enim mea verè eſt cibus: & Sanguis meus, verè eſt potus* o, ajebat aliàs Dei Filius Judæis. Iſte eſt panis, de quo locutus eſt Zacharias p, *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum Electorum, & vinum germinans virgines?* Panis iſte compactus eſt in viſceribus B. Virginis Deiparæ q: cùm delicias illius deguſtare deſideremus, micas illius emendicemus interventu cœleſtis iſtius piſtricis, & ſumamus benedictionem cœli, antequàm incipiamus epulari, dicentes huic Virgini ſacratiſſimæ, *Ave Maria.*

Eſſe & alimentum naturæ viventis ſic mutuam inierunt ſocietatem ita diſponente divinâ Providentiâ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* r, ut natura ſuum non priùs ediderit fructum, cùm confeſtim parat ei alimentum conſtitutioni ipſius accommodum, & conſervando ipſius eſſe, & ad terminum propriæ perfectionis promovendo conſonum. Iſtud eſt axioma Clementis Alexandrini ſ, *Alimentum autem, quod eſt ipſum renovetens ac utile puello recenter compacto & nato, à Deo Altore & Patre eorum qui generantur & regenerantur, elaboratur, quemadmodum veteribus Hebræis manna cælitùs defluebat* t *ſupercæleſte Angelorum* u *nutrimentum. Certè nunc quoque nutrices id lactis, quod primum ad partum effunditur, eodem quo illud nutrimentum nomine manna appellarunt. Cæterùm mulieres quidem prægnantes, cùm matres factæ fuerint, lac emittunt.* Experientiæ ſunt ita frequentes, & ſic ſenſibiles in hac materia, ut non ſit opus aliâ ratione adhibendâ ad probandum iſtud principiū. Terra non priùs convertit granum in plantam, cùm ſtatim ſubminiſtrat humorem & adipem ſuum ad nutriendum hoc novum vegetabile recenter organis inſtructum fœcunditate ſuâ. Vix embrion incipit frui vita animali in utero matris, cùm ipſa productionem ſuam alit ſubſtantiâ ſuâ; & ubi pervênit ad maturitatem ſuam, lac naſcitur in uberibus ad nutriendum hoc opus perfectum ſubſtantiâ purioritate ut, ſicut vitæ augentur & magnificantur ad perfectionem uſque ſuam; ſic etiam requirant cibos perfectiores convenientes excellentiæ ſuæ: planta humectatur rore, animalia comedunt herbas, & homines devorant animalia.

Si autem tranſeamus ad gradum vitæ ſpiritualis, qui per gratiam elevat homines rationales ad ſtatum & conditionem naturæ Angelicæ, præparanda erunt nova alimenta congruentia huic perfectioni recenter genitæ, oportebit ut panis Angelorum apponatur menſæ hominum evectorum ad ſtatus Angelici perfectionem, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, ait S. Joannes x. Juſti ſunt veri filii Divinitatis, geniti in gratia non concurſu humano, ſed ſolâ fœcunditate Omnipotentiæ divinæ: eſſe divinum, quod ſuſcipiunt in hâc nativitate ſpirituali, meretur cibum cœleſtem: & ideò ſtatim ſubdit hic Evangeliſta juxta ordinem & effectus hujus divinæ Providentiæ, *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Id eſt, ut incorporaret ſe animabus noſtris ut alimentum ſolum excellentiæ illarum conforme. Verbum incarnatum, eſt Mater præbens nobis eſſe gratiæ, *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis* y. Ipſum debet ut ſapiens nutrix præparare nobis lac, quo ſumus alendi, ut ait apud Oſee z, *Ego quaſi nutritius Ephraim.* Et apud eundem Prophetam a loquens de anima reverſa in gratiam per pœnitentiam, ait, *Ecce ego lactabo eam.*

Iſte eſt cibus, quem Angeli deguſtant in cœlo, *In principio erat Verbum* b. *Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducant cæleſtes ſpiritus, & manducant & ſaginantur, & integrum manet quod eos ſatiat, & lætificat*, ait S. Auguſtinus c. Ecce ferculum quod apponitur menſæ Angelorum: ad iſtud homo non poterat admitti, eò quòd naturæ eſſet inferioris Angelis. *Quis autem homo poſſet ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret.* Sed ſtatim ac gratia renaſci fecit Angelos in terrâ, oportuit ut Verbum æternum, ut iſte cibus Angelicus ſe transformaret in lac, operiendo ſe candore ſpecierum Sacramentalium ad alendas animas noſtras divinizatas alimento congruo perfectioni earum, & ad accommodandam perfectionem cibi infiniti e capacitati creaturæ limitatæ. *Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, niſi per carnem trajiciatur?* Nam Mater hæc

c Hebr. 13.14. ex Mich. 2.10
d S. Bon. ſerm 3. Dom 2. poſt Pent.
e ex Apoc 21.2
f ex 1. Eſdr. 4.16
g ex Job. 41.25
h Pſ. 45.6
i ex Eccl. 9.14. & 15
k ex Sap. 16.20
l Jer. 19.9
m ex Gen. 19.23. &c.
n Luc. 22. 30
o Joan. 6. 48. &c.
p Zach. 9.17
q Luc. 1.38
r Sap. 8.1
ſ Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 6. in principio
t ex Exod 16.23. & ex Deut. 8.16
u ex Pſ. 77.25 & ex Sap. 16.20
x Joan. 1, 13. & 14
y Epheſ. 2.10
z Oſee 11.3
a Oſee 2.14
b Jo. 1.1
c S. Aug. conc. 1. in Pſ. 33
e Baruch 3.05

hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem incarnat mater; & per humilitatem mamillæ & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane paſcit nos Sapientia Dei? Quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis d. *Videte ergo humilitatem: quia panem Angelorum manducavit homo, ut ſcriptum eſt* e, *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo; Id eſt, Verbum illud, quo paſcuntur Angeli, ſempiternum: quod eſt æquale Patri, manducavit homo: quia cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo. Saginantur illo Angeli. Sed ſemetipſum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo* f.

d ex Joan. 1.14
e ex Pſ.77. 24.& 25
f ex Philipp. 2. 6. & 7

Iſta ſunt fœdera admirabilia divinæ Providentiæ, hi ſunt effectus prodigioſi Omnipotentiæ, hæ ſunt demonſtrationes bonitatis Dei, & iſti ſunt modi ineffabiles, quos ſapientia illius adinvênit ad nos ſatiandos, cumulando vacuum potentiarum noſtrarum, deſideriorum & cæterorum affectuum noſtrorum immenſitate g breviatâ h ſine diminutione aliquâ propriæ ſubſtantiæ ſuæ, quia *idem ipſe* i ſemper eſt. Si manna *cùm vidiſſent filii Iſrael, dixerunt ad invicem, Man hu? (quod ſignificat, Quid eſt hoc* k?) Quânam ceteri deberemus rationalis admiratione, videns Verbum æternum, hunc cibum cœleſtem & Angelicum, hoc manna divinum deſcendere de cœlo ad ſuſtentandam creaturam ſuam, & ad alendum viliſſimum vermiculum? Quid eſt iſtud? quænam eſt iſta novitas? quodnam eſt hoc mirabile? Divina Providentia ſubjicit minores creaturas ut alimentum præparatum ad alendas creaturas ſublimiores, & in iſta diſpoſitione contrarium intueor, cùm Deus ſemetipſum præbeat in cibum creaturæ rationali à ſe productæ.

g Baruch 3.25
h Rom.9. 28. ex Iſai. 10.23
i Pſ.101. 28 & Hebr.1.12
k Exod. 16.15

Diviſio. Hoc inducit me ad oſtendendam Primò vobis excellentiam iſtius cibi divini animarum noſtrarum: Secundò illius virtutem.

I. Pars. Antiqui Monarchæ mundi ut ſuas oſtentarent magnificentias, ſumptuoſiſſimas erigendas fategerunt epulas, ſuoſque oppiparè ſubditos in lautiſſimis exceperunt conviviis, ut magnis ſibi compararent impenſis auram volantem popularis applauſus, & per vanam famam viverent ſeculis futuris. Sic ſacra Scriptura l refert de Aſſuero, *qui regnavit ab Indiâ uſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem Provincias: Tertio anno imperii ſui fecit grande convivium cunctis Principibus & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe, ut oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus*. Sic Hiſtoria profana recenſet, quòd *Cleopatra, Ægypti Regina, Auletæ filia, ſoror & uxor Ptolemæi ultimi, mulier impudiciſſima, à Cæſare primùm adamata, cui filium Cæſarionem peperit: deinde ab Antonio juſtæ uxoris loco habita, relictâ Octaviâ Auguſti ſorore* m, diſſolvit uniones pretii inæſtimabilis, eoſque ſorbendos obtulit eidem Marco Antonio, ut ſuas extolleret prodigitates ſuper diſſolutiones ejuſdem M. Antonii, qui *ipſius captus amore, multa ipſius gratiâ nefanda admiſit, eique Regna multa conceſſit in Syria* n. Sic Romani ſua devòraverunt patrimonia, & Imperatores ſuos conſumpſerunt Status inter ſimiles profuſiones. Vanitas ſeu deſiderium exhibendæ ſuæ prodigentiæ ſic intimè pervadebat affectus ipſorum, ut in conventibus publicis amphitheatrorum, ad quos univerſus confluebat populus, darent unicuique, modò quandam pecuniam, quæ vocabatur moneta Imperatoria; modò menſuram frumenti, quam vocabant frumentariones; aliàs jugulabantur boves, & unuſquiſque illius ſuam habebat partem, & hanc diſtributionem nuncupabant viſcerationes; aliquando (videte exceſſum vanitatis eorum) Imperatores mittebant ſortem ſuper gubernationes civitatum, & Provinciarum, & quicunque arripere poterat globum volantem, qui vocabatur miſſile, confeſtim eligebatur ad moderamen hujuſmodi civitatum, aut Provinciarum.

l Eſth.1.3. &c.
m Calepin. in Diction. v. Cleopatra.
n Idem ibid. v. Marc. Antonius.

Sed quid poteſt vanitas contra veritatem? quid valet paupertas hominis ambitioſi, aut diſſolutione diſſluentis oppoſita divitiis inæſtimabilibus Dei miſericordiis? Cùm ſuos explicabit iſte theſauros in menſa parata ad extollendas magnificentias divinas, antiquæ liberalitates, quas mundus admirabatur, non erunt niſi indigentiæ. Iſtas intuemur magnificentias in præparatione convivii Evangelii noſtri. In diſtributione enim generali datur iſte cibus ad ſatietatem unicuique, *Et adipe frumenti ſatiat te* o. In hac menſa Euchariſtica Dei Filius non largitur carnem vitulorum, ſed propriam ſubſtantiam, non per partes, ſed totam indiviſibiliter & abſque ullâ diviſione, & conſumptione, ut concinit Eccleſia poſt S. Thomam, *Caro cibus, Sanguis potus: manet tamen Chriſtus totus ſub utrâque ſpecie. A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus: integer accipitur. Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille: nec ſumptus conſumitur.* In hoc globo viſibili ſpecierum Sacramentalium transfert in animas noſtras, non nominationem Præfecturæ, ſed ſecuritatem Regni cœleſtis, ut canit eadem Eccleſia, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* Non aliquam monetam, ſed Corpus ſuum, Animam ſuam, Sanguinem ſuum, & Divinitatem ſuam. Mirabile viſu hunc unionem Orientalem, unicè unicum, & pretii inæſtimabilis diſſolutum in potum noſtrum ad incorporandum ſe animabus noſtris *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto* p.

o Pſ.147.3
p Luc.1.78 ex Zach.3. 9.& 6.12

Hoc opus eximium ſpiritu Prophetico præviderat & admirabatur Pſalmiſta q, dicens Deo, *Secundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.* Ubi verſio legit apud Genebrardum r, *Secundùm altitudinem tuam epulas inſtruxiſti, & paraſti filiis hominum.* Alia beneficia erant congruentia ſubjecto, quod ipſa ſuſcipiebat, nec replebant niſi vaſa vacua, ſicut ad orationem Eliſei, quæ prius erant viduæ vaſa vacua, oleo *plena* ſ fuerunt reddita: ſed excellentia iſtius doni non ſpectat niſi magnitudinem ejus qui hoc parat convivium. *Secundùm altitudinem tuam epulas inſtruxiſti, & paraſti filiis hominum.* Hic creatura non invenit niſi exceſſus ratione parvitatis ſuæ, hic omnia redundant beneficiis & favoribus. *Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio ejus* t. Rivus gratiarum nunquam areſcit, cùm ſuas Deus jugiter effundat benedictiones, *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ* u. Sed ubi ſpeciebus ſe operuit Sacramentalibus, ut ſe in cibum nobis traderet, fluvius inundavit præ exceſſu magnificentiarum ſuarum.

q Pſ.11.9
r Genebr. in Pſ.11.9
ſ 4.Reg.4. 6.
t Pſ.64.10
u Pſ.22.6

Cùm mittitur aliquod munus ad Monaſterium Monialium reclusarum, ſi illud ſit exiguis

mo-

momenti, illuc introducitur per gyrum, ſeu per rotam; ſed ſi ſit ingens & pretioſum, aperiendum eſt oſtium, ut detur ei ingreſſus in Monaſterium: munera, quibus Deus uſque nunc nos donaverat, erant exigui momenti intuitu amoris & magnitudinis ejus; hæc omnia tranſibant per gyrum, ſeu per rotam annorum, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate* x. x Pſ.64.10 Motum imprimes gyro vel rotæ annorum, benedictione tuæ paternæ bonitatis, & Monaſterium hujus mundi cumulabitur beneficiis & donis tuis. ſed cùm communicat nobis manna Corporis ſui adæquatum magnitudini ſuæ, *Secundùm altitudinem tuam epulas inſtruxiſti, & paraſti filiis hominum*: Tunc aperiendæ ſunt omnes januæ paradiſi, ut theſaurus iſte deſcendat in terras noſtras, *Januas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum* y. y Pſ.77. 23.& 24 Quia donum iſtud ſolum exhaurit abſque diminutione totum theſaurum gratiæ, meriti, & gloriæ; continet enim Jeſum Chriſtum qui eſt author gratiæ & gloriæ, *Quia* z Jo.1.17. *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* z. a Pſ.83.12 *Gratiam & gloriam dabit Dominus* a. Et totius meriti b Jo.15.5 principium, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* b. Et gloriam, æquè ac gratiam in ſuo eſſe divino ſubſtantialiter includit. Volens Iſaac certum reddere Eſau filium ſuum, ſe exhauſiſſe theſauros ſuos & potentiam ſuam, benedictionem impertiendo ſuam filio ſuo natu minori Jacob fratri ejuſdem Eſau, dixit ei, *Frumento & vino ſtabilivi* † Gen.27 37 *eum, & tibi poſt hæc, fili mi, ultrà quid faciam* †? Sic dicere poteſt Jeſus Chriſtus animæ Chriſtianæ, *Frumento & vino ſtabilivi te*. Quaſi ei diceret, Si ingrediaris enumerationem beneficiorum meorum, ecce terminus & exceſſus liberalitatum mearum, conſtitui hæreditatem tuam, præbui tibi arrhas gloriæ, nempe panem & vinum, ſeu Carnem meam, & Sanguinem meum: *Caro enim* c Jo.6.55. *mea, verè eſt cibus: & Sanguis meus, verè eſt potus* c. Iſte eſt terminus potentiæ meæ, & amoris mei, *Et tibi poſt hæc ultrà quid faciam?* Aliam promiſſionem myſterioſam hujus ineffabilis liberalitatis præ d Iſai.58. 13.& 14 noſtræ mentis oculis ponit Iſaias d. *Si averteris a Sabbatho pedem tuum, & vocaveris Sabbathum delicatum, & Sanctum Domini glorioſum* Id eſt, Si converteris ſolemnitatem Sabbathi in feſtivitatem Dominicæ, quid accidet? *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Hoc eſt, cùm tranſtuleris Sabbathum in Dominicam per converſionem ad Chriſtianiſmum, magnificabo te ſupra omnes populos, *Et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Id eſt, *Frumento & vino*, quæ ſtabiliverunt hæreditatem illius antiqui Jacob, & figuraverunt Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti, veri Patris fidelium, quos genuit, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* e. Et, *Facta eſt Eccleſia de* e Jo.19.34 f S.Aug. Conc.4 in Pſ.103 *latere Chriſti dormientis* f. Et quia promiſſa ſunt nulla, niſi ea Princeps obſignet, iis ſubſcribendo, Propheta concludit per ſigillum quod præbet nobis certitudines iſtius veritatis, *Os enim Domini locutum eſt.* Hæc ultima clauſula poteſt habere alterum ſenſum, *Os enim Domini locutum eſt*. Id eſt, Nemo philoſophetur ampliùs, quomodo id poteſt eſſe ut panis tranſubſtantietur in Corpus Jeſu Chriſti, & vinum in Sanguinem ejus, ut cibet nos *hæreditate Jacob Patris* noſtri? Sufficit ut Deus hoc dixerit, ut certos nos reddat de facto. Reſpondendum eſt difficultatibus, quas ratio apparens proponit fidei id, quod cæcus natus à Dei Filio perſpicax redditus, cùm *interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet, dixit eis, Unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò video* g. g Joan.9. 15.&c Si ſenſus, aut Hæretici poſtulant quomodo potentia Dei converrit ſubſtantiam panis & vini, in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis ſui, ſatis eſt ut ſciamus, & dicamus quòd ſubſtantia panis & vini mutatur verbis conſecrationis in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis *h* Jeſu Chriſti, qui ut alter *Jacob ſupplantavit* i fratrem ſuum natu majorem, id eſt, primam ſubſtantiam, ad hæreditanda accidentia. & quòd ſufficit ut Deus hoc dixerit, nedum rationibus præſumamus expugnare facti veritatem: *Os enim Domini locutum eſt.* h Matth. 26.26.&c i Gen. 27. 36

En excellentia iſtius divini cibi, in quo Pater æternus dat nobis Filium ſuum, & univerſa cum illo, *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* k? k Rom. 8.32 Utquid in hoc ſolo dono, quod continet ipſius eſſe divinum, non incluſit omnes alios theſauros ipſius, meriti, gratiæ, & gloriæ? Ad quam excellentiam pervenire poterat ille cibus, ac adæquare excellentiam Dei infinitè perfectam? quia Deus *magnus eſt, & non habet finem;* l Baruch 3.25 *excelſus, & immenſus* l, *& perfectus eſt* m. m Matth. 5.48 *Secundùm altitudinem tuam epulas inſtruxiſti, & paraſti filiis hominum* n. n Pſ.11.9. juxta verſ. Et quamnam majorem expectare poteramus largitatem ad agendas vices amoris & gratiarum Benefactori noſtro, quam propriam ipſius ſubſtantiam ab ipſo nobis ſic liberaliter ac magnificè impenſam?

Poëta quidam volens exprimere affectum amoris quo ducebatur immodicè, ait, quòd cùm Amor omnia pharetræ ſuæ evacuaſſet jacula, nedum cor ipſius ſagittis ſuis perforaſſet, ſemetipſum præcipitavit è cœlis ut jaculum in pectus ipſius, cum lampade ſua præ manu, in quo pectore ſic ingens excitaſſet incendium, ut ipſum præ amore redegiſſet in cineres: commentum iſtud figurat nobis opus eximium Amantis noſtri cœleſtis: jacula ſuorum vibraverat ipſe beneficiorum, nedum tamen ullo corda noſtra vulneraſſet amoris affectu; exivit *à Patre, & in mundum* o o Jo.16.28 venit perſonaliter cum igne & lampade amoris iſtius Sacramenti, *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur* p? p Luc.12. 49 Nihilominùs nullum intueor affectum, nullas flammas amoris, nec aliquas gratiarum actiones. Nunquid non igniti deberemus eſſe toti, cùm pectora noſtra ignis hic divinus ingreditur? *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* q. q Hebr.12. 29.ex Deut.4.24 Iſtum ſubſtantialiter recipimus ignem nedum experiamur effectum virtutis ejus, cùm voluntates noſtræ ſint frigidæ, & glaciei more ſint conſtrictæ, *Sicut gelidam ciſterna facit aquam ſuam ſic frigidam fecit malitiam tuã* r. r Jer.6.7 Fortaſſis non experimur effectum iſtius Sacramenti, eò quòd non agnoſcamus virtutem ejus, eam vado vobis declaraturus in hâc poſteriori parte.

II. Pars. S. Bernardus ſ volens exprimere famem inordinatam & inſatiabilem cupiditatis humanæ, ſ S.Bern. in Declamat. circa med. viſionem refert imaginariam, ſed myſterioſam, dicens, *Vidi ego aliquando quinque viros, quos ut phreneticos arbitrer? Primus ſiquidem buccis tumentibus marinam maſticabat arenam. Secundus ſulphureo aſtans lacui, exhalantem teterrimum fœtidiſſimumque geſtiebat haurire vaporem. Porrò tertius fornaci incubans vehementer accenſa, micantes ſcintillas biantibus excipere faucibus latabatur. Quartus ſupra pinnaculum templi* t *reſidens, levioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore; & ſi quominùs influere videretur,* t ex Matt. 4.5 *flabellis ſibi ventum ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aërem deglutire. Quintus ſeorſum poſitus ridebat cæteros,*

ipſe

ipſe quoque magis ridendus, & maximè: proprias enim
carnes incredibili quodā ſtudio ſugere laborabat, nunc
manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans o-
ri. Miſeratus homines, cauſamq; miſeræ ſitis eorum à
ſingulis, unam omnibus eſſe reperio, validiſſimam utiq;
famem. Tum verò macilentiſſimas eorum facies con-
ᵃPſ.101.5 *templatus, recordabar Prophetæ u gementis miſerabi-*
liter, & dicentis, Aruit cor meum, quia oblitus ſum co-
medere panem meum. Quid hæc vobis, inquio, proſunt?
Non ſunt naturales cibi: magis famem hæc provocant,
quam extinguunt. Panis namque animæ juſtitia eſt: &
ſoli beati qui eſuriunt illam, quoniam ipſi ſaturabun-
ˣex Matt. 5.6 *tur* x. Invanùm laboratis, avari, cumulare va-
cuū affectuum veſtrorum arenā mobili divitia-
rum; *Non ſunt naturales cibi.* Ambitioſi, ventus ho-
norum & officiorum ſpecioſorum nunquam vos
ſatiabit: *Magis famem hæc provocant, quàm extin-*
guunt. Minùs etiam impuritates carnis repletio-
nem afferunt impudicis: & ſcintillæ ultionū ma-
gis ſemper irritant famem iracundorum: *Non*
ſunt naturales cibi. Bos nō poteſt aurā repleri mo-
re chamæleontis, qui *ſolus animalium nec cibo, nec*
ʸCalepin. in Diction. v. Chamæleon. *potu aliter, nec alio quàm aëris alimenta* y. Nec leo
fœno poteſt infarciri ſicut bos; nec creatura ra-
tionalis rebus poteſt impleri caducis, cùm ſolus
Deus ipſi ſatiandæ conveniat: *Nimirum ad imagi-*
ᶻex Gen. 9.6 *nem Dei facta z anima rationalis, cæteris omnibus oc-*
cupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei,
quidquid Deo minus eſt, non implebit, concludit S.
Bernardus. Jeſus Chriſtus videns hanc genera-
lem famem, quæ omnes cruciabat mortales, *Quo-*
niam omne quod eſt in mundo, concupiſcētia carnis eſt,
ᵃ1. Joan. 2.16 *& concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* a, para-
vit convivium, ut mederetur inordinationibus
iſtius famis, accommodavit cibum Corporis &
Sanguinis ſui captui naturæ noſtræ: panis enim
Euchariſticus continens Divinitatem, ſolus po-
teſt animas noſtras ſatiare, & potentiarū noſtra-
rum replere vacuitatem. *Capacem Dei, quidquid*
Deo minus eſt, non implebit. Cibus iſte divinus ipſe
eſt qui eſt à nobis adorandus quandiu ipſum co-
medemus, *Manducaverunt, & adoraverunt omnes*
pingues terræ b. *Convertimini ad Dominum Deum ve-*
ᵇPſ.21.30 ᶜJoel. 2.13 *ſtrum* c ferventi deſiderio recipiendi vos in e-
mendatioris vitæ meliorem frugem, & replebi-
mini juxta menſuram deſideriorum veſtrorum,
ᵈPſ.80.10 *Dilata os tuum, & implebo illud* d. Jeſus Chriſtus
ᵉCant. 2.1 vocatur *Flos campi* e. Ut doceat nos, quòd gra-
tiæ ipſius generaliter offerantur omnibus. Ipſe
eſt flos abundantiæ, & ſatietatis, ut vertunt ali-
ᶠGhisler. expoſit. 1. in Cant. 2.1 qui apud Ghiſlerium f ex Hebræo. *Ego flos uberta-*
tis ſeu ſaturitatis. Quaſi diceret, Creaturæ, quibus
veſtros alligare poteritis affectus, erunt flores,
ſed areſcentes, & exiguæ virtutis ad ſatisfacien-
dum vobis, *Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat*
ᵍPſ.89.6 *& tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat* g. Si
accedatis ad hortum Eccleſiæ meæ ad deguſtan-
dum hunc florem in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sa-
cramento, invenietis me eſſe florem ad ſatiandū,
Ego flos ſaturitatis. Et florem pulchritudinis incō-
ʰPſ. 49.11 parabilis, *Pulchritudo agri mecum eſt* h. Sed florem
bonitatis inæſtimabilis, qui ſolā præſentiā re-
ⁱPſ.16.15 creem, æquè ac ſatiem, ut dicit mihi Pſalmiſta i
meus, ad me ſuſpirans, *Satiabor, cùm apparuerit*
gloria tua.

Creatura non reficit, & dato quòd ipſa habe-
ret potentiam reficiendi, ipſa non ſufficeret; & ſi
ſufficere poſſet, ipſa non duraret: ſed ipſa ſobitò
deficit, relinquens nobis in ore ſalivam deſiderii
abſque ullo oblectamento: at cibus divinus iſtius
Sacramenti reficit animas noſtras, cùm ſit ſubſtā-
tia accommodata captui naturæ earum; ſufficit ᵏBaruch 3.25
illarum immenſitati, cùm ſit infinita k; nec defi-
cit, cùm ſit æterna l. Non eſt iſte cibus inſtar ci- ˡDan. 13.42
borum mundi mortuorum, *Ego ſum panis vivus, qui*
de cœlo deſcendi m. Cibi mundi, cùm ſint corrupti- ᵐJo.6.51
biles, introducunt in nos corruptionem, & con-
ſervantes vitam, nobis inferunt mortem: repa-
rantes enim humorem radicalem, officiunt calo-
ri vitali: ſed iſtud alimentum vitæ, eſt antidotum
immortalitatis, reparat vaſtitatem cupiditatis
ut caloris depravati, redintegrat humorem uni-
tivum mediā gratiā, quæ reunit affectus noſtros
principio ſuo, & vitam nobis affert abſque ullo
diſpendio, *Qui manducat hunc panem, vivet in æter-*
num n. Panis ordinarius devoratur à calore na- ⁿJo.6.59
turali qui ipſum conſumit, ipſumq; transmutat
in ſubſtantiam noſtrā; hæc conſumptio & trans-
mutatio eſt cauſa noſtræ famis, quæ nos ad nova
diebus ſingulis inducit alimenta quærenda: ſed
cibus iſte divinus transmutat nos in ſemetipſum,
noſtras devorat cupiditates igne amoris ſui, ne-
dum tamen ipſe conſumatur, ut concinit Eccle-
ſia poſt S. Thomam. *Caro cibus, Sanguis potus: manet*
tamen Chriſtus totus ſub utrâque ſpecie. A ſumente non
concifus, non confractus, non diviſus, integer accipitur.
Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille:
nec ſumptus conſumitur. Iſtud eſt quod continuam
cauſat ſatietatē continuā præſentiā divinā; ideò
S. Auguſtinus o ſibi videbatur divinā audire *tan-* ᵒS. Aug. l. 7. Conf. c. 19
quam vocem de excelſo Cibus ſum grandium, creſce &
manducabis. Nec tu me in te mutabis ſicut cibum car-
nis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Ratio hujus trans-
mutationis ſubſtantiæ eruitur è Philoſophiā: In-
ter duo agentia activius victoriam reportat: cùm
ſit *panis vivus*, & activior homine, qui ipſum co-
medit, ſequitur quòd conſervet ſuum eſſe, & mu-
tet hominem virtute ſuâ, non mutatione phyſi-
câ, ſed morali, quæ ſpoliat naturam noſtram ve-
teribus accidētibus vanitatis, cupiditatis & pec-
cati, conſervando eſſe ſuum: ſicut è contra Cor-
pus Jeſu Chriſti in hoc Sacramento ſubſtantiam
panis expellit, cuſtodiendo illius accidentia.

Nova ratio, quæ probat veritatem præfatæ ſa-
tietatis admirabilis, hæc eſt: Iſtud eſt ordinariū
in naturā, quòd cibi ſuam virtutem cōmunicant
illi, qui ipſos comedit. Obſervāt Naturales, quod
quidam Indi nutriti carne viperæ, ſerpentis iſtius
morſum non metuebant: Quòd viperæ Arabicæ
nullum præ ſe ferunt venenum, quia aluntur bal-
ſamo abundātiſſimo in regionibus illis: Et quòd
quædam animalia ultramarina viventia cynna-
momo, inde evadunt incorruptibilia, ſic ut ipſo-
rum caro nunquam putreſcat: Quantò potiori
ratione cibus iſte vivus & divinus, qui nos tranſ-
format in eſſe ſuum, habebit hanc prærogativā
communicandarum nobis virtutum conformiū
naturæ ſuæ? Et quomodo cum hâc communica-
tione noſtras non ſatiabit animas? Non latet nos,
quòd motus ceſſat in termino, & deſiderium in
poſſeſſione rerum concupiſcibilium: ſi Deus eſt
terminus perfectionis noſtræ, & objectum quod
omnia complectitur deſiderabilia, quomodo
præſentia ejus noſtris limites non imponet deſi-
deriis, & eſſe illius communicatum noſtras non
ſatiabit animas? Oportet aut ut ſimus fide deſti-
tuti, & negemus veritatem iſtius divini Sacra-
menti, aut ut veram iſtam repletionem confitea-
mur. Teſtes invoco vos, Animæ devotæ: in ma-
teria enim ſatisfactionis, experientia prævalet
rationi, & res Dei ſunt deguſtandæ, ut agnoſcā-
tur; *Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere, ex-*

pertus poteſt credere, quid ſit Ieſum diligere, canit Eccleſia. Audacter ergo dicite, quænam ſit ſatietas veſtri cordis in hac menſa, degoſtatis cibi hujus oblectamentū, quandiu ipſum vobis rememoro.

Nulla ſit unqoam in Scriptura ſacra mentio alicujus figuræ iſtius Sacramenti, quin reperiatur in illa ſatietas & repletio. De manna ait Moyſes, *Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum* p. Et de melle ſtillante e petra, figurâ etiam iſtius Sacramenti, ut ait Lorinus q, dicit Pſalmiſta r, *Et de petra, melle ſaturavit eos.* Audite homines famelici qui circuitis mare & terram, nec aliquid invenitis quod poſſit vos ſatiare: hæc eſt fames canina, quæ reddit vos furioſos, *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem* ſ. Scio quidum quænam ſit illius ratio: Vultis ut vanitas honorum vos ſatiet, concupiſcitis appetitus veſtros replere divitiis, voluptatibus, & vindictis, deſeritis Deum, qui ſolus poteſt vobis ſatisfacere, *Comedent, & non ſaturabuntur*, ait Oſee t de ſimilibus hominibus. Et ſtatim ſubdit illius rationem: *Quoniam Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo.* Undenam exiſtimatis quòd oriatur hæc triſtitia, quæ veſtras rodit conſcientias, hæc inquietudo famelica, quæ veſtram devorat pacem internam? Sanè ex eo quòd deſerentes Deum, nō acceditis ad hoc Sacramentum, *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum* u. Deſerite igitur cibos corruptibiles, qui non faciunt niſi irritare famem deſideriorum veſtrorum, & accedite ad illam ſacram menſam, ut deguſtetis hunc cibum vivum, qui ſolus verè & perfectè vos ſatiare poteſt.

p Exod. 16.15
q Lorin. in Pſ. 80.17
r Pſ. 80.17
ſ Pſ. 58.15
t Oſee 4.10
u Pſ. 101.5

Tempus eſt ut auferatur menſa, cùm repleti ſunt convivæ. In nobis ſunt potentiæ animales, & rationales aliæ; nec aliquid eſt quod in mundo poſſit iſtas ſatiare, ſicut nec illas. Fortaſſis omnes iſtæ potentiæ inſtar canum famelicorum circumeunt urbem mundi, & rodunt lapides, & oſſa arida, quæ nullam tribuent ipſis unquā quietem, aut refectionem, *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem* x. Si velitis hinc intelligere famem potentiarum externarum, auſcultate Salomonem y dicentem, *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Et S. Bonaventuram z ſic ratiocinantem poſt eum, *Et quia duobus ſenſibus maximè addiſcimus, viſu ſcilicet, & auditu, oſtendit, quòd in neutro eſt ſatietas: & propterea dicit: Non ſaturatur oculus viſu. Oculi enim hominum inſatiabiles* a: *nec auris impletur auditu: quoniam eſt ibi pruritus audiendi nova & curioſa. Ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus* b. *Et ratio hujus eſt, quia illud, in quo eſt vera ſatietas, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* c: *& quod in his terrenis non poſſit refici, oſtendit: quia oculus, & auris vult nova percipere: ſed nihil in novitate manet: ergo auris, & oculus in nullo implentur.* Si agatur de fame potentiarum internarum, concupiſcibilis, & iraſcibilis, nunquid non inſatiabiles ſunt in ipſa fruitione propriorum objectorum, æquè ac quinque externæ. De quibus omnibus ſic loquitur S. Bernardus d, *Poſtremò ut cætera ſileam, cùm ſine jugo eſſe non poſſint, quale hoc ſtultum eſt, eligere potiùs quinque, quàm unū? Quis enim poteſt ſervire quinque dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prædonibus? Siquidem oculus meus deprædatur animam meam* e. *An non ſæpè aliud gula exigit, ad aliud pruritus aurium vocat? Sic & odoratus & tactus diverſa imperant, interdum ſo ſitan & adverſa; dum uterque communem ſibi geſtit præripere ſervum,*

x Pſ. 58.15
y Eccl. 1.8
z S. Bon. in Eccl. 1.8
a ex Prov. 27.20
b 2. Tim. 4.3
c ex 1. Cor. 2.9. & Iſai. 64.4
d S. Bern. in Declamat. circa med.
e ex Thrē. 3.51

& trahit ſua quemque voluptas. Vides excuſationem hominis, qui propterea Chriſtum non ſequitur, propterea excuſat à nuptiis, quòd juga boum emerit quinque. Contendunt ambitio, & elatio cordis, altera nidum, altera foveam parat. Volare altera jubet, repere monet altera, cùm neutrum profectò ſit hominis. Avaritia quoque & appetitus laudis invicem adverſantur; & quod hæc congregat, hic diſpergit. Hæc autem omnia ſimilia, que ac diſſimilia mala ex unâ radice pullularunt, propria ſcilicet voluntatis. Hujus enim ſanguiſugæ duæ ſunt inſatiabiles filiæ, clamantes, Affer, affer f. Ratio minus habet proportionis cum rebus his viſibilibus, & conſequenter minus ſatietatis. Uno verbo, Omnes potentiæ præfatæ ſatiari non poſſunt niſi præſentiâ Dei: *Nimirum ad imaginem Dei facta* g *anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit*, ait idē S Bernardus h. Hæc igitur vacuitas repletur in hoc Sacramento. Et videtur Propheta i de hac re nos certos reddere, cùm ait, *In circuitu impii ambulant.* Quaſi diceret, Peccatores anxiati fame crudeli circumeūt, ſed ad impediendam hanc deordinationem, & ad ſiſtendum hunc motō, ſtatim ſubdit idem Pſalmiſta juxta verſionem præfatam, *Secundùm altitudinem tuam epulas inſtruxiſti, & paraſti filiis hominū.* Id eſt, ad terminandum eorum deſiderium, & ad explendas penitus illorum potentias univerſas.

f ex Prov. 30.15
g ex Gen. 9.6
h S. Bern. in Declamat. circa med.
i Pſ. 11.9

De voluntate nemo ambigit, cùm ſuſcipiamus in hoc Sacramento objectum ſolum ſummè amabile. De intellectu patet, cùm illuſtrationibus & revelationibus fidei magis ac magis agnoſcat perfectionem primæ Veritatis. Jeſus Chriſtus eſt *Sol nubilis* k ſpecierum Sacramentalium velatus, illuminans intellectum, & inflammans voluntatem. Iſtud Sacramentum replet vacuum, ſiſtit famem, & temperat ardorem duorum appetituū, concupiſcibilis, & iraſcibilis, *Nonne ardorem refrigerabit ros* l? Ipſum eſt manna, qood replet menſuram, quam nihil aliud cumulare poteſt, *Cùmque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & manna* m. De hoc Sacramento ſic loquitur Joel o, *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Jeſus Chriſtus eſt fons, domus illius eſt ædificata ſpeciebus Sacramentalibus quæ ipſum operiunt oculis noſtris; torrens ſpinarum eſt appetitus tam iraſcibilis, quàm concupiſcibilis: egredietur igitur virtus ex hoc Sacramento ad irrigandum torrentem ſpinarum, extinguendo cupiditates noſtras, & teplēdo inundatione gratiarum ſuarum canalem affectuum noſtrorum. Imaginationi non minùs ſit ſatis: eam comparare poſſem mulieri, *quæ ſanguinis fluxum patiebatur*, cùm fimbria *veſtimenti* p, ſeu præſentia Dei ſiſtat fluxum evagationum illius. Mitto enumerationem aliarum, quarum ſingulæ habent objectum ſuum ſupremum, & plenitudinem ſuam in hoc Sacramento. Oculi. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum* q. Aures, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* r. Et ſic de cæteris ſenſibus, & aliis potentiis, ita ut qui ad hanc Communionem accedit, concinere poſſit hoc Canticum, *Quam dilecta tabernacula tua* ſ, &c. Iſtud eſt deguſtandū ex hoc cibo poſt agnitam excellentiam, & virtutem ejus: *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam: & divinæ conſors factus Naturæ* t, *noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento cujus Capitis, & cujus corporis ſis membrum* u, ait S. Leo x, ut pervenire valeas ad gloriam.

k 2. Mach. 1.22
l Eccli. 18.16
m Num. 11.9
o Joel. 3.18
p Matth. 9.20. &c.
q Job. 19.26
r Pſ. 84.9
ſ Pſ. 83.1. &c.
t ex 2. Petri 1.4
u ex Eph. 5.30
x S. Leo ſerm. 1. de Nativ. c. 3.

DOMI-

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Hic peccatores recipit. Luc. 15. 2. &c.

FAmoſiſſimæ, celeberrimæ, & optimæ moratæ Reſpublicæ antiquæ ſemper ſategerunt exhibere ſe commendabiles, & antecellere omnes alias aliquâ re particulari & ſingulari: Reſpublica Romanorum fuit glorioſa, & valdè celebrata tam propter eximia facinora ſua bellica, quàm propter ſapiens regimen ſuum, ferens pro inſcriptione, quæ conciliabat ipſi formidinem malorum, æque ac amorem Bonorum.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Græci magnificaverunt ſemper ſapientiam ſuam, præferentes ſe aliis ob iſtam qualitatem: Quin imò & ipſi homines particulares, gloriâ ducti, ſoliciti fuerunt de comparanda ſibi aliquâ virtute ſpeciali & ſingulari, quâ ſe poſteritati commendabiles exhiberent: Moyſes, & David excelluerunt manſuetudine: *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra* a. Et David ait de ſe, Deum alloquens, *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus* b. Salomon commendabilis fuit ſapientiâ, ſicut ipſemet ait, *Ecce præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Jeruſalem* c. Joſias religione & pietate, *Memoria Joſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini. Ipſe eſt directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ſuum, & in diebus peccatorum, corroboravit pietatem* d. Alexander Magnus magnanimitate. Cæſar clementiâ, & ſic de aliis: ſed gloriæ & excellentia Reipublicæ Chriſtianæ ſuper omnes alias, non eſt alia niſi miſericordia; & inſigne Filii Dei incarnati, nonniſi iſtud, *Hic peccatores recipit. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* e per Mariam Matrem ipſius, quæ nos illuc diriget confeſtim ac ipſi dixerimus, *Ave Maria.*

a Num. 12. 3.
b Pſ. 131. 1. et 1. Reg. 14. 7.
c Eccl. 1. 16.
d Eccl. 49. 1, &c.
e Hebr. 4. 16.

Deus qui in ſe ſemper eſt *idem* f, nedum ſit obnoxius ulli mutationi, *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* g: *Dicit Dominus exercituum; Ego Dominus, & non mutor* h: videtur extra ſe, & quantùm ad actiones ſuas exteriores mutabilis: ſi enim eum conſidero in principio mundi, in ſtatu legis naturæ, & legis ſcriptæ; video quòd converſetur cum hominibus, ſed quomodo? totus terribilis & formidabilis. Ipſe eſt ignis ad quem propè non licet accedere, *Dominus Deus tuus, ignis conſumens eſt* i. Et Arca Teſtamenti in qua ipſe habitabat, ut in umbra, tantæ majeſtatis erat, ut ſolus ſummus Sacerdos eam videre poſſet, & ad illam accedere ſemel annis ſingulis duntaxat, cum hac expreſſa prohibitione ne quis ad hanc Arcam, quã *ſemel in anno ſolus Pontifex* k adibat, accederet, *Cavete ne appropinquetis ad Arcam* l. Et ideò defectu reverentiæ, *percuſſit Dominus de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent Arcam Domini: & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Et dixerunt viri Bethſamitæ, Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti hujus? & ad quem aſcendet à nobis* m? Cùm deſcendere deberet ſuper montem Sinai, ut ibi daret legem ſuam, prohibuit ſub pœna mortis oppetendæ incurrendâ, ne quis eum tangeret, *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur* n. Quid terribilius? Ipſe erat *leo* o, cujus rugitus univerſum mundum terrore concutiebat: ideò filii Iſraël deprecabantur ut ipſos non alloqueretur, ne fortaſſe morerentur, *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur* p. *At ubi venit plenitudo temporis* q, ecce mutatio, *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*, ait S. Paulus r. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus ſ, *id eſt, hoc tempore gratiæ, quando advenit temporis plenitudo, in qua ſtatuit Deus ſuccurrere mundo, ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus* t, *apparuit mundo per Chriſti viſibilem ac corporalem præſentiam: Vel poſterioribus, ſcilicet, nobis per fidem: de quibus dictum eſt, Beati qui non viderunt, & crediderunt* u; *benignitas, id eſt, clementia & humanitas à Verbo aſſumpta, Salvatoris noſtri Dei, id eſt, Chriſti, qui eſt Deus & Salvator noſter; Hæc apparuerunt viſibiliter Chriſto in terris cum hominibus converſante* x, *quando circuivit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo* y. Non eſt ampliùs ipſe formidabilis, ſed *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* z ſe: aliàs erat *in cælo miſericordia* a ejus, & non experiebamur niſi effectus juſtitiæ ejus, ut cùm *factum eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram: & multiplicatæ ſunt aquæ: conſumptaque eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram: & delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus* b, &c. & cùm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adversùs Dominum rebellaverunt: & aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* c. Sed nunc cùm is *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d eſt, *Miſericordia Domini plena eſt terra*, dicit nobis David e. Et alibi f, *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Non eſt ampliùs ipſe *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum* g. Nec prohibemur ampliùs ne ad ipſum accedamus, ſed econtra invitamur ut ipſum adeamus, certi redditi quòd ab ipſo ſuſcipiemur amantiſſimè, cùm dicat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* h. Aliàs longè eramus ab eo, ſed modò facti ſumus propè, dicit nobis S. Paulus i, *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.* Eramus longè per peccatum, cùm nihil nos magis elonget à Deo, quàm peccatum, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* k. Sed nunc ſumus propè per gratiã, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt*, ait S. Joannes l. *Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes, Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Videbimus igitur Primò rationes, propter quas Dei Filius tantùm laborat ad convertendos peccatores. Secundò, Admi-

f Pſ. 101. 28. & Heb. 1. 12.
g Jac. 1. 17.
h Malach. 3. 5, & 6.
i Deut. 4. 24.
k Hebr. 9. 7, &c. ex Exod. 30. 10.
l Joſue 3. 4.
m 1. Reg. 6. 19, & 20.
n Exod. 19. 12.
o Amos 3. 8.
p Exod. 20. 19.
q Gal. 4. 4.
r Tit. 3. 4.
ſ Dion. Carth. art. 3. in Tit. 3. 4.
t Luc. 1. 70 ex Pſ. 131. 17.
u Joan. 20. 29.
x ex Baruch 3. 38.
y ex Act. 10. 38.
z Pſ. 85. 5.
a Pſ. 35. 6.
b Gen. 7. 17, &c.
c Num. 26. 9 & 10.
d Philip. 2. 6, & 7.
e Pſ. 32. 5.
f Pſ. 33. 9.
g Pſ. 65. 5.
h Matt. 11. 28.
i Epheſ. 2. 13.
k Iſa. 59. 2.
l Jo. 1. 17.
Diviſio.

rabimur miſericordiam ejus, quæ ipſum indu-
cit ad ſuſcipiendum eum quem omnes creaturæ
rejiciunt. Tertiò, Quòd ipſe non ſolùm ſuſcipit
peccatorem qui venit ad ipſum, ſed etiam illum
quærit, cùm vel peccator ab ipſo recedit.

I. Pars. Prima ratio propter quā Dei Filius tantā im-
pendit operā ad convertendū peccatorem, eū-
m Jo. 6. 38 & 39. que redigendum ad juſtum obſequium, eſt, quia
talis eſt voluntas Patris cœleſtis ipſius, & tale eſt
n Matt. 18. 14. mandatum quod ipſe ab eo ſuſcepit; unde ait i-
pſemet, *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem*
o 1. Tim. 2. 4. *meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me. Hæc eſt autem*
voluntas ejus, qui miſit me, Patris; ut omne quod dedit
mihi, non perdam ex eo m. Et alibi, *Sic non eſt vo-*
p Jo. 10. 30 *luntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat*
q Dion. Carth. art. 27. in Jo. 10. 30. *unus de puſillis iſtis* n. Et, *Qui omnes homines vult*
ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire o. Sci-
endum eſt, quòd in Jeſu Chriſto duplex eſt vo-
luntas, Divina, & humana. Voluntas Divina eſt
eadem quæ voluntas ſui Patris æterni, ſicut ipſe-
met ait, *Ego & Pater unum ſumus* p. Seu, juxta Dio-
nyſium Carthuſianum q, *Ego (ſecundùm naturam*
Verbi) & Pater unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter i-
dem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, notatur
eſſentia unitas individualis, non generica ſive ſpecifica,
r Luc. 22. 39, &c. *ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, in-*
ſinuat diſtinctionem perſonæ. Voluntas humana
eſt ſemper conformis voluntati Divinæ, ſicut e-
greſſus in montem Olivarum, ipſe poſitis genibus ora-
bat, dicens, Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me.
ſ Epheſ. 5. 2. *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat* r. Sicut
igitur ipſe ſciebat quòd talis erat voluntas Pa-
tris ſui, ut homines ſalvarentur, ſuam impendit
ipſe operam, & tradit ſanguinem ſuum, & vitam
t Gen. 24. 33. ſuam propter hunc eminentem effectum, *Sicut*
& Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro no-
bis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis ſ.
Eliezer famulus & procurator Abrahæ, quæ-
rens puellam deſpondendam Iſaac filio iſtius Pa-
triarchæ, cùm *appoſitus eſt in conſpectu ejus panis,*
u Jo. 4. 34. &c. *ait, Non comedam, donec loquar ſermones meos* t. Ser-
x 1. Theſſ. 4. 3 vus fidelis, qui non vult comedere, donec adim-
pleverit voluntatem Domini ſui: ſic Jeſus Chri-
ſtus cùm quæſiiſſet, & inveniſſet mulierem Sa-
maritanam, quam jam converterat, dicebat di-
ſcipulis ſuis, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem e-*
y Joan. 8. 49, & 50. *jus qui miſit me, ut perficiam opus ejus* u. *Hæc eſt enim*
voluntas Dei, ſanctificatio veſtra x.

Ad hanc eandem rationem pertinet deſideri-
um, quo Jeſus Chriſtus ducebatur, glorificandi
z Exod. 14. 4. Patris ſui, *Ego honorifico Patrem meum. Ego autem*
non quæro gloriam meam y. Atqui Pater æternus
magis glorificatur ex animarum ſalute quàm
a Exod. 15. 1. ex illarum jactura & damnatione. Deus educit
quidem gloriam è damnatis, & ex illorum pœ-
nis, ſicut ipſemet aſſerit, *Glorificabor in Pharao-*
ne z. Et, *Tunc cecinit Moyſes & filij Iſraël carmen*
b Deut. 7. 21. *hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino: glorio-*
sè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit
in mare a. Quia omnia mala, quæ damnati ſuſti-
nent, ſunt ipſis debita pro ſupplicio offenſæ ipſo-
rum, & contemptûs, quo Deum ſpreverunt; &
in ipſorum tormentis oſtendit Deus quàm ipſe
ſit *magnus, & terribilis* b. Cùm tantâ puniat ſeve-
ritate: ſed gloria, quam educit è Sanctis, major
eſt: quia gloria, quæ ipſi datur in cœlo, prove-
nit ex notitiâ eſſentiæ Divinæ ipſius, & ex dile-
ctione quâ ipſum diligunt Beati, & fruuntur i-
pſius felicitate, ſicut Patrem ſuum alloquens Je-
ſus, ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, Hæc eſt vita
æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem
miſiſti Ieſum Chriſtum c. Gloria, quam damnati c Joan. 17. 1, &c. 3.
illi tribuunt, eſt gloria coacta, quia inviti ſuſti-
nent rigorem juſtitiæ ejus: gloria verò, quam
ſuſcipit à Sanctis, eſt hilaris & voluntaria, *Beati*
qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculo-
rum laudabunt te, ait illi David d. Et Deus majo- d Pſ. 83. 5.
ris æſtimat honorem voluntarium ſibi exhibi-
tum, quàm violentum & coactum, *Voluntariè ſa-*
crificabo tibi, dicit ei idem Pſalmiſta e. *Hilarem* e Pſ. 53. 8.
enim datorem diligit Deus, inquit Apoſtolus f. Præ- f 2. Cor. 9. 7. ex Eccl. 35. 11.
tereà, Licèt pœnæ, quas damnati ſuſtinent, pro-
cedant à Deo, qui eas illis decernit ut *Iudex ju-*
ſtus g: tamen illæ habent principium ſuum à cri- g Pſ. 7. 12.
minibus illorum, quæ ſunt ipſarum cauſæ meri-
toriæ; & ideò reprobi & damnati ſunt potiùs
earum cauſa quàm Deus; ſed gloria Sanctorum
non ſolùm procedit à Deo; ſed etiam ipſi ipſam
merentur virtute gratiæ, quam ſuſceperunt à
Deo, *Perditio tua Iſraël: tantummodò in me auxili-*
um tuum h, dicit Deus. Ad cujus veritatis pro- h Oſee 13. 9.
bationem ait Iſaias i, Deum alloquens, *Quia non* i Iſai. 38. 18.
infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te. Et
Pſalmiſta k, *Non mortui laudabunt te Domine, neq;* k Pſ. 113. 25.
omnes qui deſcendunt in infernum. Ille igitur, quem l Pſ. 68. 10
zelus domus, id eſt, gloriæ Dei *comedit* l, conatur
ad eum perducere animas, quia inde gloriam
Deus educit ampliorem: & ideò Jeſus Chriſtus
tantam inſumit operam, cognoſcens quòd talis
eſt voluntas Patris ſui.

Secunda ratio, propter quam Dei Filius tan-
tùm laborat ad operandam converſionem pec-
catoris, eſt, quia *ſanctam civitatem Ieruſalem de* m Apoc. 21. 2.
cœlo m, gaudii incremento cumulat adventus
alicujus civis, quod non poteſt mens humana
concipere propter magnam charitatem Beato-
rum. Inferri poteſt iſtud gaudium ex oblecta-
mento quo perfunduntur Angeli in converſio-
ne peccatoris. Eſt enim magna differentia inter
gratiam & gloriam: homo enim poteſt amitte-
re gratiam, & non gloriam: & in hoc eſt eadem
differentia quæ datur inter ſemen & meſſem,
propter magna pericula, quæ incurruntur ante
meſſem, perdendorum fructuum: gratia eſt ſe-
men gloriæ: quod ſi tantum eſt gaudium intui-
tu peccatoris qui convertitur, & qui ſuſcipit
gratiam, propter ſpem, quæ concipitur, ſalutis
ejus: quantum gaudium erit reſpectu illius;
cùm pervenerit in cœlum? Beati gaudent, vi-
dentes deſideria ſua adimpleta eò quòd orave-
rint pro converſione ejus; & majori lætitiâ per-
funduntur intuitu pœnitentiæ ejus, quàm ſi eſſet
innocens, *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore*
pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem
Iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ, ait Dei Filius in
Evangelio noſtro. Sed quare majus eſt gaudium
in converſione peccatoris; quam in juſtitia in-
nocentis, cùm innocentia ſit majus bonum quàm
pœnitentia? Ad hoc quæſitum reſpondetur pri-
mò, quòd Dei Filius non loquitur de Juſtis ſim-
pliciter, ſed de injuſtis Phariſæis, qui volebant
apparere juſti, ut ait S. Paulus n: *Ignorantes enim* n Rom. 10. 3.
juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei
non ſunt ſubjecti. Qui nimirum, ut ait Dionyſ. Car-
thuſianus o, *propriā juſtitiam allegantes, & in legis* o Dion. Carth. art. 14. in Rom. 10. 3
carnalibus juſtitiis confidentes, ſeque propriis viribus
legem poſſe implere præſumentes, juſtitiæ Dei non ſunt
ſubjecti, quia ſic ſentiendo non Deo obediunt, nec ad ju-
ſtitiam quam fecit Deus in nobis per fidem confugiunt,
pro ejus confuſione rogando, ſed contradicunt eidē. Et
ideò dicit Iſaias p, *Multiplicaſti gentē, nō magnifi-* p Iſai. 9. 3.
caſti lætitiā. 2. Si hæc verba Salvatoris de vero
juſto

Digitized by Google

juſto intelligantur, reſpondetur, quòd ſi illi qui non agnoſcunt ſe peccatis oneratos, manent puſillanimi in via virtutis, nedum animent ſe ad proſecutionem ejus; & ſic ſunt negligentes ad operandum bonum, ſcientes ſe non feciſſe malum: econtrà de peccatoribus, qui memores ſe incurriſſe inimicitiam Dei, ferventiùs deindè in via Dei incedunt: & inde majus gaudium provenit, ſicut accideret Duci exercitus, qui intuitus militem præ puſillanimitate tergà vertiſſe, videret eundem puſillanimitatis ſuæ pœnitentem, & pudore ſuffuſum, deinceps demiſſo capite in medios hoſtium cuneos irruentem: & quemadmodum agricola magis amat agrum illum, qui poſtquàm à ſpinis & ſentibus purgatus eſt, meliora producit frumenta quàm ille, qui cùm nunquam tribulos germinavit, nunquam bonis fructibus fœcundus fuit. Tertiò, Reſpondetur, quia è Juſtis, qui manent in ſtatu juſtitiæ, non eruitur novum motivum gaudii; ſed è peccatore qui in bonam emendatæ vitæ frugem ſe recipit: ſicut pater magis gaudet de ſanitate filii ſui, quæ deſperata fuerat, quàm de valetudine firma aliorum omnium filiorum ſuorum, qui ægri non fuerant: & non ſecus ac ſi pater habens plures filios, quorum unus eſt mutus, ſi iſte loquelam ſuſcipit, magis gaudet de loquela illius quàm de libero uſu linguæ aliorum, propter novam rationem gaudii: ſic *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamen-*

[q Pſ. 18, 1, &c.] *tum* q. Solus peccator manebat mutus, *Ecce hominem mutum.* Sed rediens in gratiam, *locutus eſt*

[r Matt. 9, 32, & 33.] *mutus* r. Et ideò Angeli & Beati magno gaudio perfunduntur ob illius converſionem. Sed ut meliùs exprimatur iſtud gaudium, obſervate quòd ipſum non eſt ſolùm in Angelis, ſed etiam in Deo: nam tota ſanctiſſima Trinitas lætatur

[ſ Jer. 32, 41.] in converſione peccatoris, & ait per Jeremiam ſ. *Lætabor ſuper eis, cùm benè eis fecero.* Pater æternus lætatur, quia acquirit novum filium: *Quicumque*

[t Rom. 8, 14.] *enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei* t. Filius, eò quòd ſibi conciliet novum membrum, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſ-*

[u Epheſ. 5, 30.] *ſibus ejus* u. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt*

[x Coloſſ. 1, 18.] *principium* x. Et Spiritus ſanctus, quoniam adipiſcitur novum templum, quod ipſe inhabitat,

[y 1. Cor. 3, 16.] *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis* y? Deus autem non dicitur gaudere de novo, quaſi ſuſcipiens novum gaudium, *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris? aut quid ei confers,*

[z Job 22, 3.] *ſi immaculata fuerit via tua?* dixit Job z, hominem alloquens. Nam dato, ex ſuppoſitione, quòd univerſi damnarentur homines, Deus tamen nihil amitteret ordinarii gaudii ſui; nec majorem etiam lætitiam perciperet ex illorum ſalute, ſi cuncti ſalvarentur, *Dicit Dominus exerci-*

[a Malach. 3, 5, & 6.] *tuum, Ego Dominus, & non mutor* a. Sed gaudere dicitur in converſione peccatoris: ſi enim capax eſſet gaudii, ſuſciperet inde lætitiam: & ideò pro ſecunda ratione Filius ipſius Jeſus Chriſtus tantam inſumit operam ad eum convertendum.

Sed tertia ratio eſt, quia anima eſt ipſius creatura, opus manuum ipſius: *Ad imaginem quippe*

[b Gen. 9, 6.] *Dei factus eſt homo* b. Et hæc anima redempta fuit pretio ſanguinis & vitæ ipſius: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti,* dicit nobis S. Petrus c. Et ideò non

[c 1. Petr. 1, 18, & 19.] vult illam perdere, ſed laborem ſuum adhibet ad eam convertendam, Deus parcit Ninivitis, *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit* d. *Et afflictus eſt* [d Jon. 3, 10.] *Ionas afflictione magnâ, & iratus eſt: & oravit ad Dominum, & dixit, Obſecro Domine, nunquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharſis: ſcio enim quia tu es Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia* e. [e ex Pſ. 85, 5. & ex Joel. 2, 13.] *Et nunc Domine, tolle, quæſo, animam meam à me: quia melior eſt mihi mors quam vita. Et dixit Dominus, Putaſne benè iraſceris tu? Et egreſſus eſt Ionas de civitate, & ſedit contra Orientem civitatis: & fecit ſibimet umbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. Et præparavit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, & protegeret eum: laboraverat enim: & lætatus eſt Ionas ſuper hederâ, lætitiâ magnâ. Et paravit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum: & percuſſit hederam, & exaruit. Et cùm ortus fuiſſet Sol, præcepit Dominus vento calido & urenti: & percuſſit Sol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat; & petivit animæ ſuæ ut moreretur, & dixit, Meliùs eſt mihi mori quàm vivere. Et dixit Dominus ad Ionâ, Putaſne benè iraſceris tu ſuper hederam? Et dixit, Benè iraſcor ego uſque ad mortem. Et dixit Dominus tu doles ſuper hederâ, in qua nõ laboraſti, neque feciſti ut creſceret, quæ ſub unâ nocte periit: Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt pluſquàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & jumenta multa* [f Jon. 4, 1. &c.] *ſ?* Obſervate, ſi placet, hæc verba Dei Jonam alloquentis, *Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti,* &c. Tantam Deus inſumpſit operam ad convertendos peccatores, qui liberati à peccato, laudabunt ipſum in cœlo in æternum, ſicut laudaverunt Iſraëlitæ generoſam Judith, videntes ſe liberatos illius interventu. *Benedixerunt eã omnes unâ voce, dicentes, Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri. quia feciſti viriliter* g, &c. [g Judith 15, 10, & 11.] *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo* h. [h Apoc. 5, 9.] Et ideò tantum laborem adhibet, *Flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognoviſſes & tu,* &c. Dicit S. Lucas i, loquens de Filio Dei flente ſuper [i Luc. 19, 41, & 42.] Jeruſalem. Propterea deſerere debemus peccatum, primò quia talis eſt voluntas Dei; deinde ut lætificemus cœlum; tandem, ut agnoſcamus laborem quem Deus pro nobis ſumpſit, ne dicat, *In vacuum laboravi, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi* k. [k Iſai. 49, 4.]

[II. Pars.] Peccatum eſt talis naturæ ut eo ipſo quo ipſum patramus, omnes creaturæ inſurgentes in nos, nobis indicant bellum ut criminoſis, qui offendimus legitimum Dominum noſtrum, *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum* l. [l Sap. 5, 18.] Omnes creaturæ quaſi zelo ſancto armatæ ſervire intendunt loco carnificum, ad ulciſcendum Deum de injuſtitia noſtra: ſicut enim cùm ſumus in gratia, ipſæ nobis ſerviunt, cùm factæ fuerint propter obſequium noſtrum m; [m Gen. 1, 28.] ita cùm incurrimus inimicitiam Dei per crimina noſtra, ipſæ inſurgunt omnes adverſùm nos, ipſæ nos perſequuntur abſque ullis induciis, machinantes in omnibus & ubique ruinam noſtram. Videte quomodo ignis deſcendit aliàs è ſphæra ſuâ ad conſumendos peccatores & redigendos eos in cineres n: [n Gen. 19, 24. & 25.] *Aperiens terra os ſuum, devoravit* o illos: [o Num. 16, 10.] Aër mortem illis intulit infectione ſuâ p: Et mare ſubmerſit [p 2. Reg. 24, 15.] eos, *Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus* q. Omnia elementa ulciſcuntur injuriam [q Exod. 15, 10.]

Creatori ſuo illatam, & armant ſe omni eo quod præ ſe ferunt rigoris ad puniendos inimicos ejus: cœlum non poteſt illos unico vel momento ſuſtinere, *Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* r. [r Apoc. 12, 7, &c.] Tandem, Omnes creaturæ illos perſequuntur eò uſque ut homines ſecum deferant gehennam ſuam: *Caro enim concupiſcit adverſùs ſpiritum; ſpiritus autem adverſùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis illa faciatis*, ait nobis S. Paulus ſ. [ſ Gal. 5, 17] Et Job t [t Job 7, 20] ſic Deo queritur in perſona omnium peccatorum, dicens ei, *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Utquid permittis hanc contradictionem in me, motus iſtos diverſos, quibus ſic anxior? Cur naſci facis hæc bella interna quæ meipſum horrere me faciunt, & ſuſpirare ad mortem ut ad unicum remedium omnium malorum? Angeli, qui *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* u; [u Hebr. 1. 14.] nullam ſuſcipiunt ampliùs curam peccatorum: imò verò collocati ſunt à Deo *ante paradiſum, flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam* x, [x Gen. 3, 24.] ne quis ad illum accedat, præ manibus habentes: intuentur nos ut inimicos ſuos, æquè ac Domini ſui: & vix ſocii ipſorum offenderunt Deum, cùm illos *ad infernum in profundum laci* y [y Iſai 14, 15.] detraxerunt. Heu! quid agetur de peccatore? Quònam ipſe recurret inter tot perſecutiones? Nihil eſt, quod illum ſuſcipiat: elementa, Angeli, & Deus arma præ ſe ferunt adverſùs eum, ſolus Jeſus aperit brechia miſericordiæ ſuæ, & dat ei acceſſum ad ſe, *Hic peccatores recipit*. O exceſſus amoris Dei noſtri, ut fiat aſylum & refugium illi, cujus debebat eſſe vindex, benefaciens ei, à quo non ſuſcepit ipſe niſi injurias! Ha! peccator, quàm meritò dicere poſſumus, *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti* z. [z Thren. 3 22.] Hanc miſericordiæ Dei referre debemus acceptam gratiam, quòd omnes creaturæ inſurgentes in nos, ad ulciſcendas injurias ei à nobis illatas, mortem nobis non intulerint. Conſcientia fratricidii ſui ſtimulatus *dixit Cain ad Dominum: Omnis qui invenerit me, occidet me*. O amor, ſed amor in exceſſu! Ecce inter timores ſuos invenit in Deo Cain remedium ſuum, *Poſuitque Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum* a. [a Gen. 4, 13, &c.] Non ſecus ac ſi aliquis perfidus qui occidiſſet filium Regis, qui futurus erat hæres Regni illius, inquireretur propter iſtud crimen per totum Regnum, ita ut non ſupereſſet ei pro toto loco refugii niſi ſolum palatium Regis, cujus filium interemiſſet; & iſte Rex compatiens infortunio ejus, abſconderet illum in ſecretiſſimo palatii ſui loco; nunquid non immodicam exerceret erga eum miſericordiam? Ha! Auditores, ingredimini vosmetipſos; conſcii eſtis ejuſdem criminis, peccaſtis contra Deum veſtrum, & Filium ejus ad mortem damnaſtis, ſicut Deus Pater ipſemet ait, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* b. [b Iſai. 53. 8] Omnes creaturæ ſumpſerunt arma contra vos, ipſæ vos perſequuntur, ut mortem vobis inferant, quandiu tuentur cauſam Domini ſui; & ecce Deus veſter abſcondit vos, & liberat vos ab eorum furore, faciens ſe protectorem & aſylum veſtrum, *Hic peccatores recipit*. Et S. Auguſtinus c [c S. Aug. Conc. 3, in Pſ. 103, 18] his verbis Pſalmiſtæ, *Petra refugium herinaciis* addit, *& leporibus*. Peccator, ha! peccator eſt hericius plenus ſpinis pungentibus peccati: peccator eſt lepus timidus: *Frequenter enim præoccupant peſſima, redarguente conſcientiâ. Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia*, dicit Sapiens d. [d Sap. 17, 10, & 11.] *Quæ non habet tranquillitatis ſerenitatem*, ſubdit Gloſſa Ordinaria. *Petra autem erat Chriſtus*, ait S. Paulus e. [e 1. Cor. 10 4.] Ipſe permiſit & voluit, quòd miniſtri Pilati, *foderunt manus & pedes* f [f Pſ. 21, 17] ipſius, & *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* g, [g Joan. 19, 34.] ut inveniamus januas, per quas poſſimus adire *cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* h. [h Hebr. 4. 16.] Hoc confirmat S. Chryſoſtomus, i [i S. Chryſ. in Pſ. 90, 8] dicens, *Quicumque peccaverit, quaſi hericius eſt plenus ſpinis: quicumque timidus erit quia peccavit, quaſi lepus eſt conjunctis auribus fugiens à mala conſuetudine diaboli. Et quò fugit? Ad petram, magnum refugium*. Ibi declinabimus à ſagittis iræ ejus, quandiu nos inſequetur ipſius juſtitia; ſi ritè noverimus deliteſcere *in foraminibus petræ* k [k Cant. 2, 14.] iſtius, ſecuri erimus ab omni timore, & magis diligemur à Deo intuitu Filij ipſius, quàm odio habiti fuimus ab eo propter crimina noſtra: licèt enim peccata noſtra clament adverſùm nos; Jeſus Chriſtus tamen clamabit fortiùs in favorem noſtrum; & invitans Patrem ſuum ad deponenda arma iræ ſuæ, inducet eum ad effundendas ſuper nos gratias ſuas, ſicut S. Paulus l [l Hebr. 12. 24. ex Gen 4, 10] repræſentat nobis eundem *Teſtamenti novi Mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel*. Auſcultate, ſi placet, quomodo Jeſus Chriſtus nos alloquatur verbis iſtis, quibus alias David dicebat Abiathar fugitivo, *Mane mecum: ne timeas: ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque ſervaberis* m. [m 1. Reg. 22. 23.] Manete mecum per gratiam: nolite timere: cauſam veſtram tuebor, non ſecus ac meam; jura veſtra, erunt jura mea; & prorſus erit me offendere ac vobis nocere: omnem penitus timorem deponite; ſi meam cuſtodire ſatagatis amicitiam, creaturæ non habebunt erga vos niſi ſuavitates, & veluti reverentias. Etiam, Auditores: ex quo *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* n, [n Jo. 1, 14.] quibuſcum idem eſt, non poteſt Deus quin nobis parcet propter amorem ejus. Videte pro nota bonitatis ipſius, quòd ubi *erant appropinquantes ei publicani & peccatores ut audirent illum, murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes, Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*. Sed ſupereſt nobis examinandus major exceſſus miſericordiæ ipſius, quæ non conſiſtit ſolùm in recipiendis peccatoribus, cùm veniunt ad ipſum; ſed etiam in quærendis illis, cùm iſti ab ipſo recedunt.

[III. Pars.] Homo peccator recedit à Deo, & recedendo ab eo, incurrit jacturam ſuam, ita ut redire non poſſit ad illum, niſi Deus ipſemet ipſum quæret, *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Ubi es* o? [o Gen. 3, 9 &c.] Peccatum labyrinthus eſt, quicumque ſemel illuc ingreditur, inde propriâ exire non poteſt induſtriâ; ſed potiùs magis aberraret confeſtim ac ipſum intimiùs pervaderet; requiritur auxilium cœli ad exeundum ex hujuſmodi labyrintho, ſicut *Theſeus ab Athenienſibus Cretam miſſus à Minotauro devorandus, labyrinthum filo duce, quod*

Adria.

Ariadne dederat, evaſit, occiſo priùs Minotauro p. Iſtud filum eſt gratia Dei, quæ abſolutè eſt ei neceſſaria, & quam deſiderabat David hujuſmodi labyrinthum ingreſſus, dicens Deo, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me* q. Oportet ut Deus nobis manum ſuam porrigat, alioquin *abyſſus abyſſum* r invocabit, & ibimus è præcipitio in præcipitium, ſicut iſte Rex egit, qui patrato adulterio cum Bethſabee, addidit huic crimini homicidium, *Et ſcripſit David epiſtolam ad Ioab: miſitque per manum Uriæ, ſcribens in epiſtola, Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium: & derelinquite eum, ut percuſſus intereat* ſ, &c. Anteà princeps iſte, erat filius Dei, *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* t. Nunc autem ſervus eſt Satanæ, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* u. Et, *Magnus dæmon peccatum eſt* x. Priùs erat ovis Dei, nunc verò eſt ovis errans; & quò magis progreditur, eò magis aberrat, donec quæratur à Deo, & reducatur ad ovile Electorum, *Erravi ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum* y. Idem eſt quod contingit peccatoribus recedentibus æquè ac errantibus *à via veritatis* z. Et ideò clamare ad Deum debent ſinguli, more Davidis, *Erravi*, &c. En igitur ipſe venit, ſicut promiſerat, *Ecce ego ipſe requiram oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant* a. Sed quomodo venit? Nunquid in majeſtate, ſicut cùm deambulabat *in paradiſo ad auram poſt meridiem*, & *abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie* b ipſius, eò quòd ſuſtinere non valerent ſplendorem ipſius? Aut veluti cùm *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, eò quòd deſcendiſſet ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis* c? Nequaquam: ſed venit *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* d ſe; & charitativè ſuas viſitabit oves, ſicut paſtor agit erga gregem ſuum: & ſicut bonus paſtor nolens efferare ovem, ſumit pellem ovis; ita Salvator ut ſe conformiorem reddat hominibus, naturam ſumit humanam, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* e, ut homines, ſicut oves, non formident paſtorem ſuum, ſed ut adeant *cum fiducia ad* f eum, cùm amor generetur ex ſimilitudine. Quanta cura, quantus labor ad inveniendam ovem perditam! Quid agit Deus? ſed quid non agit ad lucrandam vel unicam animam? Tantum facit pro una, quantum pro omnibus; & tantum pro ſingulis, quantum pro una, ut ait illi S. Auguſtinus g, *O tu bone omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrûm tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.* Eſt quidem mirabile viſu eum ſic ſolicitum: ſed quia ex una parte non cognoſcimus infinitam majeſtatem Dei, & ex altera parte nihilum noſtrum: ideò non miramur ob curam ejus erga nos. Si magnus Rex aliquis per viginti aut triginta annos pauperem aliquam puellam requireret, & omnes induſtrias poſſibiles adhiberet ad conciliandam ſibi amicitiam ejus, nonne hoc eſſet inauditum? Sed etiamſi Rex totius mundi proſequeretur amore, non mulierem, ſed rem viliorem & abjectiorem, cumulando eam omni genere bonorum; nunquid non inde capeſſendæ majoris admirationis anſa daretur? Sed iſtud nihil eſt, comparatione ejus quod egit Deus quærendo animam multis annis, trahendo eam ad ſe multis beneficiis: nam, ut ait Iſaias h, *Omnes gentes*

p Calepin. in Diction. v. Ariadna.
q Pſ. 143, 7
r Pſ. 41, 8.
ſ 2. Reg. 11, 4, &c.
t 1. Reg. 13, 14.
u Jo. 8, 34.
x S. Chryſ. hom. 33. ex c. 9. Matt.
y Pſ. 118, 176.
z Sap. 5, 6.
a Ezech. 34, 11.
b Gen. 3, 8
c Exod. 19 16, & 18.
d Pſ. 85, 5.
e Philip. 2 7.
f Hebr. 4, 16.
g S. Aug. l. 3. Conf. c. 11.
h Iſai. 40. 17.

quaſi non ſint ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.

Miratus Job, quòd licèt ſit *homo putredo, & filius hominis vermis* i, tamen Deus inquiſitioni illius incumbat; & ideò dicit ei, *Quid eſt homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum* k? Sed ecce res major, quæ excedens cognitiones noſtras, extollit bonitatem Dei. Cùm homo recedit à Deo per peccatum, perdendo gratiam ejus, Deus ipſum quærit, ſtat *ad oſtium* l cordis ipſius pulſando *per viſcera miſericordiæ, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto* m. *Vox Dilecti pulſantis, Aperi mihi* n, &c. Ipſe proſequitur amantes eos qui ipſum deſerunt, quærit illos, & invitat ipſos ad reditum, *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* o. Si autem videt eos deliciis & voluptatibus immerſos, diſſimulat illorum *peccata propter pœnitentiam* p. Imò verò eos inde retrahit per promiſſiones præmii, *Sponſabo te mihi in fide* q. Et, *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, dicit nobis S. Petrus r. Cùm autem iſti ad juſtum revertuntur obſequium, ipſe quaſi diem feſtum agit, & vult ut gaudium ſit commune, ut eruitur ex Evangelio hodierno loquente de iſto bono Paſtore quærente ovem *quæ perierat, donec inveniat eam. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens: & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis, Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.* Non ait Dei Filius, congratulandum ovi, quæ cùm erraſſet, inventa eſt; ſed congratulandum ſibi. Quòd congratulandum ſit ovi, videtur iſtud evidens, cùm ipſa ſit erepta è faucibus luporum infernalium, & ſic à morte, erepta à Deo *de poteſtate tenebrarum, & in Regnum Filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum* ſ, tranſlata: tamen Jeſus Chriſtus ait, ſibi congratulandum: tantam enim habet curam noſtri, & ita noſtram cauſam amplectitur, ut ſit ipſi potiùs quàm nobis congratulandum: quippe qui magnam fecerit acquiſitionem, quia invénit *ovem quæ perierat.* Ubi obſervate, ſi placet, hîc effectum miſericordiæ erga hominem, qui non fuit exercitus erga Angelum. Angelus peccat t, & peccando recedit à Deo; Deus autem non ſequitur illum, ſed eum derelinquit. At ubi peccat homo, & fugit à præſentia ipſius, ipſe quærit eum, *Adam ubi es* u? Non ſolùm autem quærit eum, ſed etiam vocari facit eum ab Angelis x, & à Prophetis y, donec ipſe ſit *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* z, ut eum meliùs inveniret. Sed quamnam curam non adhibuit ad hanc inquiſitionem? Eandem ſecutus eſt ipſe viam ad eum inveniendum, quam ille tenuerat ad pereundum. Cuinam autem viæ adhæſit peccator ad incurrendam jacturam ſuam? Sanè itineri voluptatis, avaritiæ, & ſuperbiæ: *Quoniam omne id quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ* a. Et ecce Salvator volens hanc ovem reducere in ovile, venit per viam paſſionis, paupertatis, & humilitatis, ut ipſemet ait, *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea, humiliatus, & conturbatus* b. Non inveniens eam, it *in hortum Olivarum. Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* c. Venit domum Annæ, Caiphæ d, & Pilati e, ubi innumera tormenta

i Job 25, 6
k Job 7, 17
l Apoc. 3, 20.
m Luc. 1, 78, ex Zach. 3. 9. & 6, 12.
n Cant. 5. 2
o Cant. 6, 12
p Sap. 11, 24.
q Oſee 2, 20.
r 2. Petr. 3 9.
ſ Coloſſ. 1, 13, & 14.
t Iſai. 14. 13 &c.
u Gen. 3, 9 &c.
x Hebr. 1, 14.
y Iſai. 44, 22.
z Baruch 3 38.
a 1. Jo. 2, 16.
b Pſ. 87. 16
c Luc. 22. 39. & 44.
d Jo. 18, 13 &c.
e Jo. 19. 1. &c.

ta patitur, & opprobria: & nondum inveniens eam, ulteriùs progreditur. Jam venerat ovis ad carnificinam, decretum mortis latum fuerat adverſùs eam: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in* f Rom. 5. 12. *quo omnes peccaverunt* f. Sed iſte Divinus Paſtor vult ipſemet iſtud decretum mortis ſuſtinere, ut illam faciat vivere, ut canit Eccleſia, *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit.* Et prædixit ipſe per g Oſee 13, 14. Oſee g, *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ò mors, morſus tuus, ero, inferne.* Ovis pervenerat ad mortem uſque, & Pa- h Deut. 32. 10. ſtor *invênit in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis* h *eam: & cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens*, & reducit illam in ovile gratiæ ſuæ.

Quanti favores conceſſi peccatori ingrato, qui non agnoſcit omnes iſtas gratias, quique ſingulis momentis offendit Benefactorem ſuum! Heu! quàm merito jure vereri debet, ne tandem Paſtor ſuus faſtidiens tot labores, ipſum deſerat errantem & vagum inter rubos & vepres vitiorum ſuorum, & ſic *peccator adjiciet ad peccandum* i, è peccato labetur in peccatum, *abyſſus* i Eccl. 3. 29. *abyſſum* k *invocabit*, ubi peribit infeliciter. Ut k Pſ. 41, 8. autem occurrat huic infortunio, debet dicere Deo more Davidis l, *Erravi ſicut ovis quæ periit,* l Pſ. 118, 176. *quære ſervum tuum.* Heu! Domine, receſſi à te, qui receſſus eſt unicâ cauſâ omnium infortuniorum meorum, *miſerere meî ſecundùm magnam miſericordiam tuam* m. Et cùm permittas ut *publica-* m Pſ. 50. 3. *ni & peccatores* appropinquent tibi; firmiter ſtatuo redire ad te, qui reditus debet eſſe origo, unde derivabuntur omnes felicitates meæ, ut evadam, peccati *labyrinthum, filo duce* n gratiæ n Calep. in Diction. v. Ariadne. tuæ directus. Et cùm tantum laborem inſumpſeris, fac me experiri effectus miſericordiæ tuæ, quæ tibi tribuit hanc inſcriptionem, *Hic peccatores recipit.* Suſcipe me in gratiam tuam, & aliquando in gloriam tuam.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. 5. &c.

INgenuè fatendum eſt, quòd officium, quo Deus aliàs honoravit Moyſen, felix fuit, *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſraël de Ægypto.* Quod tamen ipſe non poterat nec auſus eſſet aggredi marte proprio, conſiderans inidoneitatem ſuam ad illud a Exod. 3. 10, &c & cap. ſeqq. ritè obeundum, *Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto* a? Hoc tamen officium aggreſſus eſt, Deo ſic præcipiente, qui ita ipſum adjuvit, ut audacter Regem fuerit allocutus, minis fuerit uſus, & flagellis, eumque coegerit ad dimittendum populum Dei; ſicut ipſe Moyſes innumeros homines è tyrannide illius eduxerit, & iis ſolitudines & agros repleverit. Sed videtur mihi officium, quod Dei Filius hodiernâ die committit S. Petro, dignius admiratione, cùm præcipiat ei ut ducat *in altum, & retia in capturam* laxet ſua, ut inducat hoc elementum implacabile ad dimittendum maximum numerum piſcium natantium in undis ipſius velut in agris ſalſis. Moyſes vult priſtinam captivis hominibus reſtituendam ſatagere libertatem; S. Petrus intendit efficere captivos, & concludere in retibus piſces qui ſunt liberi, quippe qui ſint in elemento ſuo: Moyſes alloquitur Tyrannum, & exprimit ei apertè voluntatem Dei; S. Petrus autem ſine ullo verbo ſua projicit in mare retia, quæ tot oribus, quot habent foramina, imprimunt huic elemento quaſi chartæ mobili & fluidæ voluntates Filii Dei: Moyſes non audet eximium illud officium authoritate propriâ ſuſcipere, ſciens Pharaonem ſuperbiâ tumentem: S. Petrus verò non audet b Pſ. 92. 4. induſtriæ propriæ fidere, nec navem ſuam undis exponere, cùm ſint *mirabiles elationes maris* b: Sed ſi Moyſes armatus verbo Dei, & inſtructus literis patentibus in quibus erat exarata pote- c Exod. 7. 1. ſtas ipſi data ab eodem Deo, qui ipſum conſtituebat *Deum Pharaonis* c, habuit fortitudinem educendi totius populi Iſraëlitici è ſervitute tyrannica Regis illius impii ſerventis nequitiâ more maris, *Impii autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum* d: *filii autem Iſraël perrexe-* d Iſa. 57. 20. *runt per medium ſicci maris, & aqua eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris; liberavitque Dominus in die illa Iſraël de manu Ægyptiorum: & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus* e: *tulit autem* e Exod. 14. 29, &c. *Moyſes Iſraël de Mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum* f: f Exod. 15. 22. S. Petrus majori ſecuritate confiſus ſermoni vivo Filii Dei, ſua retia projicit in mare, & illinc ſic innumeros educit piſces, ut vix ambæ naviculæ continendis illis ſufficerent, *In verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis qui erant in alia navi ut venirent & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.* Sed credere non debemus, Auditores, quòd S. Petrus ſolam habuerit virtutem piſcandorum piſcium maris, cùm dicat ei *Ieſus, Ex hoc jam homines eris capiens.* Piſcabitur peccatores ſagenâ verbi Dei: ſed cùm piſcatio ita ſit abundans, ego aſcendi in hanc cathedram ut in navim, ad piſcandum pariter interventu retis ejuſdem verbi Dei: ut autem habeam iſtud rete verbi Dei, illud efflagito à B. Virgine, quæ illud concepit ad hæc verba, *Ave Maria.*

Sicut eſt admirabilis Pſalmiſta in omnibus admirationibus, quibus cietur intuitu mirabilium Dei: ſic & mirabiliter repræſentat nobis abyſſos impenetrabiles & theſauros inexhauſtos divitiarum & perfectionum ejus infinitarum, comparans iſtam Majeſtatem infinitam mari ſpatioſo repleto piſcibus magnis & parvis, ſuper cujus littore ſit intueri draconem inimicum hominum, qui intendit illos avertere à piſcando in iſto mari; ſed qui tamen inde ſuffundendus eſt pudore, cùm omnes creaturæ ſperent ſe inventu-

venturas in iſto mari magno & ſpatioſo univerſa quæ ipſis alendis erunt accommoda, quia Deus qui eſt Dominus maris, ſit eis ubertim neceſſaria proviſurus, & ſimplici apertura manus ſuæ beneficæ communicaturus in illis omnes effectus liberalitatum ſuarum : ſic autem Deo loquitur : *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus : animalia puſilla cum magnis, illic naves pertranſibunt. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei : omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore, Dante te illis colligent : aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* g. [g Pſ. 103, 25, &c.] Eſt viſu facilè, quòd iſtud omne ſecundùm literæ corticem poteſt intelligi de mari ordinario : illud enim eſt ingens & vaſtum; in eo ſunt piſces innumeri, parvi & magni; per illud jugis eſt navium tranſitus; in eo dracones inveniuntur inter ſcopulos; unuſquiſque cupiſcit è piſcibus illius comedere; & cùm ita Deo placet, magnus eorum capitur numerus : ſed ſi velimus ibi ſenſum reperire myſticum, dicendum eſt, quòd Propheta comparat bonitatem Dei vaſto mari, quod eſt profundum, ſed quod dives eſt, ut exclamat Apoſtolus h, [h Rom. 11. 33.] *O altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei!* Sed quod eſt tranquillum & favorabile iis, qui in ipſum ſe projiciunt ducti vento Spiritus ſancti, *Tu confirmaſti in virtute tua mare* i. [i Pſ. 73. 13] Quodque ſuis involvit aquis eos qui more draconum confidunt alis ſuis, & volare præſumunt ſuper hoc altum mare temerariâ curioſitate ſcrutandorum ſecretorum Dei, *Contribulaſti capita draconum in aquis* k. [k Ibid.] In hoc mari ſunt piſces magni & parvi, id eſt, gratiæ quæ poſſunt erui è bonitate Dei differentes; ſicut Deo placet illas dare, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult* l. [l 1. Cor. 12. 11.] Naves, quæ per illud tranſeunt, ſunt tres Eccleſiæ, triumphans, militans, & patiens, *Illic naves pertranſibunt*, Et quicumque illud enavigant in aliqua ex iſtis navibus, experiuntur mirabilia Dei, *Qui deſcendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo* m. [m Pſ. 106, 23. & 24] Eſt aſpicere draconem juxta litus maris intendentem deglutire omnes eos, qui eidem ſe mari committunt; & iſte eſt *draco*, de quo loquitur S. Joannes *n*, [n Apoc. 12. 4, &c.] qui *ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura : ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret ; & projectus draco ille magnus in terram*, circum iſtud mare pergit ad devoranda omnia bona opera, quæ ſiunt a fidelibus, *Adverſarius diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* o. [o 1. Petr. 5. 8.] Nihilominùs homines qui ſunt in tribus iſtis navibus aut Eccleſiis, volunt piſcari cibum ſuum, & recipere a Deo gratias & favores ſecundùm appetitum ſuum, *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore.* Ipſe ſuam aperit *manum, omnia bonitate* † [† Pſ. 103, 27. & 28.] implet, producitque eis è theſauris ſuis magnos & parvos piſces, *Profert de theſauro ſuo nova & vetera* p. [p Matth. 13. 52.] Id eſt, tres magnos piſces. Eccleſiæ militanti *fidem* q, [q 2. Cor. 5. 7.] patienti ſpem r, [r Job 19. 21.] & triumphanti charitatem ſ : [ſ 1. Cor. 13. 8.] militanti gratiam meritoriam, patienti gratiam ſatisfactoriam, & triumphanti gratiam coronatam : militanti fortitudinem præliandi t, [t Job 7. 1.] patienti curationem vulnerum ſuſceptorum in certamine *u*, [u Malach. 3. 3.] & triumphanti pacem *x* [x Iſai. 32. 18.] acquiſitam ex bello : militanti virtutes innumeras ad peragendam ſalutem ſuam, patienti conſolationes infinitas ob ſecuritatem ſalutis ſuæ, & triumphanti benedictiones ineffabiles propter plenâ poſſeſſionem ſalutis ſuæ. Hæc autem omnia voco piſces magnos & parvos natantes jugiter in hoc vaſto mari divitiarum Dei, & qui replent præfatas tres iſtas naves myſticas.

Huc tendit Evangelium hodiernum : Dei Filius dixit ad Simonem, *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi, Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam : rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis qui erant in alia navi ut venirent & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.* Hic nulla ſit mentio tertiæ navis, quæ eſt Eccleſia triumphans, ubi non laboratur, *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* y. [y Ibid.] Ibi Beati quieſcunt, & comedunt magnos piſces, quos piſcati ſunt in iſto mari, & cibos immortalitatis repræſentatos per iſtam *partem piſcis aſſi* z, [z Luc. 24. 42.] quam comêdit Dei Filius poſt glorioſam reſurrectionem ſuam cum Apoſtolis ſuis. Non eſt igitur loquendum niſi de aliis duabus navibus, militante, & patiente : & ſicut S. Petrus eſt Nauclerus navis Eccleſiæ, quippe cui *Jeſus claves Regni cœlorum* a [a Matt. 16, 17, & 19.] dedit; *& Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*, hinc invitor ad oſtendendum vobis Primò, quòd illi qui ſunt in hoc mundo, quantumvis laborem inſumant, nunquam poſſunt ex ſeipſis & meritis ſuis educere ex abyſſis iſtis bonitatis Dei ullum gradum gratiæ, nec pœnis aut ſatisfactionibus ſuis aliquem gradum gloriæ, & ſolatii è pœnis purgatorii. Et ſicut S. Petrus *in verbo* Filii Dei ſolum laxando *rete, piſcium multitudinem copioſam* concluſit cum ſociis ſuis, videbimus Secundo, [Diviſio.] quomodo verbum iſtud addit ipſis animos immergendi ſe abyſſis iſtis, ut ex iis gratias educant innumeras mediis jubileis, aut indulgentiis, tam ob remiſſionem peccatorum ſuorum, quam propter integram condonationem pœnarum ipſis debitarum.

[I. Pars.] Si velitis ſcire rationem propter quam S. Petrus & ſocii ejus nullam bonam piſcationem ediderant ante mandatum Domini ſui, quamvis immodicum ad capiendos piſces laborem inſumpſiſſent, audite quomodo idem *reſpondens Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Quaſi diceret, quòd nox ſic erat obſcura ut, quaſi ipſi eſſent cæci, neſcirent quid agerent, nec poſſent induſtriâ requiſitâ projicere retia ſua in mare. Et ſi deſideretis addiſcere quomodo non poſſunt homines ex ſeipſis gratias educere e bonitate Dei, reſpondebo vobis hoc procedere è tenebris infidelitatis, aut peccati, quæ eripiunt eis notitiam & induſtriam, eoſque reddunt cæcos, & gratiis hujuſmodi ſuſcipiendis inidoneos. Hanc veritatem docet Eccleſiaſtes b, [b Eccl. 2. 14.] *Sapientis oculi in capite ejus : ſtultus in tenebris ambulat.* Sapientes (per quos intelligit eos qui ſunt in ſtatu gratiæ) ſuos ferunt oculos præ capite : ſtulti verò (per quos innuit illos qui ſunt in peccato mortali) medias inter tenebras ambulant. Ait nobis Eccleſiaſtes, quòd Sapientes ferant oculos ſuos in capite; ſtulti autem ubinam deferunt eos? Fortaſſis ferunt illos in manibus? Nequaquam : manus enim ſunt ſymbola prudentiæ, ut ait Alciatus † [† Alciat. Embl. 16.] in ſuis Emblematibus, *Oculata manus.* Forſan illos ferunt in pedibus? Non : ſoli enim Juſti deferunt in pedibus ſuis legem Dei ut oculum, aut lucernam ipſos

illuminantem, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis* c. Fortè deferunt illos in humeris? Minimè: ibi enim illos habebant myſtica illa, quæ quatuor Evangeliſtas repræſentabant, *Quatuor animalia plena oculis ante & retrò* d. Si igitur ſtulti non habent oculos in capite, nec in manibus, nec in pedibus, nec in humeris, ubinam illos habebunt? Audio S. Paulum dicentem, *Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ* e: *Caput verò Chriſti Deus* f. Si igitur Eccleſiaſtes ait, quòd *Sapientis oculi in capite ejus*: Jeſus Chriſtus portat oculos ſuos in Patre ſuo, qui eſt Caput ipſius: & ſi *Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ*, ſicut *Caput Chriſti Deus* eſt, oportet ut Eccleſia, & omnes qui ſunt ex Eccleſia, portent oculos in Jeſu Chriſto: ergo ſtulti qui non habent oculos in Jeſu Chriſto, cæci ſunt, & medias inter tenebras ambulant; dicat igitur mundus quantùmvis voluerit, ſapientes fuiſſe Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, Demoſthenem, Homerum, Horatium, & alios hujuſmodi quos Antiquitas commendavit ut fontes, è quibus homines hauſerunt ſubtilitatem, & eloquentiam: dico illos omnes fuiſſe ignaros & cæcos, cùm non habuerint oculos in Deo, qui Caput eſt omnium ſapientum. Si vultis ut iſtam probem propoſitionem, conſiderate oculos corporis, & diſcite ab illis qui profitentur anatomen, nos habere duos nervos qui veniunt a cerebro uſque ad oculos, quos ipſi vocant nervos opticos, qui diverſa obeunt officia. Primò enim dicũt illi, quòd iſti nervi ſunt veluti funiculi qui alligant oculos cum cerebro: quid ſunt autem, ſi placet, fides & ſpes, niſi duo nervi qui uniunt res naturales Deo, qui eſt ſupra naturam? Fides nos efficit filios Eccleſiæ, æquè ac Dei, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* g. Et ſic *membra ſumus corporis ejus* h. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* i. Spes ſimiliter nos unit ei, & inducit nos ad avertendos oculos noſtros a creaturis, & ad collocandam fiduciam noſtrã in Creatore, inſtar Davidis k ſic Deum deprecantis, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Secundò, iſti duo nervi ſunt veluti duo canales ſubtiliſſimi, per quos ſpiritus vitales deſcendũt è cerebro uſque ad oculos ad dandum eis motum, viſum, & ſubtilitatem, cujus beneficio diſcernunt atomos in aëre volitantes. Nunquid ergo fides & ſpes non ſunt duo canales, per quos communicat Deus homini ſpiritus vitæ Chriſtianæ, ut cognoſcat ſubtiliſſima ſalutis ſuæ myſteria? *Si non credideritis, non permanebitis*, ait nobis Deus per Iſaiam l. Vel, ut vertunt LXX. *Niſi credideritis, non intelligetis.* Sic Pſalmiſta m dicit, ſe beneficio fidei evaſiſſe doctiſſimum, *Credidi propter quod locutus ſum.* Et Apoſtolus n, *Credimus, propter quod & loquimur.* Spes verò nonne canalis eſt, per quem Deus Electis ſuis innumeras conſolationes communicat, viſitando eos, & illorum neceſſitates ſublevando? *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum* o. Iſti duo nervi ſunt ita neceſſarii, & illæ duæ illorum functiones ita requiruntur ad viſum, ut omnino viſus pereat, ſi illi infringantur: tunc enim non erit ampliùs unio inter oculos & cerebrum; aut ſi ita exiccentur ut ſpiritus vitales non poſſint ampliùs per ipſos tranſire, & ſe oculis cõmunicare; ſic Chriſtianus amittere poteſt viſum dupliciter. Primò, cùm amittit totaliter fidem, & ſpem: dividit enim ſe à Capite, nec ullam poteſt ampliùs habere communicationem gratiæ: & hujus generis ſunt Hæretici, qui vocantur a S. Juda p *Arbores autumnales, bis mortuæ.* Catholicus, qui peccat mortaliter, non moritur niſi unicâ vice; ſed Hæreticus, qui recedit ab Eccleſia, renuncians fidei, moritur bis, non enim habet ampliùs fidem, nec charitatem. 2. Cùm iſti duo nervi ſiccantur defectu charitatis, quæ eſt vita omnium virtutum: homo qui peccat mortaliter, manet ſemper mẽbrum Eccleſiæ: nam propter hoc peccatum nõ amittit fidem, neque ſpem; ſed iſti duo canales non poſſunt ampliùs ſubminiſtrare ſpiritus vitales: iſte homo qui peccavit, ſi credit, credit ſine merito; ſi ſperat, ſperat abſque fructu; ſi contemplatur myſteria fidei, ſi diſputat, ſi legit Scripturas, ſi agit ea quæ Chriſtianos ſpectant, hæc omnia facit quaſi manibus iter prætentans, quippe incedens quaſi in nocte obſcura, nedum recipiat gratias & conſolationes ſpirituales: eſt enim ejus fides mortua: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operibus mortua eſt* q. Eſt & ſpes ejus infirmata, ita ut hujuſmodi generi hominum poſſit id applicari, quod ait Pſalmiſta r, *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient.* Sunt enim inſtar ſtatuarum, quæ videntur eſſe homines, & non ſunt homines; viventes, & nullas actiones vitales producunt, ſicut uni ex illis dicitur, *Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es* ſ. His conſonat id, quod dicitur cõmuniter, proverbium, *Leberide cæcior.* Id eſt, excæcatior pelle ſerpentis. Serpens tranſit inter duos lapides, & ſe ſpoliat antiquâ pelle ſuá, relinquit illã lucentem, ſpecioſam, variegatam, ſicut erat anteà, & cum oculis ſic pulchris, & ſic apertis, ut videantur adhuc viventes; ſed ſi ad eos accedatis, invenietis eos eſſe pellis oculos, qui ſeparati à capite, ſicut ab eo pellis eſt diviſa, non habent ampliùs niſi figuram & apparentiam oculorum, nõ autem realitatem, ut videant ſicut veri oculi: aſpicite hominem peccatorem, obſervabitis in illo mentem boná, deprehendetis illum ſcientiarum & linguarum peritum, tractandis omnigenis negotiis idoneum, ſubtilem in cõceptionibus ſuis, diſcretum, & præ ſe ferentem oculos ſic ſpecioſos ut videatur ipſe vobis perſpicaciſſimus: ſed advertite cuinam rei incumbat, erga quid afficiatur, conſiderate ſtatum animæ ejus, & invenietis eum omnino cæcum, & quòd iſti oculi non habent niſi apparentiam oculorum, & quòd hæc mens ſubtilis non habet niſi ſimilitudinem ingenii ſubtilis, & quòd hæc ſcientia non eſt niſi umbra veræ ſcientiæ: iſti oculi adhærent pelli & cortici, ſed ſicut ipſe eſt quaſi vetus pellis non adhærens capiti, ſicut eſt homo ſeparatus à Jeſu Chriſto, qui eſt Caput ipſius, & Eccleſiæ quæ eſt corpus illius innocens & integrum, cæcus eſt *in tenebris ambulat* t, nec poteſt aliquid agere, quod teſtetur viſum ſanum & viventem. Quod autem deplorandum eſt in hac cæcitate, eſt quòd cùm cæcus ſit, ſe perſpicacem autumat. *Dixit Jeſus, In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis qui cum ipſo erant: & dixerunt ei. Nunquid & nos cæci ſumus? Dixit eis Jeſus, Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum* u. Sed nunquid non videtur Dei Filius inſimulare mendacii Prophetam ſuum Sophoniam x dicentem? *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Invenirine poſſunt homines cæciores peccatoribus? quomodo dicit igitur Salvator Judæis? *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* Sanctus Auguſtinus y ſubtiliter iſti reſpondet quæſtioni, dicens

c Pſ. 118, 105.
d Apoc. 4, 6.
e Epheſ. 5, 23.
f 1. Cor. 11, 2.
g Jo. 1, 12.
h Epheſ. 5, 30.
i Coloſſ. 1, 12.
k Pſal 122, 1.
l Iſai. 7, 9.
m Pſal 115, 1.
n 2. Cor. 4, 13.
o Pſ. 90, 14.
p Judæ v. 12.
q Jac. 2, 26.
r Pſ. 113, 13 & 14.
ſ Apoc. 3, 1.
t Eccl. 2, 14.
u Joan. 9, 39, &c.
x Soph. 1, 17.
y S. Aug. tract. 44. in Jo. 9, 41.

Digitized by Google

cens, *Si vos cæci diceretis, ad Medicum curreretis.*
Peccator non intuetur cæcitatem ſuam,
quia cæcus eſt; non cognoſcit culpam ſuam,
quia ſe ſic æxiſtimat induſtrium ut errare non
poſſit: ſi enim illam cognoſceret, recurreret
ad Medicum, ut ab illa ſanaretur: & ſicut prin-
cipium ſanitatis eſt, quòd æger agnoſcat ſe indi-
gere Medico, propterea prædictis Phariſæis di-
xit Ieſus, *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Hoc*
eſt, ſi ſimiliter agnoſceretis inſipientiam, iniquitates-
a ex Joel. 2, 23 *que veſtras, & me Doctorem juſtitiæ audiretis, non*
haberetis peccatum, quoniam veſtrum imperfectum
a Dion. Carth. in *confitendo, mereremini indulgentiam, & gratiam ju-*
24. in Jo. 9 *ſtificantem*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *a*. Et
41. ſanctus Paulus *b* ait: *Dicentes enim ſe eſſe ſapi-*
b Rom. 1. 22. *entes, ſtulti facti ſunt.* Et quid inde contingit?
Iſtud, quòd cùm ſint cæci, & autumantes ſe eſſe
perſpicaces, volunt eſſe duces aliorum, *Cæcus au-*
tem ſi cæco ducatum præſtat, ambo in ſoveam cadunt
c Matt. 15. 14. *c*. Iſti, æquè ac alii jacturam ſuam incurrunt, la-
d Pſ. 18. 3. bentes in præcipitium. Propheta *d* videtur id in-
nuere, cùm ait, *Dies diei eructat verbum, & nox no-*
cti indicat ſcientiam. Dies docet diem, nox ve-
rò noctem; dies nihil intendit diſcere a nocte,
nec aliquid nox à die: id eſt, ſicut ſapientes
nolunt inſtrui niſi à ſapientibus; ita ſtulti &
peccatores nolunt inſtitui niſi ab aliis ſtultis &
d Matt. 15 14. peccatoribus, *Cæci ſunt, & duces cæcorum d.*
Quod fuit cauſa propter quam ſicut Dei Filium,
qui *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem ve-*
nientem in hunc mundum, mundus non cognovit; In
e Joan. 1. 9 &c. *propria venit, & ſui eum non receperunt e*: ſicut nõ
fuit receptus nec agnitus Salvator à peccatori
bus qui ſunt homines tenebrarum, & ita excæ-
cati, ut ſicut Sodomitas, qui ingredi volebant
domum Lot, *vimque faciebant Lot vehementiſſimè,*
jamque propè erat ut effringerent fores, viri, id eſt,
duo Angeli, *percuſſerunt cæcitate à minimo uſque*
f Gen. 19. 9, &c. *ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent f*:
ſic ſtatim ac peccator pervênit ad cæcitatem, aut
infidelitatis, aut peccati mortalis, eſt veluti ex-
tra domum Dei, & ſi ad illam velit reverti, im-
poſſibile eſt ipſi ut fores illius reperire poſſit,
Cùm ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, unuſquiſque
g Sap. 19. 16. ex Geneſ. 19. 11. *tranſitum oſtii ſui quærebat g.* Dico eum eſſe ex-
tra domum Dei, non quòd peccatum mortale
projiciat hominem extra Eccleſiam, cùm ſola
infidelitas, aut hæreſis hanc agat illius expulſio-
nem, ſed illum privat gratiâ & amicitiâ Dei, *Sed*
iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum ve-
h Iſa. 59. 2. *ſtrum h.* Poteſt quidem contingere, quòd ali-
quis ſit ſemper è numero ſubditorum Regis, li-
cèt perpetraverit aliquod ſcelus; nec ab illo
ſolvitur donec ad aliam tranſierit Monarchi-
am; ſed ſi non eſt amicus, non erit domeſticus
Regis, nec habitabit in baſilica Regia: credi-
i Act. 20. 28. mus Monarchiam Salvatoris eſſe *Eccleſiam Dei,*
quam acquiſivit Sanguine ſuo i. Homo non exit
ex iſta Monarchia, id eſt, ex juriſdictione Eccle-
ſiæ, niſi tranſeat ad aliam fidem, & ad aliam re-
ligionem; ſed licèt ſit in hac Eccleſia, tamen ſi
non eſt amicus, ſed in peccato mortali conſtitu-
tus, non poterit eſſe ex amicis Jeſu Chriſti, nec
habitabit in baſilica ejus Regia, neque ſuſcipiet
ab eo favores ſecretos, aut conſolationes fami-
liares: exulabit igitur, non à corpore Eccleſiæ,
ſed ab amicitia Dei; & ſive ſit exul à palatio
Regio per peccatum lethiferum, aut à toto Re-
gno & corpore Eccleſiæ per Apoſtaſiam, infide-
litatem, aut hæreſim, tamen verum erit quòd
cæcus evadet penitus, & quòd non poterit ex
ſemetipſo reperire fores Eccleſiæ, minùs autem
januam conclavis Dei, ut dicitur de Sodomitis
ſuprà, *Ita ut oſtium invenire non poſſent.* Miſeri
errantes qui exierunt *domo Dei, quæ eſt Eccleſia*
Dei vivi, columna & firmamentum veritatis k. k 1. Tim. 3. 15.
Quæ jugiter illuminatur à *Spiritu ſancto*, quo in-
ſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines l. Quæ eſt l 2. Petr. 1. 21.
Cancellaria *Dei omnipotentis*, qui *habet in veſti-*
mento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Do-
minus dominantium m. Quæque eſt Arcaria illi- m Apoc. 19. 15, & 16.
us, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*
abſconditi n. Et ut ſic ſuſcepit literas patentes n Coloſſ. 2. 3.
à Jeſu Chriſto, quibus Salvator iſte, qui commi-
ſit ipſi *claves Regni cælorum o*, confirmat, & ra- o Matt. 16 18, & 19.
tum habet id omne, quod ipſa propoſuerit,
publicaverit, ligaverit, ac ſolverit, non ſecus ac
ſi ipſe ore proprio hoc dixiſſet. Quamnam poſ-
ſunt habere certitudinem in propoſitionibus &
in doctrinis ſuis commentitiis? Mentes ſuas ad
extremas redigunt anguſtias ut gloſſas afferant
ſuper Scripturam ſacram: comminiſcuntur die-
bus ſingulis in templis ſuis, & in ſcholis ſuis in-
numera dogmata deceptoria, & ſophiſmati-
bus ſuis ſe reddunt inventores novarum verita-
rum apparentium. Veritas poteſtne adinve-
niri? Si autem poſſet illa aliquod initium ha-
bere, velletne illud capeſſere ab illis, qui di-
cunt uno modo, & faciunt alio; qui hodie ali-
quid ſentiunt, cras autem contrariæ opinioni
adhærebunt; qui glorianτur ſe habere Spiri-
tum ſanctum; & qui diviſi ſunt abinvicem, *Di-*
viſus eſt Chriſtus p? Spiritus ſanctus poteſtne ſi- p 1. Cor. 1. 13.
bi contradicere? Spiritus ſanctus poteſtne do-
cere illos doctrinam, quæ eſt contra leges natu-
rales & politicas? Spiritus ſanctus poteſtne il-
lis inſpirare ut denegent Regi ſuo reverentiam
& obedientiam quam naturaliter exhibere de-
bent Principi ſuo ut ſubditi & vaſſalli illius? *O-*
mnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.
Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à
Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei
ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi da-
mnationem acquirunt q. Spiritus ſanctus poteſt- q Rom. 13. 1, & 2.
ne eſſe author tot tumultuum quos ipſi cauſant
in hac Chriſtianiſſima & potentiſſima Monar-
chia? Si igitur lumen non poteſt eſſe niſi in ve-
ritate, nec poſſumus habere veritatem niſi ex
ore Spiritus ſancti, *Spiritus veritatis docebit vos o-*
mnem veritatem r; & omnia dogmata & men- r Jo. 16. 13
dacia quæ ipſi propalant, & quibus adhærent,
puræ ſunt adinventiones mentium ipſorum, ve-
luti ſurculi præſumptionum ipſorum, & ſicut
fumi nigri & denſi ignis infernalis ardentis ju-
giter in corde ipſorum; iſta non ſunt edocti in
ſchola ſacra Spiritus ſancti, manentes ſemper
obvoluti tenebris, & erroribus ſuis, & dicere
poſſunt ut deſolati, *Per totam noctem laborantes,*
nihil cepimus. Sic eſt; licèt multos inſumpſe-
rimus labores, nullas eduximus gratias, aut ve-
ras doctrinas ex hoc Oceano *ſcientiæ Dei ſ*, è ſ Rom. 11. 33.
quo poſſunt omnes erui veritates: volebamus
enim eas capere retibus mentium noſtrarum, &
acumine ſubtilitatum noſtratum; hæc retia
ſunt nimis laxa, hamus iſte non eſt ſatis ſubtilis,
& ecce ſemper ambulamus inter tenebras erro-
ris, nocte infidelitatis obvoluti.

Sed derelinquamus ibi Hæreticos tenebris
infidelitatis implicatos: & ſi tenemur jugiter
laborare inter tenebras fidei, quæ repræſentan-

tut nobis *per noctem* iſtam, in hac navi Eccleſiæ Catholicæ, & vacare operibus laborioſis, orationibus, jejuniis, eleemoſynis, mortificationibus, auſteritatibus, peregrinationibus, &c. *Bona eſt oratio cum jejunio; & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam: qui*
t Tob. 12, 8, &c. *autem faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ* t: & inducimur ad piſcandum quaſi retibus in vaſto Oceano bonitatis Dei magnos & parvos piſces, magnas gratias magnis operibus, mediocres mediocribus, & parvas parvis; unusquisque plus aut minus ſecundùm id quod poteſt; vereor ne tandem dicere Deo cogamur ſinguli, *Præceptor, per totam noctem integram* ſub tenebris fidei *laborantes, nihil cepimus.* Et quare? Quia nimia nox ibi eſt, & nimiæ reperiuntur in illis operibus tenebræ. Vult quidem Deus ut bona opera fiant in tenebris fi-
u 2. Petr. 1, 19. dei, ut ait ſanctus Petrus u, *Habentes firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Sed non intendit ut hæc ſint opera tenebroſa. Sed quænam ſunt hæc opera tenebroſa? Interrogate ſuper ea Filium Dei, & reſpondebit vobis, *Omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad*
x Joan. 3. 20. *lucem, ut non arguantur opera ejus* x. Opera tenebroſa ſunt opera diaboli, & inferni. Sed ea ſunt orationes, jejunia, eleemoſynæ, &c. Heu! non habent illa niſi apparentiam, & colorem ementitum bonorum operum, ſed re verâ ſunt opera tenebroſa; ea ſunt inſtar fulgurum in medio noctis obſcuræ, quæ aliquem habent ſplendorem, ſed ita ſubitaneum, & ſic breviter conſiſtentem, ut, licèt ea videatis innumera coruſcare, relinquant vos tamen tenebris obvolutos. Sed quomodo eſt illud intelligendum? Heu! deficit illis Sol charitatis. Homo qui eſt in peccato mortali, non eſt in gratia Dei; cùm non ſit in gratia Dei, non eſt in charitate nec in amore Dei, amor Dei eſt ignis illuminans, & ardens, ut patet in Apoſtolis. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus da-*
y Act. 2, 1, &c. *bat eloqui illis* y. Charitas Dei eſt tota pulchritudo animæ: hæc *charitas Dei, diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt no-*
z Rom. 5, 5. *bis* z, eſt dies quæ illuminare debet omnia bona opera, & virtutes univerſas quæ ſunt in anima: & in hoc ita ſe res habet ac in tapete non illuminato: quantàvis enim ſit tapes elaboratus induſtriâ, & ornatus omnigenis figuris hominum, equitum, militum, Ducum, equorum, canum, ſylvarum, & quibuslibet coloribus excellentiſſimis decoratus, ſi deſit ipſi dies aut lux, cujus interventu hæc omnia videatis, nihil in ipſo deprehendere poteritis ſpecioſum aut gratum: accedite quantùm volueritis ad hunc tapetem noctu, pertractate eum; & ſi petatur à vobis, Eſtne vir aut mulier, canis aut equus, arbor aut flos id quod tangitis? Sanè nihil amplius reſpondere poteritis, niſi vos tangere aulæum, ſed ignorare hiſtoriam quæ in eo exarata eſt, & an illud ſit flavum, vel viride: nihil enim intuemini in eo ſpecioſi defectu lucis: ſcitote igitur, Auditores, quòd anima Chriſtiani eſt ſpecioſa tabella, aut formoſus tapes; perſonæ, figuræ, ſylvæ, & varii colores ſunt virtutes & bona opera, quibus ſatagit unusquisque vacare, ut nobis conſulit ſanctus Petrus a, a 2. Petr. 1, 5, &c.
dicens, *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobiscum adſint & ſuperent: non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Quapropter, Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini noſtri & Salvatoris IESV Chriſti.* Omnes prædictæ virtutes, & cætera bona opera, quæ recenſet Apoſtolus iſte, hæc omnia ſpecioſa ſunt, dummodò interſit ipſis dies; lux & dies animæ, quæ facit apparere ſpecioſos omnes colores, id eſt, formoſas oſtendit virtutes, eſt charitas; & ſi charitas deſit huic animæ, pro comperto tenete, nihil eſſe ſpecioſi in hac anima. Diceris quidem, quòd tractaris quaſi tabellam, aut tapetem; & ſi velitis, quòd opus hujusmodi ſit eleemoſyna, &c. ſed illius intueri non poteritis pulchritudinem, ſi deſit ei lux charitatis: & ſicut opera non poſſunt eſſe meritoria, nec ſatisfactoria, niſi fiant in charitate; ita inde procedit, quòd, cùm hæc omnia opera ſint tenebroſa, & lumine deſtituta, licèt laborioſa & difficilia, non poſſunt efficere ut capiamus in hoc Oceano immenſo bonitatis Dei unicam gratiam vel exiguam, aut aliquem gradum gloriæ, ſeu minimum ſolatium animabus purgatorii ſublevandis impendendum, quod inducit nos ad dicendum Deo, *Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus. In verbo autem tuo laxabo rete* in hac poſteriori parte.

Fortaſſis, Auditores, non metuimus mini- II. Pars.
mam vel gratiam toto tempore vitæ noſtræ; & quàmvis peccata perpetraverimus innumera, pro minimo ex illis fortè non ſatisfecimus juſtitiæ Dei: debemusne proptereà deſperare? Propter hoc avertemurne à jaciendis retibus noſtris in immenſum mare Miſericordiæ Divinæ? Nequaquam: *Illic reptilia, quorum non eſt numerus: animalia puſilla cum magnis: illic naves pertranſibunt* b. Macti ergo animo, & ſancto b Pſ. 103, 25. & 26
conſilio firmati dicere debemus Deo cum ſancto Petro, *In verbo autem tuo laxabo rete.* Domine, omnis induſtria noſtra eſt abbreviata, ea viguit in nobis quidem ad te offendendum, ſed non ad revertendum ad te, tibique ſatisfaciendum pro offenſis quarum ſumus conſcii, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* c: *id eſt, ex motione &* c 2. Cor. 3, 5.
gratia Dei, à quo eſt omne donum optimum, & datum perfectum d. *Propter quod Salvator* e dixi- d ex Jac. 1, 17.
ſti, *Sine me nihil poteſtis facere* f. Et, *Perditio tua* e Dion. Carthus.
Iſraël: tantummodò in me auxilium tuum g. Sed in 2. Cor. 3, 5.
ſi placeat tibi ut præcipias mihi, projiciam in f Jo. 15, 5.
mare eadem retia, quæ mihi fuerunt uſque g Oſee 13, 9.
nunc inutilia, eundem ſpiritum, idem corpus, eaſdem manus, & eaſdem induſtrias, quibus piſcatus ſum vanitates mundi, voluptates, & divitias, nedum tamen aliquid

foli-

ſolidum capere potuerim: ſicut enim hæc omnia erant vanitates, ita & tranſibant per foramina retium meorum, nedum aliquid illorum præ manibus meis remaneret, *Et qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum*, ait b Agg. 1.6 Propheta tuus Aggæus b. Eadem igitur retia laxaturus ſum in mare immenſum miſericordiarum tuarum, certus quòd utiliſſimam acturus ſum piſcationem, *In verbo autem tuo laxabo rete.*

Verbum iſtud toties pronunciat Jeſus Chriſtus, Auditores, quoties loquitur ore ſummi Pontificis, qui ut Nauclerus iſtius navis Eccleſiæ militantis, quippe cui ut ſucceſſori S. Petri idem i Matt. 16. 17. & 19 *Ieſus claves Regni cœlorum* i dedit, non dormit, ne tempeſtas oriatur, eamque ſubmergat; ut Præſes iſtius magnæ noctis fidei Catholicæ obſcuræ & tenebroſæ, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia* k Hebr. 11.1 *rerum, argumentum non apparentium* k, jugiter vigilat quandiu dormimus, ut avertat à nobis acceſſus dæmonum ad nos; ut magnus & Princeps piſcator, qui dirigit piſcationem animarum, gratiarum & benedictionum Dei, captat tempus opportunū peragendo piſcatui abundanti: & iſte magnus Nauclerus navis S. Petri, Eccleſiæ militantis, ut organum Filii Dei, ait toties nobis, *Laxate retia veſtra in capturam*, quoties tribuit nobis jubileos, aut indulgentias. Quaſi diceret nobis, Ducite *in altum.* Aſcendite in altiſſimum mare, *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic* l Pſ. 103. 21 *reptilia, quorum non eſt numerus* l. Nolite contenti eſſe gratiis mediocribus quas uſque nunc ſuſcepiſtis, *Laxate retia veſtra in capturam.* Et quaſi iſte bonus Pater Eccleſiæ providere vellet nobis retia, utitur etiam auxilio unius è nautis ſuæ navis, id eſt, unius è Prælatis Eccleſiæ ſuæ, Domini Epiſcopi (aut Archiepiſcopi) N. veſtri Paſtoris ordinarii, qui curam habens præbendi veſtris animabus cibi ſpiritualis conſueti, providebit vobis retia, Prædicatores idoneos, & Confeſſarios ſapientes, & docebit vos quomodo gerere vos debeatis in piſcatione ſic illuſtri & ſic neceſſariâ, qualis eſt piſcatus gratiæ Dei. Tempus huic exercendo piſcatui eſt opportunum: *Omnes e-* m Rom. 3.23 *nim peccaverunt: & egent gloriâ Dei* m. *Hoc eſt, miſerationе divinâ, videlicet gratiâ, per quam Deus glorioſus apparet, qui ex ſuâ liberrimâ bonitate ſalvat Electos, ita ut nullus in ſeipſo valeat gloriari, ſed omne bonum Domino aſcribatur*, ait Dionyſius Carthuſianus n poſt Apoſtolum. Hæreſis ſemper viget; n Dion. Carth art. 6. in Rom. 3.23 Principes Chriſtiani bellis ordinariis diſſident, rebelles inſurgunt perſæpè contra legitimum Regem ſuum: omnes occaſiones & neceſſitates iſtæ reddunt tempus laxandis retibus veſtris *in capturam* uberem opportunum; labor ad eam exercendam inſumendus, non eſt immodicus, nimirum jejunandi tribus diebus hebdomadæ, cōfitendi, accedendi ad ſacram Communionem, viſitandi aliquas Eccleſias, erogandarum aliquarum eleemoſynarum, ſive in gratiam pauperum, ſive ad reparandas Eccleſias in quas venitis ad piſcandas gratias Dei, & alia ſimilia ordinariè exarata in bullis jubileorum peragendi: hæc omnia ſunt retia, quæ projicere debetis, retia autem quæ ſunt ſatis levia; quæ tamen retia, ſi ipſa jaciatis ut decet, obedientes verbo ſummi Pontificis, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* o, ſi, inquam, jaciatis o 2. Cor. 10.5 hæc retia, has exiguas pietates in hoc mare magnum miſericordiæ Dei, inde revertentur ſic repleta, ut nonniſi vix ea ſitis inde retracturi: ſed quibus? gratiis, favoribus, indulgentiis, conſolationibus, benedictionibus, abolitionibus culparum veſtrarum, & remiſſionibus univerſalibus omnium pœnarum, quas ſuſtinere debebatis in hoc mundo, aut in altero pro expiandis omnibus peccatis quæ perpetraſtis toto tempore vitæ veſtræ: & licet iſtâ vice confiteamini ſola peccata quæ commiſiſtis à tempore veſtræ Confeſſionis ultimæ, dummodò omnes veſtræ Confeſſiones præcedentes validæ fuerint, & peractæ cum debitis circunſtantiis, tamen virtute jubilei, aut indulgentiæ ſuſcipitis remiſſionem univerſalem totius pœnæ, quam ſuſtinere debuiſſetis in iſto mundo, vel in purgatorio, *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio* p. Per p Pſ. 129. 7 Confeſſionem dimittit vobis Deus peccata veſtra, & per jubileum facientes ea quæ præcepta ſunt, aut per indulgentiam, ſuſcipitis fructus copioſiſſimæ redemptionis, id eſt, remiſſionem pœnæ purgatorii. *Laxate retia veſtra in capturam* igitur, Auditores. *Ecce, non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat* q. Nolite ſinere ut prætereat q Iſai. 59.1 iſte jubileus, aut hæc indulgentia, nedum inde utilitatem hauriatis: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ* r Sap. 7.14 *Dei, propter diſciplinæ dona commendati* r. Nolite confidere bonis operibus veſtris præteritis, aut pœnitentiæ quam creditis vos peregiſſe peccatorum veſtrorum, ut dicatis vos pro iis ſatisfeciſſe, & ideò quòd non indigeatis jubileo, aut indulgentiâ: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* ſ. Recurrite igitur ad miſericordiam ſ Rom. 9.16 Dei, & illa vobis impendetur in hoc ſeculo, & in altero.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5. 23. &c.

NOn ſecùs ac cùm Rex aliquam è ſuis ingreditur civitatibus, exigua ſubditi ipſius offerunt ipſi munera, magis ad ipſum lætificandum, & ut intuendos exhibeant ipſi fructus exquiſitos qui naſcuntur in urbibus ipſius; quàm ut ipſum ditiorem per illa reddant: ita rectæ rationi conſonum eſt, ut, cùm *Rex regum, & Dominus domi-* a 1. Tim 6. 15. & Apoc 19.16 *nantium* a, cujus metropolis Regni ipſius triſmegiſti eſt cœlum Empyreum, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* b, dignatus ſit b Pſ. 10.5 nos viſitare ſpecialiſſimâ diſtributione gratiarum ſuarum & donorum ſuorum, ingrediendo Eccleſiam noſtram, quæ eſt velut ipſius civitas ſubalterna, in qua debet agnoſci ut ſupremus Dominus; exhibeamus ipſi munus aliquod exilium fructuum qui naſcuntur in terris noſtris; potiùs ad ipſum exhilarandum, quàm ad ipſum iis ditandum. Fructus iſti ſunt pietates noſtræ;

ſacrificia noſtra, & alii actus religionis, qui non inveniuntur in regione cœli, & qui ſolùm naſcuntur in hoc mundo: inter quos invenitur id quod conſulit Oſee *c* nobis ut offeramus ei, dicens, *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Hæc ſunt munera quæ debemus ei præſentare, præſertim verò reconciliationem inire debemus cum proximo noſtro, antequàm illa ei exhibeamus: & cùm oporteat ut ego incipiam præſentando B. Virgini ſalutationem Angelicam, non exiſtimo quòd oporteat me obſervare hâc ceremoniam, & exire ex iſta cathedra, ut eam me reconciliatum vobis, ratus vos eſſe amicos meos, & certus quòd confeſtim dicetis ei mecum, *Ave Maria.*

c Oſee 14.3

Illi qui exercitio amoris incubuerunt, ſciunt quòd comes illius inſeparabilis eſt Zelotypia: & ſicut amor eſt flos gratiſſimi odoris, videtur Zelotypia debere eſſe fructus qui producitur à tali flore; & quemadmodum amor eſt ignis calidus, videtur Zelotypia debere eſſe lumen, quod adhæret huic igni; & velut amor eſt harmonia jucunda, videtur Zelotypia debere eſſe ſaltatio quæ exercetur ſub hâc harmoniâ: ita ut quicunque vult amari, ſi mediocri vigeat ingenio, futurus ſit contentus aliquo ſigno amoris levi & ordinario, ſed ſi ſubtili ſit acie animi præditus, non exiſtimaturus ſit ſe perfectè amatum, niſi zelotypiam obſervet in eo, aut in eâ, à quo, aut à quâ vult amari: alioquin enim, inquiet ille perſonæ hujuſmodi, Cognoſco quòd multùm non ames, cum nullâ ducaris zelotypiâ: fructus enim ſequi debet florem, lumen debet eſſe inſeparabile ab igne, ſaltatio conformari debet harmoniæ, & Zelotypia vero & perfecto amori ſociari debet. Non reor, Auditores, me hallucinari (licèt praxis amoris non ſim peritus) comparare zelotypiam fructui, lumini, & ſaltationi. Fructus nobis ſervit ad mandendum, & ruminandum, & ad ſorbendum; ſic vir zelotypus mandit & ruminat jugiter in ſemetipſo, Sed hoc? ſed illud? ſed quid agit illa? ſed unde venit? at quare hoc? ſed cui loquitur illa? & quare iſtud nuncium? ſed quare hæc feneſtra aperta? Videte quomodo mandat & ruminet; ita diu mandit & ruminat ut aliquid tandem ſorbere cogatur; odoratus es florem amoris: oportet ut comedas fructum Zelotypiæ. Lumen ſervit vobis ad videndum: ita vir zelotes vellet omnia videre, ubique & omnibus intereſſe, ſcire univerſa nuncia, aperire omnes literas, examinare omnes teſtes, in eo curioſitas eſt continua: calefeciſti te igne amoris: oportet ut facias incedere facem Zelotypiæ. Saltatio ſervit ad exercendum totum corpus, quandiu mens & aures jucundantur harmoniâ inſtrumentorum muſicorum, ſuaviumque vocum, & oportet ad peragendam bonam ſaltationem, ut toni & ſaltus eodem procedant ordine: voluiſti audire harmoniam amoris: oportet ut agas zelotypiæ ſaltationem. Verum quidem eſt, Auditores, quòd Zelotypia eſt fructus viridis, intùs putridus, cujus morſu veſtri dentes obſtupeſcunt; & plenus eſt vermibus, qui non ceſſant vos rodere, quique citò vos pœnitere faciunt ipſum momordiſſe ut ſic ſcatentem vermibus hujuſmodi. Fax eſt illuminans, ſed quæ perſæpè magis facit vos videre, quàm velletis, & facit vos deſiderare eſſe lippiores, ne zelotypiâ videaris inimicos amoris veſtri. Saltatio eſt, ſed quæ vos inquietat, & ſic vos agitat ut nullam ſitis habituri requiē, quandiu harmonia amoris cui vacatis, demulcebit vobis aures. Hæc eſt praxis amoris, qui non poteſt eſſe contentus, niſi ſit zelotypus: Zelotypiæ ſatisfieri nequit, niſi ipſa ruminet, niſi ſit curioſa, niſi ſe agitet: talis eſt amor zelotypus, qui non reſpirat niſi amari ſingulariter, unicè, & præ omnibus aliis, ita ut cor & manus dilecti, aut dilectæ non ſint deſtinata niſi propter eum, ad non amandum niſi illum, & ad non benefaciendum niſi illi. Hæc autem paſſio ſic eſt communis ipſis vel hominibus ſubtili ſanæ mentis acie præditis, ut ne vel ipſe Dei Filius in perſona Sponſi ſacri ab ea ſit immunis, cùm alloquens Sponſam ſuam, id eſt, animam devotam, ait illi, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio* d. Oportet, Amica mea, ut alligam tibi cor, & brachium, eiſque ſic imprimam ſigillum & characterem meum, ut certus ſim quòd neutrum ex iſtis ad nullum alium divertas uſum, quàm ad fovendum amorem qui eſt inter nos ambos; volo ut non habeas cor niſi ad me diligendum, nec brachia niſi ad me amplectendum, nec manus niſi ad offerenda mihi munera, nec digitos niſi ad perſæpè mihi ſcribendum nuncia eorum, quæ circa te peragantur: diligo enim te ad mortem uſque, & zelotypia mea firmior & violentior eſt ipſo igne inferni. Ha! Domine, attende, ſi placet, ad ea quæ dicis: fortaſſis immodicus amor tuus, oblivîſci te facit illius, quod dicis hodiernâ die, aut quòd illud dicendo, non meminiſti legis amoris & præceptorum Zelotypiæ: præcipis enim nobis, quòd ſi accedamus ad te, ut exhibeamus tibi aliquod munus & aliquam demonſtrationem amoris, & tunc recordemur nos aliquam habuiſſe contentionem cum proximo noſtro, eamus priùs pactum reconciliationem cum illo, & deinde tibi veniamus præſentatum oblationem noſtram; ita ut velis ut ſimus amici cum hominibus, ad hoc ut tuam ineamus amicitiam; ut tendendo tibi manum ad præſentandam tibi oblationem, extendamus etiam cor ut eo diligamus alios ultra te: nunquid autem non ſcis, Domine, quòd funis qui eſt magis extenſus, eſt minùs tenſus, & quòd cor abripit totum corpus? quomodo vis igitur ut habeamus brachium ſuper altari tuo ad offerendum tibi aliquid, habentes cor diſtractum & vagum inter homines? Iſtud eſt nos exponere periculo præſentandi tibi muneris, cui non interſit cor noſtrum: quomodo igitur fieri poterit ut ſis *Deus zelotes*, qualem te ſacra Scriptura *e* proclamat, & velis habere corſivales? & ſi ſocios in eundem amorem ruentes habere velis, quâ ratione *Deus zelotes* eſſe poteris? Ha! Auditores, ecce myſterium amoris Dei noſtri, qui eſt alius quàm ſit amor mundi: amor ejus *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* f. Et ſicut eſt infinitus, ita producere poteſt effectus infinitos numero, & qualitate, infinitas amare perſonas, & omnibus illis favores infinitos tribuere: & ſicut omnis amans libenter amat ſibi ſimilem, Deus noſter amore ſuo non ſolùm nos amat, ſed ſibimetipſi nos reddit ſimiles (quod non peragunt amores mundi, qui ſupponunt ſimilitudinem, ſympathiam, & conformitatem affectuum antequàm ſe declarent:) reddens nos ſimiles ſibimetipſi, vult ut diligamus, ſicut ipſe, ſi non infinitè, ſaltem objectum infinitum, quod eſt ipſius bonitas, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

d Cant. 8.6

e Exod. 20.5

f Baruch 3.25

cor-

Digitized by Google

tetde tuo, *& in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ.*
Deinde infinitatem hominum, qui ſunt fratres
noſtri, ſicut ipſe eos hodie vocat, *Diliges proxi-*
f Matth. 22.37.& 39 *mum tuum ſicut teipſum* g: ſuppoſito quòd tot
eſſent, quia verum amoris eſt teſtimonium, cùm
diligitis omnes amicos perſonæ amatæ; hæc au-
tem generalitas nullo modo detrahit ſingulari-
tati amoris: totum enim hoc refertur ad unum,
nec diliguntur à vobis proximi veſtri ut corri-
h Epheſ. 2.19 vales Dei, ſed ut *domeſtici Dei* h ejuſdem, qui il-
los conſiderat *non ſervos, ſed amicos* i. Vult igi-
i Jo. 15.15 tur ut, ſi fuimus irati cum fratre noſtro Chriſtia-
no, reconciliemur ei priuſquàm munera noſtra
ſuper altaribus ipſi præſentemus. Ideò volo vo-
bis oſtendere in priori parte diſcurſus iſtius,
quomodo contingere poſſit ut iraſcamur cum
Diviſio proximo noſtro, ſive in bonum, ſive in malum.
In poſteriori verò parte videbimus, quid ſit no-
bis agendum poſt iram, ut offeramus munera
noſtra Deo, & quænam munera ſint ea quæ de-
beamus ei offerre, aut quæ à nobis ipſe poſſit e-
xigere.

I Pars. Debetis igitur, Auditores, ſcire, quòd ita eſt
quidam appetitus, aut quoddam deſiderium
vindictæ, aut quædam calefactio cordis, & quòd
hæc triplex eſt. Prima eſt laudabilis & merito-
ria. Secunda eſt vituperabilis & pernicioſa. Ter-
tia nec eſt nimis mala, nec nimis bona. Prima,
quæ eſt bona & neceſſaria, eſt ea quæ movetur
quando oportet ut quis commoveatur, & adver-
ſus perſonas & res, contra quas oportet ut ciea-
tur: ſi enim iraſcamini contra peccata, quæ per-
petraſtis, & ad ſupprimendos motus & impetus
concupiſcentiæ quæ inſurgit contra rationem,
indicatis ei bellum ſanguinolentum mortifica-
tionibus & auſteritatibus inſignibus, ſeverè ve-
ſtros omnes examinantes affectus, & omnes co-
gitationes veſtras, has & illos veluti cribrantes
ut ne vel ulli ex iſtis parcatis, cùm cognoſcetis
hanc partem inferiorem, aut aliquam ex iſtis af-
fectionibus aut cogitationibus veſtris adverſari
legi Dei, hæc ira veſtra eſt juſta: *Caro enim concu-*
piſcit adverſùs ſpiritum: ſpiritus autem adverſùs car-
nem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæ-
k Galat. 5.17 *cunque vultis, illa faciatis*, ait vobis S. Paulus k. Et
l Dion. Carth. art. 1 in Galat. 5.17 poſt illum Dionyſius Carthuſianus l, *Caro enim,*
id eſt, appetitus ſenſitivus, ſeu anima ſecundùm carnem
vel ipſe homo ex parte ſenſualitatis, concupiſcit ad-
verſùs ſpiritum, id eſt, ea deſiderat, quæ directè ſunt ra-
tioni contraria, videlicet delectationes ſenſibiles: de
quibus ſcriptum eſt, Poſt concupiſcentias tuas non eas,
m Eccli. 18.30 *& à voluntate tua avertere* m. *Spiritus autem, id*
eſt, appetitus intellectualis, ſeu ratio, vel anima ſecun-
dùm partem ſui ſuperiorem, concupiſcit adverſùs car-
nem, id eſt, ea quæ carni & ſenſualitati laborem & tæ-
dium ingerunt, utpote ſpiritualia bona, continentiam,
ſobrietatem, divinorum frequentem ac ſtabilem vaca-
tionem, quibus caro caſtigatur, fatigatur, & attenua-
tur. Hæc enim, videlicet caro & ſpiritus, ſibi invicem
adverſantur, appetendo contraria ut dictum eſt: caro
quippe cupit bona delectabilia, & multa etiam inordi-
natè, ſeu ultra neceſſitatem: ſpiritus autem bona hone-
ſta per reſpectum ad Deum, ut non quæcunque vultis
ſecundùm rationis judicium, faciatis propter ſenſuali-
tatis rebellionem. Quemadmodum alibi dicit Apoſto-
n Rom. 7.19 *lus* n, *Non quod volo bonum hoc facio. Vel ſic ſibi hæc*
adverſantur, ut non quæcunque vultis, id eſt non omnia
ad quæ inclinationem habetis, faciatis; ſed per ratio-
nem vitia carnis refrænetis. Hæc igitur ira ſic bona
eſt, imò verò ſic neceſſaria, ut niſi eam habeatis,
experturi ſitis ipſimet flagella iræ Dei: vult e-
nim Deus ut in ipſo cubili, quod videtur eſſe lo-
cus quietis & tranquillitatis, ſentiatis aculeos
qui vos ſtimulent & inquietent, nimirum com-
punctionem interiorem quæ exciter cor veſtrũ,
quæque caſtiget cogitationes veſtras rebelles, &
inordinata plectat deſideria veſtra, ut ait Pro-
pheta o, qui aſſerit vobis, quòd hujuſmodi iræ o Pſ. 4.5. & 6
exercitio non peccabitis, *Iraſcimini, & nolite pec-*
care: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris
compungimini: Et hoc intelligit Incognitus p de p Incognit. in Pſ. 4.5. & 6
ira deliberata, quâ quis iraſcitur peccatis, quando ſci-
licet peccata diſplicent ſibi. Sic enim etiam Deus ira-
ſcitur non hominibus, ſed peccatis & vitiis: ſic ergo &
vos iraſcimini peccatis, & ampliùs nolite peccare. Et
ad iſtum ſenſum aptatur ſequens litera, dicens, Quæ
dicitis in cordibus veſtris, &c. Ubi nota, quòd per cubi-
cula intelliguntur corpora noſtra, in quibus anima re-
quieſcit, ut in cubiculo corpus. Sic enim dicitur, Tu au-
tem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum q, *&c.* q Matth. 6.6
quia devotè orans ſeipſum infra corpus ſuum claudere
debet, ut nihil de exterioribus cogitet. In cubilibus ergo
veſtris compungimini, id eſt, corpora veſtra compungi-
te, & affligite. Quæ dicitis in cordibus veſtris, id eſt, de
illis peccatis, quæ in corde veſtro verſantur. Et de hâc
compunctione pœnitentiæ ſequitur: Sacrificate ſacrifi-
cium juſtitiæ, & ſperate in Domino. Hic enim Pſalmiſt
cunctos ad agendam pœnitentiam provocat. Ubi nota
quòd juſtitia, quæ reddit unicuique quod ſuum eſt, exi-
git, ut alienum reſtituatur quantùm eſt poſſibile homo
autem peccando aufert à Deo honorem debitum: exigit
juſtitia, ut Deo ablatum honorem reſtituat, hoc autem
facit puniendo peccatum, & ideò punitio peccati vel
ipſa pœnitentia dicitur ſacrificium juſtitiæ, in quo ſci-
licet peccator juſtè, commiſſa peccata puniendo, ſeip-
ſum ſacrificat Deo. Non ſolùm autem ait Pſalmi-
ſta, quòd tali irâ non peccabitis, ſed immediatè
poſt iſtam iram abſque aliâ reconciliatione, ſub-
dit quòd præſentare poteritis oblationes veſtras
& ſacrificia veſtra Deo: *Sacrificate ſacrificium ju-*
ſtitiæ, & ſperate in Domino.

Prætereà, Si jacientes oculos ſuper peccata
aliorum, experimini vos commotos indignatio-
ne propter injuriam quæ fit Deo, dummodo du-
camini zelo juſtitiæ, juſta eſt ira veſtra: ſed ſi e-
ſtis Magiſtratus, aut ſuperiores illis hominibus,
quos videtis offendere Deum, non ſolùm ira ve-
ſtra juſta eſt, ſed etiam neceſſaria: ſi enim exceſ-
ſus qui perpetrantur in civitate, aut in Provin-
cia, ſeverè non puniantur, quid fiet de tot inno-
centibus, qui ab illis conteruntur? quomodo
ſperari poterit dandam inſtructionem & præ-
bendum exemplum adoleſcentibus & ignaris,
ſi impunè ſcandala tolerentur in perſonâ eorum
qui ſunt ætate provectiores? Oportet ut illi qui
cor habent animale, & qui duci non poſſunt ad
bonum regimen intuitu pulchritudinis & excel-
lentiæ virtutis, contineantur intra terminos ju-
ſti obſequii, & compellantur effici ſapientes pu-
nitionibus exemplaribus, & rigore ſupplicio-
rum conformium criminibus ipſorum. Pro com-
perto autem teneant Superiores, ſe tunc pera-
gere ſacrificium jucundum Deo, cùm ædificant
ſuper ruinam malorum, educationem Bonorum
& ſimplicium: hoc fieri non poteſt abſque ali-
quo affectu iræ; ſed nihil intereſt. Juſta tunc eſt
ira, paſſio eſt meritoria, & ſupplicium neceſſa-
rium. Hoc in occurſu intuendum exhibuit Phi-
nees zelum ſuum erga obſequium Dei: *Et ecce u-*
nus de filiis Iſraël intravit coram fratribus ſuis ad
ſcortum Madianitidem vidente Moyſe, & omni turbâ
filiorum Iſraël, qui flebant ante fores tabernaculi,

Quod

Quod cùm vidiſſet Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem. Ceſſavitque plaga à filiis Iſraël r. Id eſt, propter hunc actum virtutis, qui ita placuit Deo ut flagellum indignationis ſuæ averteret propter eũ à populo ſuo. Eodem zelo ductus eſt Mathathias, *Acceſſit quidam Iudæus in omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram in civitate Modin, ſecundùm juſſum Regis: & vidit Matathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram: ſed & virum quem Rex Antiochus miſerat, qui cogebat immolare, occidit in illo tempore. & aram deſtruxit, & zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees Zamri filio Salomi* ſ, *&c.* Quod præbuit novas vires, & novum animum Judæis ad referendam victoriam de inimicis ſuis. Et ſicut hæc ira eſt maximè neceſſaria iis qui ſunt in dignitate conſtituti, ſic illi qui officio pollent publico, aut aliquâ vigent authoritate, nec iram habent iſtam, ſunt maximè crimino ſi. Nam Heli, eò quòd non ſatis acriter corripuiſſet filios ſuos *t*, punitus eſt a Deo *u*, David, quia ſeverè non caſtigaverat filium ſuum Amnon *x*, quando commiſit inceſtum cum ſorore ſua Thamar, plurimis modis afflictus eſt *y*, & coactus deplorare citò pòſt jacturam hujus filii miſerabiliter occiſi *z*. Et nunquid non Achab Rex Iſraël, quoniam pepercit Banadab Regi Syriæ, quem captivum tenebat, ſubiit ipſemet ſententiam condemnationis latæ à Deo. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus* a. Eſt igitur ira quæ mitigat iracundiam Dei, ſicut illam mitigavit Phinees irâ ſuâ. Eſt alia ira quæ excitat alios ad ſimilem zelum, & bonum præbet exemplum, ut ira Mathathiæ. Eſt & alia quæ directè redundat ad gloriam Dei, ut ira Eliæ, *Dixit Elias, Apprehendite prophetas Baal, quos cùm apprehendiſſent, interfecit eos* †. Hâc ira ductus eſt *Ieſus*, *cùm invenit in templo vendentes boves & oves, & columbas, & nummularios ſedentes: & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit* b. Hâc eâdem irâ cieri debent omnes illi qui ad imitationem ejus procurabunt cum ardore manifeſtationem gloriæ & honoris Dei, ſicut iratus eſt S. *Petrus* c contra Ananiam & Saphiram. Hæc igitur eſt ira quæ magnos producere debet effectus, quæque non derogat manſuetudini, quæ ſemper decet Magiſtratus, Judices, Principes, & omnes Superiores. *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* d. Tamen zelum, æquè ac manſuetudinem in eodem occurſu exhibuit: Poſtquàm filii Iſraël *fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt; reverſus eſt Moyſes de monte, & ſtans in portâ caſtrorum, ait, Si quis eſt Domini, jungatur mihi, Congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de portâ uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum. Reverſuſque ad Dominum, ait, Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntq; ſibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti* e. Hæc eſt manſuetudo quam præ ſe tulit Moyſes, æquè ac juſta ejus ira, quæ nullum aliud habet objectum niſi offenſam Dei, nec ullum aliud motivum niſi gloriam Dei, quæ obſcurata, ſeu læſa in aliquo loco, aut à quolibet homine, ciet cor hominis probati motu extraordinario, eumque facit ardere more fornacis, aut ignis devorantis. *Quis ſcandalizatur, & ego non uror* f?

r Num. 25.6.&c
ſ 1. Mach. 2.23.&c
t 1. Reg. 2.23.&c
u 1. Reg. 4.18
x 2. Reg. 13.11 &c.
y 1. Reg. 15.10. &c
z 2. Reg. 13.29.&c
a 3. Reg. 20 42
† 3. Reg. 18.40
b Ioan. 2. 13.&c
c Act 5. 3. &c
d Num. 12.3
e Exod. 32.&c
f 2. Cor. 11.29

Secunda ira, aliquo modo tolerabilis, quæ non eſt neceſſaria ſicut prima, nec ita pernicioſa ut tertia, poteſt accidere quatuor modis differentibus. Prima, eſt motus ſubitus qui ciet vos, cùm quis vos offendit, ſed nedum cogitetis vindictam de illo capeſſere, quæ eſt potiùs parva impatientia, quàm ira formata; & hæc impatientia non eſt niſi peccatum veniale, modò non alteret uſum rationis. Secunda, eſt paſſio violentior, quæ ardet ad minimam occaſionem, quæ, ſi non fuit prævisâ, & ſuos non egerit conatus antequàm ratio conſiderare potuerit formandæ ipſius motivum, aut magnum, aut exiguum, non eſt etiam niſi peccatum veniale: ſed advertere debet is qui eâ cietur, ne conſentiat huic motui delectatione voluntariâ, quæ ipſum inducat ad dicendum, aut ad faciendum aliquid, quod teſtetur paſſionem; in tali enim caſu id quod in cauſa ſua non eſt niſi veniale, evaderet mortale in effectu, ſi materia ipſius eſſet gravis. Tertia, eſt motus voluntarius prævisus qui vos inducit ad deſiderandum vindictam expetere de injuriâ vobis irrogatâ, ſed levi, qualis eſſet verbum aliquod parùm moleſtum, ſed non ita offenſivum, aut aliqua alia exigua moleſtia; ſive ad corrigendum illum qui talem vobis intulit injuriam, ſive ad oſtendendum illi quòd non eſtis inſenſibiles; & quòd vobis anſam porrexerit excipiendi ipſius eodem modo, quo ipſe vos exceperit: & eſt etiam peccatum veniale: hæc enim motio non eſt magna, & deſiderium quo ducimini vos ulciſcendi, non poteſt eſſe multùm noxium. Quarta, eſt paſſio immodica, quâ commoveri poteſtis adversùs eum qui vos offendit; cum firmo propoſito ulciſcendi vos de eo, ſed tamen intra terminos juris, nedum manibus veſtris ullum ſupplicii genus illi velitis infligere, ſed ſolùm recurrere ad Principem, aut ad Magiſtratum, ut decernat ſecundùm jus reddendam vobis ſatisfactionem debitam, quantùm ad bona veſtra, ſi ea vobis injuſtè detineantur; aut quantùm ad famam veſtram, aut quoad alium modum, quo fueritis offenſi: & hæc ira, dummodo ad eam non afferatis corruptiones juſtitiæ, nec ſubornationem teſtium, nec deſiderio ducamini deſtruendi potiùs illius qui vos offendit, quàm tuendi juris veſtri, non eſt niſi peccatum veniale: alioquin enim juſtitia foret injuſtitia, & cùm formæ juris non æquè obſervarentur, non eſſet hoc ampliùs jus, ſed injuria: & ſi principalis intentio veſtra vergeret in ruinam illius qui vos affecit injuriâ, fruſtraretis intentionem juſtitiæ, quæ non eſt niſi interpres legis, lex autem præcipue fit ob conſervationem corporis communitatis hominum, & conſequenter ob deſtructionem eorum qui volunt alterare corpus, offendendo membra in famâ, in corpore, in bonis, aut alio modo.

Tertia ſpecies iræ, eſt ea quæ eſt mortalis & pernicioſa ſibimetipſi: omnes enim prædictæ non poſſunt eſſe tales niſi per accidens: & illa eſt, quæ vos abripit in injurias atroces, in calumnias, in detractiones, in imprecationes, & in omne aliud infortunium, quod inde poteſt naſci. Et

hæc

hæc eſt ira quam damnat Dei Filius in Evangelio hodierno, *Qui dixerit fratri ſuo, raca: reus erit conſilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis.* Poſtquàm enim dixit, quòd omne genus iræ debet examinari, ut ſciatur an talis ira ſit bona, aut mala, quia poteſt eſſe uno modo, & alio, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo: reus erit judicio* poteſt eſſe, inquam, aut propter zelum honoris Dei, aut intuitu proprii commodi, & cum deſiderio vindictæ capeſſendæ, explicat duobus verbis, quodnam poteſt eſſe magnum peccatum, aut exiguum peccatum: hoc enim verbum Hebraicum, *raca*, eſt injuria quæ teſtatur mediocrem inflammationem cordis, & deſiderium moderatum vindictæ, quod ego comprehendi ſub quatuor prædictis punctis, quæ ſunt peccatum veniale: *Qui dixerit fratri ſuo, raca: reus erit conſilio.* Id eſt, tractatu quo inveſtigetur, quæ pœna ſit ipſi infligenda juxta quod plus aut minus peccaverit, *Qui autem dixerit, fatue,* quod eſt verbum, quod complectitur id omne quod dici poteſt maximè injurioſum, & ſub hoc nomine fatui ingerere in inimicum ſuum omnes defectus quos patrare poſſunt inſani, ſive hoc dicatur expreſsè & in ſpecie, ſive hoc enuncietur implicitè ſub hoc termino generali, *reus erit gehennæ ignis.* Damnationem meretur æternam abſque aliâ juris formâ. Dicitis, iracundi, verba quæ accendunt ignem, quæque non ſolùm teſtantur, vos habere ignem in corde, ſed etiam quæ accendere poſſunt ignem magnum in corde illorum, qui ea ſuſcipiunt, quique iis offenduntur: ſolus igitur ignis de eis ſe poteſt ulciſci, & tota maris aqua non ſufficiet extinguendo ardori ignis iſtius, quem ira veſtra immoderata accendit in fornace tribunalis juſtitiæ Dei.

II. Pars Quod cùm ita ſit, vos qui aſſueti eſtis iræ, & inferendis injuriis proximo veſtro, poteſtisne in animum veſtrum inducere, quòd Deus veſtra velit munera ſuſcipere, & vobis favores ſuos impertiri? Errorem deponite, Deus qui eſt protector eorum, quos perſequimini, cauſam illorum amplectitur, & ſibi illatas reputat omnes injurias, quas illis irrogaſtis, ita ut non dignaturus ſit munera veſtra ſuſcipere priuſquàm culpam veſtram reparaveritis, & reconciliati fueritis eis, quos offendiſtis: *Si ergo offers munus tuum*, &c. Sed, Reverende Pater, quid loqueris nobis de muneribus? poſſumusne munera præſentare Deo? hoc eſſet planè dicere, quòd omne quod eſt in mundo, non pertinet ad eum: ſcimus autem quòd ipſemet ait, *Meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus, & boves: cognovi omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt* g. Hoc eſſet aſſerere, quòd
g Pſ. 49. 10. & 11
indigeret ipſe nobis, aut quòd poſſemus illum ditare: non latet autem nos, quòd David h
h Pſ. 15. 2
dixit eidem *Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Iſtud eſſet enunciare, quòd poſſemus illum devincire nobis, & dare ei aliquid è noſtro, quod non ſuſcepiſſemus ab eo: Apoſtolus autem deridet eum, qui tali cogitatione duceretur, *Quid habes, quod non accepiſti* i? *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei* k? Quænam poſſumus igitur offerre ei munera, ut obſervandæ ſint ceremoniæ & reconciliationes antequàm ea illi offeramus? Heu Auditores, id omne quod habemus, ad illum pertinet, nihilominùs ſit ipſi ſatis ſi illius
i 1. Cor. 4. 7
k Rom. 11. 35

habeamus uſum, & illud idem ipſi offeramus, ut inde inducatur ipſe ad conferendos nobis novos favores. Mater præbuit pomum puero ſuo: puer tenet pomum præ manibus, mater quæ dirigit puerum, eſt quidem adhoc domina pomi, dicit ipſa tamen filio ſuo, Fili mi, da mihi pomum iſtud, non quòd mater velit comedere pomum, neque ditari tali munere, ſed videre obedientiam & affectum filii ſui, ut ſi filius ſuus tribuat ipſi pomum, ipſa retribuat ei idem cum oſculis & blanditiis innumeris. Habetis hortum, quem ad annuum redditum tradidiſtis alicui hortulano, hortus & hortulanus & omnes fructus qui inde proveniunt, ſunt uſui & ſervitio veſtro dicati: hortulanus iſte qui veſtram cuſtodire volet amicitiam, ſpeculabitur primas herbas, primos flores, & primos fructus, ut ex iis offerat vobis munera: eratis quidem illorum domini: tamen hoc munus æquo ſuſcipitis animo, & curam quam habuit hortulanus vobis complacendi, quaſi vobis aliquid obtuliſſet è ſuo: Deus colendum nobis tribuit hortum, qui eſt anima noſtra, *Deus hominem poſuit in paradiſum voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum* l. Nunquid non meminiſtis parabolæ vineæ Evangelicæ m? *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & locavit eam agricolis.* Redditus annuus & perpetuus, quem debetis ei exhibere, eſt obſervantia mandatorum ejus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* n. Sed ſi ultra hunc redditum ſatagimus ei offerre fructus aliquos bonorum noſtrorum operum, nedum tamen ad iſtud officium ſimus alioquin obſtricti, hæc acceptabit ipſe munera, non ſecus ac ſi hortus, veſter eſſet. Sed cavete ne Filius Dei renuat acceptare veſtra munera. Quod efficit, ut libenter munus aliquod ſuſcipiatur, eſt, cùm illud eſt bonum, cùm procedit ab iis quos diligimus, cùm datur libenter, & tribuitur cum omnibus conditionibus requiſitis. Fieri poteſt ut munus ſit bonum, ſed cùm venit ab homine quem non diligitis, illud intueri dedignamini: munus erit bonum, perſona erit commendabilis, ſed quia illud non offert vobis libenter, dicetis ei, Domine, cuſtodi munus tuum. Munus erit bonum, perſona erit meritis inſignis, bona voluntas ei aderit, ſed deficiet illi reverentia, aut forma in illo vobis offerendo, vel fortè vobis illud præſentabit in diſpendium alienum: tunc dicetis ei, Amice, gratias ago tibi pro munere tuo, reſerva illud tibi, ſi placet; licèt enim ſit pulchrum, & bonum, volo ut unuſquiſque ſit contentus, & ne mihi illud offeras præ oſtentatione, ſed deſiderio mihi placendi: ita ut ad hoc ut munus ſit acceptabile, requirat ipſum multas conditiones; ſed ad hoc ut ſit recuſabile, ſufficiet, ut deſit illi aliqua circunſtantia, *Bonum ex integrâ cauſâ, malum verò ex quolibet defectu.* Atqui rerum, quas dare Deo poſſumus, aliæ ſunt quæ ex ſemetipſis ſunt malæ, aliæ quæ ſunt indifferentes, aliæ quæ ſunt bonæ, & aliæ quæ ſũt optimæ. Primæ ſunt peccata noſtra, aut mortalia, aut venialia, hæc tribuere Deo eſt eum deridere, & offerre illi mun⁹ quod præſẽtavit ei diabolus in deſerto, *Dic ut lapides iſti panes fiant* o. Nequitiæ veſtræ nõ poſſunt acceptaria Deo, *Quoniã non Deus volens iniquitatẽ tu es* p. Secũdæ, ſunt actiones quæ nec ſũt bonæ, nec malæ, ſed quæ poſſunt fieri bonæ aut malæ bonâ aut
l Gen. 2. 15
m Math. 21. 33. &c
n Math. 19. 17
o Matth. 4. 3
p Pſ. 5. 5

malâ directione ad bonum aut malum finē, quales ſunt actiones purè naturales, vel artis veſtiæ, vel œconomiæ, &c. iſtæ autem fieri poſſunt bonæ eiq; præſentari, ſi faciatis eas propter amorē ejus. Tertiæ ſunt illæ quæ ex ſemetipſis ſunt bonæ ut ſunt virtutes, & præcepta Dei benè exercita,
q Tob. 12. 8. *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna* q. Hæc omnia poſſunt etiam meliùs acceptari à Deo: nā præter directionē cogitationis, opera ex ſe bona ſunt. Quarta res quæ eſt optima, eſt excellentiſſimum ſacrificium Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti
r 1. Cor. 11. 26 r, quod ſingulis diebus offerimꝰ ſuper altaribus noſtris: munus tanti momenti ut ſufficerit ad reconciliandos homines Deo, *Pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in*
ſ Coloſſ. 1. 20 *cœlis ſunt* ſ. Deus igitur vult ut munera, quæ ipſi offerimus, ſint acceptabilia undequaque ut ſint bona, ut offerantur ab hominibus virtuoſis, qui ſint in ſtatu gratiæ: alioquin enim dedignaretur nos audire, *Scimus autem quia peccatores Deus non*
t Jo. 9. 31 *audit* t. Exigit ut illa libenter ipſi præſentemus,
u 2. Cor. 9. 7. ex Eccli. 35. 11 *Hilarem enim datorem diligit Deus* u. Requirit, ut præbeamus ipſi è bono noſtro, non autem ex altero, *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de pri-*
x Prov. 3. 9 *mitiis omnium frugum tuarum da ei* x. Intendit etiā ut unuſquiſque ſit contentus, & ne aliquid ampliùs habeamus diſceptandum cum proximis noſtris, & quòd, ſi fortè ſuperſit adhuc aliquod diſſidiū inter eos & nos, ſive nos offenderimus eos, ſive illi læſerint nos, pergamus priùs pactum reconciliationem cum eis, aut eis parcendo, ſi illi injuriam nobis intulerunt, aut veniā ab illis efflagitando, ſi eis à nobis injuria fuit irrogata, ne hæc inimicitia mutua nobis afferat diſtractiunē, aut alterationem mentis: alioquin enim ipſe noſtra non ſuſcipiet munera, imò nec ſacrificiū altaris, quod eſt excellētiſſimū omnium. Eſt quippe munus panis & vini: & ſicut panis coaleſcit è multis granis tritici miſtis ſimul, & vinū è multis acinis ſub torculari calcatis, & panis & vini,
y Jo. 6. 56 quæ ſunt elimentum generale omnium fideliū y, è quibus unitis ſimul fit corpus Eccleſiæ ſub Capite uno, quod eſt Jeſus Chriſtus, *Quia mēbra ſu-*
z Ephel. 5. 30 *mus corporis ejus* z *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* a.
a Coloſſ. 1. 18 Et, *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus* b. Niſi ſitis u-
b 1. Cor. 10. 17 niti cum omnibus membris corporis, non meremini munus iſtud offerre Deo. Munus eſt bonū, & pulchrum, ſed ſi ſit munus quod non ſignificet unionem Capitis cum membris, & membrorum inter ſe, non meremini ut veſtrum munus ſuſcipiatur, non eſtis uniti corpori, perſonæ veſtræ nō ſunt conſiderabiles corā Deo, munus fieri debet in nomine totius Corporis; ideò munus veſtrum nō eſt acceptabile. Præterea, Debetis eſſe amici illius, cui veſtrum munus offertis, ſi vultis ut illud ſuſcipiat; ut autem ſitis amici illius, debetis diligere id omne quod ipſe diligit: Deus diligit omnes proximos veſtros, ſicut caput amat membra ſua, *Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeip-*
c Ephel. 5. 25 *ſum tradidit pro ea* c. Nec odit niſi illorum vitia, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas e-*
d Sap. 14. 9 *jus* d. Oportet igitur ut illos diligatis, ut conformemini Capiti veſtro: contendiſtis cum illis, & illos adhuc odio proſequimini: non eſtis igitur amici Dei; munus veſtrum non acceptabitur. Inſuper, Requirit Deus veluti conditionem neceſſariam, ut munus veſtrū libenter præſenteris: iniquo offertis illud animo, & videmini deſiderare ut illud gratum Deus non habeat, quia dicitis ei, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus de-*

bitoribus noſtris e. Non igitur vultis ut Deus vobis e Matth. 6. 12
ignoſcat: non ergo libenter offertis ei veſtra munera, cùm non intendatis inde amicitiam ejus inire: nolite igitur expectare ut munus veſtrum ſuſcipiatur. Tandem, Tribuendum eſt de veſtro ſine diſpendio alieno: offendiſtis proximum veſtrum, aut in bonis ejus, aut in fama ejus, verbo aut effectu, aut cogitatione: debetis ei ſatisfactionem, & omnis ſatisfactio debet eſſe ejuſdem naturæ cujus eſt offenſa: debetis igitur proximo veſtro obſequium veſtrum, bona veſtra, bona verba, id eſt, ſimilia iis, quæ ab illo abſtuliſtis: ſi igitur exiſtimatis dare Deo aliquid ex iſtis in orationibus, in eleemoſynis veſtris, &c. tribuitis ei illud quod non eſt veſtrum: iſtud debebatis jam proximo veſtro; iſtud non æſtimabit Deus munus, nec illud unquam recipiet, cùm non ſit veſtrum. Sed offero Deo Filium ipſius in SS. Sacramento Euchariſtiæ, in quem tantum jus habeo, quantum proximus meus. Ego autem reſpondeo vobis, quòd nullum jus ampliùs habeatis in eū: offendentes enim proximum veſtrum, offendiſtis Caput ejus Jeſum Chriſtum, & de eo non poteſtis ampliùs diſponere ut ipſum Patri ipſius offeratis. Sed illum non offendi niſi verbis & ideò non debeo illi niſi verba, quod non impedit quin alia Deo præſentare poſſim munera, quæ mea ſunt, qualia ſunt eleemoſynæ, & alia bona opera. Ha! nonne videtis, quòd ad vel minimam injuriam, quam intuliſtis ei, cor veſtrum inſumpſiſtis, ſine quo nulla eſſet offenſa, & quòd ſuffurati eſtis ei amicitiam, quam illi debebatis: debetis igitur ei cor veſtrum, & amicitiam veſtram: præſentare igitur aliquid Deo ſine corde, & abſque amicitiâ, illud omne nihil valeret: tribuere ei cor & amicitiam inter omnia munera veſtra, quæ jam debetis aliis; hoc eſt in detrimentum tertii; nihil proficietis, nec hujuſmodi munus ſuſcipiet Deus: concludamus igitur, & dicamus cum eo, quòd, ſi vultis ut ipſe veſtrum ſuſcipiet munus, oportet ut vadatis *priùs* veſtro *reconciliari fratri, & tunc munus* veſtrum ipſe acceptabit, cùm debita veſtra ſolveritis eidem fratri veſtro, eique cor & amorem veſtrum impenderitis. Videte quomodo id dicat illi etiam Pſalmiſta f, f Pſ. 50. 18. &c
Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Id eſt, obſtringendo me prius ad offerendum ſacrificium fratri meo, ad humiliandum me ei, & ad petendam ab eo veniam, quaſi ipſe eſſet Deus, offenderam enim te in perſona ejus: etiam Domine: *Benignè fac in bona voluntate tuâ, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Incipe me intueri oculo propitio, & habere aliquam bonam voluntatem erga me, ad reædificandos lapides vivos Eccleſiæ, quos deſtruxeram iracundiis & odiis meis. *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ oblationes, & holocauſta: ſuper altare tuum vitulos* offeram tibi innumeros actuum meritoriorum. Nolite autem exiſtimare, Auditores, quòd poſſitis aliter unquam aliquid agere quod placeat Deo: cauſam enim ſuam miſcuit commodis proximi veſtri. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis* g. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine irâ* g Rom. 13. 8
& diſceptatione h. Ecce quantùm ad orationem. *Cùm extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ* h 1. Tim. 2. 8
ſunt.

[i Iſai. 1.15] *ſunt* i. En quoad eleemoſynam,& orationem. *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis* [k Iſai. 58.4] *pugno impiè* k. Iſtud intuetur jejunium. Tandem, [l 1. Cor. 13.3] S. Paulus *l* hæc univerſa complectitur,cùm ait, *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero:nihil mihi prodeſt.* Id eſt,ſi ſacrificetis vosmetipſos, & non diligatis proximos veſtros, ſacrificium veſtrum vobis erit inutile. Heu!quot munera, orationes, jejunia, eleemoſynas, & alia hujuſmodi præſentaviſtis Deo, qui forſan ea non ſuſcepit, eò quod non obſervaveritis conditiones requiſitas ad hoc ut munus efficiatur acceptabile,Sed quid? velletisne ut diceretur, quòd cùm obtuliſſetis munus amico veſtro,illud deſpexiſſet? Veriſſimum tamen eſt Auditores,quòd Deus contempſit omnia bona opera veſtra,& ſacrificia, quæ ipſi obtuliſtis, eò quòd conditiones non haberent requiſitas: ſed macti animo nedum deſperetis pergite ad peragendam reconciliationem cum proximis veſtris.& poſtquam illam pepigeritis cum illis, revertimini ad Deum, præſentate ei denuò munera veſtra,ipſe libenter tunc ea acceptabit,ſacrificia veſtra erunt ipſi jucunda, & ipſemet vobis *graciam & gloriam dabit Dominus* m. [m Pſ.83. 12]

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Cùm turba multa eſſet,nec haberent quod manducarent, convocatis diſcipulis, ait illis:Miſereor ſuper turbam. Marc. 8. 1.& 2.

Q*Vi omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* a; [a 1. Tim. 2.4.&c] minorem non exigens ideò perfectionem à fidelibus ſuis perfectione ſui Patris cœleſtis,dicens eis, *Eſtote vos perfecti,ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt* b; [b Matth. 5. 1.48] obſtringit eos hodie ad imitandam miſericordiam ejus, volens ut imagines habeant convenientiam cum ſuo Prototypo: *Huic perfectioni aſſimilari non poſſumus ſimilitudine æqualitatis*,ait Dionyſius Carthuſianus c, *ſed imitationis. Scriptum eſt enim, Cui ſimilem feciſtis Deum,aut quam imaginem ponetis ei,& cui aſſimilaſtis me*, *dicit Sanctus* d? [c Dion. Carth. art. 11.in Mat. 5.48] [d Iſai. 40. 18.& 25] *De perfectione Deiformi, quâ Deo aſſimilari præcipimur*, *ait Moyſes* e, *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo.* [e Deut. 18.13] Iſtud eſt quod ipſemet Dei Filius expreſſiùs dicit eis alibi f, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* [f Luc. 6.36] Sicut enim non eſt aliquid magis neceſſarium homini quàm miſericordia, quæ habet pro objecto ſuo proprias ipſius miſerias;ſic non eſt aliquid quod meliùs adficat eundem hominem ad exhibendam eam: & recuſare eam proximo ſuo, eſt ſe reddere indignum impetratione illius à Deo, *Miſereor ſuper turbam*,dicit hodie Dei Filius. Et Dionyſius Carthuſianus g ait, *Miſericordia virtus eſt, quâ quis alterius miſeriæ condolet, relevatque eandem pro poſſe.* [g Dion. Carth. art. 16.in Luc. 6.36] *Deo ergo miſericordia non competit quantùm ad primum iſtorum, quia compaſſionis affectus in Divinitatis invariabilis* h, *impaſſibilisque* i *naturâ non cadit, ſed ſecundum iſtorum perfectiſſimè convenit Deo,qui omnibus indigentibus & miſeris ad ſe clamantibus ſubvenit, miſeriam culpæ aufert, de neceſſariis providet, & tandem ab omni calamitate culpæ, ac pœnæ ereptos ad æternam felicitatem perducit, imò ingratos & peſſimos ſæpiſſimè prævenit gratioſè, hortatur, convertit, ſalvificat, dona quoque naturæ, ac bona fortunæ Bonis & malis indifferenter & copioſè largitur.* [h ex Malach 3.6] [i ex Pſ. 90.10] *Vnde in Matthæo* k *aſſerit, Pluit ſuper juſtos & injuſtos, Solem facit oriri ſuper Bonos & malos. Quemadmodum itaque ipſe ſuperclementiſſimus Deus ex purâ ſuâ bonitate & maximâ pietate non propter utilitatem, aut profectum ſibi inde evenientem, ſed ob noſtram ſalutem hæc operatur, & taliter miſeretur: ita & nos aliis compati & ſubvenire ex charitate & pietate debemus, ad utilitatem, profectum, & ſalutem eorum, non proprii intuitu commodi. Talis miſericordia nos Deo vehementer commendat, conformat, charos efficit, atque placentes, per quam & miſericordiam impetramus à Deo, juxta illud Matthæi* l, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Inſuper. Cum duplex ſit miſeria, utpote culpæ, de quâ in Proverbiis* m *Sapiens, Miſeros(inquiens)facit populos peccatum: Et hæc miſeria eſt ipſamet culpa beatitudinis excluſiva & repugnativa: Alia eſt miſeria pœnæ, ſcilicet adverſitatis, tribulationis, vel indigentia, de quâ ſanctus Iob* n *ait, Ad meas miſerias devoluti ſunt: Multò autem major eſt miſeria culpæ quàm pœnæ: ideò potiſſimum miſericordes eſſe debemus, ſuccurrendo proximis ut à peccatis ſuis purgentur, ipſos hortando, docendo, corripiendo, pro ipſis orando, & peccantibus, etiam dum peccant in nos,condolendo: non mox indignando, iraſcendo,aut ulciſcendo. Quod ſi fecerimus, tunc Deus peccantibus nobis miſericorditer indulgebit, gratiamque emendationis infundet.* [k ex Matt. 5.45] [l Matth. 5.7] [m Prov. 14 34] [n Job 30. 14] Reddamus id quod ſuſcepimus: ſumus productiones miſericordiæ: *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei: non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* o. [o Tit. 3.4. &c.] Et incarnatio ejoſdem Verbi divini eſt effectus admirabilis iſtius nobilis cauſæ. Deus nos ſalvavit per miſericordiam ſuam: Beata Virgo quæ vocatur ab Eccleſiâ *Mater Miſericordiæ*, concurſum ſuum tribuit huic myſterio,cùm reſpondit, *Ecce ancilla Domini* p, Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria.* [p Luc. 1. 38. &c]

Non eſt nimium iſtud,quod Deus exigit à nobis, ut perfectio noſtra convenientiam habeat cum perfectione ſuâ, cùm tota noſtra felicitas ſita ſit in ipſius divinâ ſimilitudine, juxta id qood ait Pſalmiſta q Deo, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* [q Pſ. 16.15] Vel ſecundùm verſionem quæ reperitur apud Lorinum r, *Satiabor, cùm evigilaverit ſimilitudo tua.* [r Lorin. in Pſ. 16.15] Contentus ero, Domine,cùm videbo in me imaginem,& ſimilitudinem tuam. Apoſtolus ſ loquitur de hac ſimilitudine,& de hâc cōformitate,cùm ait, *Quos præ-* [ſ Rom. 8.29]

præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus. Hæc autem ſimilitudo duplex eſt. Una in cœlo per gloriam. Altera in terrâ per vitæ conformitatem. *Nam quos præſcivit*, ait Dionyſius Carthuſianus [t Dion. Carth. art. 12. in Roman. 8. 29.] t poſt Apoſtolum, *id eſt, ab æterno pranovit ad vitam ſicut ad Moyſen loquitur, Scis te ex nomine* u: [u ex Exod. 33. 12] *& prædeſtinavit, id eſt, in ſuâ diſpoſitione æternâ præmiſit atque præordinavit, conformes fieri per gratiam adoptionis, imaginis Filii ſui, id eſt, Filio ſuo naturali, qui eſt imago Patris ſui* x, [x ex Coloſſ. 1. 15.] *cùm ſit imago bonitatis paternæ, candor æternæ lucis, & ſpeculum ſine ſpeculâ Dei majeſtatis* y. [y ex Sap. 7. 26] *Filiatio enim adoptiva Electorum, eſt ſimilitudo filiationis naturalis divinæ. Conformantur ergo Prædeſtinati Filio Dei cùm ſint filii adoptivi, quia per gratiam gratum facientem, & cætera dona Spiritus ſancti ſortiuntur quandam ſupernaturalem aſſimilationem cum Deo Patre, cujus Filius eſt imago. Poteſt quoque referri conformatio iſta ad Filium ſecundùm naturam ejus aſſumptam. Sic enim Prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filii Dei, ut ſint cohæredes Chriſti* z, [z ex Rom. 8. 17] *& ſicut portaverunt imaginem terreni ſic portent imaginem cœleſtis* a. [a ex 1. Cor. 15. 49] *Vt fit ipſe Filius Dei, Primogenitus in multis fratribus, id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinetis dignitatis, tanquam Caput eorum* b, [b ex Epheſ. 1. 22] *& jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo.* Deus igitur expreſſit ſe in æternitate ſuâ in Filio ſuo unico, qui eſt imago ſua viva, & perfecta ſua ſimilitudo, & in eo ſic ſibi complacuit, ut noluerit aliquem collocandum in cœlo, niſi priùs aſſimilaretur & conformaretur huic divino Prototypo. Propterea cùm *in principio creavit cœlum & terram, creavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* c. [c Gen. 1. 1. & 27] Ut homo videns honorem quo erat inſignitus interventu talis imaginis ſibi impreſſæ, conaretur ei ſe conformare in operibus, adhærendo illi in omnibus actionibus ſuis. Ideò exigit ab eo ut ipſum deferat ſuper cor, & ſuper brachium: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum* d. [d Cant. 8. 6.] Primò, Super cor, ad ipſum cognoſcendum, & diligendum. Deinde, Super brachium, quod eſt præcipuum inſtrumentum actionum, ad ipſum imitandum: cùm è ſimilitudine & conformitate quam habituri ſumus cum ipſo, pendeat omnino tota noſtra felicitas. Sed ne erraremus inſtar Angeli, qui in cœlo præſumpſit aſſimilari Deo in potentiâ ipſius, ſuo dicens in *corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* e; [e Iſai. 14. 13 &c] vel more primi hominis, qui eidem Deo voluit eſſe ſimilis in ſapientiâ ipſius, [f Gen. 3. 5.] *Eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum* h, quæ ſimilitudo, damnabilis & criminoſa fuit in illis omnibus qui ipſam inquiſiverunt per vias illicitas, & per ſiniſtra conſilia: propterea Salvator animarum noſtrarum, qui exivit *à Patre, & in mundum venit* g [g Jo. 16. 28] venit, ut viam cœli carpere nos edoceret, prout Doctor, *Quia dedit Doctorem juſtitiæ* h [h Joel. 2. 23] nobis illum idem Pater æternus: *Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* i: [i Matth. 17. 5] docet nos hodiernâ die in quo debeamus ipſum imitari, ut, cùm ſimilitudo noſtra ſic ſancta ſit futura, ſit conſequenter motivum totius noſtræ beatitudinis: nam exercens hodie miſericordiam ſuam erga magnam iſtam populi multitudinem, vult ut imitemur ipſum in miſericordia ſua. Videamus ergo Primò excellentiam miſericordiæ Dei. Secundò motiva quæ nos obſtringunt ad hoc ut aſſimilemur ei in hoc divino attributo per imitationem.

[I. Pars.] Quàmvis in univerſis operibus Dei admiremur ipſius juſtitiam, & ipſius miſericordiam, cùm ſemper voluerit hunc mundum inferiorem regere duobus iſtis præcipuis attributis, quæ more duorum fratrum geminorum tenent in eo imperium, *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*, ait Pſalmiſta k: [k Pſ. 24. 10.] *Id eſt, in omnibus effectibus Dei apparent atque relucent miſericordia Dei & juſtitia ejus*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus l: [l Dion. Carth. in hunc locum.] obſervate tamen, ſi placet, in favorem miſericordiæ, quòd juſtitia eſt ipſi velut ſubdita & inferior, & ferè captiva, quippe circunquaque cincta miſericordiâ, *Miſericors Dominus & juſtus, & Deus noſter miſeretur* m. [m Pſ. 114. 5] Cùm Deus ſemper præferre videatur miſericordiam juſtitiæ, nec ullum ſit ex operibus ipſius, quòd hâc divinâ perfectione miſericordiæ non ſit inſignitum, *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, ait David n. [n Pſ. 144. 9] *Hoc eſt, effectus divinæ miſericordiæ, majores & evidentiores ſunt Dei operibus, utpote quòd pluis abundant in creaturis, quàm effectus divinæ juſtitiæ, juxta illud, Superexaltat miſericordia judicium* o, [o Jacob. 2. 13] ſubdit idem Carthuſianus p. [p Dion. Carth. in Pſ. 144. 9] Sicut enim Princeps ſatagit ſtemmata ſua ſculpenda ſuper id omne quod ad ipſum pertinet, cùm non ſit aliquid è ſuis, ſive civitatibus, ſive caſtris, ſive domibus, ſive ſuppellectilibus, quod præ ſe non ferat hæc inſignia dependentiæ ab ipſo; & hoc ideò ut ipſe cognoſcatur ubique, & ut ſtemmatibus ipſius viſis & palàm expoſitis, diſcatur eodem modo nobilitas ipſius antiqua, & innuantur præclara facinora, quibus ipſe perfunctus eſt alias, cùm hæc ſerviant loco memorialis ad renovandas univerſas ipſius actiones maximè commendabiles: Deus non recedit ab iſto procedendi modo: &, ut omnes creaturæ tam terreſtres, quàm cœleſtes, cognoſcant ipſius magnitudinem, cujus *non eſt finis* q, [q Pſ. 144. 3] & ipſius bonitatem infinitam, ſicut ipſe *non habet finem* r; [r Baruch 3. 25] vult ut omnes ditiſſimæ poſſeſſiones ſuæ, notatæ ſint inſignibus miſericordiæ ſuæ. Auſcultate quomodo Propheta Regius ſ id ediſſerat; [ſ Pſ. 135. 4 &c. ex Gen. 1. 10 &c.] *Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia ejus. Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum miſericordia ejus. Qui firmavit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia ejus. Qui fecit luminaria magna. quoniam in æternum miſericordia ejus. Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternum miſericordia ejus. Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis, quoniam in æternum miſericordia ejus.* His omnibus operibus ſuis impreſſit inſignia miſericordiæ ſuæ, ut iſtius divinæ miſericordiæ ſuæ perfectionem ac magnitudinem commendaret.

Sed iſtud non eſt ſatis: ut autem meliùs extollatur hoc attributum, obſervate, ſi placet, quòd Deus, qui in Scriptura ſacra nunquam defert titulum Patris juſtitiæ, ſemper affectat ut ſit *Pater miſericordiarum* t. [t 2 Cor. 1. 3] Sic enim diligit opera ſplendentia, & productiones iſtius divinæ perfectionis miſericordiæ, ut productiones iſtas adoptet per gratiam ſuam in filias ſuas: & hoc ideò quia iſtæ nativitatem ſumunt in intimis viſceribus ipſius, ſed nunquam effectus juſtitiæ ipſius: ſic nullibi in Scriptura vocatur Pater juſtitiæ. Eodem modo ſe res habet ac de patre qui duas filias habet, quarum una nata eſt ipſi ex ſapiente & honeſtâ uxore, & quam filiam ideò ipſe tenerè diligit,

ligit,

ligit, & cui conſequenter ebsque timore regimen totius domus committit, blandiens illi, & honorans eam hoc ſuavi nomine filiæ: quantùm ad alteram, quæ ipſi nata fuerit ex aliqua muliere impudice & diſſoluta, ducet ipſe dedecori ſe dicere pettem illius, nec eam tenebit in ſemilie niſi velut ancillem; & ſi quis ab ipſo petat, quænam ſit iſta filia, reſpondebit ipſe confeſtim quòd ipſa ſit ancilla domus: atqui miſericordie Dei, quantùm ad matrem, eſt filia bonitatis ipſius; juſtitia verò minax & ſevera, eſt filia malæ & infamis genitricis, id eſt, iniquitatis, *Uſque ad delictum hominu Deus à primordio tantùm bonus, exinde Iudex & ſeverus, & quod Marcioniſta roluut, ſævus*, ait Tertullianus u. Propterea vocatur Pater miſericordiæ, non autem Pater juſtitiæ, quæ eſt filia matris illius profligatæ & deperditæ, ſcilicet iniquitatis. Unde dicit expreſſiùs S. Bernardus x, *Et benè dicitur Pater miſericordiarum* y, *cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere* z. *Sed fortè quis dicet: Quomodo illi proprium eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa* a? *Neque enim dicitur: Omnes via ejus ſola miſericordia, ſed miſericordia & veritas* b. *Non minùs juſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur* c. *Verum id quidem, cui vult miſeretur, & quem vult indurat* d. *Sed quod miſeretur, proprium illi eſt, ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longè aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem: Nunquid voluntatis mea eſt mors impii, dicit Dominus, & non magis ut convertatur, & vivat* e? *Rectè igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non modò quòd Pater videatur miſereri potiùs, quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miſereatur timentium ſe* f: *ſed eò magis quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.* Deum natura ſua fert ad cumulendos nos gratiis miſericordiæ ſuæ: ſed cùm peccata noſtra ipſum irritant uſque ad vibrenda fulmina juſtitiæ ſuæ ſuper nos, aliquo modo ſpoliari videtur bonitate ſuâ, & veluti perſonam alienam induere, ut transformetur in ſeveritatem. Bonitas infinita Dei noſtri! Oportetne ad hoc ut exerceat rigores juſtitiæ ſuæ, ut veluti formam ſuam mutet ordinariam, ut appareat ferè alius quàm ſit per naturam, & videatur ipſum pudere venire ad ſupplicia infligende? Propterea ipſe prohibuit Lot & familiæ ejus, ne retrò reſpicerent ad videndum incendium civitatis ſuæ Sodomæ, *Noli reſpicere poſt tergum* g. Quaſi erubeſceret videre ſe in exercitio juſtitiæ ſuæ, non habens aliquid magis proprium, quàm uti ſuavitate & miſericordiâ, *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.*

u Tertull. l. 2. adverſ. Marcion. c. 11.
x S. Bern. ſerm. 5. in Natal. Dom.
y ex 2. Corinth. 1, 3.
z Eccleſia.
a ex Pſ. 35 7.
b ex Pſ. 24 10.
c ex Pſ. 100 1.
d ex Rom. 9. 18
e ex Ezech 18, 23.
f ex Pſ. 102 13.
g Gen. 19, 17.

Judas, iſte perfidus, hic infamis deſertor collegii Apoſtolici h, poſtquàm pernicioſum conſilium formavit tradendi Domini ſui, nunquid non experitur effectus illius dulcedinis? Nonne Jeſus Chriſtus teſtatur ei moleſtiam quâ ipſe afficitur ex ipſius jacture? *Turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt* i. Id eſt, coram Tabellione publico (nam S. Joannes erat ipſius Scriba, & à ſecretis ipſius) quòd ſi jacturam ſuam incurreret, ideò quia contempſiſſet curas ipſius, & omnes labores ipſius reddidiſſet inutiles: *Perditio tua, Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum* k.

h Matt. 26 15. & 16.
i Joan. 13. 21, &c.
k Oſee 13 9.

Dei Filius loquitur in favorem miſericordiæ, quæ vult ſalvare Judam: ſed hic impius inimicus propriæ felicitatis ſuæ, & proditor ſuæ ſalutis, æquè ac perſonæ adorabilis Divini Domini ſui, renuit remedium ſalutare, quod amanter ipſi offertur, *Quia vocavi, & renuiſtis* l. Et ſi perit, ideò quia non vult ſalvari; cùm nonquam labamur in rigores juſtitiæ, niſi per contemptũ miſericordiæ, quæ eſt nobiliſſima perfectionum Dei, quam ipſemet Deus extollit ſuper omnes alias, & cujus zelo ducitur præ omnibus aliis. *Et dixit Samuel ad Saul, Hæc dicit Dominus exercituum, Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli; quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto* m. *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro uſque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & aſinum. Cùmque veniſſet Saul uſque ad civitatem Amalec, apprehendit Agag Regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii. Et pepercit Saul & populus, Agag, & optimis gregibus ovium & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & univerſis quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt* n. Imaginatus eſt Saul, quòd major eſſet in ſe miſericordia, quam in Deo, qui præceperat ipſi ut Regem Amalec, & univerſa ejus internecione deleret; ideòque Deus ſic offenſus eſt ex ſuperbia Saulis rati ſe miſericordiorem ipſo, ut hoc decretum ſeverum pronunciaverit ipſemet adverſùs eum conſequenter per os Samuelis, ad retundendam inſolentem illius temeritatem, *Abjecit te Dominus, ne ſis Rex.* Super quæ verba prædicta Theodoretus o ait, *Oportebat ſtultum intelligere, quòd una gutta Divinæ Benignitatis & Clementiæ, vincit omnem hominum bonitatem.* Ita verum eſt, quòd miſericordia Dei eminet ſuper omnia alia ipſius opera, & quòd ipſa eſt quæ præ omnibus apparet maximè, & ipſi Deo præ univerſis maximum ſplendorem affert, *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* p. Ipſe autem vult ut in iſta perfectione ſic illuſtri, & ſic à ſe dilecta aſſimilemur ipſi, & ipſum imitemur, ut videant homines, quòd ipſius imaginem deferimus impreſſam animabus noſtris, & quòd induti ſumus ipſius inſignibus. Nam ſi filius debet eſſe ſimilitudo patris, & imitari eum in operibus in omni eo quod pendebit ab exigua ipſius poteſtate; cùm ſimus filii Dei per adoptionem & per gratiam, & ſperemus nos futuros tales per gloriam: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti* q: nunquid non eſt rectæ rationi conſonum, ut conemur non detrahere ſic ſublimi & ita illuſtri nobilitati? Erat aliàs conſuetudo Magnatum deferendæ imaginis patrum ſuorum ſculptæ in aliquo annulo, vel in aliquo numiſmate, ut eorum recordatio induceret ipſos ad praxim virtutum illorum: & *Scipio, Africani Majoris filius, ponitur inter eos apud Valerium, qui à parentibus claris degeneraverunt*, ait Calepinus r. Et alii aſſerunt, quòd, cùm iſte filius, vocatus Ignobilis, eò quòd detraxiſſet nobilitati patris ſui, deferret in digito annulum, in quo ſculpta erat imago ejuſdem patris ſui, hæc ab ipſo fuerit ablata præ decreto particulari Senatus, cùm indignitate vitæ ſuæ, & depreſſione actionum ſuarum eam inhonoraret. Deus vult,

l Prov. 1, 24.
m ex Exod. 17, 8
n 1. Reg. 15. 1. &c.
o Theod. q. 34. in 1. Reg. 15.
p Pſ. 144. 9.
q Rom. 8 16, & 17.
r Calep. in Diction. V. Scipio.

Auditores, ut, ſicut nobiles & ex illuſtri progenie nati, prout ipſius filii per adoptionem, & qui habemus pignus & certitudinem felicitatis æternæ *ſicut portavimus imaginem terreni, portemus* f 1.Cor.15 19.
& imaginem cœleſtis f. Id eſt, ut, ſicut filii Adæ hominis terreſtris, ſimiles ei ſumus in facie, & imitemur eum in occurſibus innumeris, qui oſtendunt quòd ad illum pertinemus: ſic prout filii Jeſu Chriſti per adoptionem & per gratiam, debemus conari deferre imaginem ejus, & illum imitari in operibus ipſius, ne actiones noſtræ ſerviant loco probri excellentiæ naturæ noſtræ, & nobilitatis noſtræ, & ne nos reddant indignos qualitate eminenti quam deferimus filiorum Dei per adoptionem & per gratiam. Cùm igitur Salvator noſter miſertus turbæ Evangelicæ noſtræ, nobis inſinuet obligationem quam habemus imitandi ipſius in hac Divina perfectione miſericordiæ, conemur aſſimilari ei in hoc illuſtri attributo, ſimus miſericordes, benefaciamus omnibus, & nemini malum reddamus: condonemus injurias, nedum velimus de eis unquam nos ulciſci, miſereamur alienæ miſeriæ, & pro poſſe noſtro impendamus auxilium proximo noſtro, & per hanc virtutem convenientiam habebimus cum miſericordia Prototypi noſtri.

II. Pars. Duo motiva inter alia nos inducere debent ad praxim & ad exercitium iſtius ſublimis & excellentis virtutis miſericordiæ. Primum educo è propriis noſtris commodis, cùm Deus ſe gerat erga nos eodem modo, quo procedemus erga fratrem noſtrum proximum: ideòque experiemur in nobis effectus miſericordiæ ejus beneficæ, ſi miſericordiæ actus exercuerimus erga proximos noſtros. Propterea Dei Filius nobis præcipit ut condonemus injurias nobis illatas, & ignoſcamus eis qui illas nobis intulerunt, ſi velimus ut nobis ab ipſo ignoſcatur, *Dimittite, & dimittemini. Eâdem quippe menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis* t. Seu, ſecundùm Dionyſium Catthuſianum u, *Dimittite injurias vobis illatas, juxta illud Apoſtoli* x, *Induite viſcera miſericordiæ, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam. Et dimittetur vobis peccatum quo Deo feciſtis injuriam. Ideò in Eccleſiaſtico* y *ſcriptum eſt, Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. Et ecce hæc eſt infinita clementia atque dignatio ſuperſublimis & incomparabilis Dei, quòd ipſe vult illi dimittere ſua peccata, qui ignoſcit peccanti in ſe, cùm tamen peccatum per comparationem ad Deum habeat enormitatem quodammodo infinitè majorem, quàm per comparationem ad hominem contra quem fit, ſicut Deus eſt dignitatis, ſanctitatis, ac majeſtatis in infinitum majoris quàm homo. Non ergo ſimus Deo ingrati, nec ad ignoſcendum proximis tardi ſeu graves. Eâdem quippe menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis: hoc eſt, juxta modum veſtræ actionis, ſeu ſecundùm proportionem & gradum converſationis ſeu meriti veſtri, vel prout alys feceritis, erit menſura ſeu modus & gradus præmii veſtri, quia præmium merito correſpondet, magisque penſatur ſecundùm magnitudinem interioris affectus, quàm operis exterioris: juxta quod in Marco z ait Salvator, quòd vidua quæ miſit duo minuta, plus omnibus miſit. Hinc in Ioanne a dicit, In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, id eſt, diverſi gradus præmiorum, ſecundùm differentias meritorum. Et Paulus teſtatur, Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet* b *vitam æternam. In Apocalypſi* c *quoque habetur, Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Et per Iſaiam* d *Dominus ait, In menſura contra menſuram judicabo eam.*

t Luc. 6, 37. & 38.
u Dion. Catth. art. 26. in Luc. 6. 37. & 38.
x Coloſſ. 3. 12. & 13.
y Eccl. 28, 2.
z ex Marc. 12. 42. & 43.
a Jo. 14. 2.
b 2. Cor. 9. 6.
c Apoc. 18. 7.
d Iſa. 27. 8.

Re autem verâ magna foret impudentia petere à Deo miſericordiam, cùm recuſaremus miſericordiam impendere proximo noſtro. Eccleſiaſticus e exaggerat iſtam cæcitatem, quæ abit in exceſſum, terminis iſtis, *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur?* Ha infelix! ait S. Auguſtinus f, *Tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus: ille verò eum quem creavit.* Nunquid non juſtius eſt ut dimittas injuriam, quam tibi frater tuus irrogavit, quàm ut Deus tibi condonet illam quam ipſi intuliſti? Inimicum habes illum, quem Deus creavit tecum, tu æquè ſervus es ac ille; ſed Deus habet inimicum unum è ſervis ſuis, qui non eſt niſi *putredo, & vermis* g. Et tamen ignoſcit tibi tuas culpas univerſas: poſthæc autem erisne ſic impudens ut dicere præſumas effractâ fronte, Nunquam dimittam ei injuriam quam mihi irrogavit, illum proſequar ad mortem uſque, ut expleam rabiem meam? induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* h ſtrictum, uſquequò progrederis? Tigris crudelis quidnam agere meditaris? Ha! excipieris eodem modo, quo exceperis fratrem tuum; petitio tua infallibiliter exaudietur, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* i. Tu non parcis; nec tu veniam impetrabis. *Qui igitur non ignoſcit, contra ſe orat*, ait Dionyſius Catthuſianus k.

e Eccl. 28. 3.
f S. Aug. in Pſ. 54.
g Job 25. 6
h Job 41. 15.
i Matth. 6. 12.
k Dion. Carth. art. 33. in Matt. 6. 12

Dicite mihi, ſi placet, ad reddendam ſenſibiliorem materiam iſtam maximi momenti: Si veniret homo ad aliquem è vobis cum ſcedula vel recognitione continente quòd ipſe debet alicui è vobis centum nummos, & quòd vertens paginam iſtius chartæ, oſtenderet eidem alicui ex vobis, quòd is ipſi debeat decem millia nummorum, ſi diceret ipſi, Domine, dimitto tibi totam iſtam magnam ſummam quæ mihi debetur, & quam teneris mihi ſolveris, præ hac conditione quòd non requires à me hanc exiguam ſummam, quam tibi debeo: ſi is, cui talis offertur conditio, non eſſet omnino judicii inops, nunquid non eſſet obſtrictus urbanitati illius honeſti viri? & nonne deberet ei gratias agere pro favore ſic inuſitato? Iſtud eſt, Auditores, quod peragitur inter Deum & peccatorem: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra* l. Vultisne ut vobis ignoſcatur? Ignoſcite. Dimittite fratri veſtro unum, & dimittentur vobis centum. Euge homo, reſponde mihi: Quid debet tibi frater tuus? Tu dicis, Valdè exiguum mihi debet. Sed quid? Forſan tenue verbum quod ipſe protulit infallibiliter præ levitate, præ abundantia ſermonis, & incogitantet, murmurationem, detractionem, aliquam apparentiam exteriorem, per quam ipſe mihi oſtendit, quòd non multùm me diligeret: ipſe non me ſalutavit appoſitè, & parvi me æſtimavit. Ha quàm exiguum eſt iſtud re verâ! Tu verò quidnam debes Deo tuo? Multum debes ei, & ſummam ſic immenſam, ut eam nunquam valiturus ſis illi ſolvere,

l Matth. 6. 14. & 15

Obla-

Oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum Dominus ſuus: & ait illi, Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris m, ait Dei Filius.

m Matt. 18. 14, &c.

Ha! igitur inſenſate, cùm Deus requirat à te ut ſchedulæ lacerentur, & ut unum condonetur pro altero, ut dimittas exiguum ad hoc ut tibi dimittatur multum, quomodo non accipis hanc conditionem ſic favorabilem? Quâ fronte audes renuere pactum ſic proficuum? Ha! Deus mi, tu es in exceſſu bonitatis tuæ quandiu homines ſunt in exceſſu crudelitatis ſuæ, & rigoris ſui. Loquere, magne S. Chryſoſtome n, invehere contra inſaniam peccatorum, qui ſic inclinantur ad vindictam, quandiu Deus ſic miſericordiâ ducitur ad remittendas ipſis ipſorum offenſas. *Vidiſti humanitatem, & miſericordiam Domini*, inquit, *vide nunc inauditam ſervi crudelitatem. Animadverte quàm mitis ſit Dominus, quaſi conſtitutus in judicio ſatisfactionem reddit, quare donationem illam revocavit, imò verò non ipſe revocavit, ſed ille qui acceperat, evertit.* Nunquid non, Auditores, ſanguineis lacrymis deplorandum eſt illud infortunium? Nonne crudeles ſumus nobiſmetipſis eodem tempore quo proximo noſtro veniam recuſamus? Intuitus commodorum noſtrorum eſt validum motivum ad inducendos nos ad exercitium miſericordiæ. Sed ecce ſecundum motivum, quod obſtringere nos debet ad illius praxim.

n S. Chryſ. hom. 62. ex Matt. 18. 27, &c.

Primum motivum habet aliquid ſuave & gratum ut nos inducat ad exercitium virtutis iſtius eminentis in favorem proximi noſtri: ſed iſtud ſecundum motivum non habet aliquid quod non ſit rude & ſeverum, cùm rigidè nobis intentetur pœna legis talionis, id eſt, ut imponatur nobis idem ſupplicium, quod aliis voluerimus infligere: *Iudicium enim ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam*, dicit S. Jacobus o. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p, *Iudicium enim ſine miſericordia fiet à Deo illi homini, qui non fecerit miſericordiam proximo ſuo in vita præſenti, antequam tribunali præſentetur Divino. Quemadmodum enim beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur* †: *ſic infelices ſunt immiſericordes, quoniam miſericordiam non obtinebunt, ſed juſtè ac terribiliter damnabuntur. Quemadmodum dives epulo, qui miſereri noluit Lazaro* q. Et iſtud fuit tota ratio, quam Propheta Samuel attulit, juſtificans rigorem zeli ſui adversùs Agag Regem Amalec, cui Rex Saul pepercerat, ſicut audiviſtis ſuprà, *Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus: ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua* r. Quaſi dixiſſet ei, Tu non es dignus veniâ tibi impendendâ, cùm erga neminem miſericordiam exercueris, ſed econtrà ſic copioſum ſanguinem inclementer effuderis: & cùm feceris tot mulieres viduas, & ſine liberis, non eſt aliquid juſtius quàm ut genitrix tua ſimili modo excipiatur; & cùm ſic infortunata fuerit ut pepererit filium ſic crudelem, oportet ut hac afficiatur ipſa moleſtiâ, ſe produxiſſe ſic deteſtabilem creaturam.

o Jac. 2. 13
p Dion. Carth. art. 4. in Jac. 2. 13.
† ex Matt. 5. 7
q ex Luc. 16. 20. & 21.
r 1. Reg. 15. 33.

Hoc ipſum idem eſt quod accidit aliàs Perillo, qui ut gratificaretur immiti Tyranno Phalaridi fecit ei opus eximium artis ſuæ, quàmvis ipſius conſilium cruentum fefellerit ipſius ſpem, cùm totum, Deo ſic diſponente, ſucceſſerit aliter ipſi quàm ipſe decreviſſet, ut ait Calepinus ſ, citans Ovidium, & Plinium. *Perillus Athenienſis faber ingenio præſtans, qui Phalaridi Tyranno Agrigentino taurum ex ære fabricavit, in quo reus clauderetur, ac ſubjecto igne mugitum bovis ederet, cujus muneris nomine cùm ampliſſimum à Tyranno, qui novis ſemper tormentis excogitatis delectabatur ſperaret munus, incluſus tauro, ſuppoſitiſque ignibus, primus ſuæ artis experimentum præbuit.* Ovidius,

ſ Calepin. in Diction. v. Perillus. citans Ovid. 1. de Arte, & Plin. l. 34. c. 8

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit author opus.

Plinius, Perillum nemo laudat, ſæviorem Phalaride Tyranno, cui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus, igne ſubdito, & primus eum expertus eſt cruciatum juſtiore ſævitiâ. Ita verum eſt, quòd illi puniuntur eâdem pœnâ, quam exercent adversùs alios.

Scriptura ſacra t ſenſibilem reddit nobis hanc maximi momenti veritatem in perſona Joab Ducis generalis exercituum Regis Davidis, qui cùm uſus eſſet omni genere crudelitatis & rigoris adversùs alios, non minori rigore exceptus eſt, quàm excepiſſet alios, nedum tabernaculum quò confugerat, ſervire poſſet ipſi loco aſyli: ſic non merebatur ille vir immitis miſericordiam, cùm eam aliis ipſe denegaſſet: *Appropinquaverunt dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio ſuo, dicens, Ego ingredior viam univerſæ terræ: confortare, & eſto vir. Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſraël, Abner filio Ner u, & Amaſæ filio Iether x: quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem prælii in balteo ſuo qui erat circa lumbos ejus, & in calceamento ſuo quod erat in pedibus ejus. Facies ergo juxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos. Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Nuntiatumque eſt Regi Salomoni, quòd fugiſſet Ioab in tabernaculum Domini, & eſſet juxta altare: miſitque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens, Vade, interfice eum. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei, Hæc dicit Rex, Egredere. Qui ait, Non egrediar, ſed hic moriar. Renuntiavit Banaias Regi ſermonem, dicens, Hæc locutus eſt Ioab, & hæc reſpondit mihi. Dixitque ei Rex, Fac ſicut locutus eſt: & interfice eum. Aſcendit itaque Banaias filius Ioiadæ, & aggreſſus eum interfecit.* Hoc docet iracundos, ſe eo modo excipiendos, & nunquam impetraturos miſericordiam, cùm veniam recuſent aliis.

t 3. Reg. 2. 1, &c.
u ex 2. Regum 3. 27.
x ex 2. Regum 20. 9. & 10.

Deus minas intentat horribiles per Prophetam ſuum Sophoniam y, quas crudeles & im-

y Soph. 1. 8

mitis

mites ſtupore percellere debabant inſolito, & ad extremas anguſtias uſque illos redigere, dicens, *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrinâ*. Veſtis naturalis hominis, & ea quæ eſt ipſi præcipua, & maximè propria, eſt miſericordia, quâ affici debet intuitu miſeriarum & infirmitatum proximi ſui ſublevandarum: illi ergo ſunt induti veſtibus peregrinis, qui vacant praxi vindictæ, & dimittere nolunt injurias ab aliis ſibi illatas: magnam habent igitur anſam timendi, cùm Deus minetur ipſis rigorem ſeveriſſimorum ſuppliciorum, quæ ipſis infliget cùm venerint dies viſitationis ipſius: & cùm tunc non ſint habituri hanc auguſtam qualitatem quæ ipſos redderet filios Dei per adoptionem & per gratiam; quis non videt eos excipiendos eſſe non ſecus ac captivos?

Evitemus ſolicitè, Auditores, iſtud infortunium, quòd imminet juſtè capitibus impiis iracundorum: & cùm non ſit aliquid quòd meliùs nos exhibeat intuendos filios Dei, & quod ampliorem tribuat nobis certitudinem quantùm ad gloriam, & quantùm ad remiſſionem culparum noſtrarum, quàm miſericordia quam exercemus erga alios, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt* z: exerceamus miſericordiam, parcamus inimicis noſtris, ſicut ipſe parcit nobis, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus* †. Non expectat à nobis niſi unicum ſuſpirium ad hoc ut nobis ignoſcat, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vitâ vivet, & non morietur* *. Eâ tamen interpoſitâ conditione, ut condonaturi ſimus injurias, quas alii nobis irrogaverint. Intuitus commodorum noſtrorum nos inducit ad exercendam hujuſmod. miſericordiam, niſi velimus eſſe crudeles nobiſipſis. Dimittamus exiguum; & Deus, cujus miſericordia præeminet omnibus operibus ſuis, dimittet nobis totum: alioquin talis erit adverſùm nos, quales fuerimus adverſùs alios: inducamus igitur eum per ſanctitatem praxis noſtræ, & per exactam imitationem perfectionum ipſius ad hoc ut nobis parcat in hoc mundo per gratiam ſuam, ut nobis tribuat in altero ſæculo gloriam ſuam.

z Matt. 5. 44. & 45.
† Rom. 5. 10.
* Ezech. 18, 21.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Omnis arbor bona, fructus bonos facit. Matth. 7. 17.

VEritas eſt manifeſta, cui nemo ſanæ mentis compos poteſt contradicere, quòd triumphare non poſſit quis quin pugnaverit: prælium præcedit victoriam, & pugnandum eſt, ac generoſe præliandum, ad hoc ut corona comparetur. Si Julius Cæſar terror Imperii Romani, fecit ingreſſum ſuum triumphantem in civitatem Romam, inſidens curtui pompatico, & onuſtus palmis & victoriis, ideò quia priùs magnanimiter præliatus fuerat. Si Pharao Rex Ægypti dixit ad Ioſeph, *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm Regni ſolio te præcedam: dixitque rurſùm Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti: tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivitque eum ſtolâ byſſinâ, & collo torquem auream circumpoſuit: fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Ægypti: dixitque Pharao Rex Ægypti ad Ioſeph: Ego ſum Pharao; abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti: vertitque nomen ejus, & vocavit eum (linguâ Ægyptiacâ) Salvatorem mundi* a: ideò quòd iſte Joſeph triumphavit de impudica domina ſua, quæ ſolicitabat ipſum ad turpia: *Erat autem Ioſeph pulchrâ facie, & decorus aſpectu. Itaq; injecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait, Dormi mecum. Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, relicto in manibus ejus pallio, fugit, & egreſſus eſt foras* b. Si cùm ingreſſura eſſet civitatem ſuam Bethuliam victrix *Iudith, occurrerunt ad eam omnes a minimo uſq; ad maximum, quoniam ſperabant eam jam non eſſe venturam: & accendentes luminaria congyraverunt circa eam univerſi*; ideò quia *abſcidit caput Holofernis*: ſicut & ipſa conſequenter *proferens de pera caput Holofernis, oſtendit illis, dicens, Ecce caput Holofernis Principis militiæ Aſſyriorum: & ecce conopæum illius, in quo recumbebat in ebrietate ſua, ubi per manum fœminæ percuſſit illum Dominus Deus noſter. Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem: & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra* c. Et ſi Davidi *dedit Saul Michol filiam ſuam uxorem* d, propterea quòd *prævaluit David adverſùm Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit, præcidítque caput ejus*: juxta promiſſum ejuſdem Saulis, *Virum qui percuſſerit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei* e. Tandem, *Et qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit* f. Et ſi Sancti ſunt glorioſi in cœlo; ideò quia duriſſima ſuſtinuerunt certamina, *Qui per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ* g. Et hoc eſt quod Dei Filius exigit à nobis, cùm ait, *Omnis arbor bona, fructus bonos facit.* Unde dixit S. Bonaventura h, *Bona arbor eſt bonus homo; bonus fructus bona vita.* B. Virgo Maria eſt arbor myſtica, è qua proceſſit *benedictus fructus* i, *id eſt, Chriſtus*, ait Dionyſius Carthuſianus k poſt S. Elizabeth, *de qua ait Pſalmiſta, Benedictus qui venit in nomine Domini* l. *Et terra noſtra dabit fructum ſuum* m. *De quo ſcriptum eſt in Iſaia* n, *In die illo erit germen*

a Gen. 41. 39. &c.
b Gen. 39.
c Jud. 13. 13, &c.
d 1. Reg. 18. 27.
e 1. Reg. 17. 25, &c.
f 2. Tim. 2. 5.
g Hebr. 11. 33. &c.
h S. Bon. ſerm 3. Dom. 7. poſt Pent.
i Luc. 1. 42.
k Dion. Carth. art. 3. in Luc. 1. 42.
l Pſ. 117. 26.
m Pſ. 84. 13.
n ex Iſa. 4. 2.

men Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis. De quo ait S. Andreas Jeroſolymitanus o, *Benedictus fructus ille qui ex incorrupto virginalis uteri ſurculo, veluti perfectus mirabiliter matureſcens botrus enatus eſt. Benedictus fructus, ex quo fontes ſcaturiunt aquæ in vitam ſalientis æternam* p. *Fructus, ex quo vitalis ille panis* q, *Corpus, inquam, Dominicum producitur, & immortalitatis calix, ſalutaris* r *potio exhibetur.* Quæque gratiâ replevit originem, ex qua prodiit, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* ſ *Maria.*

o S. And. Jer. ſerm. de Salut. Angel. — p ex Joan. 4. 14. — q ex Jo. 6. 48. — r ex Pſ. 115. 4. — ſ Luc. 1. 28.

Obſervo quòd non aſcendebatur ad eum, quẽ *fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori; & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile; & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas,* niſi per gradus circundatos leonibus, *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde: non eſt factum tale opus in univerſis Regnis* t: Similiter quòd Sacerdotes, aut alii *per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & a medio in tertium* domus quam *ædificavit* u idem Salomon Deo, id eſt, per viam ſtrictam, ſinuoſam, & difficilis acceſſus; Et quòd nemo admittebatur ante faciem Regis *Aſſueri, qui fecit grande convivium cunctis Principibus, & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis provinciarum coram ſe, ut oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui, ac magnitudinem atq; jactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore* x; niſi prius tactus fuiſſet virgâ, quam Rex iſte præ ſe ferebat, ſicut *cùm vidiſſet Eſther Reginam ſtantem, extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu: quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus* y: Dico ſimiliter, quòd nunquam elevabimur prope thronum glorioſum cœleſtis Salomonis, circum quem Patriarchæ, Prophetæ, & reliqui Sancti admirantur eum quem *Dominus decorem indutus eſt* z, æquè ac Angeli, qui clamant jugiter, clarè & intuitivè videntes eundem, quem in viſione Iſaias vidit *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus* a; niſi tranſeamus quandiu vivimus, per gradus ſtipatos leonibus tentationum, & difficultatum: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* b: Quòd nunquam perveniemus ad Empyreum, nec unquam introducemur in ſinum patriæ noſtræ, in *ſanctam civitatem Ieruſalem de cœlo* c, ut contemplemur ibi magnitudines quæ manifeſtantur in illo mundo archetypo, ſi quandiu ſumus in hac valle lacrymarum, non tranſeamus per viam tortuoſam, ſtrictam, & difficilem crucis, *Intrate per anguſtam portam: quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam* d, ait nobis Dei Filius. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus e, dicens, *Chriſtus oſtendit rectam viam perducentem ad patriam. Intrate, id eſt, ad veram beatitudinem pergite per anguſtam portam, hoc eſt, per opera pœnitentialia, laborioſa, ac ardua: ut ſunt jejunia, abſtinentia, diſciplinæ, vigiliæ: & per cæterarum actus virtutum, videlicet, per humiliationem, obeditionem, inimicorum dilectionem, continuam cordis cuſtodiam: quæ omnia ſunt anguſta itinera, quoniam virtus eſt circa bonum difficile, & conſiſtit in medio, quod difficile eſt attingere. Nonne anguſta via eſt, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram divertere* f. *Regiâ viâ incedere* g, *concupiſcentias refrænare, paſſiones animi ſuperare, odientem diligere, adverſanti benefacere? Hæc tamen eſt via perducens ad finem beatum,*

t 3. Reg. 10. 18. — u 3. Reg. 6. 8. & 9. — x Eſth. 1. 1. &c. — y Eſth. 5. 2. — z Pſ. 94. 1. — a Iſai. 6. 1. &c. — b Act. 14. 21. — c Apoc. 21. 2. — d Matth. 7. 13. & 14. — e Dion. Carth. art. 15. in Matt. 7. 13. & 14. — f ex Iſai. 30. 41. — g ex Num. 21. 42.

Ideò dicit Pſalmiſta h, *Propter verba labiorum tuorũ, ego cuſtodivi vias duras. Denique, Porta anguſta Chriſtus intelligi poteſt, qui aſſerit, Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit* i. *Per hanc portam intrare, eſt Chriſti veſtigia imitari, juxta quod dixit, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me* k. *Sed & Lex Evangelica appellari poteſt porta anguſta, & tantò anguſtior, quantò perfectior, tanquam omnium vitiorum prohibitiva, ſupernaturalia jubens credi, & fieri. Quàm anguſta, hoc eſt, multùm ſtricta, & laborioſa eſt porta, & arcta via jam dicta, quæ ducit ad vitam æternam. Quámvis autem per portam & viam idem poſſit intelligi, poſſumus tamen per portam intelligere actus virtutum Theologicarum, præſertim charitatis, cui directè correſpondet præmium eſſentiale. De qua legitur, Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam* l. *Per viam verò aliarum ſeu inferiorum virtutum operationes, quæ diſponunt ad perfectum actum charitatis, per hoc quòd auferunt paſſionum vitiorumq; impetus. Itaq; arcta dicitur via hæc, quoniam omnem qui vult Deo placere, oportet in omnibus Divinæ voluntati, Matri Eccleſiæ, & rectæ rationi obtemperare: quod non eſt parum difficile homini fragili ac mortali, in carne viventi: Quid eſt homo, ut ſequi poſſit Regem factorem ſuum* m? *Tamen dicitur nobis, Si quis totã legem ſervaverit; offendat autem in uno, factus eſt omnium reus* n. *Et, Nemo coronatur, niſi qui legitimè certaverit* o. Tandem, quòd nunquam fruemur præſentiâ cœleſtis Aſſueri, qui debet eſſe objectum noſtræ felicitatis, ſicut Patrem ſuum alloquens *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* p; niſi quandiu vivimus ipſe nos virgâ afflictionum tangat, ita ut ipſi dicamus ſinguli, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt* q. Hoc eſt unicum remedium cujus interventu poſſimus admitti ad convivium cœli, & inebriari *ab ubertate domus* Dei, *& torrente voluptatis ejus* potari, & ad poſſeſſionem gloriæ & divitiarum illius, quia *gloria & divitiæ in domo ejus* ſ: quod omnes Sancti ſecuti ſunt t. Quòd ſi in iſta via ſectanda reperimus ſpinas, ipſa producit nobis etiã roſas, & delicias. Unde dicit S. Bonaventura u. *Conſiderandum autem eſt, quòd fructûs delectabilitas eſt ex colore, ex odore, ex ſapore. Sed & fructûs bonæ vitæ delectabilitas eſt ex colore pulchræ converſationis: Quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarũ fructificata* x. *Aquarum, id eſt, lacrymarum, vel adverſitatum. Roſæ ſunt Martyres, quorum pulchritudinẽ in amore, & ſanctitate imitari debemus. Item, Ex odore bonæ opinionis: Flores Martyrum, id eſt, virtutes fructus odoris, & honeſtatis* y *per effectum. Item, Ex ſapore mellifluæ devotionis: Brevis in volatilibus apis* z, *&c. ſicut apis colligit fructum de floribus diverſarum arborum: ſic & nos, conſiderando & imitando virtutes diverſorum Sanctorum.* Meritum ſequitur ſemper laborem, & corona gloriæ non datur niſi poſt certamen: iſtud eſt quod docet nos hodiernâ die Dei Filius, dicens, *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Quaſi diceret, Nullus eſt honor, nec ulla corona in Regno meo, niſi pro iis qui tulerint fructus bonorum operũ, qui generosè præliati fuerint, qui triumphaverint de rebellione paſſionum ſuarum interventu mortificationis concupiſcentiarum ſuarum: hæ ſunt literæ patentes per quas datur ingreſſus in Regnum meum, quæ ſcribi non poſſunt niſi veſtro ſanguine. Sicut ergo, Auditores *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriã ſuam* a: ſic Primò hæc via eſt breviſſima & certiſſima ut perveniamus

h Pſ. 16. 4. — i Jo. 10. 9. — k ex Luc. 9. 23. — l Pſ. 117. 20. — m Eccl. 2. 12. — n ex Jac. 2. 10. — o ex 2. Tim. 2. 5. — p Jo. 17. 1. & 3. — q Pſ. 22. 4. — r Pſ. 35. 9. — ſ Pſ. 111. 3. — t Hebr. 11. 33. &c. — u S. Bon. ſerm. 3. Dom. 7. poſt Pent. — x ex Eccl. 39. 17. — y ex Eccl. 24. 23. — z Eccl. 11. 3. — a Luc. 24. 26. — Diviſio.

mus ad cœlum, Secundum proportionabiliter ad paſſiones noſtras erit meritum noſtrum in hoc mundo, & gloria noſtra in altero.

[Pars I.] Ille Propheta, qui cùm priùs *parvulus oves* paſceret, effectus eſt magnus Rex totius Judææ, *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus* b: *veneruntq; viri Iuda, & unxerunt David, ut regnaret ſuper domum Iuda* c: cùm introiſſet *in potentias Domini* d, id eſt, admiſſus eſſet in conclave ſecretiſſimorum conſiliorum Dei, & videret ibi quam viam mortales ſequi deberent ad hoc ut pervenirent ad *omne Bonum* e ſuũ, quaſi extra ſe raptus, contentâ voce exclamat. *Dominus elegit nobis hæreditatem ſuam ſpeciem Iacob, quem dilexit* f. Sed quid eſt iſtud, magne Propheta? quid nobis vis innuere verbis iſtis ſic obſcuris ut illa non poſſim intelligere, quin eis addam hæc duo verba, dare, &, ſi videat? Sic illorum verus ſenſus eſt. *Dominus elegit nobis hæreditatem ſuã dare, ſi videat ſpeciem Iacob, quē dilexit.* Quaſi diceret Pſalmiſta, Deus nos elegit ab æternitate tota ad hoc ut eſſemus hæredes ſui, intendens nobis largiri gloriã ſuam pro cumulo felicitatis noſtræ, ſed præ hac conditione quòd nobis vult imprimere ſimilitudinem dilecti ſui Jacob. Sed quænã eſt iſta ſimilitudo? Jacob, ut ſibi conciliaret benedictionem Angeli, vel potiùs Dei repræſentati per Angelum, noctem tranſegit integrã in admirabili luctâ initâ cum eo; ſed poſt illud longũ certamen, poſt iſtas cõmotiones, has longas fatigationes, & paſſiones poſtquàm ipſe mãſiſſet claudus ex ictu femori ſuo inflicto ab Angelo, ſuſcepit ab eo benedictionem, & meruit videre Deũ, & ideò ſuſcepit nomẽ Iſraëlis, quo innuitur, Videns Deum: *Et ecce vir luctabatur cum eo uſq; manè. Qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervũ femoris ejus, & ſtatim emarcuit. Dixitq; ad eum: Dimitte me: jam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittã te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen tibi eſt? Reſpondit: Iacob. At ille, Nequaquã, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniã ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis. Et benedixit ei in eodem loco. Vocavitq; Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea* g. Similiter ſignificare vult Pſalmiſta, ſi deſideramus pervenire ad cœlum, ut videamus ibi verè Deum *facie ad faciem* h, & eſſe è numero illorum, qui merebuntur audire, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnũ à conſtitutione mundi* i: metuere non debemus experiri rigores violentiſſimorum certaminum ſicut alii Jacobi; oportet ut luctã ſuſtineamus adverſitatum per totũ noctem iſtius vitæ: ſi velimus habere fruitionem ſpecioſæ Rachelis gloriæ k, æquum eſt ut experiamur minas & perſecutiones impiorum Eſau l, æquè ac labores nõ ſolùm *ſeptẽ annis, & ſeptem annis aliis* m, ſed toto tempore vitæ noſtræ, ut videatur in nobis ſimilitudo cœleſtis iſtius Jacob, qui voluit ut tota vita ſua fuerit crux perpetua, dicens, *Et in laboribus à juventute mea* n: ſed crux pacis & triumphi, cùm per eam reddiderit nobis cœlos acceſſibiles, ſi libenter feramus in hoc mundo cruces & labores: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit* o. Huc accedit interpretatio Card. Hugonis p dicentis, *Elegit nobis. Loquitur de Domino ſicut de bono patre, qui quando fit partitio inter filios, dilecto filio meliorẽ partem eligit, nec ſuſtinet quòd ille filius eligat, quia citò deciperetur. Ita multi ſunt qui libentius eligerent gaudere in divitiis, & deliciis, & honoribus in præſenti, quàm hic affligi* q, *ut poſteà hæreditatẽ æternam haberent. Sed Dominus elegit nobis, quaſi neſcientibus eligere, hæreditatem ſuã, vitam æternam. Speciem Iacob, id eſt, pulchritudinem Chriſti, qui ſupplantavit diabolum. Quem dilexit Deus Pater. Quaſi diceret, Hoc bonũ fecit nobis Deus, quòd illam hæreditatem reſervat nobis: in qua ſimiles erimus Chriſto in pulchritudine, Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ* r. *Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus autem quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus* ſ. *Vel ſic, Speciem Iacob quem dilexit. Dico quòd elegit nobis hæreditatem. Hæreditatem dico ſpeciem Iacob, id eſt, ſignificatam per ſpeciem; id eſt, per ſpecioſam Rachel, quam Rachel dilexit Iacob. Servivit Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine* t. *Sed ſicut Iacob cupiens habere Rachel, introducta priùs fuit ad eum Lia, quæ interpretatur laborioſa: ita & nobis, ſi volumus habere Rachel, quæ interpretatur viſio ſive, videns Deum, hoc eſt, vitam æternam, priùs oportet quòd accipiamus laborem hujus vitæ: Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* u. *Et ipſum Chriſtum oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam* x.

Iſtud etiam nobis innuere voluit S. Joannes y, cùm cœleſtem Jeruſalem comparavit vitro, dicens, *Ipſa verò civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Sed quare magne Sancte, cognitor ſecretorum cœli, iſtud gloriæ domicilium vitro comparas? Cùm enim manſio ſit grata, locus ſic jucundus, habitatio ſic magnifica ut ſimilis ipſi reperiri non poſſit ob magnitudinem excellentiæ ſuæ, quæ concipi non poteſt ab intellectu humano, *Sicut ſcriptum eſt, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* z: ſaltem debebas nobis illam manſionem explicare comparationibus inſignioribus, & magis accedentibus ad ipſius perfectionem. Nunquid non erant in ambitu naturæ ſplendentes carbunculi, emicantes adamantes, & diaphanæ cryſtalli, quibus mediis nobis traderes ideam illius domicilii Beatorum? Ha! Auditores, ſanctus hic Apoſtolus, qui *fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit* a, id egit conſultò, ut verbis illis præclarum tegeret nobis myſterium; oportet autem ut ego eorundem verborum illius interpres efficiar, cùm ea faciant ad propoſitum meum. Ait igitur ſanctus Joannes, quòd paradiſus ſimilis ſit vitro, non autem cryſtallo, aut carbunculo, aut adamanti, quia iſti lapides pretioſi producuntur à natura ſine ullo artificio, cryſtallus autem induratur frigore in oris Septentrionalibus; cùm econtrà vitrum fiat artificio hominum, vi ignis, & multo labore, & ingenti difficultate: ſic, ait iſte ſanctus Evangeliſta, gloria non acquiritur per naturam, ſine labore, & nihil agendo, ſed vi ignis tribulationum, & laborum, non ſecus ac vitrum fit inter flammas ardentes, *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis* b.

Hanc

b 1. Reg. 16, 11, & 13.
c 2. Reg. 2, 4
d Pſ. 70, 20.
e Exod. 33, 19.
f Pſ. 46, 3, & 5.
g Gen. 32, 24. &c.
h 1. Cor. 13. 12.
i Matt. 25, 31. & 34.
k Gen. 29. 17.
l Gen. 27. 41. &c.
m Gen. 29, 20, & 30.
n Pſ. 87, 16
o Rom. 8, 29, & 30.
p Hugo Card. in Pſ. 46. 5.
q ex Hebr. 11. 25, & ex Exod. 2. 10.
r Philip. 3. 21.
ſ ex 1. Joa. 3, 2
t Gen. 29. 20, &c.
u ex Act. 14. 21.
x ex Luc. 24, 26.
y Apoc. 21. 18.
z 1 Cor. 2, 9. ex Iſai. 64. 4
a Eccleſia ex Jo. 13. 21.
b Eccl. 27. 6.

Hanc etiam ſpecioſam nos edocere voluit Dei Filius lectionem, quippe quem Pater æternus dedit nobis *Præceptorem* c [c Iſai. 55. 4] eâ conditione ut ſuſciperemus illius inſtitutiones, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipſum audite* d [d Matt. 17. 5.], cùm revertens *ad Patrem* e [e Jo. 16. 28.] ſuum, in aëre tanquam in cathedra doctorali, *elevatis manibus ſuis ferebatur in cœlum* f [f Luc. 24. 50. & 51.]. Quodnam opus habebat ipſe elevandi brachia ſua? Num forſan ut uteretur iis loco alarum? Nequaquam: ſed potiùs ut illi qui ipſum viderent ſic aſcendere, ſe poſſent intueri in vulneribus ipſius, & ad ea tanquam ad ſpeculum ſe exigere, & agnoſcerent quòd per paſſiones & per eadem vulnera ſibi comparaverat ipſe Regnum, cujus ibat captum poſſeſſionem: ipſe autem ea oſtendebat veluti tot ora diſerta, quæ extollebant fortitudinem, magnanimitatem, & conſtantiam ipſius: quid enim erant aliud, obſecro, vulnera ejus, niſi ſtemmata magnanimitatis ipſius, niſi veluti quinque oratores diſerti exaltantes generoſitatem ipſius, quinque præcones proclamantes fortitudinem ipſius, & quinque præſides veſtimentis rubris induti decretum pronunciantes in gratiam conſtantiæ ipſius ad patiendum animo invicto, ut *& ita intrare in gloriam ſuam* g [g Luc. 24. 26.] poſſet, & alios invitare ad ſe ſequendum per viam crucis, ſine qua nunquam pervenire poſſumus ad eandem gloriam.

Dicunt Phyſici quòd Sol attrahit aquas amaras & ſalſas, & quòd illis veluti paſcitur; & quòd licèt ſit poſitum in ipſius poteſtate, prout Regis planetarum, ut alatur aquis dulcibus & jucundis, iſtas tamen deſpicit, & quaſi ſuaviùs deguſtat amaritudinem aquarum marinarum quàm dulcedinem aquarum fluvialium: idem dicere poſſumus nos de Juſtis, de quibus dixit Dei Filius, *Juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum* h [h Matt. 13. 43.]. Cùm enim poſſint, ut ita dicam, nutriri ſacchato & melle conſolationum mundanarum, præferunt tamen amaritudinem laborum dulcedini voluptatum, cùm agnoſcant quòd illud ſit iter quod ipſi ſequi debent ad hoc ut gloriam conſequantur, cui communicabunt, ſi participes efficiantur paſſionum Salvatoris ſui, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* i [i Rom. 8. 17.], aiebat S. Paulus, dicens alibi, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea* k [k Coloſſ. 1. 24.].

Videtur natura intendiſſe hanc veritatem fronti noſtræ imprimere: quid enim putatis quòd ipſa edocere nos intéderit hoc admirabili artificio, quo ipſa utitur ad hoc ut videre nos faciat diverſitatem objectorum, quæ reperiuntur in hoc mundo, interventu duorum iſtorum nervorum opticorum, qui deſcendentes è cerebro ſe complicant in modum crucis ſuper oculis, cujus complicationis in morem crucis beneficio capaces efficimur videndi Solem, Lunam, ſtellas micantes in firmamento, & agros, paradiſos, & hortos innumeris floribus eximiis variegatos; niſi quòd per ſolam crucem merebimur ut aliquando videri poſſint a nobis ſpecioſus iſte *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* l [l Eccleſia ex Malac. 4. 2.], hæc *pulchra ut Luna* m [m Cant. 6. 9.] Maria Deipara, & hi fulgentes *quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* n [n Dan. 12. 3.] Beati omnes, quibus tanquam floribus (juxta id quod dixit ſupra S. Bonaventura) paradiſus cœli repletus eſt, qui elevati in hunc Olympum ſuper alas ſanctorum & generoſorum deſideriorũ ſuorum, non edunt niſi *de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei* o [o Apoc. 2. 7.], *id eſt, beatificâ fruitione in patria Beatorum, in locis voluptatis Deificæ, in Eccleſia triumphante*? ait Dion. Carth. p [p Dion. Carth. art. 1. in Apoc. 2. 7.]. Qui ſubdit, *His verbis univerſi fideles ad patientiã atq; conſtantiã animantur.* vel non manducant niſi *manna abſconditum* q [q Apoc. 2. 17.], *id eſt, panem cœleſtẽ. De quo in Evangelio* r [r Luc. 14. 15.] *legitur Beatus qui manducabit panẽ in Regno Dei. Hunc panem dat Deus in patria per plenariã communicationem ac beatificam refectionem*, dicit idem Carthuſianus aliquanto pòſt. O felices igitur, & millies felices illi, qui veluti bonæ arbores ferent bonos fructus per patientiam ſuã in perſecutionibus! De quibus ſingulis ait Propheta ſ [ſ Pſ. 1. 3.], *Et erit tanquã lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarũ, quod fructum ſuũ dabit in tempore ſuo. In Scriptura enim ſacra ligni nomine aliquando crux, aliquando Juſtus figuratur*, ſubdit Incognitus t [t Incogn. in Pſ. 1. 3.] inter alia. O felix ſtadium, in quo omnes qui cucurrerint, accipient *bravium, ſic* tamen currendo *ut* illud comprehendant: & *qui in agone* poſtquàm contenderint, *ab omnibus ſe* abſtinentes, accipient *coronam incorruptam* u [u 1. Cor. 9. 24. & 25.] compoſitam è ramo olivæ pro præmio laboris ſui: *Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſq; in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* x [x Iſai. 32. 17. & 18.]. O felix crux quæ nos ita propè facies accedere ad *omne Bonum* y [y Exod. 33. 19.] noſtrum! O afflictio beata, quippe quæ intra momentum tranſiens, ſempiternum tamen in nos invehis felicitatis momentum! *Id enim quod in præſenti eſt momentaneũ & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autẽ non videntur, æterna ſunt* z [z 2. Cor. 4. 17. & 18.]. O amabiliſſima crux, cum ipſà tu nobis ſervitura loco gradus, ut tandem perveniamus ad hoc Ens æternum, & videamus *facie ad faciem* a [a 1. Cor. 13. 12.] eum, qui in ſe continet eminenter omnes pulchritudines poſſibiles & imaginabiles! *Deus quæris quid ſit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* b [b 1. Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.]. *Quid quæris, ut aſcendat in linguã, quod in cor non aſcendit?* petit S. Auguſtinus c [c S. Aug. in Pſ. 85. in med.]. Omnes pulchritudines, magnitudines, & perfectiones, quæ inſunt creaturis, non ſunt niſi unica res in Deo, quia *Spiritus eſt Deus* d [d Jo. 4. 24.]. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ſubdit Dion. Carth. e [e Dion. Carth. art. 11. in Jo. 4. 24.]: ſeu, immunis ab omni genere compoſitionis.

Sed, *obſecro Domine Deus magne* f [f Dan. 9. 4.], cùm verum ſit quòd ſic *perfectus* g [g Matth. 5. 48.] es, & omnes iſtæ magnitudines, excellentiæ, & perfectiones quæ ſunt in te, non ſunt niſi quid unum, & debent eſſe objectũ noſtræ felicitatis; videbimusne omnes te eodẽ modo? contemplabimurne te univerſi eodem oculo? nunquid non aderit aliqua differentia, quâ plùs ab aliis, minùs ab aliis videberis? Etiã, Auditores. Veritas eſt indubitata, quòd iſtæ animæ ſanctæ, quæ ſunt in invariabili fruitione gloriæ, eò quòd ſicut arbores bonæ, *fructus bonos* fecerint, id eſt, bona opera, & bonas praxes, diverſimodè vident & contemplantur hanc originem inexhauſtam pulchritudinis, hunc Oceanum perfectionum, & hoc *lumen* h [h Pſ. 35. 10.] originale, cui alligatos tenent oculos mentis ſuæ, juxta quod ipſarum navigatio fuit laborioſa, & nox vitæ ipſarum moleſta. Quod concludere poſſumus etiam de nobis ob conſolationem noſtram inter rudes impetus laborum quos experimur in hoc mundo quotidie. Et hoc eſt, quod nobis ſupereſt examinandum.

II. Pars.

Juxta proportionem paſſionum noſtrarum dabi-

dabitur nobis gloria, quam non poſſidebimus omnes æqualiter. Ut intelligatur hæc veritas, ſciendum eſt quòd, cùm beatitudo objectiva,
i Matt. 5. 12. quæ eſſe debet noſtra *merces copioſa in cœlis* i, ſit ipſemet Deus, æqualis erit omnibus; ſed non formalis, quæ eſt actus intellectus, aut voluntatis erga felicitatis hoc objectum: v.g. tres ſumus æqualiter diſtantes ab hoc altari, ſinguli videmus iſtud altare; ego verò qui viſu perſpicaciori vigeo, meliùs ipſum video quàm videant alii duo: ſic in cœlo Beati vident totum Deum, cùm ſit indiviſibilis; ſed illi qui plus habent gloriæ, plura conſpiciunt in eo. Scripturæ tot authoritatibus abundant ad probandam hanc veritatem, ut inter eas neſciam quamnam debeam eligere: & ſi noſtros projiciamus oculos ſuper caput quintum S. Matthæi, reperiemus quòd diverſæ, quæ in eo continentur, beatitudines, nihil aliud nobis oſtendunt, niſi quòd futuri ſint diverſi gradus felicitatis in cœlo, & quòd eò magis erit noſtra *merces copioſa in cœlis*, quò ſudores noſtri erunt moleſtiores. Hoc innuunt nobis hæc illius verba, *Quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Vocat Dei Filius per hunc Evangeliſtam Regnum cœlum: ſicut enim in Regno varii ſunt gradus honoris, Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum, &c. uſque ad Regem, qui eſt omnium ſupremus: ita & in cœlo ſunt
k Jo. 14. 2. diverſi gradus, ut ait alibi k idem Dei Filius, ſuos diſcipulos alloquens, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Seu, juxta Dionyſium Car-
l Dion. Carth. art. 35. in Jo. 14. 2. thuſianum l, *In domo Patris mei, id eſt, in Eccleſia triumphante, in cœleſti beatitudine, in patria Beatorum, manſiones multæ ſunt, id eſt, diverſi gradus præmiorum, variæ dignitates & diſtinctiones in participando fruitionem Bonitatis Divinæ, ſecundùm quòd in præſenti vita fuerint gradus atq; diſtinctiones meritorum, quibus præmia correſpondent. Et charitatis fervori correſpondet ac datur præmium eſſentiale, quod eſt viſio Dei per ſpeciem, propter quod viſio Dei in mentibus comprehenſorum diſtinguitur quantùm ad gradum perfectionis, ſecundùm quòd unus in via ferventiùs dilexit Deum quàm alter. Unus enim clariùs intuetur ac dulciùs atq; perfectiùs fruitur Deo quàm alter, quoniam charitatis affectus aperit, capacemque efficit mentem amantis amati. Unde qui ardentiùs Deum dilexit, pleniùs eum participat, poſſidet, retinet.* Deinde loquitur de diſtinctione, quam modò retuli, beatitudinis objectivæ, & beatitudinis formalis, eamque ſic confirmat: *Oportet ſcire, quod beatitudo iſta, ſeu Divina fruitio dupliciter conſideratur. Primò, Per comparationem ad ſuum objectum, quod eſt Deus, & ſic una eſt æqualis, & indiſtincta, quæ ex parte Dei non habet gradum, aut differentiam. Unde omnibus in vinea Dei laborantibus dicitur idem de-*
m ex Matt. 20. 9. & 12. *narius dari diurnus* m, *per quem vita deſignatur æterna. Secundò, Per comparationem ad ſubjectum quod eſt mens creata Deo unita ſicque diverſificatur, multiplicatur, diſtinguitur, ſecundùm modum prætactum. Porrò, In patria ex ſpiritibus Angelicis & humanis, ſeu Angelis & hominibus una conſtat & reſultabit Eccleſia, quæ vocatur triumphans, itaquòd ſinguli hominum electorum ad aliquem pertinebant chorum ſeu ordinem Angelorum: ſicq; ſecundùm differentiam Angelicorum ordinum accipi poteſt diverſitas cœleſtium manſionum, quæ non eſt corporaliter accipienda.* Sic, ait S. Paulus, *Unuſquiſque proprium mercedem*
n 1. Cor. 3. 8. *accipiet ſecundùm ſuum laborem* n. Et, *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in bene-*
o 2. Cor. 9. 6. *dictionibus, de benedictionibus & metet* o. Et, *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic &*
reſurrectio mortuorum p. Et Dei Filius per S. Jo- p 1. Cor. 15. 41.
annem q, *Vincenti dabo manna abſconditum.* Quod
nō eſt aliud niſi ipſemet, juxta id quod ſupra retu- q Apoc. 2. 17.
li ex Carthuſiano: ſicut enim Scriptura r no- r Sap. 16. 20.
bis repræſentat manna, ut *paratum panem de cœlo omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*, id eſt, continentem ſaporem & virtutem omnium aliorum ciborum, licèt ipſum manna cibus eſſet unicus: ſeu dici videtur rationabiliùs non habuiſſe omnes ſapores, ſed unicum ſaporem qui erat ſuus proprius, qui continebat in unitate ſua omne id quod poterat eſſe gratum & deſiderabile in omni diverſitate aliorum ſaporum: & ut ſic deguſtabatur diverſimode à ſingulis qui ipſum comedebant, ſecundùm diverſitatem appetituum ipſorum, plùs, aut minùs: nec tamen fuit unquā totaliter deguſtatum: habebat enim plures differentes ſapores quam eſſent varietates guſtuum in Iſraelitis: ſic videbimus, & deguſtabimus in cœlo totum iſtud dulce manna Divinitatis: nam quia *Dominus Deus noſter Deus unus eſt* ſ ſ Deut. 6. 4.
uniciſſimè, & ſimpliciſſimè indiviſibilis; ideò videri non poteſt quin videatur totus; videbitur quidem à nobis *magnus, non habens finem, excel-*
ſus, & immenſus t: ſed nunquam à nobis totaliter videbitur, aut deguſtabitur, ſed plùs aut mi- t Baruch 3. 25.
nùs, ſecundùm diverſos gradus meritorum, & conſequenter gloriæ.

Iſtud nobis figuratum fuit per illud, quod fratribus ſuis qui venerant in Ægyptum, parandum ſategit Ioſeph convivium. *Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita ſua, & minimus juxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis, ſumptis partibus quas ab eo acceperant: majorque pars venit Benjamin, ita ut quinq; partibus excederet. Biberuntque, & inebriati ſunt* u. Iſte Patriarcha u Gen. 43. 32. &c.
ſplendidè tractavit omnes fratres ſuos, ſed minimum Benjamin, qui erat *filius doloris* x, ſplen- x Gen. 35. 18.
didiùs præ cæteris excepit, ampliorem dans ei portionem, quæ longè partes aliis impenſas antecelleret, & cumulans eum favoribus ſpecialioribus ultra fratres ſuos: eodem ſe gerit Deus modo, ſuſcipiens in Regnum ſuum, quod eſt *Regnum omnium ſæculorum* y, in quo *regnabit in æ-* y Pſ. 144. 13.
ternum, & ultrà z, Beatos: facit iis *cœnam* z Exod. 15. 18.
magnam a, id eſt, magnificum convivium gloriæ, ut ait Dionyſius Carthuſianus b ſuper hæc a Luc. 14. 16.
verba S. Lucæ, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Per hunc hominem intelligitur* b Dion. Carth. art. 37. in Luc. 14. 16.
Chriſtus, qui fecit cœnam, id eſt, beatificam æternæ gloriæ refectionem ſuis præparavit Electis, de qua ait Apoſtolus c, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Ad hanc cœnam Chriſtus multos vocavit, dicendo, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum cœlorum* d. *Unde ait in Pſalmo* e, *Annun-* c ex 1. Corinth. 2. 9. & ex Iſa. 64. 4.
tiavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Ibi omnes Sancti inebriantur *ab ubertate* d Matt. 3. 2.
domus ejus, & torrente voluptatis f illius potan- e Pſ. 39. 6.
tur: ſed Benjaminis, id eſt, filiis doloris, qui f Pſ. 35. 9.
magis paſſi fuerint, gloriæ pars amplior impendetur: nam Eccleſia militans eſt figura & idea Eccleſiæ triumphantis: atqui in illa ſunt diverſæ dignitates, differentesque gradus honoris, Sacerdotum, Epiſcoporum, &c. ergo in iſta reperiri debet inæqualitas, pluralitasque graduum ſecundùm patriæ charitatum. Ut autem meliùs concipiatis hanc inæqualitatem, ſupponendum

g S.Th.1. p.q.12.a.2.in corp. nendum eſt cum S.Thoma g, *Quòd ad videndum Dei eſſentiam requiritur aliqua ſimilitudo ex parte viſivæ potentiæ, ſcilicet, lumen divinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum. De quo dicitur, In*
h Pſ.35.10 *lumine tuo videbimus lumen* h. *Non autem per aliquam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia videri poteſt, quæ ipſam Eſſentiam divinam repræſentet ut in ſe eſt.* Quod quidem lumen gloriæ eſt qualitas creata, ſed ſupernaturalis, quæ reddit intellectum capacem videndi Dei, ſine quo lumine non poſſet eum videre, ſicut non poſſumus intueri colores ſine lumine ſolari, aut elementari; cùm non poſſit anima creata & purè naturalis pervenire, niſi ad id quod eſt naturale, & non ad viſionem Dei quæ eſt ſupernaturalis, quia, ut ait Philoſophia, *Inter objectum & potentiam debet eſſe proportio.* Ideò ut inter viſum animæ noſtræ & hoc objectum ſit aliqua proportio, iſtud lumen gloriæ eam elevat, & diſponit mentem ejus ad videndum Deum, cujus viſio eſt incongruens conditioni ipſius naturali. Et ſicut cùm Eſther *Regina corruit*, Rex Aſſuerus *ſuſtentans eam ulnis ſuis, tulit*
i Eſth. 15. 10.&c *virgam auream, & poſuit ſuper collum ejus* i, quæ ſic admiſſa eſt ad thronum Regis, ad uſculandum ſceptrum ejus, & ad conſequendam majeſtatem Regiam: ſic intellectus noſter qui habet quidem ſatis virium ad conſiderandas veritates naturales proprio diſcurſu, imò res ſupernaturales
k Rom. 10.17 gratiæ luminibus fidei *k*, pervenire non poteſt ad viſionem Subſtantiæ divinæ è ſemetipſo, luminibus naturæ, aut luminibus fidei, niſi cœleſtis Aſſuerus ſuſtentet ipſum, & tribuat ipſi hoc lumen gloriæ, quo roboratus contempletur abyſſum divinæ claritatis iſtius Aſſueri cœleſtis; ſicut Eſther confortata ab Aſſueto terreno, ipſi *reſpondit, Vidi te Domine quaſi Angelum Dei. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum.* Illi qui mari ſe immergunt ad piſcandos uniones, recenſentur oleum deferre in ore, ut illud effundentes, majorem habeant lucem, quâ clariùs videant in aquis inter quas natant: cum anima beata erit immerſa Oceano profundo divinæ Eſſentiæ, Deus infundet capacitati intellectus ipſius oleum luminis gloriæ, cujus interventu clarè videbit ipſum *qui lucem inhabitat inacceſ-*
ſibilem l, plùs, aut minùs, juxta proportionem meritorum ſuorum, *Vnde intellectus plus partici-* l 1.Tim. 6.16
pans de lumine gloriæ, perfectiùs Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia ubi eſt major charitas, ibi eſt majus deſiderium. Et deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum & paratum ad ſuſceptionem deſiderati. Vnde qui plus habebit de charitate, perfectiùs Deum vi- m S.Th.1. p.q.12.a.
debit, & beatior erit, ait S.Thomas *m.* 6.in corp.

Cùm igitur crux ſit via Regia cœli, quam divina *Sapientia* n, quæ *attingit a fine uſque ad finem*
fortiter, & diſponit omnia ſuaviter o, nobis præ n Sap.7. 24
ſcribit ad hoc ut infallibiliter beatos gloriæ ter- o Sap.8.1.
minos conſequamur; quis erit ſic delicatus ut ei renuat adhærere? cùm dicat S.Petrus p, *In hoc* p 1.Petr. 2.21
vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Quis erit ſic puſillanimus, ut imitari nolit tot Juſtos & Beatos qui velut arbores bonæ, *fructus bonos* fecerunt in agro Eccleſiæ, qui inceſſerunt per viam crucis, & paſſionum, quæ nobis oſtendunt, quà pertingere poſſimus ad æternam felicitatem? *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* q. Hal q Matth. 5.10
quàm glorioſis prærogativis fruuntur illi, qui æquanimiter crucem deferunt! Sub umbrâ illius requiem inveniunt, ſicut aliàs fugiens perſecutiones impiæ Reginæ Jezabelis, *Elias cùm ſederet ſubter unam juniperum, petivit animæ ſuæ, ut moreretur, & ait, Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam* r. Eia ergo, Auditores, dicamus ſinguli r 3.Reg. 19.3.&c
more iſtius Prophetæ zelo accenſi, Quis mihi dabit ut moriar inter cruces & afflictiones, ut ſociari merear Salvatori meo? cùm membra debeant aſſimilari capiti ſuo, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* ſ. *Et ipſe* ſ Epheſ. 5.30
eſt Caput corporis Eccleſiæ t. Ut poſtquàm conſors t Coloſſ. 1.18
fuerim dolorum & paſſionum ejus, & fructus tuletim bonorum operum, particeps eſſe poſſim gloriæ illius, *Si tamen compatimur, ut & conglori-* u Rom. 8.17
ficemur u.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. 2. &c.

SIcut proprium eſt homini ſingulari ſapientiâ prædito, & tractandis apprimè magnis negotiis idoneo occurrere ſapiente providentiâ omnibus infauſtis eventibus qui poſſent accidere; ſic & eſt nota hominis inſipientis ac nunquam cogitare de obligationibus ſuis: iſte villicus eſt imprudens, qui non cogitat de ratione quam redditurus eſt *villicationis* ſuæ, qui genio indulget, nedum prævideat quòd intra tempus exiguum ſit experturus juſtos rigores Domini ſui. *Sicut enim homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua: & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique ſecundùm propriam virtutem. & profectus eſt ſtatim: Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque: Similiter & qui duo acceperat lucratus eſt alia duo: Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui: Poſt multum verò temporis venit Dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis: Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens, Domine, quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus ejus, Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait, Domine, duo talenta tradidiſti mihi: ecce alia duo lucratus ſum: Ait illi Dominus ejus, Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui: Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait, Domine, ſcio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti: & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt: Reſpondens autem Dominus ejus, dixit ei, Serve male, & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens*

ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſurâ, Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet; & quod videtur habere, auferetur ab eo: Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium a: qualem punitionem non merebitur noſter villicus accuſatus, quantùm ad redditionem rationis *villicationis* ſuæ, eò quòd *quaſi bona* diſſipaverit Domini ſui? *Ait autem villicus intra ſe, Quid faciam?* Sed æquo tardiùs ſic loquitur. Omnes nos, villici ſumus Dei, Auditores: ipſe nobis bona ſua tradidit; ſatagamus ut ſimus prudentes, & prævideamus in quo ſitæ ſint obligationes noſtræ, ut iis perfungamur, ne improperetur nobis, nos ea veluti diſſipaſſe, *Vir prudens dirigit greſſus ſuos* b. Indigemus luminibus Spiritus ſancti, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* c. Efflagitemus ea interventu Mariæ: *Hæc enim cùm ſit Spiritus ſancti Sponſa quidvis obtinet Quid enim non impetret Sponſa à Sponſo?* dicit Cornelius d. Et S. Epiphanius e: *Itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit.* Et ideo dicamus ei, *Ave Maria.*

a Matth. 25.14.&c

b Prov. 15.21

c Jacob 1.17

d Cornel. in Act. 1.14

e S. Epiph. ſerm de Laud. Deip.

Quemadmodum non eſt aliquid majoris æſtimandum quam ſit bona fama; ſic non eſt aliquid cujus homo majorem debeat curam ſuſcipere, quàm illius cuſtodiendæ, *Curam habe de bono nomine*, ait Eccleſiaſticus f. Villicus noſter Evangelicus neſcit in quamnam debeat ſe partem vertere, videns ſe incucurriſſe inimicitiam Domini ſui, eò quòd eſſet *diffamatus apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocavit illum, & ait illi, Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra ſe, Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Quid agam poſt amiſſam bonam opinionem quam Dominus meus conceperat fidelitatis meæ, manibus meis committens bona ſua? Iſtud monitum dirigitur ad nos, Auditores; felices erimus ſi ex alieno diſpendio utilitatem hauriamus atque profectum,

f Eccli. 41.15

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Villici Dei ſumus, ipſe ſua commiſit nobis bona; famâ currente quòd illa diſſipamus, de noſtro agitur honore, & proculdubio cum reddere cogemur ei *rationem villicationis* noſtræ, auferet à nobis bona ſua, ſed ad magnum pudorem noſtrum. Cogitemus de iis quæ nos ſpectant, & occurramus negotio tanti momenti: & ideò videamus in ſequelâ diſcurſus iſtius id quod ſuſcepimus à Deo, & id quod tenemur ei reddere. Id quod debemus Deo, tantum eſt ut pro eo nemo poſſit illi ſatisfacere; & dato quòd haberemus vitas omnium filiorum Adæ, dies omnium ſeculorum præteritorum & futurorum, & labores univerſorum hominum qui fuerunt, ſunt, & erunt, nunquam tamen poſſemus ei ſatisfacere pro minima gratia, quam ab illo ſuſcepimus. Invenio autem quatuor genera debitorum, quorum rationem tenebimur ei reddere. Primum, eſt promiſſorum, & iſtorum nos illi debemus implementum. Secundum, eſt beneficiorum ſuſceptorum, & pro his debemus ei actionem gratiarum. Tertium, eſt tractationis bonorum ejus, & iſtorum debemus illi rationem reddere. Quartum, eſt defectuum, quos commiſimus in hac adminiſtratione bonorum hujuſmodi, & iſtorum debemus ei agere ſatisfactionem.

Diviſio

Et primò, Quantùm ad implementum promiſſorum quod debemus Deo, ſciendum eſt id quod ei promiſimus. Duplex eſt genus promiſſorum, unum generale, alterum verò ſpeciale & particulare. Promiſſum generale, eſt illud, cui ſe alligant omnes Chriſtiani die Baptiſmi ſui, eùm renaſcuntur ex *aqua & Spiritu ſancto* g, quo adſtringunt ſe obſervantiæ mandatorum divinorum. Speciale verò, eſt illud cui ſe obſtringunt Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices per profeſſionem Monaſticam, & emiſſionem votorum ſuorum expreſſam, vel implicitam, relinquentes *omnia, &* h ſequentes Salvatorem in paupertate voluntariâ, in caſtitate perpetuâ, & in obedientiâ integrâ. Apoſtolus i loquitur de generali, cùm ait, *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Et Dionyſius Carthuſianus k, *Quicunque baptizati ſumus, id eſt, à vitiis loti in ſacro Baptiſmatis fonte in Chriſto Ieſu, id eſt, in inſtitutione, fide, & operatione Chriſti: Chriſtus enim Baptiſmum inſtituit, dicens, Docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* l: *Ipſe quoque fidem Trinitatis edocuit, principaliterque baptizat, ſecundùm quòd Deus: Sic enim purgat à culpa: Sacerdos verò Miniſter eſt ejus: in morte ipſius, id eſt in ſimilitudine mortis Chriſti baptizati ſumus, quatenus ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt carne, & ſemper vivit ſpiritu* m: *ſic nos per Baptiſmum ſemel mortui iniquitati, deinceps ſemper vivamus juſtitiæ* n. *Trina namque immerſio ſignat triduum ſepulturæ ſeu mortis, elevatio autem reſurrectionem ejus poſt triduum. Huic expoſitioni conſonat litera ſequens: oſtendens enim quomodo in morte Chriſti baptizati dicamur, adjecit: Conſepulti enim ſumus cum illo, id eſt, Chriſto ſepulto aſſimilati ſumus, vel per fidem cum eo ſepulti, & hoc per Baptiſmum, id eſt, in ipſo Baptiſmo. Merſio enim baptizandi in aqua, deſignat ſepulturam Chriſti ſub terra in mortem peccati, id eſt, ad peccati deſtructionem, videlicet ut moriamur peccato.* Et ex tunc conſecrati ſumus Deo, ipſe capit nos in populum ſuum, & nos ſumimus eum in Deum noſtrum, & per hanc mutuam confœderationem dicere poſſumus fiducialiter, *Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus paſcuæ ejus, & oves manus ejus* o. Qualis favor, Auditores, quo cumulavit nos Deus! quàm inſigne beneficium, ac elegiſſe nos inter tot alios quos dereliquit, ut ipſi miniſtraremus! Attentè, quæſo, perpendamus iſtud, ut meliùs agnoſcamus quanti momenti ſit hæc electio: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus (remiſſionem peccatorum) ſecundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt. In quo etiam nos ſorte vocati ſumus: prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus qui operatur omnia, ſecundùm conſilium volunta-*

tis

I. Pars.

g Jo. 3.5

h Matth. 19. 27.&c

i Rom. 6. 3. & 4

k Dion. Carth. art. 9. in Rom. 6. 3. & 4

l ex Matt. 28. 19

m ex 1. Petr. 3. 18

n ex 1. Petr. 2. 24

o Pſ. 94. 7

p Epheſ. 1. 3. &c *tis ejus: ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè ſpe-*
ravimus in Chriſto p. Eia ergo, Auditores, cogi-
temus, ſi poſſumus, quot homines majoris mo-
menti quàm ſimus nos, veluti deſpecti fuerunt à
Deo inter hanc electionem quam ipſe fecit no-
ſtri; quotnam qui nunquam fruentur gratiâ, quâ
potimur nos, ut ſimus admiſſi in ovile ejus; quot-
nam millia hominum inter ſecula præterita, qui
non illuſtrati notitiâ Dei, lapſi ſunt infeliciter
inter obſcuras ſuæ cæcitatis tenebras, & eſt *pars*
illorum in ſtagno ardenti igne & ſulphure, *quod eſt*
q Apoc. 21. 8 *mors ſecunda* q: eò quòd loti non fuerint ſuis *à*
r Apoc. 1. 5 *peccatis in Sanguine* r Chriſti, qui non fuit ipſis
applicitus, *ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit*
ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in o-
ſ Epheſ. 5. 2 *dorem ſuavitatis* ſ, præferendo nos huic numero
ferè infinito hominum, nobis hanc miſericordi-
ter impertiens gratiam, quam illis juſtè dene-
gavit? Ha! Auditores, quid egeramus pro eo?
quid meriti fueramus erga eum? quodnam ju-
cundum obſequium exhibueramus illi ſupra a-
lios? eramusne conditionis nobilioris quàm ſint
illi, ut hujuſmodi favorem mereremur? Nequa-
quam: ſed iſtud eſt purum effectum miſericordiæ
ejus, quod majus fuit ergs nos, *Salvum me fecit,*
t Pſ. 17. 20 *quoniam voluit me* t. Sola ſua bonitas induxit i-
pſum ad favendum nobis tot gratiis: *Cùm enim*
nondum nati fuiſſent, *aut aliquid boni egiſſent, aut*
mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei mane-
u Rom. 9. 11. &c *ret*, ait S. Paulus u loquens de Rebeccâ intuitu
duorum filiorum ejus Jacob & Eſau) *non ex ope-*
ribus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet
x ex Gen. 25. 23 *minori* x, *ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau au-*
y ex Malach. 1. 2. & 3 *tem odio habui* y. *Quid ergo dicemus? nunquid ini-*
quitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit, Miſerebor
cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cui miſere-
z ex Exodi 33. 19 *bor* z. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſe-*
rentis eſt Dei. Et ideò, prout Deus noſter, debet
ex quâdam condecentiâ nos protegere ut po-
pulum ſuum; & nos tenemur ſervare leges ejus.
Sic Deus nunquam deſerit nos, curam habet no-
ſtri, & diligit nos inſtar pupillæ oculorum ſuo-
rum, ſicut ipſemet ait, nos alloquens. *Qui tetigerit*
a Zach. 2. 8 *vos, tangit pupillam oculi mei* a. Et quicunque no-
cet nobis, illum vehementer offendit: ipſe nos
defert inter brachia ſua, ſicut nutrix portat a-
lumnum ſuum, *Et ego quaſi nutritius Ephraim, por-*
tabam eos in brachiis meis: & neſcierunt quòd cura-
b Oſee 11. 3 *rem eos* b. Quantis ipſe fuit *& in laboribus à ju-*
c Pſ. 87. 16 *ventute* c ſuâ propter defenſionem noſtram? Ip-
ſe ſeipſum exponit, ut tueatur nos, & mortem
vult oppetere, ut nobis vitam tribuat, *Ego veni ut*
d Jo. 10. 10 *vitam habeant, & abundantiùs habeant* d. Qualis
e Rom. 8. 38. & 39 exceſſus amoris! quem conſiderans Apoſtolus e,
ait, *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque An-*
geli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtan-
tia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, ne-
que profundum, neque creatura alia poterit nos ſepa-
rare à charitate Dei, *quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino*
noſtro. Sed obſervate, quòd in hac enumeratione
S. Paulus non nominat ſemetipſum, nec ait, nec
nos ipſi; quia in hoc eſt ſita libertas, quam Dei
Filius nobis acquiſivit, *Quâ libertate Chriſtus nos*
f Galat. 4. 31 *liberavit* f, quòd nulla eſt creatura, in cœlo aut
ſuper terrâ, quæ nos avellere poſſit ab amore e-
jus, niſi nos ipſi voluntariè deſeramus eum. Ut
autem hanc dilectionem Dei erga nos mutuâ di-
lectione compenſemus, idem Deus præcipit no-
bis ut ipſi ſimus fideles, ut cuſtodiamus ipſi fidem
quam ipſi vovimus, ut adimpleamus promiſſa
noſtra: alioquin enim juſtè irritatus inobedien-
tiâ noſtrâ, temeritates noſtras puniret. Cùm igi-
tur in Baptiſmo abrenunciaverimus ſolemniter
Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis e-
jus g. id eſt, univerſis ſuggeſtionibus ejus; g Eccleſia.
mundo, & cunctis ineptiis illius; & carni, & om-
nibus blanditiis ejus, ut meliùs nomen noſtrum
daremus inſcribendum ſub vexillo crucis, &
non agnoſceremus niſi eum, quem *Deus, Domini*
noſtri Ieſu Chriſti Pater, *dedit Caput ſuper omnem*
Eccleſiam, *quæ eſt corpus ipſius* h, qui non eſt alius h Epheſ. 1. 17. &c
niſi idem Jeſus Chriſtus, cui juravimus fidelita-
tem, & promiſimus obedientiam, & nos obſer-
vaturos ipſius præcepta, quorum cuſtodia eſt u-
nicum medium peragendæ noſtræ ſaluti oppor-
tunum; nihil aliud habemus agendum, quàm
eorum obſervantiæ vacare, ſicut ipſe requirit à
nobis, cùm ait, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva manda-*
ta i. Sed quia multa ſunt mandata, quæ æquo i Matth. 19. 17
longius eſſet recenſere, & quorum enumeratio
& explicatio vobis faſtidium pareret, ſufficit ut
unum ex illis afferam vobis, in quo omnia alia
virtualiter continentur, & è quo omnium alio-
rum obſervantia pendet abſolutè; & quod ſic eſt
obſervatu facile, ut nemo ſe poſſit ab illius cu-
ſtodia excuſare, pauper aut dives, juvenis aut ſe-
nex, infirmus aut fortis, doctus aut ignarus, vir
aut mulier; & iſtud eſt Dei timor, *Qui timent Do-*
minum, cuſtodiunt mandata illius k. Et quia man- k Eccli. 2. 21
datum iſtud eſt maximi momenti, videamus
breviter facilitatem & utilitatem ejus.

Facile eſt, & ita facile ut originem ſuam &
principium ſuum ſumat apud nos, *Iuxta te eſt ſer-*
mo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum l. l Deut. 30. 14
Non ſunt enaviganda nobis maria, pervadendæ
Provinciæ, & percurrenda terra, ad hoc ut ip-
ſum obſervemus: ſufficit ad hunc effectum ut
noſmetipſos ingrediamur. Quid facilius? cùm id
omne, quod ſe nobis offert, nos inducat ad illius
implementum, & ad timendum. Si surſum no-
ſtros elevemus oculos, videmus ibi Deum ira-
tum, qui præ manibus habet fulmina ad conte-
renda impia noſtra capita, *Terribilis in conſiliis ſu-*
per filios hominum m. Si viſum noſtrum deorſum m Pſ. 65. 5
projicimus, invenimus infernum dehiſcentem
ad nos recipiendos, quippe qui ipſum meriti ſu-
mus propter crimina noſtra, æquè ac *Dathan &*
Abiron Principes populi, qui ſurrexerunt contra Moy-
ſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſùs Do-
minum rebellaverunt: & aperiens terra os ſuum, de-
voravit Core morientibus plurimis n. Si intueamur n Num. 26. 9. & 10
retro nos, videmus ibi peccata noſtra, quæ nos
accuſabunt *cùm venerit Filius hominis in majeſtate*
ſuâ, & omnes Angeli cum eo o: & creaturas quæ o Matth. 25. 31
veluti teſtes nos citant ad iſtud tribunal, *Exiſti-*
maſti iniquè, quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſta-
tuam contra faciem tuam, ait ipſe per Pſalmiſtâ p. p Pſ. 49. 21
Et per S. Auguſtinum q, *Suſpicatus es iniquitatem,* q S. Aug. in Pſ. 49. 21
quòd ero tibi ſimilis. Parum eſt, quia mala facta tua
placent tibi, placere putas & mihi. Deum, quia non pa-
teris ultorem, vis habere participem, & tanquam cor-
ruptum judicem præda ſocium vis habere. Suſpicatus
es iniquitatem, quòd ero tibi ſimilis, dum non vis tu mi-
hi eſſe ſimilis. Eſtote enim, inquit, perfecti, ſicut & Pa-
ter veſter qui in cœlis eſt, qui facit Solem ſuum oriri ſu-
per Bonos & malos r. *Hunc tu imitari noluiſti, qui* r ex Matth. 5. 48. & 45
donas bona & malis, ut ſedens detrahas & Bonis. Suſpi-
catus es iniquitatem, quòd ero tibi ſimilis. Arguam te.
Quando Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſi-
lebit, arguam te ſ. *Et quid tibi faciam arguendo te?* ſ ex Pſ. 49. 3. & 21
Quid tibi faciam? Modò te non vides, faciam ut videas
te, quia ſi videres te, & diſpliceret tibi, placeres mihi.

Quia

Digitized by Google

Quia verò te non videns placuiſti tibi, diſplicebis & mihi, & tibi; mihi, cùm judicaberis, tibi, cùm ardebis. Quid enim tibi faciam, inquit? Conſtituam te ante faciem tuam. Quid enim? Vis latere teipſum in dorſo tuo? Ibi es, non te vides, facio ut te videas. Quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam, videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas. Iam quia dicit iſta, Fratres, deſperandus eſt ille cui dicitur? Nonne illa civitas, de qua dictum eſt, *Triduo Ninive ſubvertetur* t, intra triduum idonea fuit converti, orare, plangere, de pœna imminenti miſericordiam promereri? *Audiant ergo qui tales ſunt, dum licet audire & tacentem. Veniet enim, & non ſilebit, & arguet, quando correctioni locum nullum erit. Statuam te, inquit, ante faciem tuam. Modò ergo tu fac quiquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, diſſimulans à facto tuo, & conſtitue te ante te. Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi judex, torqueat te timor, erumpat à te confeſſio, & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum ante me eſt ſemper* v. *Quod erat poſt te, fiat ante te, ne te ipſe poſtea à Deo Iudice fias ante te, & non ſit quò fugias à te.* Si etiam inſpiciamus ante nos, videmus præ nobis mortem, quæ minitatur truculenta falce ſuâ nos ſuccidere. Heu! quantæ anguſtiæ, quam ingentes amaritudines, & quàm immodici timores intuitu talis objecti! *O mors quàm amara eſt memoria tua* x! Circum nos obſervamus mille & mille pericula; mundum, & carnem; in quibus eſt intueri tot retia & eſcas, quot voluptates & delicias, cùm non intendant niſi moliri ruinam noſtram, faciendo nos ſorbere lac dulcedinum, ut deinde nobis mortem inferant: *Eſt via quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat* y. In nobis ipſis non videmus niſi defectus, & ſyndereſes: & ſi non poſſumus abſolutè dicere ſicut Job z, *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus*: idem tamen poſſumus aliquo modo dicere cum reſtrictione, ſeu interpretatione S. Gregorii a, *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus, Ac ſi aperte dicat: Culpam non feci, & flagella ſuſcepi. Sed hâc in re animum movet, quia in multis ſe hujus Hiſtoria* b *locis peccaſſe confitetur, quâ ratione peccaſſe ſe nunc abneget? Sed ad hæc ratio celeriter occurrit, quia nec tantum peccavit, ut flagella mereretur, nec tamen eſſe ſine peccato potuit. Nam quia non pro corrigendâ culpâ, ſed pro gratiâ augendâ percuſſus eſt, Iudex ipſe teſtatur, qui laudat, & ferit. Et rurſum quia ſine peccato non fecerit, nec ipſe negat, qui à Iudice laudatur, atque ideò laudatur, quia non negat.* Quid igitur opus eſt majori enumeratione tot miſeriarum peragendâ, cùm ſufficiat ut nosmetipſos ingrediamur, ad hoc ut ſimus iſtarum veritatum teſtes? Videamus utilitatem e timore orientem.

t ex Jon. 3.4. &c
v ex Pſ. 50.5
x Eccli. 41.1
y Prov. 14. 12 & 13
z Job 17.2
a S. Greg. l. 13. Mor. c. 15. in Job 17.2
b ex Job 6.2

Hæc utilitas ita magna eſt, & ſic numeroſa ut dici non poſſit quouſque ipſa perveniat: ſufficit ut dicam de eo tria notabilia, nimirum, quòd in hâc vitâ nos ſanctificat, in judicio nos ſecuros reddit, & in cœlo nos glorificet. Dico igitur primò, quòd nos ſanctificat in hâc vitâ. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd ſanctificatio conſiſtit in tribus, in receſſu à peccato, in collatione gratiæ, & in perfectione. Ubi timor ingreditur animam, confeſtim ab eâ peccatum ejicit, *Timor Domini expellit peccatum* c. Hic enim eam tanto timore concutit ut ipſam recurrere faciat ad Deũ; & tunc illuminata ab hac divina Luce, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ* d, conſpicit horrorem culparum ſuarum, & ſtatim de illis tantum dolorem concipit, ut *pœnitentiã* e habens, ipſa mundetur, *& ſuper nivem* f dealbetur. Secundò, Timor reddit hominem diligentem, non patitur eum eſſe otioſum, facit illum ire *de virtute in virtutem* g, ita ut hic homo diligentiâ ſuâ & bonis operibus ſuis diſponet ſe ad gratiam. *Qui timet Deum, faciet bona* h. Sic divina ſervat mandata, quorum cuſtodia nobis gratiam confert; cùm re verâ nihil æquè ſit efficax ad merendam gratiam, ad recuperandam eam poſtquàm amiſſa eſt, & ad eam cuſtodiendam ubi acquiſita eſt; ac ſemper manere in timore, ait S. Bernardus i. *In veritate didici nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere* k. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus* l. *Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò revertetur, & hoc eſt ſemper pavidum eſſe. Succedant ſibi viciſſim in animo tuo iſti timores, ſecundùm quòd gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterùm placata redire ſentiatur. Cùm adeſt, time ne indignè opereris ex eâ. Nam hoc monet Apoſtolus* m, *Videte, inquiens, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sic ergo timendum manente gratiâ. Quid ſi receſſerit? Num multò magis tunc timendum? Plane multò magis, quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi etenim quod dator gratiæ dicat, Sine me, ait, nihil poteſtis facere* n. *Time ergo ſubtractâ gratiâ tanquam mox caſurus. Iam ſi gratia repropitiata redierit, multò amplius tunc timendum, ne fortè contingat recidivum pati, juxta illud in Evangelio* o, *Ecce ſanus factus es, vade, & ampliùs jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. Audis recidere quàm incidere eſſe deterius. Proinde invaleſcente periculo, invaleſcat & metus. Beatus es ſi cor tuum triplici iſto timore repleveris, ut timeas quidem pro acceptâ gratiâ, ampliùs pro amiſſa, longè plus pro recuperata.* Tertio, Timor complectitur in ſe Authorem gratiæ, ſortiens perfectionem vitæ; non quòd timor, quo ad Deum convertimur, exeat, ſed quia abſorbetur in amorem, ſed amorem ferventè, qui cùm ſit in corde, reddit ipſum perfectum charitate, *Qui timet Deum, nihil negligit* p. Et qui nihil negligit, nullum omittit bonum, & qui nullum omittit bonum agendum, non committit malum, qui verò non committit malum, perfectus eſt. Quotnam utilitates! Præterea, Timor nos reddit ſecuros in die judicii, ut appareamus intrepidi coram Deo, *Timenti Dominum non occurrent mala* q. Cùm nihil poſſit ipſi nocere. Tandem, Timor nos glorificat in cœlo, *Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi* r. Nam Deus in cœlo glorificat eos qui ipſum timent in terra. Timor nobis coronas acquirit in æternitate, cumulans nos gloriâ & exultatione, *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis* ſ. Timor igitur tres iſtas res nobis acquirit, ſanctitatem vitæ, ſecuritatem in judicio, & gloriam cœli.

c Eccli. 1.27
d Jo. 1.9
e Luc. 13.3
f Pſ. 50.9
g Pſ. 83.8
h Eccli. 15.1
i S. Bern. ſerm. 54. in Cant.
k ex Rom. 11.20
l Prov. 28. 14
m ex 2. Cor. 6.1
n Jo. 15.5.
o ex Joan. 5.14
p Eccl. 7.19
q Eccli. 33.1
r Pſ. 18.10
ſ Eccli. 1.11

Sed quomodo perfungimur, Auditores, iſto primo debito, quod eſt implementum illius quod promiſimus Deo? Huic voluntariè nos addiximus in Baptiſmo, & patrini noſtri cautem præſtiterunt cauſam noſtram; & tamen nos puſillanimi quomodo illud obſervamus? Nunquid non manum damus primis inſultationibus hoſtis? Nonne conſentimus ineptiis mundi? annon adhæremus regulis & maximis ejus intuitu apicis honoris imaginarii? Nunquid non firmiter ſtatuimus effundere ſanguinem noſtrum, vel a-

alienum, ut ulciſcamur nos de injuriâ ſuppoſitâ? Heu! ubi eſt implementum iſtius divini præcepti? *Diligite inimicos veſtros* t, &c. Nonne præbemus aurem vocibus his doloſis noſtræ carnis, quæ, more Sirenum, non blanditur nobis, niſi ut ruinam noſtram moliatur? Heu! quid dicemus Deo? quonam pudore non ſuffundemur? Nunquid non puniet nos, eò quòd ipſi fidem fregerimus? Sic *fidelis Dominus eſt* u in omnibus quæ promiſit nobis: nos verò ſic ingrati ſumus ut *terga* x vertentes ei, ſtemus è partibus hoſtium ejus, poſtquàm juravimus ei fidelitatem ad totum vitæ noſtræ tempus, poſt datum nomen noſtrum militiæ illius, & poſt ſumpta illius inſignia. Quale ſupplicium crimina punire poterit ſic atrocia?

t Matth. 5.44
u 2. Theſſ. 3. 3
x Jer. 32. 33

II. Pars

Veniamus ad ſecundam obligationem noſtram, quæ conſiſtit in actione gratiarum pro beneficiis ſuſceptis. Niſi enim gratos nos exhibeamus Benefactori noſtro pro favoribus ab ipſius bonitate ſuſceptis, quidquid receperimus ab eo ad agendam ſalutem noſtram, convertetur in ruinam noſtram. Sed quia non poſſumus dignè & amanter agere gratias ſine ſuſceptorum notitiâ beneficiorum, licèt excedant omnem capacitatem humanam, tamen eorum aliqua vobis manifeſtabo, ut meliùs & faciliùs perfungamini obligatione veſtrâ, & debito veſtro. S. Matthæus y hæc nobis ſignificat per ea, quæ ille *homo peregrè proficiſcens*, *uni dedit quinque talenta* è ſervis ſuis. Deus enim nobis quinque res tribuit; nos ipſos, ut ſimus; res temporales, ut nos ſuſtentent; Angelos, ut nobis miniſtrent; cœlum, ut in eo quieſcamus; & ſeipſum, ut ipſo feliciter fruamur: quæ ſunt quinque magna & inſignia beneficia. Quantùm ad primum, id eſt, noſtri ipſorum, magnum eſt, & quantùm ad corpus, & quantùm ad animam. Quantùm ad corpus, cùm Deus fecerit illud ſpecioſiſſimum, & ſtaturæ rectæ, ut contemplaretur cœlum, quippe quod aliquando debet eſſe domicilium ipſius, *Solummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum*, ait Eccleſiaſtes z. *Recta enim ſtatura, & vultus in cœlum erectus*, ait Cornelius a, *indicat animum corporis rectorem cœleſti ſatum origine, Deique ſimilem, æternitatis & Divinitatis capacem, ſuperna ſpectare, & ambire debere. Si enim tanti vitrum, quanti margaritum? Si tale eſt corpus, qualem decet eſſe animam? Ita ſanctus Auguſtinus* b, *& Bernardus* c. *Rectâ ergo ſtaturâ admonetur homo, ſibi non eſſe ſectanda terrena, uti faciunt pecora, quorum voluptas omnis ex terrâ eſt: unde in ventrem cuncta pecora prona & proſtrata ſunt, hinc Poeta:*

y Matth. 25.14. & 15
z Eccl. 7.30
a Cornel. in Gen. 1.16
b ex S. Auguſt. l. 6. de Gen. ad lit. c. 12
c ex S. Bern ſerm. 24. in Cant.

[illegible] cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cœlo ergo nati, cœlo creati ſumus: hic finis, hic ſcopus noſter: ab hoc ſi aberremus, fruſtra homines ſumus, fruſtra cœlum, Solemque ſuſpeximus; ſatius foret bruta, aut ſaxa fuiſſe: ſin aſſequamur, terque quaterque beati. Quantùm ad animam: quia ſecundùm hanc, *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* d. Id eſt capacem intelligentiæ & voluntatis. & præditum ſic eximiis qualitatibus ut mediâ gratiâ unum quid cum Deo poſſit effici, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, ait ſanctus Paulus e. Et idem Cornelius f, *In homine eſt imago Dei, ſcilicet ſupernaturalis, quæ ſita eſt in gratiâ & juſtificatione hominis, quâ ipſe divinæ ſit conſors naturæ* †, *quæque in gloriâ & vitâ æternâ firmabitur, & perficietur. Gratia enim eſt anima animæ, ait S. Auguſtinus.*

d Gen. 1.27
e 1. Cor. 6,17
f Cornel. in Gen. 1.26
† ex 2. Petri 1.4

Quantùm ad ſecundum, Ipſe nobis tribuit bona temporalia propter ſatisfactionem noſtram, ſed præ tantâ liberalitate ut omnem menſuram excesserit; cùm nobis omnia præbuerit abſque ullâ exceptione, cœlum, terram, mare, & univerſa quæ in iis ſunt, non ſolùm propter ſuſtentationem noſtram, & neceſſitates noſtras, ſed etiam ob recreationem noſtram, & oblectamentum noſtrum, ut agnovit David g, ſic illum alloquens, *Domine Dominus noſter, quid eſt homo quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi. Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.*

g Pſ. 8. 2. &c. ex Gen. 1. 28

Quantùm ad tertium, Ipſe nobis præbuit Angelos ad miniſtrandum nobis, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* h? Et licèt hi ſint naturæ nobilioris quam ſimus nos, ut ait idem David i, eundem Deum alloquens de homine, *Minuiſti eum paulominùs ab Angelis*: tamen non renuunt ſervire nobis, ut ei complaceant, diſcernentes in nobis imaginem ejus, quod agunt circa tria. Primò, Suggerendo nobis bonum, ſicut Tobiæ juniori de futura Sponſa ſua Angelus Raphaël dixit, *Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab eâ, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea* k. Secundò, Tuendo nos à malo, *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum* l. Et hoc eſt quod de præfato Angelo Raphaële, à peregrinatione ſua reverſus idem *Tobias dixit patri ſuo, Meipſum à devoratione piſcis eripuit* m. Tertiò, Offerendo vota noſtra, & preces noſtras divinæ Majeſtati ipſius, quemadmodum idem Angelus Raphaël Tobiæ ſeniori dixit, *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abſcondebas per diem, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino* n.

h Hebr. 1.14
i Pſ. 8. 6
k Tob. 6, 16. & 18
l Pſ. 90. 11. & 12
m Tob. 12. 2. & 3
n Tob. 12. 6. & 12

Quartum beneficium, eſt cœlum, ut in eo quieſcamus in æternum. Prædives domicilium! *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi* o. Fortunata manſio Beatorum! *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* p. Et ubi non erit inopia, ſed omne genus abundantiæ, ut ait Pſalmiſta q, dicens Deo de illis, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ.*

o Matth. 25.34
p Apoc. 21,4 ex Iſai 25.8
q Pſ. 35.9. & 10

Quintò, Semetipſum tribuit nobis in mercedem, ut in æternum fruamur ipſius divinâ præſentiâ, in qua ſita eſt noſtra felicitas, ſicut aliàs ipſiuſmet *factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem, dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* r. Multis autem modis ſe nobis præbuit, Corporaliter, Per redemptionem, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* ſ. Sacramentaliter, & ſpiritualiter per

r Gen. 15.1
ſ Epheſ. 5.2

per conſolationem, æquè ac per refectionem noſtram *Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* t. *Sic autem Chriſtus eſt cum Eccleſiâ, Primò, Per gratiam inhabitando corda fidelium. Secundo, Per Sacramentalem præſentiam. Tertiò, Per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis, ac pietatis in nos*, ſubdit Carthuſianus u. Tandem, Per fruitionem noſtram, *Hæc eſt autem vita æterna Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* x.

t Matth. 28. 20

u Dion. Carthuſ. 45 in Mat. 28. 20

x Joan. 17. 3

Quot beneficia, quot favores, & quot obligationes, ſed quænam actiones gratiarum! Poteratne quid ipſe plus pro nobis agere? Nos verò, ingratitudo quæ nunquam ſimilem habuit! poſſemusne quid minus facere pro eo? nunquid non muti ſumus, nonne os habemus clauſum? quisnam illi gratias agit pro favoribus ab ipſo ſuſceptis? annon iis abutimur? nunquid non utimur illis ad eum offendendum? Iſtæ divitiæ, quas impertitur nobis ita liberaliter, nonne adhibentur à nobis ad fovendam avaritiam noſtram, ut illarum interventu fœnori vacemus? Hæc pulchritudo, quâ nos donavit, nunquid non loco laquei ſervit ad profligandas animas, licèt ipſa ſit radius Divinitatis? Illud ingenium inter ſubtilitates ſuas nonne conſilia reperit excogitandæ & moliendæ ruinæ ſuæ? Annon meremur propter ingratitudines noſtras, ut Deus retrahat à nobis iſtos favores omnes, & nos relinquat omni bono deſtitutos? Siccine gratias ei agimus pro beneficiis ab eo ſuſceptis? Scitote, Auditores, quòd eorum rationem à nobis exiget. Videamus breviter quomodo rationem eorum debeamus ei reddere.

III. Pars.

Tremore concutiamur, Auditores, ad ſolam memoriam cogitationis iſtius. Oportebit ut rationem Deo reddamus tractationis bonorum ipſius. Heu! morior, & exclamo, ſicut noſter *ait villicus intra ſe, Quid faciam?* Cùm oporteat ut *Dominus meus* de malà adminiſtratione bonorum ſuorum à ſe mihi commiſſorum recognoſcat? Omnes creaturæ queruntur de diſſolutionibus meis: quamnam, cùm diſſipaverim *quaſi bona ipſius, rationem villicationis* meæ reddere ei potero? S. Paulo *diſputante de judicio futuro, tremefactus Felix* y eſt: quomodo autem ego non tremerem ad hæc verba? *Redde rationem villicationis tuæ.* Id eſt, tot gratiarum, quas tibi tradidi, & quas ita malè inſumpſiſti, tanti temporis amiſſi, tot bonorum diſſipatorum, naturæ, fortunæ, gratiæ, corporis, & animæ, quæ tibi cuſtodienda tradidi, & quinque ſenſuum, ut hæc omnia adhiberes ad obſequium meum, *Redde rationem villicationis tuæ.* Unde S. Bonaventura z ſingulis nobis ait, *Villicus Domini eſt omnis homo, cui bona ſua naturalia, vel temporalia commiſit diſpenſare, de quibus oportet Deo rationem reddere. Bona in corpore, vel in animâ, vel in rebus tibi commiſſis, quorum non es hæres, vel Dominus, ſed villicus, debes ad voluntatem Domini diſpenſare. Qui enim vires corporis, vel ſenſus animæ, vel res, vel tempus, vel hujusmodi male expendit, bona Domini diſſipat. Benè dixi, vel tempus. Sicut enim de omni verbo otioſo, ita de omni tempore, homo rationem reddet Deo* a. *Anſelmus: Exigetur à te uſque ad momentum omne tempus vivendi tibi impenſum, qualiter fuerit expenſum. Sed heu! Domine Deus, timendum eſt: non ſolùm rationem reddemus de bonis diſſipatis, ſed etiam de lucris bonorum neglectis. Venit Dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis, &c. ubi ſubjungitur, quòd ille damnatus eſt, qui cum talento ſibi tradito nihil lucratus eſt* b. *Quinque ergo talenta ad lucrandum data ſunt nobis: videlicet, natura, fortuna, potentia, ſcientia, & gratia.*

y Act. 24. 25

z S. Bon. ſerm. 1. Dom. 8. poſt Pent.

a ex Matth. 12. 36

b ex Matth. 25. 19. &c.

IV. Pars.

Sed ecce quartum debitum, quod paucis expedio, purà ſatisfactio pro peccatis commiſſis in adminiſtratione hujuſmodi bonorum, *In verbo propoſito notatur ſatisfactionis poſtulatio, cùm ſubinfert: Redde rationem villicationis tuæ: poſtulat Dominus ſatisfactionem, ut quilibet reddat principaliter de tribus. Primò de immundis cogitationibus cordis. Secundò de vanis, & duris ſermonibus oris. Tertiò de malis, & pravis maleficiis operis*, ait idem S. Bonaventura c. Sed quis poterit eam agere conformem offenſæ, quia cùm ſit infinita ratione perſonæ offenſæ, quæ *non habet finem* d, non poteſt habere proportionem cum operibus noſtris, quæ ſunt meriti & valoris finiti? *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus* e. Nunquid non eſt ferè impoſſibile, ut ſatisfaciamus iſti debito, cùm peccata noſtra ferè abeant in infinitum, tam ob numerum, quàm ob enormitatem? Quodnam igitur remedium? *Quid faciam?* Imitandus eſt villicus noſter Evangelicus in ſimili neceſſitate, utendo eleemoſynâ & liberalitate erga pauperes, & ſic ſatisfaciemus feliciter debitis & obligationibus noſtris, *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis* f, id eſt, Deus, ajebat Daniel Nabuchodonoſor. *Quoniam eleemoſyna purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam* g.

c S. Bon. ſerm. 1. Dom. 8. poſt Pent.

d Baruch 3. 25

e Pſ. 39. 13

f Dan. 4. 24

g Tob. 12. 8

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.
Luc. 19. 46. &c. ex Jer. 7. 11.

Res inuſitata viſu, quòd Dei Filius, qui vocatur *Agnus Dei* a, mutetur hodie in leonem; quòd ille qui ſe propoſuit ut exemplar manſuetudinis, dicens, *Diſcite à me quia mitis ſum* b, excandeſcat irâ; & quòd ipſe qui tantas perpeſſus eſt injurias & contumelias à Judæis, qui *dixerunt ei, Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes* c? appareat hodie tonans & minitans, præ ſe ferens zelum in corde, ignem in oculis, & terrorem in facie, corripiens & ejiciens venditores & emptores è templo, *Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis, Scriptum eſt, Quia domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Ideò ut nobis oſtenderet reverentiam, quâ exhibere debemus domo Dei, & quomodo ipſe puniat irreverentias, quæ in illâ patrantur. *Cùm enim intraſſet civitatem Ieruſalem,*

a Jo. 1. 29

b Matth. 11. 29

c Jo. 8. 48

primò

dex Luc. 2,46 *primò ingreſſus eſt templum. Primò, Quia,ut ipſemet dixit,in his quæ Patris ſui erant, oportuit eum eſſe* d, *id eſt,in templo & actibus ſacris, quos in templo exercuit.* Itaque primò hoc fecit propter Patris ſui honorem,
e Jo. 8. 49 *quemadmodum ait apud Ioannem* e,*Ego honorifica Patrem meum. Secundò, Propter noſtram ædificationem, ut ſcilicet civitatem quamcunque ingrediendo, primò intremus Eccleſiam,adoremusque Dominũ.Hinc ait Chryſoſtomus , Tu Chriſti imitator,cùm ingreſſus fueris aliquam civitatem, ante omnem actum ad Eccleſiam curras.Tertiò, Ut abuſiones quæ erant in templo,corrigeret , & zelum Dei atque juſtitiæ nos habere doceret contra peccata*, dicit Dionyſius Carthuſia-
f Dion. Carthus. 42. in Luc. 19. 45 nus f. Sed *quia domus* Dei,*domus orationis eſt*, inſumamus tempus ad orationem,& incipiamus per iſtam, *Ave Maria.*

Præcipui Religionis actus ſunt ſacrificia,quia mediis illis perfunguntur homines erga Deum muniis, ad quæ obſtringit eos ipſorum conditio, perſolvenda: agnoſcunt enim & teſtantur eidem Deo per iſtas obſequiorum ſuorum exhibitiones
g Pſ. 94. 7 *quia ipſe eſt Dominus Deus* ipſorum , & ipſi *populus paſcuæ ejus,& oves manus ejus* g. Propterea nulla fuit unquam natio ita barbara & infidelis, quin erexerit altaria,ut ſuper illis offerret ſacrificia: quin imò & illæ , quæ nullam habebant legem, nec ullum agnoſcebant Regem, agnoverunt in cæcitate ſuâ,quòd cultus exterior religionis eſſet neceſſarius, tam ad attrahendos ſuper ſe favores divinitatum quas adorabant,quàm ad agnoſcenda beneficia a ſe de illorum manu ſuſcepta , ut deſerviret ipſis tanquam medium peragendæ reconciliationi ſuiipſorum cum illis accommodum. Illi qui leges inſtituerunt in Rebuspublicis,ut Solon inter Athenienſes, Numa Pompilius apud Romanos,non ſunt obliti legis ſacrificiorum, rati quòd lex hujuſmodi eſſet fulcrum valdè neceſſarium ad continẽdos populos intra terminos obedientiæ,& dependentiæ a Poteſtatibus ſuperioribus,quibus illi ſua præſtare debẽt obſequia. Oportet ut ſacrificia,quæ Deo præſentantur,ſint congruẽtia ſtatui illorum, qui ea offerũt. In Lege naturæ ut imperfectiori Lege ſcriptâ,offerebantur herbarum ſacrificia, *Factum eſt*
h Gen. 4. 3 *ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino* h. In Lege ſcriptâ,quæ quantùm ad perfectionẽ & excellentiam cedit Legi gratiæ, *Domino de pecori-*
i Levit. 1. 2. &c *bus,id eſt de bobus & ovibus victimas* i offerebant homines: ſic holocauſta præſentare debebãt ipſi excellentiora,ut conformarent oblationes ſuas excellentiæ ſtatus ſui. *Non accipiam de domo tua vitulos,neq; de gregibus tuis hircos*, ait Deus per Pſalmi-
k Pſ. 49. 9. &c ſtam k Eccleſiæ pro Lege gratiæ. Iſtæ maximæ erant nimis depreſſæ: quid igitur ipſa præſentabit ei? Iſtud quod conſulit illi conſequenter idẽ Pſalmiſta, *Immola Deo ſacrificium laudis*. Unde di-
l S. Aug. l. 20. contra Fauſt. c. 21 m ex Jo. 59. 18. &c n ex Matt. 28. 20. & ex 1. Cor. 11. 24. & 25 o Jo. 1. 14 cit S. Auguſtinus l, *Hujus ſacrificii caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur; in paſſione Chriſti* m *per iſtam veritatem reddebatur: poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentũ memoriæ* n *celebratur: ac per hoc tantũ intereſt inter ſacrificia Paganorum & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationẽ prænũciantem.* Ideò enim *Verbum caro factũ eſt* o, ut ipſum offerre nos. Sed cùm agatur de ſacrificiis, & de tem-
Diviſio plis,volo vobis oſtẽdere Primò, quòd Deus vult ſuſcipere reverentias & obediẽtias noſtras in locis conſecratis: Secundò quòd Jeſus Chriſtus,ut doceret nos obedientias æquè ac reverẽtias quas exhibere debemus Patri ipſius, voluit eſſe ſervus ejus: Tertiò, Videbimus tria jura, quæ Deus habet ſuper id quod ſumus.

1. Pars. Si Monarchiæ non ſunt florentes niſi per maximas religionis, ſi pietas eſt baſis & ſuſtentaculum Statuum & Regnorum, dicere poſſum quidem quòd accedunt ad ruinam ſuam, & vadunt lapſum in deordinationem , cùm non videamus aliquid hodiernâ die communius cõtemptu ſanctarum Eccleſiæ obſervantiarum. Politia, cujus maximæ ſunt ordinariè contrariæ innocentiæ, regulas vult præſcribere & leges decernere illi legi,cui deberet ipſa præ gloria ſubjici,cùm lex iſta divina decernat offerendas Deo reverentias & adorationes in locis ipſius majeſtati conſecratis: licèt enim Deus noſter ubique poſſit adorari, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Domi-*
p Jer. 23. 24 *nus* p? tamen ipſe ſe cognoſcibiliorem exhibet in quibuſdam locis ; non ſecus ac quàmvis anima noſtra ſit in omnibus corporis noſtri partibus indiviſibiliter, tamẽ ipſa cognoſcibiliùs eſt in quibuſdam partibus, ut in corde, aut in cerebro, quia in hujuſmodi locis operationes exercet ipſa nobiliores & excellentiores quam in aliis partibus: ſic Deus eſt particulariùs in Eccleſiis, ſeu in templis ſacris, eò quòd in hujuſmodi locis auguſtis meliùs cognoſcatur & glorificetur , & ſuarum ſpecialiùs effundat abundantiam gratiarum.

Veritatis iſtius authenticum nobis providet
q Gen. 28. 16 Scriptura q ſacra teſtimonium per iſta verba Patriarchæ Jacob dicentis, *Verè Dominus eſt in loco iſto,& ego neſciebam.* Unde Cornelius r dicit, *Vide*
r Cornel. in Gen. 28. 17 ſ ex Gen. 18. 1. &c *hic,quàm à tempore Iacobi,& Abrahæ* ſ,*Deus certa loca ſui apparitione, beneficiis, miraculis illuſtrarit: ibique coli & invocari voluerit.* Ignorabat vir ille ſanctus, quòd Deus intueretur illum locum. Quin imò vel ipſi Idololatræ, qui nonniſi cæco impetu ſuas deferunt adorationes, prorſus idem ſenſerunt , cùm ædificaverunt aut conſtruenda ſategerunt ita ſpecioſa & magnifica templa. Iſtud etiam videmus ex ratione familiari & ſenſibili: nam ultra præfatam modò rationem animæ rationalis, Sol, quàmvis communicet radios ſuos, ſplendores ſuos,& ardores ſuos toti terræ; non producit tamen aurum & alias naturæ divitias niſi in viſceribus ejuſdem terræ: idẽ dico de Deo noſtro: Licèt ejus potẽtia concludi non poſſit in locis particularibus, ſunt tamen aliqua, in quibus abundantiùs ipſe ſuarũ communicat theſauros gratiarum. Verũ eſt igitur, quòd Deus conſtruenda ſibi templa præcepit, ut ibi noſtras ſuſciperet adorationes, volens ut præ debitis omnibus circunſtantiis exhiberemus ipſi munia obedientiarum noſtrarum: *Ipſe ædificabit domum nomini meo* t,
t 2. Reg. 7. 13 ait Deus Davidi de Salomone qui naſciturus erat ex ipſo. *Domus autem factæ de lapidibus ſunt ad*
u Toſtat. quæſt. 8. in 2. Reg. 7. 13 *cultum Dei*, ſubdit Toſtatus u. Ibi ſacrificia Deo præſentamus, tam interiora, quàm exteriora, ut docet S. Thomas x, dicens, *Quòd ſicut Damaſce-*
x S. Th. 2. 2. q. 84. a. 2. in corp. citans S. Damaſc. l. 4. de Fid. Orth. c. 13 *nus dicit, Quia ex duplici naturâ compoſiti ſumus, intellectuali ſcilicet,& ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus , ſcilicet ſpiritualem , quæ conſiſtit in interiori mentis devotione ; & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exterius, refertur ad id quod eſt interius , ſicut ad principalius ; ideò ipſa exterior adoratio fit propter interiorem , ut videlicet per ſigna humilitatis quæ corporaliter exhibemus , excitetur noſter affectus ad ſubjiciendum ſe Deo, quia connaturale eſt nobis , ut per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus.* Exercemus igitur ibi actus interiores mentis, æquè ac voluntatis, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequiũ Chriſti , & in promptu habentes ulciſci omnem inobe-*

dientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia, dicit nobis S. Paulus *y*. Et exteriores corporis ſubmiſſiones ibidem Deo exhibemus, ſicut *publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori z*. Sic in ſacrificio quod eſt actus noſtræ ſervitutis, proteſtamur & ſubmiſſionem corporis & mentis, & fatemur quòd abſolutè pendemus à Deo. Homines æquo liberiores & flagitioſi ſibi ludos faciunt è cultibus iſtis exterioribus, deriſionis objectum ſibi compingunt è ceremoniis Eccleſiæ; ſed fiat ab illis jocus iſte de ſacris noſtris ritibus, quantùm ipſis placuerit, ad ipſorum damnationem; agunt ipſi contra rationem, imò verò contra praxim Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum ejus. Numquid non *Hymno dicto, exierunt in montem Olivarum a*? Annon & *ipſe poſitis genibus orabat b* Jeſus? Et nonne *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens c*, id eſt, reddens ſe ſervum Patris ſui, ut doceret nos obedientiam, quam debemus ipſi reddere?

y 2. Cor. 10. 5. & 6.
z Luc. 18. 13
a Matth. 26. 30
b Luc. 22. 41
c Philipp. 2. 7

II. Pars.

Etiamſi virtutes omnes ſint ſacræ, & difficile ſit dicto quænam ſit ipſarum maxima, videtur tamen obedientia primas ſibi vendicare ſedes ſuper alias: ſi enim judicari poteſt ex contrariis, *Eadem eſt ratio oppoſitorum*, ait Philoſophia, cùm maximum omnium peccatorum ſit inobedientia, cùm Scriptura *d* comparet illam idololatriæ quâ nihil iniquius poteſt reperiri. *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*: oportet ut obedientia ſit excellentiſſima omnium virtutum, cùm eadem Scriptura *e* præferat eam illi omni quod habemus ſanctiſſimum, quod eſt ſacrificium: *Melior eſt enim obedientia quàm victima, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum*. Et ratio illius, eſt ea quam præbet S. Gregorius *f*, *Obedientia quippe victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quiſque Deum citiùs placat, quantò ante ejus oculos repreſſa arbitrii ſui ſuperbiâ, gladio præcepti ſe immolat. Quo contrà ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta ſit virtus obedientia demonſtretur. Ex adverſo igitur meliùs oſtenditur, quid de ejus laude ſentiatur. Si enim quaſi ariolandi peccatum eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere: ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet, ſine quâ quiſque infidelis eſſe convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur*. Præterea, Cùm inobedientia ſit crimen puniblliſſimum omnium, obedientia debet eſſe virtus univerſarum remunerabiliſſima: atqui quòd inobedientia ſit crimen quod ſeveriſſimè præ omnibus puniatur, nemo debet ambigere, cùm plectatur ſupplicio omnium crudeliſſimo, & juſtiſſimo: crudeliſſimo, nulla eſt enim pars in nobis quæ non ferat illius pœnam: juſtiſſimo: quia ſtatim ac homo inobediens vetito *de fructu comedit g*, expertus eſt ipſemet in pœnam inobedientiæ ſuæ rebellionem omnium creaturarum quæ ipſi antea obediebant: homo enim creatus fuerat cum quâdam poteſtate ſuper animalia, & reliquas creaturas, ut ait David *h*, Deum alloquens, *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. Sed ex quo violavit reverentiam, quam Deo tenebatur impendere, univerſæ creaturæ inſurrexerunt adverſùs eum: ita ut homo qui natus erat velut Princeps in mundo, videatur eſſe ſcopus indignationis omnium creaturarum; cùm cœlum impetat ipſum malignis ſuis influentiis, aër ſuis intemperiebus, mare ſuis fluctibus, & terra ſterilitatibus ſuis. Sed quod eſt juſtiſſimum, eſt, quòd ipſius authoritas non agnoſcitur apud ipſum: corpus enim contemnit imperium rationis, affectus veluti tot captivi rebelles, aut ſicut populus ſeditioſè commotus inſurgunt in ſpiritum, *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis*, ait S. Paulus, alloquens Galatas *i*. Sic ſpiritus eſt alligatus huic corpori inobedienti; & oportet ut neceſſariò violentias illius ſuſtineat. Crudeliſſimum ſupplicium erat illud quod exercebat *Mezentius Tyrrhenorum Rex, ſummus Deorum contemptor, à ſubditis ob immanem crudelitatem cum totâ familiâ expulſus, qui*, ſicut recenſet Calepinus *k*, *fuit impius in homines, ſine Deorum reſpectu*, inquit *Macrobius*. Et Poëta,

d 1. Reg. 15. 23
e 1. Reg. 15. 22
f S. Greg. l. 35. Mor. c. 14
g Gen. 3. 6
h Pſ. 8. 7. ex Gen. 1. 28
i Gal. 5. 17
k Calepin. in Diction. v. Mezentius.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Complexu in miſero longâ ſic morte necabat.

Sed iſtud eſt diuturnius, & conſequenter crudelius, cùm cogamur deferre hujuſmodi inimicum ſeditioſum toto tempore vitæ noſtræ, de quo ſic queritur Apoſtolus *l*, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Atqui licèt hoc ſupplicium nobis oſtendat, quòd inobedientia crimen eſt immodicum, & obedientia virtus maxima: eſt etiam melior ratio, quæ nobis id monſtrat, & in hoc eſt ſita, quòd Jeſus Chriſtus, ut nos doceret obedientiam quam debemus exhibere Patri ipſius æterno, voluit ipſemet ſe reddere ſervum ejus, *In capite libri ſcriptum eſt de me, Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei m*. Inde venit id quod ait S. Paulus *n*, *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*.

l Rom. 7. 23. & 24
m Pſ. 39. 9
n Philipp. 2. 7

Triplex obſervatur ſervorum genus. Primum eſt eorum, qui cùm non habeant induſtriam dirigendorum ſuîipſorum, nati ſunt ut ſerviant & ſe ſubjiciant directioni aliorum: & iſtius generis multi ſunt. Secundum, eſt eorum, qui capiuntur ab hoſtibus. Tertium verò, & maximè propriū, eſt illorum qui nati ſunt ſervi, id eſt, è parentibus conditionis ſervilis. Jeſus vult eſſe ſervus per nativitatem, & exire è Virgine, quæ ſe mancipaverat obſequio Dei, altarium, & templi, ſicut de illa prædixerat David *o* avus ejus, *Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ ejus afferentur tibi: afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis*. Et deinceps Eccleſia canit in laudem ejus, *Elegit eam Deus, & præelegit eam: in tabernaculo ſuo habitare facit eam*. Et quæ *ab æterno ordinata p* ut eſſet Mater Dei, præ humilitate & devotione ſe nuncupat ancillam illius, ut obſervavit S. Ambroſius *q*, *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur: Mitem enim humilemque r paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre. Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Habes obſequium, vides votum, Ecce enim ancilla Domini, paratam*

o Pſ. 44. 15. & 16
p Prov. 8. 23
q S. Ambr. l. 2. in Luc. 1. 38
r ex Matt. 11. 29

ratus officij eſt. Contingat mihi ſecundùm verbum tuum, conceptus eſt votr. Atqui quoniam Jeſus Chriſtus eſt Filius ejus, *Peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Ieſum* ſ: & quia, ſicut dicunt Juriſperiti, *Partus ſequitur ventrem. Id eſt, liberi quoad ſtatum, matris conditionem ſequuntur* t: Dominus noſter non poteſt eſſe niſi ſervus. Iſtud edocet nos, quòd nulla eſt exigua qualitas in domo Dei, cùm infimam ſeſe non reputet Dei Filius indignam. Nullum dicitur officium modicum in domo Regum, & ſic maxima eſt veriſſima quæ dicit, *Servire Deo, regnare eſt.* Alexander Magnus dicebat, quòd ipſe diſputaſſet de bravio ſtadii, ſi habuiſſet Reges concurrentes in ſtadio, ad comprehendendum bravium quod porrigebatur Athenis: Jeſus Chriſtus, qui eſt Deus æquè ac Pater ſuus, ſicut ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus* u; eſt ſervus ejuſdem Patris ſui, *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum,* ait idem Pater apud Iſaiam x. Et Cornelius y, *Servum certum eſt ex Matth. 12. 18. intelligi Chriſtum, qui ſervus eſt Dei, quatenus formam ſervi aſſumpſit factus homo* z. *Licèt enim idem, quà homo, ſit Filius Dei naturalis, quatenus ſcilicet humanitas illa ſubſiſtit in perſona Verbi, quæ eſt Filius a Dei naturalis; tamen idem eſt & ſervus ratione ipſius naturæ, puta humanitatis quam aſſumpſit: hæc enim eſt creatura, ac proinde ſerva ſui Creatoris. Huc alluſit B. Virgo canens: Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ: Sicut locutus eſt ad Patres noſtros* b. Sed quia nihil ipſe contemnit illius quod ſuſcepit a Patre ſuo ſicut nec ſpernit aliquid illius quod ſumpſit è Matre ſua, hanc qualitatem ſervi defert in æternum & ultrà, ſicut verum eſt, quòd ipſemet, ut *Dominus, regnabit in æternum, & ultrà* e. Non me latet, quòd iſtud verbum videbitur inuſitatum aliquibus, qui ſoliciti de honore Jeſu, vix ſuſtinebunt ut vocetur ſervus per totam æternitatem: ſed præterquàm quòd id quod conducit ad humilitatem Jeſu, ſervit ſemper gloriæ ejus: nam, ut ait Cornelius præfatus, *Hebræum, ebed, non ſignificat ſervum, qui ex ſervili conditione ſerviliter vivit, uti ſunt mancipia; ſed miniſtrum, qui Dominum ſuum colit, eique in amplo officio & dignitate miniſtrat, uti Duces & Principes ſerviunt & miniſtrant Regi, Cardinales Pontifici, Apoſtoli Chriſto: ſic enim S. Paulus* d *ſe vocat ſervum, id eſt, Apoſtolum Chriſti*: Scriptura ſacra cautam præſtat hanc veritatem, & æternitatem ſervitutis iſtius. Aliquæ qualitates Filii Dei ſunt tranſitoriæ: non enim eſt ampliùs *Puer* e. Certum eſt, eum non ampliùs eſſe *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* f; id eſt, in ara crucis, niſi fortè in altaribus noſtris incruentis, ſicut ipſemet promiſit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* g. Id eſt, *Per ſacramentalem præſentiam* h. Non perpetitur ampliùs ipſe crucem, & ideò *mors illi ultrà non dominabitur* i. Sed qualitas ſervi ſemper eſt duratura: nam *cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ* Pater æternus, & *dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei* k: & iſti ſpiritus beati ſuas exhibent adorationes huic Filio incarnato in hac profunda depreſſione ipſius, ipſemet Filius hanc dirigit loquelam ſervitutis ad eundem Patrem ſuum, *Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* l. Ut autem ſtatus iſte ſemper duret, *Aures autē perforaſti mihi* m, inquit & ipſe illi. Iſtud pendet ex conſuetudine obſervata ſic inter Judæos aliàs, *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & ſex annis ſervierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum. Sin autem dixerit, Nolo egredi: eò quod diligat te, & domum tuam, & benè ſibi apud te eſſe ſentiat: aſſumes ſubulam, & perforabis aurem ejus, & ſerviet tibi uſque in æternum* n. Jeſus alludit ad hanc conſuetudinem, & proteſtatur ſe eſſe ſervum ſui Patris æternum. Humilitas prodigioſa! Jeſus eſt æqualis Patri ſuo, *Ego & Pater unū ſumus* o. Sedet in eodem throno cum Patre ſuo, *Et ſedet à dextris Dei* p. Et tamen eſt etiam ſervus Patris ſui: *De ancilla Dei natus eſt: ergo Dominus in forma ſervi,* concludit S. Auguſtinus q. Homines pudet obedire Deo, & Jeſus in ipſamet gloria cœleſti defert qualitatem glorioſam ſervi Patris ſui.

Servi diſponere non poſſunt ſuas actiones, ut dicitur, *Non conſulunt de ſuis actibus.* Jeſus nulli vacat actioni, quam Deus Pater ſuus ipſi non præſcribat: cùm *Mater* ipſius petit ab ipſo miraculum, dicens *ad eum, Vinum non habent*; ipſe recuſat illud ei, non quòd non honoraret Matrem ſuam, *Nondum venit hora mea* r: ſed ne contraveniret momentis, quæ fuerant ipſi præfixa à Patre ſuo, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio* ſ. Statim ac hora illius advênit, *Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Ecce appropinquavit hora: ſurgite eamus* t. Ab hora ſua Jeſus averti non poteſt vel a Matre ſua, quam tantâ proſequitur ipſe reverentiâ: & amicus avertit nos à ſatisfaciendo muniis noſtris, & impediet quin exhibeamus Deo obedientiam quam illi devovimus; & pravum conſortium efficiet ut abſimus a Miſſa, & noſtræ deſimus obligationi, avertendo nos ab obſequiis quæ Deus a nobis poteſt exigere.

Sed iſtud non eſt tota obligatio, quâ devincti ſumus Jeſu Chriſto: ipſe eſt etiam ſervus rebellis. Non me latet, quòd iſtud verbum lædere poterit aures pias & delicatas; ſed iſta ratio vobis faciet ſatis. Dei Filius eſt Caput, & Vas hominum, *Ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* u. *Et ipſe peccata multorum tulit* x. Ut Caput, nobis communicat gratias ſuas, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* y. Ut Vas, cautam præſtat cauſam noſtram, participat infortunia noſtra, & iis ſe onerat, propterea vocatur à S. Paulo z Peccatum, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* Scilicet, ait S. Auguſtinus a, *Eum ipſum Chriſtum neſcientem peccatum, fecit Deus pro nobis peccatum. Id eſt, ſacrificium pro peccato factus eſt. Peccatum oblatum eſt, & deletum eſt peccatum. Fuſus eſt ſanguis Redemptoris, & deleta cautio debitoris. Ipſe eſt ſanguis qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum* b. Tandem, Excipitur ut ſervus rebellis. Mater ſua non dat ipſi hanc qualitatem, ſed illam tribuunt ei homines: at quia Pater æternus videt illum eâ inveſtitum *in ſimilitudinem carnis peccati,* ideò illum præ omni rigore poſſibili excipit, *Et de peccato damnavit peccatum in carne* c. Et, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* d. Homines damnant eum ad mortem, *Reus eſt mortis* e. Quin imò & Pater ejus pronunciat ejuſdem mortis ipſius decretum; & creaturæ repræſentantur ei ut molientes ruinē ipſius, *Salva me ex ore leonis* f. Iſtud inauditam nos edocet lectionem, quòd Deus nemini parcit. Nos edocet crux juſtitiam, & miſericordiā ſimul, cùm videamus ibi Deum pati pro creaturâ ſua, ut ſuæ juſtitiæ ſatisfaciat. Homines æquo liberiores, putatis quòd crux vobis ſerviet ?

ſ Matth. 1. 25.
t In Lege. Jur. Civ. & Can. L. Partum. C. De Rei vind. L. Placuit, &c.
u Jo. 10. 30
x Iſai. 42. 1.
y Com. in Iſai. 42. 1.
z ex Phil. 2. 7.
a ex Pſ. 2. 7
b Luc. 1. 54. & 55.
e Exod. 15 18.
d ex Philip. 1, 1.
e Luc. 2, 21
f Eph. 5, 5.
g Matt. 28 20.
h Dion. Carth. art. 45. in Matt. 28. 20.
i Rom. 6. 9
k Hebr. 1. 6 ex Pſ. 96, 8
l Hebr. 10. 9. ex Pſ. 39 8. & 9.
m Pſ 39. 7 juxta verſion Chaldaic. apud Lorin. in Pſ. 39, 7.
n Deut. 15 12, &c.
o Jo. 10, 30
p Marc. 16. 19.
q S. Aug. in Pſ. 85. 16.
r Joan. 2, 3 & 4.
ſ Jo. 14. 31
t Matt. 26. 45, & 46.
u Coloſſ. 1 18
x Iſai. 53. 12.
y Jo. 1. 16.
z 2. Cor. 5 21.
a S. Aug. ſer. 48. de Verb. Ap. c. 5
b ex Matt. 26, 28.
c Rom. 8.
d Iſai. 53. 8
e Matt. 26. 66.
f Pſ. 21. 22

intuemini juſtitiam exercitam ſuper Dominum veſtrum: ſi *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* g, ſic excipitur: quid adveniet criminoſis? *Quia ſi in viridi ligno hoc faciunt: in arido quid fiet* h? Jeſus ſe poteſt excuſare, cùm præ amore & obedientia fiat ſervus rebellis: quanam excuſatione veſtras poteritis culpas prætexere? Iſta qualitas ſervi eſt utiliſſima, & honorabiliſſima. Utiliſſima, quia *nos omnes eramus naturâ filij iræ* i, digni per conſequens qui iremus *in ſupplicium æternum* k, à quo tamen ipſe nos exemit, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* l. Ipſe ſe fecit ſervum, ut nos faceret filios: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus (Abba Pater.) Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ait nobis S. Paulus m. Honorabiliſſima Deo, quia magnificat potentiam ejus, & nobilitat imperium illius, tribuens ei tria jura, quæ ipſe habet ſuper id quod nos ſumus.

g Hebr. 7. 26.
h Luc. 23. 31.
i Epheſ. 2. 3.
k Matt. 25. 46.
l Gal. 4. 31.
m Rom. 8. 15, &c.

III. Part. Triplicem paterfamilias habet poteſtatem ſuper domum ſuam, vim poteſtativam, vim directivam, & vim coercitivam. Eadem jura Deus habet ſuper domum ſuam, & ſuper filios ſuos, qui ſunt fideles; habet poteſtatem, directionem, & dominium. Per vim poteſtativam paterfamilias habet poteſtatem ſuper id omne quod pertinet ad familiam ſuam: ſic Deus habet poteſtatem ſuper omnes filios ſuos, qui ſunt è familia ipſius propterea Scriptura loquitur de *domo* n ſeu templo Salomonis, ut de loco aſyli. Per vim directivam habet paterfamilias authoritatem ordinandi omnia quantùm ad familiam ſuam, *Sapientis eſt ordinare*. Sic Deus ſapientiâ ſuâ ordinat omnia quæ ſunt domus ſuæ, *Quæ ſunt à Deo ordinata ſunt* o. Ideòq; eadē Scriptura memorat *Oraculum in medio domus* p ejusdem Salomonicæ, ſeu templi, ad quod accedebat populus, ut diſceret veritates, ſignum ſapientiæ Dei. Per vim coercitivam poteſt paterfamilias diſponere bona familiæ ſuæ, prout ipſi placuerit: *Sicut enim homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua: & uni dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique ſecundùm propriam virtutem* q: ſic Deus exhibet intuendum dominium ſuum per *gazophylacium* r ejusdem domus ſeu templi Salomonis, in quo cuſtodiebantur theſauri ejusdem templi, quod eſt nota bonitatis ipſiusmet ejusdem Dei ad diſponenda illa in gratiam filiorum ſuorum.

n 3 Reg. 8. 33, &c.
o Rom. 13. 1.
p 3 Reg. 6. 19.
q Matt. 25. 14. & 15.
r Marc. 12. 41, &c.

Quantùm ad primum jus, Cùm reus aliquis, quem ſatellites inſequuntur, accedere poteſt domum Principis, hæc baſilica eſt illi locus aſyli, quod eſt ſignum poteſtatis Principis: ſed ſi reus ille patrat ibi denuò crimina, è domo aſyli facit locum ſupplicii, & ſic adverſatur potentiæ Principis: ſimiliter ſi quis innumera commiſit ſcelera, & ingreditur domum Dei, hæc domus eſt ipſi locus aſyli, ita ut nihil ipſi nocere poſſit: ſed ſi, nedum honoret & revereatur Principem qui habitat in iſta domo, committit iterùm ſacrilegia, hæc non eſt ampliùs domus refugii, ſed locus ſupplicii, qui ipſe delet notam potentiæ Dei. Heu quot irreverentiæ & impietates cōmittuntur in hac ſancta domo à flagitioſis & nequam hominibus! Non ſolùm autem domus Dei eſt aſylum viventibus, ſed etiam mortuis. Jure Canonico cavetur, ut Chriſtiani ſepeliantur in locis benedictis, ut removeantur ab injuriis populi: proptereà primi Chriſtiani ſepeliebantur in locis ſubterraneis, ut meliùs evitarent furorem barbarorum; & hæc loca benedicta vocabantur aſyla Sanctorum, id eſt, Sanctorum defunctorum. In hujusmodi locis participes efficiuntur orationum quæ ibi fiunt: ex iſtis locis, Auditores, propinqui & familiares veſtri clamant ad vos, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* ſ. Cùm alamini bonis illorum: expectant ſe a pœnis purgatorii liberandos mediis ſuffragiis & auxiliis veſtris ſpiritualibus: & tamen ad hæc loca ſacra non convenitis, niſi ut vacetis ineptiis, curioſitati veſtræ faciatis ſatis, diſtractiones cauſetis illis qui orant, præſcribatis aſſignationes, ſcandalizetis alios ſitubus veſtris indecentibus, actionibus veſtris inurbanis, & geſtibus veſtris diſſolutis, tandem ut nova perpetretis ſacrilegia. Ha nonne videtis quod domum Dei, locum aſyli, facitis *ſpeluncam latronum*? In hujusmodi locis ſumus omnes æquales, magni & parvi, divites & pauperes, viventes aut ſepulti. Si Principes ingrediantur hæc loca ſacra, ſtatim ſuas exhibent Deo reverentias; alibi autem nulla præſtant obſequia, ſed hæc ipſi ſuſcipiunt ab aliis: in ſacris templis corpora eorum ſunt ſepulta, & cineres illorum requieſcunt, nō ſecus ac corpora ignobilium & plebeiorum hominum; æquè conculcantur ſepulchra Regum & ſummorum Pontificum, ac hominum vulgarium: ecce igitur potentia quam Deus habet in domo ſua ſuper vos, quam deſtruitis irreverentiis veſtris.

ſ Job 19. 21.

Quoad ſecundum jus, quod paterfamilias habet ſuper domum ſuam, ad illam ordinandam, ad quod conformiter locus erat in templo deſtinatus ad Oraculum, ut ſuprà dixi, quod conſulebatur, ut ediſcerentur veritates legis; eſt obſervandum, quòd duo dona ſuſcepimus à Deo, nimirum rationem, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine* t. Et fidem, *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum* u. Ratio nobis oſtendit quomodo dirigere debeamus actiones noſtras; & fides, quæ eſt lumen ſupernaturale, nos illuminat quoad ea quæ ſpectant ſalutem noſtram. Ha nunquid non convenire debemus ad Eccleſias, ut diſcamus ibi omnes noſtræ Religionis veritates? Iſtud Oraculum eſt Jeſus Chriſtus, qui ex altari nos edocet miniſterio Sacerdotum, lectiones quibus nos inſtruat, & formet ad viam virtutis: quod eſt ſignum ſapientiæ ejus. Ex hoc oraculo præcipua diſcimus noſtræ Religionis capita, quod nunquam fortaſſis attendiſtis. Debetis enim ſcire, quòd Jeſus Chriſtus eſt *Veritas* x duplici titulo, quia eſt Deus & homo; Veritas in Divinitate ſua, Veritas in myſteriis ſuis. Ut autem quis efficiatur verus, oportet primò ut à nullo pendeat: atqui Deus hâc ratione eſt verus, quia nullum habet principium, id eſt, à nullo pendet, *Ego ſum qui ſum* y. Secundò, debet eſſe ſine fine: atqui Deus qui non habet principium, nec etiam habet finem z: homo habet finem; & multi poſt acquiſitos multos honores, cogitant de fine ſuo. Tertiò, Deus eſt verus in notitia ſua:

t Pſ. 4. 7.
u Rom. 10. 17. & 18. ex Pſ. 18. 5.
x Jo. 14. 6.
y Exod. 3. 14.
z Dan. 13. 42.

ſuâ: res enim ſunt tales, quales ipſas Deus cognoſcit; homo econtrà: & ſicut Jeſus Chriſtus [a Jo. 1, 18.] eſt Veritas *in ſinu Patris* a ſui; eſt etiam Veritas in myſteriis quæ operatus eſt *ubi venit plenitudo* [b Gal. 4, 4.] *temporis* b, *in utero* c [c Matth. 1, 18. &c. & Luc. 1. 31. ex Iſa. 7 14.] Matris ſuæ, & alibi, *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* d: quæ probare voluit his circumſtantiis, quibus in Scriptura ſibi partes e attribuit, quòd ſibi ſit *manus* f ad [d Baruch 3 38] puniendum, quòd habeat pedes, quibus *exultavit ut gigas ad currendam viam* g. Et quòd *omnia* [e Iſai. 6. 1, &c.] *nuda & aperta ſunt oculis ejus* h. Præterea, Quòd [f 1. Reg 5. 6.] quando ſuos mittit Angelos, obſtringit illos ad induendum corpus, ut facilem reddant Incarna- [g Pſal. 18. 6.] tionis fidem. Quin imò & ipſe ſe parans ad e- [h Hebr. 4. 13.] juſdem Incarnationis myſterium, corpus induit aëreum, *Ideòque & ipſe cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, ſed nondum natæ, quia nondum morituræ. ſed & diſcentis jam* [i Tert. lib. 3. contra Marcion. c. 9. ex Gen. 18, 1. & 2.] *inter homines converſari*, dicit Tertullianus i. Tandem, Poſt myſterium Incarnationis ſuæ, hoc ipſemet probat *lacrymis* k ſuis, tolerantiis ſuis, & morte ſuâ. Veritas eſt in morte ſua: hoc enim myſterium eſt fundamentum noſtræ ſalu- [k Heb. 5. 7] tis: ſi Jeſus non eſt mortuus, ira Patris æterni nondum eſt mitigata, & nos ſumus adhuc ſervi diaboli: propterea ſæpè loquitur diſcipulis ſuis [l Matt. 20. 18, & 19.] de morte ſua l, ut diſponat eos ad credendum myſterium illud: eligit genus mortis tale quale vult: *latus* m habet apertum, ut veritas mortis [m Joan. 19. 34.] ipſius nota ſit: præcipit nobis ut cuſtodiamus illius memoriam per imagines ſui crucifixi, per ſigna crucis quæ adhibentur in adminiſtratione & ſuſceptione Sacramentorum: illius voluit ipſemet nobis relinquere figuram quæ eſſet ſi- [n 1. Cor. 11 24, &c.] mul & illius veritas in Euchariſtia n. Jeſus enim volens nobis oſtendere ſe eſſe verè mortuum, debuit hoc confirmare, non figurâ vanâ, ſed ſolidâ veritate. Intentionem habuit uniendi ſuiipſius realiter cum hominibus in myſterio In- [o Epheſ. 5. 32.] carnationis; ideò à S. Paulo o comparatur Matrimonio. quod propterea *Sacramentum magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia*. In quo nimirum ſit unio rerum infinitè diſtantium: cœlum enim ibi unitur cum terra, Divinitas cum humanitate, & caro corruptibilis facit idem compoſitum cum [p Jo. 1, 14.] Verbo, *Verbum caro factum eſt* p. Qualitates, quas ibi Jeſus ſuſcepit, ſunt etiam æquè differentes: aliquæ enim ſunt ita glorioſæ, ut vel ipſi Angeli teneantur eas adorare: aliæ verò ſunt ita depreſſæ ut ipſi vel homines illas deferre nonniſi vix velint. Atqui ſi Jeſus Chriſtus non dedit ſe in veritate in Euchariſtia, ipſe deliquit, & non potuit, aut noluit contrahere veram unionem cum hominibus. Unio enim ut ſit vera, debet eſſe primò univerſalis, quod non invenitur in Incarnatione: ſola enim humanitas Jeſu eſt unita Verbo, & ſanctificat ſolum Jeſum. Secundò, Oportet ut unio ſit mutua, ut duæ partes uniantur ſimul: & in myſterio Incarnationis ſolum Verbum unitur, & cùm humanitas non poſſit agere ſeparata à ſubſiſtentia Verbi, nihil contribuit ad hanc unionem; ipſa patitur, & non agit: atqui per Euchariſtiam hæ duæ conditiones inveniuntur in unione quam Deus habet nobiſcum. *Qui manducat meam carnem, & bibit* [q Jo. 6, 56.] *meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* q. Hæc unio eſt univerſalis, & omnes homines uniri poſſunt Deo, ſi velint: eſt etiam mutua: unimur enim per noſmetipſos Jeſu Chriſto; hæc unio pendet à noſtra libertate: oportet igitur ad complementum myſterii Incarnationis ut Deus ſit verè & ſubſtantialiter in Euchariſtia. Ut autem nobis oſtenderet, quòd eſt illius principium & perfectio, voluit ut eſſet perfecta convenientia inter hæc duo myſteria. In utroque, Jeſus formatur verbo: in illo, verbo B. Virginis r; in [r Luc 1, 38] iſto, verbo Sacerdotum ſ: in illo, ſanguis B. Vir- [ſ Matt. 26 26, & 28.] ginis mutatur in ſanguinem Jeſu Chriſti; in iſto, ſit mutatio panis & vini in corpus & ſanguinem ejuſdem Jeſu Chriſti: Jeſus Chriſtus eſt *in utero* t Mariæ realiter; eſt Filius ejus naturali- [t Matth. 1, 18, & 23. & Luc. 1. 31, ex Iſai. 7. 14] ter, ibi producitur miraculosè: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* u. Sic ipſe eſt realiter ſuper altaribus noſtris: *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus* x, ait ipſe- [u Matt. 1. 20.] met. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque* [x Jo. 6, 55.] *ad conſummationem ſeculi* y. Id eſt, *Per Sacramen-* [y Matt. 28, 20] *talem præſentiam* z. Sed modo extraordinario.

Hæc veritas, ſeu illud oraculum præcipua [z Dion. Carth. art. 45, in Matt. 28, 20.] nos edocet Chriſtianiſmi capita. Primum caput eſt Jeſus Chriſtus Deus homo ſub ſpeciebus Euchariſticis. Secundum, eſt verbum Dei, quod nobis annunciatur in officiis, & in cathedris: Tertium, eſt hierarchia, ſeu ordo inſtitutus in Eccleſia. Quartum, Sacramenta, quæ in ea ſunt. Quintũ, ritus & ceremoniæ, quæ ſunt veluti forma omnium aliorum. Ecce præcipua capita, quibus fulcitur fides noſtra tota. Vos autem creditisne capitibus iſtis? Cum in Eccleſiam iſtam convenitis, nedum hic adoretis Jeſum Chriſtum, qui eſt præcipuum Caput fidei veſtræ a, [a Rom. 10 17, & 18] econtrà huc & illuc veſtros projicitis aſpectus; huc non venitis niſi ut pulchritudines veſtras oſtentetis, ut videatis & videamini, & forſan ut famam pietatis vobis concilietis; & ideò manetis coram hoc pane Euchariſtico non ſecus ac ſi panis eſſet communis, & è throno ſuo deturbatis Jeſum, qui eſt præcipuum Caput Religionis quam profitemini; ſicut *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* b. Hîc auditis verbum Dei, ſecundum [b Coloſſ. 1 18.] caput: ego autem neſcio num illud auſcultetis, & num cogitetis potiùs de ineptiis, de paſcenda mente veſtra immundis & abominabilibus cogitationibus: contemnitis verbum Dei, quod eſt ſecundum caput, & è præcipuis capitibus, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*. Neſcio autem num proferre debeam verba immediatè pòſt ſequentia, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis* c. [c Jo. 8, 47.] Et ſic de cæteris capitibus. Putatisne vos eſſe Chriſtianos, qui in domo Dei, in qua *columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus* d, ſacri- [d Job 26, 11.] legia perpetratis, qui facitis *illam ſpeluncam latronum*, ſaltationis aulam, ne dicam lupanar? Hîc deſtruitis ſapientiam & veritatem Dei, qui habitat in hoc templo: *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus* e. Abutimini Sa- [e 1. Cor. 3, 17.] cramentis quæ ſunt hîc depoſita: ha ſtrictiſſimâ de illis Deo reddetis rationem! Et de hoc ipſo quod debebat eſſe motivum veſtræ ſalutis operandæ, machinamini damnationem veſtram. Ecce quomodo violatis potentiam, & ſapientiam hujus Patrisfamilias, qui eſt Deus.

Quantum ad tertium jus, quod iſte Paterfamilias habet ſuper domum ſuam, dixi vobis ſuprà in templo Salomonis fuiſſe *gazophylacium*, in quo erant incluſi theſauri ejuſdem templi, ſignum liberalitatis beneficæ Dei noſtri. Conſiderare poſſumus Deum ut originem triplicis generis bonorum, præteritorum, præſentium, & futurorum: ſic ſcimus in templo illo fuiſſe *al-*

tare

tare holocauſti, & altare thymiamatis, in omne opus Sancti ſanctorum f, & altare propitiatorii, *Mactavitque Salomon hoſtias pacificas, quas immolavit Domino: ſanctificavit medium atrii, quod erat ante domum Domini: quoniam altare æneum quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum* g. Super uno ex illis altaribus ſacrificabatur Deo pro bonis præteritis, ſuper alio præſentabantur victimæ pro bonis præſentibus, ſuper tertio verò fiebant ſacrificia propitiatoria ſeu pacificatoria pro bonis futuris: Ieſus Chriſtus igitur eſt theſaurus Eccleſiæ, cùm ſit origo omnium bonorum: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati* i. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* k.

f 1. Par. 6. 49.
g 3. Reg. 8. 63. & 64.
i Sap. 7. 14
k Joan. 1. 16, & 17.

Triplex admittitur ſacrilegium, circa ſacrum de ſacro, non ſacrum de ſacro, & ſacrum de non ſacro. Suffurari rem ſacram in loco ſacro, eſt ſacrilegium. Eripere rem non ſacram è loco ſacro, ſimiliter. Et auferre rem ſacram de loco qui non eſt ſacer, pari modo. Atqui quodnam ex iſtis enormitate præſtat duobus aliis? Sanè primum, quod eſt ſuffurari rem ſacram in loco ſacro: atqui cùm in Eccleſias convenimus ut ibi ineptiis vacemus, & noſtris impietatibus ſcandalizemus alios, ſuffuramur rem ſacram in loco ſacro. Quænam eſt iſta res ſacra? Gratia: ſi enim Eccleſiæ ſunt ſacræ, ſi veſtimenta Sacerdotum ſunt ſacra, ideò quia quandam ſecum invehunt relationem ad gratiam: ideò cùm non exhibetis Eccleſiis reverentias, quas debetis illis impendere, majus ſcelus peragitis, quam ſi Hæreticus modò veniret aſcenſum ſuper iſtam cathedram, ad vobis annunciandam falſam doctrinam, quia in intentione ſua, licèt erronea, putaret ſe benè agere: vos autem qui ſcitis, quòd theſaurus gratiæ, & origo omnium bonorum eſt in Eccleſiis, & quòd ipſæ ſunt loca ſacra, & in his tamen irreverentias perpetratis, crimen ingentius committitis. Manete igitur reverenter in locis iſtis ſacris, Auditores præcipuè verò vos, mulieres (*Ideò debet mulier velamen habere ſupra caput propter Angelos* l. Id eſt, propter *Sacerdotes, qui Angeli nominantur*, propter rationes recenſitas à Carthuſiano n. Et vobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* o.

l 1. Cor. 11, 10.
m ex Mal. 2. 7
n Dion. Carth. art. 11. in 1. Cor. 11. 10.
o Pſ. 83. 12.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Cant. 8. 5.

INgenuè fateor, quòd quotieſcumque incumbit mihi annunciare magnitudines Mariæ, inauditâ confuſione mea mens operitur: quomodo enim deſcribere poſſem vobis pulchritudines horti, in quem nullus unquam ingreſſus eſt, præter eum qui ipſum plantavit? ſicut ipſamet ait, *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* a. Idcircò ſic illam alloquitur Heſychius b, *Vocavit te hortum concluſum, & fontem ſignatum is, qui ex te ortus eſt Sponſus: prædixit in Canticis* c *hortum concluſum, ob id quòd falx corruptionis, aut vindemia te non attigit: florem autem qui ex radice Ieſſe* d *hominum generi purè exhibetur, excultus tibi à puro intemerato Spiritu. Fontem concluſum, quia flumen vitæ ex te prodiens replevit terram, alioqui ramus uu ... partus fontem tuum nequaquam exhauſit.* Quâ ratione navigare valerem ſuper mare, cujus nulli reperiuntur limites? *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*, ait S. Epiphanius e. Et paulò antè, *Rurſum nomen illud Maria interpretatur Myrrha maris. Myrrham verò aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eò quòd paritura eſſet* f *gemmam immortalem* g *in mari, hoc eſt, in mundo. Mare autem dicet univerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum.* Nunquid non temeritatis abſque exemplo & ſine fructu inſimularer, ſi cogitarem me poſſe pervenire ad lucem, ad quam nullus datur exceſſus? ſicut illam ſalutat aliquantò pòſt idem S. Epiphanius, *O Virgo ſancta lucis æternæ Mater; lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum, quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum: lucis, quæ illuminet Solem ſplendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati; lucis, quæ dixit, Ego ſum lux mundi* h: *lucis, quæ dixit, Ego lux in mundum veni* i: *lucis quæ aſſumpta eſt; & illuminavit cuncta quæ ſunt in cœlis & in terra.* Oculi mei ſunt nimis infirmi nedum ſuſtineant ſplendorem Solis iſtius myſtici, qui aſcendens hodiernâ die in gloriam Empyrei, caligine ſuffundit eum qui dirigit greſſus noſtros: *Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole*, ait paulò pòſt idem S. Epiphanius. Et poſt illum, æquè ac poſt Scripturam S. Bernardus k: *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam Divinæ Sapientiæ ultrà quàm credi valeat, penetravit abyſſum, ut quantùm ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili* l *videatur immerſa.* Mea navis nimis fragilis eſt ne dum ſe committat huic mari magnitudinum immenſo, ſicut illam ſalutat idem S. Epiphanius aliquantò antè cum Angelo, *Ave gratia plena* m, *mare ſpiritale habens gemmam cœleſtem Chriſtum.* Et lingua mea nimis eſt impura, nec habet terminos ſufficientes, verba ſatis emphatica, conceptiones ſatis ſublimes ad delineandum vel minimum mirabile iſtius paradiſi deliciarum, & hujus horti ſacri. Hoc non oritur ex defectu materiæ, ſed ex exceſſu magnitudinum ejus quæ me offundunt caligine; mirabilia illius mihi ſermonem abripiunt, elinguis efficior, confunditur mens mea, & hæc abundantia inexhauſta me redigit ad inopiam,

a Eccl. 24. 12.
b Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip.
c ex Cant. 4. 12
d ex Iſai. 11. 1.
e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
f ex Luc. 2. 7.
g ex 1. Tim. 1. 17.
h Jo. 8. 12.
i Jo. 12. 46
k S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1. Signum magnum, &c.
l ex 1. Tim. 6. 16
m Luc. 1. 28.

Inopem me copia fecit.

Loqui igitur de magnitudinibus ejus non eſt mihi poſſibile, de illis tacere mihi non eſt licitum; vituperabilis eſſem ſi tacerem iſtâ die triumphi, & iſtud ſilentium me criminis inſimularet, *Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare, ſceleris arguemur* n. Recurremus igitur ad Salomonem, qui magnitu-

n 4. Reg. 7. 9.

gnitudinum illius habens notitiam, nobis modum præbebit ſatisfaciendi Angelis, æquè ac S. Bernardus o poſt illum, *Hinc eſt quod & ipſi cœleſtis Curia Principes in conſideratione tanta novitatis clamant non ſine admiratione. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens? Ac ſi manifeſtiùs dicant, Quanta eſt hæc, & unde ei aſcendenti utique de deſerto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus* p, *qui à vultu gloriæ voluptatis gloriâ potamur* q. *Quæ eſt iſta, quæ ſub Sole (ubi nihil eſt niſi labor & dolor & afflictio ſpiritus* r *) aſcendit deliciis ſpiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, diſtillantem charitatis favum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis?* ut innuunt hæc verba, *Ave Maria.*

o S. Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. B. M.
p ex Pſ. 45. 5.
q ex Pſ. 35. 9. & 10.
r ex Eccl. 1. 17.

Loqui de excellentiis Mariæ, hoc ſupponit capacitatem quæ non ſit ordinaria, & quamvis omnes mentes hominum & Angelorum ſemel unirentur, ſe nimis ſemper abbreviatas invenirent, & ſugiret in principio illatum, nedum ulteriùs progredi poſſent; ipſa eſt ſuper eos univerſas, ipſa eſt elevatior cunctis creaturis, amplior terrâ, æquè ac cœlis, cùm ipſa *in utero* ſ ſuo concluſerit eum quem illi non poſſunt comprehendere, ut canit ei Eccleſia, *Quia quem cœli capere non poterant* t, *tuo gremio contuliſti.* Ipſa eſt porior Angelis, potentior Principatibus, ſplendidior Thronis, illuminatior Cherubinis, & inflammatior Seraphinis, ut ait illi S. Epiphanius, u, *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: natura formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli tanquam ipſi duntaxat Deum haberent, quibus ſanctiſſima Virgo ſuperior nata, Deum habitantem in cœlis concepit in terra, ut hâc ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & verſaretur cum hominibus. Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit.* Et aliquantò pòſt, *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla* x *digna & Mater.* Ipſa quæ aſcendit hodie in cœlum, impoſuiſſe videtur limites omnipotentiæ Dei, cùm, juxta S. Thomam *y*, poſt incarnationem Verbi Divini, & gloriam Sanctorum, Deus non poſſit aliquid excellentius facere Matre ſuâ, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo* z, *& beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* a, *& B. Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito* b *quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Maria pervênit ad hoc punctum magnitudinis, ut habuerit veluti cum Deo identitatem, ut ita loquar cum Petro Damiano *c*, *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis* d: *primo modo eſſentialiter; ſecundo modo operatione; ineſt & illuminatione; quarto modo ineſt & uni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa.* Et ratio iſtius eſt, quia caro ipſius, quæ fuit caro Filii ipſius, *Una eſt Maria & Chriſti caro*, dixit Arnoldus Carnotenſis *e*, ſic ſtrictè fuit unita Deo, ut inde non credamus niſi unicam perſonam in duabus naturis. Sicut igitur virtutes & excellentiæ Mariæ ſunt ſubli-

ſ Matth. 1. 18. & 23. ex Iſai. 7. 14.
t ex 3. Regum 8. 27.
u S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
x ex Luc. 1. 38.
y S. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4.
z ex Joan. 1. 14.
a ex Joan. 17. 3.
b ex Baru. 3. 15.
c Damian. ſerm. 1. de Nativ. B. M. V.
d ex Jer. 23. 24.
e Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.

mes, ita Scriptura ſacra volens eas nobis repræſentare, nobis illas proponit ſub characteribus, qui cùm præ ſe ferant nimium ſplendorem, & nimiam ſimul caliginem, ſiſtunt mentes noſtras, nec permittunt ut infirmæ cogitationes noſtræ incumbant inquiſitioni magnitudinum ejus, quin inde pudore ſuffundamur, *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria* f. Ex una parte enim diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* g, medias inter eſtaſes ſuas mente revolvens excellentias illius, quam Jeſus Chriſtus extremum vitæ halitum jam efflaturus in cruce, dedit ipſi Matrem, dicens ei, *Ecce Mater tua* h, contentâ voce inclamat veluti extra ſe raptus, *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim* i. Quod habet convenientiam cum eo quod ait Salomon, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* Sed ex altera parte S. Lucas k delineatione contrariâ animat tabellam privilegiorum & perfectionum Mariæ coloribus obſcuris: & ſicut S. Joannes eam elevat in ſplendorem diei & Solis, ut ſe conformet admirationi Angelorum, qui ſtupentes efflagitant, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* S. Lucas abſcondit illam aliunde ſub ſpiſſitate umbrarum. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quod convenit cum illo, quod expoſcunt Angeli ſecundo loco, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto innixa ſuper Dilectum ſuum?* Pro certo enim eſt, quòd virtute Altiſſimi data eſt poteſtas animæ glorioſæ beatiſſimæ Virginis reuniendæ ſui ipſius corpori ſuo, & communicandarum ei qualitatum gloriæ ipſi glorificato conſonarum, quæ ſunt impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas, & claritas, ſed præ tanta excellentia ut iſtud mens noſtra non poſſit concipere, minùs autem poſſit hoc calamus ſcriptis exarare. Patet igitur quòd ipſa ſurſum elevata eſt, & aſcendit in cœlum fulta virtute Dilecti ſui; unde fit ut Eccleſia referat hodiernâ die hunc locum Canticorum, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, &c?* Quia dicimus quòd ille innititur alii, qui adjuvatur & ſuſtinetur ab aliena manu: ſic B. Virgo, cui ſuus Filius Divinus communicaverat virtutem ſuam ut ipſum adiret, æſtimatur velut illi innixa. Sed tandem ab omni dubio procul eſt alienum, quòd Filius obtulit hanc Matrem Patri æterno: & ſicut tres perſonæ SS. Trinitatis concucurrerunt æqualiter ad incarnationem Verbi Divini in viſceribus ejus peragendam, ut illam redderent illuſtriſſimam cœli & terræ Reginam, ut paret ex verbis iſtis ejuſdem S. Lucæ, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*; ecce Spiritus ſanctus. *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* l; en poteſtas Patris quæ animavit infirmitatem ejus ad concipiendum Verbum: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum* m: Qui deſcendit ipſemet in ſacrum ſinum ejus: & ex iſtis S. Epiphanii n, *Et Pater miſit arrhabonem de cœlo Spiritum S. præparavit Virginem unigenito Filio cœleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus percupivit: ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex ea Sponſus procedit* o *Chriſtus*: ſic & voluerunt in Aſſumptione ejus illam ſuſcipere in cœlum, & eam admittere in poſſeſſionem Regni gloriæ, quò ipſa aſcendit hodie, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper Dilectũ ſuum?* Quæ verba convenientiam habent cum præfatis S. Joannis, & S. Lucæ verbis, quæ conciliare

f Prov. 25. 27.
g Jo. 21. 20.
h Jo. 19. 27.
i Apoc. 12. 1.
k Luc. 1. 35.
l Luc. 1. 35.
m Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
n S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
o ex Pſ. 18. 6.

volo in hoc diſcurſu, ut vobis oſtendam excellentias Mariæ, quas videre non poſſumus in Sole, eò quòd æquo ſplendidior ſit; nec in umbris, eò quòd nimis ſint denſæ. Attendite, ſi placet, dum incipio vobis has excellentias propalare.

Propoſitio

Dico igitur quòd nodus & ſenſus duorum iſtorum oraculorum propoſitorum à S. Joanne & à S. Luca, qui ambo delineaverunt imagines excellentiarum Mariæ, triplicem ſuſtinere poteſt explicationem, cujus intelligentia nobis oſtendit & veluti digito demonſtrat clarè pacem & concordiam, unionem & ſocietatem inter umbras & claritates magnitudinum Mariæ. Prima eſt, quòd gratia hujus ſummæ Dominæ cœli & terræ, cùm magna ſit præ exceſſu, non invenitur ſuper fronte terræ, ſed ſolùm in lampadibus cœli; non ſuper ſplendore ſtellarum univerſaliorum, ſed ſuper Sole, ſicut Amor Divinus, qui cùm ſit *ſolus* p in natura ſua, repræſentare nobis poteſt eam quæ eſt unica in amore Dei ſui, & ideò *Mulier amicta Sole*. Sed oculi noſtri, cùm ſint nimis infirmi, ſuſtinere non poſſunt ſplendorem horum magnorum luminum, cùm intuitu radiorum ejus non poſſimus ſic induſtriè dirigere cogitationes noſtras in magnitudinem & in excellentiam eminentium meritorum ejus, quin mentes noſtræ, quantùmvis ſint perſpicaces, cæcitate percutiantur, ſic ut tunc prærogativæ B. Virginis nobis non ſint niſi umbræ. Secunda explicatio eſt, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Matris eſt ſicut radius, cujus natura talis eſt ut corpora penetret, nedùm ea dividat; cùm enim ſe incarnaſſet in caſtis viſceribus hujus auguſtæ Dominæ, ibi ſumens corpus ſicut noſtrum, deſponſando ſibi noſtram naturam humanam in alvo Mariæ, quæ vocatur à S. Epiphanio q *Virgineum indumentum*, juxta *ſuavem Davidis* r *Prophetæ cantionem, In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*: ut donaret nobis *omnia delicta, delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci* ſ: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* t: &, ut ait idem S. Epiphanius, Mariam alloquens, *Per te enim, ô ſancta Virgo, medium obſtructionis paries inimicitias diſſolvit, per te pax cœleſtis* u *donata eſt mundo, per te homines facti ſunt Angeli, per te homines appellati ſunt amici* x, *ſervi* y, *& filii Dei* z, *per te homines meruerunt eſſe conſervi Angelorum, & cum eis familiariter converſari, per te notitia cœleſtis, à terra tranſmittitur in cœlos, per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altiſſimum: per te crux reſplenduit per univerſam terram, in qua quidem cruce pependit Filius tuus Chriſtus Deus noſter*: hic, inquam, Filius exivit ex utero ejus, illæsâ virginitate illius, nedum inquinaret puritatem cordis ipſius, ut ait idem S. Epiphanius multò antè, *Manſit in virginitate ſancta & præclara Puella Maria, quæ eſt nubes lucida, habens intùs Deum Verbum: ad quam vocaliſſimus Iſaias, Ecce nubes levis, & veniet in Ægyptum* a, *mons* b *nullatenus inciſus, præruptam habens Petram Chriſtum*: *de qua ſapientiſſimus Daniel* c *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. Hoc eſt, abſque viro ſolidam petram Chriſtum Virgo peperit.* Et aliquantò pòſt ſic illam introducit loquentem: *Ego Virgo incorrupta, quæ in utero geſtavi, effecta ſum templum impollutum habitantis in me Verbi Dei nuptiarum expertis. Emmanuelem geſtavi in utero* d *incorrupto, in ventre impolluto, ſimilis effecta throno Cherubico* e: *in qua caro factum eſt Verbum* f *Patris, qui Deus eſt initio carens: & licèt inviſibilis* g, *ſpectabilis tamen per diſpenſationem aſſumpta carnis factus eſt. Non experta nec cognoſcens virum, peperi Deum, qui eſt ante ſæcula, ipſum Chriſtum* †. *Nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore puerperii, non ut omnes mulieres: diſſimiles enim fuerunt res meæ ac illarum inter pariendum. Non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo qui in me habitavit.* Et ſic iſte radius ſplendens eduxit nativitatem ſuam glorioſam è caſto ſinu Mariæ nedum virginitati illius obeſſet: ideò ſecundò ipſa eſt *Mulier amicta Sole*. Sed aliunde cùm hoc ineffabile myſterium excedat infinitè captum virium noſtrarum naturalium, nec homines habeant in ſe ſatis induſtriæ ut illud aſſequantur, quin imò nec de illo cogitare poſſint ſeriò quin mente deſtituantur, propterea curioſitate duci debemus videndi & conſiderandi illius ſub umbris. Maria eſt inſtar illius antiquæ Deæ, quam fabula Poëtarum ſub velo repræſentat præ hac inſcriptione,

q S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
r Pſ. 18.6
ſ Coloſſ. 2. 13. & 14.
t Luc. 19. 10.
u ex Ephe. 2, 14
x ex Jo. 15 15.
y ex Jo. 15 20.
z ex Rom. 8. 16 & ex 1. Jo. 3. 8
a ex Iſai. 19, 1
b Iſai. 2. 2
c Dan. 2. 34.
d ex Matt. 1. 23. & ex Iſai. 7, 14.
e ex Pſ. 98. 1.
f ex Jo. 1. 14
g ex 1 Tim 1, 17
† ex Luc. 2 34. & 27.

Quem peperi, Sol eſt, & velum nemo reduxit.

Fructus enim ſacer, quem ipſa peperit ſuper terra propter utilitates ejus, eſt *Sol* h mundi, qui deſcendit in viſcera ejus ſacra, nedum offenderet jura puritatis illius. *Vides quanta & qualis eſt Deiparæ Virginis dignitas: unigenitus enim Dei Filius mundi Conditor, velut infans geſtabatur ab ea, & ſigillum uteri muniebat, eò quòd is, qui carnem aſſumebat, eſſet Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis ingrediendi causâ* i, *aut egrediendi* k, dicit Heſychius l. *Et velum nemo reduxit.* Sed mentes noſtræ nondum fuerunt ſatis ſubtiles ut auferrent velum, quod operit iſtud myſterium, *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Ecce denſitas umbrarum. Tertia expoſitio eſt, quòd ingrediendo cogitationem magnitudinum Mariæ, & humilitatis ejus m, ipſa eſt *amicta Sole*, & aliunde umbris operta. Umbra notatur in exinanitione ipſius, in confeſſione voluntaria infirmitatum ſuarum, *Innixa ſuper Dilectum ſuum*. Et Sol ſplendorem ſuum ſumit in eminentia perfectionum ejus, & in magnitudine meritorum illius: ſed iſtæ umbræ tanti fuerunt æſtimatæ, & humilitas illius tantam ſibi conciliavit authoritatem in conclavi SS. Trinitatis, ut effecerit ut Verbum æternum ductum alio motivo amoris ſui unito iſti principio, indueret naturam noſtram in ſinu ejus, ut redderet illam Matrem ſuam, quod eſt origo excellentiarum ejus, ut ait S. Bernardus n, eam alloquens, *Quàm familiaris ei facta es, Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud eum* o. *In te manet, & tu in eo* p: *& veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ majeſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circundaret virumq; nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur, Ecce vir Oriens nomen ejus* r. *Novum quoque fecit in cœlis, ut mulier Sole appareret amicta.*

h Mal. 4, 2.
i ex Ezech. 44, 2
k ex Ezech. 46, 2
l Heſych. ſerm 2, de Laud. Deip.
m Luc. 1. 48.
n S. Bern. ſerm. de Verb. Apo. 12, 1, Signum magnum, &c.
o ex Luc. 1 30.
p ex 1. Jo. 4, 16
q ex Jer. 31 22.
r Zach. 6, 12.

Iſtud in meam mentem revocat quæſtionem quæ formatur à Theologis, qui innocua miſcent certamina mediis argumentis in Schola, ut diſcutiant, num in anima B. Virginis eſſet aliqua qualitas, virtute cujus Deus ipſam eligeret in Matrem ſuam. Sed ut reſolvatur ænigma, & dies afferatur huic propoſitioni, dicamus, quòd duplex invenitur meritum, unum quod vocatur

de condigno, & alterum quod appellatur de congruo. Meritum de condigno non eſt aliud niſi fœdus & pactum initum à Deo & ab Eccleſia, quo Deus bonitate ſuâ motus ſeſe aliquo modo alligavit per formam juſtitiæ dare coronas laboribus noſtris, & mercedes pœnis & ſudoribus noſtris poſt peractum curſum noſtræ peregrinationis ſuper terram: quo ſenſu gloriabatur Apoſtolus f. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Atqui certum eſt, quòd B. Virgo non eſt ſic merita merito condigni ut elevaretur ad hanc eminentem qualitatem Matris Dei: talis enim electio ſupponit contractum inter Deum & Eccleſiam, virtute cujus ſe Deus obſtrinxiſſet ad ſe incarnandum in viſceribus illius: ſic veluti captivans liberos motus ſuos, quaſi deſtruxiſſet libertatem dilectionis quam inſumpſit ad diligendam B. Virginem bonam Matrem ſuam ſuper alias creaturas, non ſecus ac videtur amittere libertatem ſuam, promittendo mercedes virtuti, & coronas operibus meritoriis, nec poſſet infringere hoc pactum & hunc contractum, niſi violando ordines juſtitiæ ſuæ, quibus nunquam oberit, quia cùm ſit *Veritas* t per eſſentiam, mendacium non poteſt inveniri in eſſentia ipſius: concludamus igitur quòd defectu contractus iſtius inter Deum & Eccleſiam, B. Virgo non merebatur hanc eximiam prærogativam merito condigni. Supereſt nobis igitur ſciendum, num ſaltem potuerit ipſa mereri hunc titulum excellentiæ & magnitudinis ſupereminentis merito congrui, id eſt, propter aliquam virtutem quæ reperiretur in ipſa, cujus intuitu Pater æternus via decentiæ & beneplaciti ſui hoc favore ſupereminenti donaret illam, ut *ab æterno* u ordinaret eam in Matrem Filii ſui, quem producit ipſe in æternitate x, *ubi plenitudo temporis* y veniret. Certum eſt, quòd licèt nemo meruiſſet myſterium ineffabile incarnationis merito condigni, tamen Patriarchæ z, & ſancti homines veteris Teſtamenti a, meruerunt illud merito congrui & decentiæ, cùm Deum deceret exaudire vota hominum qui ipſi placuerunt, *Voluntatem timentium ſe faciet* b. Et hoc ſenſu diſputare non poſſumus, quin Maria habuerit aliquam perfectionem ſupra omnes excellentes homines veteris Fœderis, quæ invitaverit Verbum Divinum ut inſumeret corpus ipſius Virgineum ad formandum ſibimet corpus ex illo: *Quærebat igitur Virgo*, dicit S. Epiphanius c, *conſpicere quem deſiderabat, inquiens: Ubi eſt Sponſus cujus pulchritudinem exspto? ubi eſt pulchritudo Sole ſplendidior? ubi totius forma gloria ineffabilis? ubi lumen quod extingui nequit* d, *quod ego ſummo cum deſiderio requiro? ubi Sol qui radium exquirit? ubi ipſorum Cherubim cithara? ubi oculus Seraphim nunquam dormiens Chriſtus?* Quænam autem fuerit hæc auguſta qualitas quæ ſervivit ut motivum ad hoc opus eximium peragendum, num ſumma puritas Mariæ, quam ipſa Deo conſecraverat à teneris annis e ut arrham ſui amoris; aut ejus fides quæ fuerit velut autora quæ allexerit Dei Filium ad ſumendam ipſam in Matrem, juxta illud S. Auguſtini f pronunciatum, *Beatior Maria percipiendo fidem* g *Chriſti, quàm concipiendo carnem* h *Chriſti*: quia non priùs elucidavit ipſi Angelus modum, quo peragendum eſſet iſtud myſterium, cùm ſtatim ipſa conſenſit voluntati Dei; cum S. Bernardo i, *Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuiſſet. Patet itaq; quia ut de Spiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* k *Deus potiùs quàm virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde conſtat, quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procuidubio fecit.* Non latet vos differentia, quæ reperitur inter umbras & tenebras. Tenebræ, ſicut videtis per noctem, nihil ſunt niſi abſentia luminis & privatio diei: ſed umbræ nunquam apparent niſi interventu Solis & luminum, unde dependent jure naturæ: atqui B. Virgo nunquam fuit obvoluta tenebris, hæc privatio nunquam potuit ipſam cingere, cùm nunquam fuerit in nocte peccatorum, ut ait ipſi Sponſus ſuus, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* l. Sed econtrà reperimus eã latentem ſub umbris, quæ ſemper indiſſolubiliter adhærent luminibus, quod innuit, quòd cùm humilitas ejus nihil aliud eſſet niſi umbra, erat ipſa ſemper ſtipata radiis gratiæ, & claritatibus Spiritus S. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* m. Ita ut cùm humilitas ipſius non eſſet niſi umbra, ſecuta ſemper fuerit ipſa Solem *juſtitiæ* n, cor ipſius jugiter elevaverit ſe in amorem Dei ſui, unde fit ut adhæſione neceſſariâ umbrarum Soli ſuo, ipſa ſe comitem ſociaret individuam Domino animæ ſuæ quem ſumma dilectione proſequebatur, in vallibus & in planitiebus, in oppreſſionibus & in oblectamentis, *Dilectus meus mihi, & ego illi* o.

Sed dicamus, ſi placet, quòd imago magnitudinis Filii Dei, & certiſſimæ notæ nobilitatis ejus inventæ ſunt in humanitate ipſius: atqui in tractatu incarnationis Verbi, in œconomia nativitatis Jeſu Chriſti. *Virtus Altiſſimi*, id eſt, Pater æternus volens explicare radios Divinæ potentiæ ſuæ, debuit eidem commercio naturæ ſuæ Divinæ cum natura humana in perſona Verbi communicare perfectiones ſuas: cùm perfectio Dei ſit infinitas & immenſitas eſſentiæ ipſius, quia ipſe *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* p: creatura quæ in myſterio incarnationis ſuſcepit intimiùs charactêres iſtius Divinæ Eſſentiæ, juſtè meretur ut ſit imago eſſentiæ Dei, & adumbratio magnitudinum ejus: atqui poſt Jeſum Chriſtum nemo ſuſcepit intimiùs charactêres Eſſentiæ Divinæ quàm B. Virgo, de qua S. Epiphanius q ait, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa.* Et ideò poſt humanitatem Filii Dei, reperiri non poteſt umbra auguſtior & excellentior humilitate Matris ejus. Præterea, Omnes perfectiones ſunt in eo per viam unionis, conſervationis, & quietis; ita ut ad hoc ut inveniretur creatura quæ foret umbra Dei, reperienda eſſet aliqua quæ eum ſic poſſideret: quænam autem creatura ſic illum poſſidere poterat, niſi beatiſſima Virgo, quæ erat *gratiâ plena* r? Primò, Quia ipſa habuit non ſolùm gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, quæ datur nobis, & pro nobis; ſed etiam gratiam gratis datam ſ, quæ datũr magis propter alios, quàm propter nos. Primam exercuit ipſa ſpecialiter in fide, in ſpe, & in charitate, virtutibus quas ipſa cuſtodivit omnino poſt mortem Filij ſui uſque ad Aſſumptionem ſuam, quod innuit quòd ſine ipſa ſuum ſplendorem perdidiſſet Eccleſia: ſecundam verò ipſa inſumpſit ad miracula: operata eſt enim ipſa miracula infinita in incarnatio-

f 2. Tim. 4, 7, & 8.
t Jo. 14, 6.
u Prov. 8, 23.
x Pſ. 2, 7.
y Gal. 4, 4.
z Gen. 49. 18.
a Iſai. 6, 1.
b Pſ. 144. 19.
c S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
d ex Sap. 7, 26.
e Pſ. 44. 15 & 16.
f S. Aug. l. de S. Virgin. c. 3.
g ex Luc. 1, 45.
h ex Luc. 1, 38, &c.
i S. Bern. hom. 1, ſuper Miſſus eſt.
k Luc. 1, 48.
l Cant. 4, 7
m Luc. 1, 35.
n Malach. 4, 2
o Cant. 2, 16
p Baruch 3, 25.
q S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
r Luc. 1, 28
ſ 1. Cor. 12, 4, &c.

natione Filii Dei & ſui, & ſervivit ei ut inſtrumẽtum ad operationem alterius miraculi in ſanctificatione S. Joannis Baptiſtæ, *Et factum eſt ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus* t.
t Luc. 1, 41
Secundo, *Gratiâ plena.* Qoia gratia ſanctificavit, non ſolùm animam ejus, ſed etiam corpus illius, impediens in eo rebellionem ſenſuum, & motuum internorum, qui ſtunt ordinariè contra rationem, de quibus ſic queritur Apoſtolus u,
u Rom. 7, 23.
Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Ita ut nulla ſit pars corporis ejus, quæ non fuerit ſanctificata, quod in nullo Sancto invenitur. Tertiò, *Gratiâ plena.* Quoniam ipſa habuit hanc plenitudinem in principio ſui eſſe, quæ plenitudo non fuit inutilis in ea, cùm ſingulis vitæ ejus momentis creſceret, & oſtenderet quòd nullum eſſet prælium inter animam & corpus illius. Videbatur ipſa quoddam certamen indicere Deo, cùm ipſa ſemper eum provocaret, nec ipſe ſuavibus ejus reſiſtere poſſet lenociniis. Quartò, *Gratiâ plena.* Eò quòd hæc gratia quandam præ ſe tulerit æqualitatem cum gratia Filij Dei, *Oportuit, ut ſic dicam, fœminam elevari ad quandam quaſi æqualitatem Divinam per quandam infinitatem perfectionum, quam creatura nunquam eſt experta,* ait S. Bernardinus x
x S. Bern. ſerm. 6, de de Virgine c. 11.
Et ratio iſtius deſumitur ex quadam convenientia, quam ipſa habebat cum Deo. Quintò, *Gratiâ plena. Et benè plena: quia cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ,* dicit S. Hieronymus y.
y S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. B. Mar.
Sextò, *Gratiâ plena.* Quandoquidem à nullo intellectu creato concipi poſſunt perfectiones Dei, qui eſt *incomprehenſibilis cogitatu* z.
z Jer. 32. 19.
Sic perfectiones & gratiæ Mariæ ſunt incomprehenſibiles, juxta id quod modò dixit S. Epiphanius, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa.* Ad hoc enim ut Deus generet Deum, nullæ requiruntur diſpoſitiones, cùm iſtud conveniat Deo Patri, fœcunditati Divinæ naturæ ipſius, ut producat Verbum in omnibus ſibi æquale, nec poſſit aliter agere: ſed quòd Virgo concipiat Deum, hoc eſt miraculum miraculorum, *Stupendum miraculum in cœlis, mulieris Filius, qui & ipſius & ſæculorum eſt Pater* a.
a ex Hebr. 1, 2
Stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis habens Filium Dei, Deum Sponſum Chriſtum, ait S. Epiphanius b.
b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
Tandem, *Gratiâ plena,* Quia habuit quadruplex genus gratiarum: inſignita fuit gratiâ donorum Spiritus ſancti c; gratiâ linguarum d; gratiâ privilegiorum, *ab æterno ordinata* e ad Divinam Maternitatem; & gratiâ mercedum,
c Iſai. 11, 2 & 3.
d 1. Cor. 12 10.
e Prov. 8, 23.
Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna. Ideò ſic illam aliquantò antè ſalutat idem ſanctus Epiphanius, *Ave gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo.* Quaſi diceret eam centrum omnium virtutum, cùm immediatè antè dixerit, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa.* Et ſanctus Bernardus f de Maria eademloquens, dicit, *Quâ mirabili proprietate terra medium appellatur.*
f S. Bern. ſerm 2, Pent. ex Pſ. 73, 12.
Quæ doctrina conformis eſt doctrinæ Philoſophorum, qui docent nos, quòd elementa quieſcunt, cùm pervenerunt ad centrum ſuum, & in ſedem ſuam naturalem; ibique nullum ſibi indicunt ampliùs bellum, eò quòd non ſint miſta, nec confuſa inter ſe. Quòd autem beatiſſima Virgo ſit centrum virtutum, ex hoc innuitur, quòd ſicut *in principio Deus congregationes aquarum appellavit Maria* g:
g Gen. 1, 1 & 10.
ſic congregatio gratiarum vocatur Maria: propterea ſanctus Bonaventura h ait poſt Eccleſiaſten, *Omnia flumina intrant in mare* i.
h S. Bon in Specul. B. M V. lect. 3.
i Eccl. 1, 7.
Flumina ſunt chariſmata Spiritus ſancti: omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam. Et ante illum ſanctus Epiphanius ſic illam ſalutavit,
† S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
Ave gratiâ plena, mare ſpiritale, habens gemmam cœleſtem Chriſtum. Ita ut, ſicut flumina jugiter fluunt, nec requieſcunt ſuper fronte terræ, quandiu ferunt fluctus ſuos & undas ſuas in ſinum maris, & donec ſint immerſa ventri ejus: ſic virtutes, dona, & gratiæ Spiritus ſancti, nullam habuerint quietem in animabus Patriarcharum, Prophetarum, & aliorum illuſtrium hominum veteris Teſtamenti: ſed Spiritus ſanctus pacificè requieverit in anima B. Virginis cum omnibus favoribus, donis, & gratiis ſuis, quia ipſa erat centrum omnium hujuſmodi, quæ ibi ſe cuſtodiverunt in candore ſanctæ puritatis, procul ab omni corruptione.

Si autem nunc, Auditores, petatis à me rationem propter quam vivere non poſſumus in dulcedinibus & in tranquillitatibus jucundæ pacis immunis ab omni perturbatione: Reſpondeo vobis, quòd hæc deordinatio non poteſt ex alia origine naſci, quàm ex defectu humilitatis, anima noſtra miſcet bella continua cum corpore, & caro noſtra intendens inſurgere contra regulas ſpiritus noſtri accendit ignem certaminis interni in membris noſtris: *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis,* ait nobis S. Paulus k.
k Gal. 5, 17
Concupiſcentiæ noſtræ, eò quòd non ſint ſubditæ legibus rationis, conſumunt nos, & invehunt in nos jacturam medio calore motuum ſuorum impudicorum: ſi ſpiritus noſter perſuadet nobis jejunium, continentiam, & ſobrietatem; caro noſtra non aſpirans niſi ad libertates effrænes, & ad pravos affectus ſuos, ſis adhæret præ pertinacia, ut laxatis habenis ſe præcipitet in diſſolutiones, in immunditias, & in exceſſus. Adoleſcentes æquo liberiores, eò quòd ſalutaria ſuſcipere nolitis conſilia quæ vobis tribuuntur, damnationem veſtram incurritis: ſpiritus enim Satanæ inducens vos ad voluptates ſordidas & ad concupiſcentias effrænes, aufert à vobis tandem prædam puritatis veſtræ. Tu verò luxurioſe infamis qui non vis flecti & redigi in captivitatem imperii amoroſi & rationalis mentis tuæ, & hebetare aciem carnis tuæ rebellis reſiſtendo impuritatibus tuis, diſce hic infortunium tuum æternum: Satanas enim, qui eſt pater confuſionis, tibi format in ore ſermonem fœtidum & pernicioſum, & cujus halitus corrumpens ſpiritum tuum, poſt profligatam rationem tuam, obſtringit te ad ardenter proſequendam aliquam puellam, aut honeſtam mulierem, ut machinans ruinam tuam, moliatis & jacturam ejus. Ecce, peccatores, quomodo, cùm non ſitis humiles in cordibus veſtris, Spiritus ſanctus qui non requieſcit niſi ſuper humiles, *Super quem, inquit, requieſcet Spiritus meus niſi ſuper humilem & quietum* l, deſerit vos, ita ut ipſo recedente à vobis, perturbationes & & deordinationes illabantur in vos, ubi experiamini rebellionem ſenſuum contra ſpiritum, & carnis adverſùs animam: ita verum eſt, quòd Spiritus Divinus, Pater concordiæ, & *Princeps pacis* m, nunquã habitat niſi in cõclavi cordis:
l Iſai 66, 2 juxta S. Bern. hom. 1, ſuper Miſſus eſt.
m Iſai. 9 6

bea-

beatiſſima autem Virgo, eò quòd ſemper habuerit hanc virtutem in gradu eminentiæ, nunquam experta eſt has funeſtas diſcordias; Ipſa ſuam habuit prærogativam adverſus omnes inſultationes mundi & carnis: ita ut cùm omnino fuerit impeccabilis per gratiam ſpecialem, & ut ſic fuerit centrum beatum, in quo omnes virtutes, & univerſæ gratiæ requieverunt unitæ ſanctè adinvicem inviolatâ ſocietate, & in eâ ſe cuſtodierunt præ omni perfectione poſſibili, quiſnam non dixerit eam imaginem perfectam, & figurâ completam magnitudinum, excellentiarum, & ſummarum perfectionum Dei ſui, & adumbrationem naturæ divinæ? *Nulla enim ex puris creaturis eſt*, ait Salazar n, *in quâ omnia Trinitatis attributa, & perfectiones magis emicuerint: nulla, in quâ ſuam virtutem, & efficaciam magis prodiderint.* Id eſt divinæ perſonæ.

n Salaz. in Prov. 8. 23. n. 301

Atque adeò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ o, *Speculum ſine maculâ Dei operationis. Gracè, energia, ſeu efficacitatis. Quia nimirum in ea tanquam in ſpeculo, divinorum attributorum efficacia, & energiâ maximè ſpectatur.* Si enim ipſa fuit fœcunda, non fuit tamen minùs Virgo; ſi ipſa concepit, permanſit tamen pura, & partus ejus non inquinavit ſplendorem integritatis ipſius virginalis, *Ovis immaculata, quæ peperit* p, *Agnum* q *Chriſtum*, ait de illa S. Epiphanius r. Et ſicut naturæ ſociari non poteſt vacuum, juxta axioma Philoſophicum, *Natura abhorret à vacuo*: anima B. Virginis ſuſtinere non potuit abſentiam vel unius virtutis & perfectionis. *Fecit mihi magna qui potens eſt* ſ, dicit ipſamet. Re verâ favores illius fuerunt immodici, ſed ſplendor eorum nullum aliud habuit principium niſi humilitatem ipſius, & ipſa eſſet ſine luce, ſi non haberet umbras iſtas, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* t, ait ipſamet de ſe.

o ex Sap. 7.26

p ex Luc. 2.7

q ex Joan. 1.29

r S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

ſ Luc. 1.49

t Luc. 1.48

Vidimus hactenus, Auditores, Mariam latentem ſub umbris: ſed nunc hæc incomparabilis Virgo detegit faciem ſuam, *Progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata* u. Et, ut ait de Ponte x, *Quæ præſtabat in terris, uberiùs modò præſtat in cœlis, ubi ſui progreſſus tale præmium & palmam eſt aſſecuta, ut Angelica Hierarchia in ejus aſſumptione admirantes dicerent: Quæ eſt iſta, quæ progreditur tanquam aurora conſurgens cum corpore, novâ & fulgidâ luce ſplendente? Sed quò progreditur? Profectò in locum ſuum, quem Filius ſuus præparaverat illi: ut liceat ei aptare quod Dominus dixit ad Iob* y: *Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? Ibi eſt, pulchra ut Luna, propter quatuor glorioſiſſimas dotes ſui corporis, quod ab animâ glorioſâ ſicut Luna à Sole, ſummam accepit claritatem & decorem, ut poſt gloriam Filii nulla inveniatur major, quæ ita Beatos lætificet ſicut illa.* Nam (ut inquit Cardinalis Petrus Damianus z) *ſicut nullum eſt aſtrum, excepto Sole, adeò pulchrum ut Luna: ſic ſumma gloria eſt poſt Deum, videre Virginem adhærere ei, & in illius protectionis munimine commorari* a. *In reſurrectione* (ait Iſaias b) *Erit Lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum. Quaſi myſticè ad Virginem, & Filium ejus applices, lux Virginea Luna, & claritas ac pulchritudo ejus ſimilis erit luci Solis Filii ſui. At lux hujus Solis incomparabiliter excedit lucem omnium Sanctorum, quæ numero ſeptem dierum denotatur. Et tamen dicitur, electa ut Sol, non, fulgens ut Sol* c, *ſicut de omnibus Iuſtis teſtatur Salvator, ſed electa, propter ſingularem gloriam animæ, ſingularemque ſuam electionem, unicum ſuper omnes conſtituentem chorum, ad quem nullus hominum, vel Angelorum pertinget: Unde terribilis eſt, id eſt, mirabilis & ſpectabilis ſicut caſtrorum acies ordinata. Quoniam quidquid pulchritudinis eſt in univerſâ cœli militiâ, in eâ videtur comprehenſum: inter Beatos enim ſplendent ut aurora Innocentes infantes, Virgines ſicut pulchra Luna, Martyres tanquam ardens Sol, Doctores velut ſtellæ in perpetuas æternitates* d. *At cuncta hæc ſupergreſſa eſt cœlorum Regina, quæ innocentiâ & virginitate, fortitudine & ſapientiâ omnes longe ſuperat. Alia* (inquit Paulus e) *eſt claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim differt à ſtellâ in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. At Deipara in reſurrectione ſuâ omnibus his eſſulſit claritatibus, nam Luna ejus ornat pedes, Sol veſtit; ſtellæ coronant* f. *Et ſicut diſcipuli, teſte eodem Paulo* g, *ſunt corona & gaudium ſui Magiſtri; ita omnes Sancti per duodecim Stellas deſignati, ſunt gaudium & corona Mariæ, quæ omnium fuit Doctrix & Magiſtra, & omnes ſuis precibus juvat, ut æternam gloriæ aſſequantur coronam. Utinam & nos ita eam imitemur in terris, ut ſtellæ corona ipſius mereamur eſſe in cœlis,* Et alibi h nos ſic hortatur, *Interim nos mente & ſpiritu aſcendamus ad illam, ut ejus deliciis, & perfectiſſimis paſcamur virtutibus, dilecto ſuo innitentes Filio, cujus ope illas obtinere valeamus, donec perveniamus ad utriuſque thronum, & regnemus cum ipſis in ſecula ſeculorum, Amen.*

u Cant. 6.9

x De Pont. l.9. in Cant. 6.9. exhort. 5. parag. 5

y Job 38. 12

z Damian. ſerm. 2. de Nativit. Virg.

a ex Pſ. 90.1

b Iſai. 30. 26

c ex Matt. 13.43

d ex Dan. 12.3

e ex 1. Cor. 15.41

f ex Apoc. 12.1

g ex Philipp. 4.1

h De Pont. lib. 6. in Cant. 3.6. exhortat. 21. parag. 6

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: decimas do omnium quæ poſſideo. Luc. 18. 11. &c.

NOn ſecus ac inter formas ſublunares, illæ quæ ſunt nobiliores & excellentiores, plures producunt operationes & effectus, ut agit anima rationalis, quæ primum tenens ordinem, operatur etiam cum majori varietate quàm ſenſitiva, ſenſitiva quàm vegetativa ſolùm, & hæc quàm inanimatæ, cùm anima rationalis ſit principium ratiocinationis, diſcurſus, admirationis, & riſus, ſicut & ſenſus, & accretionis; ſenſitiva principium ſenſus, & omnium operationum ſenſitivarum viſus, auditus, &c. quod non ſpectat ad vegetativam: pari modo inter animas Chriſtianas, illæ quæ magis ſuæ ſapiunt nobilitatis originem, operantur præ majori diverſitate; & cùm illæ quæ ſunt depreſſiores, exiſtiment ſibi ſatis eſſe ſi unicâ vice per annum, vel ſemel per totam vitam ſuam, alicui bono vacent operi, aliquas ſatagant effundere lacrymas, viſitare aliquod xenodochium, aut aliquam eleemoſynam erogare, ratæ ſe interventu iſtiuſmodi operis peregiſſe aliquid æternâ memoriâ dignum; præfatæ nobiliores è contra quotidie, quâlibet horâ, imò verò ſingulis momentis bona producunt opera, liberalitates exercent, & eleemoſynas e-

rogant,ſed propter alium finem ab eo,quem intendebat noſter Phariſæus ſtans, qui hæc apud ſe orabat: *Deus gratias ago tibi,quia non ſum ſicut cæteri hominum: decimas do omnium quæ poſſideo.* Non ait, *ſolvo,cùm tamen obligaretur ad ſolvendum, voluit ſe jactare liberalem, & non confeſſus eſt obligationem,* ſubdit de Trugillo *a*. Qui illud deſumpſit ex Hugone Cardinali *b* dicente, *Decimas do omnium quæ poſſideo.Do,dicit,cùm deberet dicere,reddo, quia debentur ex præcepto Domini. Inferte omnem decimam in horreum meum* c, *&c.* Auguſtinus: *Redde decimas, aliter deducêris ad partem decimam Angelorum, quæ de cœlis cecidit in infernum* d. *Decimam debet homo dare,quia eſt decima creatura. Prima enim novem creaturæ* e, *novem ſunt ordines Angelorum,decima autem creatura eſt homo.Eſt autem decima quaſi cenſus Deo debitus pro cœleſti hæreditate.* Quæ bona opera ſequitur, & quæ hæreditas ſeu gloria quæ tribuitur bonis operibus,& præcipuè eleemoſynæ,eſt conſummatio gratiæ, quæ gratia erat in Maria Deipara mox futura,ſic ab Angelo ſalutata, *Ave Maria*.

a Trugill. Domin.10. poſt Pent. in Theſaur.Concion.
b Hugo Card in Luc.18.14
c ex Malach. 3.10
d ex Iſai. 14.12.&c
e ex Gen. 13.&c

Nihil eſt in mundo deteſtabilius cupiditate,è quâ, ſicut ait Apoſtolus *f*, oriuntur univerſa mala, *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Nec eſt aliquid quod mereatur magis odium & deſpectum noſtrum quam avaritia, Nihil eſt ſcelectius avaro, & econtra non eſt aliquid laude dignius, quam ſit charitas & miſericordia erga pauperes exercita. Ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis, quando Sanguis Jeſu Chriſti ebulliebat adhuc in viſceribus primorum fidelium, iidem primi Chriſtiani mutua ardebant adinvicem miſericordiâ; *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant,& ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat* g. Sic erant illo tempore prodigi, ut ſemetipſos redderent pauperes ad hoc ut alios à miſeriis ſublevarent, eò uſque ut S. Paulus exceſſibus hujuſmodi modum volens imponere, ſcripſerit Corinthiis *h*, *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia, veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas.* Quaſi diceret, Nolite ſic eſſe prodigi erga nos, ut ex liberalitatibus veſtris in eos impenſis gravemini, ſed eleemoſynas veſtras erogate eis juxta rationabilem æqualitatem, ſicut hoc modo loqui facit illum Dionyſius Carthuſianus *i*, *Non enim hæc dicimus,aut volumus, ut aliis, ſcilicet pauperibus in Ieruſalem, quibus ſuccurritis, ſit remiſſio, id eſt, vacantia & otioſitas, vivendo de veſtris eleemoſynis otioſè, vobis autem ſit tribulatio, id eſt, gravamen in dando ultra vires. Sed ex æqualitate cum diſcretione & debitâ proportione, in præſenti tempore velociter decurrente, veſtra abundantia in temporalibus, illorum inopiam in eiſdem temporalibus, utpote indigentiam victus atque veſtitus ſuppleat, ut & illorum abundantia, id eſt ſpiritualis opulentia in gratiâ & virtute, veſtræ inopiæ in eis idem ſpiritualibus bonis, ſeu meritis ſit ſupplementum, hoc eſt, quatenus ipſi dum de veſtris eleemoſynis ſuſtentantur, orent pro vobis, & impetrent quod ipſi meritis veſtris impetrare non poteſtis, ut fiat æqualitas, id eſt, commenſuratio, ſeu proportio in datis & acceptis, dum pro temporalibus ſpiritualia rependuntur, ſecundùm quandam decentiam æquatam. Vel, fiat æqualitas remunerationis æternæ ſaltem in genere, ita ut omnes ſimul præmium eſſentiale (quod eſt Dei fruitio) acquiratis, quod ſignificatur per denarium diurnum, quem ſinguli operarij receperunt* k. S. Paulus hortabatur divites illius temporis, ut modum afferrent erogandis eleemoſynis ſuis, ſed nunc prædicandum eſt divitibus, ne furentur, & ne opprimant pauperes, cùm verè poſſit multis ex illis exprobrari, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* l. Quò plures habet aliquis divitias, eò magis illis inhiat,

f 1 Tim. 6.10
g Act.4. 34 & 35
h 2.Cor. 8.13.& 14
i Dion. Carth. art. 8. in 2. Cor.8.13. & 14
k ex Matt. 20.2.&c
l Jer.2.34

Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Ideò David *m* conſtituit divitem & pauperem ſimul, dicens, *Simul in unum dives & pauper.* Sed quomodo? In avaro, qui dives eſt, quia multa poſſidet; & pauper ſimul, quia ſic illum occupat avaritia ut ſibi renuat neceſſaria, ut vulgò dicitur, *Avaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.* Et ſicut dicitur apud Senecam *n*, *Deſunt inopiæ multa, avaritiæ omnia. In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus.* Præfatam declarat S. Vincentius Ferrerius *o* avari ſitim, *Quoniam avarus ſemper ſitit, nec poteſt ſatiari pecuniâ, juxta ſimilitudinem eſurientis, qui videt menſam abundantem, & non poteſt comedere, qui non ſatiatur ex ſolo viſu, quia eſca non intrat intùs, ubi eſt eſuries. Idem de eſurie divitiarum, quæ eſt in corde, quò non intrat pecunia, ſed ponitur in burſâ, quæ ſatiatur, ſed non ſatiatur cor avari. Ideò dicit Scriptura* p, *Avarus non implebitur pecuniâ, licèt impleatur burſa avari. Et qui amat divitias, fructum ſcilicet ſatietatis, non capiet ex eis, quia non intrat intrò ubi eſt ſitis.*

m Pſ.48.3
n Senec. Epiſt. 108
o S. Vincent. Ferr. ſerm. 2. poſt oct. Epiph.
p ex Eccl. 5.9

Comparat Dei Filius in Evangelio *q* divitias ſpinis. Quia ſicut ſpinæ poſt ſe trahunt lanam ovium, cùm ad illas appropinquant: ſic divites ſemper aliquid habent capiendum ſuper pauperes. Spinæ ſerviunt loco receptus lacertis & ſerpentibus, qui ibi ſunt ut in loco aſyli: ſic in domibus divitum, ut in ſpinis, invenitur perſæpè genus omne vitiorum. Spinæ tractabiles ſunt uſque ad aculeum, ſed ibi pungunt: ſic videtur nobis dulce & jucundum *r* habitu divitias præ manibus ut de illis diſponamus, iiſque fruamur juxta beneplacitum noſtrum, illarum poſſeſſio nobis placet, ſed in fine vitæ ut in aculeo ſuo pungunt. Spinæ nullum producunt unquam fructum, ſicut nec arbores quæ prope illas ſunt, ullum ferre poſſunt unquam fructum qui valeat aliquid: ita divitiæ impediunt ne ſui poſſeſſores producant bonos fructus gloriæ, cùm tales poſſeſſores perſæpè ſint impii, *Ipſi peccatores obtinuerunt divitias* ſ. Spinæ delatæ præ manibus apertis non pungunt, ſed compreſſæ aculeos ſuos infigunt carni: ſic divitiæ non pungunt, ſi ipſas deferant manus apertæ pauperibus ſublevandis, ſed ſi claudantur & comprimantur in ciſtis, in fine vitæ ſtimulant. Debemus igitur nos diſſolvere ab amore rerum terrenarum, & ex iis facere eleemoſynas non propter illum finem, ſecundùm quem ſuperbus noſter Phariſæus ſe venditat liberalem, ſed propter emolumenta, quæ ex iis nobis proveniunt. Ut autem inducam vos ad illas exercendas, oſtendam vobis Primò commoda quæ ex eleemoſynæ praxi proveniunt. Secundò, Ut exerceatur eleemoſyna ſicut oportet, monſtrabo vobis qualitates, quæ debent illam comitari.

q Matth. 13.22
r Pſ.41.3. 15
ſ Pſ.72.12
Diviſio

I. Pars.

Temporaneis nos ditat eleemoſyna bonis, cùm ille qui eam dat egeno, non ſit paſſurus neceſſitatem, & uſuram peragat cum Deo, quicumque indigentium miſerias ſublevat, *Qui dat pauperi, non indigebit* t. Et, *Fœneratur Domino, qui mi-*

t Prov. 28.27

u Prov. 19.17

miſeretur pauperis u. Id eſt, transferendo divitias ad cœlum. Impetrat illa nobis noſtrorum remiſſionem peccatorum, *Peccata tua eleemoſynis redime* x. Efficit illa ut inveniamus gratiam apud Deum, *Qui ſequitur miſericordiam & juſtitiam, inveniet vitam, juſtitiam & gloriam* y. Eripit illa nos à periculis, more alterius Lot, qui cùm ſuſcepiſſet peregrinos ſub forma Angelorum, ab incendio Sodomæ ab illis liberatus eſt, *Venerant duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis. Qui cùm vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviàm eis: adoravitque pronus in terram, & dixit: Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi. Compulit illos oppidò ut diverterent ad eum: ingreſſiſque domum illius fecit convivium, & coxit azyma, & comederunt. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has: & liberavit Lot de ſubverſione urbium, in quibus habitaverat* z. Illa nobis acceſſum tribuit ad Deum, *Fili, eleemoſyna patris non erit in oblivione, & in die tribulationis commemorabitur tui* a. Id eſt, *Deus; vel pater tuus orans pro te*, ſubdit Hugo Cardinalis b. Securos illa nos reddet ipſo judicii extremi die, *Jucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio: quia in æternum non commovebitur* c. Tandem conſequenter, Beatos nos reddit in hoc mundo, & in altero, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* d.

x Dan. 4.24

y Prov. 21.21

z Gen. 19. 1 &c

a Eccli. 3. 15 & 17

b Hugo Card. in Eccli. 3.17

c Pſ. 111. 5. & 6

d Matth. 5.7

Primò, Eleemoſyna nos ditat, *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ* e. Et, *Factus eſt ſermo Domini ad Eliam, dicens, Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut paſcat te. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cùmque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna; & vocavit eam, dixitque ei, Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam. Cùmque illa pergeret ut afferret, clamavit poſt tergum ejus, dicens, Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tuâ. Quæ reſpondit, Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydriâ, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait, Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſteà. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael, Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur uſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipſe, & illa, & domus ejus: & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ* f. Intereà quandiu divites fame peribant, hæc vidua eleemoſynaria fruebatur abundantiâ, ditata beneficio ſuæ eleemoſynæ, ut verificaretur id quod dixit Salomon g, *Qui dat pauperi, non indigebit. Qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* Puteus, cujus aquæ ex abundante procedunt origine, non eſt propterea magis repletus, ſi non hauriantur ex ipſo aquæ; nec minuitur, ſi hauriantur eædem ipſius aquæ, quia origo, quæ eſt fœcunda, ſufficienter ipſi providet aquas: tales ſunt crumenæ divitum, qui libenter eleemoſynas egenis impendunt: ipſi proptereà non efficiuntur pauperiores, bona ipſorum non decreſcunt, ſicut nec minuuntur aquæ putei, quia Deus ubertim providet illis pecunias per canales ſecretos; cùm è contrà avari & fœneratores quò magis conciliare ſibi putant bona, eò pauperiores efficiuntur: *Alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt* h. Projiciendus eſt panis noſter ſuper decurſum aquarum juxta monitum Salomonis i, *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa invenies illum.* Quem ſic elucidat appoſitè ad rem noſtram S. Bonaventura k, *Mitte panem tuum, id eſt, libenter & liberaliter da, non per extorſionem, & quaſi coactus: Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus* l. *Panem tuum, non alienum. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris* m. *Super tranſeuntes aquas. Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes* n. *Tranſeuntes aquæ ſunt pauperes, & afflicti, qui per tribulationes tranſeunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum* o: *tales ſunt peregrini & advenæ, iſtis facienda eſt eleemoſyna. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam* p. *Vel, Aquæ ſunt tribulationes præſentes, juxta illud, Intraverunt aquæ uſque ad animam meam* q. *Tranſeuntes aquæ ſunt pauperes & afflicti, qui per tribulationes tranſeunt ad requiem, talibus eſt eleemoſyna facienda. Cùm facis convivium, voca pauperes ac debiles, cæcos & claudos* r. *Et redditur ratio, Quia poſt tempora multa invenies illum, id eſt, retributionem pro illo: non ergo deficit retributio, ſed differtur: Benefac juſto, & invenies retributionem magnam, & ſi non ab ipſo, certè à Domino* ſ. Item, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* t. Nautæ, qui navigant ſuper iſtas aquas, ſunt ergo pauperes, qui ſemper fluctuant inter undas amaras afflictionum, quæ rectà nos perducunt ad cœlum. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* u. Et Spiritus ſanctus conſulit nobis, ut panem noſtrum committamus manibus talium nautarum. Illi qui in nationibus manent exteris, voluntque aliquid ad ſuos mittere propinquos, aut amicos, eorum quæ ſunt ibi rara & exquiſita, committunt illud alicui nautæ, qui curam ſuſcipit illud fideliter reddendi ei, cui mittitur: in hoc mundo ſumus extranei, *Advena ego ſum apud te, & peregrinus* x. Patria noſtra paradiſus eſt, *Patriam noſtram paradiſum computamus*, ait S. Cyprianus y. *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*, dicit Apoſtolus z. Si noſtras illuc mittere volumus divitias, eas committere debemus pauperibus tanquam nautis, qui eas deferent in patriam noſtram cœleſtem. Ubi Spiritus ſanctus non ait, Da, ſed, *Mitte*. Ut nos edoceat, quòd erogantes eleemoſynam, non damus bona noſtra, ſed illa mittimus in civitatem cœli, & quòd poſt aliquod tempus inveniemus ibi id, quod illuc miſerimus per tales nautas, ut exultemus ibi cum propinquis & amicis noſtris, *Conſiderandum eſt, Fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum, nos tanquam hoſpites hic interim degere. Quis non peregrè conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos navigare feſtinans, ventum proſperum cupidiùs optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus. Quid non properamus & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſolicita. Illic remunerati miſericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum juſtitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta ſervan-*

e 1. Tim. 4.8

f 3. Reg. 17.8. &c

g Prov. 28.27

h Prov. 11.24

i Eccl. 11.1

k S. Bon. in Eccl. 11.1

l 2. Cor. 9. 7. ex Eccli. 35. 11

m ex Eccli. 34.24

n Apoc. 17.15

o ex Pſ. 104.13

p Iſai. 58.7.

q Pſ. 68.2.

r ex Luc. 14.13

ſ Eccli. 12.2

t Luc. 16.9

u Act. 14. 21

x Pſ. 38. 13

y S. Cypr. tract. de mortalitat. n. 47

z Hebr. 13.14. ex Mich. 2.10

Digitized by Google

tes, ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos, Fratres dilectiſſimi, avidâ cupiditate properemus, & cum his citò eſſe, ut citò ad Chriſtum venire contingat, optemus, ait nobis idem S. Cyprianus.

Cùm pueri clàm ingreſſi in aliquem hortum, aut paradiſum, ad ſuffurandos ibi fructus, ſi illinc exeuntes metuunt ne obvium habeant hortulanum, aut Dominum paradiſi; projiciunt fructus quos ſunt ſuffurati, & quos deferre volunt domum ſuam, per aliquod foramen murorum horti vel paradiſi, aut inter rubos & ſepes quæ illum circumcingunt, ut illos commodiùs reſumant cùm exierint: in iſtâ vitâ ſumus velut hortulani, qui fructus colligimus, ut illos comedamus domi, id eſt, in patria noſtra cœleſti: omnes divitiæ, quibus fruimur, ſunt ſicut fructus, & in exitu è janua horti, id eſt, in fine vitæ noſtræ, deſtituemur omnibus iſtis fructibus à morte, quæ ſpeculatur exitum noſtrum ut janitrix vigilans, & ab ea denudabimur, *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc* a. Quid agendum eſt, ne à nobis auferantur iſti fructus? Projiciendi ſunt extra hortum per foramina murorum, aut per ſepes quæ claudunt paradiſum, id eſt, ex iis erogandæ ſunt eleemoſynæ, projiciendi ſunt ad pauperes, qui ſunt ſicut rubi ſpinoſi ob labores ſuos, & miſerias ſuas, & veluti muri propter patientiam, quam præ ſe ferunt medias inter afflictiones ſuas, ſed muri perforati in multis locis, ferè deſtituti rebus omnibus ad vitam fovendam requiſitis: & ſic certi ſumus nos reddituros eleemoſynam noſtram ſecuriorem frumento, quod terræ committimus, quod frumentum manet expoſitum vento, turbinibus, & aliis inclementiis aëris, & tempeſtatum, ita ut inveniatur aliquando ſpe ſuâ fruſtratus agricola, quandiu eleemoſyna *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit* b. Sed ab avaro auferentur univerſa, *Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus* c.

a Job. 1. 21
b Matth. 19. 29
c Pſ. 48. 18

Præterea, Eleemoſynarius mittit ante ſe divitias in Regnum cœleſte, ut illis aliquando potiatur, *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo* d. Pauperes ſunt iſti ſacculi, in quibus divites ſuas deponunt divitias. Cornelius e ſuper hæc verba Geneſeos. *At verò Melchiſedech,* ait, *Hebræi, teſte S. Hieronymo hiom quæſt. volunt Melchiſedech fuiſſe Sem filium Noë: vixit enim Sem uſque ad tempora Abrahæ & Melchiſedech* Et addunt alii, quòd iidem Rabbini ſenſerunt, quòd *poſtquàm reverſus eſt* Abraham *à cæde Chodorlahomor, & Regum qui cum eo erant in valle Save, quæ eſt vallis Regia: at verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creavit cœlum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt: & dedit ei decimas ex omnibus* f: miranti eidem Abrahæ, quòd præfatus Melchiſedech, ſeu Sem filius Noë tandiu vixiſſet, ipſumque interroganti quomodo tam longam duxiſſet vitam, reſponderit Sem, interventu eleemoſynæ ſe ad tam multos annos ſuam produxiſſe vitam: Cùm eram, inquiens, in arcâ cum patre meo g, ita proclivis eram ad largiendum eleemoſynam, ut cùm illam erga homines exercere non poſſem, illam animalibus impenderem, propter quam, ultra mercedem quæ mihi intuitu illius reſervatur in cœlo, Deus ita diu mihi vitam prolongavit. Si autem ita ſe res habuerit, Auditores, & quòd eleemoſyna beſtiis impenſa, donata ſit tantâ prærogativâ; quamnam merebitur mercedem eleemoſyna pauperibus erogata?

d Eccli. 17. 18
e Cornel. in Gen. 14. 18
f Gen. 14 17. &c
g Gen. 7. 7

Inſuper, A periculis eleemoſyna nos liberat. Hiſtoria Tobiæ cautam præſtat iſtam veritatem: dicebat enim Archangelus Raphaël Tobiæ, qui miſericordiæ, æquè ac charitatis operibus incumbebat exercendis, *Eleemoſyna à morte liberat* i. Et Salomon k: *Non proderunt theſauri impietatis: juſtitia autem liberabit à morte* Super quod ait Salazar l ad tem noſtram: *Juſtitiam alii pro eleemoſyna capiunt, quæ paſſim in Scripturâ nomine juſtitiæ cenſetur, Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet* m, *&c. & alibi. Mortem item alii ad temporalem, alii ad æternam referunt. Janſenius de eleemoſyna etiam interpretari poſſe docet. Et quidem eleemoſynæ hanc facultatem à morte liberandi paſſim tradit Scriptura, Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere, quoniam eleemoſyna à morte liberat, &c. Quod quemadmodum verum eſt de morte æternâ, à qua vendicat impetrando gratiam, & juſtificationem: ſic etiam de naturali morte. Quia illi, qui liberaliter, & effusè pauperibus erogant, ſuis quidem facultatibus tuentur vitas illorum, atque illos alioqui perituros, neci eripiunt: propterea merentur, ut Deus viciſſim eorum vitam tueatur, & aſſervet, atque illos nonnunquam etiam alioqui interituros à morte liberet.*

i Tob. 12. 9. &c
k Prov. 10. 2
l Salaz. in Prov. 10. 2. n. 20. & 21
m Pſ. 111. 9.

Præterea, Mundat etiam eleemoſyna noſtras à peccatis animas conſequenter, ut inquiebat idem Raphaël præfato Tobiæ, *Et ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Quò referri etiam poteſt hoc, quod ſuprà retuli ex S. Paulo n, *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* A peccatis igitur purgat eleemoſyna, id eſt, juſtificat animas noſtras, cui convenit id, quod ait Eccleſiaſticus o, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Et Daniel p Nabuchodonoſor, *Peccata tua eleemoſynis redime.* Unuſquiſque noſtrûm vendit animam ſuam diabolo per peccatum quaſi pretio dulcedinis voluptatis alicujus momentaneæ, idcò neceſſariò erogandæ ſunt eleemoſynæ, ut redimatur hæc anima à diabolo. Recenſetur Annibal Dux Carthaginienſis omnium Ducum fuiſſe crudeliſſimus, eò quòd præciperet ut amputarentur manus & pedes omnibus captivis Romanis hoſtibus ſuis, quos ſubjugaverat, aut quos habebat obvios, ut eriperet illis modum omnem reſumendi arma, fugiendi, & in patriam ſuam redeundi. Erat hæc crudelitas inaudita: ſed quid illa comparata ſævitiæ, quam diabolus exercet ſuper captivos ſuos, id eſt, peccatores? *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati,* ait S Joannes q. Et, ut ait S. Chryſoſtomus r, *Magnus dæmon peccatum eſt.* Ideò noſtra peccata redimere debemus eleemoſynis, quæ eadem peccata extinguūt, ſicut ignis aquam.

n 1. Tim. 4. 8
o Eccli. 3. 33
p Dan. 4. 24
q Jo 8. 34
r S Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matth.

Deinde, Facilem præbet nobis eleemoſyna acceſſum ad Deum: Si ruſticus aliquis vellet alloqui Regem, & cum eo de re magni momenti tractare, non ſtatim adiret Regem, qui ipſum non cognoſcit, ſed conaretur conciliare ſibi benevolentiam alicujus domeſtici illius, qui Regem alloquens, ipſum ſic introduceret ad Principem, à quo ipſe conſequeretur quidquid efflagitaret ab eo: cùm adimus Templum, ut aliquam gratiam à Deo ibi requiramus, & tractemus cum eo de rebus noſtræ ſalutis, illuc ingredi de-

debemus interventu domeſticorum & aulico-
rum ejus, qui ſunt pauperes, qui impetrant à
Deo id omne, quod ab illo petimus juſtum, *O-*
f Pſ. 10.5 *culi ejus in pauperem reſpiciunt* f. Quaſi diceret
Deus, Domeſtici mei, id eſt, pauperes debent
ſemper manere præ foribus Baſilicæ meæ, id
eſt, Eccleſiæ meæ, ut illi qui in eam veniunt, ut
ibi tractent de negotiis ſalutis ſuæ, eos habeant
t Eccli. 29.15 obvios, *Conclude eleemoſynam in corde pauperis,*
& hæc exorabit pro te t. Non dicit Eccleſiaſti-
cus, quòd pauper deprecabitur pro illis, ſed
eleemoſyna: cùm enim obvium habemus pau-
perem, erogando ei eleemoſynam, conſidera-
re debemus eum ſicut Jeſum Chriſtum dicen-
tem nobis, *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis*
u Matth. 25.40 *minimis, mihi feciſtis* u.

Deinceps, Securos ipſo judicii extremi die
nos reddet eleemoſyna: *Beatus vir qui intelligit*
x Pſ. 40. 2 *ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit*
eum Dominus x. Miſericordem vocat Pſalmi-
ſta beatum, & tandem præ noſtræ mentis ocu-
lis ultimam ponit eleemoſynæ prærogativam:
jure autem merito talem eum vocat, & quan-
tùm ad corpus, & quantùm ad animam. Bea-
tus fruitur Deo per viſionem beatificam: *Hæc*
eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum
y Jo. 17.3 *Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* y.
Ille verò, qui miſericordiam exercet erga
proximum ſuum, oculos ſuos in Deum ſem-
per habet intentos, proponit ſibi Deum ut fi-
nem in omnibus operibus ſuis, *Oculi mei ſem-*
z Pſ. 24.15 *per ad Dominum* z. Beatus poſſidet Deum: ſed
qui erogat eleemoſynam, diſponit aliquo mo-
do de Deo, eumque ſibi reddit debitorem. Ec-
ce beatus eſt ſecundùm animam. Præterea, bea-
tus eſt ſecundùm corpus Gloria corporis con-
ſiſtit in quatuor dotib⁹, claritate, agilitate, ſub-
a 1. Cor. 15.42. &c tilitate, & impaſſibilitate a, quas poſſidet il-
le qui eleemoſynam proximo ſuo erogat Ha-
bet claritatem, quia nomen ſuum celebre red-
dit in cœlo, in terra, in inferno, & in purgato-
rio. In cœlo, quia Angeli & tota Curia cœleſtis
eum contemplantur: ſic viſus eſt in cœlo S. *Mar-*
tinus, cùm Ambiani pauperi ac nudo ab eo petenti, ut
Chriſti nomine ſibi eleemoſynam tribueret, partem
chlamydis dedit. Cui ſequenti nocte Chriſtus dimidia-
tâ illâ veſte indutus apparuit, hâc mittens vocē. Mar-
tinus catechumenus hâc me veſte contexit, ait Eccle-
ſia in illius Legendâ In terra, quia notus eſt o-
mnibus hominibus & pauperibus, qui laudibus
illum evehunt propter eleemoſynas ejus. In in-
ferno, quoniam reſpiciunt illum dæmones è lo-
cis ſuis tenebroſis, & deſperant quòd illū poſ-
ſint unquam facere prædam ſuam. Et in purga-
torio, eò quòd animæ, quæ ibi ſunt detentæ, ibi-
dem refrigerium ſuſcipiunt interventu elee-
moſynarum ejus. Præ ſe fert agilitatem, quia
ſemper currit, modò ut auxiliū impendat pau-
peri, mox ut viduam deſolatam ſublevet, aliàs
ut egenum aliquod adjuvet Monaſterium, nec
unquam quieſcit donec pervenerit ad cœlum.
Eſt in eo ſubtilitas: penetrat enim cœlos
cogitatione ſuâ, terram pervadit inferiorem
purgatorii, clauſtra, pauperes Eccleſias,
domus indigentium, ut defunctis, æquè ac vi-
ventibus opem ferat indigentibus. Tandem,
Non deeſt ei impaſſibilitas, quia faciens elee-
moſynam, aufert occaſiones, quæ pauperes
reddunt paſſibiles atque tolerantes.

b Pſ. 112.5. & 6 Idem Pſalmiſta b eandem confirmat ſecuri-
tatem ipſo judicii extremi die, cùm ait, ut jam
ſuprà recenſui, *Iucundus homo qui miſeretur &*
commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in
æternum non commovebitur. Cùm aliquis ærario
Regio præpoſitus, ſuis perfunctus eſt muniis, o-
mnes colligit chartas, ſupputat id omne quod
recepit, totum illud quod ſolvit, ne rationem
edens, debitor alicui permaneat: computate
omnia bona, ſive corporis, ſive mentis, ſive
fortunæ, quæ ſuſcepimus à Deo: ipſo judicii ex- c Matth. 18.23
tremi die ponet *rationem* c nobiſcum ille, qui
ait, *Scrutabor Ieruſalem in lucernis* d. Id eſt, exa- d Soph. 1.12
minabit omne verbū otioſum, æquè ac quam-
libet inutilem cogitationem, *Quoniā omne ver-*
bum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent
rationem de eo in die judicii e. Sed quodnam re- e Matth. 12.36
medium præſtandæ tunc ſecuritati remedium?
Eleemoſyna nunc eroganda: *Venite benedicti Pa-* f Matth. 25. 34. &c
tris mei, &c *Eſurivi enim, & dediſtis mihi* f, &c.
Propterea recenſetur de Catone, quòd Cenſo-
ris officio Romæ perfungendo, cùm ad ipſum
adducebatur fur aliquis, homicida, aut alius
malefactor, qui tanquam reus jus diceret corā
ipſo tanquam Judice, qui pœnas conſequentes
illi inflıgeret juxta demeritum ejus, priùs at-
tentè conſiderabat manus rei; & ſi advertebat
quòd illas habuiſſet teneras ac tractabiles, in-
ferebat inde, quòd non impuliſſet eum neceſſi-
tas ad patrandum illud crimen, cujus accuſaba-
tur, ſed quòd otioſus eſſet, & tunc illū ſevere pu-
niebat: ſi verò deprehenderet, quòd manus ha-
beret induratas & labori applicitas, excuſabat
crimen ejus ratus quòd aut neceſſitate, aut ali-
quâ violentâ paſſione compulſus fuiſſet ad fu-
randum, aut occidendum, aut malefaciendum,
& ſic illum non ita acriter plectebat, ſed mitiùs
excipiebat: Jeſus Chriſtus, *ipſe qui conſtitutus eſt*
à Deo Iudex vivorum & mortuorum g, *cùm venerit* g Act. 10. 42
in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo h, citabit h Matth. 25.31. &c
nos ante tribunal juſtitiæ ſuæ tanquam reos di-
vinæ Majeſtatis, ibi accuſabimur à diabolis, &
à propriâ conſcientiâ, & poſtquàm ſcrutatus
fuerit omnia opera noſtra, noſtras intuebitur
man⁹, quæ noſtrorum ſymbola ſunt actionum;
ſi invenerit fuiſſe illas apertas pauperibus, mi-
ſericordiam nobis impertietur, *Venite benedicti*,
&c. Sed ſi deprehendat manus otioſas, quæ
nullum bonum opus peregerint, decretum
mortis feret contra puſillanimitatem noſtram,
vel potiùs contra ſævitiam noſtram *Diſcedite à*
me maledicti in ignem æternum, &c. *Eſurivi*, &c.

Refertur de Alexandro Magno, quòd ali-
quando pergens ad bellum, comburi præcepe-
rit omnes divitias ſuas, & ea omnia quæ habe-
bant milites ſui, ut ſic ſpoliati magis animaren-
tur ad ſuperandos hoſtes ſuos, & ad ſe ditan-
dos ſpoliis eorum; quod ſic feliciter illi ſucceſ-
ſit, ut milites ejus videntes ſe ita pauperes effe-
ctos, firmiter ſtatuerint, aut mori in bello, ne
morerentur miſeri in tali paupertate, vel de
ſuis hoſtibus victoriam referre, & ſic evadere
ditiores, quam forent anteà, & ſic hôc firmo
conſilio concepto, ſuos devicerunt hoſtes. Eth-
nicus ille Dux ſe ſubjecit paupertati in regione
extraneâ, ut temporale Regnum lucraretur:
Chriſtiani autē nunquid nō comburere debent
bona ſua ad comparandum ſibi Regnū æternū,
non igne materiali, ſed igne divino charitatis
& compaſſionis erga pauperes, mutando tem-
poraneum pro æterno? Ecce commoda & præ-
rogativæ eleemoſynæ, videamus in reſiduo diſ-
curſus iſtius, quænam ſint illius qualitates.

II. Pars. Primogeniti familiarum inſtituti hæredes à patribus ſuis, alere tenentur ſaltem fratres ſuos natu minimos: divites ſunt veluti primogeniti domus Dei, potiuntur hæreditate, pauperes autē ſunt tanquam natu minimi; ideò non eſt tam actus miſericordiæ, quàm juſtitiæ, ut ipſorū neceſſitates ſubleventur à divitibus: proptereà Dei Filius de eleemoſyna loquens, inſignit eā nomine juſtitiæ, ſicut illam ſuprà uſurpavimus poſt Salazar, *Attendite ne juſtitiā veſtram faciatis*. Et ſtatim ſubdit, ut oſtendat de quanam juſtitia loquatur, *Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tubâ canere* i. Unus ex iſtis primogenitis *Zachæus erat & ipſe dives*, & quàmvis *ſtaturâ puſillus* eſſet, erat tamen magnus miſericordiâ, & juſtitiā reddebat fratribus ſuis natu minimis, diſtribuens illis media bona ſua, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus* k. Eleemoſyna fieri debet citò, proptereà *Zachæus dixit, Ecce*. Quod verbum præ ſe ferebat diligentiam ejus. Prætereà, Abundanter, *dimidium*. Deinde, Fieri debet de rebus bonis, non autem putridis, *Bonorum meorū*. Inſuper, Debet eſſe hilaris, & ex corde, *Do*, non vendo. Tandē, debet eſſe miſericors, *Pauperibus*. Eleemoſynæ fiant diligenter, ſi citò impendātur, juxta tritum proverbiū, *Qui citò dat, bis dat*. Erunt abundantes, ſi quis eas tribuat pauperibus juxta commodorum ſuorum captum, ſicut filio ſuo *Tobias dixit*, *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue* l. Erunt bonæ, ſi non dentur res depravatæ & inutiles, quæ poſſunt potiùs nocere, quàm prodeſſe, *De primitiis frugum tuarū da pauperibus* m. Fieri debent de bonis propriis, non autem de alienis, ut docet nos Job exemplo ſuo, *De velleribus ovium mearum calefactus eſt pauper* n. Erunt liberales, ſi exerceantur purâ compaſſione, intuitu miſeriæ proximi, nedum ab eo expectetur aliquod emolumentum, aut commodū temporale: ideò *Zachæus dixit, do*, non vendo. Ille vendit eleemoſynam qui aliquod intendit obſequium ſibi à paupere exhibendum. Erit eleemoſyna miſericors, ſi erogetur ei qui ipsâ magis indiguerit: licèt enim omnis eleemoſyna ſit grata Deo, illa tamē eſt illi gratior, quæ exercetur erga pauperiores, juxta iſtud, *Paſce morientem fame: ſi non paviſti, occidiſti*. Sed non eſt omittendū, quòd illa debet eſſe ſecreta, ſecundùm conſiliū Jeſu Chriſti præfatum: *Cùm ergo facis eleemoſynā, noli tuba canere*. Conformiter ad hoc obſervant Naturales de quodam ſerpente nomine Scitalâ, quòd ita lateat in cavernâ ſuâ, ut inde nunquā niſi coactus exeat; & quòd ſuâ ſe pelle exuat modo differenti à modo aliorum ſerpentiū, qui ſuâ ſe pelle exuunt circa ſolſtitium æſtatis, cùm ipſe ſuâ ſe exuat circa ſolſtitiū hyemis; & quòd pellis ipſius ſit ita calida, ut agricolæ habentes manus frigore torpentes, circumquaque illam quærant, quam inventam ſuperponunt baculis ſuis, quibus utuntur tanquam fulcris, & ſic calefaciunt manus ſuas, tractantes baculos hujusmodi, quibus innituntur: ſic eleemoſyna debet eſſe ſecreta, *Te autem faciente eleemoſynā, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua* o. Prætereà, Fieri debet tempore opportuno, quo prodeſſe poſſit, & tunc non ſolùm calefaciet pauperem, ſed inſuper ſerviet illi loco baculi, cui innitetur inter omnia incommoda vitæ patientis, quam præ multo labore tranſigit in mundo.

i Matth. 6. 1. & 2

k Luc. 19. 1. &c

l Tob. 4. 8. &c

m Prov. 3. 9

n Job. 31. 20

o Matth. 6. 3

Per miſericordiam ſalvantur divites, & licèt ad illam teneantur exercendam, homines tamē fortunæ mediocris incumbunt illius praxi ſæpiùs, & magis ordinariè quàm divites. Illi qui divitias congregant, ſciunt me veritatē enunciare, quia divites non cogitant niſi de propriis commodis magnificandis: diſcite tamen, divites, vos non eſſe locupletes niſi propter pauperes. Dives, Deus fecit pauperes propter te, ut cùm incederes per civitatem videns pauperem nudum, induceretis ad operiendam nuditatem ejus, & hoc intrare cogitares, Nudus eſt propter me, non habet quod comedat, & ad egeſtatem redactus eſt perpetiendam in gratiam mei. Sic ſi examines media, quæ providit tibi Deus operandæ tuæ ſaluti conſona, invenies quòd iſtud ſit præcipuum: ſi enim tibi proponatur auſteritas exercenda; dices quòd illi vacare non poſſis; ſi oratio, reſpondebis te illi peragendæ eſſe inidoneum: ſi jejunium, allegabis infirmitatem viclum tuarum: quid ergo poterit te ſalvare? Eleemoſyna: ideò pauperes ſunt in mundo. Obſervate autem, divites, quòd eſtis obſtricti pauperibus propter duo. Primò, quia pauperes ſunt propter vos. Secūdò, illis eſtis devincti pro divitiis quas habetis. Quare? Quia Deus vobis plus tribuit, quàm vobis eſſet neceſſariū, ut habeatis id quòd vobis neceſſarium eſt, & ut tribuatis pauperibus id, quo non indigetis: debetis igitur reddere rationem divitiarum, quas habetis intuitu pauperum; & ſi cogitaretis, Ille pauper eſt propter me, & ego tantùm ſum cauſa paupertatis ejus, quantùm ſi ſuffuratus ei eſſem bona ſua; Deus illū poſuit in hoc ſtatu, nec vult ut ſit dives; & ego ſum cauſa propter quam fame perit, procul dubio non tenueretis ei miſericordiam largiri: Deus igitur vult, divites, ut eleemoſynam pauperibus impendatis; non requirit ut magnum aliquid tribuatis, ſed illud quod debetis; & niſi illud erogetis, idem facitis ac ſi illud pauperibus furaremini. Eſto quòd nō teneamini eis ex juſtitia, ſed ex ſola miſericordia, *Superexaltat miſericordia judicium* p. Miſericordia eſt virtus major juſtitiâ, cùm pertineat ad charitatem, à qua pendet, charitas autem ſit Regina virtutum & donorum omnium, *Major autem horum eſt charitas* q. Sed addo quòd illis teneamini aliquo modo ex juſtitia, cùm Deus vobis divitias præbuerit, ex quibus erogare poſſitis eleemoſynas ad comparandum vobis cœlū: illud igitur veſtris furari poteſtis eleemoſynis. Non miror quòd Regnū cœlorum ſit pretium magnarum actionum, *Regnum cœlorū vim patitur, & violenti rapiunt illud* r. Sed quòd exiguâ re cōparetur, iſtud eſt, quod homines reddit inexcuſabiles. Si poſſetis emere ſanitatem, & vitam, eamq; eximere à morte, quid eſt quod non daretis? Ha! poteſtis emere Deum, & Regnum cœlorum eleemoſynis veſtris, imò verò propter datum *potum uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, mercedem* ſ æternam conſequi, & tamen iſtud eſt, quod deſpicitis: nunquid non eſtis injurioſi felicitati veſtræ? cùm Deus æſtimet id omne, quod impenſuri eſtis, nec debitor ſit vobis dare id, quod vobis eſt pollicitus, ita ut audacter dicere ſinguli poſſitis ei, poſtquàm pauperibus eleemoſynas erogaveritis, *Ego implevi quod juſſiſti, & tu redde quod promiſiſti* t. Nempe gloriam tuam ſempiternam.

p Jacob. 2. 13

q 1. Cor. 13. 13

r Matth. 11. 12

ſ Matth. 10. 42

t S. Cæſar. hom. 39. de Die Judicii

IN OCTAVA ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Cant. 2. 4.

NOn eſt minoris culpæ conſcius homo qui palam loquitur, cùm aggreditur encomiis evehere rem laudabilem, quæ laudes meretur, quàm prædicare rem, quæ nullis eſt elogiis digna: utraque è culpis iſtis eſt æqualiter repræhenſibilis: ſicut enim Sol eſt inviſibilis oculis noſtris, æquè ac atomi quæ volitant in aëre ſunt inviſibiles; ille, eò quòd ſit nimis viſibilis; iſtæ è contrà, quia non ſunt ſatis viſibiles: ita duo genera ſubjectorum ſunt ineffabilia linguis noſtris: primum genus eſt eorum de quibus nimia habentur dicenda; ſecundum verò eſt illorum, quæ ſatis amplam non offerunt loquendi ſegetem: illa ſunt indicibilia, quia non habentur verba quæ correſpondeant perfectionibus illorum: hæc verò ſunt ineffabilia, eò quòd non habeant perfectiones, quæ verbis reſpondeant. Benè dicere de re quæ nullum habet bonum, eſt adulatio, eſt mendacium; aggredi loqui de re quæ velut infinitum præ ſe bonum fert, eſt teſtari temeritatem propter inſufficientiam, quæ non poteſt ad illud uſque pervenire: materia laudis eſt meritum; ſed ſi ſubjectum, de quo habetur ſermo, eſt infiniti meriti, illi qui de eo loquuntur, æquè parùm poſſunt illud laudare, ac ſi nullum præ ſe ferret meritum: vident enim tot excellentias quæ ſe ſimul offerunt imaginationi ipſorum, ut caligine viſum ipſorum operiant, confundant cogitationes ipſorum, & ſic linguas ipſorum hebetent ut nihil de illis dicere poſſint, ideò ſolùm quia nimia de eis habent dicenda. Ad eandem experior me redactum perplexitatem, volendo vobis tractare de dignitate B. Mariæ Virginis: nam tot intueor mirabilia in hac Regina cœlorum, ut de ea non audeam diſcurrere: abundantia ejus me redigit ad egeſtatem,

Inopem me copia fecit.

Virtutes ejus eripiunt mihi vocem, & perfectiones illius quæ deberét animare verba mea, ipſa ſunt quæ ea extinguunt. Ipſa nimiis eſt digna laudibus nedum ſuſcipiam encomia illius celebrare: niſi vellem obtegere, non honorem ejus, ſed pudorem meum, quid de ea dicerem, ſi de illa loqui vellem? extollerem ne dignitatem ejus, aut ſuavitatem illius: majeſtatem illius, aut miſericordiam ejus? pietatem ejus, aut fœcunditatem illius? felicitatem animæ ejus, aut fertilitatem corporis illius? perfectionem virtutis ejus, aut productioné ventris illius *a*? virginitatem carnis ejus *b*, aut virtutem charitatis illius? ſapientiam illius, aut potentiam ejus? id quod ipſa fuit in conceptione ſuâ, aut illud quod ipſa fuit in vita ſua? illud quod ipſa fuit in terra, aut illud quod ipſa eſt in cœlo, quò aſcendit hodiernâ die? Ingenuè fateor, quòd illud effatu mihi foret impoſſibile: è contrà tot mirabilia confundunt mentem meam, nec mihi relinquunt in ore niſi ſola verba Angeli, quibus dicam illi, *Ave Maria.*

a Matth. 1. 18. &c

b Luc. 1. 34

Tomus IV. e 2

Imagines rerum magnarum nunquam debent imprimi ſubjectis depreſſis & vilibus, ſicut materia quæ ſervit loco ſubjecti picturis, quæ exinde compinguntur, convenire debet illarum dignitati, ut eæ ſint honorabiles non ſolùm per figuras ſuas, ſed etiam per materiam, in qua ipſæ ſunt figuratæ. Sol qui eſt veluti Princeps mundi, & maximum omnium mirabilium cœli, ubique producens in univerſo orbe imagines gloriæ ſuæ, cuilibet indifferenter corpori ſuorum non imprimit ſplendorem radiorum; ſi autem alicui rei communicet ſimilitudinem faciei ſuæ, communicando ei ſplendorem vivacitatis ignium ſuorum, hanc non facit effuſionem niſi in rem quæ illam mereatur, in cœlo ſe communicat planetis & aſtris; in aëre parelíis & meteoris; in aqua unionibus & margaritis; & in terra metallis, præcipuè verò ſoli auro, quod eſt omnium metallorum pretioſiſſimum quod inſtruit nos, quòd ſi quis depingere velit imagines Principum & Magnatum, debet ſemper inſumere materiam pretioſam, & quòd alioquin eſſet illorum majeſtatem deprimere, ac illos figurare ſuper materias viles, depreſſas, & abjectas: ſatius quidem eſſet eos non pingere, quam illos profanare pingendo eos: nam quemadmodum ſi illorum tabellæ eſſent potiùs formæ ipſorum, quàm ipſorum figuræ, ipſorum ſubſtantia quam ipſorum ſimilitudo, portio corporis ipſorum quàm pictura corporis ipſorum; iſti Principes & Magnates, qui præ omnibus rebus mundi, honorem magni faciunt, non minoris æſtimant honorem imaginum ſuarum, quàm honorem perſonarum ſuarum. Non permittebat Alexander Magnus ut imago ſua depingeretur indiſcriminatim à quolibet pictore: ſoli pictores maximè induſtrii audebant aggredi imaginem illius depingere. quòd innuit, eum non voluiſſe ſe depingendum niſi ab artifice peritiſſimo: ſi non voluiſſet proculdubiò pinginiſi ſuper præditem materiam, ſi ſic accuratè eligebat penicillum, qui ipſum debebat repræſentare, non minùs diligenter elegiſſet materiam, ſuper quam repræſentatus eſſet: & Imperator Caligula, qui erat ambitioſus, nunquam permiſiſſet fuſori, aut ſtatuario fundere aut cudere imaginem ſuam ſuper æs, aut ſuper plumbum: ſuas impudenter collocabat ſtatuas propè ſtatuas Deorum: oportebat igitur ut illæ ipſius ſtatuæ eſſent æquè pretioſæ ac ſtatuæ Deorum eorundem; idola autem falſorum illorum numinum non erant compacta ex omni genere materiæ ab iis qui illa adorabant; ad illa non inſumebant niſi ligna aromatica, arbores odoriferas, aurum, & margaritas. Teſtes invoco mulieres illas Iſraëliticas quæ poſtponentes cultum veri Dei obſequio idolorum, ſuas æquè ac liberorum ſuorum tradiderunt *inaures aureas*, ut formandum ſatagerent *opere fuſorio ex eo vitulū conflatilem* c, qui fuit ſimulachrū & ob- je-

c Exod. 32. 2. &c

jectum monſtroſum idololatriæ ipſarum, ſignum infallibile, quòd imagines rerum magnarum, quàmvis repræſentarentur magnæ cum falſitate, nunquam magnipenduntur, niſi in materiis pretioſis impreſſæ. Nedum autẽ quæramus probationes iſtius veritatis in picturâ hominum, & in uniate Deorom illorum; Deus Ipſe, *Rex omnipotens, Dominus omnium* e, nunquẽ impreſſit figutam ſubſtantiæ ſuæ, & imaginem magoitudinis ſuæ niſi ptoductionibus perfectiſſimis, aut ſaltem primis productionibus fœcunditatis ſuæ; non ita fuit liberalis in diſtributione ſimllitudinis ſuæ ac ſapientiæ ſuæ: nam Scriptura f ſacra dicit, quòd *effudit illam ſuper omnia opera ſua*, quibus non impreſſit imaginẽ & ſimilitudinem ſuam niſi cum diſcretione inter maxima mirabilia. In æternitate ſua produxit ſubſtantiam ſuam, & dedit eſſentiam ſuam divinam duabus aliis perſonis Divinitatis g, ſed ſuam non impreſſit imaginem ambabus, ſed ſoli perſonæ Filii, *Quia non ſimul ambo imago, ſed ſolus Filius imago*, ait S. Auguſtinus b. Et in origine mundi, cùm omnipotentia ipſius principium dedit omnibus rebus, communicavit quidem eis omnibus eſſe ſuum, ſed non præbuit omnibus perfectionem quâ aſſimilarentur ipſi: ſoli Angeli & homines hoooraci fuerunt hâc eminenti prærogativâ; creaturæ irrationales ab ea fuerunt excluſæ: ſed quid loquor de creaturis irrationabilibus? cùm & ipſæ mulieres eâ dignæ non videantur fuiſſe reputatæ: non enim habent ſicut viri perfectam ſimilitudinem omnium perfectionum Dei, quatenus hæ perfectiones participari & repræſentari poſſunt à creaturis mortalibus: quaſi verò eſſe mulieris, de quo ſanctus Petrus i loquitur ut de *infirmiori vaſculo*, eſſet materia nimis vilis nedum ſuſciperet impreſſionem characteris Divinitatis. Verum quidem eſt, quòd mulier quatenus eſt imago viri, & ferè media pars noſtrîipſorum k, eſt etiam imago Dei; ſed ſi conſideretur ſola in ſemetipſa, in ſexu ſuo, in origine ſua, in fine ſuo, & in conſilio creationis ipſius, non eſt imago Dei, ſed ſolum auxilium datum homini, *Dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* l. Cùm tamen ſolus vir, nedum ſit ſociatus mulieri, vera ſit imago Divioitatis, ut ait ſanctus Paulus m, *Vir imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt*. Et hoc eſt, quod docet ſanctus Auguſtinus n, *Mnlierem cnm viro ſun eſſe imaginem Dei, ut una imago ſit tota illa ſubſtantia. Cùm autem adjutorium diſtribuitur, quod ad eam ipſam ſolam attinet, non eſt imago Dei: quod autem ad virum ſolum attinet, imago Dei eſt, tam plena atque integra, quàm in unum conjuncta muliero. Sicut de natura humana mentis diximus, quia & ſi tota contempletur veritatem, imago Dei eſt: & cùm ex ea diſtribuitur aliquid, & quâdam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominùs ex quâ parte conſpectam conſulit veritatem, imago Dei eſt, ex qua verò intenditur in agenda inferiora, non eſt imago Dei*. Et hoc confirmat ſanctus Thomas o, cùm ait: *Nam vir eſt principium mulieris & finis, ſicut Deus eſt principium & finis* p *totius creaturæ. Unde cùm Apoſtolus dixiſſet, quòd vir imago & gloria Dei eſt, mulier autem eſt gloria viri: oſtendit quare hoc dixerit, ſubdens, Non enim vir eſt ex muliere, ſed mulier ex viro: & vir non eſt creatus propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Sed illud quod Deus recuſaverat illi ſexui in Eva, hoc idem præbuit ei in Maria, quæ cùm ſit mater unius perſonæ SS. Trinitatis: *Peperit* q *enim Dominum, qui eſt ſpes* r *totius mundi, nempe Chriſtum*, ait S. Epiphanius ſ, eſt imago expreſſa omnium perfectionum Trinitatis, *Hæc autem univerſum Trinitatis complementum*, dicit Heſychius t. Et videtur mihi, quòd non ampliùs *Deus ait, Faciamus hominem*, ſed, Faciamus mulierem; non ampliùs Adamũ, ſed Mariam *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* u. Cùm naturaliter noſtras repræſentet perfectiones. Et S. Hieronymus x aſſerit, quòd ipſa eſt *Fons ſignatus ſigillo totius Trinitatis*. Cujus rationem reddit Salazar y: *Nulla enim ex puris creaturis eſt, in qua omnia Trinitatis attributa, & perfectiones magis emicuerint: nulla, in qua ſuam virtutem, & efficaciam magis prodiderint*. Id eſt divinæ perſonæ. *Atque ideò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ* z, *Speculum ſine macula Dei operationis. Græcè, energia, ſeu efficacitatis. Quia nimirum in ea tanquam in ſpeculo, divinorum attributorum efficacia, & energia maximè ſpectatur*. Quomodo igitur non eſſet ipſa ſimilis Deo, cùm reddiderit Deum ſimilem ſibi? Quomodo non eſſet meliori titulo quàm vir, *imago, & gloria Dei* a, cùm ipſa ſuſceperit in viſcera ſua, non ſuperficialiter, ſed ſubſtantialiter, & pepererit *Verbum Patris, Filium Verbum, ante ſecula Deum, Verbum initio carens & æternum* b, *Verbum cum Patre & Spiritu ſancto unitum* c, ait S. Epiphanius d, & quod à S. Paulo e vocatur *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, ut faceret illud hominem, & quòd dilectione reciprocâ vocat ipſam *in cellam vinariam* gloriæ, poſtquàm reddidit ipſam imaginem perfectam Divinitatis? De hâc judicate veritate ex ſimilitudinibus, quas habet ipſa cum tribus perſonis SS. Trinitatis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto: quæ tres ſimilitudines triplicem conſtituent diſcurſus iſtius partem.

Prima ſimilitudo ſeu convenientia, quam obſervo inter B. Virginem & Patrem æternum qui eſt prima perſona Trinitatis, eſt, quòd Pater æternus, qui eſt origo totius Divinitatis, *Filius enim à Patre eſt, non Pater à Filio*, ait S. Auguſtinus f; hoc habet proprium, ut generet ſolus aliam perſonam divinam, quæ eſt Filius ſuus, quem concipit & gignit in ſemetipſo per communicationem eſſentiæ ſuæ, *Generatio Paterna proprietatis eſt*, ait S. Ambroſius g. Hæc autem proprietas ſic ſingularis eſt Patri æterno, ut cõmunicari non poſſit aliis perſonis, quibus ipſe communicat omnipotentiam & Divinitatem ſuam, nedum communicet eis ſuẽ fœcunditatẽ Patris; ita ut ipſe ſolus ſit in eſſentia divina, qui cõmunicet hanc eandẽ eſſentiã per verã & propriam generationẽ, quæ terminatur ad perſonam Filii divini, *Pater Deus de nullo genitus Deus, ſemel de ſua natura ſine initio genuit Filium Deum ſibi æqualem*, ait ſanctus Auguſtinus h. Maria ſimilis eſt ei, & ſic perfecta eſt illius imago, ut imitetur eum in fœcunditate ipſius, in qua non potuit illum imitari Spiritus ſanctus, qui nihil producit in Trinitate, ſicut nec Filius qui nihil generat in Divinitate, licèt uterque ſit Deus, & procedat à Deo: hæc enim B. Virgo cumulata gratiis cœli, *peperit Filium* g, ſicut Deus, & eundem quem Deus, ſicut ſuprà dixit S. Epiphanius, & *Verbum eundem cum Patre thronũ* habens. Apes in alvearibus ſuis in mel producunt illud.

quod

e Eſth. 13. 9. & 11
f Eccli. 1.10
g Pſ. 2.7. & Jo. 15.26
b S. Aug. ſerm. 38. de Temp.
i 1. Petr. 3.7
k Gen. 2.23
l Gen. 2.18
m 1. Cor. 11.7
n S. Aug. l. 12. de Trinit. c. 7
o Thom. 1. p. q. 93. a. 4. ad 1
p ex Apoc. 1.8

q Luc. 2.7
r ex Pſ. 41.6
ſ S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
t Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip.
u Gen. 1. 25. & 26
x S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. ex Cant. 4.12
y Salaz. in Prov. 8.23 num. 301
z ex Sap. 7.26
a 1. Cor. 11.7
b ex Joan. 1.1. &c
c ex Joan. 15.26
d S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
e Hebr. 1.3
Diviſio
I. Pars.
f S. Aug. l. 4. de Trinit. c. 20
g S. Ambr. l. 4. de Fid. ad Grat. c. 4
h S. Aug. l. de Fid. ad Petr. c. 2
g Matth. 1. 25. & Luc. 2.7

quod jam cœlum produxerat in rorem in ſino florum: & Maria concepit ut hominem in terra, & per terram eundem Deum, qui jam conceptus fuerat à Patre ſuo antequàm cœlum & terra fierent, *O Virgo pura, ſancta Mater Domini, beata Sponſa Trinitatis individua, beata tu inter mulieres* h, *qua ſola in terra Deum cœleſtem concepiſti*, ait illi paulò antè idem S. Epiphanius. Ille concepit & genuit eum in æternitat, *Ante Luciferum* i. Hæc autem *ubi venit plenitudo temporis* k. Ille *ex utero* l, id eſt, mente: hæc verò *in utero* m, id eſt, corpore, æquè ac mente, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti* n, *quàm concipiendo carnem Chriſti*, ait S. Auguſtinus o. Ille ſine Matre, *In ſplendoribus Sanctorũ* p. Iſta ſine Patre, ut ait ipſamet aliquantò pòſt apud S. Epiphanium, *Ego Virgo incorrupta, qua in utero geſtavi, effecta ſum templum impollutum habitantis in me Verbi Dei nuptiarum expertis. Emmanuelem geſtavi in utero incorrupto, ſimilis effecta throno Cherubico* q: *in qua caro factum eſt Verbum Patris, qui Deus eſt initio carens: & licet inviſibilis* r, *ſpectabilis tamen per diſpenſationem aſſumpta carnis factus eſt. Non experta nec cognoſcens virum* ſ, *peperi Deum, qui eſt ante ſecula, ipſum Chriſtum. Nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore puerperii, non ut omnes mulieres; diſſimiles enim fuerunt res mea ac illarum inter partendum. Non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo qui in me habitavit.* Pater æternus genuit Filium ſuum è ſubſtantia ſua in ſubſtantia ſua, Maria verò è ſanguine ſuo in ſinu ſuo: Ille ſicut Veritatem & Vitam, ſicut ipſemet Filius fatetur, *Ego ſum Veritas, & Vita* t. Hæc verò ſicut Viam, quæ eſt neceſſaria ad hoc ut perveniatur ad Veritatem, & ad Vitam, quemadmodum idem Filius dicit, *Ego ſum Via* u. Seu, *Ego ſecundùm quòd homo, Dei & hominum Mediator* x, *Advocatus* y, *& Pontifex hominum* z, *& Dei Placator, ſum Via, quâ itur ad Patrem ſpirituali acceſſu, amando, contemplando, & obediendo: Veritas & Vita ſecundùm naturam Divinam. Ego enim & Pater ſumus una, æterna, infinita, exemplarisque Veritas, qua eſt Divina Eſſentia omnis veritatis creata origo fontana, menſura, finis, & cauſa: ſumus quoque una Vita ſuperſubſtantialis, ſuperplena, incomprehenſibilis & perfecta* †. Pater æternus genuit Filium ſuum coæternum, & verum Deum, quia erat verus Deus, *Si autem ſemper fuit Pater, ſemper fuit & Filius: & ſi Deus eſt Pater, Deus eſt & Filius: non enim aliud potuit procedere de Deo quàm Deus*, ait S. Auguſtinus a. Maria verò genuit eum temporalem, & verum hominem & verum Deum, quia ipſa erat fœmina & Virgo ſimul; & ſi Filius ipſius eſſe debebat homo, quia ipſa erat fœmina; debebat etiam eſſe Deus, quia ipſa erat Virgo, *Natus de Patre ſine tempore, natus ex Virgine eſt in plenitudine temporis* b, *unus Chriſtus Deus & homo*, dicit idem S. Auguſtinus c. Et S. Epiphanius præfatus, *O Virgo pura, ſancta Mater Domini, beata Sponſa Trinitatis individua: beata tu inter mulieres, qua Deum & hominem omnium Creatorem velut infantem in terra peperiſti.* Et S. Bernardus d, *Deum hujuſmodi decebat nativitas, quâ nonniſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum.* Et alibi e: *Ipſa eſt Virginis noſtra gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Et ſi Pater

h ex Luc. 1, 42.
i Pſ. 109, 3
k Gal. 4, 4
l Pſ. 109, 3
m Matt. 1, 18 & 23. ex Iſai. 7, 14.
n ex Luc. 1 45.
o S. Aug. l. de S. Virginit. c. 3
p Pſ. 109, 3
q ex Pſ. 98 1.
r ex 1. Tim. 1, 17
ſ ex Luc. 1 34.
t Jo. 14, 6.
u Ibid.
x ex 1. Timoth. 2, 5.
y ex 1. Jo. 2 1.
z ex Heb. 6, 20
† Dion. Carth. art. 35, in Jo. 14, 6
a S. Aug. l. 2, de Symbol. ad Catech. c. 3.
b ex Gal. 4 4.
c S. Aug. l. 2, de Sym. ad Catech. c. 3
d S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.
e Idem ſerm. 2. de Annunc.

æternus dicit Filio ſuo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* f: Maria dicere poteſt eidem Filio ſuo, *Fili* g, *benedictus fructus ventris* h mei tu es. Et, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea* i. Re autem verâ, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis k.

Quænam excellentia! Si magna gloria provenit hominibus ex eo quòd dirigantur & cuſtodiantur ab Angelis per totum curſum vitæ ſuæ; majori ſanè cumularentur iidem homines honore, ſi ipſimet dirigerent eoſdem Angelos, eoſque cuſtodirent: quænam potiori ratione eſt excellentia & dignitas beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ cùm eſſet fœmina, concipere potuit Creatorem Angelorum, eum dirigere, illumque cuſtodire! Ipſa digna eſt admiratione omnium ſpirituum. Ceſſet nunc mirari David l, nec ampliùs efflagitet à Deo, *Quid eſt homo quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis.* Hæc non ſunt ſic ingentia mirabilia; ſed hîc invenientur miracula, quæ cœlum, æquè ac terram rapient in ſtuporem, ut ait S. Epiphanius m, B. Virginem alloquens, *O Virgo ſanctiſſima, qua exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti. Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole* n. *Stupendum miraculum in cœlis, Mulier geſtans lucem in ulnis. Stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus* o. *Stupendum miraculum in cœlis, mulieris Filius, qui & ipſius, & ſæculorum eſt Pater* p. *Stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis habens Filium Dei, Deum Sponſum Chriſtum. O ſanctiſſima Virgo Mater Salvatoris, qua genuiſti principio carens Verbum, Filium ſcilicet eundem cum Patre habentem thronum, conſubſtantialem Patri, & Spiritui ſancto, qui cum Patre & Spiritu ſancto eſt ante ſæcula, qui concameravit cœlos, & terram condidit* q. Mutet igitur loquelam Pſalmiſta, nec dicat ampliùs Deo, Quodnam meritum præ ſe ferre poteſt homo, ut Deus ipſius memorari dignetur? ſed, Quonam merito cumulata fuit hæc fœmina Virgo, ut dignatus ſit ipſam Deus elevare ad ſupereminentem dignitatem Matris Filii ſui? Nec ampliùs, Quoniam filius hominis eſt, quem Deus viſitat favoribus ſuis: ſed potiùs, Quænam eſt hæc Puella fœcunda, quæ vivificavit Deum favoribus ſuis, dando ei vitam in viſceribus ſuis, ut faceret illum Filium hominis? Nec ampliùs, Qualis eſſe poteſt homo, quem Deus depreſſit paulò infra Angelos? Sed potiùs, Qualis poteſt eſſe Virgo, quam Deus exaltavit infinitè ſupra Angelos? *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: naturâ formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicanda cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum*, ait illi S. Epiphanius r. Et Eccleſia canit de ea, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum, ad cœleſtia Regna.* Nec ampliùs, *Quid eſt homo, quòd memor es ejus? Gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum* ſ. Sed potiùs, Qualis eſt præeminentia Mariæ, cui Deus dedit Maternitatem & Dominium ſupra propriam perſonam ſuam? *Quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem: peperit enim Dominum, qui eſt ſpes* t *totius mundi, nempe Chriſtum*, ait paulò antè idem S. Epiphanius. Et qui, ut ait Evangeliſta u, *Erat ſubditus illis*, Id eſt, eidem Mariæ, & Joſepho Spon-

f Pſ. 2, 7.
g Luc. 2, 48.
h Luc. 1, 42.
i Gen. 2 23.
k Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
l Pſ. 8, 5, &c.
m S. Epip. ſerm. de Laud. Deip.
n Apoc. 12, 1
o ex Pſ. 98 1.
p ex Hebr. 1, 2
q ex Gen. 1, 1
r S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
ſ Pſ. 8, 5, &c. ex Gen. 1, 28
t ex Pſ. 141, 6.
u Luc. 2, 51.

ſo ejus, & Patri ſuo nutricio. Quòd ſi agnoſcantur merita perſonarum ex titulis & ex nominibus perſonarum, dicere poſſum de Maria Matre Jeſu id, quod S. Paulus *x* dixit alias de Jeſu Filio ejuſdem Mariæ, *Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*: Seu, juxta Carthuſianum *y*, *Vt ſit in omnibus Angelis & hominibus primatum tenens, id eſt, univerſorum Princeps & Caput exiſtens.* Nimirum, quòd antecellit ipſa dignitate, majeſtate, & gloriâ omnes creaturas. *Rurſus, Maria interpretatur Domina, & ipſa utiq; eſt cœli Regina, Domina mundi; quoniam Genitrix Dei*, dicit idem Carthuſianus *z*. Sicut enim, ut ait S. Paulus *a*, nulli *Deus dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: & rurſum: Ego ero illi in Patrem: & ipſe erit mihi in Filium*: ſic Deus nulli dixit unquam creaturæ, ſed ſoli Mariæ, Ego ſum Filius tuus, & tu es Mater mea: & iterùm: Tu es Filia mea, ſicut ego Pater tuus ſum, æquè ac Filius, *Stupendum miraculum in cœlis, Mulieris Filius, qui & ipſius, & ſæculorum eſt Pater*, dixit ſuprà S. Epiphanius. Quod innuit, quòd ipſa fruitur authoritate eò majori, quò qualificatur appellatione nobiliori: & cùm omnes homines non ſint niſi ſervi, & univerſi Angeli nonniſi miniſtri Dei, *Servus meus es tu Iſrael* b, ait Deus: &, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorij ſpiritus* †? Maria non ſolùm eſt ancilla Dei, ſed etiam illius Genitrix, & veluti Domina illius, *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna, & Mater*, ait præfatus S. Epiphanius, qui aliquantò antè vocavit illam *Dominam*.

x Coloſſ. 1, 18.
y Dion. Carth. art. 8, in Col. 1, 18
z Dion. Carth. art. 3, in Luc. 1, 27.
a Hebr. 1, 5, &c. ex Pſ. 2, 7 & ex 2 Reg. 7, 14.
b Iſai. 44, 21
† Hebr. 1, 14.

Admirabilis convenientia Mariæ cum Patre æterno! Iſte dicebat aliàs, *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo* c. Et tamen iſte Deus immutabilis, *Ego enim Dominus, & non mutor* d, aſſociat Mariam gloriæ ſuæ, cùm aſſociaverit eam generationi ſuæ, in qua conſiſtit præcipua gloria ipſius: Filius autem Divinus eſt ita utrique communis ut, ſicut verbum hominum quod echo reproducit non habet niſi unam pronunciationem & duas repetitiones, unam ſignificationem & duos ſonos, unum in ore illius qui ipſum profert, alterum verò in concavo rupis quæ ipſum repetit; & ut ſic licèt nomiſi unum ſit in ſeipſo, eſt tamen totum linguæ, & totum echus: ita Patris *Verbum caro factum* e, non habeat niſi unicam perſonam & duas productiones, unam ſubſiſtentiam & duas ſubſtantias, unam Divinam à Patre ſuo, & alteram humanam à Matre ſua, quarum non obſtante diverſitate unicus eſt Dei & Mariæ Filius. *Qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei & totus Virginis eſt, nec duo Filij, ſed unus utriuſq; Filius*, ait S. Bernardus *f*.

c Iſai. 43, 8
d Mal. 3, 6.
e Jo. 1, 14.
f S. Bern. hom. 3, ſuper Miſſus eſt.

Sed quid prodeſt nobis, B. Virgo, quòd ſis Mater Dei, niſi ſis miſericors hominibus? Qualem anſam habemus gaudendi de tuis magnitudinibus, niſi tuorum participes ſimus gratiarum? Si cùm ſis Mater Dei, & fruaris gloriâ, noſtris non compateris miſeriis, æquè nobis valeret ac Deus te non elegiſſet ut Matrem talis naturæ. Viſne ut totus mundus benedicat Deum pro favoribus, quibus iſte te cumulavit? Satage ut idem totus mundus experiatur effectus favorum tuorum: non ſufficit ut ſciamus te eſſe Matrem Dei, niſi experiamur medio auxilio à te nobis impenſo, te eſſe talem: nos iſtud prædicamus, ſed hoc ipſamet prædica, majorem tibi conciliabis ipſa fidem quàm nos, modus autem prædicandi illius, eſt ut nobis impetres benedictiones Dei, & gloriam quâ frueris, & tunc agnoſcêtis verè Mater Dei.

Secunda ſimilitudo quam invenio inter B. Virginem & perſonas SS. Trinitatis, eſt, quòd Verbum quod eſt ſecunda ejus perſona, eſt exemplar & idea omnium perfectionum, quæ diverſimodè ſunt diſperſæ per omnes mundi partes, ad cujus imitationem Pater æternus ita formavit omnes creaturas ut ſi reperiatur aliquid, aut pulchrum, aut bonum in mundo Angelico, cœleſti, aut ſublunari, nonniſi communicatio ſit pulchritudinum & excellentiarum quæ ſunt unitæ in hac perfectione ſummè unâ, & ſingulariter ſimplici perſonæ Verbi: *Eſt enim forma quadam, forma non formata, ſed forma omnium formatorum*, ait S. Auguſtinus *g*. Quia eſt prototypon ſuper quod univerſæ creaturæ formatæ ſunt ab Omnipotentia Divina. Platonici crediderunt aliàs, ut refert Seneca *h*, quòd natura tota repleta eſſet imaginibus, ſpeciebus, & ideis infinitis, quarum intuitu ipſa componebat opera ſua, ut ea conformaret ad perfectiones quas in illis obſervaverat, & quòd omnia quæ videmus hic deorſum, non erant niſi tranſumpta illorum primorum prototyporum. Nos autem Chriſtiani non agnoſcimus, ait S. Thomas *i*, aliam ideam omnis illius quod eſt excellens, aut in natura, aut in gratia, aut in gloria, niſi Jeſum Chriſtum: ipſe ſolus eſt epitome, aut potiùs Oceanus omnium mirabilium, & prototypon ad cujus ſimilitudinem omnia formata ſunt, *In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra* k. Ipſe eſt illorum omnium cauſa exemplaris, æquè ac efficiens; & omne id quod habet aliquod bonum in mundo, non eſt niſi repræſentatio & imitatio bonorum quæ ſunt in ipſo ut in centro omnium mirabilium. Idem ferè dico de B. Virgine: ſicut enim concha unionum mater ſimilis eſt colore, ſplendore, & nitore unioni quem ipſa producit in ſinu ſuo; ſic Maria *Virgo quæ gemmam genuit Chriſtum*, ait S. Epiphanius l, ita ſimilis eſt ei in hac admirabili proprietate, ut ipſa ſit, ſicut ille, idea, prototypon, & ſpeculum vivum omnium virtutum, quas univerſas ipſa exercuit, & cunctas poſſedit præ tanta prærogativa, ut videatur ipſa non habuiſſe aliud elementum & aliud centrum, quàm extenſionem cordis ſui: Ideò ſic illam ſalutat idem S. Epiphanius m, *Ave gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo.* Manna cœleſte, quod alebat Iſraëlitas in deſerto, habebat *omne delectamentum in ſe, & omnis ſaporis ſuavitatem* n. Maria verò quæ incarnavit in ſe Deum cœli, *& panem vitæ o calidum mundo in eſum attulit, de quo Salvator Chriſtus ait, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur* p *in remiſſionem peccatorum*, inquit idem S. Epiphanius, qui aliquantò antè ſic illam ſalutat, *Ave gratiâ plena, quæ es urna aurea continens manna* q *cœleſte*: habet omne genus magnitudinum, ſanctitatum, & gratiarum, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*, dicit idem S. Epiphanius paulò antè. Et ipſamet ait, *Ordinavit in me charitatem.*

II. Pars.
g S. Aug. ſerm. 38, c. 2 de Verb. Dom. Jo. 1, 1
h Senec. Epiſt. 58, circa med.
i S. Thom. lect. 4. in Col. 1, 16.
k Coloſſ. 1, 16.
l S. Epiph. ſerm de Laud. Deip.
m Idem ibi ex Luc. 1, 28.
n Sap. 16, 20.
o ex Joan. 6, 48
p ex Matt. 26, 26.
q ex Hebr. 9, 4

Loquens Salomon *r* de favoribus, quibus Deus

r Sap. 18, 1

Deus primum cumulavit hominem, ait, *Dedit illi virtutem continendi omnia.* Id eſt, formaliter, aut eminenter in eſſentia ſua ſola eſſentias omnium rerum creatarum: tantundem honoravit & Deus Mariam digniſſimam omnium mulierum, Reginam hominum & Angelorum, ut voluntas ejus imitaretur ventrem ipſius, anima ejus carnem ipſius, cor ejus corpus ipſius: & ſicut ejus fœcunditas & illius virginitas recipere potuerunt in una ſola perſona eſſentiam Dei & eſſentiam hominis; ita fervor ejus & virtus illius reuniunt ſimiliter in una ſola perfectione perfectiones omnium hominum. Inquiritisne, Auditores, prototypon omnium virtutum? Intuemini Mariam, & in ea omnes illas invenietis. Summus Sacerdos Judæorum deferebat præ pectore ſuo multos lapides pretioſos f: Maria verò Mater Jeſu, qui eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* t, defert in anima ſua & in mente ſua omnes virtutes per lapides illos pretioſos repræſentatas *Charitas, juſtitia, patientia, voluntaria paupertas, humilitas timor Domini: ſic prudentia ſic temperantia ſic fortitudo, & ſi qua ſunt virtutes alia quid niſi margaritæ ſunt quæ tam in Sponſæ ornatu, ſplendore perpetuo coruſcantes?* ait S. Bernardus u. Quis ambigit igitur quin Maria quæ eſt *Mater Sponſa* Dei, ait S. Auguſtinus x, Mater ſecundùm corpus, Sponſa ſecundùm animam, *Beatior Maria percipiendo fidem y Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti*, dicit idem S. Doctor z; ſit ornata ſecundùm corpus, & ſecundùm animam, non omnibus lapidibus pretioſis terræ, ſed univerſis perfectionibus cœli, quæ ſunt veræ margaritæ, meliùs quàm primus Angelus in ſtatu creationis ſuæ, priusquam *ad infernum in profundum laci* a detraheretur, cui dixit Ezechiel b, *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum?* Quàm incomparabilis igitur eſt Mater Dei noſtri? Non intueor in illius corpore, in ejus corde, & in ipſius anima, niſi pulchritudines, magnificentias, & mirabilia; & ei, & de illa dici debet potiùs, quàm de faſtuoſo illo Angelo in perſona ſeu in figura Regis Tyri, *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*; Ipſa enim habet id omne, & millies plus quàm ille unquam fuerit, *Corona Regia pretioſiſſimum habens lapidem* c. *& gemmis ſimilem Chriſtum*; ait el, & de illa dictus S. Epiphanius, *Purpura Regia quæ cæli terræque Regem induit, univerſale corporis indumentum purpuram referens, conſtantiſſima Chriſtianorum fides: Liber* d *incomprehenſus, quæ Verbum & Filium Patris mundo legendum exhibuiſti.* Hæc Virgo Regia a Regibus orta, ait idem S. Epiphanius aliquantò antè, *De radice Ieſſe e ortus eſt Rex David, & de tribu Regis Davidis ſancta Virgo:* & Mater illius, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum. Rex regum, & Dominus dominantium* f; eſt etiam ornata omni genere monilium, *Quem peperit Sponſa cæleſtis Maria, quæ eſt cælum, templum, & thronus Divinitatis, inexplicabile paradiſi monile,* dicit aliquantò poſt idem S. Epiphanius. Hæc autem monilia ſunt praxes ejus, virtutes ipſius, æquè ac merita ipſius; & ipſa ſic iſtis prædives eſt prærogativis ut ſit inſtructio vitarum noſtrarum, & prototypon virtutum noſtrarum: *Talis fuit Maria, ut ejus unius vita, omnium diſciplina ſit*, ait S. Ambroſius g. Ipſa ſic eſt plena meritis, & fœcunda perfectionibus, ut vita ipſius ſit academia innocentiæ, & ſchola ſanctitatis, in qua omnes homines diſcunt methodum ſuæ ſaluti peragendæ opportunam. Jeſus Chriſtus *Liber eſt vitæ*, juxta Cornelium h poſt S. Joannem, & ſanctum Anſelmum, dicentem, *Sanctus Anſelmus in Elucidatio ait, librum vitæ eſſe vitam Ieſu, quæ omnibus debet eſſe norma vivendi, per quam, & juxta quam omnes ſunt judicandi. Liber vitæ, eſt liber prædeſtinationis Dei, in quo omnes & ſoli conſcripti ſunt ij, qui deſtinati & electi ſunt ad vitam æternam.* Et Maria Mater Jeſu eſt liber vitæ, ubi ſcriptæ ſunt omnes perfectiones, quas poſſidere debent ii, qui volunt prædeſtinari, ut erui videtur ex prædictis verbis S. Epiphanii. *In veſte podêris, quam habebat* ſummus Sacerdos Fœderis antiqui, *totus erat orbis terrarum* i. Et Domina Chriſtianorum, proponit inſtructiones hominibus totius orbis qui volunt ipſam imitari ſanctitate vitæ: omnia membra ejus nobis prædicant, & perſuadent nobis praxes virtutis ipſius, exercitia illius ſunt totidem exempla; & ipſa videtur fuiſſe poſita in mundo, ut eſſet ibi prototypum omnium perfectionum Divinarum quæ ornant homines æquè ac ut eſſet ibi Mater Dei in natura hominum. Quicumque contemplatur Mariam, contemplatur velut mundum virtutum, quæ depictæ ſunt in omnibus membris ejus: in oculis ejus videtur manſuetudo, in fronte ejus dulcedo, in genis ejus erubeſcentia, in facie illius pudor, in ore ipſius ſilentium, in manibus ejus diligentia, in pedibus illius modeſtia, in ſtatura illius gravitas, in ventre ejus puritas, & in toto corpore illius innocentia: & ſi aperiatur pectus ejus, ut agnoſcantur ornamenta cordis illius, inveniuntur ibi charitas, devotio, humilitas, & cæteræ virtutes omnes. *Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt*, ait S. Ambroſius k. Animæ devotæ, quæ aſpiratis ad perfectionem, venite ad Mariam, & ab ea diſcetis documenta & inſtructiones omnis generis virtutum, quarum ſpeculum eſt vita illius, ubi tanquam in prototypo perfectionis, viri & mulieres, ſenes & juvenes, Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices, omnis denique ſexus & conditionis homines cognoſcunt imperfectiones, quas corrigere debent, *Sit igitur vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beata Mariæ, de qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis*, ait ibidem idem ſanctus Doctor. Maria non erat vana, nolite eſſe vanæ: non erat voluptuoſa, ne ſitis deliciis deditæ: non erat avara, cavete ne collocetis affectus veſtros in terrenis: *Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente; ut ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis*, dicit idem ſacer Antiſtes. Si non poteſtis eſſe virgines, eſtote ſaltem continentes, ut actiones veſtræ habeant aliquam convenientiam cum virtutibus illius: imitatio Jeſu Chriſti ſtupore vos percellit, eò quòd Deus ſit, & inde carpitis excuſationes: Maria non eſt Deus imitamini eam, eſtote imagines ejus, ſicut ipſa eſt imago Filii ſui.

Tertiam facio obſervationem circa Mariam, quâ agnoſco eam eſſe veram imaginem perfectionum Trinitatis, cùm maximam habeat convenientiam cum Spiritu ſancto, qui eſt tertia perſona illius, æquè ac cum Patre & Filio,

f Exod. 28, 17, &c.
t Hebr. 6, 20, ex Gen. 14, 18 & Pſ. 109, 4.
u S. Bern. ſerm. 27. in Cant. 1, 5
x S. Aug. ſerm. 10. de Temp.
y ex Luc. 1, 45, &c.
z S. Aug. l. de S. Virgine c. 3
a Iſai. 14. 15, &c.
b Ezech. 28, 13, &c.
c ex 1. Pet. 2, 6
d ex Matt. 1, 1, &c.
e ex Matt. 1, 6, &c.
f Apoc. 19. 16.
g S. Ambr. l. 2. de Virg. poſt init.
h Com. in Apoc. 20, 12.
i Sap. 18, 24.
k S. Ambr. loco ubi ſup.
III. Pars.

lio) qui ſunt duæ ejuſdem primæ: & hæc ſimilitudo ſeu convenientia conſiſtit in hoc, quòd ipſa proportionabiliter eſt, ſicut Spiritus ſanctus, mare omnium bonorum & fons inexhauſtus, unde effunduntur ſuper corda. Ideò ſi petatis a S. Chryſoſtomo *l* quid ſit Spiritus ſanctus; ipſe vobis reſpondebit, *Ipſe opulentia ſiliorum Dei, ipſe æternorum bonorum theſaurus.* Et ſi efflagitetis à S. Epiphanio *m* quid ſit Maria, ipſe dicet vobis, *Sancta Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſat onus planè arcanum.* Et aliquandò pòſt, ſic illam ſalutat, *Ave gratiâ plena n, quæ ſitientes perenni fontis dulcedine ſatias. Ave gratiâ plena, mare ſpiritale habens gemmam cæleſtem Chriſtum.* Et tandem dicit de ea, *Locuples eſt, Chariſſimi, virtutibus plena menſa Virginea, optimis quibuſcumque cibis abundans quibus terra fruatur.* Cùm bonitas attribuatur Spiritui ſancto, *O quàm bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus o!* inde fit ut *de plenitudine ſua diſtributor magnificus*, ut ait S. Cyprianus *p*, nos ornet diverſis gratiis ſuis *q*, nedum tamen ſemetipſum exhauriat, ita ut nullus ſit qui non ſuſcipiat aliquid *de plenitudine r* donorum ejus, ut verificetur iſtud Propheticum, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus ſ.* Eodem modo loquitur S. Bernardus † de B. Virgine Deipara, *Omnibus omnia facta eſt t, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſimâ charitate debitricem ſe fecit u; omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, Iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.* Propter hanc rationem vocant ſancti Patres eam abyſſum gratiæ, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*, dicit S. Epiphanius *x*. Non ſolùm ipſa eſt Mater Dei, ſed etiam abyſſus & mare continens omnes gratias Dei. *Deus congregationes aquarum appellavit maria y.* Similiter cumulavit animam Matris ſuæ congregatione omnium gratiarum, & hanc animam ſic prædivitem & ita perfectam, vocavit Mariam. Et nunquid non mihi videor audire cæleſtem Virginem, quæ de ſemetipſa loquens, ait per Eccleſiaſticum *z*? *In me gratia omnis Viæ, & Veritatis.* Quaſi diceret, In corde meo, in ſinu meo requieſcunt omnes gratiæ Jeſu, qui eſt *Via, & Veritas, & Vita* a. Pectus meum eſt illarum theſaurus. Quomodo autem non eſſet ipſa *gratiâ plena* b, quæ prima eam hauſit in ſinu Jeſu Chriſti, qui eſt origo fontalis gratiæ? *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* c. Sed dicam melius Ipſa, in cujus ſinum ipſemet Jeſus Chriſtus qui eſt fons gratiæ, effuſus eſt, poteſt eſſe quidem *gratiâ plena.* Propterea ſic illam ſalutat Chryſippus d, *Ave fons lucis omnem hominem illuminantis* e. *Ave Sol ortus* f, *qui nullum ferre poteſt occaſum. Ave armariumvitæ. Ave quæ es hortus* g *Patris. Ave quæ es pratum totius fragrantiæ S. Spiritus. Ave radix omnium bonorum. Ave ſpecimen gemma omne pretium excedentis. Ave vitis* h *uvas pulchras producens. Ave nubes* i *pluvia potum animis Sanctorum exhibentis. Ave quæ es puteus* k *ſemper viventis aquæ.*

Magnitudo immenſa Mariæ, quam Deus ſic dilexit ut fecerit illam officinam & abyſſum gratiarum ſuarum, & introducat illam hodie in gloriam ſuam! *Introduxit me in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.* Eſt igitur Maria elementum liberalitatum Dei, Oceanus benedictionum ejus, Arcaria gratiarum ipſius, & Diſpenſatrix donorum illius, ut non quæramus ampliùs divitias Divinitatis in manibus ejuſdem Dei, ſed in manibus Mariæ, quam ipſemet Deus conſtituit Mediatricem inter ipſum & nos: *Ipſa eſt enim cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*, ait S. Epiphanius *l*. Cur igitur, Auditores, pauperes ſumus, cùm Maria habeat pectus apertum, cor fiſſum, & ſtomachum dilatatum, & ſtomachus, cor, & pectus illius ſint officina omnium bonorum, vel potiùs emporium ubi divenduntur & diſtribuuntur divitiæ cœli? Quæramus, & eligamus ibi omne illud quod nobis erit neceſſarium, & unus è nobis dicat, Volo caſtitatem; alius, Miſericordiam; alius, Patientiam; & alius, Indulgentiam, &c. & omnes ſimul ei dicamus, Volumus. B. Virgo, gratiam Filii ſui in hoc mundo, & gloriam illius in altero.

l S. Chryſ. ſerm. in Pent. in med. *m* S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. *n* Luc. 1, 28. *o* Sap. 12, 1. *p* S. Cypr. ſerm. de Spiritu S. n. 2. *q* 1. Cor. 12, 7, &c. *r* Jo. 1, 16. *ſ* Pſ. 18, 7. † S. Bern. ſerm. de B. V. Maria. *t* ex 1. Cor. 9, 22. *u* ex Rom. 1, 14. *x* S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. *y* Gen. 1, 10. *z* Eccl. 24, 25. *a* Jo. 14, 6. *b* Luc. 1, 28. *c* Jo. 1, 17. *d* Chryſip. ſerm. de Laud. Deip. *e* ex Jo. 1, 9. *f* ex Cant. 6, 9. *g* ex Cant. 4, 12. *h* ex Eccl. 24, 23. *i* ex Iſai. 19, 1. *k* ex Cant. 4, 15. *l* S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Et adducunt ei ſurdum & mutum. Et ſuſpiciens in cælum, ingemuit.
Marc. 7. 23. &c.

MAgna ſanè miſeria eſt, vivere in peccato, quod patet ex ratione contrariorum: ſi ſumma felicitas eſt, vivere vitâ gratiæ, & vitâ gloriæ, ob eandem rationem contrariorum vivere vitâ peccati eſt ingens infortunium. Quoties lethaliter offendimus Deum? Et tamen derepentè non punivit nos, ſicut Luciferum & conſcios rebellionis ipſius Angelos detraxit *ad infernum in profundum laci* a. Oportet ut maxima miſeriarum ſit mori *in peccato* b. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* c; miſeretur hominum *omnium, quia omnia poteſt, & peccata hominum* eorundem diſſimulat *propter pœnitentiam* d. Re autem verâ confeſtim ac *adducunt ei ſurdum & mutũ, ſuſpiciens in cœlum, ingemuit.* Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus e, *Ex compaſſione, quâ non ſolùm præſenti infirmo, ſed univerſis condoluit, qui dæmonum dominatione premuntur: & item ad oſtendendum, quàm difficilè ſanaretur anima ſpiritualiter ſurda ac muta.* Propterea dixit Sapiens f, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Cùm creaverit illos propter gloriam ſuam. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat* g. Statim atque peccaverunt homines, juſtitia Dei vult illos punire, ſed miſericordia opponit ſe rigori juſtitiæ. Plura quidem à Deo ſuſceperunt Angeli naturæ dona, quàm nos: ii ſunt

a Iſa. 14, 15, &c. *b* Jo. 8, 21. *c* 2. Pet. 2, 4. *d* Sap. 11, 24. *e* Dion. Carth. art. 7. in Marc. 7, 34. *f* Sap. 1, 13. *g* Ezech. 33, 11.

ſunt ſpiritus puri, à tertanæ concrationis labe
immunes, nos varò mataliæ ſumus immerū ;
ſed pluta ſuſcapimus à Dao gratiæ dona, quàm
illi : *Nuſquam enim Angelos apprehendit : ſed ſe-*
h Hebr. 2. 16. *men Abrahæ apprehendit* h. Sic in creatione cùm
agararur da creandis iſtis intalligentiis, ſolùm
i Gen. 1, 3 *dixit Deus, Fiat lux : Et facta eſt lux* i. Sed cùm
producendus aſſet homo, idem *Deus ait : Facia-*
mus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem no-
k Gen. 1, *ſtram* k. Ubi peccaverunt illi, relicti ſunt ab eo
25, & 26. in obſtinatione ſua : nobis verò in peccatum
lapſis, *ait Ephphetha, quod eſt, adaperire*. Id eſt, ut
apariamus auras gratiæ ipſius, ne daſeramur in
peccato, ſicut B. Virgo immunis ab omni pacca-
l Cant. 4, 7 to, *tota pulchra* l, aparuit auram m voci Angeli
m Luc. 1. 38. &c. ab ipſo miſſi, & dicantis ſibi, *Ave Maria.*

Nunquam fertur homo ad malum, ut ma-
lum, ſad ſolùm ſub apparantia boni, *Nec ipſe*
Catilina amavit facinora ſua, ſed utique aliud, cujus
n S. Aug l. 2, Conf. c. 5 *causâ illa faciebat*, ait S. Auguſt. n. Si igitur ho-
mines amant malum, & ſaquuntur paççatum,
idaò quia non intimè pervadunt deformita-
tem & malitiam ejus : ſtatim enim ac pecca-
tum attantè conſpicitur, mortem concipit,
cùm baſiliſcus illam inferat intuando. Ut au-
tem nobis imprimatur illius odium, æquè ac
notitia, nobis illud Scriptura raepræſantat in
parſona Lazari mortui, fœtentis *jam : quatri-*
o Jo. 11. 39 *duanus enim* o erat, par faciam mortis : non a-
nim poſt quatuor dies, ſed vel ipſo ex moman-
to quo pattatum eſt, animas noſtras ſic reddit
fœtentes cœlo, ac corpus Lazari fœtebat in mo-
numanto. Per illum hominam, qui *deſcendebat*
ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui et-
iam deſpoliaverunt eum : & plagis impoſitis abierunt
p Luc. 10, 30 *ſemivivo relicto* p. Per *trabem, quæ in oculis eſt* q.
Per filium prodigum, qui *peregrè profectus eſt in*
q Luc. 6, 41. *regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam*
ſuam vivendo luxurioſè : & poſtquàm omnia con-
ſummaſſet, ipſe cæpit egere : & abiit, & adhæſit uni
civium regionis illius ; & miſit illum in villam ſuam,
r Luc. 15. 12. *ut paſceret porcos : & cupiebat implere ventrem*
ſ Matt. 18. 30. &c. *ſuum de ſiliquis quas porci manducabant ; & nemo*
illi dabat r. Et per dabitoram infortunatum,
qui cùm non eſſet ſolvendo, miſſus eſt *in carce-*
rem, donec redderet debitum ſ. Poſt hæc, Audi-
tores, quid poſſumus axcogitara, quod præ no-
ſtræ mantis oculis meliùs ponat infalicitates
& jacturas, quas nobis cauſat peccatum ? Non
babamus aliquid charius vitâ ; illud nobis in-
fart mortem : diligimus ſanitatam ; illud no-
bis infligit vulnera : pompam veſtium, &
manſæ dalicias appetimus ; fama nos illud op-
primit, & ad ſubuculam uſqua nos nudat : a-
mamus libartatam ; illud trahit nos in carce-
rem, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt pec-*
t Jo. 8, 34. *cati* t. Lucem diligimus, aà privat ipſum ocu-
u Sap. 2, 10. los noſtros : *Excæcavit enim illos malitia eorum* u.
Poſt omnia hæc infortunia, inquam, requiri-
musne alia ſigna, quæ convincant fidam no-
ſtram, & inducant nos ad credendum, quòd i-
niquitas eſt horribilis perſacutrix ? Audiamus
Archangalum Raphaelem ſic alloquantam u-
trumque Tobiam, *Qui faciunt peccatum & ini-*
x Tob. 12. 10. *quitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ* x. Ita ut Deus
non poſſit nobis tantum malum facara, quan-
tum facit peccatum mortala. Sic eſt, Audito-
ras : aoumerate omnes torturas quas Deus po-
teſt vobis infligare, ea non poſſont tantùm vo-
bis oocara, quantùm vobis obeſt peccatum le-

thiferum; illæ non ſunt ſimul niſi malum pœnæ,
& motivum compaſſionis, cùm peccatum
mortifarum ſit malum culpæ, & ſubjectum o-
dii Daī, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius &*
impietas ejus y. Quod odium Dei eſt maximum y Sap. 14, 9
infortuniorum omnium. Sit impetiius homo
omnibus pœnis imaginabilibus, & ſit abſqua
culpa, miſar eſt, ſed non improbus : econtra ſit
vel unico peccato mortali inquinatus, vocari
poteſt ore pleno flagitioſus, & omnibus pœnis
inferni & ultrà ſuſtineodis dignus. Verùm e-
nim verò id ſuadet ratio, & jus humanum, æ-
què ac Divinum decarnit, quòd vitia punian-
tur, & virtutas remunerentur : nunquam viſa
eſt virtus defarra coronas, quin peccata cate-
nis fuarint conſtricta : ſi autam aliquando cor-
ruptio & ignorantia perverterunt ordinam, &
nedum daretur ſcaptrum digno poſſeſſione i-
pſius, data ſunt ai vincula, & ſuperpoſitus aſt
throno crimino ſus, hoc non efficit ut caligina
poſſit offundi ſplendor virtutis, & extolli da-
formitas hujus monſtri : dato enim quòd vir-
tus non haberet aliam mercadem præter ſe-
metipſam, ipſa præ ſe fart pretium ſuum, ſplan-
det intar obſcuritatas, & libara eſt intar cate-
nas : acontrà collocetur vitium inter ſplendo-
ras totius orbis, ſuam ſempar habebit dafor-
mitatem, & dafectus ſuos; & ſuppoſito quòd ad
ſupremum gloriæ evaheretur apicem, ſuum
ſempar haberet ſupplicium, quia, ut ait Philo-
ſophia, *Eadem eſt ratio oppoſitorum.* Atqui ſicut
admittitur quædam ralatio gratiæ ad gloriam,
virtutis ad meritum, & mariti ad marcadem ;
ita, ſecundùm ragulam oppoſitorum, datur re-
latio peccati ad pœnam; ita ut, quantùmvis ob-
ſcuratur ſplandor virtutis, & ipſa marcade ſuâ
privetur, daferat ipſa ſamper ſecum pretium
ſuum; econtrà varo paccatum ſecum ſemper
ſuam pœnam invahat. Re autem verâ rectæ
conſonum aſt rationi ut iſtud inferni aborti-
vum puniatur, cùm tantas edat ſtrages in natu-
ra. Et hoc inducit ma ad oſtendendos vobis il-
lius affectus in priori parta diſcurſus iſtius. In
poſteriori varò monſtrabo vobis pœnas quas
meratur. Effectus igitur, quos producit hoc Diviſio.
monſtrum, & pœnæ quibus aſt dignum, dupli-
cam conſtituent concionis hujus partam.

Primus affectus paccati mortalis eſt macula Pars I.
denigrans & deformans animas noſtras, aas-
que reddens abominabilas & dateſtabiles co-
ram Dao more dæmonum. Ut autem ritè re-
præſentetur vobis ſtatus animæ, quæ è gratia
labitur in paccatum mortala, oculis vaſtris ſub-
jicite perſonam aliquam ſic axcallanti ſpecie
præditam, ut ſit, ſi valitis, miraculum pulchritu-
dinis in natura, cùm infirmitas infligit ei mor-
tis ictum, heu quid agitur da illa ? avadit ipſa
cadaver horribila, æquè ac deforma : ſpacies
animæ conſtitutæ in gratia & amora Dai ſui eſt
longè illâ excallentior, aclypſi obſcurat ſpleo-
dorem aſtrorum, & extinguit gloriam firma-
menti : & ſicut pulchritudo corporum conſi-
ſtit in debita proportiona partium beoè diſpo-
ſitarum & convanientium ad invicem; ita ſpa-
cies animæ ſita eſt in congrua ſymmatria om-
nium partium ſuarum cum lega Divina & na-
turali. Prima qualitas hujus pulchritudinis eſt,
quòd omnes virtutes ſint in hac anima, ſicut o-
mnia mambra in corpora ; ſi illa aſt manſuata,
& non caſta, non eſt pulchra ; in ea debet aſſe

congregatio omnium virtutum, ſi velit haberi ut ſpecioſa. Secunda qualitas eſt, ut omnes iſtæ virtutes ſint benè ordinatæ: ſi enim in corpore caput eſſet deorſum, & pedes eſſent ſurſum, hoc præ ſe ferret deformitatem; ſic oportet ut anima, ſeu ratio ſupremum locum teneat, & cæteræ facultates illi morem gerant. Tertia qualitas eſt, ut videatur quædam ſuavitas in his virtutibus, quæ eas gratas reddat oculis Dei; & ipſe eſt amor Dei, qui debet illas omnes animare: ſicut enim pulchritudo corporea vulnus infligit cordi hominum, *Species illius decepit te* z: [y Dan. 13. 56.] ſic ſpecies ſpiritualis vulnerat cor Dei, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa* a. [a Cant. 4. 7, & 9.] Si uxor bajuli habeat conſcientiam mundam, ſpecioſior eſt ſpecioſiſſimâ totius orbis Dominâ, ſi hæc ſuperba ſit, & impudica: nam *denigrata eſt ſuper carbones facies* b ejus. [b Thren. 4. 8.] Ita ut habere virtutes ritè ordinatas amore Dei, iſtud ſit, quod vocamus pulchritudinem animæ; ſed ſtatim ac panditur *ab Aquilone malum ſuper* c hanc ſpecioſam [c Jer. 1. 14.] animam, id eſt, flatus impuritatis ſuper eam, incomparabiles illius pulchritudines areſcunt [d Thren. 1. 6.] d, & hic halitus relinquit in illa maculam, quæ eam denigrat, & qualificat illam peccatricem, & dignam pœnâ; maculam verò ſic fortiter impreſſam ſubſtantiæ animæ, ut inde nunquã ſit receſſura, niſi illam peccator pœnitentia e [e Matt. 16. 19.] ſerâ diluere ſatagat; maculam, quæ dici poteſt privatio gratiæ, cum quadam convenientia ad iſtum inflictum animæ ab hoc inimico mortali, quæ permanet fixa, & inviolatè ſe cuſtodit quoaduſque vulnus iſtud ſit ſanatum præfato pœnitentiæ remedio: & cùm ſit privatio gratiæ, & gratia ſit ſplendor & decor animæ, hæc privatio gratiæ erit deformitas illius: ſed ipſa eſt aliquid etiam formalius, magiſque præciſum quàm privatio gratiæ, tam quia macula, quam relinquit culpa venialis, non poteſt invehere talem privationem, cùm non ſit niſi nebula, quæ reddit diem gratiæ paulò obſcuriorem, ſed quæ tamen illam non extinguit; quàm quoniam peccator unico actu malitiæ, jacturã incurrit gratiæ ſuæ, non poteſt illam ampliùs amittere per peccata mortalia ſequentia, quia illa eſt inſtar vitri, quod non infringitur ictu duplici, ſed unico; & ſicut privatio unius rei ſolius ſupponit habitum ejuſdem rei, non habens ampliùs hanc gratiam, nõ poteſt ampliùs privari re quam non habet ampliùs; & tamen certum eſt, quòd tot actus peccatorum mortalium particularium producunt ſinguli maculam ſpecialem. cùm igitur non ſit ampliùs privatio gratiæ, reſtat ut ſit nova qualitas ſuperaddita per peccata prævia, quæ non eſt alia niſi relatio perſonæ ad actionem ſuam præcedentem, cùm negari non poſſit quin homicida poſt patratam cædem ſuam, inebrians ſe in caupona, homicidio ſuo ſuperaddat ebrietatem, licèt non poſſit ampliùs incurrere privationem gratiæ: deordinatio ergo peccati ita gravis eſt, ut macula quâ denigrat animã, non ſolùm privet eam gratiâ, ſed etiam confeſtim deſtruat aliam ſpecioſam diem quâ ſplendebat per obedientia legi Dei, quam violat, quæ injuria relinquit illi interiorem deformitatem, & ſecretam relationem ad actionem vilem & probroſam peccati, quod commiſit, quæ reddit ipſam infamem & immundã donec pœnitentia & retractatio impetraverit ipſi veniam illius: non ſolùm autem hæc macula illam denigrat, ſed illam etiam reddit abominabilem & deteſtabilem coram Deo more dæmonis: *Magnus enim dæmon peccatum eſt* f. [f S. Chryſ. hom. 9. et c. 23. Mat.]

Ut autem iſtam meliùs concipiatis veritatem, obſervate quòd Theologia repræſentat nobis dæmonem ut ſpiritum maledictum, in quem poſſibiles omnes ingerimus maledictiones: atqui dæmon non eſt talis niſi ratione peccati ſui, ſine quo noſtras omnes ſibi cõciliaret reverentias, & cordium noſtrorum inclinationes. Probationem illius deſumite ex eo, cujus Ezechiel g deſcribit excellentiã per gloriam Regis Tyri, *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientiâ, & perfectus decôre*, &c. [g Ezech. 28, 12, &c.] Præditus erat plenitudine omnium perfectionum, quarum ſimplex creatura capax eſt ſuſcipiendarum, ditatus pretioſiſſimis naturæ theſauris, & gratiæ prærogativis, uno verbo pulchritudine eminens omnibus creaturis, donec infelix ingreſſum præbuit peccato, quod ipſum prædictis omnibus ſpoliavit ornamentis, & ſic effecit deformem ac horribilem, *Peccatum eſt viſu deforme, importunum, moleſtum, & grave*, ait S. Chryſoſtomus h. [h S. Chryſ. hom. 9. in 1. Cor. 3.] Quàm infelix effectus peccati, reddidiſſe ſpecioſiſſimam omnium creaturarum, maximã abominationum omnium quæ concipi poſſint in univerſo orbe! Digna repræſentatio peccatoris, qui conſtitutus in gratia, honorari debet à cœlo & à terra ut parvus Deus, cùm talis æſtimetur à Deo, *Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes* i. [i Pſ. 81, 6] Sed ſi peccatum mortale ſibi locum paret in anima ejus, ex eo conſtituit dæmonem talem, qualis fuit Judas proditione ſuâ, *Ex vobis unus diabolus eſt* k. [k Jo. 6, 71] Sic eſt, Auditores: peccator evadit diabolus per peccatum ſuum, quod illum facit ingredi in maledictam unionem cum illo; & conſequenter ſicut *qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* l, [l 1. Cor. 6. 17.] evadit ſpiritus nobilis, purus, ſanctus, & perfectus: ita per rationem contrariorum, qui adhæret diabolo per peccatum mortale, efficitur ſpiritus impurus, ſicut ille *immundus ſpiritus eſt* m. [m Luc. 11. 24.] Sic vocatur in Scriptura n *Abominatio* [n Dan. 9. 27.] propter deformitatem ſuam ſic horribilem: cùm enim ſic directè opponatur Deo, qui eſt *omne Bonum* o, [o Exod. 33. 19.] nihil habet omnino Dei, & conſequenter nihil amabile; ſed eſt ſumma malitia digna omni odio, & ita execrabilis, ut S. Catharina Genuenſis tantu perculſa fuerit terrore, tantiſque tormentis vexata ad ſolum vel intuitum deformitatis ejus, etiamſi ipſa fuiſſet in gratia Dei, ut aſſeruerit præ omni veritate, ſe electuram potiùs ſe projicere in flammas æquè ardentes ac ignes inferni, ſi ipſi liceret, quàm videre denuò monſtrum ita deteſtabile, & rem ſic contrariam Deo ſuo. Ecce, Auditores, primus effectus peccati mortalis, deformare animam, illamque reddere abominabilem præ oculis Dei more dæmonis, *Abominatio Domino eſt pravum*, ait Salomon p. [p Prov. 11. 20.] Et Pſalmiſta q loquens de peccatoribus omnibus, dicit, *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt.* [q Pſ. 52. 2.]

Secundus effectus peccati, eſt ſpoliare animã omnibus gratiis & meritis, eamque incapacẽ reddere quæ operetur opus aliquod gloriæ meritoriũ. Cenſuerunt aliàs Ethnici, maximũ omnium infortuniorum fuiſſe, ut quis è divite & opulento, adverſam fortunam expertus, pau-

pauperrimus & abjectiſſimus mortalium dein-
ceps evaderet, *Summum infortunij genus eſt, fuiſſe
aliàs felicem.* Quaſi memoria prætetitæ felici-
tatis,& caſus in maximam calamitatem, eſſet
omnium miſeriarum cumulus,& univerſarum
extreme infelicitatum: tantundem deflenda,
imò verò deplorabilior eſt infelicitas animæ,
quæ poſſidens omnes veras divitias cœleſtes,
quæ ſunt gratia & charitas, dona Spiritus ſan-
cti, participatio omnium bonorum operum,
quæ fiunt in Eccleſia, poſſeſſioque Dei ipſius;
& quæ tanti ſunt momenti ac valoris, ut vel a-
ctio minima virtutis quam exercet, infinitas
conciliet ipſi cœli mercedes: *Id enim quod in
præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis no-
ſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ*
a 2. Cor. 4. 17. *pondus operatur in nobis* r: per unum peccatum
mortale amittit omnes iſtos inæſtimabiles the-
ſauros,omnia merita, & univerſos fructus la-
borum,orationum, Confeſſionum, Communi-
onum,jejuniorum, pœnitentiarum,eleemoſy-
narum, & aliorum omnium bonorum operum
ſuorum: ita ut ſi per plurimos annos vitam du-
xiſſet ſanctam & irreprehenſibilem, & per ſin-
gula momenta ejuſdem vitæ nova ſuſcepiſſet
incrementa gratiarum & meritorum inter-
ventu continuarum actionum heroicarum vir-
tutis,unicum peccatum mortale ſuperveniens
hæc univerſa profligeret, & hæc omnia merita
anteacta penitus interirent.

ſ Abd. v. 5 Appoſitè nobis iſtud repræſentet Abdias ſ
infortunium, peccatum latrone pejus deſcri-
bens, *Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per no-
ctem: quomodo conticuiſſes? nonne furati eſſent
ſufficientia ſibi?* Quaſi diceret, Latrones nocte
ſuffurentes auferunt quidem aurum, argen-
tum, lapides pretioſos, & quidquid invenire
poſſunt domi ditiſſimum, ſed non omnia aſ-
portant,non trabes,non menſas, nec abacos:
at peccatum mortale univerſa merita ebripit.
*Si vindemiatores introiſſent ad te, numquid ſaltem
racemum reliquiſſent tibi?* Qui vineam vinde-
miant aliquam, poſt ſe ſemper relinquunt u-
vam: ſed peccatum mortiferum nullum re-
linquit in anima, quam ingreditur, omnino
meritum. Suppono quòd *linguis hominum &
Angelorum* locuti fueritis; quòd habueritis
*prophetiam, & noveritis myſteria omnia, & om-
nem ſcientiam, & habueritis omnem fidem, ita ut
montes* transtuleritis; *& diſtribueritis in cibos
pauperum omnes facultates* veſtras, *& corpus* ve-
1. Cor. 13. 1. &c. ſtrum tradideritis,*ita ut* t *arderetis*: volo et-
iam ſupponere id,quod poſſibile non eſt, ſicut
nec illud à vobis perfectum eſt, quòd ædifican-
das ſategiſſetis tot Eccleſias,quot ſunt in mun-
do Templa ſacra, quòd convertiſſetis ad Je-
ſum Chriſtum omnes infideles,quòd patraſſe-
tis tot miracula, quot *per manum Apoſtolorum fie-*
u Act. 5. 12 *bant ſigna, & prodigia in plebe* u: & paſſi fuiſſe-
tis pro Jeſu Chriſto omnia tormenta Marty-
rum, qui *ludibria & verbera experti, inſuper &
vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati*
x Hebr. 11 36. &c. *ſunt,in occiſione gladii mortui ſunt* x, &c. imò
verò tantùm amaviſſetis Deum,quantùm dile-
xit illum B. Virgo Maria; omnes iſtæ digni-
tates,univerſa hæc opera bona,cunctæque iſtæ
gratiæ extinguuntur per unicum peccatum
mortale ſuperveniens eis; & confeſtim non
eſtis ampliùs niſi inimici Dei, exhæredati pa-
radiſo,& rei flammarum æternarum,niſi Deus
per gratiam & miſericordiam ſuam ex iſta vos

retrahat abyſſo. Sic eſt, Auditores: *Quicumque
totam legem ſervaverit,offendat autem in uno: fa-
ctus eſt omnium reus* y. Et ſic annihilat omnia y Jac. 2. 10
merita ſua; imò verò omnia opera quæ agit in
hoc ſtatu, licèt ex ſe bona, erunt illi inutilia
quantùm ad gloriam conſequendam. Ut illud
concipiatur,conſideranda ſunt bona opera,aut
ut moralia,aut ut ſalutaria. Illa ſunt moraliter
bona, quæ habent objectum honeſtum, finem
laudabilem,& bonas circumſtantias, licèt ille
qui ea agit, poſſit non eſſe in gratia Dei. Hæc
judicantur ſalutariter bona, quæ ſunt merito-
ria paradiſi, quatenus præter rectitudinem ob-
jecti,finis, & omnium circumſtantiarum bono
operi congruentium,habent pro principio gra-
tiam,& fiunt ab amico Dei. Hoc ſuppoſito,li-
cèt peccator in ſtatu peccati mortalis omnia
peragerer,quæ modò recenſui ex ſancto Paulo,
quantùmvis elatæ eſſent bujuſmodi actiones
virtutis moralis,nunquam ullis ex iſtis actioni-
bus debebitur aut dabitur paradiſus; omnes il-
læ ſunt infructuoſæ quantùm ad gloriam æter-
nam, quæ reſpondet meritis z; hæc autem z 2. Tim. 4 7. & 8.
præſupponunt gratiam neceſſariò, *Non ego au-*
tem, ſed gratia Dei mecum a. Et hæc eſt, quam a 1. Cor. 15. 10.
peccatum lethiferum expulit.

Ut videatur hoc clariùs, ſubjicite veſtris o-
culis hominem ab anno lapſum in unicum pec-
catum mortale,qui ſcilicet non patraverit niſi
illud per totum annum, & cujus ipſum nõ pœ-
nituerit,& quod ipſe non fuerit confeſſus ut de-
cet toto illo tempore; & tamen non deſtiterit
à peragendis operibus bonis orationum, jeju-
niorum,& eleemoſynarum: dico quòd hæc o-
mnia bona opera quæ peregit hoc anno, quo
permanſit in ſuo peccato lethifero, nunquam
agnoſcentur ipſi propter vitam æternam, quia
non habent principium vitæ, quod eſt gratia.
Fructus reſpondere debent ſemini: ſemen glo-
riæ,quod eſt gratia,non eſt in illis: ergo ſpera-
ri non poteſt ex illis æternæ vitæ fructus. Atta-
men ex iſta doctrina veriſſima non debent an-
ſam peccatores arripere deſperationis, & di-
cere: Si fœnerator ſum,aut impudicus,aut ali-
cujus alius peccati conſcius,& quòd in hoc ſta-
tu audire Miſſam,aut concionem, jejunare vi-
giliis & Quadrageſimâ, cibare pauperes, aliiſ-
ve bonis actionibus vacare,hæc omnia bona o-
pera mihi non debeant ſervire: his igitur re-
nunciare debeo bonis operibus, & genio in-
dulgere. Tantùm abeſt ut ab illis abſtinere de-
beatis,aut ideò pejores effici, quin econtrà ſe-
riò eſt illis incumbendum,quia aut præſervant
à novo peccato mortali patrando, quod ille
qui conſcius eſt impuritatis, committeret de-
ſiſtens ab audienda Miſſa, aut à jejunando, &c.
aut illa nobis acquirunt novos habitus ad benè
agendum,& hanc nobis tribuunt facilitatem &
utilitatem vivendi rationabiliter, & confor-
miter ad virtutem,& non more beſtiarum: aut
quia cùm Deus nemini velit eſſe debitor, vult
ea ſaltem præmiari proſperitate bonorum tẽ-
poralium,cùm non poſſit illis æterna bona tri-
buere: aut quia impediunt potentiam & cona-
tus dæmonum qui expelluntur bonis operati-
onibus,præſertim *in oratione, & jejunio* b. Aut b Marc. 9. 29.
tandem quia provocant Divinam Miſericor-
diam ad danda nobis bona deſideria, & ad au-
gendas nobis motiones internas noſtræ con-
verſionis, *Quam ob rem, Rex, conſilium meum pla-
ceat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & ini-*

*quitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan igno-
ſcet delictis tuis* c, aiebat Daniel Nabucnodono-
c Dan. 4. 24. ſor. Sed ſemper redeo ad id quod dixi, quòd
peccatum mortale eſt tyrannus ſic crudeliter
devaſtans animas noſtras, ut gratia & omnes
virtutes infuſæ (exceptis duabus primis Theo
logicis) & Deus ipſe eas deſerant, & omnia
bona opera ſint ipſis pro nihilo quantùm ad ſa-
lutem æternam.

II. Pars. Sed cùm peccatum animas noſtras maculet,
& eas gratiis privet & meritis, remanere non
debet impunitum. Illud eſt quod edocet nos
d Job 9. 28 Job *d.* dicens Deo, *Verebar omnia opera mea, ſci-
ens quod non parceres delinquenti.* Sciendum eſt
igitur, quòd ſtatim ac peccatum mortale irre-
pſit in animam, è liberis, quales eramus per gra-
tiã, per quam Deus nobis *dedit poteſtatẽ filios Dei
e Jo. 1, 12. fieri* e, *quâ libertate Chriſtus nos liberavit* f; ſuper
f Gal. 4. 31 nos injicit catenas & compedes iræ & maledi-
ctionis Dei, & nos redigit in captivitatem pœ-
næ, quæ eſt quidam dolor contrarius animæ
noſtræ ac voluntati, juſtè ei applicitus ob vindi-
ctam criminis ipſius, *Tribulatio, & anguſtia in om-
nem animã hominis operantis malum,* ait Apoſto-
g Rom. 2. 9 lus g. *Tribulatio* continet eminenter omne ge-
nus dolorum ultra id omne quod ab homini-
bus & ab Angelis poſſit concipi, quibus impe-
titur homo, & hæc eſt pœna ſenſus univerſalis
abſolutè, & quantùm ad extenſionem ſuam, &
quantùm ad intẽſionẽ ſuã, quæ ſingulas excru-
ciat hominis partes. *Anguſtia* tenet omnes & ſin-
gulas illius potentias cõcatenatas, & æternali-
ter applicitas viſui pœnarum, & triſti recorda-
tioni gloriæ inæſtimabilis, quam potuit, & de-
buit habere, & quã voluntariè perdidit; & hæc
eſt pœna dãni. Vel dicamus, quòd hæc obliga-
tio ad pœnam, eſt inſtar fulminis tricuſpidis,
eò quòd peccatum ad triplicem nos obſtringat
pœnam, quæ ulciſcitur injuriã, quã peccator in-
h S.Th. 1. 2. q. 87. a. 1 in corp. tulit rationi, legi humanæ, & Juſtitiæ Divinæ.
Sicut enim, ut ait S. Thomas *h*, homo conſide-
rari poteſt in triplici ſtatu, naturali, civili, &
Chriſtiano, & voluntas ejus eſt ſubdita tribus
ordinibus, quorum primus eſt in nobis, ſecun-
i Pſ. 4. 7. dus extra nos, & tertius ſupra nos; & primus
continetur in ratione *i*, quæ eſt inſtar Præce-
ptoris & Angeli domeſtici, cujus ſequenda
k Rom. 13 1. &c. ſunt conſilia; ſecundus eſt Reſpublica politiæ
k. quæ ſuæ ditioni ſubjicit omnes eos qui intra
l Exod. 20. 3, &c. diſtrictum juſtitiæ ſuæ continentur; tertius ve-
rò eſt Divinus, qui eſt Lex *l* Creatoris, quam i-
pſe vult ab hominibus obſervari: peccatum
tres iſtos pervertit ordines, offendens ſimul &
ſemel rationem naturalem, legem humanam,
& præceptum divinum: atqui certum eſt, quòd
nunquã res aliqua inſurgit in aliã ad eam capi-
endam, quin res impetita omnes ſuos inſumat
conatus ad reprimendã inſolentiam hoſtilem:
peccatum igitur inſurgens in tres iſtos ordi-
nes, quos intendit exinanire, efficit ut iſti ſint
armati pœnis & ſuppliciis ad illud plectendũ.
m Pſ. 50. 5 Primus illud punit torturis ſecretis, quæ ſunt
ſyndereſes, & remorſus conſcientiæ *m*. In ſe-
cundo, Reges ut ſibi obedientiam ſuorum con-
n Eſth. 7. 10 cilient ſubditorum, habent flagella, funes pati-
bulares *n*, & rotas. Deus autem ut ulciſcatur or-
o Matt. 25 41. dinem ſuum everſum ab homine, præ manibus
ſuis tenet fulmen damnationis æternæ *o*. Quo-
ad primã pœnam inflictã à ratione, dico, quòd
ipſa ſibimetipſi litem intendit, & dicit, & quòd
ſtatim ac peccatum cõmiſſum eſt, quidam car-
nifex remorſus interioris rodit conſcientiam,
ut hericius illam ſtimulat, & ſicut vermis illam
devorat, *Vermis eorum non morietur* p. Quia in- p Iſai. 66, 24.
tellectus habet actus qui præcedunt voluntatẽ
& iſti repræſentant ei id, quod eſt agendum, &
id quod eſt fugiendum, *Declina à malo, & fac bo-
num* q. Alii ſunt actus, qui eam ſequuntur: ſi q Pſ. 36, 27.
voluntas amplectatur bonum, actus iſti blandi-
untur ei, illamque lætificant: ſi econtrà adhæ-
reat ipſa malo, actus iſti eam accuſant, & cruci-
ant; & ex hoc duplici genere actuum facile eſt
viſu confuſionem impiorum in vanitate conſi-
liorum ſuorum: quid enim quærunt, quid deſi-
derant aliud niſi facilitatẽ fruendi deliciis ſuis?
Inveniunt conſcientiã ſuam contradicentem
conſiliis ſuis criminoſis, cui ſilentium non poſ-
ſunt imponere: ipſa eſt ſicut vox, quã *dicebat Io- r Marc. 6. 18, &c. ex Lev. 18, 16
annes Herodi. Non licet tibi* r. Hæc eſt reſiſtentia,
& contradictio, quæ impedit facilitatem. Si
autem veſtram ſupergrediamini conſcientiã,
ut fruamini eo, quod inquiritis, incaſsùm poſt
fruitionem illius pollicemini vobis impunita-
tem ejus: poſtquàm enim voluptuosè tempus
transegeritis per diem, mortis umbræ nocte ſu-
pervenient, vel ipſi fortaſſe mortui rationem
efflagitatum venient à vobis bonorum ſuorũ,
& ſanguinis ſui: & ſi ſtimulus veſter interior
aliquam vobis indulget intermiſſionem, idem
vobis accidet, quod contigit Herodi: poſtquàm
enim necem inferendã præcepit S. Joanni Ba-
ptiſtæ, crimini ejus applaudebatur ab aliqui-
bus adulatoribus; ſed confeſtim ac audiebat a-
liquem loqui de Meſſia & de miraculis ejus,
imaginatus ſibi factum eſſe ſermonem de S. Jo-
anne Baptiſta, remorſu ſui criminis ſtimulatus,
*dicebat, quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis:
& propterea virtutes operantur in illo? Quem ego
decollavi Ioannem, hic à mortuis reſurrexit?* Poſt
ſatisfactionem à te paſſionibus tuis impenſam,
aliquot horis, aut diebus aliquot quietus eſſe
potes, ſed tandem triſtitia obruet te ſubitanea:
unde oritur illud? E conſcientia quam imagi-
nabaris te extinxiſſe: ipſa eſt quæ angit & cru-
ciat animam tuam, & te confundit in conſilio
quod formaveras impunitatis inveniendæ poſt
adimpletam voluptatem tuam criminoſam.

Peccatores ferunt ſemper charactêres &
memorias criminum ſuorum, quæ ipſos accu-
ſant, & torquent, ut ait S. Baſilios f, *Quando- f S. Baſil. hom. 2 in Pſ. 7, 12.
quidem igitur peccatum à me commiſſum eſt, juxta
meritum meum talionem recipio.* Pœna ſeparari
non poteſt à peccato, hic effectus ſemper in-
venitur cum cauſa ſua: eſt igitur errare ac
credere, quòd ſuper terra dentur rei impuni-
ti, quia ſunt honurati: deponatur hic error,
crimen illorum facit tormentum ipſorom, &
nedum recurratur ad Furias vindices, in eo-
dem loco ſuum crimen deferunt, atque ſuum
tortorem; & licèt homines vitia confundant
cum virtutibus, æſtiment illud quod deberent
vilipendere, & altaria erigant iis, qui non me-
rentur niſi patibula, etiamſi cœlum faveat om-
nibus eorum conſiliis apparenter, ſcitote ta-
men, quòd illi ſunt infelices, ſi ſint criminoſi,
& inter hanc infelicitatem illorum, quæ
noſtram excitat invidiam, experiuntur pœnas,
quæ noſtram provocarent compaſſionem, ſi æ-
què evidentes eſſent ac ſunt veræ. Conſcien-
tia noſtra igitur ſemper defert accuſatorẽ do-
meſticũ qui ſuã facit audiri vocẽ, judicẽ quem
recuſare non poſſumus, tribunal quod effuge-
re nequimus, & ſupplicium quod non valemus
evadere. Et

Et quia notitia, quam præbet nobis ratio noſtra, boni ſequendi, & mali fugiendi non ſufficit ad coercendam voluntatem noſtram intra juſti obſequii limites, lex politica cognoſcens quòd homo eſt capax vitii, & virtutis, & conſequenter dignus honore, & præmio quantùm ad iſtam, & dedecore, ac pœnâ quantùm ad illud, decrevit ſupplicia, æquè ac mercedes, ne virtus privaretur coronâ ipſi debita, nec crimen ſupplicio, quod eſt ſecunda pœna, quam meretur.

Sed ſi homines, ut contineant ſub rigore & coactione legum inſolentiam & temeritatem paſſionum noſtrarum, inſtituerunt pœnas, & erexerunt patibula ad damnanda & punienda vitia, credine poteſt quòd Deus ſuam non habeat juſtitiam, & quòd videns nos patrare tot
t Jo. 8. 21 ſcelera *& in peccato* t noſtro mori, ſit habiturus juſtitiam ſine ſententia, aut ſententiam ſine ſuppliciis, quibus nos excipiat? Pœna igitur, quæ inſequitur culpam mortalem, eſt id quod
u Matth. 25. 41 vocamus *Ignem æternum* u. Quia ſicut æquiſſimum eſt ut creatura x ulciſcatur de peccato-
x Sap. 5. 18. & 21 re cauſam Creatoris ſui; cùm ignis ſit præ omnibus creaturis acerrimus & acutiſſimus, per totam æternitatem ſervire debebit inſtrumentum & miniſter juſtæ iræ ejus. De hac autem
y Prov. 12. 29 pœna loqui videtur Salomon y comparatione ductâ à fabris ferrariis, qui ferrum ignitum & tandem incudi ſuperponunt, illudque tundunt & retundunt repetitis malleorum ictibus, deinde immergunt illud aquæ, & poſteà projiciunt adhuc illud in ignem, *Parata ſunt deriſoribus judicia: & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Horribiles inferni incendiarii dæmones deſtinati ſunt ad torquendos reprobos, & ex uno tormento faciunt illos ad aliud tranſire, *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque*
z Job. 24. 19 *ad inferos peccatum illius* z. Quàm deteſtabile eſt peccatum, cùm infernus ſit pœna illius, & quàm formidabilis infernus eſt, cùm ſit meritum peccati! Non poteſt ſatis dici quid ſit infernus; nec ſufficienter enunciari poteſt quouſque pergat malitia peccati: non poteſt aliud dici niſi quòd peccatum eſt meritum inferni, & quòd infernus eſt juſta pœna peccato debita, naturaliter ſibi manum præbent, ut mutuam adinvicem ineant ſocietatem: ſi igitur poſſem vobis inculcare horrorem pœnarum inferni, proculdubio dignè mentibus veſtris impreſſiſſem horrorem peccati, quod perducit ad hanc miſeriam & infelicitatem æternam. Non poſſum vobis eum meliùs exprimere, quàm ex doctrinâ quam didicimus in ſcholâ veritatis, quòd in inferno ſit duplex ordo pœnæ. Una vocatur pœna damni. Altera verò pœna ſenſus. Duplicem concipimus in eo deformitatem, nimirum averſio-
a Jer. 8. 5. & 6 nem à Deo, & converſionem ad creaturam a, Averſio à Deo punitur pœnâ damni. Converſio autem ad creaturam plectitur pœnâ ſenſus, de qua nihil habeo dicendum, cùm alibi de ea paſſim fuerim locutus. Pœna damni ſic communiter definitur in Schola, Privatio involuntaria Boni ſupremi convenientis & neceſſarii perfectioni creaturæ rationalis, ſed quod ipſi deeſt propriâ culpâ. Ipſa eſt jactura beatitudinis æternæ, id eſt, amiſſio Dei, ſed talis momenti ut ſicut per viſionem & fruitionem ingreditur anima in communicationem Dei, *qui replet*
b Pſ. 102. 5 *in bonis deſiderium* b ejus: ita per rationem oppoſitorum, privatio Dei, à quâ ipſa ſe intuetur ſeparatam in æternum, efficit ut concipiat ipſa dolorem ſic immodicum ut æquè incomprehenſibilis ſit dolor iſte ac verus eſt. Sufficit autem ut dicamus, quòd ſicut Deus eſt *omne Bo-* c Exod. 33. 19
num c, quod *non habet finem* d: ita anima d Baruch 3. 25
quæ Bonum illud perdit, jacturam incurrit infinitam, & quòd cùm creatura rationalis, quæ non eſt producta niſi ad poſſidendum Deum in gloriâ; *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* e, e Gen. 9. 6
incurrat hanc jacturam; ipſa excidit ex ultimo fine ſuo, qui caſus è fine ſuo eſt abolitio primæ & principalis intentionis Dei ſuper animam, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietũ eſt cor noſtrum,* f S. Aug. lib. 1. Conf. c. 1
donec requieſcat in te f. Si aulici poſt deguſtatas Curiæ delicias, & experimento comprobatum favorem Principum, inveniunt ſic intolerabile viſu ſe ab illis ſeparatos; ſi vani illi amaſii qui tanquam idololatræ colunt aliquam pulchritudinem mortalem, depingunt nobis in querelis ſuis abſentiam illius, quam amant, mille mortibus moleſtiorem, heu quàm amara debet eſſe damnatis privatio Dei, & gloriæ ejus, quæ eſt irreparabilis! Et quia talis privatio Dei non eſſet pœna affligens, ſed ſolùm privativa, niſi ſociaretur notitiæ Regni cœleſtis quod amittitur, Deus dabit animabus damnatis cognitionem illius jacturæ, ut ipſæ poſſint illam experiri, & ipſarum voluntas dolore crucietur immodico, ſe talem pertuliſſe jacturam, ut debeat eſſe extrema ipſius infelicitas. Penes me erat, inquient ſingulæ animæ infelices, comparare mihi cœlum, unicâ vel lacrymâ illud lucrari poteram, unicum firmum conſilium me in emendatæ vitæ frugem bonam recipiendi poterat mihi illud acquirere; & ob exiguam ſatisfactionem, propter voluptatem momentaneam amiſi illud in æternum. Hæc cogitatio erit perpetua, & ſemper actualis ad repræſentandum eis jugiter infortunium ipſarum, & jacturam ipſarum ſine induciis, abſque ullo intervallo: hæc cogitatio exacerbabit mentes ipſarum, & corda ipſarum affliget.

Secundum conſiderabile in hâc pœnâ damni, eſt, quòd in eâ eſt violenta ſeparatio animæ à Deo ſuo; cùm certum ſit, quòd ex eo momento quo anima ſeparata eſt à corpore ſuo, quodam pondere, quod Deus illi indidit, ipſa tendit naturaliter ad poſſeſſionem Dei ſui; & ſi accidat quòd ipſa ſe experiatur ab eo ſeparatam ad tempus; maximâ pœnâ tunc afficitur: ſed ſi ipſa cognoſcat, quòd ab eo ipſa ſeparabitur tandiu quandiu ipſe erit Deus, hæc ſeparationis æternæ cogitatio & notitia eſt pœna, quam nec homines nec Angeli valent concipere, nedum eam poſſint exprimere, quia cùm omnis dolor contingat è ſeparatione partium, aut continui, in quo res habent majorem unionem; ita & dolorem perpetiuntur violentiorem in ſeparatione vel diviſione illarum: atqui anima eſt creata & deſtinata ad hoc ut uniretur aliquando inſeparabiliter ſummo Bono ſuo, & Deo ſuo: eo igitur momento quo propter crimina ſua, ab eo ſe videt rejectam, hæc ſeparatio ipſius ab illo non niſi præ maximis fieri poteſt violentiis.

Tertium obſervatu dignum in hac pœna damni, eſt deſertio æterna, quam Deus aget animæ damnatæ; ipſa non pertinet ampliùs ad Deum ut filia ejus, ſed ut rea; nunquam Deus ampliùs illius aget curam, nullam ampliùs habebit bonam ipſa cogitationem, nullum bo-

Digitized by Google

num affectum, tradita in poteſtatem dæmonũ. Conſiderate quantis malis excruciet dæmon corpus, quod Deus tradidit poteſtati iſtius hoſtis generis humani: quid agetur ergo cùm anima erit penitus tradita poteſtatibus ejus? Ad quam redacta erit hæc anima deſperationem, intuendo ſe derelictam in loco horroris, ejectam *in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium* g? [g Matth. 8.12] Vivere non poſſetis unicâ vel nocte in aliquo loco horribili, deſerto, pleno leonibus, tigridibus, & pantheris quin pavore periretis: quid erit igitur ingredi immediatè diſcedendo ab iſto corpore in regionem remotiſſimam à Deo, in cloacam mundi, & in domicilium dæmonum, *terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat* h: [h Job 10. 21. & 22] Quid ſperare poteſt anima damnata ex his carnificibus infernalibus plenis furore & rabie?

Tandem, Obſervo in hâc pœnâ damni æternum & irreconciliabile odium Dei adversùs iſtas maledictas animas. Ut autem ritè concipiatur quouſque pertingat hoc infortunium, conſiderandum eſt, quòd ſicut amor Dei eſt origo omnium bonorum, quæ Beati poſſident; ſic odium Dei eſt principium omnium malorum, quibus cruciantur, aut affliguntur reprobi: atqui illi æternâ & immutabili fruentur poſſeſſione Dei, & plenitudine omnis boni, quia diliguntur à Deo, & diligunt Deum, *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* i. [i Iſai. 32. 18] Igitur iſti, ſeu reprobi omni genere afflictionum obruentur, quia Deus abhorret illos, & ipſi oderunt Deum.

Ha animæ damnatæ, oportet igitur ut ſitis penitus execrabiles, cùm ita vos oderit Deus! Si homo ſciret, quòd ipſum proſequerentur odio univerſæ creaturæ, non poſſet ſanè vivere: atqui damnatus agnoſcit quantùm Deus ipſum oderit, & quòd tale odium inducit Deum ad ipſum perſequendum tandiu quandiu ipſe erit Deus: obſervate, ſi placet, Auditores, quouſque perveniat illud odium: non eſt liberum Deo ad non odiendum peccatorem, oportet ut illi ſit contrarius, ut illum perſequatur, & illum puniat; oportet per conſequens, ut damnatus videns ſe ſubditum perſecutioni, & odio Dei, ſeque ab illo puniri, oderit & deteſtetur Deum, quem videt eſſe Judicem & Vindicem ſuum, eumque apprehendat ut malum ſibi maximè repugnans ac contrarium. Hoc autem odium mutuum & æternum nullum poteſt habere aliud fundamentum niſi ex contrarietate quam in æternum habebunt Deus & damnatus adinvicem reſpectivè: ſicut enim ſimilitudo producit in nobis complacentiam quandam, quæ noſtros incurvat affectus, eoſque ſuaviter inclinat ad ſubjectum ſimile; ſic odium, ſeu indignatio pertinax inter perſonas non poteſt oriri niſi ex contrarietate inclinationum & voluntatum ipſarum: inde infortunium æternum animæ damnatæ erit velle æternaliter id, quod nunquam erit, & nolle unquam id quod erit ſemper; in æternum deſideriis ducetur ipſa contrariis; in æternum volet ipſa, & nolet; in æternum efflagitabit dives epulo guttam aquæ, *ut refrigeret linguam* k *ſuam*; [k Luc. 16. 24] & in æternum hæc illi denegabitur: in æternum liberari volet ab hoc igne, ubi ardet; & in æternum in illo permanebit Pœna inexplicabilis, ſed plena juſtitiâ! Hæc anima damnata noluit hîc ſatisfacere Deo; & Deus nunquam dabit illi id, quod ipſa cupit.

Ha peccator! *Scito & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum* l. [l Jer. 2. 19] Id eſt, ob exiguam voluptatem, ob delectationem tranſitoriam, propter oblectamentum momentaneum. Conſidera fœnerator cuinam periculo te exponas eripiendo bona aliena: ſed potiùs intuere ad quem ſtatum redactus es, cùm certum ſit quòd *in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* m. [m Jere. 2. 34] Perpende ambitioſe ne more alterius Luciferi, qui voluit eſſe *ſimilis Altiſſimo, ad infernum in profundum laci* n [n Iſai. 14. 14. & 15] detraharis: & ſi vis impoſterùm evitare omnes iſtas pœnas, cogita & recogita in mente tua hæc omnia tormenta & univerſas pœnas iſtas peccati, & pro certo teneo, quòd ſi huic cogitationi ſeriò vacaveris, declinabis à peccato, conciliabis tibi gratiam Dei, & tandem conſequêris gloriam ejus.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ. Luc. 10. 27.

Videns Balac omnia quæ fecerat Iſraël Amorrhæo, miſit nuntios ad Balaam ariolum, ut vocarent eum, & dicerent, Veni, & maledic populo huic, quia fortior me eſt. Surrexit Balaam manè, & ſtratâ aſinâ ſuâ profectus eſt cum eis. Et iratus eſt Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui inſidebat aſinæ. Cernens aſina angelum ſtantem in via evaginato gladio, avertit ſe ab itinere, & ibat per viam. At ille verberabat eam. Aperuitque Dominus os aſinæ, & locuta eſt. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in viâ evaginato gladio. Dixit Balaam, Peccavi a. [a Num. 22. 2. &c] Liber erat Balaam ad agendum, aut non faciendum id quod Rex ab ipſo deſiderabat: tamen ut aggreſſus eſt exequi id quod efflagitabat ab ipſo Balac, & minatus eſt ipſi mortem Angelus, apparens aſinæ ipſius, ipſe deſtitit ab incepto conſilio ſuo proſequendo: licèt anima noſtra remanſerit libera poſt peccatum, tamen aliquo modo cæca effecta eſt, neſcit ipſa quid debeat eligere, & quid reſpuere: aſina Balaam eſt figura cognitionis ejus, quæ licèt diſcernere ſciat inter objecta, nihilominùs indiget ſubſidio rerum exteriorum: advertens hæc cognitio, ſicut aſina, Filium Dei annunciare ſibi gladio verbi ſui, ſiſtit, & conatur inducere Balaam, id eſt, voluntatem ad deſerendum conſilium ſuum. Sed hæc voluntas *in malum prona ab adoleſcẽtia ſua* b, [b Gen. 8. 21] ipſam

Digitized by Google

ipſam durius cædit quàm ſit par, & tunc *magni* [c Ibid. 9. 6. juxta LXX] *conſilii Angelus* c præ ſe ferens gladium, ait illi, Quò pergis voluntas ad maledicendum Deom tuum? non es creata, ut maledicas illum, ſed ut eum benedicas, & diligas. Ut induceret Dei Filius hanc voluntatem ad ipſum amandum, ipſe pro eâ miſer effectus eſt d præ amore, cùm [d Luc. 1. 28. & 38] Archangelus ſic matrem ipſius ſalutavit, *Ave Maria.*

Inter alia improperia, quibus invehitur Na- [e Nahum 3. 7. &c] hum e in Regem Aſſyriorum, objicit illi primò civitatem Niniven, cui Deus proximam minabatur deſtructionem: *Ibi comedet te ignis: peribis gladio, devorabit te ut bruchus.* Horum cauſam refert infortuniorum ad pigritiam illorum, qui tenebantur civitatem cuſtodire: ſed præcipuè corripit civitatem & Regem, eò quòd iverint poſt deſideria propriæ voluntatis ſuæ: *Dormitaverunt Paſtores tui, Rex Aſſur: ſepelientur Principes tui: latitavit populus tuus in montibus. Non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te: quia ſuper quem non tranſiit malitia tua ſemper?* Per Paſtores intelligit Propheta Principes & Conſiliarios Regis, quos nimiæ corrigit negligentiæ, eò quòd Regem non induxerint ad obſervandam legem Dei, ad puniendos malos, & ad remunerandos Bonos. Idem deflebat infortunium Ezechiel f, [f Ezech. 34. 2] *Væ Paſtoribus Iſraël qui paſcebant ſemetipſos.* Jeremias g, *Paſtores prævaricati ſunt in me.* Et Pſal- [g Jer. 2. 8] miſta h, *Dormitaverunt qui aſcenderunt equos.* [h Pſ. 75. 7] Id eſt, quia regias voluerunt dignitates, nullam ſuorum curam ſuſceperunt ſubditorum. Peſſimum eſt augurium cùm dormit Princeps, qui vigilare tenetur. Ubi Samſonem *Dalila dormire fecit, ſtatim ab eo fortitudo diſceſſit* i. Et cùm *Da-* [i Judic. 16. 15. & 19] *vid & Abiſai invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput ejus, tulit David haſtam Saul* k. Leo, qui eſt Prin- [k 1. Reg. 26. 7. & 12] ceps animalium, parùm dormit, ut recenſent Naturales, & propter hoc fortè repræſentabant Ægyptii leonem vigilantem. Non ſolùm autem hoc erat admiſſum inter Ægyptios, ſed etiam inter antiquos Patres Eccleſiæ, qui decreverant, ut ſculperentur leones ex marmore, & collocarentur præ ſacrorum foribus templorum, ut Paſtores edocerentur diligentiam, quâ invigilare deberent ſuper animas ipſis cõmiſſas. Commenti ſunt Poëtæ, quòd Aeetes Rex Colchorum cuſtodiendum tradidit quoddam vellus aureum draconi multoculo, quaſi innueret, quòd tota ſpes ſua, & totum bonum ſuum conſiſteret in fideli cuſtodiâ iſtius velleris: ſed Jaſon ſecutus conſilium Medeæ ejuſdem Regis Colchorum filiæ, hunc draconem pervigilem ſopivit, & projecto in multos illius oculos quodam pulvere, abſtulit ab eo præfatum vellus aureum: iſtud vellus aureum figurabat jus, quod ſuis Principes tradunt Conſiliariis, ſed illorum oculis obſcuratis interventu munerum, quæ ipſis offeruntur, ſopore deprimuntur ipſi, & diabolus aufert vellus aureum animarum ipſorum. Ideò dicebat Nahum, *Dormitaverunt Paſtores tui.* Et quærens rationem iſtius, ſubdit, *Super quem non tranſiit malitia tua ſemper?* Ubi in Hebræo, pro *malitia*, legitur, *raab*, quod ſignificat, ut dicunt aliqui, interdum, affligere; & in hoc ſenſu repræſentatur huic Regi, quòd deberet ſubjacere flagellis, quæ Propheta ipſi annunciat. Verbum hoc, *raab*, ſecundùm alios, ſignificant etiam velle: innituntur autem fortè illi Authores ei, quod dicit Lorinus l, *Hebræum raab, ſimpliciter videre atque co-* [l Lorin in Pſ. 30. 15] *gneſcere ſignificat.* Et, ſecundùm Philoſophiam, *Nihil volitum, quin priùs cognitum.* Et ſic illorum ſenſus poteſt eſſe, quòd hæc mala accederent Regi, quaſi diceretur, *Quia ſuper quem non tranſiit voluntas tua ſemper?* unde poteſt inferri, quòd cauſa omnium iſtorum malorum fuit mala voluntas Regis: ideò *raab* quod ſignificat velle, ſumitur pro malo tam in concreto, quàm in abſtracto, ut ait idem Lorinus m poſt multos Au- [m Lorin. in Pſ. 5. 6] thores, quos citat ſuper hoc verbum Pſalmiſtæ, *Malignus. Raab non ſolùm idololatram, nec ſolùm malevolum contra proximum, nec tantùm Judæum, nec diabolum duntaxat, ſed quemlibet improbum ſignificat. Poſſet etiam Raab eſſe nomen pro malo, & malignitate.* Et, ſecundùm iſtum ſenſum, aliqui verba iſta Davidis n, *Et malum coram te feci,* [n Pſ. 50. 6] ſic vertunt, *Et voluntatem coram te feci.* Et meritò, quia voluntas eſt centrum, unde omnia procedunt, *A voluntate tua avertere* o. Et, *Confun-* [o Eccli. 18. 30] *detur Iſraël in voluntate ſua* p. Sicut enim la- [p Oſee 10. 6] ctucæ, niſi terram mutent, ſunt amaræ; ita homo, niſi propriam ſuam deſerat voluntatem, omnia opera ſua producet amara. *Dixit Dominus ad Abram: Egredere de terra tua* q. David non [q Gen. 1] fuerat egreſſus de terra ſua, more illius Patriarchæ; ſed ſuam propriam fecerat voluntatem cum Bethſabee r: ideò Deo dicebat, *Et ma-* [r 2. Reg. 11. 4] *lum*, id eſt, *voluntatem coram te feci.* Quia facere voluntatem ſuam eſt malum: Deus igitur prævidens quòd origo omnium malorum quæ contingunt Regno animæ, eſt quòd omnes Conſiliarii ejus dormiunt, id eſt, quòd ſopitæ ſunt potentiæ ejus, nec propriis adhærent objectis, unde ſequitur deflenda deſolatio Regni illius: ignis enim peccati comburit animam, & bruchi, id eſt, inimici ipſius ipſam devorant; quid agit? Hortatur voluntatem ad vigilandum, ut Reginam, & principalem Conſiliariam in Regno animæ, ut homo ſuſcitatus è ſomno propriæ voluntatis, aperiat oculum voluntatis, & intellectus ſeu memoriæ (cùm iſtæ duæ facultates intellectus & memoria confundantur, & pro eâdem uſurpentur) ut fideliter cuſtodiat vellus aureum divini amoris. Et hoc eſt quod ait Dionyſius Carthuſianus ſ ſuper [ſ Dion. Carthuſ. &c. 27. in Luc. 10. 27] verba Evangelii noſtri: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc eſt, totâ voluntate, ſeu toto voluntatis deſiderio & affectu. Itaque per cor deſignatur voluntas, quoniam ſicut cor eſt primum vivens, & cætera membra movens: ſic voluntas per charitatem primò vivificatur, & cæteras animæ movet vires. Et ex tota anima tua. Hoc eſt, ſecundùm potentias animales ac ſenſitivas, ut ſenſus interiores & exteriores, appetitumque ſenſitivum tam concupiſcibilis quàm iraſcibilis, rationi ac legi divinæ ſubdantur, atque ſecundùm Deum, & ut exigit ejus dilectio, ad charitatiſque profectum expedit, refrænentur, ac dirigantur. Et ex omnibus viribus tuis. Primò, ut iſtud intelligatur de viribus reliquis: quia & vires vegetativæ in actibus ſuis regendæ ſunt ratione ſecundùm Deum quantùm fieri poteſt. Non enim totaliter rationi ſubduntur, ſed naturaliter operantur: attamen objecta earum applicanda ſunt eis ſecundùm rectæ rationis cenſuram, & quantùm ad modum, locum, ac tempus actionis, rationi quodam modo ſubjiciuntur. Secundò, ut intelligatur quantùm ad executionem & uſum virium in exterioribus operibus, quatenus etiam illa viriliter ad Dei honorem cum di-*

e ex Rom. 12.1 *ſcretione* t *agantur. Et ex omni mente tuâ.* id eſt,
toto intellectu & intentione, ne in intellectu ſit error,
ſeu hæreſis , *aut intentio charitati Dei repugnans,*
Diviſio Deus igitur obſtringit nos ad ipſum diligendum Primò tota voluntate noſtrâ. Secundò
totâ memoriâ noſtrâ.

I. Pars. Deus explicuit id , quòd ipſe intendebat à
nobis, exigens amorem noſtrum, tribus iſtis
verbis exaratis in Evangelio hodierno, *Diligas*
Dominum Deum tuum. Per *Dominum*, intelligit
Patrem; per *Deum*, Filium; & per *tuum*, Spiritum ſanctum: & tribus iſtis verbis modum nos
edocet ipſius diligendi voluntate, memoriâ, &
intellectu, tribus facultatibus animæ noſtræ: &
ſic inter amorem & objectum ejus eſt aliqua
proportio, quia tres iſtæ qualitates amoris reſpondent tribus perſonis divinis. Memoria Patri: quia ſicut memoria non dependet ab aliis,
ſed aliæ pendent ab ipſa , quia intellectus nihil
intelligit, & voluntas nihil vult , niſi id quod
ipſis memoria proponit: *Atque ita fit illa trinitas*
ex memoria & interna viſione , & quæ utrumque
copulat, voluntate: ſed ex memoria formatur acies
animi , cùm in ipſa memoria ſpecies inhæſerit corporis, quod forinſecus ſenſimus, illam ſpeciem quæ in memoria eſt , quaſi parentem dicimus ejus quæ fit in
phantaſia cogitantis: erat enim in memoriâ, & priuſquàm cogitaretur à nobis, ſicut erat corpus in loco, &
priuſquàm ſentiretur ut viſio fieret : ſed cùm corpus
cogitatur, ex illa quam memoria tenet , exprimitur
in acie cogitantis, & reminiſcendo formatur ea ſpecies , quæ quaſi proles eſt ejus quam memoria tenet,
u S. Aug. l. 11. de Trinit. c. 3. & 7 ait S. Auguſtinus u: ſic Pater æternus à nullo
procedit, & Filius, & Spiritus ſanctus procedunt à Patre: & ſicut intellectus nihil intelligit
niſi id quod ipſi memoria proponit ; ita Filius
x Pſ. 2.7 procedit à Patre per viam intellectus x, ut ait
y S. Thom. in Gen. 1.26 S. Thomas y: *Intelligentia eſt expreſſa ſimilitudo*
memoriæ, ſicut Filius eſt expreſſa ſimilitudo Patris. Et
Spiritus ſanctus à Patre & Filio per viam vo-
z Jo. 15.26 luntatis z; debemus igitur illum diligere,
voluntate, & memoriâ ſeu intellectu.

Si attentè conſideremus, nihil poſſumus offerre Deo proprium, niſi voluntatem noſtram:
Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, &c. ait illi Pſalmi-
a Pſ. 88.12 ſta a. Omnia pertinent ad Deum , ſed ſolam
voluntatem reliquit diſpoſitioni hominis: *Deus*
ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in ma-
b Eccli. 15. 14. &c. ex Gen. c. 27. *nu conſilii ſui* b. Id eſt, ut aliquid ſuum, quo mitigare poſſet Deum: ſicut alias *dixit Deus ad A-*
c Gen. 17. 9. &c *braham : Infans octo dierum circuncidetur in vobis,*
omne maſculinum in generationibus veſtris c. Ut
poſteritas illius ab aliis diſtingueretur populis: unde nobis innuebatur, quòd nos qui ſumus
in viâ perfectionis, noſtras circuncidere debemus voluntates è paſſionibus immoderatis.
Præterea, Deus addidit unam literam nomini
iſtius Patriarchæ ; & unam literam abſtulit à
nomine uxoris ejus: *Dixitque ei Deus: Nec ultra*
vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem
d Gen. 17. 5. & 15. *tuam non vocabis Sarai, ſed Saram* d. Quod non
vacat à myſterio: Abraham enim ſignificabat
intellectum , aut memoriam; Sara verò voluntatem: ab his duobus producitur Iſaac, quo ſignificatur riſus, vel gaudium : *Vocavitque Abraham nomen filii ſui quem genuit ei Sara, Iſaac. Di-*
e Gen. 21. 3. & 6 *xitque Sara : Riſum fecit mihi Deus* e. Quia ut
gaudium animæ conſervetur, oporteat ut intellectus aut memoria augeatur cognoſcendo
Deum cognitione creaturarum , ſicut nomen
Abrahæ: ſed nomen uxoris, id eſt, voluntas, debet diminui, quia converti dilectione non debet ad multa, ſed ad ſolum Deum. Eſt & hic aliud myſterium: Ubi *tentavit Deus Abrahã, & dixit ad eum, Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis; atque ibi offeres*
eum in holocauſtum ſuper unum montium , quem
monſtravero tibi : extenditque manum, & arripuit
gladium, ut immolaret filium ſuum : levavit Abraham oculos ſuos , viditque poſt tergum arietem inter
vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit ho-
locauſtum pro filio f. Sic gaudium, quod cauſa- f Gen. 22. 1. &c
tur à volũtate & ab intellectu, debet ſacrificari
Deo, & ſacrificando voluntatem , non ſacrificabitur ipſum gaudium, ſed aries, id eſt, proprium corpus noſtrum; quia quò magis propriæ
voluntati renuetur id , quod ipſa concupiſcit,
eò liberior evadet ipſa , quia magis dominabitur ſenſibus inferioribus: voluntas enim noſtra
eſt inter Deum & dæmonem , ſicut uxor inter
virum ſuum & adulterum. Si adhæreat viro
ſuo, producit filios legitimos. Si autem proſtituat ſe adultero, filios generat adulterinos. Illud eſt quod agit propria voluntas. Si adhæreat Deo, filios producit legitimos virtute micantes. Si proſtituat ſe dæmoni, monſtra gignit
horribilia. Non igitur immeritò Deus ut *Spon-* g Pſ. 18.6
ſus g *Zelotes* h petitur ſibi voluntas reſervetur, dicens, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* i. h Exod. 20.5 i Prov. 23. 26.

Dicebat Ezechiel k, *Corruent fulcientes Æ-*
gyptum. Sed quid? nunquid non eſt opus miſe- k Ezech. 30.6
ricordiæ , auxilium præbere illis qui eo indiguerint? Ratio effati iſtius Prophetici eſt, quia
accidere poteſt ut eadem actio facta à multis
intentione differenti ; aliquibus proficiat, aliis
verò noceat. Moyſes miracula patravit coram
Pharaone, *Fecerunt Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus. Feceruntque ſimiliter malefici Ægy-* l Exod. 7. 20. &c
ptiorum incantationibus ſuis p. Sed hæc miracula nocuerunt Magis, & utilia fuerunt Moyſi
& Aaroni. Similiter, *Factum eſt ut offerret Cain*
de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum:
& reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad
Cain autem, & ad munera illius non reſpexit m. Vo- m Gen. 4. 3. &c
luntas noſtra eſt ſinus, in quo latent opera noſtra, quæ menſurantur ſecundùm voluntatem.
Moyſi *dixit Dominus, Mitte manum tuam in ſinum*
tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam
inſtar nivis. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuũ.
Retraxit & protulit iterùm, & erat ſimilis carni reliquæ n. Manus in Scriptura ſignificat opera, n Exod. 4. 6. & 7
& voluntatem ſinus , in quo abſcondenda ſunt
opera noſtra , & menſuranda ſecundùm hanc
voluntatem. *Quod autem miſit Moyſes manum ſuã*
in ſinum ſuum, & protulit eam leproſam, & iterùm
miſit, & protulit ſanam , & carni reliquæ ſimilem,
non otioſè debemus accipere. In manu illâ typus Synagogæ vel Eccleſiæ gerebatur. Sicut prior fuit populus
Iudæorum, poſterior Gentium: ita antè fuit Synagoga
quàm Eccleſia. Sed quia Eccleſia eligitur, & Synagoga repudiatur : ideò imprimis manus Moyſi leproſa
efficitur, & poſteà carni reliquæ ſimilis redditur: ac ſic
Synagoga propter infidelitatem leproſa relinquitur,
Eccleſia quaſi manus ſana, ad omne opus apta prælegitur, ait S. Auguſtinus o. Opera noſtra procedentia è bona voluntate, ſunt grata Deo , ſed è o S. Aug. ſerm 86. de Temp.
malâ voluntate exeuntia, illi diſplicent: opera
menſurantur ad olnem amoris voluntatis, *Menſuram bonam, & confertam , & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum* †. Id eſt, ut † Luc. 6.38

eit

p Dion. Carth. art. 16. mil. ac 6.38 ait Dionyſius Carthuſianus p, *Inſinuans utique, mentem in ſecretiſſimo cordis in ipſo intellectu & voluntate, ut intellectus æternam Veritatem contempletur, & eâ reficiatur, voluntas ſummâ Bonitate fruatur. Præterea, Quadruplex bonum datur à Deo propter opera pietatis. Utpote bonũ fortunæ, hoc eſt, exteriores divitiæ, quæ ſubjacent inſtabilitati fortunæ: ad iſta referri poteſt menſura bona. Alia ſunt bona naturæ, ad quæ refertur mẽſura conferta. Tertia verò ſunt bona gratiæ, ad quæ pertinet menſura coagitata. Quarta ſunt bona gloriæ, ad quæ mẽſura ſupereffluẽs ſpectat.* Mercatores ordinariè duas habent officinas, quarũ una eſt exterior, altera verò interior. In exteriori aliqua exponuntur divendendorum mercium ſpecimina, ſed in interiori de illarũ pretio tractatur. Officina interior animæ dici poteſt intellectus, quia priuſquàm aliquid ſtatuatur, tranſit per imperium voluntatis, per diſcurſum intellectus, tandem ſubjicitur examini voluntatis ut approbetur, aut reſpuatur: ordinariè deridemus eos qui ſemper manũ ſuam deferunt in ſinum ſuum, nedum aliquid agere velint; ſic qui verſatur in aliqua cogitatione, licèt bonâ, nec unquam manum ſuam educit è ſinu ſuo, riſu dignus eſt, eò quòd nullum velit opus bonum facere.

Tria ſunt quæ noſtram perficiunt voluntatẽ, bonitas, qualitas, & integritas. Bonitas volũtatis procedit è quatuor, è fide, è motivo, è loco, & è tempore. Ut ſit bona, ipſa debet exercere ſua opera per fidẽ. Motivum eſt, ut ipſa perpetiatur omnia propter Jeſum Chriſtũ. Imò & ipſum carcerem, ſi opus eſt, quod refertur ad locum. Tandẽ, Tempore adverſitatis hanc præ ſe ferre debet bonitatem patientiâ ſuâ. Qualitas voluntatis conſideratur in vehemẽtiâ appetitus, in perſeverantiâ affectus, & in conditione actus aut magnitudinis operis. Integritas autẽ volũtatis attenditur in eo quòd voluntas eſt plena, aut ſemiplena. Hæc volũtas vocatur ſemiplena, quæ, ſi poſſet, tranſiret ad actum. Voluntas verò eſt plena, quando nõ ſolùm ipſa vult actu interiori, ſed inſuper producit actum exteriorem. Utraque eſt integra. Prior dicitur integra, quia quando non habemus facultatẽ operandi, tunc

q Pſ. 31. 5. volũtas reputatur pro effectu, ideò Pſalmiſta q dicebat, *Dixi: Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.*

r Lorin. in Pſ. 31. 5 Super quod Lorinus r ait, *Dicere idẽ hic eſt, quod deliberatè proponere.* Et ſuper hæc verba ejuſdem Pſalmiſtæ, *In mandatis ejus volet nimis*, dicit,

ſ Lorin. in Pſ. 111. 1 *Sufficit ſic velle, ſi perficiendi deſit facultas* ſ.

Aliqui malitioſi dicunt, quòd voluntas pro effectu reputetur, & ideò à peragendis bonis operibus abſtinent. Hoc aliquas patitur explicationes. Primò, hoc eſt intelligẽdũ de rebus, quæ ſunt in poteſtate hominis, & nõ pendẽt ab alio, quia tanti nõ æſtimatur volũtas, quã habet quis ſuſcipiendi Baptiſmatis, quanti receptio illius actualis. Secundò, Quantũ ad mercedẽ eſſentialẽ, & non quantùm ad accidentalẽ: v. g. aliquis vult operari, & non poteſt; alter vult, poteſt & operatur, ambo ſunt æquales quantùm ad mercedẽ eſſentialẽ, ſi eandem habeant charitatẽ, & eundem ardorẽ; ſed non quantùm ad accidentalẽ, quæ eſt quoddam gaudium bonum particulare perceptũ ex bono quod peractum eſt; ſic ille qui largitus fuerit eleemoſynã, amplius habebit gaudium accidẽtaliter in cœlo, quàm ille qui ſolâ illius largientiæ habuit voluntatem: atqui Deus præcipiens nobis ut ipſum diligamus

ex toto corde noſtro, vult & exigit à nobis hanc voluntatẽ ſemiplenam, & plenam, hanc voluntatẽ interiorẽ, ſed quã bona comitentur opera.

At quid ſibi vult, quòd Deus intendit amore ſuo ſic noſtrã reformare voluntatẽ? Videtur enim quod priùs eſſet reformandus intellectus, cui omnia offeruntur, antequàm voluntas aliquid approbet, aut reſpuat. ut intelligatis illud, obſervandum eſt, quòd creaturus hominẽ *Deus, ait, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram* t. Ubi attendenda eſt differentia inter t Gen. 1. 25. & 26

hæc duo verba, *imaginẽ & ſimilitudinẽ*. Imago enim dicit relationem ad unum & ſolum: ſimilitudo verò ſaltem ad duos. Filius qui procedit ſolùm à Patre u, vocatur imago Patris, *Qui eſt* u Pſ. 2. 7

imago Dei inviſibilis x Spiritus ſanctus autem, qui x Coloſſ. 1. 15

procedit à Patre & Filio y, eſt veluti ſimilitudo y Jo. 15. 26

Patris & Filii. *Quare quòd Rupertus per imaginem accipit Filiũ, per ſimilitudinem Spiritum S. myſticũ eſt, ait Cornelius* z. Sapientia attribuitur Filio: z Cornel. in Gen. 1. 26

In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi a. Bonitas verò Spiritui ſancto: *O quàm* a Coloſſ. 2. 3

bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus b! b Sap. 12. 1

Atqui cùm *Deus ait, Faciamus hominẽ ad imaginẽ*, idem eſt ac ſi diceret, Faciamus eum ſapientẽ, Cum verò inquit, *Et ſimilitudinem noſtram*, idem eſt ac ſi diceret, Faciamus eum bonum. En ergo ſenſus iſtorum verborum. Homo creatus eſt rationis particeps, quod pertinet ad intellectum; & bonitate præditus, quod refertur ad voluntatẽ, *Faciamus hominem ad imaginem*. Id eſt, ut habeat intellectum rectum. *Et ſimilitudinem noſtrã*. Nimirum, ut habeat bonam voluntatem: ſicut enim Filius procedit à Patre per viam intellectus, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio per viã voluntatis; ita ratio hominis procedit ab intellectu, & bonitas à voluntate. Similitudo, aut bonitas amiſſa eſt per peccatum, & imago, ſeu ratio permanſit in homine. Voluntas infecta ſeu inquinata debebat ſanari: propria voluntas amore proprio fuerat profligata: debebat igitur reparari mancipando ſe obſequio voluntatis Divini Reparatoris ſui: amiſerat ipſa ſimilitudinem amore crimінoſo; hãc ſpecioſam diabolus deformaverat ſordibus & luto peccati; characteres Divinitatis, quibus Deus hominum animam inſigniverat, non apparebant ampliùs in illâ, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis* c. Erat igitur ipſa reparanda. Cùm *abeuntes Phariſæi conſilium inierunt,* c Thren. 4. 8

ut caperent Jeſum *in ſermone: & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes, Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, aut non? cognitâ Jeſus nequitiâ eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jeſus, Cujus eſt imago hæc* d. Id eſt, ſimilitu- d Matth. 22. 15. &c

do, juxta ea quæ ſuprà retuli ex S. Auguſtino, quæque confirmat S. Bonaventura e poſt illum ſuper hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Hæc, ſicut dicit Auguſtinus, conſiſtit in memoria, ratione, & voluntate, per quæ tria anima eſt* e S. Bon. ferm. 4. Dom 22. poſt Pent.

imago Trinitatis. Eſt etiam ſimilitudo, ſecundùm ea, quæ modò recenſui. *Date ei Cæſaris*. Quaſi diceret Jeſus Judæis, Infelices homines, ſi agnoſceretis miſeriam, ad quam redacti eſtis, lacrymas effunderetis, & gauderetis, eò quod venerim ad vos: imago & ſimilitudo animæ veſtræ eſt deleta, delevit illam diabolus peccato; ima-

go veſtra eſt terræ, ſicut dicitis, quòd *eſt imago hac Cæſaris*. Sequitur ipſa Cæſarem, id eſt, dæmonem: imago Cæſaris in ea eſt exarata. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Ipſa pertinet ad Cæſarem, id eſt, ad dæmonem, qui eam invaſit uſurpatione criminoſâ: anima veſtra eſt imago Dei, & non Cæſaris: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Anima noſtra igitur, Auditotes, pertinet ad Jeſum Chriſtum per creationem, & per redemptionem: ad illum ergo pertinet eam reparare: & in illa reparat id, quod in eâ peccatum deleverat, nimirum, ſimilitudinem.

f Deut. 22.11 Lege Deuteronomii *f* vetabatur: *Non indueris veſtimento, quod ex lana linoq; contextum eſt.* Sed quare mulier illa fortis, de qua loquitur Salomon g Prov. 31. 10. & 13 *g, quæſivit lanã & linum?* Illud habet varios ſenſus: Deus prohibet indui *veſtimenta, quod ex lanâ linoq; contextum eſt.* Quia per linum intelligenda eſt hypocriſis, opinio interna ſanctitatis: & per lanam malum opus externum: Deus vult ut non reputemus nos bonos interiùs, ſi hoc externa opera non exhibeant. Laudat tamen Salomon *mulierem fortem*, quæ *quæſivit lanam & linum.* Quia hæc anima eſt laude digna, quæ bona opera ſua interiora conatur intuenda exhibere bonis operibus exterioribus, eò quòd utraque ſint neceſſaria; & hæc eſt tota voluntas, quam Deus requirit ab illis, quos ſuis ſibi devincire vult beneficiis, cùm amor nonniſi reciproco compenſetur amore. Propereà *Sapientia clamitat in ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam, in mediis ſemitis ſtans, juxta portas civitatis* h Prov. 8. 1. &c h. Per Sapientiam intelligendus eſt Filius Dei, qui eſt Sapientia Parris, qui Filius Dei *clamabat, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me & bibat* i Jo. 7. 37 i. Ideò S. Joannes Bapriſta, qui erat illius vox, pariter inclamabat, *Ego vox clamantis* k Jo. 1. 23 ex Iſai. 40. 3 k. Iſta diebus ſingulis *Sapientia clamitat in ſummis excelſiſque verticibus.* Duo ſunt excelſa in Lege, quæque exarara habemus in Evangelio hodierno, nempe amor Dei, & amor proximi. Amor eſt caput & domus omnium viarum, ſed ingreſſus portatum domus eſt timor: l Prov. 14. 27 *Timor Domini fons vitæ* l. Seu, ut legit Salazar m Salaz. in Prov. 14. 27. n. 112 m, *Timor vena vitæ.* Primò, Quia amor vitam præbet omnibus operibus noſtris, quæ ſine charitate mortua ſunt n 1. Cor. 13. 1. &c n. *Timor Domini fons vitæ.* Sicut enim rivi procedunt è fonte; ſic amor è timore ſuam ſumit originem. Secundò, *Timor vena vitæ.* Quoniam ſicut ſanguis per venas in reliquũ corpus diſtribuitur; ita ſpiritus vitæ defertur per timorem velut per aquæductum ad omnes animæ noſtræ porentias. *Initiũ ſapientiæ timor Domini*, ait Pſalmiſta a Pſ. 110. 9 a. Ubi non loquitur de ſapientia humana, ad quam Philoſophi Ethnici pervenerunt, ſed de ſcientia divina, quæ ſita eſt in ſciendis myſteriis ad ſalutem noſtram requiſitis, de quibus dicit ipſemet, Deum alloquens, *A mandatis tuis intellexi* p Pſ. 118. 104 p. Timor iſte nos inducit ad fugiendum malum, & ad faciendum bonũ, ad quod idem Prophera nos hortatur, *Declina à malo, & fac bonum* q Pſ. 36. 27 q. Quod Apoſtolus r Tit. 2. 11. & 12 r ſpecificat, cùm ait, *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatẽ, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.* Ecce rota perfectio vitæ humanæ cõtenta in his verbis, quam Deus exigit à nobis, cùm requirit ut amorem ipſius reciproco amore compenſemus. Cùm S. Paulus ait, *Ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria*, hoc refert ad id, quod dicit Prophera, *Declina à malo.* Et cùm inquit, *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus*, iſtud revocat ad reliquum ejuſdem Pſalmiſtæ, *Et fac bonum.* Et quia timor efficit ut recedatur à malo, & amor provocat ad bonũ, ſuppoſito quòd timor ſit acceſſus amori ad animam, Deus juſtè requirit ut hanc aperiamus ipſi januã. Propterea Sponſus ſuæ dicebat Sponſæ, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore* f Cant. 5. 2 f. Refrigueraт Sponſa, non habebat amorem: ideò Sponſus exigit ut ab ipſa ſibi janua timoris aperiatur, & illac amor ingrediatur: ſed ne timor iſte permaneat, verbis ſuavibus utitur Sponſus, *Soror mea*, &c. Quæ verba referuntur ad animam, quæ eſt *ſoror* Jeſu Chriſti per ſimilitudinem naturæ: *amica* per ſecretam communicationem: *columba* per dona Spiritus ſancti: *immaculata* propter contemplationem rerum cœleſtium. *Soror* per conjunctionem voluntatis: *amica* per fidem redemptionis t Apoc. 1. 5 t: *columba* per fœcunditatem bonorum operum: *immaculata* per ſinceritatẽ deſiderii: *Soror* per commune jus hæreditaris u Rom. 8. 17 u: *amica* per gratiam infuſam: *columba* per ſtudium pietaris: *immaculata* propter integritatem perfectam: *Soror* in incarnatione x Galat. 4. 4 x: *amica* in paſſione y Ioan. 6. 18 & 19 y: *immaculata* in Baptiſmo z Jo. 3. 5 z: Jeſus Chriſtus igitur utitur omnibꝰ iſtis verbis amãtibus, ut per timorem inducat animã ad ipſum amandum; & conſenſum illius efflagitat, ſine quo non auderet in illam ingredi. Sic ipſe cùm *cuidam accedens, ait illi, Magiſter bone, quid boni faciã, ut habeam vitam æternam? dixit ei, Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* a Matth. 19. 16. &c a. Sic paralyticum ſanaturus, *dicit ei, Vis ſanus fieri* b Joan. 5. 6 b? Ad innuendũ, quòd voluntas noſtra cõformis eſſe debet divinæ voluntati ad operandam ſalutem ſuam. Caveamꝰ igitur ne aperiamus januam noſtræ voluntatis dæmoni. Cain aperuit januã ſuæ voluntatis invidiæ, & reprobatus eſt c Gen. 4. 5. &c c. Aperuit illam curioſitati *egreſſa Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius, quam cùm vidiſſet Sichem Princeps terræ illius, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem* d Gen. 34. 1. & 2 d. Aperiendum eſt igitur Deo ſoli noſtræ voluntatis oſtium, quia propria voluntas periculoſa eſt in omnibus, eò quòd opponat ſe legi Dei, qui vult ut eam ipſi conſecremus, ſicut & memoriam.

II. Pars. Cùm *Ieſus dixit, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde* e Matt. 11. 25. &c e, nos voluit edocere, quòd duplicem requirit à nobis honorem, unum interiorem, & alterum exteriorem. Eſſe mitem pertinet ad interiorem. Eſſe humilem ſpectat exteriorem. Idẽ voluit nobis ipſe repræſentare, ſubdens immediatè poſt: *Iugũ enim meũ ſuave eſt, & onus meũ leve.* Onus refertur ad honorem exteriorẽ. Jugum verò ſpectat interiorẽ. Loquitur de utroque, quia ad obſervandum mandatum amoris, nõ ſolùm opus eſt reformare munia hominis exterioris, ſed etiam invigilandũ eſt cõpoſitioni hominis interioris. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis* f 1. Cor. 15. 49 f. Atqui in homine cœleſti duæ ſunt naturæ, natura divina, & natura humana: jugũ, quod deferre debemus in homine interiori, eſt Divinitas, cui alligare debemus omnes cogitationes noſtras. Jugum hominis exterioris eſt humanitas ſacra, quam deferre debemus per imitationem, *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro* g 1. Cor. 6. 20 g. Jugum primũ trahitur à duobus equis, cognitione & amore. Secundum à duobus aliis, apperitu

con-

concupiſcibili, & apperitu iraſcibili. Et quia
Deus vult ut feramus & onus & jugũ, intendit
ut equi iſti benè dirigantur, ut cognitio & a-
mor nullum aliud habeant objectum præter i-
pſum; & ut appetitus concupiſcibilis & iraſci-
bilis ita refrænentur, ut ſicut equi non cadant
in itinere amoris ipſius, ſed velociter currant
h Pſ. 118. 32 *viam mandatorum* h ipſius: at poſteà conſumma-
to curſu quietem invenient: *Tollite jugum meum*
i Matth. 11. 29 *ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris* i.
Quies igitur animæ conſiſtit in ferẽdo jugo Je-
ſu Chriſti, juxta id quod ipſe Sponſus ait Spon-
ſæ, *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, rever-*
k Cant. 6. 12 *tere, ut intueamur te* k. Dicit quater, *Revertere*, ad
repræſentandas tres virtutes Theologicas, &
per eas unionem animæ cum Deo. *Revertere* per
fidem, *revertere* per ſpem, *revertere* per charita-
tem, *revertere* per conjunctionem cũm Sponſo
tuo, ut ingredi poſſis in gratiam & amorẽ ejus.
Hæc autem reverſio & conjunctio animæ con-
venit omnino ipſimet animæ; & ſicut ab æterno
ipſa fuit in mente divina, *In charitate perpetua*
l Jer. 31. 3 *dilexi te* l; ita qoandiu ipſa eſt in iſtius corporis
ergaſtulo, debet conari habere eum præſentem
per amorem, & reverti per ardorem amoris ad
eum, è quo ipſa exiit per creationem.

Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arie-
tum, Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Do-
m Pſ. 28. 1. & 2 *mino gloriam nomini ejus* m. Hic repetitur quater
Afferte, & totidem, *Domino*, ad denotandam tri-
nitatem divinarũ perſonarum, & unitatem eſ-
n 1. Jo. 5. 7 ſentiæ earum n; & quòd quatuor præſentandæ
o Pſ. 50. 19 ſint illis oblationes. Prima, *Sacrificium Deo ſpiri-*
p Pſ. 50. 21 *tus contribulatus* o. Secunda, *Sacrificium juſtitiæ* p.
q Pſ. 49. 23 Tertia, *Sacrificiũ laudis* q. Quarta, adoratio, *Ve-*
r Pſ. 94. 6 *nite adoremus & procidamus ante Dominũ* r. Cùm
Pſalmiſta dicit, *Afferte Domino*, non exprimit
quid ſit illi afferẽdũ, quaſi diceret, quòd illi ſit
offerendũ id, quod eſt ipſi ſimile. Propterea Job
ſ Job 13. 14 ſ dicebat, *Animam meam porto in manibus meis*. Id
eſt, ut illam offeram Deo. Deus vult ut ſibi tot⁹
uniatur homo dilectione, quod fieri non poteſt
appoſitè niſi recordatione beneficiorum, quib⁹
ab ipſo fuit idem homo cumulatus; ideò ut ipſi
reddat hunc amorẽ, requirit ab eo totã animã,
id eſt memoriam ipſius, quæ non eſt aliud niſi
venter, in quo cibus animæ retinetur, *Venter eſt*
t S. Bon. ſerm. 4. Dom. 2. poſt Pent. *memoria, quæ eſt receptaculum animæ*, ait S. Bona-
ventura t. Sicut autem cibus, qui evomitur, non
prodeſt corpori, ita verbum Dei, quod eſt cib⁹
animæ, (*Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni*
u Matth. 4. 4. et Deut. 8. 3 *verbo quod procedit de ore Dei* u) non proficit, niſi
retineatur in anima: *Non enim auditores legis juſti*
x Rom. 2. 13 *ſunt apud Deum: ſed factores legis juſtificabuntur* x.
Sicut igitur beneficia Dei multùm ſerviunt ad
eum diligendũ, nec proſunt animæ, niſi ipſa ea
memoriâ recolat, Deus memoriam requirit, ut
quotidie meminerimus beneficiorũ ipſius, un-
de accenditur ignis amoris ipſius, *Et in medita-*
y Pſ. 38. 4 *tione mea exardeſcet ignis*, ajebat Pſalmiſta y. Pro-
z Eccl. 12. 1 pterea dicebat Eccleſiaſtes z, *Memento Creato-*
ris tui. Et Deus Iſraëlitico populo, *Erunt verba*
a Deut. 6. 6 & 7 *hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. & nar-*
rabis ea filiis tuis & meditaberis in eis a. Cùm enim
homo meminit beneficiorũ Dei, pro eis repen-
dit iſti grates, *Gratias agimus Deo ſine intermiſſio-*
b 1. Theſſ. 2. 13 *ne* b. Et ſicut oblivio ſpecies eſt mortis; ita
memoria ſpecies eſt vitæ: & ſicut morte adve-
niente vita terminatur; ſic adveniente ob-
livione omne quod vivebat in anima, de-
letur, propterea Deus exigit memoriam.

Quinque ſunt quæ perficiunt & augent me-
moriam, quorum conſideratio eſt utiliſſima ad
diligendum Deum. Primum, eſt compoſitio ſic-
ca corporis: ſicut enim in humido exaratis id
omne quod vultis, ita in ſicco diu permanet il-
lud quod ipſi fuit ſemel impreſſum. Secundum,
eſt exercitium unius, aut paucarum rerum, &
inde oritur, ut pueri qui unicæ tantùm rei
vacant, inde tenaciorem ſortiantur memoriã.
Tertium, eſt delectatio rei cognitæ: tenaciter
enim cuſtodimus id, quod judicamus delectabi-
le. Quartum, cùm proponitur nobis aliquid no-
vum addiſcendum, quia, ut vulgò dicitur, *Nova*
placent. Quintum, eſt utilitas rei, quã volumus
edoceri. Primò, Conſtitutio ſicca corporis au-
xiliatur memoriæ: hoc jam dictum eſt in amo-
re Dei, qui comparatur igni: *Etenim Deus noſter*
ignis conſumens eſt c. Quid autem ſiccius eſt igne, c Hebr. 12. 29. et Deut. 4. 24
qui ſiccas & aridas reddit res quaſque vel hu-
midiſſimas? Secundò, Exercitiũ ſolius rei: hoc
inveniri debet in amore Dei, quia omnia man-
data, univerſa bona opera, reducuntur ad iſtud:
Hæc eſt enim Lex & Prophetæ d. Tertiò, Res quæ d Matth. 7. 12
placent, adjuvant memoriã: quid delectabilius
amore? quam diligere Deum? Quartò, Novitas
eidem memoriæ prodeſt: eſt enim novum præ-
ceptum, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis* e. e Jo. 13. 34
Utilitas tandem: *Scimus autem quoniam diligen-*
tibus Deum omnia cooperantur in bonum f. Patet f Rom. 8. 28
igitur quomodo Deus requirit univerſa, quæ
memoriam adjovant.

Apprimè ſciebat Deus, quòd non eſt aliquid
quod magis authenticum dilectionis exhibeat
teſtimoniũ, quàm memoria jugis illius rei, quæ
diligitur: ſi enim ſit verus amor in anima, nun-
quam quieſcit amor iſte niſi in objecto, in quo
ipſa ſibi complacet; univerſa, quæ veniunt ipſi
in mentem, nihil ſunt, aut nihil videntur ipſi
intuitu illius; ſuas omnes conſtituit delicias in
recordatione rei amatæ; nec fieri poteſt ut res
quæ benè diligitur, eradicetur è memoriâ: imò
verò quando ſenſus ſunt ſopiti, homo in ſom-
no ſuo memoratur rerum quas diligit, ut patet
in voluptuoſis, in avaris, in ambitioſis, &c. &
ut verum fatear, res dilecta memoriæ ſic adhæ-
ret tenaciter, ut, quantùmvis quis velit, vix il-
lius recordationẽ à ſe procul amandare queat.
Hoc repræſentare voluit Deus, cùm dixit: *Nun-*
quid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non
miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego
tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis de-
ſcripſi te g. Id quod verè diligitur, nunquam de- g Iſai. 49. 15. & 16
letur è memoria, ſive in proſperitate, ſive in
adverſitate. Felix igitur ille, qui afflictionibus
oppreſſus, ac anguſtiis vitæ probatus, Deum ju-
giter habet memoriæ ſuæ præſentem: felix ille,
qui vivere poteſt in hoc mundo, ubi nos aquæ
afflictionum circuncingunt, nec tamen oblivi-
ſcitur Dei, ſed clamat ad eũ cũ Propheta h: *Hæc* h Pſ. 43. 18
omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te. Felix
ille, qui memor promiſſionum Dei, conatur in
ſe retinere amorem illius; quia ſic divina tenẽs
promiſſa, non facilè derelinquet dilectionem
Dei. Iſtud eſt, quod innuere volebat idem Pſal-
miſta i: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impio-* i Pſ. 1. 1. & 2
rum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra
peſtilentiæ non ſedit. Intereſſe cœtui improborũ,
currere per viam iniquorum, eſt, inſtar illorũ,
obliviſci beneficiorum Dei: ſed è contrà ille
felix eſt, qui voluntatem ſuam habet applicitam
legi Dei ſui: *Sed in lege Domini voluntas ejus*

& in lege ejus meditabitur die ac nocte. Quia legens
in libro me noriæ ſuæ beneficia Dei, confeſtim
concipit amorem ejus talem, qualem Deus ab
ipſo requirit. Quis igitur non diliget hunc Do-
minum, per quem habet eſſe quod non habe-
bat, & in eodem eſſe conſervatur? *In ipſo enim*
k Act. 17. 28 *vivimus, & movemur, & ſumus* k. A quo libera-
tus eſt a tot & tantis malis, & à quo mercedes
æternas exiguis laboribus ſuis impendendas
expectat? *Id enim, quod in præſenti eſt momenta-*
neum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in
ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in no-
bis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ
non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt:
l 2. Cor. 4. 17. & 18 *quæ autem non videntur, æterna ſunt* l. Quis erit
ſic induratus, ut memor bonitatis, quâ Deus mi-
ſertus eſt ipſius, & diſſimulavit ipſius *peccata*
m Sap. 11. 24 *propter pœnitentiam* m longo tempore, quod
non conceſſit omnibus, ſuam non convertat
memoriam ad recolenda ea, quæ ſuſcepit ab
illo, beneficia? Deus recordatur illius animæ,
quæ meminit ipſius, *Hæc dicit Dominus, Recordatus*
ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charita-
tem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me n. Et n Jer. 2. 2
minatur, quòd obliviſcetur illius, quæ fuerit
oblita ipſius: *Hæc dicit Dominus, Quia oblitus eſt*
mei populus meus; ſicut ventus urens diſpergam eos
coram inimico dorſum, & non faciem oſtendam eis in o Jer. 18. 11. &c
die perditionis eorum o. Quia hæc oblivio eſt
maximè injurioſa Deo. Tunc amicus vivit in
nobis, quandiu illius meminimus; & moritur
in nobis, quando illius obliviſcimur: quòd ſi
cùm amicus noſter moritur, videmur amittere
dimidiam partem animæ noſtræ, quid agetur,
cùm morietur nobis Deus præ oblivione? Mor-
tui ſumus cùm contemnimus Deum, qui eſt ve- p Jo. 14. 6
ra vita p. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* q. q Ezech. 18. 4. & 20
Sed heu! Chriſtiani conculcant hodierna die
beneficia Dei, nedum illorum memorentur;
non intuentur niſi mundum, & vanitatem, ne-
dum convertant ſe ad Jeſum Chriſtum, juxta
conſilium Salomonis, *Sapientis oculi in capite e-*
jus r. Intueri debemus ſolum *Caput* ſ no- r Eccl. 2. 14
ſtrum, quod eſt Jeſus Chriſtus, & conſecrare ei ſ Epheſ. 1. 22
voluntatem & memoriam noſtram, & ipſe re-
plebit utramque gratiâ & gloriâ ſuâ.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Fortitudo & decor indumentum ejus. Prov. 31. 25.

NOndum potuerat aliquis ſociare pulchri-
tudinem fortitudini priuſquàm B. Virgo
Maria veniret in mundum, iſtud mirabile erat
illi reſervatum, cùm omnes creaturæ, quæ præ-
ditæ fuerant pulchritudine ante adventum il-
lius, eſſent abſque fortitudine, & viri fortes, æ-
què ac mulieres fortes, eſſent ſine veſtigio Di-
vinitatis uſque ad Mariam. Salomon tantis ha-
bebat decôris & majeſtatis ſuper facie ſuâ ut
ſpecioſus diceretur, cùm vocetur in Scripturâ
nomen ejus Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum
a 2. Reg. 12. 25 *Dominus* a, cùm pulchritudo ſit una è cauſis a-
moris: ſed ita fuit infirmus ut mulieres in infir-
mitate ſexus ſui de illo triumphaverint, *Rex au-*
tem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.
His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore.
Et averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam eſſet
ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſe-
b 3. Reg. 11. 1. &c *querentur Deos alienos* b. Et Judith quæ ſola ſo-
ciaverat in ſe iſtas duas eximias qualitates,
cùm Scriptura, in quâ ipſa vocatur formoſa, *E-*
c Judith. 8. 7 *rat autem eleganti aſpectu nimis* c, de eâ narret
d Judith 13. 8. &c nobis facinora ſic generoſa d ut mererentur
ei nomen fortis, niſi ſciremus quòd hæc mulier
generoſa videns quòd fortitudo quâ ipſa indi-
gebat ad triumphandum de Holoferne, ſocia-
bilis non erat ſpeciei ſuæ, ſplendorem illius de-
levit jejuniis quibus extenuavit corpus ſuum,
ut induceret pulchritudinem ad cedendum lo-
cum fortitudini, quam obtinere non poterat
niſi mediâ infirmitate ſuâ, *Jejunabat omnibus die-*
e Judith 8. 6 *bus vitæ ſuæ* e. Viſa non fuerat unio iſtarum
duarum eximiarum qualitatum niſi ſuper ideâ,
quam Salomon formaverat de Mariâ, *Fortitudo*
& decor indumentum ejus. Ita, dicit S. Ambro-
f S. Ambr. l. 2. de Virginibus in princip. bus f, *ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit*
mentis figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo
veſtibulo debet agnoſci Talis enim fuit Maria, ut ejus
unius vita omnium diſciplina ſit. Re autem verâ
pulchritudo ejus tantum præ ſe fert ſplendo-
rem, ut cùm ipſa naſcatur hodie ad hoc ut ſit a-
liquando Mater Dei, *Angelus ad* illam mitten-
dus ad nunciandum ei myſterium incarnatio-
nis, ſit illam proclamaturus totam ſpecioſam,
vocando illam *gratiâ* g plenam per hæc ver- g Luc. 1. 26. &c
ba, *Ave Maria.*

Verbum Patris æterni ſic potens eſt, ut ex b Pſ. 44. 2
quo ipſe Pater æternus producit hoc *Verbum* h
ſuum, quod eſt ſecunda perſona divina, quæ re-
cipit ab ipſo communicationem totius poten-
tiæ & omnium adorabilium perfectionum ip-
ſius, hoc Verbum æternum ſit tota *imago* i po- i Coloſſ. 1. 15
tentiæ Patris æterni, Ita ut Pater æternus ſe-
metipſum velut exhauſiſſet per productionem
Filii ſui, niſi perfectè inveniretur in eo, in quo
perfectionum ſuarum cumulum reperit, *Ego in*
Patre, & Pater in me eſt k, ait ipſe Filius. Ad k Jo. 14. 11
quod conformiter canit Eccleſia, quòd Pater
ſe totum tranſmiſit in Filium, *Totus in Verbo Pa-*
ter. Sed quòd Filius non exiens à Patre, reſtituit
ei id omne quod ab eo ſuſcepit, *In Patre totus*
Filius. S. Joannes l docet nos, quòd Verbum l Joan. 1. 1. &c.
nunquam receſſit à Patre, *Et Verbum erat apud*
Deum. Manet in Patre ſuo ut *in principio* ſuo,
unde educit id omne quod habet, nedum ta-
men exhauriat potentiam ejus, licèt habeat to-
tam illius potentiam. Hoc verbum ſic eſt po-
tens hac liberali communicatione, ut Pater
nihil poſſit operari niſi ipſius interventu, *Om-*
nia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.
Si produxit cœlos, uſus eſt virtute Verbi ſui,
Verbo Domini cœli firmati ſunt m. Si fecit lucem, m Pſ. 32. 6
eandem creavit Verbo ſuo, *Dixitque Deus, Fiat*
lux. Et facta eſt lux n. Si replevit ſinum terræ n Gen. 1. 3. &c
ut eam redderet fœcundam, eamque colloca-
ret in ſtatu, in quo fructus nobis tribueret, ad-
hibet ipſe Verbum ſuum: *Et ait, Germinet terra*
herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum po-
miferum faciens fructum juxta genus ſuum. Et fa-
ctum eſt ita. Si eundem favorem communicare
voluit

voluit aquis, inſumpſit ad hoc verbum ſuum, *Dixit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Si produxit has duas ſpecioſas mundi lampades, Solem ad regnandum per diem, & Lunam quæ tenet impetium per curſum noctis, eas fecit Verbo ſuo: *Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem: & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.* Tandem, Si creare voluit mundum, & tribuere ei ſpecioſum hunc ordinem quem admiramur, & regulam præſcribere tempeſtatibus, oportuit ut Verbo ſuo uteretur, *Quia ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandavit,*
o Pſ. 148, 5. *& creata ſunt* o. Si ſuſtinet animas noſtras, easque conſervat, fulcit illas Verbo ſuo, Verbum ipſios illas ſuſtinet, *Suſtinuit anima mea in*
p Pſ. 129, 4. *Verbo ejus* p. Maria quæ naſcitur hodie cum electione & nominatione ad Maternitatem Divinam, pronunciabit aliquando verbum in annunciatione ſua, cùm re verâ efficietur Mater Dei, qund adæquabit potentiam Patris æterni, & hoc verbo quod ipſa tunc dicet, *Fiat mihi ſe-*
q Luc. 1, 38. *cundùm verbum tuum* q, alloquendo Angelum myſterii Incarnationis in ipſa peragendi nuncium, producet Verbum incarnatum, quod habebit eandem potentiam quam habet Verbuin Patris æterni. Virtute Verbi iſtius Deus pec-
r Pſ. 28, 3. &c. cata delet in Baptiſmo, *Vox Domini ſuper aquas* r. Fortificat nos in Confirmatione, *Vox Domini in virtute.* Corda noſtra percutit, ut ab illis expellat peccatum in Pœnitentia, *Vox Domini concutientis deſertum.* Iſtud Verbum poteſtatem tradit Sacerdotibus in Sacramento Ordinis. *Vox Domini confringentis cedros.* Iſtud eſt Verbum quod dividit flammas igois concupiſcentiæ in Sacramento Matrimonii, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Hoc Verbum præparat animas, tribuit eis virtute ſuâ ingreſſum in cœlum in Sacramento Extremæ Unctionis, *Vox Domini præparantis cervos.* Sed ne deficiamus in via *Vox Domini in magnificentia*, hoc Verbum magnificè ſemetipſum præbet in cibum & in potum, quibus confortati perveniamus illuc, *Amen, amen dico vobis, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æ-*
ſ Jo. 6, 53. & 54. *ternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die* ſ. Quod figuratum fuit in Elia, *Qui comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad mon-*
t 3. Reg. 19, 8. *tem Dei Horeb* t. Qui erat figura gloriæ. Tandē, Deus hoc Verbo increato & incarnato miſericordiam largietur hominibus; hoc Verbum debet eis acquirere paradiſum, *Miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum*
u Gal. 4, 4. & 5. *reciperemus* u. Poteſtas adorabilis Mariæ naſcentis quæ debens aliquando producere Deū hominem æquè potentem ac Sermonem Patris æterni verbis iſtis, quibus eſt Angelo reſponſura, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* x. cùm eli-
x Luc. 1, 38. gatur & nominetur hodie à SS. Trinitate ad hanc dignitatem ſupereminentem juxta vati-
y Eccl. 24, 6. cinium Eccleſiaſtici y eam ſic loquentem introducentis, *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens: id eſt, genui Chriſtum, qui eſt in cœlo lumen indeficiens.* ſubdit Hugo Cardinalis z: ad-
z Hugo Card. in Eccl. 24, 6. mitatione ciebit Angelos in cœlo. & conſequenter tribuet in tempore aliquam perfectionem SS. Trinitati, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, quam non habebant in æternitate. Hunc explicabo terminum, qui veſtras offendere poſſet aures, oſtenſurus vobis conſequenter perfectiones quas Pater, & Filius, & Spiri- Diviſio.
tus ſanctus ab ea ſuſcipient: quæ tres perfectiones, tres diſcurſus iſtius conſtituent partes.

Non me latet, quòd cùm Deus ſit immuta- I. Pars.
bilis, ut ipſemet ait: *Ego enim Dominus, & non mutor* a, & habeat ab æterno omnes perfecti- a Mal. 3, 6.
ones Dei, *ſicut perfectus eſt* b: non poteſt acqui- b Matt. 5, 48.
rere novas perfectiones, quantùm ad ſe: & quòd licèt verum ſit, quòd *in principio creavit Deus cœlum & terram* c, *& Verbum caro factum* c Gen. 1, 1. &c.
eſt d; nulla tamen mutatio fuit in Deo per aliquam actionem realem, quam priùs non ex- d Jo. 1, 14.
ercuiſſet. Nam primò quantùm ad id quod ſpectat creationem mundi, Deus non creavit illum actu novo voluntatis ſuæ, quo produxerit illum in tempore, ſed eodem actu quo determinavit ab æterno, ſe facturum exire mundum è nihilo in principio temporis; & hoc modo tota mutatio eſt è parte noſtra, quia habemus eſſe quod non habebamus, & vitam quam nondum ſuſceperamus, cùm non habebemus exiſtentiam, quam ſuſcepimus: ſed quantùm ad Deum non eſt in eo niſi relatio rationis, quæ non eſt realis. Secundò, Quantùm ad Incarnationem, Deus non eduxit ex eâ novam perfectionem, quâ eſſet privatus, quia humanitas quam ſumit, continebatur in ipſo per eminentiam. Prætereà, Verbum Divinum non acquiſivit aliquid de novo ex iſta unione ſuîipſius perſonali cum natura humana per potentiam paſſivā, aiunt Theologi, ſed ſolùm per potentiā activam, quia hæc unio facta eſt interventu actionis, quæ erat communis tribus perſonis Divinis: *Neq; enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, ait S. Auguſtinus e. Pro- e S. Aug. in Enchirid. c. 38.
pterea cùm dico, quòd B. Virgo, quæ naſcitur hodie cum electione & nominatione ad Divinam Maternitatem, per conceptionem Verbi Divini, quod carnem ſumet aliquando in viſceribus ipſius, tribuet aliquam perfectionem SS. Trinitati, illud erit intuitu noſtri, & juxta noſtrum concipiendi modum.

Hoc poſito, dico quòd Maria quæ naſcitur hodie, aliquando dabit in tempore perfectiones SS. Trinitati, quas non habebat in æternitate. Et primò, Ipſa præbebit Patri æterno magnam perfectionem, qualitatem eximiam, id eſt, titulum Patris *miſericordiarum* f, quali- f 2. Cor. 1, 3.
tatem autem, quæ nondum illi data fuerat, & quam non obtinebit, niſi interventu Mariæ quæ naſcitur hodiernâ die: loquor ſemper in ſenſu fundamenti ſuppoſiti: licèt enim Deus ſit *bonus* g ab æterno, & bonitas ejus, quæ eſt ori- g Pſ. 118, 68.
go miſericordiæ ipſius, ſit ipſi eſſentialis, & conſequenter ſit æterna, ſicut ipſe æternus h h Dan. 13, 42.
eſt; tamen hæc bonitas videbatur ſterilis, nec producebat hunc jucundum ſtatum miſericordiæ, nondum videramus ſalire ſuper nos hunc ſacrum rivum ex hac origine inexhauſta, & fluere ſuper capita noſtra, Maria tribuet illi modum exhibendæ hujus Divinæ miſericordiæ, & in effectum perducendæ bonitatis æternæ ipſius. Illum quidem fueramus experti bonum per creationem, & per communicationem quam habebat cum creaturis ex parte ſua: eſſe enim quod habemus, non eſt niſi emanatio boni, quia, ut ait S. Dionyſius i, *Bo-* i S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4.

num eſt diffuſivum ſui. Sed ipſum nunquam habueramus ſub hoc apparatu miſericordis, quia miſericordia nihil eſt aliud. niſi teneritudo cordis intuitu miſeriæ proximi, quæ nos inducit ad ſuccurrendum ipſi, cùm ei ferre poſſumus ſuppetias, ut ait S. Auguſtinus k. *Quid eſt miſericordia, niſi alienæ miſeriæ quadam in noſtro corde compaſſio, quâ utique ſi poſſimus, ſubvenire compellimur.* Ideò Deus dici non poteſt miſericors, niſi cùm ducitur affectu compaſſionis intuitu miſeriæ noſtræ; hoc autem non movetur affectu, niſi cùm ſubvenit ei, cùm, juxta S. Auguſtinum, miſericordia ſita ſit in affectu compaſſionis erga miſeriam alienam, unde inducimur ad eam ſublevandam, ſi penes nos ſit: dici non poteſt, quòd Deus non eſſet æquè potens ad medendum infortunio noſtro ab æternitate, quàm cùm illud ſanavit in tempore; dicendum eſt ergo, quòd illi verè non compatietur, niſi cùm illud ſublevabit; & conſequenter quòd futurus ſit miſericors tantùm, cùm daturus eſt nobis Filium ſuum, & ſicut Medicus ſanaturus morbum noſtrum, congruum vulneribus noſtris applicando apparatum. Si ſummum iſtud remedium, quod ipſe nobis eſt præbiturus Filii ſui, acquiſiturum ſit ipſi titulum miſericordis, pro eo devinctus erit Mariæ, ſicut ei quæ ipſi tribuet hanc perfectionem, quæ ipſum faciet agnoſci Deum miſericordiæ: Maria verè præbebit hoc attributum Patri æterno, cùm concipiet in viſceribus ſuis Verbum Divinum. Et ſicut ſanitas illius, qui fuit infirmus, attribuitur Medico, qui præbuit ipſi remedium, cujus virtute ſanatus eſt; ſicut captivus obſtrictus eſſet ob recuperatam libertatem ſuam ei qui pretium ſolviſſet redemptionis ipſius: ita Pater æternus tenebit titulum miſericordis à Maria, quia B. Virgo præbebit ei modum ſanando morbo noſtro opportunum, cùm concipiet Verbum Divinum, quod erit remedium noſtrum, juxta vaticinium Pſalmiſtæ l, *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Cùm Maria ſubminiſtrabit ei pretium redemptionis noſtræ, ipſe educet ex ea qualitatem iſtam miſericordis, *Pariet autem Filium, & ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* m. B. Virgo præbuit initium miſericordiis, & nobis aperuit viam, per quam perveniremus ad miſericordias Patris æterni, *Ut viſceroſa, tenera, & materna magnificentia pietatis ex Chriſti Matre reſplendeſcat,* ait S. Bernardinus n.

Ipſo inſtanti indiviſibili felicis æternitatis Pater æternus conſiderans in ſemetipſo Divinas & adorandas perfectiones ſuas, generat Verbum ſuum, ut ipſemet Filius ait, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* o. Et hæc Divina productio acquirit ei glorioſum titulum Patris, quam productionem Theologi vocant relationem realem quæ datur inter ipſum & Filium ipſius: B. Virgo quæ naſcitur hodie, habebit aliquando eandem perfectionem, & dabit in tempore Patri æterno ſecundum titulum Patris, novam relationem, cùm ipſa producet Jeſum Chriſtum: ſicut enim ipſa concipiet Filium ſuum virtute Divinâ, Filius iſte qui naſcetur ex iſta conceptione, dicetur Filius Dei, ut ipſimet Virgini dicet *Angelus, Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* p. Si futurus eſt Filius Patris æterni, Pater æternus debebit vocari Pater ejus. Et ecce quomodo Maria per nativitatem Verbi incarnati dabit Patri æterno perfectionem ſimilem ei quam ipſe habet per generationem æternam ejuſdem Verbi increati, quam perfectionem non habebat in æternitate.

II. Pars.

Sed potentia Mariæ non ſiſtit ibi, ipſa magis ſplendet, quia datura eſt Filio perfectiones, quas æquè parùm habebat iſte Filius, ac Pater ipſius habebat qualitatem, de qua modò locuti ſumus. Theologi duas agnoſcunt generationes in Verbo. Quarum prima eſt æterna, per quam Pater æternus ipſum generat intuitu adorabilium omnium attributorum ſuorum, & ex hac ita perfecta & conſummata ſpeculatione reſultat Verbum quod ipſi eſt æquale, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus,* ait S. Paulus q. Et Dionyſius Carthuſianus r poſt eum, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, id eſt, radius Sapientiæ Patris ingenitæ, ſeu candor lucis æternæ, & fulgor majeſtatis paternæ ſ, in quo plenè reſplendet tota perfectio Patris. Eſt namque Filius mentis Paternæ Verbum æternum, intelligibilis dictio, & ſapientiæ ejus plena expreſſio. Dicitur ergo Filius ſplendor gloriæ ſeu excellentiæ Dei Patris, quoniam quidquid Patris eſt, ſplendet ac lucet in Filio. Et in hoc inſinuatur coæternitas Filii cum Patre. Splendor enim eſt igni ſeu Soli coævus. Et ſi Sol ab æterno fuiſſet ſplendor fuiſſet ei conſempiternus. Et figura, id eſt, imago, vel character (in Græco quippe habetur* χαρακτὴρ*) ſubſtantiæ ejus, id eſt, ipſius Patris, qui eſt Subſtantia ſeu Divina Eſſentia. Græci verò utuntur nomine ſubſtantiæ indifferenter pro eſſentia & perſona. Dicit autem Apoſtolus, figura, quamvis figura propriè locum non habeat, niſi in corporalibus rebus. Per figuram enim res maximè cognoſcitur, & in ea ſimilitudo attenditur unius cum alio. Quoniam ergo Filius Patri per omnia ſimilis, imò ſimilliмus eſt, non diſtinctus ab eo, niſi quia ab eo & Patrem repræſentat, eumque notificavit, intantùm ut ipſe dixerit, Qui videt me, videt & Patrem* t: *idcircò Filius appellatur figura ſubſtantiæ Patris, in quo deſignatur conſubſtantialitas Patris & Filii. Filius equidem eſt imago naturalis & eſſentialis, non imitativa & artificialis Dei, quemadmodum filius Regis eſt imago patris regnantis. In tali autem imagine invenitur natura ejus, cujus eſt imago. Cùm ergo Divina Eſſentia ſit ſimplex ac indiviſibilis, conſtat quòd eadem numero ſit in Patre ac Filio. Propter quod ait, Ego & Pater unum ſumus* u. *Et, Quæcumque habet Pater, mea ſunt* x. Secunda generatio eſt ea quæ fit in ſinu B. Virginis in tempore, operatione Spiritus ſancti y: & licèt divitiæ ipſius non conſiſtant in theſauris ita immenſis quales ſunt theſauri Patris æterni, ut hujuſmodi theſauros effundat in Filium ſuum dilectiſſimum, tamen ipſa ſatis dives eſt, ut dare poſſit ei aliquando rem aliquam, quam ipſe non habebat in ſinu ſui Patris æterni, etiamſi ibi ſuſceperit id omne quod erat neceſſarium ad complementum naturæ ſuæ: B. Virgo igitur offeret ei munera, quæ ipſe non poſſidebat, tribuet illi corpus perfectiſſimum omnium quæ exire poſſint è manibus naturæ, quod hæc intelligentia ſine errore, & gratia ſimul elaborabunt admirabili ſocietate, exhauriendo totam induſtriam ſuam ad faciendum opus omni parte abſolutum. Ut autem majorem habeat perfectionem, & ampliorem ſplendorem, ipſæ com-

k S. Aug. l. 9 de Civ. Dei c. 5.

l Pſ. 106. 20.

m Matt. 1. 21.

n S Bern. ſerm. 13. de Exaltat. B. M. in gloria. a. 1. c. 4

o Pſ. 2. 7.

p Luc. 1. 35.

q Hebr. 1. 3

r Dion. Carth. art. 1. in Hebr. 1. 3

ſ ex Sap. 7. 26.

t Jo. 14. 9.

u Joan. 10 30.

x Jo. 16. 15

y Matt. 1. 18. & 20.

committent ipſum manibus Opificis magis induſtrii quàm ipſæ ſint, Spiritus ſanctus ipſas diriget, & præbebit ipſis omnem induſtriam, qua ipſæ indiguerint, ut hoc opus eximium ad ultimam perfectionem deducant : ſed B. Virgo habebit hanc prærogativam ut ſola totam ſubminiſtret materiam ; corpus iſtud ſacrum formabitur è puriſſimis ſanguinis ipſius guttis : iſtud pretium materiæ non præbebit ei minus ſplendoris, nec minus perfectionis, quàm induſtria quâ fiet : re autem verâ ſi ſtatua æquè benè ſuam ducit æſtimationem è materia, è qua compacta eſt, ac ex opifice ſuo; perfectio corporis Jeſu Chriſti æquè benè debebit attribui ſanguini glorioſæ Virginis, è quo formabitur, ac aliis artificibus, qui ipſum elaborabunt.

Natura agnoſcit Solem ut ſplendorem omnium creaturarum, & hanc tribuit ei prærogativam ut ſit veluti fucus qui decorat omnia corpora : hodiernâ die conſidero B. Virginem more Solis ſplendentis in meridie gratiæ, qualem nobis S. Joannes z repræſentat, dicens, *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.* Non ſolùm autem Eccleſia, repræſentata per Lunam, ut ait S. Bernardus a, *Solet autem Luna nonnunquam hujus temporis Eccleſiam deſignare propter ſuſceptam aliunde ſplendorem :* ſuſcipiet ſplendorem ſuum ab iſto myſtico Sole Mariæ : ſed etiam hic idemmet *Sol* b myſticus privilegio ſpeciali mittet radios ſuos, & iiſdem radiis ſuis inaurabit Solem *juſtitiæ* c, id eſt, Filium Dei, qui induet humanam carnem in viſceribus ipſius, tribuendo ei hunc ſplendorem, qui reddet illum ſpecioſiſſimum univerſorum hominum, qualis prædictus eſt à Pſalmiſta d, *Specioſus formâ præ filiis hominum.* Meum fulcio conceptum ſententiâ Philoſophorum & Medicorum, qui conſtituunt pulchritudinem in juſta proportione partium præ ſe ferentium colorem jucundum, & in gratia quæ inde ſequitur ut legitima productio exiens è commercio innocenti iſtarum duarum partium, id eſt, juſtæ proportionis, & grati coloris, quæ miſtione ſuâ decorem componunt. Juſta proportio partium, in eo quod vocamus figuram, quæ provenit è virtute formatrice, ſita eſt : color naſcitur è temperamento, & è miſtione primarum qualitatum : ſed quia perſæpè accidit ut liberi præ ſe tulerint imaginem aliorum, quàm parentum ſuorum, adductum eſt in controverſiam, num pulchritudo noſtra pendeat ex his duobus principiis præfatis. Reſpondetur ad hoc dubium, quòd imaginatio matrum, ſicut obſervatum eſt, poterat etiam eſſe cauſa lineamentorum & coloris faciei noſtræ. Super hoc autem habemus artificium Patriarchæ Jacob, qui ut haberet oves varii coloris juxta pactum initum ab ipſo cum ſocero ſuo Laban, cujus ipſe greges cuſtodiebat, offerebat eis virgas variegatas in canalibus in quibus bibebant, ut illarum intuitu fœtus maculoſos & varios conciperent : *Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas : detractiſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit : illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt : atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua : ut cùm veniſſent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt ut oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diverſo colore reſperſa* e. Lineamenta & figuræ facierum noſtrarum pendent ex imaginatione matrum noſtrarum : hoc autem ſic accidit. Cùm imaginario ſuſcepit ſpecies objectorum, quæ ſunt veri colores, ipſa eas imprimit ſpiritibus, qui eas deinde deferunt ad locum, ubi fit formatio, & ubi corpus infantis eſt diſpoſitum mediâ mollitie materiæ, ad ſuſcipiendum omne genus impreſſionis, ſicut cera, aut argilla mollis eſt diſpoſita ad recipiendos quoslibet charactêres, quos ipſi quis voluerit imprimere : è quacumque origine proveniant figura, & color, quæ ſunt partes quæ formant pulchritudinem, in quo unusquiſque ita ſibi complacet ; ſemper agnoſco B. Virginem ut principium pulchritudinis Filii Dei. Si enim color eſt pars quæ venit è temperamento, Jeſus Chriſtus temperamentum ſuum ſuſcipiet è ſanguine B. Virginis, ubi humores erant perfectè uniti, quia peccatum, quod diſſolvit conſtitutionem noſtram, nullum acceſſum habuit in Mariam f, ut interturbaret temperamentum ejus. Si figura, quæ facit alteram partem pulchritudinis juſtitiâ ſuâ, habet pro origine ſua virtutem formatricem ; Jeſus Chriſtus devinctus erit Mariæ pro lineamentis faciei ſuæ, quæ erunt in ſic jucundâ proportione, ut ſint ipſi impreſſura omnes ſplendores perfectæ pulchritudinis. Vel ſi admittenda eſt ſententia eorum, qui attribuunt ſimilitudinem noſtram, & imaginem facierum noſtrarum imaginationi matrum noſtrarum ; ſemper aſſero, quòd B. Virgo quæ naſcitur hodie ad hoc ut ſit Mater Dei, erit origo & Sol radiorum pulchritudinis Jeſu Chriſti, ita ut ſi futurus ſit *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* g, ideò quia Mater ipſius Maria formabit ideas ſuas ſuper ſpecioſa & perfecta opera, nec cogitabit niſi de cœlo & paradiſo. Si autem velitis ut pulchritudo Jeſu Chriſti debeat eſſe opus digiti Altiſſimi, qui formabit corpus ipſius in ſacro ſinu beatiſſimæ Virginis ; in hanc pulchritudinem concurret & ipſamet B. Virgo, eò quòd ipſa ſubminiſtratura ſit materiam capacem ſuſcipiendorum iſtorum ſacrorum lenociniorum, quæ Spiritus ſanctus imprimet vultui adorabili, & corpori precioſo Jeſu Chriſti : & ſic Maria naſcens hodiernâ die, deſtinata ad Divinam Maternitatem ejuſdem Jeſu Chriſti impendet aliquid è ſuo ad pulchritudinem Filii iſtius ſui, quem ipſa concipiet in ſinu ſuo : & propoſitio mea ſupereſt meliùs ſtabilita, cùm pateat quòd Jeſus Chriſtus ſit ab ea ſuſcepturus aliquid in tempore, quod non habebat in æternitate.

III. Part.

In æternitate Pater generat Filium ſuum, *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* h. Et Filius agnoſcens id quod ſuſcepit à Patre ſuo, dilectione reciprocâ diligens Patrem ſuum, producit cum illo in unitate principii ejuſdem voluntatis *Spiritum* i ſanctum : ſed hæc tertia perſona Divina manet ſterilis & infœcunda in operationibus interioribus Trinitatis, quia ipſa eſt terminus illarum : ut autem hæc ſterilitas non ſit ei injurioſa, datur ei titulus principii omnium operationum quæ ſiunt ad extra, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* k. Et ſicut Sara videns quòd ſua ſterilitas erat injurioſa Abrahæ, obtulit ei ancillam ſuã, ut ab ea ſucceſſores ſuſciperet, *Sarai uxor Abrã, non genuerat ſibi liberos : ſed habens ancillam Ægy-*

ptiam

z Apoc. 12. 1.
a S. Bern. ſerm. in Verba Ap. 12. 1. Signum magnum, &c.
b Cant. 6, 9.
c Mal. 4, 2.
d Pſ. 44. 3.
e Gen. 30. 37. &c.
f Cant. 4, 7.
g Pſ. 44. 3.
h Pſ. 2. 7.
i Jo. 15, 26.
k Rom. 5. 5.

priam nomine Agar, dixit marito ſuo : Ecce, concluſit me Dominus, ne parerem : ingredere ad ancillam l Gen. 16. 1. & 2. *meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam liberos* l: ita Eccleſia attribuit operationes, quæ fiunt ad extrà, perſonæ Spiritus ſancti, & hoc modo præbet ei fœcunditatem, quam non habet in Trinitate: ſed glorioſa Virgo exhibebit ei favorem inſigniorem: videns enim quòd Spiritus ſanctus nondum produxiſſet aliquid quod non eſſet infra ipſum, & quòd hæc fœcunditas, quam Eccleſia illi attribuit, non eſt ſatis ei glorioſa, ipſa conſentiet nuptiis cum eo ineundis, & ſuſcipiet verbum quod ab eo ad ipſam aliquando deferet Angelus; & ex hoc conſenſu Mariæ ſuſcipiet Spiritus ſanctus facultatem producendi hominis Dei, ſicut ipſe Deus eſt: hæc Divina perſona quæ nondum fuerat operata, niſi opera infinitè diſtantia ab eo quod ipſa eſt, ſuſcipiet à Maria prærogativam producendi Jeſu Chriſti Filii legitimi Patris, & hæc liberalitas Mariæ tribuet ipſi perfectionem ſimilem ei, quam Pater æternus habet in æternitate, in qua hæc prima perſona generat Filium ſibi ſimilem, & eſt pater Dei: & Spiritus ſanctus interventu Mariæ producet hominem qui adæquabit ipſius dignitatem per unionem hypoſtaticam Verbi.

Ne putetis autem, quòd gloria quam præbeo Mariæ quâ debeat aliquando reddere Spiritum ſanctum fœcundum nobiliori modo quam eſſet anteà, ſit imaginaria, & potiùs effectus zeli mei, quàm veritatis: fulcitur illa rationibus paritatis: Cùm enim certum ſit, quòd cauſæ primæ determinentur à ſecundis in omnibus operationibus ſuis, & ideò Deus agat liberè cum liberis, & neceſſariò cum neceſſariis, hoc ſuppoſito, oportet ut cauſa agat cum cauſa naturæ ſuæ, ut producat effectum ſimilem: re autem vera ſi Pater æternus producit Verbum ſuum, generat illud intellectu ſuo, qui eſt ipſemet Deus; & ſi Pater & Filius dilectione reciprocâ ſpirant Spiritum ſanctum, qui eſt Deus ut ipſi, ideò quia Pater & Filius qui agunt in unitate principii, ſeu voluntatis, ſunt ejuſdem naturæ: ita ut Deus ſpecioſiora faciat opera cum homine, quam cum animali, quia ſecundùm concurſum, quem tribuit huic animali, nō producit opus ſic eximium, ac cum illo quem præbet in productione hominis, è qua naſci facit hominem qui eſt ipſi ſimilis, & qui antecellit nobilitate naturam leonis, eò quòd productio quam facit in ſocietate ejus, eſt excellentior eâ quam peragit cùm leonem ſuæ operationis adhibet comitem: eodem modo dico, quòd ſi Spiritus S. producat hominem in puriſſimis viſceribu B. Mariæ Virginis, qui habebit omnes perfectiones poſſibiles & deſiderabiles, ſi hæc productio ſit futura ſic excellens, & ſi opus, quod inde reſultabit, ſit futurum Deus, ſicut ipſe Deus eſt; & infinitum, ſicut ipſe *magnus* m Baruch 3. 25. *eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* m: ideò quia Spiritus S. adhibebit ſocium Verbum ſecundam perſonam SS. Trinitatis, quod Verbum uniet ſe hypoſtaticè huic carni, quam Spiritus S. formabit in ſinu B. Virginis confeſtim ac ipſa conſenſerit Divinæ voluntati exprimendæ ipſi ab Angelo: & ſi hæc humanitas ſancta ſit futura ſic perfecta, ſi corpus iſtud ſacrum laturum ſit præ ſe tantum ſplendorem ut ad ſe trahere debeat Verbum Dei, & ut ſic honoranda ſit hæc eadem humanitas auguſta nobiliſſimo fœderum omnium quæ contracta fuerint unquam in tempore, oportebit ut Spiritus S. adaugeat virtutem Mariæ mediâ cauſâ particulari iſtius perfectionis, quæ præbuerit ei modum agendi ſic nobiliter; quia Maria quæ incipiet hoc opus, veluti deificabitur virtute Divinâ, quæ erit in ipſa, *Dominus tecum* n, inquiet ei tunc Archangelus. n Luc. 1. 28. Ipſa erit quaſi infinita in qualitate Matris Dei, quia hæc erit titulus honoris, cui nihil addi poterit. Talis erit etiam, quatenus ipſa tunc erit *Spiritus ſancti Sponſa* p. p Corn. in Act. 1, 14. Quia Sponſa communicat prærogativis Sponſi: ideò ſi fœcunditas Spiritus S. ſic excellens ſit futura per productionem Jeſu Chriſti, pro ea non ſolùm devinctus erit Potentiæ Divinæ, quæ eſt ipſi naturalis, ſed etiam virtuti quæ communicata fuerit Mariæ per privilegium, quæ concorret ad hoc opus Divinum ut cauſa ſic nobilis & ita perfecta, ut incumbens huic productioni corporis Jeſu Chriſti cum Spiritu S. datura ſit ei facultatem producendi in lucem operis ſatis divini, ut dicatur quòd egreſſum fuerit è maximis theſauris potentiæ & bonitatis ipſius, & excellentius quam ſi Spiritus S. deberet operari myſterium iſtud cum creatura minùs perfecta quam Maria; ſicut Sol cum homine facit excellentiores productiones quàm cum animalibus. Spiritus S. erit etiā ei addictus pro complemento iſtius operis eximii, quia ſine conſenſu ejus non formabit corpus adorabile Jeſu Chriſti in ſinu ipſius: ideò mittet ad illam Angelum, qui eam inducat ad conſentiendum, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum* q. q Luc. 1. 38. Et hoc conſenſu Maria Spiritum S. reddet principium novæ Trinitatis, faciet illum conſequenter ingredi in omnes perfectiones quas Pater habet in Trinitate cœli: in hac enim nova Triade Spiritûs S. Jeſu, & Mariæ, Spiritus ſanctus habebit facultatem, ſicut Pater in Empyreo, producendi, nedum tamen ipſe Pater ſit obſtrictus pro nativitate ſua ulli ex iis, quibus eam dat: Spiritus ſanctus, inquam, producet Jeſum in viſceribus Mariæ, & ipſe qui erat terminus Divinæ Trinitatis, erit principium iſtius Triadis, de qua vobis loquor: & omnes iſtæ prærogativæ tribuentur ipſi ex conſenſu quem Maria præbebit aliquando verbis Angeli, quia conſenſus iſte, quem ipſa dabit, erit neceſſarius neceſſitate ſine qua non, ad producendum effectum ſuum.

Etiamſi Spiritus ſanctus ſit omnipotens prout Deus, & ſit potentia Patris, *Virtus Altiſſimi* r: r Luc. 1, 35. & virtus cœlorum inde ſuam deſumat originem, *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* ſ: ſ Pſ. 32. 6. tamen glorioſa Virgo Maria tribuet ei characterem quendam potentiæ, quem nondum ipſe fecerit apparere. Si enim major eſt potentia cùm unit terminos magis ſeparatos, & congregat extrema quæ majorem adinvicem ſimul habent oppoſitionem; ſic per creationem Deus majorem exhibet intuendam potentiam, quam mediis productionibus quas peragit viâ communi generationis: potentia Spiritus S. ſplendidior erit quàm unquam fuerit, ipſa perget uſque eò quò poteſt extendi, quantùm ad unionem quam peraget virginitatis Mariæ cum maternitate, præbendo ei jura Matris, nedum tamen ſit abrepturus illi prærogativas Virginis; quia Spiritus S. duos iſtos uniet terminos oppoſitos, cùm præſentia unius excludat alterum, & maternitas dicat privationem virginitatis:

tatis : interim Spiritus S. effectu extraordinario potentiæ ſuæ inveniet modum uniendorũ duorum terminorum iſtorum in perſona Mariæ : ipſa inſumet etiam ultimum conatum ſuum ad unionem Filii Dei cum homine, qui ſunt duæ partes infinitè diſtantes; & nullam irrogo injuriam excellentiæ hujus Divini Paracliti, cùm dico quòd nõ poterit aliquid operari ſublimius & majus, nec ulteriùs progredi, & quòd iſti duo effectus potentiæ, quantùm ad unionem Verbi cum homine, & virginitatis cum maternitate, erunt ſublimiſſimi eorum omnium, quos unquã apparere fecerit Deus in tempore. Maria præbebit Spiritui ſancto facultatem producendorum duorum miraculorum iſtorum, ipſa erit veluti cauſa iſtius potentiæ ingentis, quam exhibebit intuendam in his duobus mirabilibus, quia, juxta Philoſophiã, *Quod eſt cauſa cauſa, eſt cauſa cauſati.* Cauſæ materiales potentiæ Spiritus S. in his duobus operibus, erunt virginitas & maternitas Mariæ, humanitas & perſona Verbi, quia ipſæ erunt ſubjectum circa quod Spiritus S. operabitur, ſicut lignum eſt cauſa materialis ſtatuæ : atqui voluntas Mariæ erit cauſa virginitatis ipſius, & aliquo modo unionis Verbi cum humanitate, cùm exigendus ſit ab ipſa conſenſus ſuus : & perſona Jeſu Chriſti erit cauſa maternitatis ipſius, & ſanguis ipſius erit cauſa corporis Filij Dei : ergo per hoc axioma Philoſophiæ, Maria erit aliquo modo principium potentiæ, quam Spiritus ſanctus exhibebit in Incarnatione : Spiritus S. erit addictus Mariæ pro hac facultate producendi hominis Dei, & faciendi ut Mater maneat Virgo, eò quòd ipſa poſſet non conſentire Incarnationi, & præbere concurſum [illegible]itatis ſuæ, quod utrumque pendebit ab ipſius voluntate : & ſic Spiritus S. non haberet hanc facultatem, quæ mirabiliter emicare faciet ipſius potentiam hoc in occurſu.

Ecce igitur Maria valdè potens, cùm ſit habitura poteſtatem tribuendarum perfectionũ SS. Trinitati, licèt aliunde, cùm ſit tota perfecta, eas nondum exhibuerit intuendas. Poteſtas veneranda Mariæ, quæ datura eſt perfectiones Patri, & Filio, & Spiritui S. quas non habebant in æternitate! Quàm glorioſa eſt Maria naſcẽs, Auditores quàm ingens eſt illius felicitas, cùm debeat aliquando tribuere perfectiones adorabili Trinitati, quæ eſt origo omnium pulchritudinum, & principiũ omnium raritatum cœli & terræ! Ipſa, eſt gloria Patris, cùm datura ſit ei titulum, quem non habebat, ipſa acquiret illi qualitatem miſericordis Ipſa eſt firmamentũ Filij, quia Filius emicabit in ipſa ut in cœlo ſuo; amor ejus exhibetur intuendus in flammis Mariæ, ſicut Sol in meridie ſuo. Ipſa eſt perfectio, magnificatioque Spiritus S. quia ſplendere faciet potentiam ejus majori magnificentiâ, quam ipſe Spiritus S. manifeſtarit illam unquã in tempore. Tandem, mediis omnibus prærogativis, quas impertietur ipſa tribus illis Divinis perſonis, ipſa ſe dignam reddidit hoc elogio, quod ipſi largitus eſt Heſychius *t*, dicens, *Hæc univerſum Trinitatis complementum.* O magnum *Fiat*, quod ipſa pronunciabit aliquando! ô potens *Fiat* u! aliquo modo majus eo quo *dixit Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux* x. &c.

t Heſych. ſerm. 2, de Laud. Deip.
u Luc. 1, 38.
x Gen. 1, 3 &c.

Intueor equidem, quòd hæc excellens poteſtas Mariæ ciet vos admiratione : deſerite hãc admirationem, & ſeriò vos reflectite ſuper hãc potentiã propter utilitatem animarum veſtrarum. Conſiderate ergo, quòd ſi ipſa ſit habitura ſatis poteſtatis, ut oſtendi vobis, ad hoc ut addat aliquos perfectionum charactêres perfectionibus trium Divinarum perſonarum SS. Trinitatis, quæ ſunt infinitæ; ſi ipſa ſit habitura unde favores communicet tribus iſtis Divinis perſonis : ipſa ſit etiam habitura authoritatem ſuccurrendi nobis, ſi recurramus ad interceſſiones illius. Nonne ſcitis, quòd ſi animæ verè nobiles, ſunt liberales & generoſæ ad tribuendas gratias, ne detrahant nobilitati ſuæ; eſt credendum, quòd, cùm ipſe habeat id omne, quod reddit animã liberalem, nimirum, nativitatem, & poteſtatem, ipſa futura ſit prodiga ad impertiendos nobis favores. Animæ afflictæ, quæ exiguo igne conſumimini medias inter afflictiones; viduæ, quæ eſtis ſine fulcro; orphani, qui deſtituti eſtis omni auxilio, patimini ne perſecutiones? Recurrite ad Mariam, Ipſa facilè ſuos cõmunicabit vobis favores, ipſa impetrabit à Filio ſuo gratiã indulgendam criminibus, quæ merentur vobis has moleſtias : viduæ accurrite ad B. Virginem; ipſa enim eſt Sponſa mulierum hujus generis : orphani confugite ſub protectionem ejus; ipſa enim Mater eſt eorum qui matres non habent : infirmi, ardetis ne in lecto febre acutâ quæ cõburit vobis viſcera; laboratis ne doloribus chiragræ, aut podagræ, ſuſtinetis ne convulſiones morbi colici, aut ingentes anguſtias calculi? Accedite ad Mariam, quæ eſt Mater conſolationis, & Medicina morborum; cùm enim ſanaverit morbos animæ, ſperate quòd ipſa ſublevabit ægritudines corporis. Quamvis vos ſitis pauperes, viduæ, orphani, & afflicti, ſi poſt hæc maneatis in morbo, & in oppreſſione, ne queramini, & ne dicatis inſtar illius Evangelici *y* paralytici, *Hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Habetis enim Mariam, quæ eſt Mater orphanorum, Sponſa viduarum, Conſolatrix afflictorum, & Salus infirmorum, quæ fluere facit diluvium gratiarum in animas eorum qui implorant auxilium ipſius. Peccator, paralytice voluntarie, *triginta & octo annos habens in infirmitate* tua, id eſt, in adulterio, id eſt, qui es alligatus infami converſationi illius fœminæ, quæ jacturam tuam molitur; mulier diſſoluta, quæ es lapis offenſionis totius juventutis civitatis, & quæ es abſque ullo bono motu per obſtinationem in tuo crimine : fœnerator qui es immobilis quantùm ad bonum, qui habes cor tuum alligatum auro tuo : *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* z: peccator, quiſquis ſis, viſne exire è crimine tuo? Porrige manum tuam Mariæ, ipſa tibi offert auxilium ſuum, Ipſa eſt Mater miſericordiæ, & per eam Deus fit miſericors : ha! noli dicere, *Hominem non habeo*, Nemo enim unquam imploravit auxilium B. Virginis, quin ab ea fuerit adjutus. Accedamus igitur ad eam, Auditores, & ipſa nobis impetrabit id omne quod nobis eſt neceſſarium, & per eam nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* †.

y Joan. 5, 5, &c.
z Matt. 6, 21.
† Pſ. 83, 12.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens, Luc. 17. 15. &c.

POſtquàm myſterium adorabile incarnationis fuit adimpletum *in utero* B. Virginis, *exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda : & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus* a. Quæritur quare beatiſſima Virgo MARIA tres menſes inſumpſerit in hanc viſitationem, cùm viſitationes ordinariæ non durent ut plurimùm tribus horis. Reſpondet Theophylactus b, *Virgo quidem circiter tribus menſibus manſit apud Elizabeth, fortaſſis tanta attonita miraculis, & indigens conſolatione quadam, quam ex conſuetudine Elizabeth habuit.* Spiritus ſanctus operatus erat iſtud myſterium Divinum in ſinu ipſius. *Inventa eſt in utero, habens de Spiritu ſancto* c. Sed quare indigebat conſolatione, favoribus ita ſingularibus cumolata? Ha! propterea volebat ipſa perfundi conſolatione, cogitans de obligatione quæ ipſi inde remanebat, veritane num poſſet Deo gratias agere, quas ipſa deſideraſſet ei impendere pro tantis beneficiis ſibi ab eo collatis. Indigebat ipſa ſimiliter conſolationibus cùm *turbata eſt in ſermone* Angeli, poſtquàm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave* † *Maria.*

a Luc. 1, 41, &c. ex Ifa. 7, 14.
b Theoph. in Luc. 1. 56.
c Matt. 1. 18.
† Luc. 1. 28, &c.

Peccatum mortale multùm elongat hominem à Regno Dei, & à Deo ipſo, ſecundùm id quod ſcriptum eſt, *Longè eſt Dominus ab impiis* d. Id eſt, ſubdit Dionyſius Carthuſianus †, *Non loco, quia ubique præſens eſt incircumſcriptibilis Deus* e, *ſed per diſſimilitudinem. Vnde & longè à peccatoribus ſalus* f. *Eſt ergo longè ab eis, quia diſplicent ei : & quò per vitiorum deformitatem ac fœditatem diſſimiliores ſunt Deo, eò longiùs diſtant ab eo. A Deo quippe non corporis greſſu, ſed mentis affectu receditur. Ipſe tamen eſſentialiter omnibus adeſt, omnia penetrat, & ipſis eſſentiis rerum illabitur. Vnde loquitur divinus Apoſtolus, Non longè eſt ab unoquoque noſtrûm. In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus* g. Peccatores igitur non ſunt elongati à Deo diſtantiâ locali, ſed ſolùm diſtantiâ formali, ſicut album & nigrum, quæ licèt ſint in eodem ſubjecto, ſunt tamen multùm differentia, quia nulla eſt convenientia inter lucem & tenebras : nam *Deus lux eſt* h, & peccator tenebræ, Deus eſt *bonus* i, & peccator malus : *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras* k? Peccator eſt igitur formaliter elongatus à Deo per peccatum, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, dicit Iſaias l, peccatores alloquens. Sed quia JESUS Chriſtus Deus & homo venit ad peccatorem (ſicut apparet in leproſis Evangelii noſtri, quibus idem JESUS Chriſtus ſanans lepram corporis, dat etiam ſanitatem animæ per gratiam) aufert omnes contrarietates quæ erant inter illum & Deum : & quia oppoſitiones iſtæ erant cauſæ iſtius elongationis, oppoſitionibus iſtis ſublatis, homo accedit ad Deum ſuum, & per charitatem unit ſe ſtrictè Deo : *Deus charitas eſt : & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* m, dicit diſcipulus *quem diligebat* IESVS n. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus o, *Deus enim eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam : atque in Chriſto per hypoſtaticam unionem quoad perſonam Filij, in Iuſtis verò per charitatem & gratiam.* Iſtud eſt quod eſt exaratum in textu Evangelij noſtri, *Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè : & levaverunt vocem, dicentes : Ieſu Præceptor, miſerere noſtri. Quos ut vidit, dixit : Ite, oſtendite vos Sacerdotibus* *. *Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Deus eſt in Juſto per ſpem & per gratiam, ſicut eſt in iſtis decem leproſis quibus impertitur ſanitatem. Videndæ ſunt igitur Primò utilitates, quas JESUS Chriſtus affert in animam, cùm venit ad eam per gratiam juſtificantem. Secundò verò, Quia è decem iſtis leproſis unicus tantùm gratias egit Benefactori ſuo pro ſanitate ſibi ab eo impenſa, *Vnus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum*, videbimus quòd è ſuavitate gratiarum ejus venit rigor punitionum illius, cùm illæ non ſunt agnitæ.

d Prov. 15. 29.
† Dion. Carth. in Prov. 15. 29.
e ex Jer. 23, 24.
f ex Pſ. 118. 155.
g ex Act. 17, 27, & 28.
h 1. Jo. 1, 5.
i Pſ. 118, 68
k 2. Cor. 6. 14.
l Iſa. 59. 2.
m 1. Joan. 4. 16
n Joan. 21. 20.
o Dion. Carth. art. 6, in 1. Jo. 4. 16
* ex Lev. 14. 2
Diviſio.

Prima utilitas, quam adventus Filii Dei affert in animam, eſt purgatio peccatorum, quibus ipſa inquinata erat : nemo enim exire poteſt è peccato, in quod lapſus eſt, niſi beneficio gratiæ Jeſu Chriſti, quæ ipſum inde educit, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*, ait Apoſtolus p, *per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Et Dionyſius Carthuſianus q, *Iuſtificati ab injuſtitia culpæ gratis ſine præcedentibus meritis, per gratiam ipſius Dei, quæ eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis, ſicut albedo eſt cauſa formalis albefactionis parietis. Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, id eſt, per paſſionem & ſanguinem Chriſti, in quo eſt redemptio noſtra ſicut in cauſa efficiente. Ita quòd paſſio ejus eſt cauſa inſtrumentalis effectiva ac meritoria noſtræ ſalvationis. Vnde de eo ſcriptum eſt : Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* r. *Et Iſaias* ſ *ait, Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Et ipſe peccata multorum tulit.* Homo poteſt quidem per infirmitates, quæ ſunt ipſi naturales, cadere in abyſſum peccati; ſed inde viribus ſuis naturalibus exire non poteſt, & ideò indiget favoribus extraneis, & ut Jeſus præbeat ipſi manum ad ipſum ſuſcitandum, ſicut ipſemet Jeſus ait, unumquemque hominem alloquens, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* t. Et juxta Dionyſium Carthuſianum u, *Quia ſine me, id eſt, ſine gratia mea gratũ faciente, nihil meritorium poteſtis facere. Propter quod dicit Apoſtolus, Gratiâ Dei ſum id quod ſum* x. *Et, Omnia poſſum in eo qui me confortat* y. *Hinc apud Ieremiã* z *legitur, Scio Domine quia nõ eſt homi-*

Pars I.
p Rom. 3. 24.
q Dion. Carth. art. 6, in Rom. 3. 24
r Apoc. 1. 5
ſ ex Iſa. 53. 6, & 12
t Jo. 15. 5.
u Dion. Carth. art. 37, in Jo. 15. 5
x 1. Cor. 15, 10.
y Phil. 4. 13.
z Jer. 10, 23.

hominis via eſt, nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Nemo ergo ſibi ipſi blandiatur, vel in ſeipſo glorietur, cùm nil habet boni à ſe: & hoc ipſum quod habet, nec ad momentum poteſt ſervare, ni conſervetur à Chriſto. Demùm, Ipſa prima mentis ad Deum converſio, Dei donum eſt à Deo. Propter quod Ieremias a precatur, *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et ratio iſtius eſt, quia quælibet res naturaliter revertitur ad principium ſuum: v.g. res obnoxiæ corruptioni, quæ ſunt compoſitæ è quatuor elementis, revertuntur in eadem elementa, cùm quælibet res ſequatur inclinationem propriam naturæ ſuæ: Lapis, licèt adhæreus altiſſimo ædificii faſtigio, tendit deorſum, ſi impedimenta ab ipſo auferantur: Ignis aſcendit in ſphæram ſuam, & ſic de cæteris entibus quæ agunt conformiter ad inclinationes ſuas, & ſecundùm naturam ſuam. Inde fit ut cùm animalia ſint formata è terra, quæ eſt principium productionis ipſorum, revertantur in idem elementum, è quo educta ſunt: *Cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur*, ait Eccleſiaſtes b. Atqui videamus nunc quænam ſit materia hominis quantùm ad corpus. Ipſa proculdubio eſt terra: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ* c. Sic reverti debet in terram, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris* d. Quantùm ad animam, quæ eſt ſubjectum gratiæ, vel peccati; dicere non poſſumus, quòd ipſa facta fuerit è terra, aut ex alio aliquo elemento: nam anima rationalis eſt ultra & ſupra omnem materiam corpoream, cùm ſit naturæ ſine comparatione multò nobilioris; ſed creata fuit ex nihilo, *Dominus Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* e. Sic naturaliter ipſa tendit ad nihilum, id eſt, ad peccatum, quod nihil eſt, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, ait S. Joannes f. Et poſt eum S. Auguſtinus g, *Peccatum quidem non per ipſum factum eſt; & manifeſtum eſt quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant.* Homo naturaliter ex ſeipſo fertur ad peccatum, a quo proclivior eſt ad malefaciendum, ſic ut nemo ſit qui non ſit peritus naturaliter iſtius infelicis ſcientiæ quæ replet infernum, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, ait S. Joannes h. Et S. Auguſtinus i ſic loquitur ad propoſitum noſtrum, *Ut natura ſit, ex eo habet, quòd à Deo facta eſt. Ut autem ab eo, quod eſt, deficiat, ex hoc quòd de nihilo facta eſt. Nec ſic defecit homo ut omnino nihil eſſet: ſed ut inclinatus ad ſeipſum minus eſſet, quàm erat, cùm ei qui ſummè eſt* k, *inhærebat*. Homo igitur non indiget auxilio alieno ad peccandum, ſed opus habet ſubſidio ut veniat è peccato ad gratiam, cùm è ſeipſo peragere non poſſet hunc magnum conatum: ſi enim creatus aut productus eſſet è gratia, è ſeipſo reverteretur ad gratiam poſtquam ab ea receſſiſſet: ſi è materia cœli, tenderet ad cœlum, cùm naturaliter res omnis revertatur ad principium ſuum, è quo educta eſt, & ſuam traxit originem: ſed quia creatus eſt è nihilo (*Quia ex nihilo nati ſumus*, aiunt impii apud Sapientem l, licèt ſub alio ſenſu) naturaliter revertitur ad nihilum, è quo eductus eſt. Iſtud eſt ratio naturalis. En alia deducta à lege.

a Thren. 5. 21.
b Eccl. 3. 19. & 20.
c Gen. 2. 7.
d Gen. 3. 19.
e Gen. 2. 7.
f Jo. 1. 3.
g S. Aug. tract. 1. in Joan. c. 3.
h 1. Jo. 1. 8.
i S. Aug. l. 14. de Civ. Dei, c. 13.
k ex Exod. 3. 14.
l Sap. 2. 2.

Per peccatum Deus eſt offenſus, & offenſa nunquam remittitur, niſi mens offenſi mitigetur; quòd verò mitigetur, hoc pendet ab ipſo: iſtud ergo non eſt in poteſtate illius, qui fecit injuriam, poſitum, ſed in poteſtate illius, cui hæc illata eſt, ut eam dimittat: nam, ſecundùm Jus Civile, nemo cogitur dimittere injuriam ſibi irrogatam, ſed accuſare poteſt, & agere contra eum a quo talem ſuſcepit injuriam, & in hoc nemini nocet, utens jure ſuo: tenetur quidem in conſcientia deponere omne odium, ſed non renunciare omni actioni juſtitiæ.

Tertiam rationem deſumo è Theologia, quæ ait, quòd in remiſſione peccati mortalis multæ ſunt res de novo creatæ, nimirum, gratiæ, virtutes, & dona Spiritus ſancti. Iſtud eſt etiam quod Pſalmiſta m poſtulabat, cùm dicebat Deo, *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.* Et, juxta Dionyſium Carthuſianum n, *Spiritualiter. O Domine, emittes Spiritum tuum, id eſt, dona Spiritus ſancti nobis, ut ſperamus, infundes; & creabuntur, id eſt, corda munda in nobis conſurgent: & renovabis faciem terræ, id eſt corpus noſtrum, faciendo illud ſpiritui obedire, & honeſtè ac ſobriè agere. Patet ex iſto, quòd non ſemper in ſacra Scriptura nomine Spiritus Dei deſignatur Spiritus ſanctus, qui eſt tertia in ſuperſancta Trinitate perſona, ſed interdum per Spiritum Dei intelligitur ejus voluntas, imperium ſeu poteſtas.* Sicut enim terra renovatur tempore verno floribus, & æſtivo fructibus: ſic anima donis Spiritus ſancti & gratiis renovatur ad producendos flores bonorum verborum, & fructus bonorum operum. Nunc ſic ratiocinor: Solus Deus creare poteſt, quia cùm creatio fiat è nihilo, requirit in Creatore potentiam, quæ *non habet finem* o, quæ non eſt communicabilis naturæ creatæ, quæ eſt virtutis finitæ & limitatæ. Unde Angeli boni vel mali minimam rem creare non poſſunt, minùs etiam aliæ creaturæ, quod non eſt defectus Potentiæ Divinæ, ſed defectus creaturæ, quæ cùm ſit finita, eſt incapax iſtius potentiæ: dicamus igitur quòd ſolus Deus creare poteſt: atqui in remiſſione omnis peccati eſt nova creatio: ergo ſolus Deus remittere poteſt peccatum effectivè, & velut cauſa principalis, *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus* p? *Quemadmodum enim in omni peccato Deus offenditur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus q his verbis Evangeliſtæ, *& lex ejus infringitur: ſic ejus duntaxat eſt peccata dimittere, ita quòd macula culpa tollatur. Nam ſi homo homini injuriam illatam dimittat, propter hoc macula culpa, ſeu iniquitas non auſertur ab anima, niſi & Deus indulgeat, qui per Iſaiam* r *loquitur, Ego ſum qui deleo iniquitates tuas. Cui in Iob* ſ *dicitur, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? Præterea, Advertendum, quòd diverſis diverſimodè competit dimittere ſeu relaxare peccata. Deo enim hoc competit principaliter ac propriâ authoritate: Chriſto autem ſecundùm naturam aſſumptam competit hoc merito ſingulari, & etiam ut cauſa inſtrumentali generali & excellenti, ôtemque authoritate conceſſâ: Sacerdotibus verò competit ut cauſa miniſteriali. Sed & Sacramentis Baptiſmi, ac Pœnitentiæ convenit auferre pecca-*

m Pſ. 103. 30.
n Dion. Carth. in hunc loc.
o Baruch 3. 25.
p Luc. 5. 21.
q Dion. Carth. art. 13. in Luc. 5. 21.
r Iſa. 43. 25.
ſ Job 14. 4.

ra quâdam inſtrumentali tom auſabilitate, gratia autem formaliter. Deus ergo ſolus dimittere poteſt peccata, ſicut cauſa principalis. Sic S. Auguſtinus e ſcribens ſuper hæc verba Salvatoris apud S Joannem, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet*, ait, *Quæ opera, niſi ut ex impio juſtus fiat? Et majora horum faciet, quorum obſecro? Nunquid non omnium operum Chriſti majora facit, qui cum timore & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur u?* Poſſumus igitur quidem recedere à Deo per peccatum, ſed accedere non poſſumus ad eum, niſi ipſe nos trahat: poſſumus quidem deſcendere ex nobis ipſis in abyſſum, ſed inde non valemus exire niſi adjuti auxilio manus alicujus miſericordis,

e S. Aug. tract. 72, in Joan. 14, 12.

u ex Phil. 2 12.

Facilis deſcenſus averni,
Sed revocare gradum, ſuperaſque aſcendere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Propterea Deus, *cujus natura bonitas* x, extendit ad nos *manum* y ſuam, interventu gratiæ ſuæ, quam nobis offert. Propheta Regius poſt patrata crimina ſua z, redactus in hunc ſtatum infortunii, proponit ei ſupplicationem iſtam, ut ex hujuſmodi abyſſo poſſit exire, dicens, *Non me demergat tempeſtas aqua, neque abſorbeat me profundum: neque urgeat ſuper me puteus os ſuum* a. Id eſt, ſicut deinde dixit Dionyſius Carthuſianus b, *Non me demergat finaliter, nec me demerſum teneat tempeſtas aqua, hoc eſt, impetus tentationis, ſtrepitus vitiorum, vel ſolicitudo rei ſecularis ac temporalis, neque abſorbeat, hoc eſt, animam meam non perdat, profundum, hoc eſt, deſperatio, obſtinatio, ſeu peſſima conſuetudo. De quo profundo Salomon* c *ait, Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Ab hoc profundo videntur abſorpti, de quibus per Ieremiam* d *dicitur, Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Et* e, *Induraverunt facies ſuas ſupra petram, noluerunt reverti. Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. Puteus eſt quoddam profundum, & modò idem deſignant, ſed dicitur profundum, ſeu puteus os ſuum urgere ſeu claudere ſuper peccatorem, dum ipſe peccator obſtinationi & pravæ conſuetudini ſuperaddit finalem impœnitentiam, ita ut confiteri contemnit, & in ſua averſione decedit, ſicut de eo Iſaias* f *dixit, Scio, inquit, quia durus es, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ænea. Ieremias* g *quoque, Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Qui autem peccata ſua humiliter confitetur, hujus putei clauſuram egreditur: juxta illud, Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur* h. *Vnde & ſanctus Iob* i *aſſerit, Vias meas in conſpectu Dei arguam, & ipſe erit Salvator meus.* Deus offert ſcalam cuilibet peccatori: ſed is ita faſcinatus eſt ut inde nolit exire, ſic ſibi complacet in doloſa & funeſta dulcedine peccati, quod ſuavitatibus ſuis ipſum mulcet & lenit.

x S. Bern. ſerm. 3, in Circumciſ. Dom.
y Prov. 1, 24.
z 2. Reg. 11, 2, &c.
a Pſ. 68, 16
b Dion. Carth in hunc loc. in Moral.
c Prov. 18, 3.
d Jer. 13, 23.
e Jer. 5, 3.
f ex Iſa. 58 4.
g Jer. 3, 3.
h Prov. 28 13.
i Job 13. 15, & 16.

Ad hoc propoſitum refertur id quod eſt exaratum in hiſtoria Barlaam de quodam qui fugiens unicornem, cecidit in puteum, & caſu amplexus eſt arborem quæ exibat è latere ejuſdem putei, & manens ſuſpenſus in hoc ſtatu, intuitus eſt profundum putei, & vidit ibi magnum draconem, qui inhians expectabat ipſum devorare, flammas ex ore vomens: advertit & duos mures, qui rodebant radicem arboris, cui adhærebat: & ipſe ſuos pedes poſuerat in foraminibus, ubi erant quatuor aſpides, quatuor magni ſerpentes. Judicate, ſi placet, Auditores, cui erat expoſitus homo ille miſer periculo: tamen in illo ſtatu hoc exiguum habebat refrigerium, quòd modicus ſavus mellis fluebat ex illa arbore, & ipſum refrigerabat: accidit autem ut quidam generoſus miles illac tranſiret, & videns illum unicornem, eum fugaverit, & illum interfecerit, & intuens hunc hominem miſerum tanto periculo expoſitum, obtulerit ei ſcalam, ad educendum eum inde, illumque ſuſcitandum à caſu ſuo: ſed inſenſatus ille recuſabat hunc favorem, quo charitativus ille miles volebat ipſum ſibi devincire, & ſemper immorabatur præ voluptate in deguſtandis deliciis illius ſavi mellis, nedum multùm ſolicitus eſſet de liberando ſe à periculo evidenti jacturæ ſuæ, cui erat expoſitus. Nonne iſtud, eſt modus procedendi hominis mente capti? Nunc autem ad propoſitum noſtrum: Inſanus ille, non eſt alius niſi homo, quem incedentem in deſerto mundi iſtius perſequitur unicornis, id eſt, mors, ſed ita violenter perſequitur ut is infeliciter labatur in peccatum mortale: tunc ipſe facit id omne quod poteſt, amplectitur arborem iſtius vitæ mortalis: in hoc ſtatu videt dracones, id eſt, diabolos, & infernum apertum ad ipſum devorandum paratos: duo mures ſunt dies & nox, dies eſt albus, & nox eſt niger, mures qui rodunt quotidie vitam noſtram, cùm ſingulis diebus moriamur, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur* k. Quatuor aſpides ſunt quatuor elementa, quorum contrarietas eſt cauſa diſſolutionis noſtræ: ſed miles favorabiliter adveniens, interimit hunc unicornem: iſte miles non eſt alius niſi JESUS Chriſtus, *Et exivit vincens, ut vinceret* l. Qui triumphavit de morte, æquè ac de inferno, ſeu dracone, juxta hanc prædictionem ſuam per Oſee m, *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero, inferne.* Ipſe offert huic homini ſcalam tribus gradibus conſtantem, putà, contritione n, confeſſione o, & ſatisfactione p; contritione cordis, confeſſione oris, & ſatisfactione operis; cujus ſcalæ favorabilis intervento exeat & reſurgat à lapſu ſuo. Sed peccator inſenſatus, allectus exiguâ dulcedine, & aliquibus doloſis apparentiis iſtius mundi, renuit hoc auxilium, & deſpicit hũc favorẽ, quo Deus vult ipſi gratificari. Quid igitur adveniet ei, niſi quòd radice iſtius arboris, cui adhæſerat ipſe, corroſâ, cadet ipſe in profundum inferorum? Deus queritur de hoc peccatore, & ſimilibus, dicens eis, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis advenerit* q. Et ideò, Auditores, *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra* r. Educamus ſuaviſſima commoda noſtra ex auxilio quod nobis Deus offert miſericorditer.

k 2. Reg. 14, 14.
l Apoc 6. 2.
m Oſee 13 14.
n Pſ. 50. 19.
o Jac. 5, 16
p Luc. 19, 8
q Prov. 1. 24, &c.
r Pſ. 94, 8.

Secunda utilitas, quam Jeſus Chriſtus affert in animam per gratiam juſtificantem, eſt infuſio omnium virtutum. Antequam JESUS Chriſtus maneat in corde hominis per gratiam,

nulla eſt in hoc homine vera virtus, quia virtutes infuſæ ſunt in charitate, ſicut acquiſitæ in prudentiâ: charitate ergo deficiente, nulla eſt ampliùs vera virtus, ut ait Apoſtolus f, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt.* Quin imò & ipſa fides, non eſt fides niſi æquivocè, licet credat in Jeſum Chriſtum; ſicut homo, qui non eſt homo niſi per æquivocationem, *Fides ſine operibus mortua eſt*, ait S. Jacobus t. Et S. Paulus u, *Fides per charitatem operatur.* Sic ſpes, non eſt virtus, ſed præſumptio; nec charitas, nec ulla alia virtus Cardinalis: ſed cùm Jeſus Chriſtus venit in animam per gratiam, ſtatim omnes virtutes infunduntur in eam, tam Theologicæ quæ ſunt tres, *Fides, ſpes, charitas, tria hæc* x; quàm Cardinales quæ ſunt quatuor; ſicut etiam dona Spiritus ſancti, quæ ſunt ſeptem y. Et ratio iſtius eſt, quia ubi Rex adeſt, ibi intereſt & Curia ipſius: ſervi ſequuntur Dominum ſuum: quis autem neſcit quòd Dominus virtutum eſt Jeſus Chriſtus? *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*, quærunt, & reſpondent Angeli apud Pſalmiſtam a. Et apud Dionyſium Carthuſianum b, *Dominus virtutum, id eſt, ipſemet Deus unigenitus Dei Patris, qui eſt Dominus Sabaoth, id eſt, exercituum* c, *atque univerſarum Virtutum cœleſtium, ipſe eſt Rex gloriæ, id eſt Princeps lætitiæ, fons felicitatis æternæ, Rex tantæ excellentiæ, cui ſecundùm quod homo eſt, data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terrâ* d. Et idem Pſalmiſta e Deum alloquens, ait illi, *Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.* Id eſt, *Per ſpem formatam*, ſubdit idem Carthuſianus f. Quod idem eſt ac per ſpem charitate animatam. Propterea debet unusquisque diligenter ſe diſponere ad dignè ſuſcipiendum Dominum virtutum: omne genus temporis eſt idoneum ſuſcipiendo huic glorioſo privilegio. Ad hoc nos hortatur Apoſtolus g per hæc verba, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Et dicitur apud S. Lucam h de Jeſu Chriſto, *Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Nam Jeſus Chriſtus ingrediens animam, venit in illam cum omnibus virtutibus, ſicut candela accenſa quæ collocata in aulâ, vel in cellâ, eam totam illuminat: ſic Jeſus Chriſtus qui eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* i, illuſtrat omnes potentias animæ quam viſitat, intellectum fide & verâ ſapientiâ, voluntatem charitate & juſtitiâ, partem iraſcibilem ſpe & fortitudine, portionem concupiſcibilem temperantiâ, corpus caſtitate, & omnia alia membra honeſtate: alioquin enim Sponſus cœleſtis non ingrederetur animam, quam intuetur ut Sponſam ſuam, niſi reperiret eam virtutibus omnibus ornatam.

f 1. Cor. 13. 1. &c.
t Jacob. 2. 26
u Galat. 5. 6
x 1. Cor. 13. 13
y Iſai 11. 2. & 3 & Prov. 9. 1
a Pſ. 23. 10
b Dion. Carth art. in Pſ. 23. 10
c ex Iſai 6. 3.
d ex Matt. 28. 18
e Pſ. 83. 13
f Dion. Carth. in Pſ. 83. 13
g 2. Cor. 6. 2
h Luc. 6. 19
i Joan. 1. 9

Ha quantâ conſolatione perfunditur hæc anima, quæ honoratur viſitatione talis Hoſpitis! Hæc ſentiri, ſeu potiùs deguſtari poteſt, ſed nequit explicari; ipſa non videtur exteriùs, ſed interiùs duntaxat operatur. Propterea Pſalmiſta k deguſtata illius ſuavitate, contentâ voce inclamat, Deum alloquens, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Sed obſervate cum Dionyſio Carthuſiano l, quòd ait, *Quam abſcondiſti, id eſt, occultè oſtendiſti, & per guſtum internum in cordis abſcondito declaraſti, timentibus te timore filiali. Hi enim, quoniam omnem mordinatam lætitiam, omnem corporalem delectationem, omnemque ſuperfluam conſolationem contemnunt, & ſemper ſoliciti ſunt, ne Deum quem filialiter ſuper omnia diligunt, aliquo modo offendant: proptereà experiri merentur, quanta ſit multitudo dulcedinis Dei. Veruntamen interdum timentes timore initiali, ſicut noviter converſi, ad horam admittuntur ad menſam filiorum, ita ut paululùm guſtent dulcedinem Dei, & clament ad Dominum, Quàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Sed hoc eis præſtat Sapientia Dei Jeſus Chriſtus, quatenus eos ſibi alliciat, ab exterioribus revocet, ad interiora invitet, in adverſis conſtantes efficiat, faciatque eos in die malorum, memores eſſe bonorum* m. *Unde hujusmodi magnâ egent cautelâ, & diſcretione præcipuâ, ne dum prædictâ conſolatione diutiùs carent, puſillanimes fiant, vel eam importunè deſiderent, imò Domino committendum eſt quando eam donare dignetur. Hanc divinæ dulcedinis multitudinem expertus eſt edere de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum* n, *ſcilicet Beatorum comprehenſorum, eſtque ad menſam Chriſti ſedere, ad quam Sapientia Dei Patris invitat ſuos Electos, dum ait, Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi* o. *Et, Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum* p. *Ad hanc quoque menſam ſedit beatiſſimus Jeremias, qui diem hominis, id eſt, delectationem temporalem & corporalem, aut humanam non concupivit* q. *quemadmodum ipſe de ſe in libro Viſionum ſuarum profitetur, Factum eſt mihi verbum tuum Domine in gaudium, & lætitiam cordis mei* r. *Et alio loco, Factus eſt ſermo Domini in corde meo, quaſi ignis exæſtuans, clauſusque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens* ſ. *Hinc ait Apoſtolus* t, *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Et virtute conſolationis & viſitationis iſtius, homo perſeverat uſque ad finem, qui dat coronas, & ſolus meretur mercedes, *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* u. Nam licèt homo egreſſus eſſet è peccato, & ageret pœnitentiam, perſeverare tamen non poſſet in hac pœnitentia ſine gratia Jeſu Chriſti. Neceſſitatis autem iſtius rationem educo è tribus capitibus, nimirum, ex animâ, è corpore, & à tentationibus, quæ ad ipſum veniunt deforis. Ex anima, quia ipſa ſemper retinet libertatem volendi, & non volendi: nam licèt informet ipſam gratia, non eripit tamen ipſi libertatem volendi peccare, aut ipſa eſſet perfecta per privilegium ſpeciale, ſicut in B. Virgine Deipara x, & in Apoſtolis, cùm *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* y. Qui fuerunt in impotentiâ peccandi mortaliter; ſed nos experimur contrarium, & perſæpè noſter ignis non eſt niſi glacies. Sic Pſalmiſta factus peritus per caſum ſuum z, dicebat, *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam, Motus eſt pes meus: miſericordia tua, Domine, adjuvabat me* &. Ita verum eſt, quòd perſeverare non poſſumus in bono incepto ſine auxilio gratiæ Jeſu Chriſti. Secundam educo rationem è parte carnis propter fomitem peccati, qui in ea remanet: nam licèt

k Pſ. 30. 20
l Dion. Carth in hunc locū
m ex Eccli. 11. 27
n ex Matt. 15. 27
o Cant. 5. 1
p Eccli. 24. 26. & 27
q ex Jer. 17. 16
r ex Jer. 15. 16
ſ Jer. 20. 8. & 9
t 2. Cor. 1. 5
u Matth. 24. 13
x Cant. 4. 7
y Act. 2. 4
z 2 Reg. 11. 4. &c.
& Pſ. 93. 17. & 18

b Jo.3.5 peccatum originale tranſeat quantùm ad cul-
pam, cùm renaſcimur *ex aqua & Spiritu ſancto* b:
tamen manet quantùm ad actum, & concupi-
ſcentia, quæ inclinat ſemper hominem ad pec-
catum, ſociari poteſt gratiæ. Et inde procedit
illud bellum ſpitituale, de quo ſic loquitur A-
c Rom.7.22.&c poſtolus c, *Condelector legi Dei ſecundùm inte-
riorem hominem: video autem aliam legem in mem-
bris meis, repugnantem legi mentis meæ, & capti-
vantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
hujus. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum no-*
d Galat.5.17 *ſtrum.* Et d, *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum:
ſpiritus autem adversùs carnem: Hæc enim ſibi invi-
cem adverſantur: ut non quæcunque vultis, illa facia-
tis.* E parte tentationum, ratio eſt, quòd exur-
gunt quotidie multæ tentationes, quæ nos in-
ducunt ad peccatum, modò è diabolo, mox è
mundo, qui in proſperitate tentat per luxu-
riam, & per vanam gloriam; & in adverſitate
per timorem, & per puſillanimitatem. Propte-
reà Jeſus Chtiſtus præcipit nobis ut ipſum ſic
e Matth.6.13 oremus, *Et ne nos inducas in tentationem* e. Et
f Pſ.55.2.&3 David f dicebat ei, *Miſerere mei Deus, quoniam
conculcavit me homo: totâ die impugnans tribulavit
me. Conculcaverunt me inimici mei totâ die: quo-
niam multi bellantes adversùm me.* Auxilium Dei
nobis eſt igitur neceſſarium ad hoc ut perſeve-
rare poſſimus in bono quod ſemel incepimus:
ſic Eccleſia Deo facit hanc orationem, *Deus qui
nos in tantis periculis conſtitutos, pro humanâ ſcis
fragilitate non poſſe ſubſiſtere, da nobis ſalutem men-
tis & corporis, ut ea quæ pro peccatis noſtris patimur,
te adjuvante vincamus per Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum Filium tuum.*

Tertia utilitas, eſt gloria cœli, quam Jeſus
Chriſtus affert ad animam, viſitans eam gratiâ
juſtificante: nulla eſt enim pura creatura, quæ
propriis viribus ſuis poſſit acquirere gloriam
ſine gratiâ. *Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu*
g Rom.6.23 *Domino noſtro* g Nam ſi quis haberet filium
legitimum & naturalem, & multos ſervos,
hæres omnium bonorum ipſius eſſet filius ſuus
legitimus, non autem ſervi ſui, & hoc eſt de
h Galat.4.30.ex Gen.21.10 Jure Civili, & ipſum Scriptura ſacra h ſic ediſ-
ſerit: *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio li-
beræ.* Nunc autem ad propoſitum noſtrum.
Deus habet Filium, & ſervos: Filius legitimus
eſt Jeſus Chriſtus, nos autem non ſumus niſi
i Gen.1.27 ſervi, tam per creationem i, quàm per re-
demptionem *Non eſtis veſtri. Empti enim eſtis pre-*
k 1.Cor.6.19.&20 *tio magno*, dicit nobis S. Paulus k. Jeſus Chri-
l Hebr.1.2 ſtus igitur eſt hæres univerſalis: *Quem conſtituit
hæredem univerſorum* l. Id eſt, ſuus Pater æter-
nus. Non poſſumus igitur prout ſervi petere
gloriam cœli ut hæredes, licèt ſerviamus Deo
cum omni diligentia & fidelitate poſſibili. Un-
de idem *dixit Dominus, Quis veſtrûm habens ſervum
arantem, aut paſcentem boves, qui regreſſo de agro
dicat illi, Statim tranſi, recumbe: & non dicit ei, Para
quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec
manducem & bibam, & poſt hæc tu manducabis, &
bibes? Nunquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit
quæ ei imperaverat? Non puto. Sic & vos cùm feceri-
tis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inu-*
m Luc.17.6.&c *tiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus* m. Un-
de videtis quòd homo non poteſt petere à Deo,
nec obtinere gloriam aliter quàm per gratiam
Jeſu Chriſti, quam habemus, cùm ipſe digna-
tur nos honorare viſitatione ſuâ per gratiam
juſtificantem. Dicamus igitur ei cum decem le-
proſis Evangelii noſtri, *Ieſu Præceptor miſerere
noſtri.* Nihil enim poſſumus abſque præſidio
divinæ gratiæ ſuæ.

Sed advertendum eſt, quòd è ſuavitate gra- II.Pars.
tiarum & beneficiorum, quibus nos devincit
ſibi Deus, oritur rigor punitionum ejus, ſi hu-
juſmodi gratiæ & beneficia non agnoſcantur.
Diſcipulus *quem diligebat Ieſus* n, loquens de n Jo.21.20
eodem Filio Dei, quem vidit in viſione, dicit,
*Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam
mortuum.* Et quare? *Et vox illius tanquam vox aqua-
rum multarum* o, dicit ipſemet paulò antè. Et o Apoc 1.17.&15
poſt eum Dionyſius Carthuſianus p, *Vox Chri-* p Dion. Carth. art. 2. in Apoc. 1.15
*ſti tanquam vox aquarum multarum aſſeritur, quo-
niam ipſe eſt fons opulentiſſimus, ex quo flumina gra-
tiarum procedunt, fluenta ſapientiæ derivantur, rivi
virtutum naſcuntur.* Quia favores, gratiæ, & do-
na ab ingratis ſuſcepta, & non agnita, conver-
tuntur in eis in rigores, gloriæ in pœnas, & be-
neficia in tormenta.

S. Epiphanius q loquens de B. Virgine, dicit, q S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
*Ipſa eſt nubes cœleſtis, quæ tonitruum Spiritus ſancti
in corpore reconditum deduxit in mundum, & im-
brem Spiritus ſancti in univerſam terram ad produ-
cendum fidei fructum cum impetu demiſit.* Propoſi-
tionem ſuam probat per locum Canticorum r, r ex Cant. 7.2
*Sermonique meo atteſtatur divina Scriptura, dum
ait, Venter tuus acervus frumenti vallatus liliis.* Sed
unde colligit iſte ſanctus Antiſtes Conſtantiæ,
quòd propreteà B. Virgo fulmen deferret in
viſceribus ſuis? Quin è contrà: quæ enim con-
venientia frumenti cum terrore fulminis? quæ
ſocietas flammarum horribilium cum odore
ſuavi liliorum, ut inde talis eruatur conſequen-
tia? Ha! nunquid non verum eſt quòd B. Virgo
habens in ſinu ſuo Verbum divinum, contine-
ret in eo acervum frumenti vallatum liliis, id
eſt, Filium Dei circundatum favoribus? Nonne
etiam includebat panem vitæ, qui debebat eſſe
cœleſtis cibus animarum? ſicut ipſemet ait, *Ego
ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Caro enim mea
verè eſt cibus. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo
propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet
propter me* ſ. Si per diſpoſitiones ſuas dignum ſ Joan.6.51.&c.
ſe reddat qui participationem vitæ meæ ſuſci-
piat. En igitur quomodo ſanctus iſte Pater ar-
gumentatur bonâ & legitimâ conſequentiâ,
quòd cùm Maria ferret in viſceribus ſuis pa-
nem, & lilia, haberet etiam ibi fulmina: quia
beneficia ab ingratis ſuſcepta, & ab eis non ag-
nita, converti debent in eis in fulmina iræ Dei.
*Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt
donorum*, dicit S. Gregorius t. Quod nobis eſſe t S. Greg. hom. 9. in Evang.
debet motivum timoris immodici.

Dei Filius Jeroſolymitanam quodam *manè
revertens in civitatem, eſuriit. Et videns fici arborem
unam ſecus viam, venit ad eam: & nihil invenit in eâ
niſi folia tantùm, & ait illi, Nunquam ex te fructus
naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò fi-
culnea* u. Cur tantus rigor in Jeſu Chriſto qui u Matth. 21.18.&19
erat ſic *mitis* x? Reſpondet Toſtatus y, Ad x Matth. 11.29
inſtructionem noſtram, *Chriſtus quando ivit, &
non invênit fructum, innuitur quòd quaſi indignatus
pro labore, quem ſuſtinuerat eundo ad illam, & non* y Toſtat. quæſt 108. in Matth. 21.19
*invenerat fructum: ſi autem non iret, non ſtaret iſta
cauſa maledicendi.* Si pro eo quòd Dei Filius a-
liquos feciſſet duntaxat greſſus, maledixit illi
ficui, & fecit illam arere; quid non faciet ſuper
ingratos, inveniens eos in ſterilitate ſine ullo
fructu qui compenſet hunc magnum ipſius ad-
ventum, cùm *exultavit ut gigas ad currendam
viam*,

viam, à ſummo cœlo egreſsio ejus z. & iſtos greſſus ſic laborioſos, cùm *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* a?

z Pſ.18.7
a Joa.19.17.& 18

Non debemus igitur eſſe immemores gratiarum, quas Deus nobis communicat, ſed diſponere nos ad ſuſcipienda illarum incrementa per veras præparationes; aut ſi illis excidimus per peccatum mortale, ſatagere ut recuperemus eas per pœnitentiam. Sed heu! poſtquam peccator ſatisfecit juſtitiæ Dei pro peccatis ſuis per pœnitentiam; cùm ipſi contigit *illud veri Proverbii, Canis reverſus ad ſuum vomitum* b: *&, Sus lota in volutabro luti*, ſicut ait S. Petrus c poſt Salomonem: & ſe ſinit abripi vitiis, indulgendo diſſolutioni, & vitam effrænem ducendo, nedum agnoſcat favores quos ſuſcepit à Deo, ſatisfacit diabolo, imò verò aliquo modo melius ab ipſo ſatisfit diabolo, quàm Deo: quia cùm ipſum culpæ ſuæ pœnitet, ut ſatagat recuperare gratiam Dei, conando ſe recipere in bonam emendatæ vitæ frugem, pœnitet ipſum criminis ſui: ſed cùm ſe denuò ſinit abripi vitio, pœnitet ipſum boni operis, nimirum pœnitentiæ, quam ipſe peregerit: & ſic videtur pœnitentia, quam propter diabolum facit, eſſe major pœnitentiâ, quam propter amorem Dei egerit, ut ait Tertullianus d, *Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet, eritque tantò magis perſuſus Deo, quantò æmulo ejus acceptus*. Attendamus ergo nobis, Auditores, ne ſimus ingrati & immemores gratiarum cœleſtium, quas ſuſcepimus à Deo; & ipſe nobis continuabit eas in iſta vita, & conſequenter gloriam nobis largietur in altera.

b ex Prov. 26.11
c 2. Petr. 2.22
d Tert. l. de Pœnit. c.5

IN OCTAVA NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Mea omnia, tua ſunt, & tua, mea ſunt. Joan. 17.10.

ETiamſi Jeſus Chriſtus dixerit hæc verba Patri ſuo, hoc tamen non impedit quin ea poſſim applicare B. Virgini Mariæ Matri ipſius, cùm Deus commiſerit illi omnia officia ſua, & ipſa præbuerit Deo id omne quod ipſa habebat, & totum illud quod ipſa erat: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa enim eſt Sponſa & thalamus, & ex ea Sponſus procedit* a *Chriſtus*, ait S. Epiphanius b. Et Heſychius c, *Hæc univerſum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adveniebat atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat. Spiritus enim ſanctus, ait, ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* d. Hæc ille, poſtquàm vocavit eam *Theſaurum locupletantem*. Chryſippus e autem ſic illam ſalutat, *Ave fons lucis omnem hominem illuminantis* f. *Ave Solis ortus qui nullum ferre poteſt occaſum. Ave armarium vitæ. Ave quæ es hortus* g *Patris. Ave quæ es pratum totius fragrantiæ ſancti Spiritus. Ave radix omnium bonorum. Arca* h *enim verè Regia*. Cùm ergo Deus B. Virgini commiſerit omnia officia ſua, dicere poteſt ei jure merito, *Mea omnia, tua ſunt*. Re autem verâ Pater æternus fecit eam Arcariam ſuam, Filius Camerariam ſuam, Spiritus ſanctus Diſpenſatricem ſuam, & tota ſanctiſſima Trinitas Eleemoſynariam ſuam, ut videbitis in priori parte diſcurſus iſtius. In poſteriori verò monſtrabo vobis quomodo ipſa communicet id omne quod habet, Filio ſuo, qui propterea dicere poteſt ei, *Et tua, mea ſunt*. Sed antequàm ſatisfaciam curioſitati veſtræ, indulgete mihi tantum otii quantum mihi fuerit opus ad dicendum illi pro reverentiâ, *Ave Maria*.

a ex Pſ. 18.6
b S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
c Heſych. ſerm. 2. de Laudib. Deip.
d ex Luc. 1.35.
e Chryſipp. ſerm. de Laudib. Deip.
f ex Joan. 1.9
g ex Cant. 4.12
h ex Pſ. 131.8
Diviſio

1. Part.

Et primò Pater æternus conſtituit illam Arcariam ſuam, committens illi theſauros potentiæ ſuæ ſicut dicitur, *Et in Jeruſalem poteſtas mea* i. Obſervate autem, ſi placet, quòd aliquis magnam poteſt habere poteſtatem in Curiâ Regis, aut ratione cognationis, ſi propinquus ſit Regis, ſi filius, ſi frater, &c. vel ſi ſit amicus ejus, eò quòd affectum illius ſibi conciliaverit, quia ſe valdè commendabilem reddiderit, ſicut cùm quis magni æſtimatur à Principe ob jucunda quæ majeſtati ipſius medias inter occaſiones periculoſas exhibuerit obſequia, exponendo ſe ictibus ſuſcipiendis ad amplectendam cauſam ipſius; ſeu propter aliquod aliud eximium facinus, quod Rex vult mercede donare: atqui propter hæc tria motiva, ob iſtas tres conſiderationes B. Virgo magnam debet habere poteſtatem in Curiâ cœleſti. Primò, Ob cognationem ſuam, quia ipſa eſt Mater Regis; hodiernâ verò die naſcitur propter hanc ſupereminentem dignitatem, ad quam *ab æterno ordinata* k eſt, electa & nominata; & propter hanc rationem ipſa poteſt omnia erga eum, In cujus figuram matri ſuæ Bethſabee Salomon *dixit Rex, Pete mater mea: neque enim fas eſt ut avertam faciem tuam* l. Si adhæreamus manuſcriptis Romanis, ubi pro Bethſabee legitur Berſabee, ut habetur in titulo Pſalmi L. ubi dicitur, *In finem Pſalmus David cùm venit ad eum Nathan Propheta* m, *quando intravit ad Bethſabee*, & ubi ponitur in margine Bibliorum Plantinianorum impreſſorum Antuerpiæ anno Domini M.D.LXXXIII *Berſabee M S R.* & ſequimur interpretationem S. Hieronymi n, inveniemus quòd *Berſabee puteus ſatietatis* dicitur: & ſecundùm hoc dicemus, quòd ſunt aliqui qui habent puteum, id eſt, animum ſuum vacuum gratiâ Dei; alii qui habent illum ſemiplenum: ſed B. Virgo habuit illum plenum, imò verò plusquàm plenum in nativitate ſuâ, imò verò à conceptionis immaculatæ ſuæ primo inſtanti: nam, ut ait S. Epiphanius o, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa*. Et paulò pòſt ſic eam ſalutat, *Ave gratiâ plena* p, *quæ ſitientes perenni fonte dulcedine ſatias*. Ipſa eſt *puteus ſatietatis*. Ipſa debet igitur magni duci à Filio ſuo, nedum ipſi renuere debeat unquam tam bonus Filius aliquid eorum quæ ipſa eſt ab eo efflagitatura. Secundò, Ipſa habet poteſtatem propter eam quam *invenit gratiam apud Deum* q. Et illa eſt hodie ipſa

i Eccli. 24.15
k Prov. 8.23
l 3. Reg. 2.20
m ex 2. Reg. 12. 1. &c
n S. Hier. in Interp. nom. Hebraic. litt. B. in Gen.
o S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
p Luc. 1.28
q Luc. 1.30

ipſa tota repleta in nativitate ſuâ, ſicut & eâ abundavit ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti. Eva amiſit iſtam gratiam r, & hæc perdita manſit quatuor millibus annorum, ſed B. Virgo illam invênit *ubi venit plenitudo temporis* ſ. Non ſolùm autem ipſa illam invênit pro ſe, ſed etiam pro nobis & in favorem noſtrum, imò verò eam invênit per nos & interventu noſtro: niſi enim fuiſſemus peccatores, nunquam *Verbum caro factum* t eſſet in viſceribus ejus, & conſequenter nunquam fuiſſet ipſa Mater Dei, quod eſt altiſſima omnium qualitatum quas Deus dare poſſit, & quas pura creatura valeat recipere. Et hoc eſt quod ait S. Auguſtinus u ſuper hæc verba Apoſtoli, *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ. Si venit de cœlo magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipſe ægrotus genus humanum eſt.* Ideò debemus illam ſuaviter compellere, ut reddat nobis gratiam quam per nos & interventu noſtro ſuſcepit. Tertiò, Ipſe poteſtatem habet propter bona, grata, & inſignia obſequia, quæ ipſa exhibuit Principi, cùm exercuerit erga eum omnia opera miſericordiæ corporalia, qui ideò dicere poteſt ipſi id quod dicturus eſt aliquando Electis, *Eſurivi, & mihi manducare* dediſti, cùm parvus eram: *Sitivi, & mihi bibere* dediſti, lactando me lacte tuo Virgineo: *Hoſpes eram, & me* collegiſti, tenendo me in ſinu tuo, ubi novem menſibus habitavi: *nudus, & me* operuiſti, præbendo mihi veſtimentum corporis tui ad me operiendum: *infirmus, & me* viſitaſti, providendo mihi neceſſaria quandiu puer eram: *in carcere eram, & ad me* x veniſti, exhibendo te mihi comitem individuam inter pœnas, paſſiones & confuſiones meas uſque *juxta crucem* y.

r Gen. 3. 6
ſ Galat. 4. 4
t Jo. 1. 14
u S. Aug. ſerm. 9. de Verb. Apoſt. c. 1. ex 1. Tim. 1. 15
x Matt. 25. 35. & 36
y Jo. 19. 25

Secundò, Filius fecit illam Camerariam ſuam, capeſſens quietem ſuam in ſacris viſceribus ejus, ut in thalamo Regio. *Ipſa enim eſt Sponſa & thalamus, & ex ea Sponſus procedit Chriſtus. Virgineum indumentum, juxta ſuavem David z Prophetæ cantionem, In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo. O Sponſi deſiderium ſummæ puritatis! propriam ancillam propenſione, affectu conſtituit Sponſam, & Matrem*, ait S. Epiphanius a. Atqui requiritur ut thalamus Regius ſit pulcher, & benè pictus, ut in eo quieſcere Princeps poſſit ad delicias uſque, jucundè & ſuaviter: ſinus B. Virginis fuit totus ſpecioſus, ut fatetur ipſemet Sponſus eam alloquens, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* b. Et qui eam talem reddidit ab ipſo vel conceptionis ipſius inſtanti, quæ fuit immunis ab originali peccato: & hoc eſt etiam quod in gratiam Filii (æquè ac Matris) *extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi, Beatus venter, qui te portavit* c. Ipſa fuit abſque macula, cùm Spiritus ſanctus in eam fuerit operatus, juxta Pſalmiſtæ d vaticinium, *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Prætereà, Thalamus iſte Regius pictus fuit tribus coloribus, nigro humilitatis, candido puritatis, & rubeo charitatis. *Nigra ſum*, ecce nigredo humilitatis: *ſed formoſa*, en candor puritatis: *ſicut pelles Salomonis* e, quæ erant pictæ colore rubeo, & ecce rubedo charitatis. Quæ major humilitas humilitate B. Virginis? ait S. Ambroſius f: *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim humilemque* g *paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre. Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Habes obſequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini, apparatus officii eſt. Contingat mihi ſecundùm verbum tuum, conceptus eſt voti.* Quid purius Mariâ, quam ſic alloquitus S. Epiphanius h, *O beata Virgo, columba* i *pura, & Sponſa cœleſtis Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis, quæ coruſcantem in cœlo & terrâ Solem* k *habes Chriſtum: nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum. Manſit in virginitate ſancta & præclara Puella Maria, quæ eſt nubes lucida habens intùs Dei Verbum: ad quam vocaliſſimus Iſaias; Ecce nubes levis, & veniet in Ægyptum* l: *Mons nullatenus inciſus, præruptam habens petram Chriſtum, de qua ſapientiſſimus Daniel* m *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. Hoc eſt, abſque viro ſolidam petram Chriſtum Virgo peperit, ipſa templum minimè compoſitum, quæ lapidem cœleſtem habet Chriſtum, ipſa nubes tonitruiſormis, quæ fulgur interius in utero geſtat: ſermonique meo atteſtatur divina Scriptura* n, *dum ait, Venter tuus acervus frumenti, vallatus in liliis. Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* o *ſuſcipiens, etiam manipulum germinavit. Ovis immaculata, quæ peperit Agnum* p *Chriſtum. Iuvenca nunquam jugum experta, quæ vitulum genuit.* Et quæ major charitas charitate Deiparæ, quæ una cum Filio ſuo nos reconciliavit Patri æterno? *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*, ait idem S. Epiphanius q.

z Pſ. 18. 6
a S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
b Cant. 4. 7
c Luc. 11. 27
d Pſ. 45. 5
e Cant. 1. 4
f S. Ambr. l. 2. in Luc. 1. 38
g ex Matt. 11. 29
h S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
i ex Cant. 6. 8
k ex Malach. 4. 2
l ex Iſai. 19. 1
m Dan. 2. 34
n ex Cant. 7. 2
o ex Joan. 12. 24
p ex Joan. 1. 29
q S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

Hoc thalamo Regio ſic ritè præparato, Dei Filius in eum venit, ut ibi ſumeret quietem ſuam, juxta quod Mariæ Angelus dixit, *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* r. Jure autem meritò Archangelus myſterii Incarnationis nuncius qui, ut ait S. Epiphanius ſ, *effectus Hoſpes Virginis, cœli & terræ incenſum atque ſuffimentum unà copulavit*, addit hæc verba: niſi enim Deus aliquam obumbrationem ſeu caliginem exteriorem attuliſſet, nunquam B. Virgo Verbum Divinum in viſceribus ſuis concipere potuiſſet: *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* t. *Et lucem inhabitat inacceſſibilem* u. *Et ſuavis eſt* x. Id eſt, dulcedo ineffabilis. Beata Virgo igitur deferens Deum in ventre ſuo, habebat ibi ignem comburentem & inextinguibilem, lumen inacceſſibile, & dulcedinem ineffabilem: & cùm Maria eſſet pura creatura, proculdubio in hoc ſtatu ſuſtinere non potuiſſet in ſe ardorem ſic vehementem, nec intueri lumen ſic inacceſſibile, nec experiri dulcedinem ſic immodicam, niſi ſecum Deus attuliſſet umbram ad moderandũ calorem hujus ignis accenſi, ſplendores hujus lucis, quæ *in tenebris lucet* y; & ſuavitates hujus dulcedinis incomparabilis. Si enim aliqui Sancti abundantiùs ſolito divinis perfuſi chariſmatibus, non valentes ſuſtinere tot ineffabiles ſuavitates quas experiebantur, contentâ voce inclamabant medias inter ecſtaſes ſuas, *Satis eſt, Domine, contine undas amoris tui*: quid non dixiſſet B. Virgo, quæ præ omnibus Sanctis cumulata fuit divinis ſuavitatibus, æquè ac

r Luc. 1. 35
ſ S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
t Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24
u 1. Tim. 6. 16
x Iſ. 33. 9
y Joan. 1. 5

gra-

gratiis; cùm ſanctus Epiphanius *z* dicat, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa.* Atqui ignis iſte divinus ſibi fecit umbram, ponens inter ſe & B. Virginem corpus quod ſuſcipiebat ipſe ab eâ, & ſic Maria ſuſtinere potuit ipſius ardores, ſicut cùm quis calefaciens ſe, utitur dorſuali, veluti medio, ne igne comburatur: eodem modo ſe geſſit lux divina, cùm univit ſe carni terreſtri & humanæ per unionem hypoſtaticam Verbi divini, & hoc modo beata Virgo vidit hanc lucem ſplendentem quaſi in laternâ. Sic eam ſalutat ſanctus Epiphanius *a* poſt Angelum, *Ave gratia plena* b: *multis virtutibus exornata Virgo, in lampade geſtans lucem inextinguibilem* c, *Sole ſplendidiorem. Ave ſanctiſſima Virgo, qua velut rubus intellectualis abſque combuſtione* d *Divinitatis ignem tenes. Sancta Virgo & Mater Chriſti, qua ſplendidam lucernam relucentem in cœlo & terrâ Chriſtum geſtaſti.* Dulcedo divina ſimiliter ſe operuit velo noſtræ carnis: & ſic beata Virgo deguſtare potuit illius ſuavitates, & experiri delicias ejus ineffabiles; ſicut ſi quis habens favum mellis, ipſum operiebat ſaccharo, aut condiebat aliquo alio liquore, ut meliùs illius dulcedinem deguſtaret: *Quàm familiaris ei facta es Domina*, ait illi ſanctus Bernardus e, *quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti: quantam inveniſti gratiam apud eum* f. *In te manet, & tu in eo* g: *& veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſua majeſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circundaret virum* h, *nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur, Ecce vir Oriens nomen ejus* i. *Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier Sole appareret amicta.* Et ſanctus Epiphanius *k* ſic illam ſalutat cum Angelo, *Ave gratiâ plena, qua habes radium de cœlo lucidis facibus coruſcantem. Virgo plurium nominum & multocula, effecta eſt. Seraphim incomprehenſa viſa es: quæ inventa eſt velamentum quoddam intellectuale corporis univerſalis, Cherubim tranſcendens. Illa enim avertuntur, cùm nequeant ſpiritalem ignem Divinitatis, fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehenſibilem & ſomni expertem oculum Chriſti, cum deſideriis & oſculo ſalutabat. Exercitus Angelorum (qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti* l) *procidentes nec videre poſſunt, nec contingere, hæc verò labra labris conjungens, incomprehenſum* m *ſalutabat.* Unde colligere poteſtis quantis perfundebatur beata Virgo Deipara ſuavitatibus ex familiari converſatione quam jugiter habebat cum dilectiſſimo Filio ſuo.

z S. Epiph. ſerm de Laudib. Deip.
a Idem Ib.
b Luc. 1. 28
c ex Sap. 7. 10
d ex Exod. 3. 2
e S. Bern. ſerm. in verba Apoc. 12. 1. Signum magnum, &c.
f ex Luc. 1. 30
g ex 1. Jo. 4. 16
h ex Jer. 31. 22
i Zach. 6. 12
k S. Epiph. loco ubi ſuprà.
l ex Pſ. 98. 5
m ex Jer. 32. 19

Tertiò, Spiritus ſanctus reddidit beatam Virginem Diſpenſatricem ſuam, Cellariam, ſeu Architriclinam ſuam, ut diſponeret omnia, quæ ipſius ſunt. Ipſa curam habet cellarum ipſius vinariarum, unde ait, *Introduxit me in cellam vinariam* n. Et inde vocatur ipſa, fons, & aquæductus, cùm effundat in nos vinum Spiritus ſancti, & nobis communicet gratias illius, *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis* o. Ipſa eſt fons, *crater*, quia ſemper dat; *tornatilis*, quoniam jugiter gyrat, eò rediens indeſinenter, unde exierat; *nunquam indigens poculis*, eo quòd, etiamſi ſine intermiſſione effundat, nunquam tamen exhauriatur, ſed ſemper gratiis abundet. Ipſa eſt etiam aquæductus, *Ego ſicut aquæductus exivi de paradiſo* p. Quia ex ipſa ſicut ex aquæductu aquæ gratiæ fluunt ad irrigandos agros, paradiſos & hortos animarum, *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* q. Hortus beatæ Virginis, ſunt Boni, & ii qui ſunt ipſi devoti, qui claudunt ingreſſum ſenſibus ſuis ad id omne quod ipſi poſſet diſplicare, & in illis naſcuntur flores vallium; oportet autem ad hoc ut creſcant, ut ipſa velut aquæductus afferat illis aquam gratiæ, quâ irrigentur, & inde vocatur ipſa *Fons hortorum.* Agri ſunt peccatores, ubi nullæ ſunt ſepes, & ubi portæ ſenſuum ſunt omnes apertæ, & ideò ibi flores omnes areſcunt, & arbores virtutum & bonorum operum ſunt aridæ defectu humoris: ſed ſi convertantur ad beatam Virginem, ſi recurrant ad eam, confeſtim hic aquæductus fluere faciet ſuper ipſos aquam vivam gratiæ, quæ vivificabit id omne quod erat aridum, aut mortuum, ideò dicitur ipſa *Puteus aquarum viventium quæ fluunt.* Paradiſus beatæ Virginis ſunt Beati qui ſunt in cœlo, ubi ipſa veluti deambulat & deliciatur, modò inter roſas Martyrum, aliquando inter lilia Virginum, nunc inter violas Confeſſorum, poſtea inter jucundam varietatem aliorum Sanctorum: in hunc paradiſum aquæ gratiarum deferuntur ab hoc aquæductu, magno impetu, proptereà ſubditur, *quæ fluunt impetu de Libano.* Ad hoc autem ut aquæ fluant impetu, tria requiruntur, primum, ut deſurſum veniant; ſecundum, ut fluant abundanter; tertium, ut nullam inveniant reſiſtentiam: atqui aquæ Spiritus ſancti, quæ ſunt gratiæ, quæ fluunt in Beatos, vadunt impetu, tam quia deſcendant ex altiſſimo monte ſanctiſſimæ Trinitatis, quàm quoniam fluunt præ abundantiâ maximæ plenitudinis, nec in Beatis ullum reperiunt obſtaculum peccati mortalis, aut venialis.

n Cant. 2. 4
o Cant. 7. 2
p Eccli. 24. 41
q Cant. 4. 15

Quartò, Sanctiſſima Trinitas fecit beatam Virginem Eleemoſynariam ſuam: omnes enim eleemoſynæ quæ veniunt è cœlo, tranſeunt per manus ejus; & ipſa ut bona Eleemoſynaria defendit oppreſſos, nutrit famelicos, & veſtit nudos. Ideò de muliere forti dicitur, *Dedit prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus* r. Sunt enim aliqui afflicti à diabolo, à mundo, à carne, ſed ipſa in favorem domeſticorum ſuorum convertit in fugam dæmonas, de quibus pii ipſius famuli glorioſa referunt ſpolia ad confuſionem victorum, *Dedit prædam domeſticis ſuis.* Alii ſunt famelici, quos excipit ipſa cibo ſpirituali, *Dedit cibaria ancillis ſuis.* Eo nutrit ipſa ſuas ancillas, quæ ſunt animæ, imò verò ipſa ſe illo cibat, *Comedi favum cum melle meo* ſ. Licèt autem hæc verba ſint propria Sponſo, cùm tamen Sponſis omnia ſint communia: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis*, ait ſanctus Epiphanius *t*; ideò poſſumus illa applicare Mariæ tanquam Mediatrici & Eleemoſynariæ. Cùm per favum, in quo eſt mel & cera, intelligatur Jeſus Chriſtus, in quo eſt Divinitas & humanitas, ipſa nos alit iſto cibo, cùm impetrat nobis gratiam, cujus interventu contemplamur Divinitatem & humanitatem Jeſu Chriſti. *Favus cum melle eſt Chriſti Humanitas cum Divinitate, quoniam ex Plinio, apes mel colligunt ex rore de cœlo deſcendente ſuper flores, materiam verò favi quæ cera eſt, ex ipſis floribus vel eorum ſuccis: & ideò meritò hic Humanitatis, illud verò Divinita-*

r Prov. 31. 21. & 22
ſ Cant. 5. 1.
t S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

u ex Pſ. 33.9

tis eſt ſymbolum, quæ ipſa eſt dulcedo per eſſentiam u, *unde cuncta alia dulcedinem participant. Qui ergo meditationi incumbit, curare debet ut favum cum melle comedat, id eſt, myſteria Chriſti hominis ſimul cum Deitatis myſteriis ſcrutetur, & aſſequatur, ſingula ſpiritualibus dentibus conterat, & ſibi per intimam cognitionem & affectionem adjungat, eiſque reficiatur, & vires reſumat ad Chriſtum ſequendum, & Dei implendam voluntatem*, ait de Ponte x. Et hoc eſt quod agit Maria, & quod devoti ipſius agunt famuli ipſius interventu. *Specialiter autem ſanctus Ambroſius, & Gregorius Nicenus, opera miſericordiæ hic commendari dicunt: loquitur enim Sponſus, qui in die judicii teſtatur, Eſurivi, & dediſtis mihi mandacare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere, &c. Nam quandiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis* y. *In pauperibus ergo manducat Sponſus panem vel favum cum melle ſuo, & bibit vinum cum lacte ſuo, & quod illi comedunt, ipſe comedere dicitur, & viſitans animam, eam exhortatur ad hæc opera patranda, quibus maximè reficitur, & jucundatur, teſtimonium intùs perhibens quòd per illam & ejus miniſterium ipſe comedit favum*, &c. ait idem de Ponte z. Præcipuè verò per Mariam, ſeu per illius interventum. Et ſi ſcire velimus quænam ſint eleemoſynæ, quas hæc liberalis & magnifica Eleemoſynaria ſanctiſſimæ Trinitatis nobis erogat, ipſamet nos id docet, cùm ait, *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei* a. Ipſa frigidos inflammat amore Dei, ideò ait, *Ego Mater pulchræ dilectionis*. Ipſa ſuperbos humiliat, propterea dicit, *& timoris*. Ipſa illuminat ignaros rerum cœleſtium & ſupernaturalium, idcircò inquit, *& agnitionis*. Ipſa revocat puſillanimos ad ſpem veniæ, quamobrem ſubdit, *& ſanctæ ſpei*. Unde dicit ſanctus Epiphanius b: *Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem peperit* c *enim Dominum, qui eſt ſpes* d *terrus mundi, nempe Chriſtum. Rurſum itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*. Sed ſunt etiam nudi, quos induit ipſa duplici veſtimento, *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*. Hoc autem duplex veſtimentum eſt iſtud, *Byſſus & purpura indumentum ejus* f. Per linum quod eſt candidum, intelligitur puritas cordis; & per purpuram quæ rubra eſt, ſignificatur fervor charitatis: tunc igitur beata Virgo devotos ſibi famulos induit hoc duplici veſtimento, quando communicat eis puritatem corporis æquè ac cordis, & fervorem mentis.

x De Pont. l. 8. in Cât. 5.1. exhortat. 2. parag 4

y ex Matt. 25.35. &c

z De Pont. ibid. parag. 3. citans S. Greg. Nic. l. de iis qui initiantur myſteriis c. 9 hom. 10 in Cât.

a Eccli. 24.24

b S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

c ex Luc. 2.7

d ex Pſ. 141.6

f Prov. 31. 21. & 22

II. Pars

Pro ſecunda conſideratione, Id totum quod erat Matris, communicatum fuit Filio: propterea Filius illi ait, *Et tua, mea ſunt*. In Matre tria fuerunt, nimirum, ſpiritus, anima, & corpus: atqui beata Virgo communicavit hæc tria Filio ſuo: ideò Filius dicere poteſt ei verba prædicta. Ipſa enim præbuit ei corpus ſuum & ſinum ſuum, ut in eo habitaret: animam ſuam ipſa univit vi amoris, qui eſt unitivus, animæ Jeſu Chriſti, & aliquo modo reddidit illam eandem cum eâ: nam, ut ait ſanctus Dionyſius g, *Dimovet de ſtatu divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*. Et Arnoldus Carnotenſis h, *Omnino erat una Chriſti & Mariæ voluntas, ſicut una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas*. Spiritus ipſius adhæret indiſſolubiliter Divinitati Jeſu Chriſti; *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* i. Beata Virgo enim fuit domus Dei, in qua tres erant habitationes, juxta id quod dicitur, *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum mediâ charitate conſtravit* k. Significat *ferculum* vas in quo ponitur cibus, quod denotat uterum Virginis, in quo *Rex gloriæ* l cepit cibum novem menſes, & iſtud vas erat factum *de lignis Libani*. Lignum autem Libani eſt incorruptibile: ſic beata Virgo ſemper fuit pura, vel ab ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti, nec unquam fuit obnoxia corruptioni: manſio infima fuit corpus aut ſinus ipſius, in quo Jeſus Chriſtus ſumpſit quietem ſuam, & vocatur *reclinatorium aureum*. Quia corpus ejus nullo fuit unquam vitio inquinatum: innixum fuit columnis argenteis, *Columnas ejus fecit argenteas*. Ita ut nulli unquam peccato ſubjacuerit: & de his columnis dicitur, *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem* m. Id eſt, ſeptem dona Spiritus ſancti, ut contemplatur Idiota n; vel ſeptem virtutes, tres Theologicas, & quatuor Cardinales, ut docet ſanctus Bernardus o. Manſio media fuit anima beatæ Virginis, ubi Jeſus Chriſtus manſit per charitatem, *Mediâ charitate conſtravit*. Anima enim ejus repleta fuit tantâ charitate ut mutata fuerit in amorem: nam ſicut ferrum in fornacem projectum, efficitur totũ ignis, ſic anima beatæ Virginis projecta in fornacem divinæ Charitatis, tota ardet charitate, tota charitatis languoribus abſumitur. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo* p. Manſio ſuprema eſt Spiritus ejus, ubi Jeſus ſemper manſit per unionem inſeparabilem, ſic dicitur, *Aſcenſum purpureum media charitate conſtravit*. Spiritus ejus fuit rubeus, tam quia rebus divinis ardebat, quàm quia purpurabat ipſum *gladius* q doloris quandiu ipſa ſtabat *juxta crucem Jeſu Mater ejus* r. Et quoniam omnino repletus erat divinâ Charitate & ſacris illius ardoribus.

g S. Dion. l. de div. Nom. c. 4

h Arnold. Carnot. tract. de Laudib. Deip.

i 1. Cor. 6.17

k Cant. 3. 9. & 10

l Pſ. 23.7

m Prov. 9.1

n Idiot. in Contẽpl. b. Virg. c. 3

o S. Bern. ſerm 9. in Parvis

p Cant. 5.8

q Luc. 2.35

r Jo. 19.25

Præterea, Beata Virgo ſervivit loco defenſionis Filio ſuo: ſicut enim ipſa habuit Deum protectorem, qui ipſum præſervavit in conceptione ſuâ à peccato originali, ita fuit ipſa Protectrix Filii ſui, qui poteſt ipſi dicere, *Et tua, mea ſunt*. Ut autem benè intelligatur hæc veritas, ſuppono tanquam rem certam & infallibilem, de quâ nemo poteſt ambigere, quòd beata Virgo ſemper ſe comitem præbuit individuam Filio ſuo, & interfuit omnibus miraculis, quæ Filius ſuus patravit. Sanctus enim Lucas ſ aſſerit, quòd quædam piæ mulieres, quæ vacabant praxi virtutis, & exercitio bonorum operum & ſanctitatis, jugiter ſequebantur Salvatorem mundi, *Ipſe iter faciebat per civitates & caſtella prædicans & evangelizans Regnum Dei: & cum illo mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Joanna uxor Chuſæ Procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. At beata Virgo afficiebaturne minùs erga Filium ſuum quàm illæ mulieres? aut diligebatne ipſa minùs Dilectum viſcerum ſuorum quàm illæ fœminæ, quæ ordinariè ſequebantur illum? Iſtud non eſt veriſimile, quia Maria magis erat obſtricta Filio ſuo, quàm aliæ mulieres, quia ſi

ſ Luc. 8.1. &c

iſtas

Digitized by Google

iſtas curavit Dei Filius à dæmonibus, aut à peccatis, præſervavit Matrem ſuam ab omni peccato, vel originali, & ideò cùm magis eſſet devincta Maria Filio ſuo, magis debebat illum ſequi, quàm aliæ mulieres illæ, cùm præſervatio à peccato, ſit quid magis quàm liberatio, aut curatio ab illo, ſicut illas mulieres à dæmonibus, vel à peccatis curatas aſſerit Dionyſius Carthuſianus r poſt S Lucam, dicens, *Et mulieres aliqua ibant cum Ieſu, qua erant curata ab ipſo à ſpiritibus malignis. Hoc dupliciter intelligi poteſt. Primò, Quia quadam illarum fuerunt obſeſſa. Secundò, Vt dicantur à dæmonibus curata, quia à vitiis valdè multis & magnis fuerunt per Chriſti prædicationem, gratiamque mundata. Certi autem dæmones à certis vitiis nomina ſortiuntur, quia ad ea ſpecialiter tentant, inclinant, inducunt: unde dicitur ſpiritus ſuperbia, ſpiritus fornicationis: qui autem hujusmodi vitiis ſordent, à dæmonibus ſpiritualiter poſſidentur, tanquam captivi & ſervi eorum. A quo enim quis victus eſt, hujus & ſervus eſt, ut loquitur Petrus u. Et Paulus x de impiis loquens, Reſipiſcant (inquit) à laqueis diaboli, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Et infirmitatibus corporalibus. Meritò ergo ſecuta ſunt Chriſtum tanquam Magiſtrum & Medicum animarum, corporumque earum, grata conſiſtere, & plus proficere cupientes, videlicet Maria, qua vocatur Magdalena à caſtro nomine Magdalum. Fuit enim ſoror Martha & Lazari, filia opulenti atque pranobilis viri, & ex hareditate parentum pervênit in hoc caſtrum. De qua dæmonia ſeptem exierant, hoc eſt, peccata ſeptem mortalia, quibus aliquando plena fuit. Vnde & in Marco legitur, Surgens Ieſus manè primâ Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia y. Et Ioanna uxor Chuſa Procuratoris Herodis, fortè ejus qui tempore quo facta ſunt hac, vixit, videlicet Herodis qui decollavit Baptiſtam z. Et Suſanna, qua cordis conſtantiâ & virtute atque prudentiâ, ſimilis facta eſt praclara illi Suſanna, de qua in Daniele a habetur. De Ioannâ præfatâ infrà habetur, quod cum Mariâ Magdalenâ venit cum aromatibus ad ſepulchrum, viditque duos Angelos ſanctos, & fortè idem intelligendum eſt de Suſannâ, ſicut ex verbis ſancti Luca b ibidem conjicitur. Et alia multa mulieres, ſexus nempe fœmineus ad devotionem ſolet eſſe magis diſpoſitus, quàm ſint viri, quia fœmina communiter humilioris & mollioris ſunt cordis. Qua miniſtrabant ei, ſcilicet Chriſto, de facultatibus, hoc eſt, opibus ſuis, quia opulenta fuerunt atque devota, & rationabile eſſe penſabant, ut ſicut ipſa ſpiritualia à Chriſto quotidie ſuſceperunt, ſic ei in temporalibus miniſtrarent, præſertim quia à corporis & anima morbis fuerunt liberata per Chriſtum. Vnde nec condignum aliquid ei valebant rependere, cùm in Eccleſiaſtico c ſcriptum ſit, Melius eſt corpus validum, quàm cenſus immenſus.* Propterea mulieres iſtæ ut ſe gratas exhiberent Chriſto pro beneficiis ab eo ſuſceptis, ſequebantur illum: et beata Virgo majora ſuſcepit à Filio ſuo beneficia: cùm enim illæ liberatæ fuerint à dæmonibus, vel à vitiis, ipſa nunquam illis ſubjacuit, ſed ab illis fuit præſervata, & dæmones & peccata ſuperavit ab ipſo ſuæ conceptionis inſtanti primo, ſicut de ipſâ prædictum eſt in perſonâ Evæ adversùs ſerpentem, cui dictum eſt, *Ipſa conteret caput tuum* d. *Mulier enim*, ait Cornelius e, *eſt beata Maria Eva filia: ſemen ejus eſt Ieſus, & Chriſtiani: ſerpens eſt diabolus: ſemen ejus ſunt infideles, omneſque impii. Ergo beata Maria contrivit ſerpentem: quia ipſa ſemper plena & glorioſa fuit victrix diaboli, omneſque hæreſes (qua caput ſunt ſerpentis) in univerſo mundo contrivit, ut canit Eccleſia.* Unde ſequitur quòd, cùm beata Virgo magis eſſet devincta Filio ſuo, quàm illæ mulieres, magis ſequeretur eum, quàm illæ; & ideò quòd comes ei ſemper adeſſet individua, niſi fortè cùm *ibant* ipſa & Sponſus ipſius ſanctus Joſeph *Parentes ejus per omnes annos in Ieruſalem in die ſolemni Paſchæ. Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis in Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cùm redirent, remanſit Puer Ieſus in Ieruſalem: & non cognoverunt Parentes ejus. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Et dixit Mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his qua Patris mei ſunt oportet me eſſe? Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth* f. Unde ſanctus Hildefonſus g ait de beata Virgine Deipara, *Omne tempus Dominicæ infantiæ, pueritiæ, & adoleſcentiæ cum ipſo peregit.* Ipſa fuit veluti baculus peregrinationum Jeſu Chriſti uſque dum *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* h. Nam, ut ait Arnoldus Carnotenſis i, *Ab ortu Salvatoris uſque ad Baptiſmum anni triginta deſluxerant, nec toto hoc tempore ſejuncta eſt Mater à Filio, ſemper individua adſtitit, & divini conſcia ſecreti humili affectu venerabatur ut Deum, amplectebatur ut Filium.* Videamus autem, ſi placet, quidnam contigerit Salvatori poſt ſeparationem Matris ipſius ab ipſo. Nimirum, ſtatim ac diabolus vidit eum ſolum & deſtitutum ſocietate Matris ſuæ, quæ dimiſerat eum, ut illi copiam præberet recipiendi ſui ipſius in ſolitudinem, ibique jejunandi *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, cœpit illum furiosè aggredi, & triplici tentatione eum impetere, *Et accedens tentator.* Si autem ita ſe res habet, quis ſic erit infelix ut ſeparare ſe velit unico vel inſtanti à devotione beatæ Virginis, cùm diabolus ita ſit audax ut inſurgat in Dominum Deum ſuum, cùm videt illum deſtitutum auxilio & protectione Matris ſuæ; & nunquam fuerit ſic temerarius ut aggrederetur illum per ſpatium triginta annorum, quibus Mater ſua illum nunquam deſeruit? Secundâ vice, quâ Mater ſua abfuit ab eo, ut daret illi facultatem vacandi orationi in horto, tunc omnia peccata hominum irruerunt in eum, *Et cœpit pavere & tædere* k. Propterea ſanctus Anſelmus l ſic cum illâ colloquitur, *Tunc omnes diſcipuli relicto eo fugerunt* m. *Dic piiſſima Domina, fuiſti tunc cum illo? Non. Quare, cùm eum tantùm diligeres? Nox inſtabat, & non expediebat ut mulieres tunc foris invenirentur.* Nunquid non igitur viſu facile eſt, quòd præſentia beatæ Virginis protegit Salvatorem, cùm ipsâ abſente, ſic dirè perſequantur eum, illique bellum indicant diabolus, & omnia peccata generis humani? Sed quomodo fieri poteſt iſtud? Si enim Jeſus Chriſtus fortior eſt Matre ſua, cùm ſit *Virtus Altiſſimi,*

r Dion. Carth. art. 20. in Luc. 8, 1, &c
u ex 2. Petri 2. 19. & ex Joan. 8, 34
x 2. Tim. 2, 26
y Marc. 16. 9
z ex Marc. 6, 28
a ex Dan. 13. 23. &c
b ex Luc. 24. 1, &c
c ex Eccli. 30. 15
d Gen. 3. 15
e Cornel. in Gen. 3. 15
f Luc. 2. 41, &c
g S. Hildefonſ. ſerm. 5. de Aſſumpt.
h Matth. 4. 1. &c
i Arnold. Carnot. tract. de Laudib. Deip.
k Marc. 14. 33
l S. Anſelm. in Dialog. de Paſſ. Dom.
m ex Matt. 26. 56

e Luc. 1.35 mi n, quomodo diebolus magis timet Ma-
trem quæ non eſt niſi pura creatura, quàm Fi-
lium qui Creator eſt? Ut illud intelligatur,
ſciendum eſt, quòd diabolus ita ſuperbus eſt,
ut pudore ſuffundatur apparere coram perſo-
nis, quæ de ipſo triumpharunt: *Cùm quâ-
dam die veniſſent filii Dei,* (quod LXX. vertunt,
Angeli Dei,) *& ſtarent coram Domino, veniſſet*
i Job 2.1 *quoque Satan inter eos, & ſtaret in conſpectu ejus* o.
Super quod Julianus apud Gloſſam Ordina-
riam dicit, *Venit in medium Angelorum, quaſi cap-
tus.* Erubeſcebat ſe videre in conſortio eo-
rum à quibus victus fuerat cùm *factum eſt præ-*
p Apoc. 12.7 *lium magnum in cælo* p, &c. Ideò non eſt au-
ſus tentare beatam Virginem, nec aggredi Fi-
lium ejus in præſentiâ ipſius, quia ſicut Maria
q Gen. 3.15 ipſum deviceràt, conterendo *caput* q ipſius in
conceptione ſuâ, pudet ipſum apparere coram
eâ, & aggreditur Filium ejus, cùm videt eam
ab illo abeſſe.

Sed ſicut Mater tuebatur Filium, ita Filius
amplectitur cauſam Matris, eamque protegit,
efficiendo primò, ut *extollens vocem quadam mu-
lier de turba,* diceret illi, *Beatus venter qui te portà-*
r Luc. 11. 27. &c. *vit, & ubera quæ ſuxiſti* r. In quo S. Marcella
Dei Filium alloquens, extollit dignitatem Ma-
tris Dei. Secundò, Magnificare volens Dei Fi-
lius eandem ſupereminentem dignitatem Ge-
nitricis ſuæ, dedit illi S. Joannem in filium, di-
ſ Jo. 19.26 cens ei, *Mulier, ecce filius tuus* ſ. Illa quæ vult ac-
quirere famam bonæ matris, habere debet duo
ubera differentia, quibus lactet filios ſuos, u-
num quo præbeat eis lac naturale, alterum ve-
rò quo tribuat illis lac myſticum, inſtituendo
eos ad virtutem, & ad doctrinam: atqui B. Vir-
go habuit hæc duo ubera differentia, quippe
quæ matrum omnium perfectiſſima; ſed quia i-
pſa non poterat dare lac ſuum myſt. cum Filio
ſuo, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*
t Coloſſ. 2.3 *abſconditi* t: Jeſus Chriſtus tradidit ipſi S. Joan-
nem in filium, ut illum lactaret lacte myſtico
doctrinæ, & ut ſic ipſa non fruſtraretur illuſtri
famâ bonæ matris; & hoc modo S. Joannes fuit
diſcipulus Reginæ cœlorum. Lac B. Virginis e-
rat inhonoratum in mundo, ideò oportuit ut
Filius ſuus adinveniret modum reſtituendi il-
lius in priſtinum ſplendorem ſuum. Cùm com-
mittitur aliquis filius Regis alicui nutrici alen-
dus, hæc omnes ſuas curas adhibet ac induſtrias
ut illum delicatè nutriat, & eum mundum cu-
ſtodiat: ſi autem contingat ut alumnus iſte mor-
bo corripiatur, & leprâ apparente ſuper cor-
pore illius, ipſe ſit opertus ulceribus, ſtatim hæc
mutatio imputatur lacti nutricis, è cujus mani-
bus educitur alumnus iſte, & traditur alteri,
quæ æſtimatur munda, & habere lac purum, &
non corruptum; & tunc lac prioris nutricis ma-
net infamatum: ſed ipſa ſciens quòd ſuum lac
nullum habet defectum, nec eſt ipſa leprâ in-
fecta, & quòd iſtud malum venit ex infirmitate
illius alumni Regii, ut reſtituat lacti ſuo famam
ſuam, & oſtendat ſe immeritò vituperari, alium
ſuſcipit alumnum, quem ipſa alit mundum, &
ſine ulla labe morbi, & ſic amiſſum recuperat
honorem, & lacti ſuo reſtituit authoritatem:
Lac B. Virginis erat aliquo modo inhonoratū
inter homines, à quibus viſus fuerat Salvator
veluti leprâ infectus, juxta vaticinium Iſaiæ t, t Iſai. 53.4
Putavimus eum quaſi leproſum. Aquila & Symma- u S. Hier.
chus apud S. Hieronymum u non vertunt con- l. 14. in Iſai. 53.4
ditionatè, ſed abſolutè, *Putavimus eum leproſum.*
Litera Hebraica dicit, *Et nos reputavimus eum*
plagatum. Et S. Auguſtinus x ait, *Et nos exiſtima-* x S. Aug. hom. 36. ex 50. c. 2.
vimus illum in doloribus eſſe, & in plagâ, & in pœnâ.
Quaſi diceret, quòd ita infectus eſſet leprâ, ut
corpus ejus non videretur niſi una plaga: & in-
de cauſam illius imputaverunt lacti B. Virginis
quod ſic inhonoratum fuit: atqui B. Virgo vo-
lens reſtituere lacti ſuo honorem ſuum, & o-
ſtendere quòd hæc lepra Filii ſui oriretur ex
infirmitatibus & peccatis generis humani, nu-
trivit lacte ſuo Virgineo S. Bernardum, qui
propter alimentum hujus lactis Virginei quod
ſuxit, pervênit ad ſic eximiam pulchritudinem,
ut hæc educatio S. Bernardi ſufficerit ad reſti-
tuendum honorem huic lacti Virgineo: & tunc
mundus videns effectus hujus lactis Virginei in
hoc Sancto, judicavit quòd lepra Filii Dei non
cauſaretur à lacte Matris ſuæ, ſed à peccatis
hominum, pro quibus expiandis tantas debe-
bat ſuſtinere pœnas.

Hunc diſcurſum concludo cum reflexione
morali ſuper hæc verba præfata, *Beatus venter
qui te portavit.* Hoc verbum, portare, ſignifi-
cat onus ferre, & explicat munia bonæ matris:
ſic beata Virgo ſe obſtrinxit ad portanda one-
ra educationis Filii ſui. *Et ubera quæ ſuxiſti.*
Verbum hoc, ſugere, dicit educere cum volup-
tate; ſic Dei Filius voluptate ſuxit incompara-
bili ubera Matris ſuæ, ita ut dicere poſſit ei
hodie, *Mea omnia, tua ſunt; & tua, mea ſunt.* Quòd
ſi Pater æternus facit illam Arcariam ſuam, ip-
ſe Filius Camerariam ſuam, Spiritus ſanctus
Diſpenſatricem ſuam, Sanctiſſima Trinitas E-
leemoſynariam ſuam; & ipſemet Filius Dei,
prout Filius ipſius hominis in tempore, ample-
ctitur cauſam ejus, & tuetur honorem illius, eò
quòd ſuſcipiat ab eâ id totum quod ipſa habet
in ſpiritu ſuo, in anima ſua, in corpore ſuo, &
in protectione ſua: matres, quæ liberos veſtros
aliis nutricibus traditis alendos, ne portetis o-
nera bonarum matrum, non eſtis bonæ matres,
cùm non ſatagatis ut ſugant à vobis bonos mo-
res. Ex illis quatuor animalibus myſticis quæ
vidit Ezechiel y, illud quod ferebat faciem a- y Ezech. 1.5. &c
quilæ, volabat ſupra alia, quia alæ ipſi natæ e-
rant & creverant in nido: ſed leo, homo, & bos
non habebant niſi alas mutuatas: ſi alligetis a-
las bonorum morum liberis veſtris in cunis,
volabunt in aërem virtutis. Hoc dicit Jere-
mias z de homine virtuoſo, *Levavit ſe ſuper ſe.* z Thren. 3.28
Sed ſi expectetis applicare eis pennas virtutis
donec pervenerint ad fortitudinem hominis,
leonis, aut bovis, volatus eorum erit depreſſus.

Imitamini munia Mariæ, & Filius ejus di-
cet vobis, ſicut illi, *Mea omnia, tua*
ſunt. Et vobis *gratiam, & glo-*
riam dabit Dominus †. † Pſ. 83. 12

DOMI-

dum & mortificandum, & quòd præcipitare poteſt quos voluerit ad inferos, & ex abyſſis eos, quos ipſi placuerit, educere, *Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit*, ait
f 1 Reg. 2.6 Propheta f. Et ipſemet dicit, *Ego habeo claves*
t Apoc. 1.18 *mortis, & inferni* t. Reverentialem timorem exhibent ei ut Regi *terribili, & ei qui aufert ſpiri-*
u Pſ. 75.13 *tum principum, terribili apud reges terræ* u. Id eſt, cùm iſti indulgent deliciis ſuis. Et ipſi juſtè metuunt ne ipſis infligat mortem, quem ipſi meriti ſunt propter peccata ſua, poſtquam vitam tribuit huic adoleſcenti ſuſcitato ad agendam pœnitentiam de peccatis ſuis. Daniel, antequàm interpretaretur ſententiam vibratam contra Baltaſſar exaratam in pariete manu Dei juſtâ, fecit ei proœmium iſtud, *Deum qui habet flatum tuum in manu ſuâ, & omnes vias tuas, non glorificaſti. Idcircò ab eo miſſus eſt articulus manus, qui ſcripſit hoc quod exaratum eſt: Hæc eſt autem Scriptura quæ digeſta eſt: Mane, Thecel, Phares. Et hæc eſt interpretatio ſermonis. Mane, numeravit Deus Regnum tuũ, & complevit illud. Thecel, appenſus es in ſtaterâ, & inventus es minus habens. Phares, diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Eâdem nocte in-*
x Dan. 5. 23. &c *terfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus* x. Peccator, tibi ſum nuncius funeſtior quàm Daniel Regi Baltaſſar, ad te fero nuncium mortis, gladius divinæ Juſtitiæ imminet capiti tuo, vita tua non eſt niſi flatus præ manibus Dei; & audes eum offendere? Fierine poteſt ut diffluas deliciis, ſic expoſitus evidenti periculo mortis, quæ eſt inſeparabilis à conditione tuâ, & quam toties es meritus propter crimina tua? Concipine valet ſtultitia intolerabilior hâc inſaniâ? Caſus naturales qui nobis mortem inferunt, ſic ſunt ordinarii infirmæ conſtitutioni noſtræ, ut vivendum ſit nobis inter timores, ne ſingulis momẽtis expiremus propter aliquod infortunium inopinatum: ſanguis nimis accenſus, vapor vitioſus, uncia veneni, tegula cadens ſuper caput, lapſus ſuper pavimentum, halitus peſtifer, & alia hujusmodi, nobis inferre poſſunt interitum, nedum tota ſcientia Medicorum prævenire poſſit hoc periculum: ſed judicia Dei ſunt multò terribiliora: ipſe vitam eripit Magnatibus, cùm recedunt ab ipſius obſequio, ſicut audiviſtis modò ex Pſalmiſtâ. Tamen vivimus ſine timore iſtius judicii formidabilis, & obliviſcimur mortis, quæ eſt primus affectus furoris ejus, ſicut timor eſt primus affectus turbæ noſtræ, *Accepit omnes timor.*

Charitas prædominetur timori: ſic ipſi ſuos reſumunt animos ad magnificandam vitam triumphantem, ad proclamandum Meſſiam, & ad glorificandum eum qui eſt magnus Prophe-
ta promiſſus in Lege y. expectatus à Patriar- y Deut. 18.15
chis z, & annunciatus à Prophetis a: *Et ma-* z Gen. 49. 18
gnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam. a Iſai. 9. 6.
Et ſi ſic *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum uni-*
genitum daret b: & ſi iſte Filius ductus amore b Jo. 3. 16.
erga nos, *tetigit loculum* ad nos vivificandos, moriens ut nos à morte redimeret, quibusnam vocibus magnificare debemus hanc miſericordiam? & quonam affectu agnoſcemus exceſſum talis bonitatis? Exclamemus igitur cum
S. Bernardo c, *O quàm indebita miſeratio! Quàm* c S. Bern. ſerm. de quadrupl. debit.
gratuita & ſic probata dilectio! Quàm inopinata dignatio! Quàm ſtupenda dulcedo! Quàm invicta manſuetudo! Regem gloriæ pro deſpicatiſſimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi: Quis audivit unquam tale? d Iſai. 66.8
& quis vidit huic ſimile d? *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* e? *Nonne ſi con-* e Pſ. 115.3
ferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies ſeculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui ſunt, & erunt, nihil eſſet ad comparationem corporis illius, quod ſpectabile, & ſtupendum eſt Virtutibus etiam supernis in conceptu de Spiritu ſancto f, *in* f ex Matt. 1.18. & 20
ortu de Virgine g, *in vitæ innocentiâ* h, *in doctri-* g ex Matt. 1.25. & ex Luc. 2.7
næ affluentia i, *in coruſcationibus miraculorum* k, h ex 1. Petri 1.22. & ex Iſai. 53.9
in revelationibus Sacramentorum. Cùm ergo ei donavero quidquid ſum, quidquid poſſum: nonne iſtud eſt ſicut ſtella ad Solem, gutta ad flumen, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo niſi minuta i ex Io. 7. 14. & 15
duo l, *imò minutiſſima, corpus & animam, vel potiùs unum minutum, voluntatem meam, & non dabo* k ex Matt. c. 8. & ſeq.
illam ad voluntatem illius, qui tantum tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto ſe totum me comparavit? l ex Marc. 12.40

Suſcipe, Domine, has oblationes humilis obſequii mei, grata habe vota obedientiæ meæ, repete verba vitæ, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Ut renatus ſpiritualiter, denuò te glorificare poſſim per opera virtutum: extermina in me mortem omnium vitiorum, ad renovendam in corde meo vitam tui ſancti amoris: iſtud eſt quod ipſe præcipis, & hoc eſt quod à te requiro: voluntas tua non poteſt impleri in me niſi per efficaciam gratiæ tuæ: largire mihi eam in hac vita, & gloriam tuam in alterâ.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Cùm intraret Ieſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem: ecce quidam hydropicus erat ante illum: ipſe verò apprehenſum ſanavit eum. Luc. 14. 1. &c.

AGnoſcere beneficia ſuſcepta, virtus eſt ſic laudabilis, & ita accepta, non ſolùm Angelis, & hominibus, ſed etiam Deo, ut, licèt hæc beneficia non ferant præ ſe aliquando niſi ſolam beneficiorum apparentiam, & re verâ procedant è corde maligno, artificioſo, & ſcatente dolis, tamen optimum ſemper ſit æſtimatu formam hanc exteriorem, & dare huic apparentiæ genus aliquod mercedis & præmii, ad hoc ut inducerent author beneficiorum ad verè diligendum illum quem hujuſmodi fictione cogitabat decipere: nemo meliùs poterat cognoſcere corda amicorum vel inimicorum ſuorum, quàm Filius Dei, qui intimè pervidebat cogitationes antequàm conceptæ fuiſſent, & ponderaverat ſapientiâ ſuâ quæ *non habet finem* a, verba hominum priuſquàm ore eorum
fuiſſent prolata: *Pravum eſt cor hominis & inſcru-* a Baruch. 3.25
tabile: quis cognoſcet illud? *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes* b. *Vivus eſt enim ſermo Dei* b Jer. 17. 9. & 10
& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus,

com-

Digitized by Google